REGVLA S. BENEDICTI, CVM DOCTISS. ET PIISS. COMMENTARIIS IOANNIS DE TVRRE CREMATA, S.R.E. CARDINALIS, ET SMARAGDI ABBATIS.

ITEM

DE VIRIS ILLVSTRIBVS ORDINIS S. BENEDICti, Libri IIII. IOANNIS Trithemij, Abbatis Spanheimẽsi. Tum etiam REGVLAE D. Basilij, D. Augustini, & S. Francisci.

IN GRATIAM REVERENDISS. DOMINI, D. BALTHASARIS, Abbatis & Principis Fuldensis, D. Augustæ Archicancellarij, & per Germaniã Galliamque Primatis &c. ac Reuerendorum & Nobilium dominorum Fuldensis Ecclesiæ Capitularium, totiusque Ordinis D. Benedicti, partim accuratè recognita, partim verò nunc primùm edita.

Cum duplici INDICE locupletissimo.



COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud Geruinum Calenium & hæredes Quentelios. Anno M. D. LXXV.

Cum Priuilegio Imperiali in decennium.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO, D. BALTHASARI, ABBATI ET PRINCIPI FULDENSI,

D. Augustæ Archicancellario, & per Germaniã Galliamque Primati &c. Domino ac Principi suo clementissimo. S. P. D.



NISI, Reuerendissime Princeps, teste B. Ioanne Apostolo, mundus totus in maligno esset positus, mirum videri posset, tot existére vitæ monasticę ac religiosę vituperatores: cùm eiusmodi vitæ genus, & in veteri Testamento adumbratum, & in noua lege clarè expressum, atque ab initio Christianismi, vsque ad præsens tempus, in Ecclesia Christi comprobatum, vehementerque clarissimorum authorum scriptis commendatum fuerit. Etenim Nazaræi quid aliud erant, quàm monachorum nostrorum præuia quædam vmbra atq; figura? Elias quàm probatus Deo fuit? Quàm Deo charus Elisęus? Laudati, Dei voce, filij Ionadab, filij Rechab: celebrati in veteri filij prophetarum: in nouo Testamento prędicatus Christi voce sanctus Ioannes Baptista. At hi nónne simulacra quædam & imagines erant monachatûs nostri? Immò nónne fuerunt quasi principes atq; duces diuinæ istius, de qua sermo est, philosophiæ? Nónne & post istos Paulus, Antonius, Macarius, & alij innumerabiles sanctissimi viri hãc vitæ formam excoluerunt, cõsummauerunt, & ad perfectionem pulcherrimam perduxerunt. Sanè, Reuerendissime Princeps, quid lumina illa piæ eruditionis, & eruditæ pietatis, Hieronymus & Augustinus, ante annos 1200. de hoc vitæ genere, senserint, & vtile fuerit & iucundum audire. quorum ille epis. 13. ad Paulinum scribens de institutione monachi: Habet, inquit, vnumquodq; propositũ principes suos. Romani duces imitentur Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones, &c. nos autem habeamus propositi nostri principes, Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macarios: & vt ad scripturarum authoritatem redeam, noster princeps Helias, noster Helisæus, nostri duces filij prophetarũ, qui habitabant in agris & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis &c. Augustinus verò in psalmum 132. commẽtans, eaq; verba tractans, Eccè quàm bonum & quàm iucundum est habitare fratres in vnum: Ista, inquit, verba psalterij, iste dulcis sonus, ista suauis melodia tam in cãtico, quàm in intellectu, etiam monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui habitare in vnum cõcupiẽrunt. Iste versus fuit tuba ipsorũ, quæ sonuit per orbem terrarum, & qui diuisi erant, congregati sunt in vnum &c. Adeò verò status hic, omnium seculorum, pijs hominibus fuit commendatus, eo studio cultus, vt non à viris modò, sed & à fœminis veteris Testamenti, si nõ ad viuum expressa, at adumbrata vita monachorum inueniatur. Religiosissima Iudith post mortẽ coniugis sui cùm perpetuam pudicitiã seruare decreuisset, in superioribus domûs suæ partibus, secretius cubiculum orationi deputatum extruxit, in quo cum aliquot puellis clausa morabatur: quinimmò vestem etiam religiosam, cilicium

[Margin: 1.Ioan.5. — Num.6. — In posterioribus capitib. lib.3. Reg. & primis lib.4. — 3. Reg. 19. & 4. Reg. in multis capitibus. — Ierem.34. — 4.Reg.2. & 6. — Iudith.8.]

ſumpſit, & omnibus diebus vitæ ſuæ ieiunauit, præter Sabbatum & neomenias, & feſta domûs Iſrael. Num igitur illa nõ vitam quaſi monaſticã duxiſſe videtur? Refertur & cap. 3. lib. 2. Machabæorum de virginibus, quæ clauſæ erant: figura earum, quę hodiè Deo in clauſtris & cœnobijs religioſè viuunt. Quin etiam Hieroſolymitano templo virgines fuerũt deputatæ, atq; ibi Deo ad ſeruiendum dedicatæ. quò cùm Helena Cõſtantini mater, crucem Domini inueſtigatura, veniſſet, Chriſto Ieſu cõſecratas virgines inuénit, magnũq; illis honorẽ exhibuit, vt Ruffinus, Socrates, & Sozomenus in Eccleſiaſticam hiſtoriam retulerunt. De Anna propheti ſſa, filia Phanuel, narrat Lucas, quòd non recedebat de templo, ſed ieiunijs, atq; obſecrationibus ſeruiebat Deo diebus ac noctibus. S. Maria Deipara domina noſtra, quia virgo ac religioſa decreuerat permanere, miratur Gabrielem Archangelum nunciare, quòd ipſa Dei filium eſſet paritura: & tunc demùm dixit, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum: cùm ab Archangelo audiuiſſet, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, ſalua videlicet virginitate, ſaluoq; caſtitatis voto, tantùm Spiritûs ſancti opus, admirandum illum ac ſalutarem partum eſſe futurum. Chriſtus virgo, (inquit Hieronymus) virgo Maria. Quin ipſa etiã Dei patris ſapiẽtia Chriſtus Dominus noſter, cùm apud Matthæum dicit, Qui poteſt capere, capiat: quid aliud ſignificat, quàm fuiſſe tunc, qui caſtitatem ſibi propoſuerant propter regnũ Dei? quos, vt rem ſanctam ſecutos, probat, & ad ſuperandam difficultatem cohortatur. Quod Magiſtri teſtimoniũ, nè quo modo in alienum ſenſum raperetur, ſingulari Spiritûs ſancti conſilio factum intelligimus, vt caſtitatis religioſę meritum Paulus, in tertium cęlum raptus, pluribus commendans, hoc quaſi Epiphonemate concludat: Bonum eſt homini, mulierem non tangere. Cuius quaſi rationem reddens dilectus ille Domini diſcipulus, Cantabunt, inquit, canticum nouum. Et cantabant quaſi canticum nouum ante ſedem, & ante quatuor animalia, & ſeniores: & nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadragintaquatuor millia, qui empti ſunt de terra. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati. virgines enim ſunt. Atque adeò Dominus ipſe cùm apud Matthæũ dicat: Si vis perfectus eſſe, vade: vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: & habebis theſaurũ in cęlo, & veni, ſequere me. cumq; apud Lucam, aperta voce, profiteatur: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, & vxorem, & fratres, & filios, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus: Et qui non baiulat crucem ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus: non de communi Chriſtianorũ vita, quæ omnibus præcipitur, ſed de perfectiori quodam inſtituto loquitur, vt doctiſſimis viris appáret. Duas enim ſimilitudines adfert, de expendendis ante ædificium ſumptibus, & numerando ante prelium milite. quibus perfectiorem ſuam diſciplinam pręedicat, ſed non imperat: hortatur quoquè non aggrediendum temerè, ſed expendendas vires. quaſi dicat: Ego vobis indicaui perfectiorem viam, vos expendite vires. Hoc tamen ſcitote, quicunque hac via non ingreditur, non poteſt meus perfectus eſſe diſcipulus. Talium, perfectorum ſcilicet diſcipulorum Chriſti, ſeu religioſorum hominum, familiã collegerunt Apoſtoli primùm Hieroſolymis, de quibus Lucas narrat in Actis, quòd ijs

Ambroſius lib. 1. de virginibus.

Ruffinus lib. 1. cap 8.
Socrates lib. 1. cap. 17
Soſomenus lib. 2. cap. 2.
Lucæ 2.
Lucæ 1.

In Apologia pro libris contra Iouinianũ.
Matth. 19.

1. Cor. 6.
Apo. 14.

Matth. 19.

Lucæ 14.

Medina libro 1. de cõtinentia, cap. 56.

cor erat vnum, & anima vna: quòd nemo aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia: quòd, qui possessores erant agrorum aut domorum, vendentes offerebant precia eorum, quæ vendebant, & ponebant ad pedes Apostolorum: quòd nemo egens erat inter illos, sed quòd singulis diuidebatur, prout cuiq; opus erat. Atq; hi, qui ad perfectius istud vitæ genus in primordio Ecclesiæ se transferebãt, (quod maxima pars Christianorũ faciebat) hi, inquã, perfectionis amatores diligentissimè perpetuò, cũ corporis appetitu atq; voluptatibus certabant, corpus ieiunijs, vigilijs, laboribus, coërcebãt: animũ verò continuis precibus, cantibus & hymnis, rerumq; cælestiũ meditatione ad conspectũ diuinæ charitatis excitabant, & humanam voluntatem cũ diuina consociare studebant. Tales, monachi appellabantur, vel quòd solitudinem sequerentur, vel quòd, abiectis & cõtemptis rebus omnibus, cũ solo Deo viderentur arctissimo amoris vinculo cõstricti & alligati. Vndè Dauid: Mihi adhærere Deo bonum est. & Paulus Apostolus: Qui adhæret Domino, vnus spiritus est cum illo. Pauli discipulus Dionysius Areopagita in hanc sententiã monachi nomen interpretatur: & quẽ ritum pontifices in monachis initiandis obseruârint, memoriæ proditũ reliquit. Cæterùm beatus Marcus Euangelista certas etiã monasticæ solitariæq; vitæ leges introduxit, quas infinita hominũ multitudo, incredibili studio, est consectata: quorũ mores & ritus Philo Iudæus, diui Petri Apostoli familiaris, peculiari libro de Iessæis, aut de vita cõtemplatiua, descripsit. Illum aũt Philonis librum clarè, & absq; vlla contradictione, de religiosis monachis primitiuæ Ecclesiæ esse accipiendũ, complures sanè, iiq; eruditione clari, ac pietate grauissimi viri testantur, vt Hieronymus, Eusebius, Nicephorus, Cassiodorus, Epiphanius, Hermius, Sozomenus: quorũ vltimus cùm monasticam vitam à Deo ad homines profluxisse dixisset, deinceps Philonis testimonio vtens: Philo, inquit, præclariores Hebræorum viros, suis temporibus vndiq; collectos, loco quodam ad lacũ Marium, in colle adiacenti, philosophatos esse scribit. Habitationem verò eorum, & victum, & conuersationem talem describit, qualem & nos iã apud monachos in Aegypto conuersantes videmus. Persecutiones deindè mirũ in modum monachorum numerũ adauxerunt, quandò pij homines, quibus dignus non erat mundus, elapsi fuga, in montibus & solitudinibus ac syluis degentes, huiusmodi vitæ consuetudinẽ contraxerunt. Sic Paulus, sic magnus ille Antonius, ad hoc vitæ genus à Deo sunt deducti, quod cognitum, quàm studiosè, quàm diligenter, quantis perfectionis exercitijs coluerint, sanctissimi viri, Hieronymus & Athanasius, editis libris docuerunt. In primo porrò cõcilio Niceno monachorũ status approbatus est, & de monasterijs, de vita & moribus, de habitatione & habitu eorum, de electione Abbatũ & Abbatissarũ, deq; ingressu religionis, varia præcipiuntur, vt in editione Alphonsi Pisani colligitur. Ab eo tẽpore monachatus admirabile incrementũ cepit, præsertim cùm eius professores, sanctissimi viri essent. Paula & Eustochiũ, ad Marcellã scribentes, Aegyptum fertilem monachorũ vocant, vbi Paula multa monachorũ millia inuẽnit. Ipsa aũt in Bethlehem virorũ & mulierũ monasteria erexit, vt refert in eius Epitaphio S. Hieronymus. Sanctus Basilius Magnus, plurimos ait in Aegypto & Palæstina, in

[Margin: Acto. 4. — Psal. 72. 1. Cor. 6. — Hieronymus in catalogo illustrium virorum. Euseb. lib. 10. hist. Eccles. cap. 16. & 17. Niceph lib. 2. cap. 16. & lib 18. c. 39. Cassiodo. in hist. tripartita, lib. 2. cap. 11. Epipha. hæresi 29. Sozom. lib. 1. hist. Eccle. cap. 12. & 13. Athanasi. in vita S. Antonij. — cap. 64. 65. 66. 67. & 68. — Epistola 79.]

Sozom.lib. 6. cap. 28. & 29. Syria, in Mesopotamia, suo tēpore, monachos vixisse. Quòd Pontus eodem tempore monachorum cœnobia habuerit, in Monodica Basilij, scribit Na- Nicephor. lib. 11. c. 34. zianzenus. Ioannes Eremita in Thebaide pluribus monasterijs præfuit, & Serapion ad Arsenoitem, decē ferè monachorū millia regebat, ac Dioscoro Sozom. lib. 6 c. 32. 31. centū adhæserunt. Apud Alexandriā, eodem tēpore, bis mille clarissimi mo- Nicephor. lib. 11. c. 39. nachi philosophabantur, quorum multi in solitudinibus viuebant. Fuerunt quoq; in Cypro huius instituti præstantissimi sectatores, qui diuum Epiphaniū erudiêrūt. Syri atq; Persæ tantā monachorū multitudinem, authore So- lib. 6. c. 33. zomeno, acquisiêrunt, vt cū illis, qui in Aegypto philosophabātur, decertarēt. Sed abeamus, inquit Sozomenus, iā ab his, (Palæstinæ scilicet monachis) & ad monachos Syriæ ac Persidis, quæ est Syriæ finitima, veniamus: qui itā multitudine creuerūt, vt cū monachis Aegypti numero cōtendere possint: In quibus, præter cæteros, excellentes videbātur, Batthæus, Eusebius, Barges, Alas, Abbos, & Lazarus qui pòst creatus est Episcopus, Adaleus etiā, Zenon, & Heliodorus: qui oēs apud Nisibenos circiter montē, qui dicitur Sigorō, in Nicephor. lib. 9. c. 14. monastico disciplinæ genere ætatē contriuerūt. Pityrion nō longè ab Athenis exercendæ pietatis domicilium habebat. Est verò diuinū hoc monasticæ philosophiæ genus, ipsis felicissimis Cōstantini Magni Imperatoris tempo- Nicephor ibidem. ribus introductū etiam in Thraciā, Illyricū & Italiā. Apud Armenios & Paphlagones primus monasticā philosophiā colere cœpisse fertur Eustathius. Quomodò in vrbē Romanā migrârit, in Epitaphio Marcellæ indicat Hieronymus: Nulla eo tempore nobiliū fœminarū &c. Quanuìs idē in Epitaphio Fabiolæ ad Oceanū, plurima tunc reliquā Italiam monasteria habuisse testa- libro 1. de obitu Martini. tur. Iā de S. Martino Episcopo Turonensi Seuerus Sulpitius scriptū reliquit, quòd primò quidē Mediolani sibi monasteriū statuerit: deindè creatus Turonensis Episcopus, habuerit cellā ecclesiæ adhærentē, qua ꝓpter hominum inquietudinem atq; molestias relicta, longiùs ab vrbe monasterium erexerit, tam secreto loco, vt eremi solitudinem non desideraret: quodq; plurimi per Sulpitius lib. 1 & 3. Galliam idē fuerint imitati, vt plurimis Galliæ locis tam virorū, quàm sacra- Sozom. lib. 2. cap. 6. rum virginum, monasteria cernerentur. Ex hoc genere sacrorum hominū sacerdotes illi fuerunt, qui bello in Asia capti, atq; in Europā perducti, Germanos nostros, tempore Cōstantini Imperatoris, doctrina ac miraculis promouerunt, vt Christianam religionem amplecterentur. Atq; in tantū splendorem hoc vitæ genus excreuit, vt nobilissimi quiq; ad id sese libenter conferrent. Quanto enim quisq; vel eruditione, vel præstabat nobilitate, tanto pluris hoc vitæ genus, cuius finis vera in Deum pietas, faciendum existimabat: quo factū est, vt multi, ijdemq; doctissimi viri, monasticæ vitæ formam, seu regulam præscripserint: ex Græcis, Basilius ille Magnus: ex Latinis, cùm alij, tum vel maximè Hieronymus, Augustinus, Benedictus. qui omnes eundem Dei cultum, eandem felicitatem, & vitæ finem, spectantes, quanuìs per viam, quæ Christus est, omnes, diuersis tamen semitis singuli ingrediebātur, diuersis vitæ institutis vtebantur, & suis, vt vterentur, præscribebant. Sed hic exclamabit aliquis, à Catholica religione alienus: Ergò in Papatu Sectæ sunt & hæreses. Cùm enim tot sint monachorum Ordines, & singuli Ordines suas priuatas habeant deuotiones, & eas planè contrarias: necesse est cōtrarios

esse,sibiq; co(n)tradicentes cultus diuinos,& tot sensus passim,quot capita hominum. Quis ineptias has,pueri lesq; nænias non rideat meritò ? aut potiùs talium hominum cæcitatem defleat ex animi affectu,deniq; oret,vt mentem eorum, lumine gratiæ suæ illustret, nè in his & similibus errorum tenebris morientes,ad æternas tenebras, in æternum cruciandi,miseri detrudantur. Quid obstat enim, quo minùs possint multi eodem deuotionis modo Deum colere, si omnes æquè eandem obseruent analogiam Catholicæ fidei? Alijs Basilio, alijs Hieronymo,alijs Augustino,alijs Bernardo placuit vitæ institutis deuotionem exercere suam. Quid? An ista diuersitas vllam in se continet contrarietatem?an quicquam,quod fidei articulis aduersetur?Alijs iste,alijs alius placuit color atq; habitus: alius in hoc, alius in alio pietatis genere suos voluit exerceri: omnes tamen Ordines eandem retinent fidem, idem de singulis articulis fidei sentiunt,docent,semperq; docuerunt. Quarè istis omissis,quæ sine ratione dicuntur,illud potiùs attendamus, quàm multis sæpè modis monachi fidem Catholicam non perturbârint diuersitate,sed iuuerint sanctitate,pietate,eruditione: de quo,vt non nisi ad exemplum eorum,quæ de hoc copiosissimè dici poterant,vnum ac alterum commemoretur: Sub Constantino Magno,optimi monachi, pijssima vita & sanctissimis moribus, Ecclesiam mirificè ornârunt, propagârunt, confirmârunt, beato Athanasio cæterisq; Orthodoxis Episcopis contra Arianam perfidiam magno vsui fuerunt. Multę etiam florentissimæ prouinciæ, maximaq; regna, per eorum industriam à Paganismo ad Christianam religionem primò conuersa fuerunt.Plures quoq; monachi periculosissimas,pro tranquillitate publica & Catholica religione,ad diuersos Imperatores, Reges atq; magistratus,legationes susceptas,dextrè & feliciter magno cum vniuersi orbis fructu perfecerunt. Sabba monachus ad Anastasium Imperatorem hęreticum,pro Helia Hierosolymitano Patriarcha legationem suscepit, &, nè Ecclesiam Dei & veros Catholicos ampliùs vexaret,persuasit. Ad hęc multis Episcopatibus monachi præfuerunt, rem literariam & sapientiæ studia incredibiliter in omnibus ferè prouincijs promouerunt, & tum exemplo & sanctissima vita, tum verbo & scriptis fidem propagârunt,ad pietatis virtutumque studia alios traduxerunt,& religiosè in chorum Sanctorum translati sunt.Atque vt de alijs monachorum Ordinibus inpræsentiarùm taceam : solus Ordo sancti Patris Benedicti, per annos trecentos Ecclesiam Dei laudabiliter sustentauit,dum fratres in eo degentes,non solùm sanctitate conuersationis sibi proficerent,sed etiam populis doctrina, & librorum multiplicium editione prædicarent. De hoc sanctissimo Benedicti Ordine fuerunt sanctæ Romanę & vniuersalis Ecclesiæ summi Pontifices decem & octo: Cardinales, centum & octogintaquatuor: Archiepiscopi, in diuersis mundi partibus, mille quingenti sexagintaquatuor: Episcopi verò ter mille,quingenti,duodecim.atq; hi omnes ante concilium Constantiense.Habuit hic Ordo scriptores innumerabiles: Magnum Cassiodorum,sanctum Bonifacium,& tum,Princeps,olim antecessorem, doctissimum illum Rabanum Maurum, venerabilem Bedam presbyterum, & alios, quos co(m)memorat Ioannes Trithemius Abbas Spanheimensis. Temporibus Ioannis Papę XXII, ex annalibus

Trithemius de viris illustribus ordinis S. Benedicti lib.1.c.2.

Trithemius lib. 1.c. 5.& lib. 4.

PP. xviij

lib.1. c.6.

lib 2. de viris illustribus.

lib. 1. cap. 4. & lib. 3. bus summorum Pontificum & historijs veterum, reperti sunt de Ordine S. Benedicti fratres, Sanctorum catalogo inserti quindecim millia, quingenti, lib. 1. cap. 2. quinquaginta nouem. Numerus autem monasteriorum huius Ordinis Abbates habentium, exceptis Præposituris, Prioratibus, & cœnobijs monialium, vltra quindecim millia extendebatur.

Tanta igitur sacrarum literarum authoritate, tot seculorum, ipsiúsque adeò exortę Christianitatis iudicio, tot sanctissimorum ac doctissimorum virorum encomijs, cùm sit monachorum status non comprobatus modò, & auctus numero, sed scriptis illustratus: cumq; contrà nonnulli inueniantur, qui in hoc suã ponant sanctitatem, vt sancta quæq; ac religiosa contemnant, qui tum demùm se sapere putant, si nil, quod alijs placuit, ab ipsis probetur: operæpreciũ me facturum existimaui, Reuerendissime Princeps, si REGVLAM SANCTI PATRIS BENEDICTI typis meis euulgarem, quò vel sic ex huius libri lectione æqui pijq; lectores intelligant, quàm vanum sit eorum commentum, qui sanctissima monachorum instituta, mandata, & doctrinas hominum solent nominare, eoq; nomine tanquàm pharisaicos ritus, Christi doctrinæ contrarios, reijcere, contemnere, exibilare. Quem quidem librum, atque hunc meum laborem iustè atq; ad communem vtilitatem à me susceptum, Celsitudini tuæ potissimùm, Princeps Reuerendissime, vt dedicarem, multæ me & magnæ causæ impulerunt. Vt enim, quę multa præclaráque dicere possem, de tuis virtutibus, de Catholicæ fidei constantia, de charitatis zelo, de prudenti clementia, ac tali Principe digna moderatione, ea omnia omittam: nè, qui C. T. nouerunt, non satis: alij, vt sunt quorundam iniqua iudicia, plus satis, ad gratiam captandam dixisse me putent: Hoc vtiq; est, quod nemo repræhendere potest, nulli meliori iure librum, qui sanctissimi Ordinis instituta complectatur, potuisse dedicari, quàm ei, qui eius Ordinis principem locum obtinet, qui per Galliam & Germaniam Primas, sic eum affectu beneuolo complectitur, vt moribus exprimat, officio foueat, & ornet dignitate. Cui etiam istud accedit, quòd tuus Principatus, Ecclesia Fuldensis, vt mater fidei Christianæ in Germania nostra rectissimè potest nominari, ex qua tanquàm ex fonte quodam vberrimo per diuum Bonifacium primùm, ac per alios deinceps, riuuli gratiæ diuinæ deriuati, in qua lux Euangelij accensa, totam Germaniam illustrauit: iucundum C. T. fore iudicaueram, si, qui eorum virorum es in officio successor, ac in virtutibus imitator, ea vitæ instituta sub tuo nomine imprimi videres, quibus illi vtentes, ad rem tantam perficiendam, diuinam gratiam perceperunt. Causæ igitur cùm sint tot & tantæ, Reuerendissime Princeps, confido R. C. T. qua est in omnes beneuolentia, hunc meum laborem gratè suscepturam, quo ego cùm rem vtilem ad augmentũ Catholicę religionis pręstare, tum meũ erga C. T. ac Reuerẽdos nobiles dominos Capitulares Ecclesię tuę, atq; adeò erga vniuersum D. Benedicti sanctissimũ Ordinem volui declarare. Deum Opt. Max. precor, vt qui R. C. T. ad maximũ honoris culmen euexit, & singularẽ C. T. verę Religionis zelũ tribuit, hunc animum sibi velit esse perpetuum, ac C. T. nobis & Reipub. Christianæ quamdiutissimè incolumem conseruet.

R. C. T. paratiss. cliens

Geruinus Calenius L.

RERVM VERBORVMQVE IN REGVLAM D. BENEDICTI, ET COMMENTARIORVM IOANNIS DE TVRRE CREMATA, ET SMARAGDI, AC RELIQVORVM huius operis, INDEX copiosissimus.

A.

Abbas ad quid eligatur. 314.b
abbas aliorum peccata cum humilitate damnet. 318.a
abbas à prędicationis sermone cessare non debet. 313.b
abbas culpam subditorum celeriter emendet. 317.a
abbas cũ timore Domini omnia facere debet. 322.b
abbas debet esse forma & speculum cæterorũ monachorum. 57.b
abbas debet oomeo maioris implere. 59.a
abbas doctus esse debet. 275. b. & quanta scientia in Abbate requiratur. 276.a
abbas duplici doctrina debet præesse. 58.b
abbas magis prodesse debet, quàm præesse. 417.a
abbas medici more fratres sanet. 418.a
abbas meliorem monacbum plùs cæteris amare debet. 315.b
abbas monachorum suorum confessionem audire debet. 414.b
abbas non debet discernere personas, triplici ratione. 61.a
abbas non minùs animarum curam gerere debet, quàm rerum terrenarum. 319.a
abbas ooo personas, sed virtutes discernere debet. 316.a
abbas non secùs regulæ subiectus est, q̃ cæteri. 322.b
abbas non sit personarum acceptor. 315.a
abbas officij sui memor esse debet. 65.b
abbas pro monachis sibi commissis in iudicio redditurus est rationem. 320.a
abbas pro se & sibi commissis Deo rationem reddet. 415.b
abbas pro sua anima Domino rationẽ reddet. 320.a
abbas qualis, & quomodò pater esse debeat. 275. b 318.a
abbas quandò diligentiam omnem monachis tribuat, & vniuersam curam exhibeat. 313.a
abbas quandò in fratris sui oculo festucam videat. 315.a
abbas quandò in monasterio vicem Christi agat: & quòd extra Domini præceptum nil debęat constituere. 318.b
abbas quibus virtutibus debeat esse ornatus. 276.a
abbas quomodò fratribus conformare se debeat. 318.b
abbas quomodò sit vocandus. 273.b 416.a
abbas regulam cur præcipuè iubeatur obseruare. 418.b
abbas tenetur ad regulæ obseruantiam. 277.b
abbas triplicem considerationem habere debet in ordine congregationis disponendæ. 272.b
abbas verbis & factis prædicare debet. 314.a
abbas vicem Christi agit in monasterio. 311.b. 344.b
abbas vtrùm io omnibus statutis regulæ dispensare possit, & in quibus possit, & quomodò. 279.b
abbas vtrùm possit ad libitum dispensare. 290.a
abbatis acta monachi oõ debent repræhendere. 321.b
abbatis boni, seu Prælati, sex cooditiones. 57.b
abbatis charitas in quo debeat esse ęqualis erga omnes. 316.b
abbatis cura circa excommunicatos qualis esse debet. 17.
abbatis mensa. 27. & quarè separata à monachis. 273.b
abbatis nomine quis intelligendus. 54. b
abbatis officium. 3. 4. 31. & qualem se debeat præbere erga subditos. eodem.
abbatis ordinatio. 31. & electio. vide, Electio.
abbatis præcepta & iussa sancta sint. 344.b
abbati obseruandum. & duo, quæ ab eo requiruntur. 242.a b
abbati vt cuncta prouidè & iustè disponenda sint. 321.b
abbatem cur doctum esse oporteat. 417.b
ab abbate cur debeat ordinstio monasterij pendère 419.b
ab abbate quæ abesse debeant. 418.a
ab abbate quomodò monachi corripiẽdi sint. 417.b
in abbate quæ requirantur. 416.b
abbates ferunt vasa Domini. 314.b
abbates tempore S. Benedicti eraot sacerdotes, & per conseqoens & ipse. 23.
abbatiarum Benedictinsrum solius prouinciæ Moguntinæ numerus quis. 429.a
abbatiarum ordinis S. Benedicti oumerus quantus. 428.h
abnegare nosipsos qnomodò debemus. 542.a
abnegare semetipsum, quid. 79.a. 326.a. 361.b
abneganda monacho tria. 79.b
aboegationis perfectę exemplũ in Abrahamo. 79.b
abrenuncisre, quid significet. 293.a
abrenunciatio fit à Christianis duabus vicibus: in baptismo, in propria voluotate. 293.a b
abrenunciatio perfecta. 544.a
abrenunciationis in baptismo expositio, & causa. 293.a b
absentes fratres nè prætermittant opus Dei. 25.
abscisio seu de monasterio proiectio. 18.
absorberi spiritualiter. 199.b
abstinendi idsm modus omnibus statui non potest. 547.b
abstinendum cum licentia. 226.a
abstinentia fructuosa. 241.a
abstinentia religiosi. 227.b
abstioentiæ mensura, & quæ perfecta abstinentia. 563.a
abstinentis monachi quot quantaq́ bona. 385.a
abundare quis sciat. 348.a
Acceptio personarum quandò dicatur, vel non. & quæ cõditio propriè ad personas referatur. 61.b
accusatores nostri in iudicio. 113.b
actus inordinatus consideratur tripliciter. 82.b
actus vndè dicatur. 296.b
actus nostri quandò ad superna ascendant. 356.a
actibus nostris magna obseruantia adhibenos. 581.a
Adhærere Deo quis dicatur. 338.a
admonitio, propriè quid. 291. b
admonitio, siue consilium. 47.a
Aedificare supra petram. 44.a
ætas fortior quæ dicatur. 286.
ætates sex distinguuotur. 203.b

Affectus bonus quis, & quo seruiendum est Deo. 551 a
Agendarum rerum triplex gradus. 69.b
agendum nihil sine causa. 578.b
agere perperàm, quid. 573.a
Alleluia diuersas habet interpretationes. 182.b
alleluia quandò dicatur. 13. cur à Pascha vsque ad Pentecosten dicatur. 182. b. quarè adueniente Quadragesima intermittatur. 183.a
Amabilem lex faciunt. 74.b
amari vis? ama. dictum elegans Senecæ. 75.a
amaritudo quæ. 576.a
ambitiosi malè honores ambientes, quomodò habendi. 567.a
Ambrosianum responsorium, hymnus est. 13.14.
ambrosianum vndè dicatur hymnus. 369.a
amē, duas habet significationes apud Latinos. 370.b
amor Dei inflammat & accendit munda pectora. 539.b
amor Dei magìs sentitur, quàm exprimi potest. 539.b
amor Dei quarè non capiat in nobis locum, ratio. 87.a
amor mundi inquietus. 57.a
amor mundi noxius. 86.b
amor mundi, turbulentus: contemptus, est quietus. 121.a
amor non sentit laborem. 46.a
amor propriæ salutis. 262.b
amoris Christi præclarum encomium. 330.b
amoris ignem succendeotia ligna. 75.a
amori Christi nil præferendum. 330.a
ad amorem Dei irrationabilis creatura nos inducit. 539.b
ad amorem Dei naturaliter inclinamur, nisì insani simus. 574.b
inter amorem Dei, & mundi, quid differat. 46.b
Anachoretæ finis. 55.b
anachoretæ. 3.
anachoretæ quales, & quarè, sic dicti. 310.a
anachoretæ qui sint. 55.a
anachoretarum exordium. 55.a
anachoretica vita cui conueniat. 55.b
anchoreticæ vitæ fundatores. 55.a
angeli & homines quomodò Deũ cognoscant. 300.b
anglos ad Christum Gregorius III. conuertit. 511.a
anglosaxones prædicatione B. Augustini, Petri, Melliti, Iusti, Paulini, Laurentij & Ioannis, monachorum ordinis S. Benedicti, à B. Gregorio Papa missorum, ad Christum cõuersi. 477.b. & 478.a
anima misera quæ efficiatur. 360.b
anima pigra quæ dicatur. 336.b
anima quæ dormire, quæ vigilare dicatur. 298.b
anima quarè multam cõtrarietatem patiatur etiam in bono. 569.b
animæ & corporis mors quomodò distent. 407.a
animæ vires frangunt deliciæ. 336.a
animam gubernare, cur difficile sit. 318.a
animam nostram quandò exaltemus. 355.a
animæ non vilipendendæ Prælatis. 60.a
pro animarum salute orandum. 383.a
animas regendi difficultas. 275.b
animi quies summo studio quærenda. 584.
anni triplex distinctio. 234.a
annona. 205.b
antiphona vndè dicatur. 369. a
S. Antonius & S. Paulus cœnobitarum principes. 310.a
anxius quis sit. 277.a
Aperire oculos, Prouer. xx. quid sit. 898.b
apostata dicitur bis mortuus, & iudicium diuinæ indignationis contra apostatas: & quæ reditum ad sęculum dissuadent. 860.a
apostatæ petitio quæ. 410.b
apostatæ quomodò sint iterùm recipiendi. 384.a
apostatantes reprehenduntur. 259.b
appetitus cibi, naturalis est. 547.b
appetitum reprimere oportet, quem extinguere non possumus. 120.a
Aquæ vsus ad potum naturæ sufficit. 548.a
Arbitrio suo viuere, monacho periculosum est. 350.b
ardua res, regere animas. 65.b
arena quid designet, Matth. vij. 306.b
argui publicè quis debeat. 286.b
arma obedientiæ cur fortissima, & præclara. 294.b
arma spiritualia luminosa sunt. 39.b
arma spiritualia, quibus vincit Ecclesia 39.a
arrogantia, inuidiæ radix. & eius remedia. 552.b
arrogantiæ signa. 102.b
arrogantiam gignit superbia. 385.a
ars artium, regimen animarum. 65.b
ars regendarum animarum, est spiritualis. 348.a
ars vndè dicta. 348.a
artis corporalis & spiritalis discrimen. 348.a
artifices in venditione mercium suarum fraudem & auaritiam vitare debent. 254.b
artifices monasterij: vt eorum opera viliùs vendantur aliqoantulùm, quàm seculariũ. 27.
artifices monasteriorum omnia cum humilitate & obedientia debent facere. 854.a
Ascensos & descensus Angelorum in scala, quam Iacob vidit, quid designet. 356.a
Atrebatensis prouincia ad Christum conuersa prædicatione Chilleni monachi ordinis S. Benedicti. 479.b
attenti debent esse psallentes, propter plures causas. 188.a
attentio ad diuinum officium. 187.b
attentio triplex. 188.b
Auaritiæ malum. 107.a. 609. 610.
auaritiæ transgressio. 573.a
auditor regulæ quis 39.a
auditor sanctæ doctrinæ duo consequitur in hac vita. 41. a
auditus potissima via ad disciplinam spiritualem, euocat animam ad opus. 38.a
S. Augustini vitæ epitome. 587.
aula fugienda monacho. 85.a
auri & probi monachi conuenientia. 311.a
auris quid sit Apoc. ij. & expositio totius sententiæ. 299. a
auris etymon. 89.b
aurem cordis inclinare, quid. 891. b
aures audiendi quis habeat, quis non. 299.a
aures Domini, Psal. xxxiij. quid. 302.b
aures habentes, non audiunt. 40.a

B.

BAtheorum vsus. 219.a
S. Basilij M. vitæ epitome. 536.
S. Basilij regulæ commendatio, ex qua B. Benedicti regula educta est. 36.
Beatæ vitæ quanta gaudia. 300.b
beatorum monachorum vita qualis sit. 359.a
beatitudinis proprietas. 115.b
benedictio quomodò sit petenda in mutuo fratrum occursu. 273.b
benedictionis & maledictionis discrimen. 334.b

beni-

benignitatis Chriſti exempla. 146.b
benignitate non ſemper reguntur ſubditi. 64.a
Biberes quid. 216.a
bibentes crebrò, repræhenduutur. 227.a
bibendum vel edendum quantum ſit. 336.a
Blandimenta terroribus miſcenda. 62.b
Bohemorum Apoſtolus Thiedagus, ordinis S. Benedicti. 528.
bonitas vbi deeſt, ibi vitium eſt. 320.b
bonum omne à Deo: malum à nobis. 44.a
bouum per ſe quomodò in malum cedat. 92.b
boni propoſiti violator. 579.b
bona diuerſimodè implentur. 583.a
bona temporalia ſua quomodò religioſus diſponere, & abalienare debet. 554.a
boni dies qui nominentur, Pſal. xxxiij. 300.b
boni ſunt ſemper cum Domino. 171.b
bonis operibus quarè quandoquè Sancti impediantur. 583.a
Breuis cur debeat eſſe oratio. 374.b
Bruta cognoſcunt benefactores ſuos. 574.b

C.

CAeleſtis patriæ quanta gaudia. 339.b
Calamum quaſſatum quis conterat. 418.a
calcaneus hominis quid, & cur ei inſidietur ſerpens antiquus. 295.b
calceamentorum vſus. 549.b
calceamenta pedum ſpiritualiter ſoluenda. 263.b
cantûs diſciplina in ſeptem conſiſtit. 159.b
caput ſerpentis, quandò & à quo conteratur. 295.a
carnalis teutatio comitatur ſomnolentiam. 177.a
carnalitas, & eius remedium. 210.a
caro data eſt nobis ad bellum. 80.a
caro & ſpiritus diuerſa requirunt. 80.a
caro nou refrenata quid pariat. 80.a
caro quandò Deum ſitiat. 336.a
carnis deſideria perficere, quid ſit. 344.a
carnis & ſpiritûs diſcrimen. 326.a
carnis maceratio indiſcreta quid pariat clericis vel monachis. 80.b
carnes quarè prohibeantur monacho. 224.b
carnium eſus quandò monacho ordinis S. Benedicti permiſſus. 219.
caſtigare corpus, quid. 326.b
caſtigandum corpus multipliciter, & quarè. 80.a
caſtigandum corpus, non occidendum. 80.b
caſtigantes, corrigentes & cuſtodientes alios, quales eſſe debeant. 375.
caſtigatio corporis. 79.b
caſti & immundi multiplex diſcrimen. 345.b
caſti hominis conditiones. 136.b
caſtitas cur vehementer amanda. 345.b
caſtitas eſt fundamentum omnium virtutum. 136.b
caſtitas & luxuria duplex. 303 a
caſtitas vera quæ ſit. 345.a
caſtitas virgines facit angelis æquales. 345.b
caſtitatis bona. 136.b
caſtitates cuſtodia conſiſtit in decem. 136.b
caſtitatis exemplum in Ioſeph. 585.
caſtitatis laus. 136.a. 324.b
caſtitatis pulchritudo zonæ aureæ cōparatur. 324.b
caſtitatem tria pariunt. 137.a
Caſſinus mons, in quo caſtrū & arx Apollinis olim, monaſterio S. Benedicti nobilis. 428.a
caſſinenſe cœnobium incenſum à Longobardis iacuit deſolatum annis centum duodecim. 468.b
catholici qui vocentur 369.b
caudam in ſacrificio offerri cur iubeatur, & quis eam Domino offerat. 295.b
Cellarius qualis debeat eſſe. 18. 384.b
cellarius humilitatem maximè habere debet propter duo. 205.a
cellarius quomodo diſtribuere debet. 566.a
cellarij bonitas multùm refert. 204.b
Charitas bonorum omnium mater. 332.a
charitas omni tempore retinenda. 331.b
charitas omnium virtutum mater eſt, eáque determinat, quæ indicanda ſint præcepta. 48.b
charitas qualis eſſe debeat erga proximum, & quomodò mandatum charitatis impleatur. 555.b
charitas quid, illiusq; inſigne encomium. 332.a
charitas quomodo obtinetur. 574.b
charitatis bona. 92.a
charitatis Dei indicia quæ. 574.b
charitatis duo effectus. 174.a
charitatis fraternæ præcipua ſigna. 575.a
charitatis menſura quæ. 574.b
charitatis operibus conſeruatur in nobis Dei charitas. 541.b
charitatis ordo legitimus. 88.a
charitatis ornatus. 576.b
charius Chriſtiano cur nil debeat eſſe, quàm Chriſtus. 349.a
Chriſtus clauo noſtri amoris fuit affixus cruci, potiùs quàm clauis ferreis. 262.a
chriſtus, cur Dominus, cur Chriſtus, cur rex appelletur. 293.b
chriſtus in quali lectulo inueniatur. 368.b
chriſtus quibus ſit aduocatus. 170.b
chriſti amoris præclarum encomium. 330.b
chriſti Domini duo pedes. 112.b
chriſti amori nil præferendum. 330.a
chriſti veſtigia ſequi, quid ſit. 326.b
chriſto qui dicantur aliquid præponere. 288.b
chriſtum ſequi, quid ſit. 386.a
Cibaria precioſa non eligenda. 222.b
cibus immoderatus nocet corpori. 547.b
cibus monachorum qualis eſſe debeat. 222.a
cibus non eſt ſtudioſè præparandus. 223.a
cibus religioſi, & de eius genere & modo. 585.
cibi appetitus naturalis eſt. 547.b
cibi vilitas ſectanda. 548.a
cibi vilitatem ſectandam, pulchro exemplo docetur. 222.b
ex cibi exceſſu quo ad corpus & animā damna. 224.a
cibum ſpiritualem contemnentes, acriter reprehenduntur. 280.b
in cibo diuerſus modus & vitandus in eo exceſſus, propter multa. 224.a
cibi rari non quærendi. 223.a
ciborum accurata præparatio, eſt nimietatis occaſio. 223.a
ciborum menſura. 21.
ciborum voluptas & libido quomodò vincatur. 556.b
in ciborum delectu vſus communis amandus. 548.a
in cibis quid maximè eligendum. 547.b
cilicij vſus. 571.a
cingere lumbos fide quandò dicamur, quandò verò bonorum actuum obſeruantia. 303.a
cingendi modus religioſi. 585.
cingulum monachorum duplex. 303.a
circuncifionis ratio. 132.b
circunſtantiæ in confeſſione attendendæ. 169.a
ciuitatis ſupernæ epilogatio bonorum. 117.b
Clamoſa voce vti non debet monachus. 366.b
clericorum nomine qui comprehendantur. 269.b
Cœnobium & monaſterium differunt. 55.a

cœnobitalis vitæ nouem emolumenta.53.b
cogitatio diabolica quæ.343.b
cogitatio hominis quandò Deo confiteatur.359.a
cogitatio mala surrepens nõ nocet, si contemnitur.571.a
cogitationes cur patri spiritali patefaciendæ sint, 341.a
cogitationes malæ diuersis de causis oriuntur.120.b
cogitationum genera diuersa, & à quibus magis cauendum est.120.a.187.b
cogitationes ad Christum allidere, quid sit.341.a
cogitationes celare maximè lętificat dęmones.76.b
cogitationes malas ad Christum allidendas.119.a
contra cogitationes malas luctandum, non desperandum, & quæ sint remedia.120.b.121.a
cogitationibus quandò peccemus 358.b
cognitio nostra in patria.116.b
collatio quid sit.396.b
commendatio solennis officiorum.230.a
communio sacra omni Dominico die.21.
completorio deesse multis de causis monacho non licet.229.b
post completorium cur tacendum.396.a
compunctio cordis quid sit.401.b
compunctio, Dei donum est.569.a
compunctio de lectione nascitur.241.b
compunctionis commendatio.191.b
concupiscentia oculorum quæ sit.385.a
concupiscentia quæ est in primo motu, quia non est in potestate nostra, non prohibetur.77.a
concupiscentiæ nomine quid prohibeatur.76.b
conferendi inuicèm vtilitas.538.a
confessio, bonus vomitus.170.a
confessio duplex.343.b
confessio institutionis est antiquissimę.552.b
confessio peccatorum cui facienda.558.a
confessio peccatorum non omnibus facienda, & egregia similitudo de modo confessionis.582.b
confessio periculosa.103.a
confessio vtilis ad multa.170.a
confessionis bonum.233.a
confessionis conditiones decem.168.b
confessionis veræ probatio.103.a
confessionem monachorum suorum audire debet Abbas.414.b
confessiones reuelantium graue delictum.233.a
confessorum patrum duæ conditiones.233.a
confiteri propriè, dicere quod habes in corde.168.b
contra confitentes aliena peccata.169.a
congregatio & conuocatio quomodò distinguantur.381.a
congregatio regularis quæ dicatur.184.b
in congregatione viuens, tria beneficia consequitur.54.a
coniugatorum curæ.584.b
conscientiæ reatus quomodò curatur.238.
consentiens alterius peccato, eius ipse reus est.568.ab
consilium à præcepto differt in tribus.47.a
consilium fratrum quomodò & quandò adhibere debet Abbas.5.
consilium seu admonitio quid.47.a
consilij proprij singularitas vitanda.68.b
consilium daturi lex & regula.69.a
consilium examinare, proprium est præsidentis.69.a
circa consilium quatuor gradus Prælato obseruandi.68.b
consilio bono & maturo omnia agenda.68.b
consiliorum & præceptorum pulcherrima distinctio.48.b
consolationis defectu multa mala eueniunt constituto in peccatis.199.b
consors & concors quis dicatur.309.b.
constantia in omni opere necessaria.236.b
constitutio & admonitio in multis differt.47.b
constitutio quid sit.47.b
constitutiones & admonitiones quis possit facere.47.b
consuetudo antiqua sanctorum Patrum seruitij mutuij in monasterijs.216.a
consuetudo difficilè vincitur.542.a
consuetudo iurandi non facienda.382.a
consuetudo mala euincenda.263.a
consuetudo quæ.47.b
consuetudinis non vilis authoritas.47.b
consuetudinis prauæ malum quomodò irrepat in peccatis.103.a
contemptus præcepti facit veniale mortale.50.b
ex contemptu peccare quandò quis dicatur.51.b
contendentium diuersa genera.141.b
contẽdere cum extraneo grauius est religioso.141.b
contendere quid.140.b
contentio amica quæ dicatur, & quòd licita sit.318.a
contentio in oratione.140.b
contentio inter malos monachos oritur.346.a
contentio laudabilis.140.b
contentio præcedendi improbanda.548.b
cõtentio, quandò est mortale, sic definitur à D. Ambrosio: Contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris.140.b
contentio quandò veniale.140.b
contentio vndè proueniat.141.a
contentionis mala.141.a.346.a
contentionis seu litis causæ sex.141.b
contentionem fugiendam, octo rationibus confirmatur.140.b
ad contentiones vitandas remedia.148.a
conterere caput serpentis quis quandò dicatur.295.a.
continens propriè quis.547.a
continentia ciborum.547.b
continentia religioso ante omnia necessaria, & quomodò feruor ætatis reprimatur in iuuenibus.546.a
continentia triplex.136.b.137.a
continentia vera quæ sit.546.b
continentia vitiorum.547.b
contradicentis malum.560.a
contrarietas locutionis dupliciter consideratur.140.b
contristari Deus quomodò dicatur.296.
contristatio salutaris.560.a
contumax de monasterio expellatur.34.
contumax & inobediens differunt.195.b
conuentus est quasi iumentum.214.a
conuersatio nostra Deo quandò placeat.362.a
conuersationis mutuæ magna cautela & districtio.578.a
conuersio exterior.263.a
conuersio exterior tantùm Deo non placet.263.b
conuersio rectè dicitur transitus ad religionem.854.b
cõuersionem morũ multis de causis aliquis in monasterio non assequitur.263.b
à coquinæ officio excusantur ægroti.389.a
à coquinæ officio qui monachi excusantur.19.20.

correctio

correctio fraterna, & quatuor circa eam aduertenda. 285. b
correctio præcipuè amanda est à religioso.196. b
correctionis fraternæ quatuor gradus.201.a
correctionis modus.203. b. ideru non expedit omnibus. 277.a
correctionis neglectæ mala.64.b
correctionis negligentia, & eius causæ.63.b.64.a b
correctione digna, dissimulanda non sunt. 269. b
in correctione ordo necessarius.202.a
correptio fraterna præcepti est.568.b.& exemplum diri iudicij contra agentes remissiùs cum his qui delinquunt, nec eos arguentes, ibid.
correptio honestorum, & durorū ac superborum, qualis esse debeat.317.b
correptio quadruplici ratione amanda est.196.a
correptio quomodò adhibenda. 195.b.551.b
correptionis modus optimus.585.
ad correptionis amorem maximè pertinens.196.b
correptionem libenter sustinere, laudabile est.196.b
in correptione ætatis habenda est ratio.581.b
correptus defendens peccatum, quid de eo censendum.553.a
correpti, tristantis contra corripientē, malum.553.a
corrigendorum vitiorum iuxta regularem disciplinam quis seruandus ordo.322.b
corrigentes, castigantes & custodientes alios, quales esse debeant.375.b
corripere peccantem, indignationis iustę est. 581.a
corripiendus qualis affectu esse debeat. 553.a
corripiēdi quomodò ab abbate sint monachi. 417.b
corripientis affectus qualis esse debeat.553.a
corripientis bono affectu signa.581.a
corripientis malo affectu pœna.587.b
corruptela quorundam Prælatorum.61.a
Crux animæ.79.b
crux vndè, ibid.
crucis signum efficaciss. est aduersùs diabolū. 177.b
crucem tollere, quid.361.b. 542.b
Cuculla villosa quæ. 250.a
cucullæ etymon. 250.b
culpa tacēdo citiùs, quàm loquēdo, refugitur.353.b
culpa tribus modis perpetratur. 163. a
culpæ graues.197.b
culpæ leuiores. 197.a
cura immoderata temporalium quantam inordinationem importet. 85.a
cura infirmorum quanta esse debeat.390.b
curatio culparum, quæ committuntur in exteriori opere.232.a
curiositas damnatur. 173. b
currendum quomodò in hac vita.308.a
custodia actuum nostrorum firmatur ex consideratione præsentiæ Dei omnia videntis.118.b
custodiam ori quis ponat. 352. b
custodiat vias suas quis.358.b
custodientes, corrigentes & castigantes alios, quales esse debeant.375.b

D.

DAmnatorum pœna duplex.339.a
damnatorum in gehenna pœna.308.a
dani conuertuntur ad fidem.495.b
dauidis mansuetudo.585.
Debitum dupliciter. 48.a
decanus. 193.a
decani monasterij. 16.
decani officium quod sit.
defectibus spiritualibus dupliciter subuenitur. 82.b
secus delectationis introitum cur mors posita dicatur.360.a
delicatus quis dicatur. 401.a
delicati qui sint.237.a
deliciæ carnales multiplici ratione non amandæ. 80.b
deliciæ carnales quomodò distent à spiritualibus. 327.a
deliciæ corporales quæ sint.81.a
deliciæ vires animæ frangunt.336.a
deliciæ vndè dictæ.327.a
contra delicias exemplum.81.a
delictum nullum paruum dicendum.551.b
dentes à demendo dicuntur. 111.a
denunciatio. 589.b
descriptio breuis felicitatis primi hominis in paradiso.327.b
desiderium malum quomodò vincatur.556.b
desideria carnis militant aduersùs animam multipliciter.130.b
desideria carnis perficere, quid sit.344.a
desideria carnis non perficienda.130.b
desideria non habere, impossibile est, sed perficienda non sunt.130.b
desperandum do venia peccatorum consequenda nunquàm.347.b
desperandum nunquàm de misericordia Dei, propter quatuor.145.b
desperatio grauissimum peccatorum. 146.a
contra desperationem quinque remedia.146.b
detractio est velut vipera. 111.a
detractio, & duos esse casus, in quibus aliorum mala commemorare licet.556.a
detractio, homicidium est.75.b
detractio maiorum quale malum.556.a
detractionis definitio.110.a
à detractione quinque considerationes nos retrahunt.110.b
detractor est peior fornicante.111.a
detractor quarè odibilis.111.a
detractor rectè serpenti comparatur.111.a
detrahentis pœna.556.a
detrahentis remedium.43.b
detrahentium, linguæ dentes vocantur. 111.a
detrahere maius peccatū est, quàm fornicari.337.b
detrahere quis dicatur.337.b
deuotio est medulla holocaustorum, & quid sit deuotio.191.b
deuotionis excitamentum efficax ad Dominici corporis sacramentum.571.b
Deus bonis actibus nostris exultat, de malis contristatur.296.b
deus à longè cognoscit.162.b
deus consecrauit sibi aliquid de omnibus. 244. a
deus contristari quomodò dicatur, 39.b. 296.b
deus diligendus tripliciter.72.a
deus disponit omnia.96.a
deus est summum & solum bonum.539. b
deus irasci duobus modis dicitur. 297.a
deus libenter in nobis duo aspicit.163.b
deus, lux est.539.b
deus non præcipit impossibile.575. b
deus patiens dicitur. 44.b
deus probare aliquid quomodò intelligatur.166.a
deus quandò scrutetur corda nostra, quandò renes. 358. b
deus quid.300.b
deus quid quærat à nobis.71.b
deus quomodò per creaturas intelligatur. 41.b
deus quomodò pro nobis sit.302.b.

deus videt omnia.118.a.340.b
deus vocat nos ad se septemplici voce.41.a
dei amori nihil præferendum. 425.a
dei beneficium maximum.540.b
dei beneficia communia omnibus. 540.a
dei beneficia erga nos innumerabilia sunt, nec gratiam de his referre sufficimus.540.a
dei descriptio, quoàd hominis captum.301.a
dei memoria, signaculum est eius dilectionis in nobis.541.b
dei nobilitas.71.a
dei proprium.169.a
dei tacere, est non punire.163.b
dei verba arguent nos in iudicio.538.b
deo adhærere quis dicatur.338.a
deo gratiæ agendæ sunt pro bonis omnibus. 338.a
deo de suis bonis pareat quis.297.a
deum ex debito amamus. 539.b
deum irridere, quid.266.a
deum qoandò audiamus vel alloquamur.127.a
deũ quomodò homines & angeli cognoscant.300.b
deum qui perfectè diligant.323.b
deum quis verè nouerit.323.b
de Deo pulchrum.186.b
Diabol⁹ antonomaticè dicitur peccator.196.202.a.
diabolus dicitur malignus, & quomodò deducatur ad nihilum.43.b
diabolus præcipuè cor nostrũ nititur obtinere.150.a
diabolus quandò fortis sit, quãdò annihiletur.305.a
diabolus quid interpretetur. 305.a
diaboli halitus.120.a
diabolo repugnandi conueniens modus.119.b
diabolum quandò iustus respuat.305.a
diabolici regni pars maxima in cogitationibus consistit.119.a
dicere rectè scit, qui ordinatè nouit tacere.65.b
dies hic nobis ad inducias dantur.44.b
dies patriæ boni.40.b
dies vitæ hic mali.ibid.
diei æternitatis aut cælestis descriptio 299.a
diei Dominicæ excellentia. 170.b
diei Dominicæ obseruantia.24.
diffidentia de diuina prouisione, & remedium contra eandem.210.a
dilatatio cordis, iustitiæ delectatio.46.b
dilectio Dei & dilectio mundi.85.b
dilectio Dei & primum dignitate & perfectione, & maximũ mandatorum, instrumentum primum spiritualis artis.70.a
dilectio inimicorum ex octo conueniens & facilis inuenitur.98.b
dilectio proximi accipitur tripliciter.74.b
dilectio proximi instrumentũ secundum spiritualis artis.72.b
dilectio sola discernit inter filios Dei & filios diaboli.74.a. 323.b
dilectio sola requiritur à nobis pro omnibus Dei in nos beneficijs.540.b
dilectionis Dei & proximi mira coniunctio.541.a
dilectionis fraternæ vtilitates plures.73.b
dilectionis inimicorum magna commendatio. 98.b
dilectionis mutuæ ratio.541.a
dilectionis ordinem qui peruertant.323.b
dilectionis regula diuinitùs constituta quæ sit.323.a
dilectionis regula quandò alijs facere quę nobis volumus fieri, sit præceptum, vel ne.79.a
dilectionis signum.136.a
dilectionis virtutem naturaliter nobis inesse.539.a
dilectioni obest, per multa vagari.541.b
dilectioni p̃ximi adscribitur modus, & quarè, pulchra consideratione.74.a
ad dilectionem Dei pulcherrima excitatio.70.a
ad dilectionem Dei septem nos inducunt.70.a
ad dilectionem fraternam quatuor maximè inducunt.140.a
ad dilectionem proximi quæ incitent.73.a
diligant Deum perfectè qui.323.b
diligendus est Deus omni hora.70.b
diligendi Deum causa singularis illa eius in nos dilectio est.70.b
diligendi Deum modus, est sine modo.72.a
diligendi Deum modus quomodò intelligatur.71.b
diligendum mundum non esse, decem rationibus. 85.b
diligendi inimici, & quòd non est impossibile diligere inimicos.575.a
de diligendis inimicis præceptum quomodò intelligendum.99.a
ad diligendum alterutrum exemplo multiplici inducimur.73.a
diligens seipsum, Grecè philautus dicitur, cuius vitij finis interitus.574.b
diligere Deum ex toto corde & tota anima, &c. quid sit.88.b
diligere Dominum, quid sit.383.a
diligere inimicos cur debeamus, quanta sit virtus, quot & quanta commoda adferat.354.a
diligite alterutrum, id solum si fiat, sufficit. S. Ioan. discipuli Domini dictum.73.b
discernere personas Prelatus non debet, triplici ratione.61.a
discernimur à Deo propter virtutem.61.a
disciplina quid sit.289 a
disciplina est ordinata morum correctio. 37.
disciplina & humilitas cur rectè socientur.356.b
disciplinæ alicuius assequendæ facilitas.54.a
disciplinæ regularis septem gradus. 201. b
discipulo audire & facere conuenit.354.a
discipulis discrimen impendens.538.b
discordes Deus non exaudit.145. b
discordia multa mala parit.145.a
discordia quid pariat.74.a
discretio in hospitibus tractandis qualis adhibenda sit.405.a
discretio in iniungendo adhibenda.277.a
discretio, mater omniũ virtutum, debet esse in Abbate.31.
discretio personarum dupliciter habenda.143.a
discretionis lima omnia Abbati temperanda. 37.
dispensabile mandatum à Deo, nõ ab homine. 279.a
dispensabile mandatum ab homine aliquo. 279.a
indispensabile omninò mandatum. 278.b
dispensare in quo Papa non debeat. 79.a
dispensatio circa regulam B. Benedicti, & vtrùm in regula possit fieri dispensatio.278.b
dispensatio duplex. & vtrùm possit aliquis cogi ad suscipiendam dispensationem. 280.b
dispensatio ex causa rationabili.211.a
dispensatio quid propriè.211.b
dispensationis ratio, & vtrùm dispensatio pertineat ad solos Prælatos, & ad quos, & quarè pertineat. 279.a
circa dispensationes quid maximè cauendum, & quandò & quarè dispensandum.280.a
dispensator debet esse solicitus, & quarè.204.b
dispensatoris mali iudicium.566.b
dispensatores non debent esse multi in monasterijs. 205.b

dispen-

dispensatores sunt Prælati, duplici de causa. 279.
dissensionum fomes inter Abbatem & fratres. 281. b
dissimulanda sunt subditorum vitia quandoq;. 65. b
dissimulatio vitanda Prælato, & quâdò dicatur dissimulare. 63. a
distributio à quo fiat in monasterijs. 212. a
distributio quibus fiat. 212. b
distributiones quomodò faciendæ. 19.
distribuendi modus. 212. b
districtiùs quid duabus de causis constituitur: vel propter emendationem vitiorum, vel propter pacis conseruationem. 46. a
diuinæ bonitatis signa in nos. 44. b. 45. a
diuinarum scripturarum meditatio. 584.
diuini amoris suauitas. 71. a
diuini amoris vtilitas multiplex. 71. b
diuitum terror ipse sibi exigit honorem. 28.
Docendi & discendi modus. 585.
doctor si benè viuat, duo facit: docentē emendat, & se graui liberat probro. 60. b
doctoris conditio necessaria. 538. a
doctoris incumbens periculum. 538. a
doctoris officium. 588.
doctores Catholici. 289. b
doctrina iniqua quæ sit. 58. a
doctrina omnis verbis & exemplis constat. 312. b
doctrina mali etiam Prælati accipienda. 135. a
doctrina sanctorum ad perfectionis celsitudinē perducit. 34.
doctrina sanctorum Patrum triplici conditione audienda. 38. b
in doctrina forma seruanda est, & congruentia temporis. 62. ab
doctus prædicator quis in Ecclesia. 276. a
dolor perpetuus in hac vita. 189. b
dolorum variæ causæ. 329. b.
dolus in lingua. 43. a
dolus in lingua quandò fiat. 332. b
dolus quandò fit. 40. b. 91. b
dolus quid sit. 301. b
dolum in corde tenere, quid. 331. a
dominus cur pius dicatur. 292. a
domini est, ad pœnitentiam diù expectare. 361. a
domine labea mea aperies, cur ter dicatur. 369. a
dominicæ diei obseruantia. 237. a
donum Spiritûs sancti quomodò acquiratur. 569. b
dona cùm augentur, crescunt rationes. 65. b
dona Dei quarè etiam indigni accipiant. 580. b
ad dormiendum ordinatè decem pertinentia. 194. a
dormire quomodò anima dicatur. 298. b
dormire singuli seorsùm quomodò debeant monachi. 376. b
dormitatio importuna quomodò reijcienda. 557. b
dormitio, & circa dormitionem ad castitatem septem obseruanda. 193. b
dormitoria Monachorum, & quomodò dormiant. 16.
Ducatus Christi & Euangelij, idem sunt, & quid. 303. a
ducatum Christi transeuntes qui sint, quem sequantur, quomodò sequantur, & quò tendant. 303. b
duri ac superbi vt sint corripiendi. 317. b

E.

EBrietatis damna. 107. a
ebrietatis incommoda. 336. b
ebrietatis mala. 107. a
ebrietatis turpitudo exemplis probata. 107. a
Ecclesia cur conuocatio Latinè dicatur. 299. a
ecclesiæ cur septem à Ioanne in Apocalypsi scribantur. 299. a
Edacitas quanta mala afferat. 336. a
edendi forma religiosi. 586.
edendum & bibendum quantum sit. 336. a
Efficaciter quid, & vndè deriuetur. 292. a
Egestas, Prouerb. xx. quid. 298. b
Elationis etymon, eamq; fugiendam, propter octo rationes. 142. a
elatus quis. 576. b
elatus, id est, superbus, vndè dicatur. 305. b
electio Abbatis, & tres electionū differentiæ. 274. b
electioni prauæ se opponentium meritum. 275. b
in electione Abbatis, nè præualeat prauorum consensus, ad tria genera hominum recurrendum. 275. a
in electione maior pars quæ dicatur. 275. a
electorum est, diuertere à malo, & facere bonum: cæterorum, vel facere bonum & non declinare à malo, vel declinare à malo, & nō facere bonum. 301. b. & 302. a
eleemosyna. 82. a
eleemosyna pauperibus libenter eroganda. 328. a
eleemosynæ duplex genus, quo monachi pauperes recreare debent. 328. b
eleemosynam monachis dans, infirmos visitat. 329. a
eloquij mali vel praui definitio. 124. a
eloquia Domini cur bona, sancta, & ad ædificationem apta, dicantur. 353. a
Emina quid sit. 226. a
Eremitæ veri qui sint. 55. b
erroris pœna in Psalmis, aut Responsorijs, aut Antiphonis recitandis. 23.
errorem aliorum tueri, quàm sit graue peccatum: & quomodò puniendus, qui fratris errorem defendit. 285. b
Esurire quis sciat. 348. a
Euagatio mentis diuersis de causis euenit. 187. b
euangelium cùm legitur, quarè in assurgendo reuerentia exhibeatur. 180. a
eucharistia quali fide & deuotione suscipiēda. 571. b
Exaltare animam nostram quandò dicamur. 355. a
examinare quotidiè actus suos diligēter debet monachus. 340. b
excedere propriè. 232. a
excommunicandus quis sit. 383. a
excommunicatio adhibenda est casibus sex. 195. b
excommunicatio monachorum. 16.
excommunicatio oratorij, vel mensæ, & excommunicati pœna. 23.
excommunnicatio quomodò & qualiter inferenda sit. 198. b
excommunicatio timenda est, propter multas rationes. 198. a
excommunicationis modus. 17.
excommunicationis pœna, cur vstio rectè dicatur. 383. a
excommunicationem sequitur erga contumaces abscisio post verbera. 18.
excommunicatus datur diabolo. 198. a
excommunicato an aliquid sit distribuendū. 212. b
excommunicato se iungens sine Abbatis iussione, in similem incidit excommunicationem. 17.
excōmunicatū absoluturus, quid faciat Abbas. 231. a
excōmunicati ꝓ leuibus quomodò satisfaciāt. 231. b
excommunicati pro leuioribus culpis, vtrùm possint celebrare. 197. b
ab excommunicatorum participatione multiplici de causa cauendum est. 198. b

excusa,

excuſatio mala.103.
exempli boni efficacia.59.a.264.a
exemplo Patrum iuniorũ animi excitantur ad imitationem virtutum.427.
expectare diù ad pœnitentiam, Domini eſt.361.a
experientiæ bonum.59.b
extollere.236.b

F.

FAllentium in oratorio diſtinctio.232.a
falſus teſtis quibus perſonis noceat.355.b
falſi fratres qui dicantur.167.a
falſi teſtimonij nomine quid interdicatur.77.a
fame nullus vnquàm ſanctorum perijt.214.a
Felicem fuiſſe, durum infortunij genus.430 b
felicitatis primi hominis in paradiſo breuis deſcriptio.387.b
femoralium vſus.552.b
ferramenta monaſterij.19.
feſtum omnium Sanctorum inſtitutum.511.b
feſta ſanctorum multis de cauſis celebrantur.185.a
feſtiuitates præcipuæ Domini noſtri.182.a
feſtiuitates ſanctorum celebres.183.b
Fides & Spes dilectionem nobis inſerunt & deſiderium mandatorum.574.a
fides quid, & vndè dicatur.309.a
fides quomodò abſque charitate eſſe poteſt.580.b
fidem ſeculo quis ſeruet.311.a
fideles omnes ſub vno Domino militant.61.a
filius dicitur quatuor modis: natura, adoptiõe, imitatione, doctrina.38.a. & 591.a
filius vndè dicatur.38.a
filium quid debeat intentum reddere.38.a
filij Dei quales eſſe debeant.331.b
filiorum in numerum bis recipiuntur monachi: in baptiſmo, in conuerſione.296.a
Flendum cur in hac vita, non ridendum.342.b
Floriacenſis cœnobij fundator.485.b
Fœmina, malum genus.137.a
fœminas quarè inter viros illuſtres recenſuit Trithemius.460.b
Foris audita, non ſunt fratribus referenda in monaſterio.422.a
formica, Prouer.xxx. ſtrenuã monachorum vitam ſignificat, eiuſq; cauſa.292.b. & 293.a
formidinem & ſpem habere debet iuſtus.338.a
fortitudo boni monachi qualis eſſe debeat.365.b
D.Franciſci vita breuis & ſuccincta.595.
frater eiectus è monaſterio, recipi cupiens, ſpondeat duo.503.a
frater in monaſterio non præſumat alterum defendere.33.
fratri impoſſibile impoſito quid faciendum.33.
fratrem quis cędere poſſit.286.a
fratres abſentes agant opus Dei, cum tremore diuino flectentes genua.25.
fratres abſentes peregrinantes, domum reuertentes quid facere debeant.32.33
fratres egredientes monaſterium, & circa eos quinque documenta.284.a b
fratres eũtes ad Sarracenos & infideles, petant licentiam à Miniſtro.598.b
fratres Minores non ingrediantur monaſteria monacharum.598.b
fratres Minores plùs curent vt habeant ſpiritũ Domini & ſanctam eius operationẽ, quàm ſcientiã ſcripturarum.598.b
fratres non longè proficiſcentes, qui eodem die ſperantur reuerſuri, nè foris manducent.25.
fratrum Prędicatorum cautiſſima profitendi forma.52.a
fratres, quibus ſeruiendum eſt, quales eſſe debeant.555.a
fratres quomodò recipiendi ſub regula D. Franciſci.596.a
fratres quomodò ſuſcipiendi.27.
fratrum carnalium & ſpiritualiũ differentia.508.a
de fratribus iterùm recipiendis deciſio.203.a
fraternitas ſpiritualis à carnali differt.213.a
fraternitas triplex.73.a. 95.a
Friſiorũ & Vuilthorum apoſtolus Vuillebrordus, ordinis S.Benedicti.486.b
Furoris proprium quid.581.a
furtum duplex.76.b
furtum facit, qui Dei ſeruitio neglecto ſeruit diabolo.325.a
furtum religioſorum.76.b
furtum quàm graue peccatum ſit.324.b
furti nomine quid accipiatur.76.a

G.

GAudium ſecundùm Dominum.557.a
cum gaudio votũ Dño Deo offerendũ.401.b
gaudia cæleſtis patriæ quanta.339.b
Gehenna qualis locus 308.a
gehenna quid, & vndè dicta.339.a
gehennæ timor, & ſex cõſiderationes circa eius pœnas.114.a
Gladius ſpiritus ſancti.538.b
Gloria patri. quarè orationi Primæ in officio diuino & Pſal. addatur.177.b
glorię nomine quid intelligat B.Benedictus.598.a
gloriandum cur non ſit de bonis.305.b
gloriari in Domino, laudabile.576.b
gloriatio culpabilis duplici ratiõe dinoſcitur.576.b
Gradus octo aſſcendẽdi in cæleſte tabernaculũ.43.a
gratia Dei quid in Paulo fecerit.305.b
gratia multiplicatur, dum communicatur.543.b
gratia quarè nõ quęrentibus aliquandò datur.569.a
gratia vniuſcuiuſq; debet in cõmuni prodeſſe.543.a
gratiæ magnitudo damnationis maioris occaſio ingratis eſt.541.a
gratiam quarè aliquandò non obtinemus, licèt eam diligenter poſtulemus & quęramus.569.b
gratiæ agendæ Deo quadrupliciter.112.a
gratiæ agendæ in omnibus.112.b
gratiæ ſunt pro omnibus bonis habendę Deo.338.a
gratiarum actio eſt optima cuſtos beneficiorũ.115.a
gratitudo qualis eſſe debeat noſtrę vocationis.562.a
Gubernare animam cur difficile ſit.318.a
gula eſt rationis ſepulcrum.107.b
Gyrouagus quis dicatur.318.a
gyrouagi monachi.271.b
gyrouagi monachi deteſtabiliores Sarabaitis.3.
gyrouagi qui ſint.57.a
gyrouagorum malitia deſcribitur.57.a

H.

HAbitus honeſti vſus, & quòd in vili habitu ornatus quæri poſſit.573.a
habitus moreſq; debẽt pariter cõuenire.549.a
habitus ordinatus quis.549.b
in habitu religioſi decem reprehenſibilia.551.b
Hæreditas cæleſtis cur incorruptibilis vocetur, cur incontaminata, cur immarceſcibilis 397.a
hæreditas felix, quam multitudo cohæredum non coanguſtat.73.a
hæreſes vndè.104.b
hæreſiarchæ tres Cathari, conuicti, & pertinaciter in errore manentes, combuſti Coloniæ.461.b
Hebdomadarius lector.20.21.

hebdomadarij ministrantes. 20.
hemina vini.21.
heptaticum quid.228.b
Hierusalem significatio moralis.239. a
hilarem vultum in omni dato quis faciat.351. b
historiographi officium.511.a
Hodiè, etymologia.298.b
hodiè quid sit, Psal. xciiij. 298.b
homicidium duplex: corporale, & spirituale. 75. b
homicidium corporale multipliciter perpetratur. 75.b
homicidium spirituale quadrupliciter committitur.75.b
homo est animal sociale communicabile. 541. a
homo de limo quarè formatus dicatur, pulchra speculatio. 320.a
hominis magna dignitas.262.b
homines & Angeli quomodò Deum cognoscant. 300.b
honestas consistit in tribus. 889. a
honestus vndè dicatur. 317.b
honestiores vt sint corripiendi.317.b
honor diuersis de causis exhibetur.77. b
honor licitè exhibetur, sed illicitè requiritur. 558.b
honoris nomine quid intelligatur. 77. b
ad honorem mutuum multa incitant.78.a
honorandi præ cæteris Prælati.79.a
honorandi sacerdotes.79.a
in honorandis hominibus quadruplex habenda ratio.78. b
honorans hominem, honorat Deum, & econuersò. 78.h
honorauit Deus hominem, & qnomodò. 78.a
honorare omnes homines quandò dicatur monachus.325.b
hora extrema quarè sit ignota nobis.113.a
hora quid dicatur, Roma. xiij. 298.b
horæ canonicæ consecratæ sunt quibusdam nostræ Redemptionis operibus.184.a
horæ canonicæ quarè dicantur, & quarè certis horis insistamus Dei laudibus.183.b
horæ competentes. 206. a
horæ constitutæ sunt ad laudãdum Dominum, tribus de causis.184.a
horas canonicas an quis repetere teneatur.189.b
hospitalitas quibus sit exhibenda. 245.b. 246.a
hospitalitatis magna gratia.246.b
hospitalitatem sectari, quid sit. 408. b
ad hospitalitatis gratiã plurima nos inducunt.246.a
hospitarius potest esse causa probationis nouitio. 256.a
hospes quarè non nisi oratione præmissa suscipiatur.246.b
hospites suscepti, ad orationem sunt ducendi.403.b
hospitum causa quæ ieiunia non sint volanda. 403.b
hospitum præfecti ex fratribus ordinandi. 248.b
hospitibus non debent associari monachi absque licentia.249.a
hospitibus omnibus non conuenic in refectorio comedere, propter tria.248.a b
hospites omnes excipiendos.25.
hospites suscipiendi modus.246.b
propter hospites quoslibet an liceat frangere ieiunium, & si debeant comedi carnes hospitum gratia. 847.b
in hospitibus tractandis qualis adhibẽda discretio. 403.a
hostia Deo accepta describitur.80.b
Humiliari quis sciat.348.a
humilis quis.44.a
humilis & superbi duplex discrimen.305.b
humilior semper magis proficic.871.b
humilitas cur sequatur superbum.354.b
humilitas Deo nos & hominibus gratos facit.172.b Nihil ità gratum Deo nos facit, quàm si vitę merito magni, sed humilitate infimi videamur.
humilitas dicitur virtus, qua homo verissima sui cognitione vilescit.171.a
humilitas & disciplina quarè rectè socientur. 356. b
humilitas fundamentum est virtutum.106.b. 158.a
humilitas in oratione quantùm placeat Deo, exemplis probatur.191.a
humilitas in quo consistat, & quæ sit radix eius.159.b
humilitas magistra est & mater omniũ virtutũ.367.
humilitas B. Mariæ virginis.158.a
humilitas Moysi.158.b
humilitas non debet esse indiscreta in Pręlato. 64.a
humilitas nõ tã in sermone est, quàm in mente.355.a
humilitas omni tempore necessaria. 61.a
humilitas perfecta & summa in quo consistat. 355. b
humilitas prima diuini muneris gratia.44.a
humilitas quæ, & eius acquirendæ difficultas.558.b
humilitas quarè amabilis, & superbia odibilis.75.a
humilitas quarè præcipuè vincat inimicum. 119. b
humilitas, summa monachi virtus est: superbia, summum vitium.354. a
humilitas vera est, quam obedientia comes non deserit.148. b
humilitatis culmen quot modis cõplectamur.355.b
humilitatis effectus.44.a
humilitatis externæ signa.585.
humilitatis gradus duodecim. 9.10.11. versu expressi.160.a
humilitatis gradus primus cur timor Domini rectè constituatur.356.b
humilitatis gradus primus, obedientia sine mora. 7.
humilitatis mater, cognitio sui.171.a
humilitatis radix est timor Dei.160.a
humilitatis Titulum primus S. Sedi apostolicæ ascripsit B. Gregorius Magnus.911.b
humilitatem amabilem decem faciunt.157.b
humilitatem internam & externam habeat monachus. 366.b
ad humilitatem efficax inductio.106. a
ad humilitatem inducentia quatuor.173.b
humilitate nisi condiantur, opera nostra nulla sunt. 355.a
de humilitate gratias Deo agere debemus. 172.b
humiliter de nobis quandò sentiamus. 355.a
Hymnus vndè dicatur Ambrosianum.369.a
hymni animi solatia largiuntur.584.
hymnorum præcipui inuentores.178.a

I.

IActanr quis.576.b
iactantiæ signa.102.b
Ianitor qualis constituendus. 420.b
Ieiunandum à quibus rebus sit.327.b
ieiunantium multò miseria. 387. b
ieiunium, animæ medicamentum. 327.b
ieiunium discretum debet esse. 81.b
ieiunium in vigilia Pẽtecostes & diebus Rogationũ est de præcepto.228.a
ieiunium necessarium.563.b
ieiuniũ non debet ex nostra volũtate mẽsurari.563.a
ieiunium perfectum.81.a
ieiunium quartæ, secundæ, sextæ feriæ obseruandũ, & quarè.228.a
ieiunium sextæ feriæ non est sub præcepto.228.a

ieiunium quomodò non frangamus etiam comedentes.81.b
ieiunium vtrùm frangant lectores vel seruitores in mensis religiosorum aliquid sumēdo ante prandium.216.a
Ignorantia magnā cōfusionē parit in moribus.238.b
ignorantia nō sinit obseruari pręcepta regulæ.238.a
ignorantia præceptorum Dei non excusat.568.a
ignorantia vbi est, desunt bona spiritualia.239.a
Illecebrę quæ dicantur.312.a
Immaculatus quis viuat.359.a
inmunditia & impudicitia differunt.381.a
imperandi & obediendi mensura.281.a
Inanis gloriæ cupidus & hominibus placens differunt.573.b
incessus religiosi.585.
incipere, parum est.46.b
incontinentia periculosa.546.b
incontinentiæ signum.547.a
incorrectū delictū omni bono ineptos reddit.65.a
incorrectū peccatum, cedit in damnum delinquentis. 65.a. vniuersitati nocet.ibid.
incorrigibilis vt gētilis & publicanus habēdus.578.
incorrigibiles expellendi è monasterio, & quomodò alios contamineot.202.b
incorrigibilitas sola causa damnationis est, & non est toleranda in monasterio.202.a
incorrigibilitatis grauitas per multa.202.a
indigentia duplex.213.a
indigentiæ remedium duplex.209.b
indignatio iusta.581.a
indignos nos quomodò ad omne opus existimemus.171.b
indisciplinati, & inquieti, qui dicantur.63.a
indumentorū qualis debeat esse ratio & regula.250.
indumentorum qualitas.250.b
iofantium & senum quanta cura habenda.392.a
infantibus compatiendum.219.b
inferior superiori præponitur diuersis de causis in monasterio.60.b
infernalium pœnarum varietates.114.a
inferni quantæ pœnæ.339.b.
in inferno pœnarum vniuersalitas.114.b
infirmitas, est miseria summè afflictiua.217.b
in infirmitate animæ monachi sæpè se visitare debent.329.a
infirmi adoiti debent, nè fratribus plùs æquo sint molesti.218.b
infirmi fratres quomodò tractandi.554.b
infirmi humaniùs habendi in mooasterio.215.a
infirmantium locus.218.b
infirmorum cura qualis esse debeat, & quæ Prælatos moueant ad horum curam.216.ab
infirmorum fratrum cura.20.
infirmorum quanta cura esse debeat.390.b
infirmorum seruitoris tres bonę conditiones.219.a
infirmis separatim cella procuranda.391.a
infirmos curare Prælati propter diuersa, quibus assimilantur, maximè debent.218.a
infirmos visitat, q monachis eleemosynā dat.329.a
de infirmis molestioribus maior merces acquiritur.218.b
ingratitudinis damna.112.a
inimicus magnum beneficium nobis pręstat.575.b
inimicus plùs diligēdus, qa plus nobis pręstat.555.b
inimicus satā nihil in nobis ex se potest nocere.581.b
inimici diligendi pręceptū nō est impossibile.575.b
inimico qui nocet, sibi nocet.99.a
inimicum superandi modus egregius.99.a
inimici diligendi, & ad hoc adniti debemus.98.b
inimici nostri præcipui peccatores dicuntur.575.a
inimicorum dilectio quot & quanta commoda afferat.334.a
inimicis benefacere, quandò fit perfectionis.144.a
inimicis debemus esse beneuoli, & in quibus.143.b
inimicis qualia debeamus de necessitate pcepti.143.
inimicos diligere, quandò fit de necessitate.143.b
inimicos nostros cur diligere debeamus.334.a
inimicos diligere, quanta sit virtus.334.a
inimicitias non solùm excitare, sed etiam extinguere debemus.99.b
iniunctio & admonitio differunt.47.b
iniunctio quid sit.47.b
iniuria quid, & vndè dicta.333.a
iniuriā qui fratri infert, phrenetico cōparatur.97.a
iniuriam vt homo homini faciat, modi varij.333.a
iniuriæ ab alijs illatæ patienter tolerandæ.333.b
iniuriarū memoria quantorū malorū sit causa.91.a
innocentia grata Deo, & vtilis homini.95.b
innocentiam decem maximè rationibus religiosi sectari debent.94.b
inobedientiæ vitium.38.b
inobedientes monachi pœnā habent mortem.314.a
Impunitas quid pariat.64.a
Inquinamentum carnis & spiritûs quid.573.b
intellectûs raritas ex quo proueniat.577.a
intelligēs & requirens qs apud Deū habeatur.360.b
intelligentiā quomodò coosequamur à Dño.577.a
iotemperātia est vitiū exprobrabile, & quarè.108.a
interrogatio quomodò accipieoda.172.a
inuidere, magnum est peccatum.346.a
inuidia detestanda, octo rationibus.138.b
inuidia est tristitia de bono proximi, quæ contingit quatuor modis.138.a
inuidia difficilè curatur.139.a
inuidia in genere suo est mortale.138.b
inuidia malum horrendum.139.b
inoidia nemini parcit.139.a
inuidia quandoquè non est mortale, & quarè.138.b
inuidiæ & liuoris incommoda quanta.346.a
inuidiæ liuor detestandus à varis religiosis.420.b
inuidiæ mater est superbia.139.a
inuidiæ radix.552.b
contra inuidiam remedia.140.a
inuidi descriptio ab extrā.139.a
inuidi magna infelicitas.139.b
Iob patientiæ exemplum.107.
iosephi castitas & pudicitia.585.
Ira Dei non potest esse maior, quàm excidere eius charitate.539.b
ira duobus modis in Deo.297.a
ira, & eius remedium.556.b
ira fratris citò reconcilianda cur sit.347.a
ira in genere suo est peccatum mortale, & quandò fiat veniale.89.b
ira in nobis manente, omnium bonorum efficimur expertes.89.a
ira non debet diū teneri, & quarè.144.a
ira omninò prohibetur.575.b
ira refrenenda propter octo rationes, quæ faciunt ordinationem hominis quantum ad actum ad irascendi.90.a
ira vehementer detestanda.330.b
iræ definitio.88.b
iræ & iracuodiæ discrimen.330.b
iræ & furoris differentia.576.a
iræ motus non est in nostra potestate.88.b
iræ locum dare, quid.333.a

ex

ex ira quæ procedunt.92.a
iracundia & ira differunt.91. a
iracundia quomodò comprimenda.331.a
iracundi corporis pulchra descriptio.331.a
irascendi motus quomodò cognoscamus ex passione & non ex Dei zelo descendere.561.a
irascentis excitati ad vigilias pœna. 560.b
irasci, hominis est: irã nõ perficere, Christiani. 89.a
irasci quandò fit peccatum. 89.b
non irasci, non est impossibile.561.a
iratus quis vel vndè dicatur.287.a
iritatio. 576. a
Ite, missa est. quid sit.370.b
iter ad cælũ angustum, ad infernũ spatiosum. 350.b
cum itinerantibus dispensandum, & quæ inibi consideranda. 243.b
Iudicandi necessitas, & de quibus iudicandum non sit. 561.a
iudicare omninò non prohibemur.561.b
iudicij memoria.174.a
iudicij timor.112.b
circa iudicium decem terribilia.113.a
iudicij dies peccatoribus omnibus valdè timendus. 338.b
in iudicio quid responsuri simus, modò cogitandum est.339.a
iuniores quomodò appellandi. 416.a
iuramentum licitum & honestum est, & quomodò malum fiat.92.b
iuramentúmne vel iuratio sit: Testis est mihi Deus. 332. b
iuramenti boni comites.93.a
circa iuramentum sex dissuadenda.92.b
iurandi vsus vel consuetudo non facienda. 331.a
iuris naturalis duo præcepta.79.a
iustitia Dei & terrena substantia quomodò à nobis quærenda.319.b
iustitia vndè dicta, & quid.304.b
iustitiæ perfectio in duobus.58.b
iustitiam quis operetur.304.b
propter iustitiam patiens, Christum imitatur. 335.a
iustum & sanctum differunt.577.b
iustus spem & formidinem habere debet.338.a
iusti celeriùs exaudiuntur quàm peccatores.302. b
iuuenes exercendi sunt laboribus, ob quatuor causas.204.a
iuuentuti necessaria est correctio.204.a

L.

LAbor manuũ quarè & quomodò licitus. 570.b
labor obedientiæ quis, quídve sit.292.b
de labore manuum viuentes, verè monachi dicuntur, & quomodò.236.a
labores manuum Apostolorum, & B. Mariæ virginis.235.b. 236.a
lactenti quis similis sit. 355.b
laudare Deum dignè.174.b
laudandi Deum vtilitas.176.a
laudatio Dei est valdè nobilis operatio.176.a
quandò laudamur vel falsè vel verè, dicendũ: Gratia Dei sum id, quod sum.135.b
laus hominum vana. 134.b. 135.a
laus humana non debet appeti.135.a
laudes Dei sunt infestæ dæmoni.176.a
laudes hominum captantes quomodò agant. & remedium contra laudis appetitum.558.a
ad laudes Deo debitas persoluẽdas multa nos incitant.175.b
Lectio ad mensam cur fiat.398. b
lectio conueniens monachorũ, Collationes vel vitæ Patrum.22.
lectio cur præuidenda.398.b
lectio doctrinæ quid conferat bonis & malis. 289. b
lectio externarum scientiarum quomodò sancta dicatur.127.b
lectio orationi annexa esse debet.343.a
lectio sacra est quasi alueus.127.a
lectio sacra in mensa. 20.
lectionis diuinæ vtilitas.121.a
lectionis magna commendatio.238. b
lectionis sacræ vtilitates quot, & quæ.343.a. 584.
lectionis sanctæ duodecim vtilitates.126.b
ex lectionis defectu duodecim mala oriuntur.237.b
lectioni dum vacatur, magna quies agenda.237.a
in lectione librorum tria obseruanda.236.b
lector cur aliorum orationes petere debeat, antequàm legat.392. b
lector hebdomadarius. 80.
lector qualis eligendus est.221.b
lector quarè orationem petat & benedictionẽ. 221. a
lector refectorij ante lectionẽ accipiat mixtũ.221.b
legendi consuetudo ad mensam vndè originẽ habet, eiúsque duplex ratio.220.a
lectus monachorum instructus: Matta, Sagum, Lena, & Capitale. 253.b
lectorum stramenta.27.
ad lectúmne post matutinas redeundum.368. b
in quali lectulo inueniatur Christus.368.b
lepra animæ.198 a
lepra cordis duplex: propria voluntas, & proprium consilium.68.b
lex Christi, lex amoris.288.a
lex Dei quid iubeat in prælatione personarum. 62.a
Libertas vera quæ. 466.a
libido totius fomes peccati.547.a
libræ panis expositio.223.a
libri diuini, sunt pascua, & apotheca specierum salutarium.127.b
libri diuini sunt quasi quoddam calefactoriũ.126.b
libri Legis, vel historiales quarè non legantur vesperi.229.a
libri quales legantur, & quarè.228.b
libri quales legendi contendentibus ad culmẽ perfectionis.289.b
libri qui potissimùm in religiosorum cõuentu post mensam legendi.396.a b
librorum diuinorum ad alios commendatio. 127. b
licentia in omnibus postulanda, & quarè. 248.b
lingua cur ignis dicatur. 353.b
lingua maximè custodiẽda, ratiõe quadruplici.121.b
lingua nocet loquenti, nocet audiẽti, nocet absenti. 122.b. 123.a
lingua nostra bonis in fomentum sit, prauis in aculeum.123.b
lingua ꝓhibenda à malo, & quantũ ipsa malũ. 301.a
lingua vniuersitas iniquitatis dicitur. 122.b
ad linguæ custodiam quatuor valent. 184.a
circa linguæ disciplinam, septem.123.a
linguam cur monachus prohibere debeat. 365.b
linguam custodire, vtile est.122.a
linguam edomandi difficultas.122.a
linguam & os cur Deus homini concesserit. 334.b
linguam non custodire, periculosum est.122.b
linguam non custodire, turpe est. 122.a
in lingua vita & mors. 353.b
linguosus viri quis sit. 172.a
linguosi qui dicantur.365.b
lis. Vide Contentio.
literas, vel eulogias nõ accipiat monachus sine con-

sensu Abbatis sui.26.
Longanimitas & patientia differunt.44.b
loquacitatis mala.154.b
loquendi modus in tribus constat.124.b
loquendi ratio.585.
loquendum cum quibus, quarè & quandò.183.a.
quid dicendum.123.b
non loquendum ante tempus.172.a
ex loquentis defectu quandoquè fit ipsa veritas importuna.185.a
loquentium qualitas.183.a
loqui veritatem.173.b
loqui veritatem in corde suo, quid sit.304.b
Luctus magis, quàm risus, monacho conuenit.366.a
luctus, quo beatitudinem consequimur.556.a
lumbi corporis & mentis succingendi.42.a
lumbos viriliter accingere qui dicantur.303.a
lumen vitæ quis habeat.300.a
luxuria & castitas duplex.303.a
luxuriæ malum.609.610.
contra luxuriam.76.a

M.

Magister quid, & vndè descendat: item, quid propriè, & quid abusiuè.291.b
magistrum loqui & docere decet.353.b
maiores qui.173.b
maledicere quandò sit licitum vel illicitum.99.b
maledicere verùm semper sit mortale.100.a
maledicentem se maledicere, grande peccatum cur sit.334.a
maledictionis & benedictionis discrimen.334.b
malum à nobis: bonum omne à Deo.44.a
malum ex nobis oritur.581.b
malum nulli faciendum.43.b
mali definito.539.a
à malo locutiõis & operis quomodò caueatur.40.b
mala quæ statuimus, non oportet adimplere.550.a
mala tantùm non facere, non sufficit.40.b
malorũ augmentatio cur non recreet pastorẽ.319.a
mandantis intentio magis est implenda, quàm mandatum.153.b
mandati adimplendi modus & tempus.570.a
mandata Dei habere & seruare, quid sit.345.a
mandata Dei inuicèm cohærent.546.b
mandata Dei quomodò ex animo impleãtur.574.a
in mãdatis Dei nihil admirabilius, quàm quòd diligere inimicos iubemur.98.b
manducare & bibere ad gloriã Dei quomodò.557.b
mansio cælestis, tabernaculi nomine censetur.42.b item mons dicitur.eod.
mansuetudo, virtus præclarissima, amanda, & quis sit mansuetus.94.a
mansuetudinis exemplum in Dauid & Moyse.585.
ad mãsuetudinis amorẽ octo præcipuè inducũt.94.a
mansuetus quis, & vndè dicatur.422.b.556.b
matutinum officium.13.
ad matutinas quandò surgendum monachis.368.a
post matutinas an ad lectũ redeũdũ monachis.368.b
Medicina vera.201.a
mendacium fugiendum, ad cuius detestationẽ multa faciunt.93.a
mendacium omne falsi testimonij nomine prohibetur.77.a
mendacium quandò sit mortale, quandò contrarietur charitati.93.b
non omne mendacium est mortale peccatum.93.b
membra corporis omnia quomodò Deo præstare possint obsequium.357.b
memoria præceptorum Dei quandò salutem præbeat, quandò non.357.a
memoria timoris Domini quot quantaq; bona adferat.357.a
mensa Abbatis.27.
mensæ consecrationi, vel gratiarum actioni qui non adsunt, pœna.23.
mensæ disciplina in quatuor seruanda est.881.b
ad mensam cur legatur.398.b
post mensam qui libri potissimùm in religiosorum congressu sint legendi.396.a b
mentis obliuio quæ adducat incommoda.357.a
mentem tria solidant.181.a
merces laborum nostrorum, visio Dei.42.b
merces Sanctorum habet tres proprietates excellentes.147.b
merces Sanctorum incomprehensibilis est.147.a
mercedis æternæ immensitas diuersis vocabulis rectè exprimitur.147.b
meritorum nostrorum incertitudinis causa.106.a
Militis terreni comparatio cum milite regni cælestis.39.a b
militum seculi & Christi differentiæ plures.294.a.b
ministrare cuilibet nè dedignemur, exempla.205.b
ministrare & subministrare quomodò distent.308.a
benè ministrans, bonum gradum sibi acquirit.386.a
ministri Generalis fratrum Minorum electio.598.a
misericordia & iustitia in Prælato nunquàm separanda.62.b
misericordiæ opera quot sunt, corporalia & spiritualia.82.a
misericordiæ vtilitas ex multis colligitur.83.a
misericordiæ diuinæ spes, & timor iudicij, duo Christi pedes.112.b
Momentum vndè dictum.350.a
monachus ad quid in monasterio viuat.364.b
monachus arbitrio suo periculosè viuit.350.b
monachus à solitudine nomen habet.509.a
monachus aulam fugiat.85.a
monachus clamosa voce vti non debet.366.b
monachus contra quæ murmuret.337.a
monachus cupidus & auarus monstro comparatur.265.b
monachus duabus vicibus in numerum filiorũ Dei recipitur: in baptismo, & conuersione.296.a
monachus frangens silentium post Completorium, peccat venialiter.51.a
monachus in quibusdã casibus videtur posse comedere carnes extra necessitatem.824.b
monachus in quibus operibus fortis & doctus esse debeat.336.b
monachus in quibus potest sine dispensatione præter regulam aliquid facere.280.b
monachus internam & externam humilitatem habere debet.366.b
monachus mundo renunciet perfectè, alioqui fatuitas est.865.b
monachus neque opus pietatis propria authoritate debet attentare.580.b
monachus nihil de mundo retineat sibi.265.a
monachus non dici, sed esse sanctus debet.344.b
monachus non totam regulam vouet in professione.259.a
monachus ociosus corpore, à sordidis cogitationibus nunquàm est ociosus.399.b
monachus operarium malum cur se iudicet.364.a
monachus peregrinus quomodò suscipiendus, & sex circa tales obseruanda.269.b
monachus peregrinus quomodò suscipiendus in hospitem.89.

mona-

monachus quis vocetur.309.b
monachus religiosus vtrùm videns patrem suum in necessitate, possit absque licentia Prælati exire claustrum ad subueniendum patri? & ibidam pulchra resolutio.84.a
monachus tribus modis se obligat ad tria vota substantialia.264.b
monachus vermi quarè comparetur. 365.a
monachus viuens in communitate, quomodò dicatur.46.b
monachus vtrùm comedendo carnes peccet mortaliter.224.b
monachus vtrùm possit facere eleemosynam de bonis monasterij.83. b
monachi boni fortitudo qualis esse debeat.362.b
monachi comedentis carnes extra necessitates aut casus permissos pœna.886.a
monachi improbi & plumbi conuenientia. 311.a
monachi officium.430.b
monachi probi & auri conuenientia.311.a
monachi probi & improbi multiplex discrimen. 311.a
monachi proprietarij tremendum iudicium. 508.a
monachi verba qualia esse debeant.366.a
monachi veri dotes. 509.b
monacho duplex zona necessaria.324.b
monacho licentia eundi ad aliud monasterium tribus modis datur. 270.a
monacho luctus magis, quàm risus, conuenit.366.a
monacho noo licet aliquid accipere de bonis communitatis.218.a
monacho non sufficiunt exteriora tantùm mortificationis signa. 263.a
monacho tria abneganda.79.b
monachum debere visitare infirmum, vel mortuum sepelire, qoomodò intelligendum. 84.a
monachum quãdò se quis existimare debeat. 364.b
monachi ab Abbate quomodò corripiendi sint. 417.b
monachi an in cucullis dormire debeant. & cur duas permittantur habere tunicas.251.a.b
monachi S.Benedicti in nocturnis horis pręmittũt: Deus in adiutorium. & quarè. 177.b
monachi boni, oues Christi sunt.382.a
monachi cur vesperè cœnent. 395.b
monachi debent Abbati deseruire, quemadmodùm membra capiti. 313.b
monachi Deum contemnunt, cùm Abbati non obediunt.357.a
monachi inobedientes pœnam habent mortem. 314.a
monachi in omnibus sequi regulam magistram debent.322.a
monachi inquieti, sunt sidera errantia.870.b.871.a
monachi laborantes cur psallere & meditari debeant. 400.b
monachi mali, quandò suum Abbatem contemnentes spernant.313. b
monachi mediocriter saltem docti esse debent.238.a
monachi noo debent extra monasterium comedere.243.b
monachi non repræhendant acta Abbatis.321.b
monachi peregrini, si mali sint, cur expellendi: si boni, cur retinendi.414.a
monachi proiecti vel profugi de monasterio, quomodò recipiendi.18.
monachi quales mortuos sepelire debeant.389.b
monachi quarè ter dicant: Domine labia &c.178.a
monachi semper veritatem loqui debent.338. b
monachorum beatorum vita qualis.359.a
monachorum insignia.236.a
monachorum opera & labores quales olim. 431.b
monachorum ordinatio. 271.a b
monachorum primum principium, & origo præcipua 54.a
monachorum probatio vbì fiat. 362.b
monachorum quatuor genera.3.309.b
monachorum religio auxit eorum diuitias. 432.b
monachorum sanctorum mirabilis feruor.216.b
monachorum segnitiem sui temporis deplorat Trithemius. 431.a
monachorum suorum confessionem Abbas dabet audire. 414.b
monachis ad preces matutinas quandò surgendum fit.368. a
monachis an liceat tractare secularia, & quandò non.85.a
monachis eleemosynã dans, visitat infirmos. 389.a
contra monachos malè in religione viuentes, conueniens argumentatio.266.a
monasterium, domus Dei dicitur.206.a
monasterium & cœnobium differunt.55.a
monasterium quomodò constitui debeat. 421.a
monasterium quomodò debeat construi. 32.
monasterium vndè dicatur. 46.b.319. b
monasterium vnius monachi habitatio dici potest. 309.b
monasterij ordinatio cur ab Abbate pendère debeat.419.b
monasterij ordinẽ perturbans, graui pœna plectendus. 565. a
monasterij res diligenter conseruandæ, & non sunt negligendæ, quanuis minimæ, rationa multiplici 206.b
monasterij res quanta cũ diligentia tractandæ.205.a
monasterij rerum reuerentia 807.a
extra monasterium nec manducare, nec bibere licet. 408.a
in monasterium suscipiendi, diligenter probandi suot. 407.b
in monasterio ad quid viuat monachus. 364.b
in monasterio duo necessaria, videlicet clausura, & stabilitas. 147.b
in monasterio pręponitur inferior superiori diuersis de causis.60.b
in monasterio qui vult habitare, quæ ab eo requirantur. 348.b
in monasterio viuere, quarè consultum.311.b
monasteria olim scholæ literariæ. 431.b
monasteriorum mos.57 a
in monasterijs quomodò deficiatur.63.b
de monasterijs exeuot aliqui, varijs de causis. 802.b
monasticæ finis in tribus.55.a
monasticam disciplinam, S. Beuedictus scholam seruitij Dominici vocat.46.a
monitionũ diuersitas, & quibus obediẽdum.550.b
mori peccato, quid.326.b
mori quotidiè quomodò debeamus.570.a
mors animæ & corporis quid distent. 407.a
mors ante oculos vt semper habenda sit.340.a
mors & vita in lingua.353.b
mors secus introitum delectationis cur posita dicatur.360.a
mors vndè dicta.300.a.366.a
mortis articulus expauescendus.53.a
mortis hora nobis iocogoita quarè.118.a
mortis meditatio, præcipuum remedium contra carnis desideria.118.a

mortis memoria ad nouem vtilis est.117.b
in morte quomodò omnia vana monstrantur. 118.a
mortuoe quales monachi sepelire debeant. 329.b
morum conuersio substantialiter in monacho requiritur.262.b
ad morum perfectam conuersionem quid requiratur.263.a
motus primi in malum faciliùs vincuntur. 43.b
motus praui in omni peccato non sunt mortales. 138.b
Moysis zelus & longanimitas.585.
Mulierum cohabitatio vitanda.137.a
multiloquium cauendum, multiplici ratione.125.b
mundatio à peccatis meritò attribuitur Spiritui sancto.174.a
mundo corde qui.574.a
mundus est falsus.85.b
mundus est transitorius.87.a
mundus,immundus. 87.b
mundus laboriosus,duplici ratione.87.b
mundus laqueis plenus est. 88.a
mundus periculosus.87.b.88.a
mundus quomodò relinquitur. 584.
mundi amor, turbulentus: contemptus, est quietus.121.a
mundum non esse diligendum, decem rationibus. 85.b
ab hoc mundo duo nos reddunt liberos.135.b
murmurantis de cibo pœna. 563.b
murmurantes quibus comparentur. 110.b
murmurantes multùm punit Deus.110.b
murmurare quàm sit graue.560.a
murmuratio cur nil profit monachis.337.a
murmuratio iusta quæ dicatur. 395.b
murmuratio omninò cauenda.215.b
murmuratio quid sit, & murmurationis genus multiplex.109.b
à murmuratione contra Prælatos, quinque quę nos compescere debent. 110.a
murmur de pœna, aut tribulatione, est grauissimum peccatum.110.a
à murmure impatientię quinque repriméntia. 109.b

N.

NAtalis Sanctorum quis, & cur ità vocetur. 371.b
natura vndè dicta.308.a
Necessarium dicitur dupliciter. 188.b
necessarium quid diuersimodè dicitur.49.b
necessaria verecundè petenda. 564.a
necessitas felix est, quæ ad meliora compellit.247.b
negligentiæ malum.582.a
de negligentibus ad opus Dei doctrina, vndè profecta.230.b
nobilitas generis non est nobilitati animæ præferenda.61.a.b
in nocte congruentia laudis Dei.184.b
nocturnę illusiones vndè, & remedia aduersùs eas. 554.b
nocturnæ vigiliæ.12.14.
nocturnalis Psalmodia quarè clauditur Alleluia. 179.a
nocturnum tempus aptum est cõtemplationi.177.a
nouni.30.
noscat Deum perfectè quis.323.b
nouitij specialis tentatio, & remedia.251.b
nouitio præcipuè conuenit, esse quietum.271.a
ad nouitium stabiliendum multa faciunt.261.a
nouitij à quibus custodiendi, & ad tria mouendi. 274.a
nouitij in confessionis modo diligenter instruendi sunt.274.a
nouitij quasi parui pueri, & cur illis spiritualis cibus frequenter ministrandus.274.b
nouitij à quibus arcendi. 546.a
nouitij qui repellendi.546.a
nouitij quomodò instruendi.562.b
nouitij sufferendi, & non sunt leuiter ad professionem suscipiendi.274.b
nouitiorum institutio, & probatio. 28.
nouitiorum instructor qualis esse debeat.545.b
nouitiorum magister quomodò se habere debeat in eorum cura.274.a
nouitiorum probatio, & quid nouitijs imponendum.256.b
ad nouitios stabiliendos optima conclusio.261.b
Nudi cur magna cum alacritate vestiendi. 328.b
nuditas duplex.328.b

O.

OBediendi modus.154.a
obediendũ animo bono, & corde puro.558.a
obediendum esse, confirmatur quatuor rationibus.150.a
obediendum etiam in minoribus.153.b
obediendum hilariter.351.b
obediendum humiliter, & quarè.152.a
obediendum in quibus. 550.b
obediendum quomodò superioribus: & quòd sub obedientia veniant alia duo vota in professione. 264.b
obediendum viriliter.151.a
obediens vir quandò loquatur victorias.292.a
inobediens quarè Deo multùm displicet.134.a
obedientis excusatio stara debet arbitrio præsidentis.559.b
obedientis proprietas.154.a
obedienti nihil difficile.285.a
obedientem & tractabilem quinque faciunt. 132.a
obedientes cum murmure, dæmonibus comparantur.153.b
inobedientes monachi pœnam habent mortẽ. 314.a
obedientia ad quam nemo tenetur.134.b
obedientia aliquandò de suo habere debet, aliquandò non.152.b
obedientia Christi dupliciter potest intelligi & adduci ad nostrum exemplum.165.a
obedientia Christi quanta fuerit.186.b
obedientia commendabilis duplex.164.b
obedientia cum murmure cur mala sit. 351.b
obedientia debet esse sine mora, & quarè. 150.b. 348.a
obedientia dicitur primus, id est, præcipuus, humilitatis gradus.148.a
obedientia duplex Prælato exhibenda.288.b
obedientia, est principium redeundi ad Deum: initium damnationis, inobedientia.38.b
obedientia & eius modus.559.a
obedientia facit hominem callum.149.a b
obedientia falsa.151.b
obedientia fratrum Minorum.595.b
obedientia imperfecta.134.b
obedientia incipientibus necessaria.151.b
obedientia martyrio comparatur. 149.b
obedientia non est in his quæ nobis placent 559.a b.
obedientia non trepida, non tarda, non tepida, aut cum murmure, vel cum responsions nolentis.8.
obedientia perfecta.165.a.134.b
obadientia potest omnia.285.a

obedientia quæ meritum habeat.38.b
obedientia quandò Deo sit acceptabilis, quandò hominibus dulcis: eam quis trepidè, quis tardè, quis tepidè faciat.351.a
obedientia quid sit, & eius commendatio. 264.a
obedientia quomodò sit scala Iacob. 286.b
obedientia sacrificijs omnibus præfertur. 612.b
obedientia sine mora, primus humilitatis gradus est.7.
obedientia triplex. 134.b
obedientis virtutibus omnibus præferenda.423.a
obedientia vt perficiatur, alia opera relinquenda sunt.350.a
obedientię arma cur fortissima & præclara.294.b
obedientiæ arma fortissima & præclara Christo militaturis.1.
obedientiæ bonum. & quòd superiores sint, quibus obedire debemus, pulchra ratio.132.a
obedientiæ bonum extendatur etiam ad fratres. 33.
obedientiæ bonum multa minuunt.153.a
obedientiæ conditiones, vt sit grata & meritoria. 150.b
obedientiæ definitio.148.b
obedientiæ documenta tria.286.b
obedientię & inobedientię discrimen.293.a
obedientiæ effectus singularis. 149.a
obedientiæ ingratę descriptio.151.b
obedientię interpretatio.292.a
obedientiæ labor quis quidve sit.292.b
per obedientiæ laborem ad Deum redire, quid sit. 292.b
obedientiæ laus præclara.149.a b
obedientiæ mensura. 559.b
obedientiæ meritum facit præcellere statum cœnobitarum. 53.a
obedientiæ meritum quarè excellat. 148.b
obedientiæ ordo.287.a
obedientiæ præmij exemplum. 148.b
obedientiæ promptitudo quomodò acquiratur. 561.b
obedientiæ securitas magna. 163.a
obedientiæ status est valdè laudabilis, triplici ratione.148.b
obedientiæ terminus.165.b
obedientiæ velocis exemplum.151.a
obedientiæ vita, vita angelica.159.a
obedientiæ votum præcipuum est religionis. 612.b
obedientię aptanda sunt corda & corpora.45.a
obedientiam ornantia vel deturpantia.152.a
ad obedientiam accendendum est cor, & ex quibus. 133.a
ad obedientiam multùm valet humilitas. & obedientia nisì humilium esse non potest. 132.b
circa obedientiam probatio Patrum.152.a
per obedientiam præcipuè Deus glorificatur.149.b
per inobedientiam à Deo recedimus, per obedientiam redimus. 292.a
sine obedientia nihil facit monachus Deo gratum. 242. a
obedire libenter.152.b
obdurare corda qui dicantur, Psal.xciiij. 899.a
obliuio mentis quæ adducat incommoda.357.a
obsculta quòd rectè in initio dicatur.291.a
obsequium Deo præstare quomodò omnia corporis membra possunt.357.b
non occidere, de quibus intelligendum sit.75.b
non occidere, quid sit.384.a
Ociositas inimica est animæ, & decem mala ex ea nascentia.834.a
ociositatem vitandam, sententijs Patrum confirmatur.234 b
ociosus, à virtutibus semper est alienus, & ocium est fornicationis mater.234.b
ociosus monachus corpore, nunquàm à sordidis cogitationibus est ociosus.399.b
ocium fugiendum. 84.
ocium non fecit Ordinem S.Benedicti gloriosum, sed labor, vigilantis, & studium.465.b
oculus veteris hominis eruendus.133.b
oculi Domini aliter iustos, & aliter malos speculantur.360.b
oculi Domini quid sint, quæ bona iustis tribuant. 302.a
oculorum concupiscentia quæ sit.325.a
oculos aperire, Prouer.xx.quid sit.898.b
Odium quantoperè detestandum.345.b
odij detestatio quinque rationibus firmatur.137.b
odio habens alterum, se priùs lædit.137.b
Officiales boni quales debeant esse. 204.b
officiales eligendi modus optimus.204.b
officium diuinum à deuota oratione inchoandum est, quæ semper fundenda est, in prosperis, nè extollamur: in aduersis, vt eruamur.177.b
officium diuinum nocturnum quandò dicendum, & qui Psalmi in illo officio dicendi. 11.& 12.
quarè duodecim Psalmi in nocturnis legantur, & quarè lecturus benedictionem petat, ascendatque gradus & dicat: Iube domne. & deindè Responsoria subijciantur.178.b
officium diuinum triplici modo inchoatur, & quarè.177.a
officij diuini hora denuncietur arbitrio Abbatis. 24.
officij diuini ordinatio in laudibus quod ad Psal. dispositionem.180.b
officio diuino qui seriùs occurrunt, pœna.22.
ad officium diuinum attentio.187.b
in officio diuino vndè habuerit originem consuetudo dicēdi in Vigilijs duodecim Psalmos.178.a
in officio diuino quarè September & October non sint cum tempore hyemali æquales. 179.a
officia diuina per diem.14.
officia quomodò distribuenda. 566.b
officijs exterioribus deputare personas minùs securas, periculosum est.87.a
officium quodlibet læto animo à quolibet suscipiendum in monasterijs.215.b
Operantem in se Dominum quis magnificet. 305.b
operantibus monachis cur psallendum & meditandum sit.400.b
ad benè operandum ex quatuor inducimur. 45.b
operarium malum cur se iudicet monachus. 364.a
opus Dei negligētes per occasiones captatas, reprehenduntur.565.b
opera bona cum discretione sunt agenda. 842.a
opera bona in nobis Deus operatur. 1.6.
opera manuum monachorum quotidiana.24.
opera misericordiæ omnia quomodò S.Benedictus paucis comprehendit, tam corporalia quàm spiritualia.82.b
opera misericordiæ quot sint, corporalia & spiritualia.82.a
opera monachorum ordinis B.Francisci.600.
opera nostra quomodò ad Dei gloriam dirigantur. 557.b
opera nulla sunt, nisì condiantur humilitate. 355.a
operum bonorum instrumenta in schola diuini seruitij. 72,69.b

opprobrium aduersùs proximum quis accipiat. 305.a
Orandi forma.245.b
orandi mos antiquitùs.383.b
orandi tempus nusquàm prætermittendum. 402.a
orandum cur non sit absque gemitu.343.b
orandum frequenter.343.a
orandum non tardè, non trepidè, sed instantissimè. 295.b
orandum pro animarum salute. 383.a
orandum pro inimicis.347.a
ad orandum instructio.191.b
orantes pro alijs quandoquè non exaudiuntur, & quarè.201.b
orate in multiloquio, quid.192.b
orare instanter cur non pigere debeat.296.a
oratio ante cibum & post cibum. 586.
oratio attenta cur debeat esse.373.b
oratio breuis, & incessanter orare, quomodò intelligendum est.192.a
oratio cur breuis esse debeat.374.a
oratio debet esse assidua, valet ad multa.128.a
oratio debet lectionem præuenire. 128.a
oratio Dominica quarè in Matutinis & Vesperis omnibus audientibus recitetur.181.b
oratio est vltimum refugium in omni necessitate. 128.b
oratio, ieiunium, & lectio rectè coniunguntur. 241.b
oratio iustorum exauditur, priusquàm compleatur. & cur id fiat.302.b
oratio non labiorum tantùm, sed & cordis esse debet.343.b
oratio optima. 585.
oratio peculiaris & secreta multùm commendabilis est.245.a
oratio quid, & vndè dicatur.296.a
orationis definitio pulchra. 128.b
orationis duæ alæ, ieiunium & eleemosyna.130.a
orationis efficacia in quo consistat..158.b
orationis impedimenta tria. 191.b
orationis in communi magna vis est. 291.a
orationis magna commendatio.129.a
ad orationis puritatem quæ faciunt. 191.a
orationis reuerentia, & quomodò vagatio mentis vitetur in oratione: & quòd non sit impossibile, mentem reprimere nè euagetur.16.& 566.a
orationis sanctæ & deuotionis spiritus non est extinguendus.597.b
orationis seu deprecationis B.Mariæ virginis efficacia.146.b
orationis triplex effectus.188.b
orationis virtus in figura.128.a
orationis virtutes. 296.a
orationi fletus coniungitur.241.b
ad orationem hospites suscepti ducendi sunt.403.b
ad orationem quinque pertinentia. 190.b
ad orationem surgendum nocte quandò.175.a
ab oratione actiones nostras omnes incipiendas. 1.a
ab oratione propter tria non est cessandum, etiam si non sic possumus esse intenti.189.a
in oratione præsentamus nos Deo facie ad faciem. 186.b
orationum vnitas multùm valet.543.b
oratorium, & eius obseruantia.124.a
oratorium multis nominibus appellatur, & quarè. 244.a
oratorij cultus, & eius nomen.244.a
oratorij locus multùm amandus, & in magna reuerentia est habendus.244.b
de oratorio exeundi disciplina.245.a
ordinandus sine quali defectu esse debeat. 278.a
ordinatio monasterij cur ab Abbate pendere debeat.419.b
ordo congregationis in monasterio quomodò seruetur.30.
ordo in corrigendis vitijs iuxta regularem disciplinam quis seruandus.322.b
ordo in increpando seruandus. 316.b
ordo in omnibus mandatis seruatur.538.b
ordo rationabilis.69.a
ordo tribus modis disponitur inter fratres, & sex mandata de ordine congregationis.272.b
ordinis conseruatio, amor Dei & studium scripturarum.433.a
ordinis diuini officij iuxta dispositionem S. Benedicti pulcherrima interpretatio.180.a
ordinem dilectionis qui peruertant.323.b
Ordo S.Benedicti annis ducentis à prima institutione in magna sanctitate perstitit. 433.b
ordo S.Benedicti habet Sanctos canonizatos 15000. Pontifices Romanos 18. Cardinales 180. 508.b. 511.514.a
ordo S. Benedicti institutus est ab authore, Anno D. XX. 439.a
ordinis S.Benedicti commendatio insignis.435.a
ordinis S.Benedicti defectus vndè. 432.b.& 433.a
ordinis S.Benedicti Monachi, in monasterio Turonensi à Nortmannorum duce Rollone occisi 116. in Hybernia vnius monasterij à piratis interfecti 900. in monasterio Floriacensi à Paganis occisi 60. S.Bonifacij, S. Vuilhardi Bremensis Archiepiscopi, S. Adalberti Pragensis, socij prædicationis martyres.580.a
ordinis S.Benedicti Pontifices Romani 18. Cardinales S. R. Ecclesiæ 184. Archiepiscopi 1564. Episcopi 3512. vsque ad tempora Concilij Constantien, Sancti canonizati 15000. 430.a.b. 508.b. 514.a
ordinis reformatores.433.b.434.435.436.a
ordinem S.Benedicti duo ad eminentiam honoris prouexerunt.465.
ordines sacri sub regula S. Benedicti militantes. 419.a
ordines sub regula S. Augustini militantes. 595.a
ordines sub regula D.Basilij.583.
Os cur à prauo eloquio custodiendum sit. 341.b
os & linguam cur Deus homini concesserit. 334.b
os quasi porta in homine. 121.b
oris porta debet habere triplicem clauem.185.a
ori custodiam quis ponat.352.b
ostiarius monasterij qualis esse debet. 32.
ostiarius qualis ad portam constituendus. 420.b
Oues, angeli & homines dicuntur, & quarè. 200.b
oues Christi sunt, monachi boni.382.a
ouium numerus, fructus & qualitas requiretur à Prælatis. 68.a
ouilia propria quæ dicantur.56.b
Orthodoxi viri qui dicantur.369.b

P.

PAnem nostrum da nobis, quid sit.578.a
panibus saturari, Prouer. xx. quid sit. 298.b
paradisi aut Adami in paradiso felicitatis breuis descriptio.327.b
paradisi bona.115.b
parentum nomine qui intelligantur.268.a
parentibus licet non obedire Dei causa.611.

paren-

parentes carnales & amicos quo loco religiosus habere debet. 554.a
parentes quandò religiosus possit visere. 554.b
parère Deo de suis quandò dicamur. 297.a
paschali tempore quarè non ieiunemus, & quid significet ipsum tempus. 228.a
pascua bona doctrinæ sanctæ & virtuosi exempli. 68.a
pastor vndè dictus. 254.a
pastoris optimi exemplum. 100.a
pastori multa consilia & mille oculi esse debent. 66.a
pater propriè solus Deus dicitur. 292.a
patres nostri qui dicantur. 235.b
patiens propter iustitiam, Christum imitatur. 335.a
patientibus regnum cælorum datur in præsenti. 98.a
patientia & longanimitas differunt. 44.b
patientia quàm præclara virtus sit. 333.b
patientiæ definitio. 96.a
patientiæ exemplum Iob. 585.
patientiæ gradus duodecim. 98.a
patientiæ vtilitas & virtus. 97.a
impatientiæ triplex damnum. 97.a
ad patientiam septem nos disponunt. 96.a
S. Paulus & Antonius cœnobitarum principes. 310.a
paulo quid præstiterit gratia Dei. 305.b
pauperes spiritu qui sunt. 570.a
paupertas Euangelica. 588.a
paupertas excusat ab eleemosyna danda. 567.b
paupertatis commendatio insignis. 597.b
pax Deo maximè gratissima. 40.b
pax est amanda propter multa. 144.a
pax falsa. 91.b
pax quid sit, eius commoda. 302.a
pax vera quæ sit, eiusque commoda. 92.a. 331.b
pax vndè oriatur. 46.a
pacem bellantes volunt. 144.a
ad pacem reparandam multa nos mouere debent. 145.a
per pacem Deus in nobis habitat. 144.b
pacificus quis. 576.a
Peccantium multitudinem respicere, multùm nocet. 542.b
non peccandi radices: Fuge, Tace, Quiesce. 85.a
peccare cogitationibus quandò dicamur. 358.b
peccatum incorrigibilitatis nullo modo tolerandum in monasterio. 202.a
peccatum mortale & veniale quomodò distinguantur in præceptis Dei. 50.a
peccatum veniale est dispositio ad mortale 52.a
peccati causam homo ipse sibi, & non Satan. 581.b
peccati intentio pensatur, non peccati species. 50.b
peccati odium, & quòd per seipsa nobis displicere debeant peccata. 574.a
peccati ratio in quo consistat. 163.b
peccati surreptio rectè describitur. 163.b
peccato mori, quid. 326.b
peccata cur spinę dicantur. 274.a
peccata excęcant peccatorem. 39.b
peccata leuia vltrò prodenda sunt Abbati. 23.
peccata verborum, maximè ex affectu pensantur. 100.a
peccatis in initio est obuiandum. 64.b
peccatoris consolationes, vt conuertatur. 199.a
circa peccatores Prælati soliciti esse debent, propter quinque. 199.a
nè peccemus coram aliquo, quinque circunstantiæ nos mouent, quæ etiā concurrunt in Deo. 119.a
pedules. 250.a
peregrini monachi si, mali, cur expellendi: si boni, cur retinendi. 414.a
perfectio nostra in eo consistit, vt recto cursu perueniamus ad creatorem. 34.
ad perfectionem peruenitur dupliciter. 55.b
periculum in bono aliquandò est. 563.b
pericula solitarij multa. 311.b
persecutionem patientibus propter iustitiam, regnum cælorum attribuitur in præsenti. 98.a
perseuerantia est summè necessaria. 166.b
perseuerantiæ soli præmium tribuitur. 165.b
peruersi qui sunt. 263.b
pes qui sit amputandus, & quandò. 66.a
pedes Domini duo, diuinæ misericordiæ spes, & timor iudicij. 112.b
pedes calceati qui. 42.a
Pietas indiscreta in recipiendis ad professionem. 258.a
pietas quid. 291.a
pietatis diuinæ magna suauitas. 41.a
pigra anima quæ dicatur. 336.b
pigri hominis agrum transire, quid sit. 337.a
pigri præmium. 292.a
pigritia in Prælato repręhensibilis. 63.b
pigritia quantum malum. 292.b
pigritia quid. 108.b
pigritiæ damna. 109.a
pigritiæ lugubre negocium. 109.a
pigritiæ proprium. 63.b
pigritiæ remedium. 559.a
pius pater quis dicatur. 292.a
Placere nobis ipsis non debemus. 559.b
Plumbi & improbi monachi conuenientia. 311.a
Pœna damnatorum duplex. 339.a
pœna eiectionis cui sit infligenda. 271.b
pœna negligentis opus Dei. 230.b
pœna peccatorum quæ sit. 297.a
pœna vndè dicta. 297.a
pœnæ inferni quantæ sint. 339.b
pœnitens cur de peccatis suis non debeat habere securitatem. 344.a
pœnitens verè. 174.a
pœnitens verus, semper est in labore & dolore. 129.b
impœnitens pro quo habendus. 553.b
pœnitentis affectus qualis esse debeat. 567.a
pœnitentis magister, timor. 567.b
pœnitentes ex corde, suscipiendi & quomodò. 553.b
pœnitentia benè ordinata quæ. 130.a
pœnitentia citò agenda. 307.a
pœnitentia manus, quam sequens coinquinat culpa. 130.b
pœnitentia meritò annumeratur inter bonorum operum instrumenta. 129.a
pœnitentia vera. 129.b
pœnitentiæ commendatio. 129.a. 579.b
pœnitentiæ etymon. 130.a
pœnitentiæ fructuosæ septem conditiones necessariæ. 129.a
pœnitentiæ modus & affectus, & de eius fructibus. 552.a
pœnitentiæ virtus. 146.b
pœnitentiam dignè quis agat. 343.b
pœnitentiam singularem agere volentis in eo conditiones considerandæ. 242.a
ad pœnitentiam diù expectare, Domini est. 561.a

adpœnitentiam requiritur dolor de peccato, propter multa: necessariæ sunt lachrymæ, saltem cordis.129.b
pœnitere contingit dupliciter.130.a
Populus bonorificatus quis sit. 262.a
porta cæli, angusta: inferni, spatiosa.350.b
portarius monasterij. 32.
portare infirmitates fratrum, quid sit. 579.a
portare propriè quid. 579.a
in potûs mensura, monacho constituta, in tribus casibus dispensari potest. 226.a
circa potum multa reprębensibilia in religiosis. 226.a
Præceptum quid sit. 47.a. & quotuplex. 291.a
præcepta Dei multipliciter sunt adimplenda. 135.b
præcepta Dei quomodò facilia dicantur. & digna ratio de facilitate præceptorum Dei.136.a
præcepta diuina in vanum audiũtur, nisi fiant. 44.b
præcepta Euangelica multùm inter se discrepant, & quomodò.50.a
pręceptorum Dei memoria quandò saluet, quandò non.357.a
præceptorum & consiliorum pulcherrima distinctio. 48.b
præceptorum in diuinis literis quædam habent modum & intentionem pręcepti: quædam intentionem, & non modum: quædam modum, & non intentionem. 49.a
prędicans alijs, quandò improbus prædicator sit, 314.b
prædicatio fratrum Minorum qualis esse debeat. 598.a
prædicatoris officium est, priùs interiùs se virtutibus ornare.588.
præesse qui cæteris debeat, qualem esse oporteat. 314.a
prælationis onus. 193.a
prælatus aliquandò duritia vti debet.63.a
prælatus Christi vices gerit. 58.a
pręlatus circunspectus esse debet.228.a
prælatus debet esse lux & sal.59.b
prælatus debet esse pater subditorum, multipliciter. 38.a
prælatus est quasi quędam regula.52.b
prælatus est tanquàm exemplar quoddam.59.b
prælatus non debet ad spiritualia vicarium ponere.66.b
prælatus non debet à subditis veniam petere.64.a
prælatus non debet delicatiùs viuere, quàm Conuentus.253.b
pręlatus non debet magis temporalia quàm spiritualia curare. 66.a
pręlatus pastor est ouium. 60.a
prælatus potest dispensare cum monacho, vt comedat carnes. 225.b
prælatus qualis esse debeat.551.a
prælatus quandò Domini sermones post se proijciat.315.a
prælatus quandò odio prosequatur disciplinam. 315.a
prælatus quòd non corrigat, quarè accidat. 63.b
pręlatus quomodò placandus.257.a
prælatus quomodò se habere debeat ad eos, qui volunt conuerti.255.b
prælati boni sex conditiones.57.b
prælati bonum exemplum efficacissimum. 59.a
prælati bonũ exemplũ, subditorũ consolatio. 59.b
prælati conditio bona omnis in quibus sit.58.a
prælati cura in iniungendis operibus.571.a
prælati cura præcipoa. 563.b
prælati graue iudicium.68.a
prælati mali inconuenientia.60.a
prælati necessaria cogitatio de ratione reddẽda.67.b
prælati negligentis periculum in verbo Dei denunciando. 568.a
pręlati potestas quousquè se extendat.69.a
pręlati prima virtus. 276.b
pręlati vnitas commendatur.281.b
ex pręlati mala vita quę damna sequantur.59.b
pręlato inferiori verùm monachus obedire debeat. 281.a
prælato quę conueniant.275.a
pręlatum debere exemplo pręsidere, ex quatuor ostenditur.58.b
pręlatum magis solicitum esse de transitorijs, quàm de animabus, ex quibus signis colligatur.66.b
pręlatum solicitũ reddere debet timor iudicij.58.a
de pręlato pulchrum dictum Augustini.172.b
in pręlato continentur omnes subditi.284.a
pręlati congruè dicũtur impositi super capita.166.b
pręlati cur foris & intùs oculis pleni esse debeant. 320.b
pręlati debent omnem iustitiam implere.59.a
pręlati negligentes dormientibus assimilãtur. 63.b
pręlati negligentes etiã in præsenti puniuntur. 64.b
pręlati non debent à subditis veniam petere.287.b
contra malos pręlatos.200.a
contra malos pręlatos grauis sententia. 60.a
pręmium nostrum. 116.a
pręposito ad regulę tenetur obseruantiam.420.a
pręposito inquietus & inobediens de monasterio expellatur.32.
pręposito qualis sit constituendus. 420.a
præpositus quandò deponendus.193.a
pręposito quis dicatur.281.b
præpositi nomen. 143.a
pręposito monasterij ordinet Abbas cum consilio fratrum.32.
prępositi monasterij.16.
pręsidentis iudicio committenda omnia. 563.b
pręsumendum nihil in opere diuino, nisi cui impositum fuerit.24.
pręsumptio propria, pręceptor pessimus.154.a
pręsumptionis indicia.102.b
precum vtilitas.585.
Primi hominis in paradiso felicitatis breuis descriptio.327.b
primogenita spiritualiter.119.b
principes cœnobitarum S. Paulus & Antonius.310.a
prioratus vel loca à congregatione separata, quę membra vocari solent, damnat. 67.a
priores quomodò vocandi.416.a
Probandus de quibus sit veniens ad conuersionem, & quę sint maximè attendenda circa quęrentem recipi.255.a
probandi sunt diligenter, qui in monasterium suscipiuntur.407.b
probatio monachorum vbi fiat.362.b
probatio religiosi.589.a
probationis argenti adaptatio ad hominem patientem.166.b
probationis in religiona susceptorum tres gradus. 269.a
probationis nouitiorum ante ingressum religionis secundùm Patrum institutum ratio, & quę nouitijs exponenda.256.b
probationis venientium ad conuersionem tres gradus.254.b

professionis forma.299.b
professionis temerariæ causæ diuersæ .157.b
professionis votum respicit principaliter tria, scilicet paupertatem, continentiam, & obedientiam: quorum transgressio semper obligat ad mortale.51.a
professioni contrarium facere, quis dicatur.52.a
professi, qui suadente diabolo egredi volebant de monasterio, exuti rebus monasterij, proijciebantur. Hodiè in eos proceditur secundùm gradus disciplinæ regularis, & ad vltimum recluduntur.28.
promissio infidelis & stulta displicet Deo.257.a
promittendi verbum largè sumitur.52.a
promptitudo ad pericula subeunda quomodò acquiratur.562.a
promptitudo qualis esse debeat ad mandata Dei exequenda.562.b
propheticus loquendi modus.578.a
propinquitas carnis non est præferenda sanctitati vitæ in monasterijs.61.a
propria voluntas quæ dicatur.293.b. & 344.a
proprietarius furtum facit.208.b
proprietatis amputatio ab ore monachi. & an dicere suum sit mortale.208.b
proprietatis mala nascentia.209.a
proprietatis vitium amputandum tripliciter.207.b
proprietatis vitium damnatur vbiquè. 253.a
proprietatis vitium detestabile.208.b
proprietatis vitium Prælati durè persequi debent. 210.a
circa proprietatis vitium plura notanda.208.b
ex proprietatis vitio tria mala.209.b
proprietati tria dant occasionem. 209.b
circa proprietatem an Abbas possit dispensare.210.b
circa proprietatem districta obseruantia Patrum. 207.b
circa proprietatem quædam notanda.211.b
proprij abdicatio districta.19.
proprij carentia in religioso.553.b
de proprium non habendo, ratio & argu. 207.b
prospectus animi nostri in quolibet opere. 541.b
prouidentiæ diuinæ munus.870.a
proximus quis.43.b.305.a
proximi dilectio.72.b
proximo nocemus tripliciter.75.a
proximo non nocere iubemur. 75.a
Prudentia mater omnium virtutum est. 37.
Psallendi disciplina in tribus consistit. 186.b
psallendi modus ex præscripto S. Augustini.590.a
psallere sapienter.566.a
psallens quomodò stare debeat.374.a
dum psallimus, propter multa reuerentiam habere debemus.187.a
psalmodia vt grata sit Deo, quatuor obseruanda. 233.b
psalmi quomodò psallendi.15.
psalmorum diuersi effectus.186.a
psalmorum ordo in diuino officio nocturno atque diurno.12.13.14.
psalmorum singulare.186.a
psalmos olìm Patres vna lectione singulis diebus absoluebant, quod modò vna septimana persoluitur. 15.
psalmis Dauidicis vtitur Ecclesia multis de causis. 185.b
psalterium est consummatio Theologiæ.186.a
psalterij etymon.186.a
Pudicus homo & Angelus differunt felicitate, non virtute. 136.b
pueri delinquentes, ieiunijs vel verberibus coercendi sunt.384.b
pueri quomodò offerantur monasterio 28.29.
puerorum correctio.18.
puerorum respectus.20.
in puerorum instructione duo attendenda.203.b
pueris ab omnibus imponenda est disciplina.273.a
pueros ad religionem suscipere erudiendos, laudabile est.268.b
pugna vndè dicta.310.b
pulmentarium & pulmentum.222.a
punitionis ordo, & circa eam plura sunt attendenda.197.a

Q.

Quadragenarius numerus quarè in ieiunio obseruetur.240.a
quadragesima quarè eo tempore anni obseruetur.240.b
quadragesimæ commendatio.240.b
quadragesimæ diebus quæ sint potissimùm agenda. 401.a
quadragesimæ obseruatio.25.
quadragesimæ obseruatio vndè ortum habuerit. 239.b
quadragesimæ tempore ad vesperam cœnandum. 22.
quadragesimæ tempore maximè bonis operibus est insistendum.241.a
Quietus quomodò quis possit esse.87.b
quinquagesimæ post Pascha diuersæ significationes.183.a

R.

Racha quid.573.b
radices non peccandi : Fuge, tace, quiesce. 155.b
ratio, quòd non omnia contenta in Regula, sint præcepta. 48.a
rationis & ratiocinationis discrimen.320.b
rationem reddendam, semper Prælatus cogitare debet. 67.b
Recidiuatio peccati, & vndè oriatur.552.b
reddendo malum pro malo, quid amittamus. 333.a
redemptionis humanæ opos.540.b
reformatio semper exosa fuit deformatis.436.b
regere animas, ardua res.65.b
regimen animarum, ars artium. ac ibidèm contra affectantes regimen.65.b
regno Dei quis sit idoneus. 117.b
Regula ante professionem studiosè est inspicienda. 257.a
regula à S. Benedicto quarè descripta 34.289.a
regula S. Basilij, benè viuentium monachorum, instrumentum virtutum.34.
regula S. Benedicti an in omnibus præcepti sit, an in quibusdam consilij, quæstio.35.36.
regula S. Benedicti in multis commendabilis.36.
regula cur sæpiùs sit legenda.421.b
regula dilectionis diuinitùs constituta quæ sit.323.a
regula hæc quam vtilitatem conferat, & cur hęc doctrina Regula dicatur, & quarè eam minimam appellet S. Benedictus. 290.a
regula in omnibus seruanda, & eam non integrè seruantes quibus sint similes.278.a
regula laude maiori quæ sit digna. 37.
regula, liber ratiocinij.284.a
regula tota quomodò dicatur cadere sub præcepto.49.b

regulam magiſtram in omnibus ſequi debent monachi.388.a
ad regulam aliquid pertinet dupliciter: directè, & indirectè.135.a
à regula non eſſe deuiandum. & contra conſuetudinem quorundam temerè à regula deuiantium. 237.b
à regula nullo tempore eſt deuiandum. 243.a
in regula aliquid continetur dupliciter.51.a
in regula S.Benedicti non omnia præcepti ſunt.48.a
in regula quomodò intelligi poſſit, quæ præcepti, quæ conſilij vim habeant.48.a
ſub regola S.Franciſci militant ſoli Minores.607.b
regularis diſciplina.306.b
regularis vita ab omnibus æqualiter eſt tenenda. 316.a
religio à religando appellata.48.b
religio contemnitur propter peccata fidelium. 577.b
religio dicitur ſchola,& quarè.69.b
religio diuitias peperit, filia ſuffocauit matrem. 431.b
religio eſt quaſi fornax quædam.56.b
religio ex duobus generibus hominum replenda eſt, & qui non ſint recipiendi ad religionem. 255.b
religio ſine ſilentio cui comparetur. 155.b
religionis finis, eſt perfecta charitate vniri Deo.48.b
religionis puritas in quo conſiſtat.509.a b
religionis ſanctæ inſignis commendatio. 608.a b. 609.a
religionis ſanctę ornamenta.610.b
religionis ſtatus eſt ſecurior, quàm ſtatus ſecularis. 50.b
religionis ſtatus non ſolùm perfectionem charitatis, ſed etiam perfectionem pœnitentiæ continet. 610.b
religionis ſtatus quid ſit. 48.a
religionis ſtatûs digniſſima commendatio. 208.a
religioni non eſt aptus nimis ſapiens.132.b
religionem intrantibus confeſſio generalis eſt facienda.261.b
ad religionem conuerſis, quandò teneatur ad debita.582.a
ad religionem ingreſſus præcipua cauſa, vt Deus ei pleniùs dominetur.134.a
ad religionem recipiuntur plerunquè in idonei, propter multas cauſas. 256.a
ad religionem venientes, qui & quomodò ſuſcipiendi & probandi.545.a
in religione alter alteri cur ſubijciatur.349.a
in religione perſeuerandi magna cauſa. 196.b
religioſus cùm aliquid facit vel dicit, neſciente aut nolente Prælato, fur eſt.125.b
religioſus equo comparatur.133.b
religioſus habitus infirmioribus pædagogus.549.b
religioſus infirmus maximè adiuuandus eſt, efficaciſſimo argumento.217.b
religioſus non ſemper peccat mortaliter, tranſgrediendo regulam.50.a
religioſus peccans, maiorem pœnam ſentit, quàm delectationem.367.a
religioſus quibus debeat ſua relinquere. 544.b
religioſus reputatur tanquàm mortuus. 84.b
religioſi defectus magnus.149.a
religioſi ſermo ſeptem conditiones habere debet. 173.b
religioſi vita circa tria verſari debet.236.b
in religioſi corde frequenter voluendum: Ecce nos reliquimus omnia.266.b
religioſo ſemper memorandum, ad quid venerit. 269.a
religioſi ad opera miſericordiæ, maximè corporalia, quomodò teneâtur, cùm eis proprium habere non liceat.83 b
religioſi antomaticè propter excellentiam dicũtur offerre holocauſtum. 612.a
religioſi cauere debent à mulierum munuſculis, & fures ſunt aliquid occultè tenentes. 299.b
religioſi cur rectè fratres ab inuicèm appellentur. 273.b
religioſi debent ſancti æſtimari.317.a
religioſi debent ſemper perfectiora inquirere & ſectari. 538.a
religioſi delinquentes poſt ſuſceptum religionis propoſitum, grauiter peccant.546.a
religioſi mortui ſunt mundo.95.a
religioſi non debent literas aut munuſcula occultè ſuſcipere.549.a
religioſi non ſunt de hoc mundo. 95.b
religioſi notabiliores ſunt, ſi vel paululùm delinquant.549.a
religioſi ſancti pauperes non ſunt peioris conditionis, quàm diuites ſeculares, in eleemoſynæ merito.83.b
religioſorum abuſio magna.102.a
religioſorum abuſio, qui ſe immiſcent rebus ſecularibus.85.a
religioſis declinanda ſecularia iudicia.545.a
religioſis impedimentum magnum, occupatio ſecularis.84.b
religioſos malè viuentes in religione multa aggrauant.266.b
remedium detrahentis. 43.b
remedium fragilitatis noſtræ. 45.a
repugnare, quid.285.a
requies noſtra non hic requirenda.564.a
requirens & intelligens apud Deum quis.360.b
reſiſtere, quid. 285.a
reſponſorium vndè dicatur.178.b
reuelationis vtilitas & patefactionis cogitationum ſpiritualibus Patribus.181.b
reuelationes diuinæ non proueniunt in turba.156.a
rex propriè, Chriſtus Dominus: abuſiuè, Sancti dicuntur.293.b
Rigor & lenitas ſimul habenda.276.b
rigor indiſcretus quantum mali efficiat.276.b
riſus abeſſe debet à monachis.157.a
riſus homini cur nõ penitùs prohiberi poſſit.342.b
riſus moderatus non prohibetur. 126.a
Ruthenorum Apoſtolus Hilarius & Adelbertus, monachi Ordinis S.Benedicti.522.a.523.a

S.

SAcerdotis quinque propria. 272.a
ſacerdotes cur non ſint citò ad monaſterium admittendi. 412.a
ſacerdotes & clerici quomodò ſuſcipiendi in monachatum.29.
ſacræ lectionis vtilitates quot, & quæ.343.a
ſacrificium ſale condire, moraliter.168.a
ſacrificium triplex.618.a
ſacrilegi dicuntur, qui non Dei gloriam, ſed propria quærunt.577.a
ſacriſtæ officium & conditiones.333.b
pro ſalute animarum orandum. 383.a
ſanctificatio noſtra quæ.574.a
ſanctimonialiũ Præfectus rariùs eas videre debet, & breuis eius ſermocinatio eſſe debet. 581.b

ſanctitas aliena non reddit nos commendabiles, ſed ad imitationem eorum, qoos veneramur, nos reddit intentos.505.b
ſancti Canoniſati ordinis S. Benedicti, vſq; ad tempora Ioannis xxij. erant 15559. 429.
ſancti cur hic diligant vilitatem. 364.a
ſancti quarè in bonis operibus quandoquè impediantur.583.a
ſancti quarè quandoquè non exaudiantur.41.a
ſancti ſoli bona ſua non vident.171.b
ſanctos benè laudat, qui eos imitatur. 509.a
ſanctorũ exempla, norma ſunt vitæ humanæ.425.b
ſanctorom vitæ ad imitationem virtutum quomodò nos inducant, apta ſimilitudo.585.
ſanorum felicior ſtatus, quàm infirmorum.215.a
nimis ſapiens non eſt aptus religiooi.132.b
ſapientiæ conſummatio.115.a
ſatanas an poſſit bona opera vel propoſitũ bonum in nobis impedire. 583. a
ſatiari quis ſciat.348.a
ſatisfacere nolentis vindicta.559.b
ſatisfaciendi diuerſa forma. 232.a
ſatisfactionis forma eius, qui pro graui culpa excommunicatur. 231.a
ſatisfactionem nolentis accipere, cùm offertur, reatus.559.b
ſaturari panibus, Prouerb.xx. quid ſit.298.b
ſarabaitæ monachi deteſtabiles.3.
ſarabaitæ qui ſint.56.a
ſarabaitæ qui vocentur.311.a
Scala noſtra ad cælum quandò erigatur.356.a
ſcala vndè dicta.356.a
ſcandalum eſt cauendum.230.a
ſcandalum puſillorum tantùm eſt, quia magni non ſcandalizantur.205.b
ſcapulare.250.b
ſcapulare propter opera.27.
Schola, Græcè vacatio.46.a
ſchola quid. 308.a
ſcholæ diuini ſeruitij principalis intentio. 46.b
Scientiæ ſcripturarum inſigois commẽdatio. 166.a
Scopus interpretis in explicatiooe regulæ S. Benedicti.47.a
Scriptura eſt ſpeculum.127.a
ſcriptura ſacra eſt quaſi alueus.127.a
ſcripturæ ſanctæ nihil oportet addere, vel minuere 550. a
ſcripturarum ſanctarum lectio. Lectioni ſuccedat oratio.585.
Scrutari Deus corda noſtra quandò dicatur, quandò renes ooſtros. 358. b
Scurrilitae vndè dicta. 156.b.
ſcurrilitates à monachis alienæ prorsùs ſint.354. a
Seculares quandoquè meliores, quàm clauſtrales. 101. b
ſeculo fidem quis ſeruet.311.a
ſenes venerandos, & qui ſenum nomine intelligantur.142.b
ſenes honorandi decem modi.142.b
ſenum & infantium quanta cura habenda. 392.a
ſenum reſpectue.20.
ſenior quis.69.b
ſeniores geminam dilectionem debent iunioribus. 347. a
ſeniores qoomodò debent iuniores diligere.143. a
ſeniores quomodò vocandi.416.a
ſeniorum cura. 24.
ſeniorum veneratio in duobus ſita eſt.346.b
ſenibus compatiendum.219.b
ſenium. 203.b
ſenſus proprius quis ſit.133.b
ſenſus ,pprius valdè periculoſus eſt in religioſo.133.
ſenſus diſciplinales, viſus & auditus.38.a
ſenſus qui faciliores ad peccatum.284.b
ſepelire mortuoe quales debeant monachi. 329.b
ſequi Chriſtum, quid ſit.326 a
ſequi veſtigia Chriſti, quid ſit. 326.b
ſermo correptionis, eſt clauis apertionis 313.b
ſermo maledicus, & detractio quæ & qualis.555.b
ſermo malus non poteſt procedere de corde bono, neque bonus de corde malo.556.ab
ſermo mooachi qualis eſſe debeat.341.b
ſermonis etymoo.293. a
ſermonis puritas.125.a
ſerpentis capot conterere, ſpiritualiter.119.b
ſerpentis caput quandò, & à quo cooteratur. 295. a
de ſerpente Phyſicum.119.b
ſeruire ſibi mutuò fratres debent, propter tria exempla & tres rationes. 216.b
ſerui illius ſumus, cuius opera facimus.568.a
ſeruorum Dei magna commendatio.565.b
ſeruorum duo genera. qui boni, qui mali.297.b
ſeruis Dei largè prouidendum eſt circa neceſſaria. 214. a
ſeruis Dei nihil defuturum, & vndè confidentiam hanc concipiant.67.b
Signo ad opus Dei, vel menſam dato, litera incepta relinquenda.397.a
ſigna bonitatie Dei in nos.44.b. 45.a
ſigna, ex quibus colligitur, Prælatum magìs de tranſitorijs, quàm de animabus curare.66.b
ſilentium amandum eſt propter decem.154. b
ſilentium bonum quandò.572.a
ſilentium cuſtos virtutum. 154.b
ſilentium facit ad perfectionem hominis.155.b
ſilentium in Oratorio. 25.
ſilentium monachorum.8.
ſilentium multùm valet ad fortitudinem ſpiritualem.155 b
ſilentium poſt Completorium, & maximè nocturnis horis.22.
ſilentium tempore meridianæ dormitionis. 235.b
ſilentij digna laus. 156. a
ſilentij diſtrictio poſt Completorium.22.
ſilẽtij diſtrictio apud ſanctos Patres, in menſa præcipuè.221.a
ſilentij diſtrictio in Choro.572.b
ſilentij murum non habens monachus, facilè ſuperatur à dæmone 341.b
ſilentium frangentie poſt Completorium pœna, & in quibus loqui nocturnis horis poſſit licere. 229. a
per ſilentium ſeruatur deuotio.156.a
in ſilentio magna Patrum obſeruantia.190.b
de ſilentio, gentilium exempla. 155.a
ſimilitudo pulchra 357.a
ſimonia propter ignorantiam committitur.238.b
ſingularitas, ſuperbiæ filia.102.b
ſirenes moraliter.259 a
Sobrietatis encomia.107.b
ſocietas malorum nocet. 548. a
ſocietatis ſanctæ triplex adiutorium.53.b
ſocietate iuuatur homo.56.a
ſolicitudo ad opus Dei. 24.
ſolicitudo ſecularis quæ.557.b
ſolitaria vita quandò præeminet vitæ ſeculari.56.b
ſolitaria vita quibus conueniat.55.b
ſolitariæ vitæ multa pericula. 543.b

solitariam vitam aggredi, quàm sit periculosum. 56.a
solitarij multa pericola. 311.b
solitudo prodest ad conseruandam memoriam Dei. 542.a
solitudinis appetendæ iniusta causa. 543.a
somniorum causæ. 194.b
somnolentia quæ detrimenta adferat. 336.b
somnolentia quid sit, & quòd multiplici de causa vitanda. 108.a
somnolentiam comitatur carnalis tentatio. 177.a
contra somnolentos. 194.b
somnus animæ quid. 336.b
somnus religiosi. 586.
ad somni leuitatem duo iuuant. 194.b
somnum diligere, Prouerb. xx. quid. 298.b
sorores quomodò inuisendæ. 578.a
Spes diuersorum fallax. 111.b
spes quid, & vndè dicta. 337.b
spem & formidinem habere debet iustus. 338.a
spem nostram Deo committimus, propter multa. 111.b
secundùm spem nostram adiuuamur à Dño. 262.a
Spinæ pungentes. 181.a
spiritus & caro diuersa requirunt. 80.a
spiritus sanctus, cur spiritus, cur sanctus nominetur. 299.a
spiritûs & carnis discrimen 326.a
spiritum quandò contristemus. 296.b
Stabilitas ad quid adstringat. 259.b
status religionis est securior, quàm secularis. 50.b
Stultitia bona. 583 b
stultitia propriè. 234.a
Subditus quandò Dñi sermones post se ꝓijciat. 315.a
subditus quandò odio habeat disciplinam. 315.a
subijciatur alter alteri in religione cur. 349.a
superbia. Vide, Elatio.
superbia, causa peccatorum omnium. 335.a
superbia cur sit omni vitio deterior. 414.b
superbia cur sit omnium peccatorum maximum. 354.b
superbia destruit bona omnia. 104.a
superbia detestãda duodecim de causis, maximè religiosis. 103.b
superbia duplex. 335.b
superbia est mater inuidiæ. 139.a
superbia est maximum peccatum. Regula & probatio eius. & dicitur maximum peccatum, quintupliciter. 103.b
superbia, & eius curatio. 558.a
superbia gignit arrogantiam. 385.a
superbia magna est, proprium iudicium præferre communi. 68.b
superbia magna, vt vnus homo toti congregationi suum consilium præponat. 133.b
superbia meritò displicet Deo. 105.a
superbia origo omnium criminum, & ruina omnium virtutum. 354.b
superbia quadruplex in religiosis. 101.b
superbia quæ mala gignat. 335.a
superbia quàm grauis in homine. 106.b
superbia quarè odibilis hominibus. 105.a
superbia quarè odibilis, humilitas amabilis dicatur, digna ratio. 75.a
superbia quibus indicijs depręhendatur. 335.a
superbia summum monachi vitium est. 354.a
superbiæ definitio. 101.a
superbiæ gradus duodecim. 102.a
superbiæ malum. 609.a. 610.b
superbiæ origo, ignorantia sui. 171.a
superbiæ species quatuor. 101.b
superbiæ assimilatur terręmotûs causa. 104.a
contra superbiam remedia. 105.b
ex superbia hęreses. 104.b
ex superbia quæ mala oriantur. 104.a
contra superbientem hominem. 165.a
superbire quis dicatur. 285.a
superbos omnis tyrannidem exercet. 382.a
superbus quis. 576.b
superbi & humilis duplex discrimen. 305.b
superbi hominis descriptio. 104.b
superbi miseria. 106.a
superbi signum. 558.a
superbum cur humilitas sequatur. 354.b
superbi ac duri vt sint corripiendi. 317.a
superbi monachi qui dicantur. 385.b
superborum pœna. 105.a b
superfluitas rerum clericis maximè cauenda & religiosis, sex rationibus. 213.b
contra superfluè expendentes. 213.b
superfluum duplex. 213.a
superiores quomodò alios ęstimemus nobis. 78.a
surgendum ad preces matutinas quandò sit monachis. 368.a
suscipiendi in monasterium, diligenter sunt probandi. 407.b
suscipiendorum fratrum disciplina. 27.
suspensio in grauioribus culpis. 17.
suspicio maximum malum. 277.a
sustinentia præsens modica est. 100.b

T.

TAbernaculum propriè. 42.b
tacendo citiùs, quàm loquendo, culpa refugitur 353.b
tacendum cur sit post Completorium. 396.a
tacendum quibus temporibus. 124.b
tacere priòs, posteà loqui. 184.b
taciturnitas aliquandò vitiosa, & in quibus. 155.a
taciturnitas cur dicatur humilitatis virtus. 353.a
taciturnitas in monacho qualis esse debeat. 8.
taciturnitas propter bonũ pacis necessaria est. 156.a
taciturnitas qualis sit virtus. 352.a
taciturnitas vsquequò necessaria. 578.a
taciturnitas. Vide, Silentium. 155.a
talentum abscondere quis dicatur. 580.b
Temerè quandò quis loquatur. 457.a
temperantia experientiam requirit. 877.b
tempus benè operandi. 45.b
tempus, quo nihil est preciosius, non est inutiliter amittendum. 156.b
tempus seminandi, præsens vita. 45.b
tempora vndè & cur dicantur. Temporis diuisio, & nomina. Annus, mẽsis, dies hora &c. propriè non sunt tempus. 296.b
temporalium cura inordinata, quæ mala importet. 66.a
tenacitas in distribuendo vitanda est, octo rationibus. 213.b
tenebrę interiores & exteriores quæ dicantur. 300.a
tenebræ vndè dicantur. 300.a
tenebrarum nomine quid intelligendum. 300.a
tentationis principio est resistendum. 119.b
tentationis, Sanctorum ratio. 583 b
terra fructifera dicitur beata Virgo. 176.a
terram suam quis strenuè operetur. 300.a
terrena bona modicę bonitatis esse, argumẽtũ. 86.b
terrenarum rerum occupatio quo remedio tollatur. 570.a.

terrena vana sunt & mendacia, modica, nihil sunt. 86.a
terrenis qui abundat, obliuiscitur cælestia. 86.b
testimonium falsum quomodò & quandò dicatur. 77.a
testimonij falsi deformitas. 77.a
testimonij falsi nominæ quid interdicatur. 77.a
testis falsus quibus personis noceat. 325.b
Thesaurus bonus quis est. 572.a
Timenda tria. 113.b
timere Deum, quid. 163.a
timor Dei, in gradibus humilitatis, primus est. 9.10.
timor Dei quarè initium sapientiæ. 160.b
timor Domini cur rectè constituatur primus humilitatis gradus. 356.b
timor Domini est nostræ salutis principiũ, est causa religionis. 160.b
timor Domini quis, qualis sit, & quid efficiat. 299.a
timor est fundamentum fidei, charitatis origo, per ipsum fit bonum & peruenitur ad præmium. 160.b
timor filialis sius castus, & de eius differentia cum seruili. 161.b
timor initialis. 161.b
timor iudicij & pauor gehennæ. 112.b
timor qui est propter peccata & offensam, duos oculos habet. 131.a
timor seruilis. 161.a
timor seruilis est via ad charitatem. 161. a b
timoris commendatio. 289. a
timoris Domini memoria quot quãtáque bona adferat. 357.a
timoris affectus tres. 162.b
timoris & memoriæ mandatorum Dei commendatio. 160.a
timoris humani & Dei triplex discrimen. 299.a
timoris species quatuor. 161.a
ad timoris commendationem sex rationes. 160.a
ad timorem Dei quomodò excitamur. 572.b
ad timorẽ nos inducere debẽt tres cõditiones. 162.a
Tolerantiæ perseuerantia multis authoritatibus scripturæ sacræ confirmatur. 165.b
tonsura quid significet. 56.b
Transgressio legis diuinæ non quælibet est mortale peccatum. 50.a
Tribulatio myrrhæ assimilatur. 168.a
tribulatio non nocet, sed magis prodest. 167.b
tribulatio omnis debet esse fidelibus cõsolatio. 90.
tribulatio vndè suscitetur monacho. 329.b
tribulationis vtilitates septem, secundùm septem proprietates ignis. 167.a
tribulationis vtilitas singularis. 168.a
per tribulationem pulchrum de immutatione hominis. 167.b
in tribulationibus sancti gloriantur. 97.b
tributo qui sit obnoxij. 150.a
tristari Deus quomodò dicatur. 196.b
tristitia quæ secundùm Deum, & quæ secundùm seculum. 557.a
triumphus hominis proprius. 149.a
Tunica. 250.b
tunica Ioseph quid designet, Genesis xxxvij. 295.b
tunica talaris quis ornatus dicatur. 295.b
turbulentus homo. 294.b
turbulentus quis sit. 277.a
Typographicæ artis vtilitas commendatur. 465.b
tyrannidem exercet omnis superbus. 388.a

V.

VAcatio à terrenis necessaria est monasticæ disciplinæ incumbenti. 46.a
vagantes corde reprehenduntur. 188.a
vagatio mentis quædam non tollit fructum orationis. 189.a
vagatio mentis quãdò sit peccatum mortale, quandò veniale. 189.a
vagatio mentis vndè, & remedium aduersùs eam. 554.b
vana gloria inter immunda & penitùs detestanda numeratur. 120.a
vana verba quæ dicantur. 342.a
vaniloquiũ à monachis studiosè cur cauendũ. 342.a
vanitas vbi moretur. 342.b
Vectes oris, moraliter. 125.a
veneratio seniorum in duobus sita est. 346.b
verbum otiosum. & pauenda sententia contra verba inania. 156.b
verba monachi qualia esse debeant. 366.a
verba risui apta. 126.a
verba vana quæ dicantur. 342.a
verba vana quæ sint. 126.a
veritas est omnium forma. 93.a
veritas in quibus sit 333.a
veritas non est omittenda propter scandalum. 64.a
veritas perfecta. 43.a
veritatem audire, quàm prædicare, tutius est. 354.a
veritatem loqui in corde, quid sit. 304. b
veritatem semper loqui debent monachi 332.b
vermis nomine quid Isaias intelligat. 298.a
vermi cur conferatur monachus. 365.a
vestigia Christi sequi, quid sit. 326.b
vestimentorum dispensatio apud religiosos. 250.a
vestimentorum luxuria damnatur. 549.a. Vide, Indumentum.
vestimentorum varia supellex improbatur. 549.b
vestire virtutibus cur se quisque debeat. 328.b
vestis monachi. 585.
vestium asperitas. 137.a
vestium color, mensura, & custodia. 251.a
vestiũ superfluitas in religioso reprehẽditur. 258.b
vestium vilitas amenda religioso. 250.b
vestium vniformitas in religiosis. 252.a
vestitus monachorum qualis. 86.87.
Via lata ad mortem, & porta arcta, quæ ducit ad vitam quomodò. 572.b
via salutis initio angusta & laboriosa, progressu conuersationis inenarrabili dilectionis dulcedine curritur. 2.
via virtutis difficilis in principio, & quarè. 46.b
viæ vitæ angusta describitur. 46.a
viam primam perfectionis impugnauit Vigilãtius hæresiarcha: secundam, Iouinianus: tertiã, quidam hæretici tempore D. Thomæ. 613.a
vias suas quis custodiat. 352. b
vigilare anima quę dicatur. 298.b
vigiles esse debemus, & de eo figura. 118.b
vigiliæ nocturnæ, & earum ordo. 11.12. & 586.
vigiliæ multùm faciunt ad continentiæ puritatem. 175.a
vigiliæ sunt magni meriti, & sunt salubres corpori. 177.a
ad vigilias surgere libenter, laudabile est propter multa. 176.b
post vigilias quid primùm faciendum. 195.a
de vigilijs pulchræ authoritates. 195.a
viliorem & extremum omnibus se alijs credere quomodò potest. 172.a

vili-

Vilitatem cur hic diligant sancti.364.a
vinum cur creatum sit.335.b
vinum immoderatè sumptum, omnia bona exterminat tam gratiæ, quàm naturæ.107.a
vinum non esse monachorum.21.
vinum non esse monachorum, vbì legatur.226.b
vini abusus multa mala importat.227.a b
vini bemina.21.
vino temperato est vtendum.226.b
inter vina scire discernere, turpe monacho.227.b
vir in sacra scriptura quis dicatur. Iob.xxxviij.303.a
virtus assiduitate iucunda redditur.258.b
virtus vndè dicitur.39.a
virtutis atque probitatis magna vis.74.b
virtutis definitio.69.b
virtutis, & mali definitio.239.a
virtutes omnes in nobis insitas babemus.539.a
virtutes quarè dicantur arma fortissima.39.a
virtutibus cur se quisque vestire debeat.318.b
visionis diuinæ in æterna vita magna commendatio.116.b
visitat infirmos, qui monachis eleemosynam præbet.329.a
visus & auditus, sensus sunt disciplinales.38.
visus præcipuè custodiendus.137.a
vita actiua & contemplatiua.235.a
vita æterna cur à monachis vehementer desideranda.339.b
vita æterna desideranda, & duodecim eius considerationes.115.a
vita æterna quibus detur.45.b
vita communis, stadio comparatur.544.a
vita & mors in lingua.353.b
vita præsens, tempus seminandi: alia vita, non operis, sed mercedis.45.b
vita quæ sit dicenda.115.a
vita vera quæ, cur dicatur.501.a
vita vndè dicatur.301.a
vitæ æternę commendatio de immensitate iocunditatis.117.a
vitæ æternæ descriptio.298.a
vitæ æternæ & præsentis multiplex discrimen.301.a
vitæ æternæ inæstimabilis delectatio.116.b
vitæ communis commoditas singularis.543.b
vitæ communis securitas.53.a
vitiæ communis vtilitas.542.b
vitæ perfectio triplex, cui deseruiunt tria vota religionis.612.a
in hac vita cur flendum, non ridendum.342.b
vitium ibi est, vbì deest bonitas.322.b
vitiorum incentiua.120.a
vitiorum omnium remedium.558.b
viuere secundùm virtutem, quid.539.a
viuere sius magistro, periculosum est.57.b
Vniformitas obseruetur in omnibus.179.b
vnum sentire.588.a
Vocatio Dei septuplex.41.a
vocatio duplex: ad fidem, & religionem.304.a
voluntas mala triplex.39.a
voluntas propria culpam habet.561.b
voluntas propria etiam in actu laudabili quandoquè grande malum.172.a
voluntas propria hominis, fons & origo est totius mali.131.b
voluntas propria multiplicem habet pœnam.164.a
voluntas propria multipliciter nocet, qua cessante, & infernus non erit.134.a
voluntas propria odio habenda, quatuor rationibus. & magna propriæ voluntatis execratio.131.a
voluntas propria quæ dicatur.344.a
voluntas propria resecanda.552.b
voluntas propria tollit meritum, nec inter virtutes reputatur, quod monachus propria voluntate facit.131.b
voluntas vndè dicatur, & quid sit, quid etiam propria voluntas.293.b
voluntatis propriæ abrenunciatio.164.a
voluntatis propriæ malum.563.a
voluntatis propriæ similitudo, & eius fructus.131.b
voluntatis propriæ tria damna.242.b
voluntatem propriam sequentes, quomodò confundantur.134.a
voluntatem propriam tantùm punit Deus.164.b
ad voluntatem propriam non amandam ex tribus hortamur.164.a
voluntatem suam quandò faciunt homines, quandò non.164.a
voluntate propria nihil agendum.579.a
voluntas propria nihil durius, nihil onerosius.131.b
Votum determinatum cadit sub certo.603.a
votum Domino Deo cum gaudio offerẽdum.401.b
votum introducit debitum.150.b
voti impletio cadit sub præcepto.51.b
voti transgressor quandò aliquis dicatur.51.b
ex voto aliquid facere, laudabilius est & magis meritorium, quàm sine voto.613.a b
vox auditorum corda quæ penetret.312.a
Vsus duplex.211.a
vsus iurandi fugiendus.322.a
Vtilitas cõmunis præferenda etiam deuotioni propriæ.565.b

Z.

ZElus amaritudinis, grande malum est.424.b
zelus bonus.138.a
zelus bonus in octo debet exerceri.288.a
zelus bonus quæ bona tribuat homini.424.b
zelus bonus separat à vitijs & ducit ad Deum. & quomodò eo vti debeat monachus.34.
zelus Dei quomodò in nobis cognoscatur.561.a
zelus est appetitus vindictæ secundùm ordinem rationis.89.b
zelus malus, est inuidia.138.a
zelus secundùm seculum.138.b
zeli boni tres effectus.287.b
zeli mali detestatio.287.b
Zona duplex monacho necessaria.324.b
zona pellicea circa lumbos, ij.Reg.j. & zona aurea circa pectus, Apocalyp.ij. quid designent.303.a
zonæ aureæ confertur castitatis pulchritudo.324.b
zonæ vsus, & eius conuenientia.549.b

Aduertat Lector, admissum esse alicubi errorem, vitio archetypi, in assignando numero Tractatuum D. Cardinalis: eum sic emendabit, vt pagina 57. pro TRACTATVS X. *substituat,* TRACTATVS IX. Vbi de Abbatis qualitate, *pag. 60, pro XI. legat X. & ità deinceps, vt ordo postulabit.*

INDEX NOMINVM VIRORVM ILLVSTRIVM ORDINIS S. BENEDICTI, QVOS TRITHEMIVS RECENSET.

A.

Abel Rhemensis Archiepiscopus 503.b. 523.a
Acharius Catalanensis episcopus 533.b
Adam abbas de Persenna 453.a
S. adamannus monachus 485.a
S. adamannus abbas 488.b
S. adamarius abbas Cluniacensis 496.b
S. adela virgo 490. a
S. adelarius martyr, Bonifacij socius, Erfordiensis episcopus 492.a. 525.b
S. adelbertus martyr, Pragensis archiepiscopus 497.b 530.b
S. adelbertus monachus Epternacensis 503.b
adelbertus Magdeburgensis 1. archiepiscopus 522.a
adelbertus Ruthenorum archiepiscopus 523 a
adelholdus monachus Lobiensis, Traiectensis episcopus 451.a. 531.b
S. adelboldus Vuintoniensis episcopus 530.b. 497.b
S. adelgarus archiepiscopus Bremensis 496.a
S. adelbardus abbas 499.b
S. adelbertus monachus martyr, S. Bonifacij discipulus 492.b
S. adelmus episcopus 446.a. 487.b. 528.a
S. adelmus monachus 505.b
S. adelphus abbas 460.a. 504.b
S. adeodatus Papa 488.b. 511.b
S. adeodatus abbas 504.a
S. ado monachus 481.b
adomannus abbas 442.a
adrenaldus, qui & Adelbertus, monachus Floriacensis 449.a
S. adrianus abbas 484.a
S. Agathon 1. Papa 488.b. 511.b
S. agnellus abbas 499.b
S. agilus abbas 481.b
S. Aidanus abbas 478.b
aidanus Lindesfarnensis episcopus 525.a
Albo Floriacensis abbas 450.b
S. albericus episcopus Traiectensis 502.b. 530.b
S. albertus monachus 505.a
albertus abbas Gemblacensis 452.a
albertus monachus Metensis 453.a
S. albinus Andegauensis episcopus 491 a 528.b
S. albuinus Frislariensis episcopus 529.b
S. alcuinus siue Albinus abbas Turonensis 444.a. 494.b
S. alfridus episcopus Hildeshemensis 495.b. 530.a
algerus monachus Corbeiensis 454.b
almannus monachus 448.b
S. alowinus monachus, qui & Bauo 478.a
alphanus monachus Caßinensis 454.b
alphanus Sepontinus episcopus 522.b
almannus Pataniensis episcopus 533.b
S. altanus monachus 481.a
S. Amatus abbas, martyr 5c4.b
S. amatus abbas 481. a
S. amandus episcopus Leodiensis 476.b. 525.a.
S. ambrosius Augaunensis abbas 501.b
ambrosius Terracinensis episcopus 531.a
S. amelberga sanctimonialis 493.b
S. amnichardus monachus 499.a
amonius monachus 450.a
amularius monachus 448.a
S. amulwinus Lobiensis episcopus 500.b. 530.b
S. Anastasia abbatissa 495.a
S. anastasius martyr 479.a
andelgarius Bremensis archiepiscopus 521.a.
andreas monachus Spanheimensis 464.a.
andreas monachus, Cardinalis 463.a. 516.a
S. angadrisma abbatissa 481.b
angelomus monachus 447.b
anscarius Bremensis archiepiscopus 520.a
ansegisus abbas Lobiensis, Senonēsis archiepiscopus 448.a 520.b
ausbertus Rothomagensis archiepiscopus 517.b
ausbertus monachus 458.a
S. anscarius episcopus 495.a
anselmus monachus Rhemensis 454.b
S. anselmus Cantuariensis archiepiscopus 457.a. 523.a. 506.a
anselmus Sueßionensis episcopus 533.b
S. ansuerus abbas martyr 503.b
S. antonius monachus, discipulus S. Gregorij 473.a
S. Apollinaris abbas 505.a
S. Aridius abbas 474.b
arnulphus monachus 455.a
arnulphus Bituricensis archiepiscopus 520.b
S. arnulphus episcopus Sueßionensis 506.a
S. Attalus abbas 479.a
S. Ausbertus episcopus Rothomagensis 482.a
S. audomarus episcopus Teruanensis 482.b. 527.a
S. ausfridus episcopus Traiectensis 503.a
S. augustinus episcopus Cantuariensis 477.a. 516.b
S. aurea abbatissa 480.b

B.

Aldericus monachus 488.b
Bbardo Moguntinus archiepiscopus 499.a. 523.a
balduinus Bremensis archiepiscopus 524.a
S. basilissa abbatissa 495.a
basinus Treuerensis archiepiscopus 419.b. 518.b
S. basolus abbas 476 a
S. balthfridus monachus 488.a
S. batildis monialis 483.b
S. Beda venerabilis, & quare venerabilis nomen ei impositum 431.a. 442.b. 489.a
S. Benedictus ordinis institutor, à quo Benedictini nomen benedictionis hereditārūt 427. 439. Natus anno Domini 480. conuersus ad monasticam vitam anno ætatis suæ 14. Moritur anno 542. ætatis suæ 62. Indict. 5. 21. die mensis Martij, vel secundùm Marianū Scotum

anno 601. Indictione 4. ætatis suæ plus minus 90. pagina 439.a. 467.
S. benedictus cum quatuor alijs martyribus 504. b
S. benedicta abbatissa 500. b
S. benedictus abbas in Anglia, Venerabilis Beda præceptor 442 b. 488. b
benedictus Cardinalis 514. b
S. berchari us abbas 483. a
berchualdus Cantuariensis archiepiscopus 518. a
bernardus monachus Corbeiensis 459. a
bernardus abbas Caßinensis 462. b
bernardus monachus Cluniacensis 455. a
bernardus Paderbornensis 534. b
bernardus Cardinalis 515. a
bernardus Maßiliensis, Cardinalis 516. a
S. berno abbas Gigniacensis 496. a
berno abbas Augiensis 452. b
S. bertarius abbas Caßinensis, martyr 505. b
bertorius Caßinensis abbas 452. a
bertrannus monachus 448. b
S. bertolphus abbas 504. b
bertolfus Treuerensis 520. b
S. berwardus episcopus 498. a
Birinus Dorcicensis episcopus 525. b
S. Boisilus monachus 485. a
S. bonifacius archiepiscopus Moguntinus & Vltraiectensis, martyr 519. b 431. a. 443. b. 495. b
bonifacius 3. Papa 511. b
S. bonifacius 4. Papa 488. a
boso Mersburgensis episcopus 531. a
bosa Eboracensis archiepiscopus 518. a
S. boso monachus, sancti Bonifacij discipulus, martyr 492 a
Brandagus Halberstatensis episcopus 531. b
S. brendanus abbas 474. a
S. bruno Ruthenorum archiepiscopus, martyr 523. a
bruno Ratisponensis 535. b
bruno Verdensis episcopus 533. a
bruno Verdensis episcopus 532. a
Burckardus Wormatiensis 534. b
burckardus episcopus Wormatiensis 452. a
S. burckardus episcopus Herbipolensis 493. a. 529. a

C.

Candidus monachus 501. a
S. caprasius abbas 502. a
carolus Moguntinus archiepiscopus 521. a
S. caßiodorus Senator, ordinis S. Benedicti monachus 471. a 431. a. 439. b
S. Cæsarius episcopus Arelatensis 442. a. 480. b. 527. b
S. cæcilia abbatissa 504. b
Ceadda Eboracensis archiepiscopus 518. a
S. cedda Lindesfarnensis archiepiscopus 484. a. 518. b
cedda Lindesfarnensis episcopus 526. a
S. ceolfridus abbas 489. a
S. Chalnoaldus episcopus Meldensis 479. a
S. chillenus monachus 479. b
christianus monachus 451. b
S. Clarus abbas 499. a
claudius monachus 445. a
claudius abbas 445. a
clemens Papa sextus 463. a
S. Cobanus episcopus, S. Bonifacij coadiutor in episcopatu Traiectensi, martyr 492. a
colachus Merciorum in Anglia episcopus 526. a
S. colonatus monachus, martyr 485. b
colomannus Nordanymbrorum episcopus 526. b
S. columbanus abbas Luxouiensis 440. a. 473. b
S. columbinus abbas 480. a
comanus episcopus Rofensis 525. b
conradus de Rodenberch abbas 464. a
S. conegundis virgo Imperatrix 500. a
S. constantinus abbas, S. Benedicti discipulus 471. a
constantinus monachus Caßinensis 452. a
Cuno Ratisponensis 535. a
S. cuthbertus episcopus Lindesfarnensis 485. a. 527. b.
Cymbertus Vectiorum episcopus 528. b
S. cyprianus abbas 500. a

D.

Deocarus abbas 498. a
S. deusdedit abbas 501. b
S. deusdedit Cantuariensis archiepiscopus 517. b. 491. b
S. deicolus abbas 478 a.
Diegerus Metensis episcopus 535. a
diemo Saltzburgensis archiepiscopus, martyr 523. b
diethardus Hildeshemensis episcopus 530. a
dionysius Exiguus abbas Romanus 439. b
S. disibodus episcopus. 502 b
S. Dodo monachus 501. a
donatus Vesontinus episcopus 533. a
S. donatus abbas. 471. a
S. domitianus abbas 503. b
Drogo Cardinalis 515. a
drugo Metensis episcopus 532. a
Durandus Tolosanus episcopus 534. a
S. dunstanus Archiepiscopus 496. b. 521. b

E.

Eatta Hagustaldensis episcopus 485. a. 527. b
S. earconwaldus episcopus 484. b
S. Eberhardus monachus 497. a
S. ebertrannus monachus 483. a
Ecbertus abbas S. Florini 461. a
S. Edeldrudis virgo 484 b
S. edilberga abbatissa 479. b
S. edilburga abbatissa 484. b
edbrechtus Australium Saxonum episcopus 528. b
edilwaldus Lindesfarnensis episcopus 528. b
edilwinus episcopus Huensis 526. b
S. Egelnotus episcopus 499. a
S. Aegidius abbas 443. b 490. b
egilbertus Dorcicensis episcopus 525. b
S. egbertus monachus 485. b
Ekardus Pragensis archiepiscopus 522. b
S. Elbo archiepiscopus Senonensis 493. b
eleutherius Ventanus episcopus 526. a
S. eleutherius 472. b
S. elisabeth Schonaugiensis abbatissa 461. a 507. a
S. elphegus Cantuariensis archiepiscopus 498. 522. b
S. eltutus abbas 475. a
Emundus monachus 459. b
Engelbertus abbas 456. b
S. Equitius abbas 472. a
S. Eracongota sanctimonialis 478. b

eckardus abbas 458.a
erckenbaldus Moguntinensis archiepiscopus 522.b
ercunwaldus Londoniensie episcopus 527.a
S. erembertus Tolosanus episcopus 502.a. 532.b
S. erentrudis abbatissa. 495.b
erhardus monachus 453.a
ericus monachus 450.a
S. ermefridus monachus 504.b
S. erwaldus monachus, martyr 488. a
S. Ethbinus monachus 475.b
Eucherius Aurelianensis episcopus 494.a. 529.a
eugipius abbas 440.a
S. eustasius abbas 479.a
S. outicius 472.b
eutropius abbas 441.b
SS. ewaldi duo martyres. 487.b

F.

Fara abbatissa. 478.b
S. faustus, S. Benedicti discipulus 439.a. 469. a
S. Felix monachus, martyr 502.b
Flaualdus monachus Rhemensis 451.b
florus monachus S. Trudonis 448.a
S. Foilanus martyr 481.a
Franciscus Gebenensis Cardinalis 515. b
franco abbas Hafflingensis 457.b
freculphus episcopus Lexouiensis 446.b. 529.b
S. Furseus abbas 480.b

G.

Galla virgo 472.a
S. Gallus abbas 479.b
S. gallus monachus 473.a
gandoaldus Meldensie episcopus 525.a
gailbaldus Ratisponensie episcopus 532.a
gaudentius Pragensis archiepiscopus 52e.b
Gebehardus Constantiensis episcopus 533.b
gebehardus Spirensis episcopus 534.a
gebehardus Augustensis episcopus 533.a
S. genesius archiepiscopus Bituricensis 495.a 517.b.
gerardus Morisenus episcopus 533. a
S. gerhardus abbas 501.a
S. gerardus martyr 498.
S. geremarus abbas 481.b
S. gertrudis 484.a
Giselbertus Vuestensis monachus 457. b
S. gibertus abbas, martyr 505.a
S. gilda monachus 476. a
S. Glodesindis virgo 503.a
S. Goderannus Sanctonicensis episcopus 506.a. 534.a
gothardus Hildeshemensis episcopus 498.a. 531.b
Gratianus monachus 459.b
gregorius 3. Pontifex Rom. 440. 514.a 477.a. 511.a
S. gregorius Papa 2.. 490.b
S. gregorius Turonensis episcopus 441.a. 476.b 516.b.
S. gregorius episcopus Traiectensis 502. b. 529.a
S. Guibertus abbas 504.a
S. guido abbas 505.a
guido Aretinus monachus 452.b
guimundus Auersanus episcopus 453.a. 532.b
S. guntherus monachus martyr, S. Bonifacij discipulus 492.b
guntherus Ratisponensis episcopus 533.b
guntherus monachus S. Amandi 455.b

Hadeloga abbatissa 502.a
hamularius Treuerensis archiepiscopus 520.a
S. hamūdus diacon⁹, discipulus S. Bonifacij, martyr 492.b
hatto Moguntinus archiepiscopus 521.b.
hatto Moguntinus archiepiscopus 522. a
S. hartwolfus monachus, discipulus S. Bonifacij, martyr 492.b
S. haymo episcopus Halberstatensis 445.b. 495.a. 529.b
Heddi episcopus Occidentalium Saxonum 527.b
hadericus monachus 441.b
S. helias abbas 498.b
helmandus monachus 461.b
helpericus monachus S. Galli 452.b
henricus de Gulpen abbas 463.b
henricus monachus Hafflingensis 462. a
henricus Mindensis episcopus 533.a
henricus Lubecensis 535.b
henricus Paderbornensis 535.b
S. hercolanus episcopus Perusinus 472.b
herigerus abbas Lobiensie 450. b
hermannus Contractus, monachus 453.b
hermannus Bambergensie episcopus 534.b
hermundus Antisiodorensis 535.b
herebertus Frisingensis episcopus 532.a
herrandus Halberstatensis episcopus 533.b
S. herwinus episcopus Lobiensis 489.b. 528.b
hetti Treuerensis archiepiscopus 520. a
Hibatius Ruthenorum archiepiscopus 522.a
hilarius Theanensis episcopus 532.b
S. hilda abbatissa 485.a
S. hildebrandus monachus, discipulus S. Bonifacij, martyr 492.b
hildebrandus Cardinalis 514.b
hildegardis Bingensie abbatissa 460.b. 507.a
hildebertus Moguntinus archiepiscopus 521.b
S. hildelidis abbatissa 484.b
hildemannus Beluacensie episcopus 532.b
hildowicus Meldensis episcopus 525.b
S. hildeuertus episcopus Meldensis 480.a
hilduinus abbas 446.a
hildewinus Mediolanensie archiepiscopus 521.b
S. hildulphus episcopus Lobiensis 504.a. 532.b
S. hildulphus archiepiscopus Treuerensis 495.a. 519.b
hincmarus monachus 445. b
hincmarus Rhemensis archiepiscopus 520.b
S. Honorius episcopus Cantuariensie 478.a. 517.b
honorius monachus 458.a
Hucbaldus monachus S. Amandi 448.b
hugo monachus Corbeiensis 460.a
S. hugo abbas Cluniacensis 506. a
hugo Antisidorensis episcopus 534.a
humbertus Tullensis 454. b
S. humbertus monachus in Burbach 501.b
humbertus Cardinalis 515.a

I.

Ioachim abbas Florensis 460. a
S. Ioannes Scotus martyr 444.b. 496.a

S. ioannes episcopus Hagustaldensis 485.b. 527.b
S. ioannes episcopus Gerundensis 480.b
S. ioannes abbas Pennatensis 502.b
ioannes Diaconus Cardinalis 514.b
Ioannes Mekelenburgensis 534.b
ioannes monachus Castellensis 463.a
S. ioannes monachus 473.a
ioannes Constantiensis episcopus 533 a
ioannes Rode abbas 464.a
ioannes Erigena abbas Vercellensis 448.a
ioannes Tullensis Cardinalis 515. b
ioannes Damascenus 443.b
ioannes Gerundensis episcopus 441.b. 527.a
ioannes Salizburgensis archiepiscopus 522.a
ioannes Atrebatensis Cardinalis 555.b
ioannes Eboracensis archiepiscopus 558.b
ionas monachus, S. Columbani discipulus 440.a
S. Irmina abbatissa 486.b
S. Isaac abbas 472.b
S. isaius abbas 475.a
Ibamar Rofensis episcopus 526.a
S. Itta monialis 483.b
S. Iutta monialis virgo 506.b
S. iustus episcopus 477.b
iustus Cantuariensis archiepiscopus 517.a

K.

Kilianus episcopus Herbipolensis, martyr 528.a 485.b

L.

Lampertus Leodiensis episcopus, martyr 527.a. 453.b
lampertus Argentinensis episcopus 534.a
lampertus Brandenburgensis episcopus 533.a
lampertus Senonensis archiepiscopus 559.a
lampertus Bituricensis archiepiscopus 518. a
S. landolinus abbas 482. b
S. landrada abbatissa 502.
S. lanfrancus archiepiscopus Cantuariensis 456. a. 523.a 506. a
lapus abbas 462.b
laurentius archiepiscopus Cantuariensis 517.a
laromannus Merciorum episcopus 526.b
S. lauriomarus Carnotensis abbas 499.b
S. Leandrus Hispalensis episcopus 440.b. 524.a. 473.b
S. lebuinus monachus, S. Willebrordi discipulus & praedicationis socius 488.a
S. leifardus monachus 491. a
S. leo 4. Papa 494. b. 512.a
leo 5. papa 512.a
leo Cardinalis 514.a
leo Theanensis episcopus 535.a
S. leobatius abbas 475.a
S. leodebaldus abbas 482.b
S. leodegarius Augustudunẽsis episc. martyr 486.a. 528.
S leonardus abbas 474.a
S. leufredus abbas 486.a
S. Lioba abbatissa 492.a
Lubentius Bremensis archiepiscopus 522.b
lucas abbas 456. a
ludouicus de Sarbona Cardinalis 555.a
S. ludgerus episcopus 1. Monasteriensis 494.a. 529.a
S. lullus archiepiscopus 519. b. 494.a.
S. lutrudis monialis Corbeiensis 504. a
S. lutwinus archiepiscopus Treuerensis 493.b. 519.a

M.

Mathildis abbatissa 497.a
maclouius episcopus in Hybernia, qui & Machutes 524.b
S. maclouius, qui & Machutes 474.b
S. maglorius monachus, archiepisc. Dolensis 476.b. 516.a
magnoaldus Bituricensis archiepiscopus 517.a
S. magnus monachus 483.a
S. maiolus abbas 496.b
S. malachias Ardmacensis in Hybernia archiepiscopus 523.b. 507.a
S. malchus Lesmorensis episcopus 506. b. 534. a
S. marcolphus abbas 477.a
S. marianus abbas 504.a
marianus Rauennatensis archiepiscopus 520.b
marianus Scotus, monachus Fuldensis 455.b
matthias Moguntinus archiepiscopus 524.a
martinus Dumiensis abbas 445.b
martinus Aquinensis episcopus 535.a
S. martius abbas 473. b
S. maurilius Rothomagensis archiepiscopus 505.b. 523.b
S. maurinus abbas, martyr 486. a
S. maurus abbas, S. Benedicti discipulus 468.b
S. maximianus episcopus Syracusanus 472.b. 532.b
S. Medericus abbas 498.a
S. megenbodus 500.b
S. meginradus martyr 495.b
S. mellitus episcopus Londonensis 477.b. 517. b
menfridus Magdburgensis archiepiscopus 523.a
S. merulus monachus, discipulus S. Gregorij 473.b
Milo monachus S. Amandi 448. b
milo Suessionensis episcopus 532. a
S. Modesta abbatissa 488.a
S. monegundis abbatissa 475.a
Mummolinus episcopus Nouiomensis 483. a. 527.a

N.

Nicolaus Donis monachus 464.b
nicolaus Panormitanus 463.b. 516.a. 524.a
nicolaus Anglicus Cardinalis 515.a
niuardus Rhemensis archiepiscopus 518. a
S. Notburgis virgo 501.a
notgerus Leodiensis episcopus 451.b. 531.b

O.

Odilo abbas 452.b. 498.a
odo Rothomagensis archiepiscopus 522.a
S. odo abbas Cluniacensis 496.a
odo monachus Cluniacensis 449. b
odo Beluacensis episcopus. 531.a
odo Hostiensis Cardinalis 514. b
S. odwaldus monachus 485.b
Ogo Leodiensis episcopus 531.b
Osdachus Hildeshemensis episcopus 531.a
osbertus monachus Cantuariensis 451.b
osphorus Vectiorum episcopus 531.a
S. oswaldus archiepiscopus Eboracensis 522.a. 497.b
S. osuinus monachus 484.b
S. Otto monachus 506.b
otto abbas 460.b
otto Bambergensis 534. b
S. othmarus abbas 498. a
othwinus Hildeshemensis episcopus 530.

Pascha-

P.

Paschasius Corbeiensis 449. b
S. paternus monachus 505. b
paternus Pictauiensis 535. b
S. paulus episcopus Virdunensis 500. a
S. paulus episcopus Leonensis 476. a. 525. a
paulus Longobardus monachus 445. a
paulinus Eboracensis archiepiscopus 517. a
S. Pechtelmus episcopus 487. b
peregrinus monachus Hirsaugiensis 457. b
petrus Rothomagensis Cardinalis 515. b
petrus abbas Cluniacensis 461. b
S. petrus abbas 477. b
petrus Mellicensis 463. b
petrus Campanus Cardinalis 514. b
petrus Damiani Cardinalis 455. a. 515. a
petrus Pictauiensis monachus 462. b
petrus Boberij abbas 463. a
S. Pharo episcopus Meldensis 479. b. 525. a
S philibertus abbas 482. a
philippus de Pergamo 462. a
S. Pirminius episcopus Meldensis 529. b. 501. a.
S. Placidus cum 30 monachis martyribus 469. b. 470.
plecbtelmus episcopus Candida Casa 528. a
Pnotho Paderbornensis episcopus 531. b
S. Poppo abbas 499. a
S. Procopius monachus 505. a
Putho Ratisponensis 535. a

R.

Rabanus archiepiscopus Mogūtinus, sextus in ordine post Bonifacium 431. a. 446. b. 494. b. 520. a
S. radbodus episcopus Vltraiectensis 446. b. 500. a
S. radegundis monialis 474. a
S. radulphus archiepiscopus Bituricensis 496. a
radulphus Fuldensis monachus 451. a
ratbodus Treuerensis archiepiscopus 521. a
ratherius Veronensis episcopus 450. a. 530. b
Regino abbas Prumiensis 449. b
remaclus Lobiensis episcopus 526. a
S. remaclus episcopus Traiectensis 482. a
S. rembertus Bremensis archiepiscopus 495. b. 526. b
remigius Antisiodorensis episcopus 449. a. 530. a
S. remoldus martyr 499. b
S. Richardis Imperatrix 505. a
S. richarius abbas 503. b
S. richarius abbas 482. a
S. richardus abbas 499. a
Rogerius monachus 453. a
S. romaricus abbas Luxoniensis 481. a
S. rotulphus monachus 505. b
S. Rupertus abbas 501. b
rupertus abbas Limpurgensis 458. b
rupertus Tuitiensis abbas 458. a
rupertus abbas Cassinensis 450. a

S.

Sabinus Galiopolitanus episcopus 535. a
S. sandradus abbas 505. a
S. salaberga abbatissa 480. b
S. sanson abbas, archiepiscopus Dolensis 475. a
S. Scholastica 469. b
S. Senoch abbas 474. a
S. sequanus abbas 504. a
sergius Papa 514.
S. seuera abbatissa 490. a
S. seuerinus abbas 500. a
S. seuerinus monachus 500. a
sexulfus Merciorum episcopus 527. a
Sigefridus Moguntinus archiepiscopus 523. a
sigebertus monachus Gemblacensis 459. a
sigefridus Monasteriensis episcopus 534. b
S. similianus abbas Cauracensis 475. b
S. simplicius, S. Benedicti discipulus 472. a
simon Hafflingensis monachus 462. a
S. simeon monachus 498. b
sinanus Lindesfarnensis episcopus 526. b
S. sindulphus monachus 476. a
Smaragdus abbas S. Michaelis 453. b
S. Sola abbas 500. a
S. Spes monachus 473. a
Strabus monachus Fuldensis 447. b
S. stephanus 3. Papa 494. b
stephanus Cardinalis 514. b
S. sturmius primus abbas Fuldensis 494. a
S. sterbaldus martyr, S. Bonifacij discipulus 492. b
S. Sulpitius episcopus Bituricensis 480. a. 517. b
sunderoldus Moguntinus archiepisc. martyr 521. a. 496. b
S. suranus abbas 473. a
S. Swigbertus episcopus, S. Willebrordi socius prædicationis 491. a 528. b
S. Syluester monachus 501. b

T.

TAdwinus Cantuariensis archiepiscopus 518. b
taffridus episcopus Vectiorum 529. a
S. Tecla abbatissa 492. a
tendefridus Albanensis episcopus 531. a
thiedagus Pragensis episcopus 522. b
theobaldus Cantuariensis archiepiscopus 524. a
theodardus Leodiensis episcopus, martyr 482. b. 526. b
theodericus abbas 462. b
S. theodorus archiepiscopus Cātuar. 442. a. 518. a. 484. a
S theodorus discipulus S. Benedicti 473. a
theodericus abbas S. Trudonis 456. a
theodericus monachus 454. a
S. theodolphus Rhemensis archiepiscopus 522. a
theodulphus Aurelianensis episcopus 530. a
theodulphus episcopus 447. b
S. theodulphus abbas 500. b
S. theodulphus archiepiscopus 503. b
Tiagrinus Halberstatensis episcopus 529. b
Tobias episcopus Rofensis 528. a
S. tornanus monachus, martyr 485. b
S. Trudo monachus 482. b
trumwinus Pictorum episcopus 527. b
trumberus Merciorum episcopus in Anglia 526. a
Tuda Nordanymbrorum episcopus 526. b
S. tuto episcopus 504. a

V.

VAlentinianus S. Benedicti discipulus 471. a
S. valentius abbas in Valeria 472. a
Vdalricus Augustensis episcopus 497. a. 532. a
S. Venantius abbas 474. b
S. vendemius monachus, discipulus S. Aegidij 491. a
S. Vigor Baiocasinensis episcopus 501. b. 524. b
vimo Ventanus episcopus 525. b

S. vincentius abbas 503. a
viomadus Treuerensis archiepiscopus 519. b.
S. Volmarus abbas 503. a
volquinus abbas Lobiensis 450. b
Vrsmarus Lobiensis episcopus 528. a
S. vrsmarus episcopus 490. a
S. vrsus abbas 474. b

W.

Valafridus abbas S. Galli 446. a
S. walaricus monachus 480. a
S. walbertus abbas 479. b
walbertus Meldensis episcopus 525. a
walbertus Hildeshemensis episcopus 530. a
S. walburgis abbatissa 499. b
waldbertus episcopus Londoniensis 527. b
S. walfridus abbas Palatioli 502. a
S. waltherus martyr, discipulus S. Bonifacij 493. a
S. waltrudis abbatissa 502. b
wandelbertus 446. b
S. wandregisilus abbas 482. a
S. wandelinus monachus 480. a
S. wattarus monachus, discipulus S. Bonifacij, martyr 493. a
wazzo Treuerensis archiepiscopus 520. a
S. werenfridus monachus, S. willebrordi discipulus 488. a
S. wiberadis sanctimonialis S. Galli 497. a
S. wibertus monachus 496. b
windichinus monachus Corbeiensis 450. b
winfridus Merciorum episcopus 526. b
S. winfridus, qui & Bonifacius 491. b
S. wingualocus monachus 475. b
wilfridus Eboracensis archiepiscopus 518. a
willebaldus Eistetensis episcopus 529. a
S. wilhardus episcopus Bremensis 494. a
S. wilhelmus abbas 498. b
S. wilhelmus monachus 502. a
S. wilhelmus abbas 503. a
wilhelmus abbas Pictauensis 462. a
wilhelmus abbas Hirsaugiensis 457. b
wilhelmus Parisiensis 462. a
wilhelmus Grisani Cardinalis 515. b
willibaldus monachus, B. Bonifacij discipulus 444. a
S. willebaldus episcopus 493. a
willebrandus Mindensis 534. a
S. willebrordus episcopus Vltraiectensis 515. b. 486. a
S. willefridus episcopus 491. b
S. willegisus episcopus Lobiensis 529. b
willerammus abbas Mersburgensis 456. a
S. willicus monachus 491. a
wimo Bremensis archiepiscopus 496. b. 521. a
S. winebaldus abbas 478. b
S. winbaldus monachus 493. a
S. wiro episcopus 500. b
wolframmus Senonensis archiepiscopus 519. a
S. wolfgangus episcopus 497. b
wolfgangus Ratisponensis episcopus 532. a
S. wulframus episcopus 491. b
S. wulgisus episcopus 500. a
S. wutringus martyr, S. Bonifacij discipulus 493. a


Y.

Ysuardus monachus 445. a

VITA



VITA SANCTI BENEDICTI, ABBATIS PRAESTANTISSIMI, AB SANCTISSIMO PONTIFICE ROMANO GREGORIO CONSCRIPTA. LIB. II. DIALOGI.



VIT vir vitæ venerabilis, gratia Benedictus & nomine, ab ipso suæ pueritię tempore corgerēs senile. Aetatem quippe moribus transiens, nulli voluptati animum dedit. Sed dum in hac terra adhuc esset, quo temporaliter liberè adhuc vti potuisset, despexit iam quasi aridum, mundū cum flore. Qui liberiori genere ex prouincia Nursiæ exortus, Romæ liberalibus studijs traditus fuerat. Sed cùm in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum, quē quasi in ingressu mundi posuerat, retraxit pedem: nè, si quid de scientia eius attingeret, ipse quoquè in immane præcipitium totus iret. Despectis itaque literarum studijs, relicta domo rebusque patris, soli Deo placere desiderans, sanctę côuersationis habitum quæsiuit. Recessit igitur scienter nesciens, & sapienter indoctus. Huius ego omnia gesta non didici: sed pauca, quæ narro, quatuor discipulis illius referentibus, agnoui: Constantino scilicet, reuerētissimo valdè viro, qui ei in monasterij regimine successit: Valentiniano quoquè, qui annis multis Lateranensi monasterio præfuit: Simplicio, qui congregationem illius post eum tertius rexit: Honorato etiam, qui nunc adhuc cellæ eius, in qua priùs conuersatus fuerat, præest. 21. Martij. Cap. 1. Eius patria.

Hic itaque cùm iam, relictis literarum studijs, petere deserta decreuisset, nutrix, quæ hunc arctiùs amabat, sola secuta est. Cumq; ad locum venisset, qui dicitur Enfide: multisque honestioribus viris pro charitate se illic detinentibus, in beati Petri Ecclesia demorarentur, prædicta nutrix illius ad purgandum triticum à vicinis mulieribus præstari sibi capisterium petijt: quod supermensam incautè derelictum, casu accidente fractum est, sic vt in duabus partibus inueniretur diuisum. Quod mox rediens nutrix illius vt ità inuenit, vehementissimè flere cœpit: quia vas quod præstitum acceperat, fractum videbat. Benedictus autem religiosus & pius puer, cùm nutricem suam flere conspiceret: eius dolori compassus, ablatis secum vtrisque fracti capisterij partibus, sese cum lachrymis in orationem dedit: qui ab oratione surgens, ità iuxta se vas sanum reperit, vt in eo inueniri fracturæ nulla vestigia potuissent, moxque nutricem suam blandè consolatus, ei sanum capisterium reddidit, quod fractum tulerat. Quæ res in eodem loco à cunctis est agnita, atque in tanta admiratione habita, vt hoc ipsum capisterium eius loci incolæ in Ecclesiæ ingressu suspénderent, quatenùs & præsentes & secuturi omnes agnoscerent, à quanta Benedictus puer conuersationis gratiam perfectione cœpisset. Quod annis multis illic ante omnium oculos fuit, & vsque ad hæc Longobardorum tempore super fores Ecclesiæ pependit. Sed Benedictus plùs appetens mala mundi perpeti, quàm laudes; & pro Deo laboribus fatigari, quàm vitæ huius fauore extolli: nutricem suam occultè fugiens, deserti loci secessum petijt, cui Sublacus vocabulum est: qui ab Romana vrbe quadraginta ferè millibus distans, frigidas atque perspicuas emanat aquas. Quæ illic videlicet aquarum abundantia in extenso priùs lacu colligitur, ad extremum verò in amnem deriuatur. Què dum fugiens pergeret, monachus quidam, Romanus nomine, hunc euntem reperit: quò tenderet, requisiuit. Cuius cùm desiderium cognouisset, & secretum tenuit, & adiutorium impendit, eique sanctæ conuersationis habitum tradidit, & inquantùm licuit, ministrauit. Vir autem Dei ad eundem locum perueniens, in arctissimum specum se tradidit, & tribus annis, excepto Romano monacho, omnibus hominibus ibi incognitus mansit. Qui videlicet Romanus non longè in monasterio sub Theodati patris regula degebat: sed piè eiusdem patris sui oculis furabatur horas, & quem sibi ad manducandum surripere poterat, diebus certis Benedicto panem ferebat. Ad eundem verò specum à Romani cella iter non erat, quia excelsa desupèr rupes eminebat: sed ex eadem rupe in longissimo fune ligatū Romanus deponere panē consueuerat: in qua etiā testi paruum tintinnabulum Benedictus puer fractū capisterium oratiōe integrum restituit. Induit habitum monasticum.

bulum inseruit, vt ad eius sonum vir Dei cognosceret, quādo sibi Romanus panem præberet, quem exiens acciperet. Sed antiquus hostis vnius charitati inuidens, alterius refectioni: cùm quadam die submitti panem conspiceret, iactauit lapidem, & tintinnabulum fregit. Romanus tamen horis congruentibus ministrare non desijt. Cùm verò iam Deus omnipotens & Romanum vellet à labore quiescere, & Benedicti vitam in exemplum hominibus demonstrare, vt posita supra candelabrum lucerna claresceret, quatenùs omnibus, qui in domo Dei sunt, luceret: cuidam presbytero longiùs manenti, qui (*Paschalis solennitas.*) refectionem sibi in paschali festiuitate parauerat: per visum Dominus apparére dignatus est, dicens: Tu tibi delicias præparas, & seruus meus illo in loco fame cruciatur. Qui protinùs surrexit, atque in ipsa solennitate paschali cum alimentis, quæ sibi parauerat, ad locum tetendit, & virum Dei per abrupta montium, per concaua vallium, per (*Presbyter adfert cibū S. Benedicto.*) defossa terrarum quæsiuit, eumque latère in specu reperit. Cumque oratione facta, benedicentes Dominum omnipotentem consedissent, post dulcia vitæ colloquia Is, qui aduenerat, presbyter dixit: Surge, sumamus cibum: quia hodiè pascha est. Cui vir Dei respondit, dicens: Scio, quia pascha est: quia hodiè videre te merui. Longè quippe ab hominibus positus, quia die eodem paschalis solennitas esset, ignorabat. Venerabilis autem presbyter rursùs asseruit, dicens: Veraciter hodiè resurrectionis Dominicæ paschalis dies est: abstinere tibi minimè congruit: quia & ego ad hoc missus sum, vt omnipotentis dona Dei pariter sumamus. Benedicentes igitur Dominum, sumpserunt cibum. expleta itaque refectione & colloquio, ad ecclesiam suam presbyter recessit. (*Inuenitur in specu à pastoribus.*) Eodem quoquè tempore hunc in specu latitantem etiam pastores inuenerunt: quem dum vestitum pellibus inter fruteta cernerent, aliquam bestiam esse crediderunt: sed cognoscentes Dei famulum, eorum multi ad pietatis gratiam à bestiali mente mutati sunt. Nomen itaque eius per vicina loca innotuit cunctis. Factumque est, vt ex illo iam tempore à multis frequentari cœpisset: qui cùm ei cibum afferrent corporis, ab eius ore in suo pectore alimenta referebant vitæ.

(*Cap. 2.*) Quadam verò die dum solus esset, tentator affuit. Nam nigra paruaque auis, quæ vulgò merula nominatur, circa eius faciem volitare cœpit, eiusque vultui importunè insistere, ità vt manu capi posset, si hanc vir sanctus tenere voluisset: sed signo crucis edi(*Tentatio carnis vehemens.*)to, recessit auis. Tanta autem carnis tentatio, aui eádem recedente, secuta est, quantam vir sanctus nunquàm fuerat expertus. Quandam nanque aliquandò fœminam viderat: quam malignus spiritus ante eius mentis oculos reduxit: tantoque igne serui Dei animum in specie illius accendit, vt dum in eius pectore amoris flamma vim caperet, etiam penè deserere eremum, voluptate victus, deliberaret. Tunc subitò superna gratia respectus, ad semetipsum reuersus est: atque vrticarum & veprium iuxtà densa succrescere fruteta conspiciens, exutus indumento, nudum se in illis spinarum aculeis & vrticarum incendijs proiecit: ibique diù volutatus, toto ex eis corpore vulneratus exijt, & per cutis vulnera eduxit à corpore vulnus mentis, quia voluptatem traxit in dolo(*Fortiter superatur.*)rem. Cumque benè pœnaliter foris arderet, extinxit quod intùs illicitè ardebat. Vicit itaque peccatum, quia mutauit incendium. Ex quo videlicet tempore, sicut pòst discipulis ipse perhibebat, ità in eo est tentatio voluptatis edomita, vt tale aliquid in se minimè sentiret. Cœperunt postmodùm multi iam mundum relinquere, atque ad eius magisterium festinare. Liber quippe à tentationis vitio, vero iure iam factus est vir(*Num. 8.*)tutum magister. Vndè & per Moysen in Exodo præcipitur, vt Leuitæ à vigintiquinque annis & suprà, ministrare debeant: ab anno verò quinquagesimo, custodes vasorum fiant.

Petrus: Iam quidem prolati testimonij mihi aliquantùm intellectus interlucet: sed tamen hoc pleniùs exponi postulo.

Gregorius: Liquet, Petre, quòd in iuuentute carnis tentatio ferueat, ab anno autem quinquagesimo calor corporis frigescat. Vasa autem sacra, sunt fidelium mētes. Electi ergò cùm adhuc in tentatione sunt, subesse eos ac seruire necesse est, & obsequijs laboribusque fatigari. Cùm verò iam mentis ætate tranquilla calor recesserit tentationis, custodes vasorum sunt: quia doctores animarum fiunt.

Petrus: Fateor, placet, quod dicis: sed quia prolati testimonij clausa reserâsti, quæso, vt de vita iusti debeas ea, quæ sunt inchoata, percurrere.

(*Cap. 3.*) Gregorius: Recedente igitur tentatione, vir Dei quasi spinis érutis, exculta terra, de

de virtutum segete feraciùs fructus dedit. Preconio itaq; eximiæ cóuersationis celebre nomen eius habebatur. Non aũt longè monasterium fuit, cuius congregationis pater defunctus est: omnisq; ex illo cõgregatio ad eundem venerabilem Benedictum venit, & magnis precibus, vt eis preesse deberet, petijt. Qui diù negãdo, distulit: suis illorumq; fratrum moribus se conuenire non posse prædixit: sed victus quandoquè precibus, assensum dedit. Cumq; in eodem monasterio regularis vitæ custodiam teneret, nullique, vt priùs, per actus illicitos in dexteram læuamque partem deflectere à conuersationis itinere liceret: suscepti fratres insanè sæuientes, semetipsos priùs accusare cœperunt, quia hunc sibi præesse poposcerant, quorum scilicet tortitudo in norma eius rectitudinis offendebat. Cumque sibi sub eo conspicerent illicita non licere, & se dolerent adsueta relinquere, durumque esset, quòd in mente veteri cogebantur noua meditari: & quia grauis est semper prauis moribus vita bonorum, tractare de eius morte aliqui conati sunt: qui inito consilio, venenum vino miscuerunt. Et cùm vas vitreum, in quo ille pestifer potus habebatur, recumbenti patri ex more monasterij ad benedicendum fuisset oblatum, extensa manu Benedictus signum crucis edidit, & vas, quod longiùs tenebatur, eodem signo rupit: sicque confractum est, àc si in illo vase mortis, pro cruce lapidem dedisset. Intellexit protinùs vir Dei, quia potum mortis habuerat, quod portare non potuit signum vitæ: atque ilicò surgens, vultu placido, mente tranquilla, conuocatos fratres alloquutus est, dicens: Misereatur vestri, fratres, omnipotens Deus: quarè in me facere ista voluìstis? Nunquid non priùs dixi vobis, quia vestris ac meis moribus minimè conueniret? Ite, & iuxta vestros mores patrem vobis quærite: quia posthàc me habere minimè potestis. Tuncque ad locum dilectæ solitudinis redijt, & solus in superni spectatoris oculis habitauit secum.

Dissoluti fratres, non ferunt sancti viri rectitudinē.

Benedictus, signo crucis edito, vas, in quo venenũ erat, perfregit.

Petrus: Minùs patenter intelligo, quidnam sit, Habitauit secum.

Gregorius: Si sanctus vir contra se vnanimiter conspirantes, suæque conuersationi longè dissimiles, coactos diù sub se tenere voluisset: fortasse sui vigoris vsum & modum tranquillitatis absciuderet, atque à contemplationis lumine suæ mentis oculum declinâsset. Dumque quotidiè illorum correptione fatigatus, minùs curaret sua, & se forsitan relinqueret, & illos non inueniret. Nam quotiès per contagionis motum, nimiùm extra nos ducimur: & nos sumus, & nobiscum non sumus: quia nosmetipsos minimè videntes, per alia vagamur. An illum secum fuisse dicimus, qui in longinquam regionem abijt: portionem, quam acceperat, consumpsit: vni in ea ciuium adhæsit, porcos pauit: quos cùm manducare videret siliquas, & esuriret: qui tamen cùm postmodùm cœpit cogitare bona, quæ perdidit, scriptum de illo est: In se reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus? Si igitur secum fuit, vndè ad se redijt? Hunc ergò venerabilem virum secum habitâsse dixerim: quia in sua semper custodia circunspectus, ante oculos conditoris se semper adspiciens, se semper examinans, extra se mentis suæ oculum non diuulgauit. Luc. 15.

Petrus: Quid ergò, quod de Apostolo Petro scriptum est, dum de carcere ab angelo eductus fuisset: Qui ad se reuersus, dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum? Acto. 12.

Gregorius: Duobus modis, Petre, extra nos ducimur: quia aut per cogitationis lapsum sub nosmetipsos recidimus, aut per contemplationis gratiam super nosmetipsos leuamur. Ille itaque, qui porcos pauit, vagatione mentis & immunditiæ sub semetipsum cecidit: Iste verò, quem angelus soluit, eius mentem in ecstasim rapuit, extra se quidem, sed super semetipsum fuit. Vterque ergò ad se redijt: quandò & ille ab errore operis se collegit ad cor: & iste à contemplationis culmine ad hoc redijt, quod in intellectu communi vt priùs fuit. Venerabilis igitur Benedictus in illa solitudine habitabat secum, inquantùm se intra cogitationis claustra custodiuit: nam quotiescunquè hunc contemplationis ardor in altum rapuit, se proculdubiò sub se reliquit.

Duob⁹ modis extra nos ducimur.

Petrus: Placet quod dicis, sed quæso respondeas, si deserere fratres debuit, quos semel susceperat?

Gregorius: Vt ego Petre existimo, ibi adunati æquanimiter portandi sunt mali, vbi inueniuntur aliqui, qui adiuuentur, boni. Nam vbi omnimodò de bonis fructus deest, fit aliquandò de malis labor vacuus, maximè si è vicino causæ suppetaut, quæ fructum Deo ferre valeant meliorem. Vir itaque sanctus, propter quem custodiendum staret,

Ministeriũ susceptum num liceat deserere.

 qui

qui omnes vnanimiter se persequenres cerneret? Et sæpè agitur in animo perfectorum, quod silentio prætereundum non est: quia cùm laborem suũ sine fructu esse considerent, in locum alium ad laborem cum fructu migrant. Vndè ille quoquè egregius

Philip. 1. prędicator, qui dissolui cupit, & cũ Christo esse, cui viuere Christus est, & mori lucrum: qui passionum certamina non solùm ipse appetijt, sed ad toleranda hæc & alios accen-

Acto. 9. 2. Cor. 11. dit: Damasci persecutionem passus, vt posset euadere, murum, funem, sportamq; quęsiuit, seq; latenter deponi voluit. Nunquid non Paulum mortem dicimus timuisse, quam se ipse pro amore Iesu testatur appetere? Sed cùm in eodem loco minorem sibi fructum adesse conspiceret, & graui labore adlaborē se alibi cum fructu seruauit. Fortis etenim præliator Dei teneri intrà claustra noluit, certaminis campum quæsiuit. Vndè idem quoquè venerabilis Benedictus, si libenter audis, citiùs agnoscis, quia non tantos ipse indociles deseruit, quantos in locis alijs à morte animæ suscitauit.

Petrus: ità esse vt doces, & manifesta ratio, & prolatum congruum testimonium declarat. Sed quæso, vt de vita tanti patris ad narrationis ordinem redeas.

Gregorius: Cùm sanctus vir diù in eàdem solitudine virtutibus signisq; succresceret, multi ab eo in eodem loco ad omnipotentis Dei sunt seruitium congregati: ità vt il-

S. Benedictus 12. monasteria extruit. lic duodecim monasteria cum omnipotentis Iesu Christi Domini opitulatione construeret: in quibus statutis patribus duodenos monachos deputauit, paucos verò secum retinuit, quos adhuc in sua præsentia aptiùs erudiri iudicauit. Cœpêre etiam tunc ad eum Romanæ vrbis nobiles & religiosi concurrere, suosq; ei filios omnipotenti Deo nutriendos dare. Tunc quoq; bonæ spei suas soboles, Euicius Maurum, Tertullius verò patritius Placidũ tradidit: è quibus Maurus iunior, cùm bonis polleret moribus, magistri adiutor cœpit existere: Placidus verò puerilis adhuc indolis gerebat annos.

Cap. 4. In vno aũt ex eis monasterijs, quæ circunquaq; construxerat, quidã monachus erat, qui ad orationem stare non poterat: sed mox vt se fratres ad studium orationis inclinabant, ipse egrediebatur foràs, & mẽte vaga, terrena aliqua & transitoria agebat. Cumq; ab Abbate suo sæpiùs fuisset admonitus, ad virum Dei deductus est: qui ipse quoq; stultitiam eius vehementer increpauit, & ad monasterium reuersus, vix duobus diebus viri Dei admonitionem tenuit. Nam die tertia ad vsum proprium reuersus, vagari tempore orationis cœpit. Quod cùm seruo Dei ab eodem monasterij patre, quem constitue-

Diabolus monachum ab oratione abstrahit. rat, nunciatum fuisset, dixit: Ego venio, eumq; per memetipsum emendo. Cumq; vir Dei venisset ad idem monasterium, & constituta hora expleta psalmodia sese fratres in orationem dedissent, adspexit, quòd eundem monachũ, qui in oratione manere non potuit, quidam niger puerulus per vestimenti fimbrias foràs traheret. Tunc eidem patri monasterij, Pompeiano nomine, & Mauro Dei famulo secretè dixit: Nunquid non adspicitis, quis est, qui istum monachum foràs trahit? Qui respondentes, dixerunt: Non. Quibus ait: Oremus, vt vos etiam videatis, quem iste monachus sequitur. Cumq; per biduum esset oratum, Maurus monachus vidit: Pompeianus verò eiusdem monasterij

Castigatus virga monachus, manet cõstans. pater, videre non potuit. Die igitur alia, expleta oratione, vir Dei oratorium egressus, stantem forìs monachum reperit, quem pro cæcitate cordis sui virga percussit: qui ex illo die nil persuasionis vlteriùs à nigro iam puerulo pertulit, sed ad orationis studium immobilis permansit: sicq; antiquus hostis dominari non ausus est in eius cogitatione, ac si ipse percussus fuisset ex verbere.

Cap. 5. Ex his autem monasterijs, quæ in eodem loco construxerat, tria sursùm in rupibus montis erant: & valdè erat fratribus laboriosum, quòd semper ad lacum oportebat descendere, vt aquam haurire debuissent: maximè quia è deuexo montis latere erat graue descendentibus in timore periculum. Tunc collecti fratres ex eisdem tribus monasterijs, ad Dei famulum Benedictum venerunt, dicentes: Laboriosum nobis est propter aquam quotidiè vsq; ad lacum descendere, & ideircò necesse est ex eodẽ loco monasteria mutari. Quos blandè consolans dimisit: & nocte eàdem cum paruo puerulo, nomine Placido, cuius superiùs memoriam feci, eiusdem montis rupem ascendit, ibiq; diutiùs orauit. Et oratione completa, tres petras in loco eodem pro signo posuit, atque ad suum, cunctis illis nescientibus, monasterium redijt. Cumq; die alia ad eum

Precibus è rupe fontẽ elicit. pro necessitate aquæ prædicti fratres redijssent, dixit: Ite, & rupem illã, in qua tres super inuicèm positas petras inueneritis, in modicum cauate: valet enim omnipotens Deus etiam in illo montis cacumine aquam producere, vt vobis laborem tanti itineris

ris dignetur auferre. Qui euntes, rupem montis, quam Benedictus prædixerat, iam sudantem inuenerunt. Cumque in ea concauum locum fecissent, statìm aqua repletus est: quæ tam sufficienter emanauit, vt nuncusquè vbertìm defluat, atque ab illo montis cacumine vsque ad inferiora deriuetur.

Alio quoquè tempore Gotthus quidam pauper spiritu, ad conuersionem venit: Cap. 6. quem Dei vir Benedictus libentissimè suscepit. Quadam verò die ei date ferramentum iussit, quod ad falcis similitudinem falcastrum vocatur, vt de loco quodam vepres abscinderet, quatenùs illic hortus fieri deberet. Locus autem ipse, quem mundandum Gotthus susceperat, super ipsam laci ripam iacebat. Cumque Gotthus idem densitatem veprium totius virtutis annisu succideret, ferrum de manubrio prosiliens, in lacum cecidit: vbì scilicet tanta erat aquarum profunditas, vt spes requirendi ferramenti nulla iam esset. Itaque ferro perdito, tremebundus ad Maurum monachum cucurrit Gotthus: damnum quod fecerat, nunciauit, & reatûs sui pœnitentiam egit. Quod Maurus Insigne miraculum. quoq; monachus mox Benedicto famulo Dei curauit indicare. Vir igitur Domini Benedictus hęc audiens, accessit ad lacum: tulit de manu Gothi manubrium, & misit in lacum: & mox ferrum à profundo rediit, atque in manubrium intrauit. Qui statìm ferramentum Gottho reddidit, dicens: Eccè labora, & noli contristari.

Quadam verò die dum idem venerabilis Benedictus in cella cōsisteret, prædictus Pla- Cap. 7. cidus puer, sancti viri monachus, ad hauriendam de lacu aquam egressus est: qui vas, quod tenuerat, in aquam incautè submittens, ipse quoquè cadendo sequutus est. Quem mox vnda rapuit, & penè ad vnius sagittæ cursum, eum à terra introrsùs traxit. Vir autem Dei intra cellam positus, hoc protinùs agnouit, & Maurum festinè vocauit, dicens: Frater Maure, curre, quia puer ille, qui ad hauriendam aquam perrexerat, in lacum cecidit: iamque eum longiùs vnda trahit. Res mira, & post Petrum Apostolum inusitata. Benedictione etenim postulata atque percepta, ad patris sui imperium concitus perrexit Maurus. Itaque vsque ad eum locum, quo ab vnda deducebatur puer, per terram se ire Maurus currit super aquas. existimans, super aquam cucurrit, eumque per capillos tenens, cursu rapido rediit. Qui mox vt terram tetigit, ad se reuersus, post tergum respexit, & quia super aquas cucurrisset, agnouit: & quod præsumere non potuisset vt fieret, miratus extremuit factum. Reuersus itaque ad patrem, rem gestam retulit. Vir autem venerabilis Benedictus hoc non suis meritis, sed illius obedientiæ, deputare cœpit. At contrà Maurus pro solo eius imperio factum dicebat: seque conscium in illa virtute non esse, quam nescius fecisset. In hac itaque mutuæ humilitatis & amica contentione accessit arbiter puer, qui ereptus est, nam dicebat: Ego cùm ex aqua traherer, super caput meū melotem Abbatis videbam, atque ipsum me ex aquis educere considerabam.

Petrus: Magna sunt valdè, quæ narras, & multorum ædificationi profutura: ego autem boni viri miracula quo plùs bibo, eo plùs sitio.

Gregorius: Cùm iam loca eadem in amorem Domini nostri Iesu Christi, longè lateq; Cap. 8. ferueścerent, & secularem vitam multi relinquerent, & sub leui redemptoris iugo ceruicem cordis edomarent: sicut mos prauorum est, inuidere alijs virtutis bonum, quod ipsi habere non appetunt: vicinæ ecclesiæ presbyter, Florentius nomine, huius nostri subdiaconi Florentij auus, antiqui hostis malitia percussus, sancti viri studijs cœpit æmulari, eiusque conuersationi derogare, quosq; etiam posset, ab illius visitatione compescere. Florentius presbyter necem machinatur sancto viro. Cumque iam se conspiceret eius profectibus obuiare non posse, & conuersationis illius opinionem crescere, atq; multos ad statum vitæ melioris ipso quoquè opinionis eius præconio indesinenter vocari: inuidiæ facibus magìs magisque succensus, deterior fiebat: quia conuersationis illius * apparebat habere laudem, sed habere laudabilem vitam nolebat. * appetebat Qui eiusdem inuidiæ tenebris cæcatus, ad hoc vsque perductus est, vt seruo omnipotentis Dei infectum veneno panem quasi pro benedictione transmitteret. Quem vir Dei cum gratiarum actione suscepit: sed eum, quæ pestis lateret in pane, non latuit. Ad horam verò refectionis illius ex vicina sylua coruus venire consueuerat, & panem de manu eius accipere. Qui cùm more solito venisset, panem, quē presbyter transmiserat, vir Dei ante coruum proiecit, eiq; pręcepit, dicens: In nomine Iesu Christi Domini nostri tolle hunc panem, & tali eum in loco proijce, vbì à nullo hominum posset inueniri. Tunc coruus aperto ore, expansis alis, circa eundem panem cœpit discurrere, crocitare, àc si apertè diceret, & obedire se velle, & tamen iussa implere non posse. Cui

vir Domini pręcipiebat, iterùm atq; iterùm dicens: Leua leua securus, atq; ibi proijce, vbi inueniri non possit. Quem, diù demoratus, quandoq; coruus momordit, leuauit, & recessit. Post trium verò horarum spatium, abiecto pane, redijt, & de manu hominis Dei annonam, quam consueuerat, accepit. Venerabilis aũt pater cõtra vitam suam in-ardescere sacerdotis animum videns, illi magis quàm sibi doluit. Sed prædictus Florentius, quia magistri corpus necare non potuit, se ad extinguendas discipulorum animas accendit: ità vt in horto cellæ, cui Benedictus inerat, ante eorum oculos nudas septem puellas mitteret: quæ coram eis sibi inuicèm manus tendentes, & diutiùs ludentes, illorum mentes ad peruersitatem libidinis inflammarent. Quod vir sanctus de cella conspiciens, lapsusque adhuc tenerioribus discipulis pertimescens, idque pro sua solius persecutione fieri pertractans: inuidiæ locum dedit, atque oratoria & cuncta quæ construxerat, substitutis Pręposìtis, adiunctis fratribus ordinauit, & paucis secũ monachis ablatis, habitationem mutauit loci. Sicque vir Dei, eius odia humiliter declinauit, quem omnipotens Deus terribiliter percussit. Nam cùm prædictus presbyter, stans in solario, Benedictum discessisse cognosceret & exultaret, perdurante immobiliter tota domûs fabrica, hocipsum tantùm, in quo stabat, solarium cecidit, & Benedicti hostem conterens extinxit. Quod viri Dei discipulus, Maurus nomine, statim venerabili patri Benedicto, qui adhuc à loco codẽ vix decem millibus aberat, æstimauit esse nunciandũ, dicens: Reuertere, quia presbyter, qui te persequebatur, extinctus est. Quod vir Dei Benedictus audiens, sese in grauibus lamentationibus dedit: vel quia inimicus occubuit, vel quia de inimici morte discipulus exultauit. Qua de re factum est, vt eidem quoq; discipulo pœnitentiam indiceret, quòd mandans talia, gaudere de inimici interitu præsumpsisset.

Florentius nitit perdere animas discipulorum S. Benedicti.

Percutitur à Deo.

Petrus: Mira sunt & multùm stupenda, quæ dicis. Nam in aqua ex petra producta, Moysen: in ferro verò, quod ex profundo aquæ redijt, Helisæum: in aquæ itinere, Petrum: in corui obedientia, Eliam: in luctu autem mortis inimici, Dauid video: & perpendo, quia vir iste spiritu iustorum omnium plenus fuit.

Exod. 17. 4. Reg 6. Matt. 14. 3. Reg. 17. 2. Reg 1.

Gregorius: Vir Dei Benedictus, Petre, vnius Dei spiritum habuit, qui per concessæ redemptionis gratiam, electorum corda omnium impleuit, de quo Iohannes dicit: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. De quo rursùs scriptum est: De plenitudine eius nos omnes accepimus. Nam sancti Dei homines potuerunt à Domino virtutes habere, non etiam alijs tradere. Ille autem signa virtutis dedit subditis, qui se daturum signum Ionæ promisit inimicis, vt coram superbis mori dignaretur, coram humilibus resurgere: quatenùs & illi viderent, quod contemnerent, & isti, quod venerantes amare debuissent. Ex quo mysterio actum est, vt dum superbi adspiciunt despectum mortis, humiles contra mortem acciperent gloriam potestatis.

Iohan. 1. Ibidèm. Matt. 12.

Petrus: Quæso te, post hæc ad quæ loca vir sanctus migrauerit, vel si aliquas in eis virtutes postmodùm ostenderit, innotesce.

Innotesce, actiuè dicit.

Gregorius: Sanctus vir ad alia demigrans loca, non hostem mutauit. Nam tanto pòst grauiora prælia pertulit, quantùm contra se apertè pugnantem ipsum malitiæ magistrum inuenit. Castrum nanque, quod Cassinum dicitur, in excelsi montis latere situm est: qui videlicet mons distenso sinu hoc idem castrum recipit, sed per tria millia in altum se subrigens, velut ad aëra cacumen tendit. Vbi vetustissimum fanum fuit, in quo ex antiquorum more gentilium, à stulto rusticorum populo Apollo colebatur. Circunquaquè etiam in cultu dæmonum luci succreuerant, in quibus adhuc eodem tempore infidelium insana multitudo sacrificijs sacrilegis insudabat. Illuc itaque vir Dei perueniens, contriuit idolum, subuertit aram, succendit lucos, atque in ipso templo Apollinis, oraculum beati Martini: vbi verò ara eiusdem Apollinis fuit, oraculum sancti Iohannis construxit, & commorantem circunquaquè multitudinem, prædicatione continua ad fidem vocabat. Sed hæc antiquus hostis tacitè non ferens, non occultè vel per somnium, sed aperta visione eiusdem patris oculis sese ingerebat, & magnis clamoribus vim se perpeti conquerebatur: ità vt voces illius etiam fratres audirent, quanuis imaginem minimè cernerent. Vt enim discipulis suis venerabilis pater dicebat, corporalibus eius oculis idem antiquus hostis teterrimus & succensus apparebat, qui in eum ore oculisque flammantibus sæuire videbatur. Iam verò quæ diceret, audiebant omnes. Priùs enim hunc vocabat ex nomine. Cui cùm vir Dei minimè responderet, ad eius mox contumelias erumpebat. Nam cùm clamaret

Castrũ Casſinense.

Arã Apollinis euertit.

maret dicens, Benedicte Benedicte: & cum sibi nullo modo respondere conspiceret, protinùs adiungebat: Maledicte, non Benedicte, quid mecum habes? quid me persequeris? Sed iam nunc expectanda sunt contra Dei famulum antiqui hostis noua certamina: cui pugnam quidem volẽs intulit, sed occasiones victoriæ ministrauit innitus.

Fremit in cũ satanas.

Cap. 9.

Quadam die dum fratres habitacula eiusdem cellæ construerent, lapis in medio iacebat, quem in ædificium leuare decreuerunt. Cumque eum duo vel tres mouere non possent, plures adiuncti sunt: sed ità immobilis mansit, àc si radicitùs in terra teneretur: vt palàm daretur intelligi, quòd super eum ipse per se antiquus hostis sederet, quẽ tantorum virorum manus mouere non possent. Difficultate igitur facta, ad virum Dei missum est, vt veniret, & orando hostem repelleret, vt lapidem leuare possent. Qui mox venit, & orationem faciens, benedictionem dedit: & tanta lapis celeritate leuatus est, àc si nullum priùs pondus habuisset.

Cap. 10.

Præstigiæ dæmonum.

Tunc in conspectu viri Dei placuit, vt in eodem loco terram foderent. Quam dum fodiendo altiùs penetrarent, æreum illic idolum fratres inuenerunt. Quo ad horam casu in coquinam proiecto, exire ignis repentè visus est, atque in cunctorum monachorum oculis, quia omne eiusdem coquinæ ædificium cõsumeretur, ostendit. Cumq; iaciendo fratres aquam ad ignem quasi extinguendo perstreperent, pulsatus eodem tumultu vir Dei aduenit. Qui eundem ignem in oculis fratrum esse, in suis verò nõ esse considerans, caput protinùs in orationem flexit, & eos, quos phantastico reperit igne deludi, vocauit fratres, monuit vt oculos suos signarent, vt sanum illud coquinæ ędificium assistere cernerent, & flammas, quas antiquus hostis finxerat, non viderent.

Cap. 11.

Dæmon euertẽs murum, opprimit puerũ,

Eum S. Benedictus excitat.

Rursùs dum fratres parietem, quia res ità exigebat, paulò altiùs erigerent, vir Dei in orationis studio intra cellę suæ claustra morabatur. Cui antiquus hostis insultãs apparuit, & ei, ꝙ ad laborantes fratres pergeret, indicauit. Quod vir Dei per nunciũ celerrimè fratribus indicauit, dicens: Fratres, cautè vos agite: quia ad vos hac hora malignus spiritus venit. Is qui mandatum detulit, vix verba cõpleuerat, & malignus spiritus eundem parietem, qui ædificabatur, euertit, atque vnum puerulum monachũ, cuiusdã curialis filiũ, opprimens ruina contriuit. Contristati omnes ac vehemẽter afflicti, non damno parietis, sed contritione fratris, venerabili patri Benedicto celeriter cum graui luctu nunciârunt. Tunc idem pater Benedictus dilaceratum puerum ad se deferri iubet. Quem portare non nisì in sacco potuerunt: quia collapsi saxa parietis, non solùm eius membra, sed etiam ossa contriuerant. Præcepitque vir Dei statìm eum in cella sua in psyacio, quo orare consueuerat, proijci: missisque foràs fratribus, cellam clausit: qui orationi instantiùs, q̃ solebat, incubuit. Mira res, eàdem hora hũc incolumem, atque vt priùs valentem, ad eundẽ iterùm laborẽ misit, vt ipse quoq; parietẽ cũ fratrib' pficeret, de cuius se interitu antiquus hostis Benedicto insultare credidisset.

Cap. 12.

Absens in spiritu vidit, quid fratres agerent.

culpæ percit,

Cœpit verò inter ista vir Dei ꝓphetię etiã spiritu pollere, vẽtura prædicere, præsentibus etiam absentia nunciare. Mos etenim cellæ fuit, vt quotiès ad respõsum aliquod egrederentur fratres, cibũ potumque extra cellam minimè sumerent. Cumque hoc de vsu regulę sollicitè seruaretur, quadam die ad responsum fratres egressi sunt, & in eo tardiori compulsi sunt hora demorari. Qui manere iuxta religiosam fœminam nouerant, cuius ingressi habitaculũ, sumpserunt cibum. Cumq; iam tardiùs ad cellã redijssent, benedictionem patris ex more petièrunt. Quos ille protinùs percontatus est, dicens: Vbì comedistis? Qui responderunt: Nusquàm. Quibus ille ait: Quarè ità mentimini? Nunquid illius talis fœminæ habitaculum non intrâstis? Nunquid hos atque illos cibos non accepistis? Nunquìd tot calices non bibistis? Cumque eis venerabilis pater & hospitium mulieris, & genera ciborũ, & numerum potionum diceret, cognoscentes cuncta, quæ egerant, ad eius pedes tremefacti ceciderunt, & se deliquisse confessi sunt. Ipse autem protinùs culpæ * pœnitentiam præcepit, perpendens quòd in eius absentia vltrà non facerent, quem præsentem sibi esse in spiritu scirent.

Cap. 13.

Frater quoquè Valẽriniani, eius monachi, cuius superiùs memoriã feci, vir erat laicus, sed religiosus. Qui vt serui Dei orationem perciperet, & germanũ fratrem videret, annis singulis de loco suo ad cellam eius ieiunus venire cõsueuerat. Quadam igitur die dum iter ad monasterium faceret, sese illi alter viator adiunxit, qui sumendos cibos in itinere portabat. Cumq; iam hora tardior excreuisset, dixit: Veni frater, sumamus cibũ, nè lassemur in via. Cui ille respondit: Absit, frater, hoc non faciam: quia ad venerabi-

lem patrem Benedictum ieiunus semper peruenire consueui. Quo respōso percepto, ad horam conuiator tacuit. Sed cùm post hoc aliquantulum itineris spatium egissent, rursùs admonuit, vt manducarent. Noluit consentire, qui ieiunus peruenire decreuerat. Tacuit quidem, qui ad manducandum inuitauerat, & cum eo ieiunus adhuc pergere modicum consensit. Cumque iter longiùs agerent, & eos tardior hora fatigaret ambulantes, inuenerunt in itinere pratum & fontem, & quæque poterant ad reficiendum corpus delectabilia videri. Tunc conuiator ait: Eccè aquam, eccè pratum, eccè amœnus locus, in quo possumus refici & parùm quiescere, vt valeamus iter nostrū postmodùm incolumes explere. Cùm igitur & verba auribus, & loca oculis blandirentur, tertia admonitione persuasus, consensit & comédit: vespertina verò hora peruénit ad cellam. Præsentatus autem venerabili Benedicto patri, sibi orationem petijt: sed mox ei vir sanctus hoc, quod in via egerat, improperauit, dicens: Quid est, frater, quòd malignus hostis, qui tibi per conuiatorem tuum locutus est, semèl tibi persuadere non potuit, secundò non potuit, tertiò verò persuasit, & te ad hoc quod voluit, superauit? Tunc ille reatum infirmæ suæ mentis agnoscens, eius pedibus prouolutus, tanto magìs cœpit culpam deflere & erubescere, quāto se cognouit etiam absentem in Benedicti patris oculis deliquisse.

Obijcit cuidam, quod absens cōmiserat.

4. Reg. 5.

Petrus: Ego sancti viri præcordijs Elisæi spiritum video inesse, qui absenti discipulo præsens extitit.

Cap. 14.

Gregorius: Oportet, Petre, vt interim sileas, quatenùs adhuc maiora cognoscas. Gotthorum namque temporibus, cùm rex eorum Totila sanctum virum prophetiæ habere spiritum audisset, ad eius monasterium pergens, paulò longiùs substitit, eique se venturum esse nunciauit. Cui dum protinùs mandatum de monasterio fuisset vt veniret, ipse, sicut perfidæ mentis fuit, an vir Dei prophetiæ spiritum haberet, explorare conatus est. Quidam verò eius spatharius Riggo dicebatur, cui calceamenta sua præbuit, eumque indui vestibus regalibus fecit, quem quasi in persona sua pergere ad Dei hominem præcepit. In cuius obsequio tres, qui sibi præ cæteris adhęrere consueuerāt, comites misit, scilicet Vultericum, Rudericum & Blindinum, vt ante serui Dei oculos ipsum regem Totilam esse simulantes, eius lateri obambularent: cui alia quoque obsequia quasi spatharij præberent, vt tam ex eisdem obsequijs, quàm ex purpureis vestibus rex esse putaretur. Cumque idem Riggo decoratis vestibus obsequentum frequentia comitatus, monasterium fuisset ingressus, vir Dei eminùs sedebat. Quem venientem conspiciens, cùm iam ab eo audiri potuisset, clamauit, dicens: Pone fili, pone: hoc quod portas, non est tuum. Qui Riggo protinùs in terram cecidit, & quia tanto viro illudere præsumpsisset, expauit, omnesque qui cum eo ad hominem Dei veniebant, terræ consternati sunt. Surgentes autem, ad eum minimè ꝓpinquare præsumpserunt: sed ad suū regē reuersi, nūciauerūt trepidi, in quāta velocitate fuerāt depręhensi.

Totilæ regis versutia a S. Benedicto retegitur.

Cap. 15.

Tunc per se idem Totila ad Dei hominē accessit: quē cùm longè sedentē cerneret, non ausus accedere, sese in terram dedit. Cui cùm vir Dei bis terve diceret, Surge, sed ipse ante eum de terra erigere se non auderet: Benedictus Christi Iesu famulus per semetipsum dignatus est accedere ad regem, prostratumque de terra leuauit, & de suis actibus increpauit, atque in paucis sermonibus cuncta, quę illi erant ventura, prænunciauit, dicens: Multa mala facis, multa mala fecisti: iam aliquandò ab iniquitate conquiesce: Equidem Romam ingressurus es, mare transiturus, nouem annis regnans, decimo morieris. Quibus auditis, rex vehemēter territus, oratiōe petita recessit: atque ex illo iam tempore minùs crudelis fuit, & non multò pòst Romam adijt, ad Siciliam perrexit. Anno autem regni sui decimo, omnipotentis Dei iudicio regnum cum vita perdidit. Prætereà Canusinę antistes ecclesiæ ad eundem Dei famulum venire consueuerat, quem vir Dei pro vitę suæ merito valdè diligebat. Is itaque dum cum illo de ingressu regis Totilæ, & Romanę vrbis perditione colloquium haberet, dixit: Per hunc regem ciuitas ista destruetur, vt iam ampliùs non inhabitetur. Cui vir Domini respondit: Roma à gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus, coruscis, turbinibus ac terræmotu fatigata, *marcescet in semetipsa. Cuius prophetię mysteria nobis iam facta sunt luce clariora, qui in hac vrbe dissoluta mœnia, euersas domus, destructas ecclesias turbine cernimus, eiusque ædificia, longo senio lassata, quia ruinis crebrescentibus prosternantur videmus, quanuìs hoc Honoratus eius discipulus, cuius mi-

En barbari regis erga sanctū virū reuerentia.

Episcopus Canusinus.

S. Benedicti vaticinium de Roma.

* marcescet

us mihi relatione compertum est, nequaquàm ex ore illius audîsse se perhibet: sed quia hoc dixerit, dictum sibi à fratribus fuisse testatur.

Eodem quoquè tempore quidam Aquinensis ecclesiæ clericus dæmonio vexabatur, Cap. 16.
qui à venerabili viro Constantio, eiusdem ecclesiæ antistite, per multa fuerat martyrũ loca transmissus, vt sanari potuisset. Sed sancti Dei martyres noluerunt ei sanitatis donum tribuere, vt quanta esset in Benedicto gratia, demonstrarēt. Ductus itaque est ad omnipotentis Dei famulum Benedictum: qui Iesu Christo Domino preces fundens, Curat dæmoniacum.
antiquum hostē de obsesso homine protinùs expulit. Cui sanato præcepit, dicens: Vade, & posthàc carnem non comedas, ad sacrum ordinem nũquàm accedere præsumas: quacunque autem die ad sacrum ordinem accedere præsumpseris, statìm iuri diaboli iterùm mancipaberis. Discessit igitur clericus sanus, & sicut terrere solet animum pœna recens, ea, quæ vir Dei præceperat, interìm custodiuit. Cùm verò post annos multos omnes priores illius de hac luce migrâssent, & minores suos sibimet supponi in sacris ordinibus cerneret, verba viri Dei quasì ex longo tempore oblitus postposuit, atq; ad sacrum ordinem accessit, quem mox is, qui reliquerat, diabolus tenuit, eumq; vexare, quousquè animam eius excuteret, non cessauit.

Petrus: Iste vir Dei diuinitatis, vt video, etiam secreta penetrauit: quia perspexit hunc clericum idcircò diabolo traditum, nè ad sacrum ordinem auderet accedere.

Gregorius: Quarè diuinitatis secreta non nôsset, qui diuinitatis præcepta seruaret, cùm scriptum sit: Qui adhæret Domino, vnus spiritus est cum eo? 1.Cor.6.

Petrus: Si vnus fit cum Domino spiritus, qui Domino adhæret, quid est, quòd iterùm idem egregius prædicator dicit: Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Rom. 11.
Valdè enim esse inconueniens videtur, eius sensũm, cum quo vnus vnũ factum fuerit, ignorare.

Gregorius: Sancti viri, inquantùm cum Deo vnum sunt, sensum Domini non ignorant. Nam idem quoq; Apostolus dicit: Quis enim scit hominum, quę hominis sunt, 1.Cor.2.
nisi spiritus hominis, qui est in ipso? Ità & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei. qui vt se ostenderet nôsse, quæ Dei sunt, adiunxit: Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est. Ibidem.
Hinc iterùm dicit: Quod oculus nō vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quę pręparauit Deus diligentibus se: nobis autem reuelauit per spiritum suum.

Petrus: Si ergò eidem Apostolo ea, quæ Dei sunt, per Dei spiritum sunt reuelata, quomodò super hoc, quod proposuit, præmisit, dicens: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incompręhensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Rom.11.
Sed rursùm mihi hæc dicenti, alia suboritur quæstio. Nam Dauid propheta Domino loquitur, dicens: In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui. Et cùm minus Psal. 118.
sit nôsse, quàm etiam pronunciare, quid est, quòd Paulus incompręhensibilia esse Dei iudicia asserit: Dauid autem se omnia non solùm nôsse, sed etiam in labijs pronunciâsse testatur?

Gregorius: Ad vtraque hæc tibi superiùs sub breuitate respondi, dicens, quòd sancti viri, inquantùm cum Domino vnum sunt, sensum Domini non ignorant. Omnes enim, qui deuotè Dominum sequuntur, etiam deuotione cum Deo sunt, & adhuc carnis corruptibilis grauati pondere, cum Deo non sunt: occultaque Dei iudicia, inquantùm coniuncti sunt, sciunt: Inquantùm disiuncti sunt, nesciunt: quia enim secreta eius adhuc perfectè non penetrant, incompręhensibilia eius iudicia esse testantur. Iudicia Dei occulta vt sciãt sancti, itémque nesciant, dũ sunt in terris.
Qui verò mente ei inhærent, atque inhærendo vel sacris scripturę eloquijs, vel occultis reuelationibus, inquantùm accipiunt, agnoscunt: & nouerunt hæc, & pronunciant. Iudicia enim, quæ Deus tacet, nesciunt: quę Deus loquitur, sciunt. Vndè & Dauid propheta, cùm dixisset: In labijs meis pronunciaui omnia iudicia: protinùs addidit, Oris tui: àc si apertè dicat: Illa ego iudicia & nôsse & pronunciâsse potuī, quæ te dixisse cognoui. Nam ea, quæ ipse non loqueris, à nostra proculdubiò cognitione abscondis. Concordat ergò prophetia Apostolicaque sententia: quia & incompræhensibilia sunt Dei iudicia: & tamen quæ de ore eius prolata fuerint, humanis labijs pronunciantur: quoniam sciri ab hominibus, & prolata prodi possunt, & occultari nō possunt.

Petrus: In obiectione meæ quæstiunculæ patuit causa rationis. Sed quæso te, si qua sunt adhuc de viri huius virtute, subiunge.

Grego-

Cap. 17.

Prædicit excidium cœnobij sui.

Gregorius: Vir quidam nobilis, Theoprobus nomine, eiusdem Benedicti patris fuerat admonitione conuersus: qui pro vitæ suæ merito magnam apud eum familiaritatis fiduciam habebat. Hic cùm quadam die eius cellam esset ingressus, hunc amarissimè flentem reperit. Cumque diù subsisteret, eiusque non finiri lachrymas videret, nec tamen vir Dei consueuerat orando plangere, sed mœrendo, quænam causa tanti luctûs existeret, inquisiuit. Cui vir Dei ilicò respõdit: Omne hoc monasteriũ, quod construxi, & cuncta, quæ fratribus præparaui, omnipotentis Dei iudicio gentibus tradita sunt. Vix autem obtinere potui, vt mihi ex hoc loco animæ concederentur. Cuius vocem tunc Theoprobus audiuit, nos autem cernimus, qui destructum modò à Longobardorum gente eius monasterium scimus. Nocturno enim tempore & quiescentibus fratribus nupèr illi Longobardi ingressi sunt, qui diripientes omnia, ne vnum quidem hominem illic tenere potuerunt: sed impleuit omnipotens Deus, quod fideli famulo Benedicto promiserat, vt, si res gentibus traderet, animas custodiret. Qua in re Pauli vicem video tenuisse Benedictum, cuius dum nauis rerum omnium iacturam pertulit, ipse in consolatione vitam omnium, qui eum comitabantur, accepit.

Acto. 27.

Cap. 18.

Furtum videt in spiritu.

Quodam quoquè tempore Exhilaratus noster, quem ipse conuersum nôsti, trãsmissus à domino suo fuerat, vt Dei viro in monasterium vino plena duo lignea vascula, quæ vulgo flascones vocantur, deferret: qui vnum detulit, alterum verò pergens, in itinere abscondit. Vir autem Domini, quem facta absentia latére non poterant, vnum cum gratiarum actione suscepit, & discedentẽ puerum monuit, dicens: Vide fili, nè de illo flascone, quem abscondisti, bibas: sed inclina illum cautè, & inuenies, quid intùs habet. Qui confusus valdè, à Dei homine exiuit. Et reuersus, vols adhuc probare, quod audierat, cùm flasconem inclinâsset, de eo protinùs serpens egressus est. Tunc prædictus Exhilaratus puer per hoc, quod in vino reperit, expauit malum quod fecit.

Cap. 19.

Non longè autem à monasterio vicus erat, in quo nõ minima multitudo hominum ad fidem Dei ab idolorum cultu, Benedicti fuerat exhortatione conuersa. Ibi quoquè quædam sanctimoniales fœminæ inerant, & crebrò istuc pro exhortãdis animabus fratres suos mittere Benedictus Dei famulus curabat. Quadam verò die misit ex more: sed is, qui missus fuerat, monachus, post admonitionem factam, à sanctimonialibus fœminis rogatus mappulas accepit, sibique eas abscondit in sinu. Qui mox vt reuersus est, eum vir Dei vehementissima amaritudine cœpit increpare, dicens: Quomodò ingressa est iniquitas in sinum tuum? At ille obstupuit, & quid egisset oblitus, vndè corripiebatur ignorabat. Cui ait: Nunquid ego illic præsens non eram, quandò ab ancillis Dei mappulas accepisti, tibique eas in sinu misisti? Qui mox eius vestigijs pronolutus, stultè se egisse pœnituit, & eas, quas in sinu absconderat, mappulas abiecit.

Cernit absconsas mappulas datas monacho.

Cap. 20.

Quadam quoquè die, dum venerabilis pater vespertina iam hora corporis alimenta perciperet, eius monachus cuiusdam defensoris filius fuerat, qui ei ante mensam lucernam tenebat. Cumque vir Dei ederet, ipse autem eum lucernę ministerio adstaret, cœpit per superbię spiritum in mente sua tacitus voluere, & per cogitationẽ dicere: Quis est hic, cui ego manducanti assisto, lucernam teneo, seruitium impendo? Quis sum ego, vt isti inseruiã? Ad quem vir Dei statìm conuersus, vehementer cœpit eum increpare, dicens: Signa cor tuum, frater. Quid est, quod loqueris? signa cor tuũ. Vocatisque statìm fratribus, pręcepit ei lucernam de manibus tolli: ipsum verò iussit à ministerio recedere, & sibi hora eádem quietum sedere. Qui requisitus à fratribus, quid habuerit in corde, per ordinem narrauit, quanto superbiæ spiritu intumuerat, & quæ contra virum Dei verba per cogitationem tacitus dicebat. Tunc liquidò omnibus patuit, quòd venerabilem Benedictum latére nil posset, in cuius auribus tacitæ etiam cogitationis verba sonuissent.

Occultas videt monachi cogitationes.

Cap. 21.

Alio quoquè tempore in eádem Campaniæ regione fames incubuerat, magnaque omnes alimentorum indigentia coangustabat. Iamque in Benedicti monasterio triticum deerat. Panes verò penè omnes consumpti fuerant, vt non plusquàm quinque ad refectionis horam fratribus inueniri potuissent. Cumque eos venerabilis pater contristatos cerneret, eorum pusillanimitatem studuit modesta increpatione corrigere, & rursùm promissione subleuare, dicens: Quarè de panis inopia vester animus contristatur? Hodiè quidem minus est, sed die crastina abundanter habebitis. Sequenti autem die ducenti farinæ modij ante fores cellæ in saccis inuenti sunt, quos omnipotens Deus qui-

Farina diuinitùs allata.

us quibus deferentibus transmisisset, nunc vsque manet incognitum. Quod cùm fratres cernerent, Domino gratias referentes, didicerunt iam de abundantia nec in egestate dubitare.

Petrus: Dic, quæso te: nunquid non credendum est, huic Dei famulo semper prophetiæ spiritum adesse potuisse, an per interualla temporum eius mentem prophetiæ spiritus implebat?

Gregorius: Prophetiæ spiritus, Petre, prophetarum mentes nō semper irradiat: quia sicut de sancto spiritu scriptum est, Vbi vult spirat: ità sciendum est, quia & quandò Iohan.3. vult adspirat. Hinc est enim, quòd Nathan à rege requisitus, si construere templum posset, priùs consensit, & pòstmodùm prohibuit. Hinc est, quòd Elisæus cùm flentem 2.Reg.7. 4.Reg.4. mulierem cerneret, causamque nesciisset, ad prohibentem hanc puerum dicit: Dimitte eam, quia anima eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi. Quod omnipotens Deus ex magnæ pietatis dispēsatione disponit: quia dum prophetiæ spiritum aliquandò dat, & aliquandò subtrahit, prophetantium mentes & eleuat in celsitudine, & custodit in humilitate: vt & accipientes spiritum, inueniant quid de Deo sint: & rursùm prophetiæ spiritum non habentes, cognoscant quid sint de semetipsis.

Petrus: Ità hoc esse, vt asseris, magna ratio clamat: sed, quæso, de venerabili patre Benedicto, quicquid adhuc animo occurrit, exequere.

Gregorius: Alio quoque tempore à quodam fideli viro fuerat rogatus, vt in eius prędio iuxta Tartanosensem vrbem, missis discipulis suis, construere monasterium debuisset. Cap. 22. Qui roganti consentiens, deputatis fratribus patrem constituit, & quis ei secundus esset, ordinauit. Quibus euntibus spopondit, dicens: Ite, & die illo ego venio, & ostendo vobis, in quo loco oratorium, in quo refectorium fratrum, in quo susceptionem hospitū, vel quęque sunt necessaria, ædificare debeatis. Qui benedictione percepta, illicò perrexerunt, & constitutum diem magnoperè præstolantes, parauerunt omnia, quæ his, qui cum tanto patre venire potuissent, videbātur esse necessaria. Nocte verò eàdem, qua promissus illucescebat dies, eidem seruo Dei, quem illic patrem constituerant, atque eius Præposito, vir Domini in somnis apparuit, & loca singula, vbi quid ædificare debuissent, subtiliter designauit. Cumque vtrique à somno surgerent, sibi inuicèm, quid viderant, retulerunt. Non tamen visioni illi omnimodò fidem dantes, virum Dei, sicut se venire promiserat, expectabant. Cumque vir Dei constituto die minimè venisset, ad eum cum mœrore reuersi sunt, dicentes: Expectauimus, pater, vt venires, sicut promiseras, & nobis ostenderes, vbi quid ædificare deberemus, & non venisti. Quibus ipse ait: Quarè, fratres, quarè ista dicitis? Nunquid sicut promisi, non veni? Cui cùm ipsi dicerent, Quandò venisti? respondit, Nunquid vtrisque vobis dormientibus non apparui, & loca singula designaui? Ite, & sicut per visionem vidistis, omne habitaculum monasterij ità construite. Qui hæc audientes, vehementer admirati, ad prædictum prædium sunt reuersi, & cuncta habitacula, sicut ex reuelatione didicerant, construxerunt.

In somnis apparet adhuc viuens vir sanctus, & docet quæ promiserat.

Petrus: Doceri velim, quo fieri ordine potuit, vt longè iret responsum dormientibus dicere, quod ipsi per visionem audierant, & recognoscerent.

Gregorius: Quid est quod perscrutans rei gestæ ordinem, ambigis Petre? Liquet profectò, quia nobilioris naturæ est spiritus, quàm corpus. Et certè, scriptura teste, Dan.14. nouimus quòd propheta ex Iudæa subleuatus, repentè est cum prandio in Chaldæa depositus, quo videlicet prandio prophetam refecit, seque repentè in Iudæa iterùm inuenit. Si igitur tam longè Abacuc potuit sub momento corporaliter ire, & prandium deferre, quid mirum, si Benedictus pater obtinuit, quatenùs iret per spiritum, & fratrum quiescentium spiritibus necessāria narraret: vt sicut ille ad cibum corporis corporaliter perrexit, ità iste ad institutionem spiritalis vitæ spiritaliter pergeret?

Petrus: Manus tuæ locutionis, tersit meæ (fateor) dubietatē mentis, sed velim nōsse, in communi locutione qualis iste vir fuit.

Gregorius: Vix ipsa, Petre, communis eius locutio à virtutis erat pondere vacua: Cap. 23. quia cuius cor sese in alta suspenderat, nequaquā verba de ore illius incassùm cadebant. Si quid verò vnquàm non iam decernendo, sed minando diceret, tantas vires sermo illius habebat, àc si hoc non dubiè atque suspensè, sed iam per sententiam protulisset.

Nam nō longè ab eius monasterio duæ quædā sanctimoniales fœminæ, nobiliori genere exortæ, in loco proprio conuersabantur, quibus quidam religiosus vir ad exterioris vitæ vsum præbebat obsequium. Sed sicut nonnullis solet nobilitas generis parere ignobilitatem mentis, vt minùs se in hoc mundo despiciant, qui plus se cæteris aliquid fuisse meminerunt: necdùm prædictæ sanctimoniales fœminæ perfectè linguam suam sub habitùs sui freno restrinxerant, & eundē religiosum virum, qui ad exteriora necessaria eis obsequium præbebat, incautis sæpè sermonibus ad iracundiam prouocabant. Qui dum diù ista toleraret, perrexit ad Dei hominem: quātasque pateretur verborum contumelias, enarrauit. Vir autem Dei hæc de illis audiens, eis protinùs mandauit, dicens: Corrigite linguam vestram: quia si non emendaueritis, excommunico vos. Quam videlicet excommunicationis sententiā non proferendo intulit, sed minando. Illæ autem à pristinis moribus nihil mutatæ, intra paucos dies defunctæ sunt, atque in ecclesia sepultæ. Cumque in eádem ecclesia Missarum solennia celebrarentur, atque ex more diaconus clamaret, Si quis non communicat, det locum: nutrix earum, quę pro eis oblationem Domino offerre consueuerat, eas de sepulcris suis progredi & exire videbat. Quod dum sæpiùs cerneret, quia ad vocem diaconi clamantis exibant foràs, atque intra ecclesiam permanere non poterant, ad memoriam reduxit, quę vir Dei illis adhuc viuentibus mandauit. Eas quippe se cōmunione priuare dixerat, nisi mores suos & verba corrigerent. Tunc seruo Dei cum graui mœrore indicatum est: qui manu sua protinùs oblationem dedit, dicens: Ite, & hanc oblationem pro eis offerri Domino facite, & vlteriùs excommunicatę non erunt. Quæ dum oblatio pro eis fuisset immolata, & à diacono iuxta morem clamatum est, vt non communicantes, ab ecclesia exirent, illæ exire ab ecclesia vlteriùs visæ non sunt. Qua ex re indubitanter patuit, quia dum inter eos qui communione priuati sunt, minimè recederent, communionem à Domino per seruum Domini recepissent.

Minatur excommunicationem linguis procacibus.

Illius excommunicationis comminatę vis.

Petrus: Mirum valdè, quod dicis, quanuis venerabilem & sanctissimū virum, adhuc tamen in hac carne corruptibili degentem, potuisse animas soluere in illo iam inuisibili iudicio constitutas.

Matth. 16.

Absolui possunt animæ etiam corporibus exutæ.

Gregorius: Nunquidnàm, Petre, in hac adhuc carne nō erat, qui audiebat: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quæ solueris super terram, soluta erunt & in cęlis? Cuius nunc vicem ligando & soluendo obtinēt, qui locū sancti regiminis fide & moribus tenent. Sed vt tāta valeat homo de terra, cæli & terræ conditor in terram venit è cęlo: atque vt iudicare caro etiam de spiritalibus possit, hoc ei largiri dignatus est factus pro hominibus Deus caro: quia indè surrexit vltra se infirmitas nostra, vndè sub se infirmata est firmitas Dei.

Petrus: Cum virtute signorum concorditer loquitur ratio verborum.

Cap. 24.

Pœna inobedientiæ.

Gregorius: Quadam quoque die, dum quidam eius puerulus monachus parentes suos vltrà, quàm deberet, diligens, atque ad eorum habitaculum tendens, sine benedictione de monasterio exijsset, eodē die mox, vt ad eos peruénit, defunctus est. Cumq; esset sepultus, die altero proiectum foràs corpus eius inuentum est: quod rursùs tradere sepulturæ curauerunt. Sed sequenti die iterùm proiectum exteriùs atque inhumatum, sicut priùs, inuenerūt. Tunc concitè ad Benedicti patris vestigia currētes, cum magno fletu petiērunt, vt ei suam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu sua protinùs communionem Dominici corporis dedit, dicens: Ite, atque hoc Dominicum corpus super pectus eius cum magna reuerentia ponite, & sic sepulturę eum tradite. Quod dum factum fuisset, susceptum corpus eius terra tenuit, nec vltrà proiecit. Perpendis, Petre, apud Iesum Christum Dominum cuius meriti iste vir fuerit, vt eius corpus etiam terra proiecerit, qui Benedicti gratiam non haberet?

Effectus corporis Christi.

Petrus: Perpendo planè, & vehementer stupeo.

Cap. 25.

Instabilis monachus draconem videt.

Gregorius: Quidam autem eius monachus mobilitati mentis deditus erat, & permanere in monasterio nolebat. Cumque eum vir Dei assiduè corriperet, & frequenter admoneret, ipse verò nullo modo consentiret in congregatione persistere, atque importunis precibus, vt relaxaretur, innueret: quadam die idem venerabilis pater, nimietatis eius tędio affectus, iratus iussit vt discederet. Qui mox vt monasterium exijt, contra se assistere aperto ore draconem in itinere inuénit. Cumque eum idem draco, qui apparuerat, deuorare vellet, cœpit ipse tremens & palpitans magnis vocibus

bus clamare, dicẽs: Succurrite succurrite: quia draco iste me deuorare vult. Currẽtes autem fratres, draconem minime viderunt, sed trementem atque palpitantem monachum ad monasterium reduxerunt. Qui statim promisit nunquàm se esse à monasterio recessurum, atque ex hora eádem in sua promissione permansit: quippe qui sancti viri orationibus contra se assistere draconem viderat, quem potiùs non videndo sequebatur.

Sed neque hoc silendum puto, quod illustri viro Antonio narrãte cognoui, qui aiebat patris sui puerum morbo elephantino fuisse correptum, ità vt iam pilis cadentibus, cutis intumesceret, atque increscentem saniem occultare non posset. Qui ad virum Dei ab eodẽ patre eius missus est, & saluti pristinæ sub omni celeritate restitutus. Cap. 26.

Neque illud taceam, quod eius discipulus, Peregrinus nomine, narrare consueuerat: quia die quadam fidelis vir quidam necessitate debiti compulsus, vnum fore sibi remedium credidit, si ad Dei virum pergeret, & quæ eum vrgeret debiti necessitas, indicaret. Venit itaque ad monasterium, omnipotentis Dei famulum reperit: quia à creditore suo pro duodecim solidis grauiter affligeretur, intimauit. Cui venerabilis pater nequaquàm se habere duodecim solidos, respondit, sed tamen eius inopiam blanda locutione consolatus, ait: Vade, & post biduum reuertere: quia deest hodiè, quod tibi debeam dare. In ipso autem biduo more suo in oratione fuit occupatus. Cumq́ue die tertio is, qui necessitate debiti affligebatur, rediјt, super arcam monasterij, quæ erat frumento plena, subitò tredecim solidi sunt inuenti. Quos vir Dei deferri iussit, & afflicto petitori tribuit, dicens, vt duodecim redderet, & vnum in expensis proprijs haberet. Sed ad ea nunc redeam, quæ eius discipulis, in libri huius exordio, prædictis, referentibus agnoui. Quidam vir grauissima aduersarij sui æmulatione laborabat, cuius ad hoc vsque odium prorupit, vt ei nescienti in potu venenum daret. Qui quanuis vitam auferre non valuit, cutis tamen colorem mutauit, ità vt diffusa in corpore eius varietas, lepræ morem imitari videretur. Sed ad DEI hominem deductus, salutem pristinam citiùs recepit. nam mox vt eum tetigit, omnem cutis illius varietatem fugauit. Cap. 27. Iuuat ære alieno press. Sanat veneno infectũ.

Eo quoquè tempore, quo alimentorum inopia Campaniam grauiter affligebat, vir Dei diuersis indigentibus monasterij sui cuncta tribuerat, vt penè nihil in cellario, nisì parùm quid olei in vitreo vase remaneret. Tunc quidam subdiaconus, Agapitus nomine, aduenit, magnoperè postulans, vt sibi aliquantulum olei dari debuisset. Vir autẽ Domini, qui cuncta decreuerat in terra tribuere, vt in cælo omnia reseruaret, hoc ipsum parùm, quod remanserat, olei iussit petenti dari. Monachus verò, qui cellarium tenebat, audiuit quidem iubentis verba, sed implere distulit. Cumq́ue post paululùm, si id quod iusserat, datum esset, inquireret, respõdit monachus se minimè dedisse: quia si illud ei tribueret, omninò nihil fratribus remaneret. Tunc iratus, alijs præcepit, vt hoc ipsum vas vitreum, in quo parùm olei remansisse videbatur, per fenestram proijcerent, nè in cella aliquid per inobedientiam remaneret. Factumq́ue est. Sub fenestra autem eadem ingens præcipitium patebat, saxorum molibus asperum. Proiectũ itaque vas vitreum venit in saxis, sed sic mansit incolume, àc si proiectum minimè fuisset, ità vt neque frangi, neq; oleum effundi potuisset. Quod vir Domini præcepit leuari, atque vt erat integrum, petenti tribui. Tunc collectis fratribus inobedientem monachũ de infidelitate sua & superbia coram omnibus increpauit. Cap. 28. Benignitas in egenos. Insigne miraculum.

Qua increpatione completa, sese cum eisdem fratribus in orationẽ dedit. In eo autem loco, vbi cum fratribus orabat, vacuum erat ab eo oleo dolium & coopertum. Cumq́ue sanctus vir in oratione persisteret, cœpit operimentum eiusdem dolij, oleo excrescente, subleuari. Quo commoto atque subleuato, oleum, quod excreuerat, ora dolij transiens, pauimentum loci, in quo incubuerat, inundabat. Quod Benedictus Dei famulus vt adspexit, protinùs orationem compleuit, atque in pauimentum oleum defluere cessauit. Tunc diffidentem inobedientemq́ue fratrem latiùs admonuit, vt fidem habere disceret & humilitatẽ. Idem verò frater salubriter correptus erubuit, quia venerabilis pater virtutem omnipotentis Dei, quam admonitione intimauerat, miraculis ostendebat: nec erat iam, vt quisquam de eius promissionibus dubitare posset: qui in vno eodemq́ue momento pro vitreo vase penè vacuo, plenum oleo dolium reddidisset. Cap. 29. Precibus impetrat oleũ à Deo

Cap. 30. Quadam die dum ad beati Iohannis oratorium, quod in ipsa montis celsitudine situm est, pergeret, ei antiquus hostis in mulo medici specie obuiàm factus est, cor- *trepedicā nu & *terpidicam ferens. Quem cùm requisisset, dicens: Quò vadis? ille respondit: Ecce ad fratres vado, potionem eis dare. Itaque perrexit venerabilis pater Benedictus ad orationem, qua completa, cóncitus redijt. Malignus verò spiritus vnum seniorem monachum inuenit aquam haurientem: in quem statim ingressus est, eumque in ter- Alapa pel. lit dæmo. nem. ram proiecit, & vehementissimè vexauit. Quem cùm vir Dei ab oratione rediēs, tam crudeliter vexari conspiceret, ei solummodò alapam dedit, & malignum ab eo spiritū protinùs excussit, ità vt ad eum redire vlteriùs non auderet.

Petrus: Velim nôsse, si hæc tanta miracula virtute semper orationis impetrabat, an aliquandò etiam solo voluntatis exhibebat nutu.

Miracula vt faciant sancti. Gregorius: Qui deuota mente Deo adhærent, cùm rerum necessitas exposcit, exhibere signa modo vtroque solent, vt mira quæque aliquandò ex prece faciant, aliquan- Iohan.1. dò ex potestate. Cùm enim Iohannes dicat: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: qui filij Dei ex potestate sunt, quid mirum, si signa facere ex potestate valeant? Quia enim vtroque modo miracula exhibeant, testatur Petrus, Acto 9.& 5. qui Tabitham mortuam orando suscitauit: Ananiam verò & Saphiram mentientes, morti increpando tradidit. Neque enim oràsse in eorū extinctione legitur, sed solummodò culpam, quam perpetrauerant, increpàsse. Constat ergò, quòd aliquandò hæc ex potestate, aliquandò verò exhibent ex postulatione, dum & istis vitam increpando abstulit, & illi reddidit orando. Nam duo quoquè fidelis famuli Dei Benedicti facta nūc replico, in quibus apertè clareat, aliud huhc accepta diuinitùs ex potestate, aliud ex oratione potuisse.

Cap.31. *Zalla Gotthorum quidam, Galla nomine, perfidiæ fuit Arianæ, qui Totilæ regis eorum temporibus, contra catholicæ Ecclesiæ religiosos viros ardore immanissimæ crude- Arriani persequuntur clericos & monachos. litatis exarsit, ità vt quisquis ei clericus monachus've ante faciem venisset, ab eius manibus viuus nullo modo exiret. Quadam verò die auaritiæ suæ æstu succensus, in rapinam rerum inhians, dum quendam rusticum tormentis crudelibus affligeret, eumque per supplicia diuersa laniaret, victus pœnis rusticus, sese res suas Benedicto Dei famulo commendàsse professus est, vt dum hoc à torquente crederetur, suspensa interim crudelitate, ad horam vita repararetur. Tunc idem Galla cessauit rusticum tormentis affligere, sed eius brachia loris fortibus adstringens, ante equum suum cœpit impellere, vt quis esset Benedictus, qui eius res susceperat, demonstraret. Quem ligatis brachijs rusticus antecedens, duxit ad sancti viri monasterium, eumque ante ingressum cellæ solum sedentem reperit & legentem. Eidem autem subsequenti & sæuienti Gallæ rusticus dixit: Ecce iste est, de quo dixeram tibi, Benedictus pater. Quem dum feruido spiritu eum peruersæ mentis insania fuisset intuitus, eo terrore, quo cōsueuerat, actu rum se existimans, magnis cœpit vocibus clamare, dicens: Surge, surge, & res istius rustici redde, quas accepisti. Ad cuius vocem vir Dei protinùs oculos leuauit à lectione, Nota quid possit sancti viri. cumque intuitus, mox etiam rusticum, qui ligatus tenebatur, attendit. Ad cuius brachia dum oculos deflexisset, miro modo tanta se celeritate cœperunt illigata brachijs lora deuòlnere, vt dissolui tam concitè nulla hominū festinatione potuissent. Cumq; Is, qui ligatus venerat, cœpisset subitò adstare solutus, ad tantę potestatis vim tremefactus Galla, ad terram corruit, & ceruicem crudelitatis rigidę ad eius vestigia inclinās, se orationibus illius commendauit. Vir autem sanctus à lectione minimè surrexit: sed vocatis fratribus, eum introrsùs tolli, vt benedictionem acciperet, præcepit. Quem ad se reductum, vt à tantę crudelitatis insania quiescere deberet, admonuit. Qui fractus, recedens, nil vlteriùs peterè à rustico prçsumpsit, quem vir Domini non tāgendo, sed respiciendo soluerat. Ecce est, Petre, quod dixi, quia hi qui omnipotenti Deo familiatiùs seruiunt, aliquandò mira facere etiam ex potestate possunt. Qui enim ferocitatem Gotthi terribilis sedens repressit, lora verò nodosque ligaturæ, quæ innocentis brachia adstrinxerant, oculis dissoluit, ipsa miraculi celeritate indicat, quia ex potestate acceperat habere quod fecit. Rursùm quoquè, quale quantumque miraculum orando valuit obtinere, subinngam.

Cap.32. Quadam die cum fratribus ad agri opera fuerat egressus. Quidam verò rusticus defuncti filij corpus in vlnis ferens, orbitatis luctu æstuans, ad monasterium venit, Bene-

dictum

dictum patrem quæsiuit. Cui cùm dictum esset, quia idem pater cum fratribus in agro moraretur, protinùs ante monasterij ianuam corpus extincti filij proiecit, & dolore turbatus, ad inueniendum venerabilem patrem sese in cursum cōncitus dedit. Eâdem verò hora vir Dei ab agri opere iam cum fratribus reuertebatur. Quem mox vt orbatus rusticus adspexit, clamare cœpit: Redde filium meum, redde filium meum. Vir autem Dei in hac voce substitit, dicens: Nunquid ego filium tuum tibi abstuli? Cui ille respondit: Mortuus est: veni, resuscita eum. Quod vt mox Dei famulus audiuit, valdè contristatus est, dicens: Recedite, fratres, recedite: hæc nostra non sunt, sed sanctorum Apostolorum. Quid nobis onera vultis imponere, quæ non possumus portare? At ille, quem nimius cogebat dolor, in sua petitione perstitit, iurans, quòd non recederet, nisi eius filium resuscitaret. Quem mox Dei famulus inquisiuit, dicens: Vbi est? Cui ille respondit: Ecce corpus eius ad ianuam monasterij iacet. Vbi cùm vir Dei eum fratribus peruenisset, flexit genu, & super corpusculum infantis incubuit, seseque erigens, ad cælum palmas tetendit, dicens: Domine, non adspicias peccata mea, sed fidem huius hominis, qui resuscitari filium suum rogat, & redde in hoc corpusculum animam, quam abstulisti. Vix in oratione verba compleuerat, & regrediente anima, ità corpusculum pueri omne contremuit, vt sub oculis omnium, qui aderant, apparuerit concussione mirifica tremendo palpitâsse. Cuius mox manum tenuit, & eum patri viuentem atque incolumem dedit. Liquet, Petre, quia hoc miraculum in potestate non habuit, quod prostratus petijt, vt exhibere potuisset.

Humilitas sancti viri.

Restituit vitæ defunctum.

Petrus: Sic cuncta esse, vt asseris, constat patenter: quia verba, quæ proposûeras, rebus probas. Sed quæso te, vt indices, si sancti viri omnia quæ volunt, possunt: & cuncta impetrant, quæ desiderant obtinere.

Gregorius: Quisnam erit, Petre, in hac vita Paulo sublimior, qui de carnis suæ stimulo tèr Dominum rogauit, & tamen quod voluït, obtinere non valuit? Ex qua re necessè est, vt tibi de venerabili patre Benedicto narrem, quia fuit quiddam quod voluït, sed non valuit, implere. Soror nanque eius, Scholastica nomine, omnipotenti Domino ab ipso infantiæ tempore dedicata, ad eum semèl per annum venire consueuerat. Ad quam vir Dei non longè extra ianuam in possessione monasterij descendebat. Quadam verò die venit ex more, atque ad eam cum discipulis venerabilis eius descendit frater: qui totum diem in Dei laudibus sacrisque colloquijs ducentes, incumbentibus iam noctis tenebris, simul acceperunt cibos. Cumque adhuc ad mensam sederent, & inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem sanctimonialis fœmina soror eius eum rogauit, dicens: Quæso te, vt ista nocte me non deseras, vt vsque manè de cælestis vitæ gaudijs loquamur. Cui ille respondit: Quid est, quod loqueris, soror? Manere extra cellam nullatenùs possum. Tanta verò erat cæli serenitas, vt nulla in aëre nubes appareret. Sanctimonialis autem fœmina, cùm verba fratris negantis audisset, insertas digitis manus super mensam posuit, & caput in manibus, omnipotentem Dominum rogatura, declinauit. Cumque de mensa leuaret caput, tanta coruscationis & tonitrui virtus, tantaque inundatio pluuiæ erupit, vt neque venerabilis Benedictus, neque fratres, qui cum eo aderant, extra loci limen, quo consederant, pedem mouere potuissent. Sanctimonialis quippe fœmina caput in manibus declinans, lachrymarum fluuium in mensam fuderat, per quas serenitatem aëris ad pluuiam traxit. Nec paulo tardiùs post orationem inundatio illa secuta est: sed tanta fuit conuenientia orationis & inundationis, vt de mensa caput iam cum tonitruo leuaret, quatenùs vnum idemque esset momentum, & leuare caput, & pluuiam dēponere. Tunc vir Dei inter coruscos & tonitruos atque ingentis pluuiæ inundationem videns se ad monasterium non posse remeare, cœpit conqueri contristatus, dicens: Parcat tibi omnipotens Deus, soror: quid est quod fecisti? Cui illa respondit: Ecce te rogaui, & audire me noluisti: rogaui Dominum meum, & audiuit me. Modò ergò, si potes, egredere, & me dimissa, ad monasterium recede. Ipse autem exire extra tectum non valens, quia remanere spontè noluit, in loco mansit inuitus. Sicque factum est, vt totam noctem peruigilem ducerent, atque per sacra spiritalis vitæ colloquia sese vicaria relatione satiarent. Qua de re dixi eum voluisse aliquid, sed minimè potuisse: quia si venerabilis viri mentem adspicimus, dubium non est, quin eandem serenitatem voluërit, in qua descenderat, permanere: sed contra hoc, quod voluït, in virtute omni-

Cap. 31.

2. Cor. 12.

Scholastica soror S. Benedicti, sanctimonialis.

Efficacia precũ eius.

omnipotentis Dei ex fœminæ pectore miraculum inuenit. Nec mirum, quod plus illo fœmina, quæ diù fratrem videre cupiebat, in eodem tempore valuit. Quia enim, iuxta Iohannis vocem, Deus charitas est: iusto valdè iudicio illa plùs potuit, quæ amplius amauit. [1. Ioan. 4.]

Petrus: Fateor, multùm placet quod dicis.

[Cap. 34.] Gregorius: Cumque die altero eadem venerabilis fœmina ad cellam propriam recessisset, vir Dei ad monasterium rediit. Cùm ecce post triduum in cella consistens, eleuatis in aëra oculis, vidit eiusdem sororis suæ animam de eius corpore egressam, in columbæ specie cæli secreta penetrare. Qui tantæ eius gloriæ congaudens, omnipotenti Deo in hymnis & laudibus gratias reddidit, eiusque obitum fratribus denunciauit. Quos etiam protinùs misit, vt eius corpus ad monasterium deferrēt, atque in sepulcro, quod sibi ipse parauerat, ponerent. Quo facto contigit, vt quorum mens vna semper in Deo fuerat, eorum quoquè corpora nec sepultura separaret. [Anima Scholasticæ in columbæ specie cæli secreta penetrauit.]

[Cap. 35.] Alio quoquè tempore Seruandus diaconus atque Abbas eius monasterij, quod in Campaniæ partibus à Liberio quondàm patricio fuerat constructum, ad eum visitationis gratia ex more venire cōsueuerat. Eius quippe monasterium frequentabat, vt quia idem quoq; vir doctrina gratiæ cælestis influebat, dulcia sibi inuicèm vitæ verba transfunderent, & suauem cibum cælestis patriæ, quem adhuc perfectè gaudendo non poterant, saltem suspirando gustarent. Cumque hora iam quietis exigeret, in cuius turris superioribus se venerabilis Benedictus, in eius quoquè inferioribus se Seruandus diaconus collocauit: quo videlicet in loco inferiora ad superiora peruius cōtinuabat ascensus. Ante eandem verò turrim largius erat habitaculum, in quo vtriusque discipuli quiescebant. Cumque vir Dei Benedictus, quiescentibus adhuc fratribus, instans vigilijs, nocturnæ orationis tempora præuenisset, ad fenestram stans & omnipotentem Deum deprecās, subitò intempesta noctis hora respiciens, vidit fusam lucem desupèr, cunctas noctis tenebras effugâsse, tantoque splendore clarescere, vt diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiâsset. Mira autem res valdè in hac speculatione secuta est: quia, sicut pòst ipse narrauit, omnis etiam mundus, velut sub vno solis radio collectus, ante oculos eius adductus est. Qui venerabilis pater dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani episcopi animam in sphæra ignea ab angelis in cælum ferri. Tunc tanti sibi testem volens adhibere miraculi, Seruandum diaconum, iterato bis terque eius nomine, cum clamoris magnitudine vocauit. Cumque ille fuisset insolito tanti viri clamore turbatus, ascendit, respexit, partemque iam lucis exiguam vidit. Cui tantum hoc obstupescenti miraculum, vir Dei per ordinem, quæ fuerant gesta, narrauit: statimque in Casinum castrum religioso viro Theoprobo mandauit, vt ad Capuanam vrbem sub eadem nocte transmitteret, & quid de Germano episcopo ageretur, agnosceret & indicaret. Factumque est: & reuerentissimum virum Germanum episcopum is, qui missus fuerat, iam defunctum reperit, & requirens subtiliter, agnouit eodem momento fuisse illius obitum, quo vir Domini eius cognouit ascensum. [Seruandus diaconus & Abbas.] [S. Benedictus videt animam S. Germani ferri in cælum.]

Petrus: Mira res valdè, & vehementer stupenda. Sed hoc, quod dictum est, quia ante oculos ipsius, quasi sub vno solis radio collectus, omnis mundus adductus est, sicut nunquàm expertus sum, ità nec conijcere scio, quonam ordine fieri potest, vt mundus omnis ab homine vno videatur.

[Anima videns Deũ, quã facile videat quicquid est infra Deum.] Gregorius: Fixum tene Petre, quod loquor: quia animæ videnti creatorem, angusta est omnis creatura. Quamlibèt etenim parùm de luce creatoris adspexerit, breue ei fit omne, quod creatum est: quia ipsa luce visionis intimæ mētis laxatur sinus, tantumq; panditur in Deo, vt superior existat mundo. Fit verò ipsa videntis anima etiam super semetipsam. Cumq; in Dei lumine rapitur, super se in interioribus ampliatur: & dum sub se conspicit exaltata, comprehendit quàm breue sit, quod comprehendere humiliata non poterat. Vir ergò Dei, qui in turri globum igneum, angelos quoquè ad cælum redeuntes videbat, hæc proculdubiò cernere non nisi in Dei lumine poterat. Quid itaq; mirum, si mundū ante se collectū vidit, qui sublevatus in mentis lumine, extra mundū fuit? Quòd aut collectus mundus ante eius oculos dicitur, non cælum & terra contracta est, sed videntis animus est dilatatus: qui in Deo raptus, vidēre sine difficultate potuit omne, quod infra Deū est. In illa ergò luce, quæ exterioribus oculis fulsit, lux interior in mente

re fuit, quæ videntis animum cùm ad superiora rapuit, ei, quàm angusta essent omnia inferiora, monstrauit.

Petrus: Videor mihi vtiliter non intellexisse, quæ dixeras, quandò ex tarditate mea tantum creuit expositio tua. Sed quia hæc liquidè meis sensibus infudisti, quæso, vt ad narrationis ordinem redeas.

Cap. 36.

D. Benedictus scripsit monachorū regulā discretione p̄cipuam.

Gregorius: Libet, Petre, adhuc de hoc venerabili patre multa narrare, sed quædam eius studiosè prætereo, quia ad aliorum gesta voluenda festino. Hoc autem nolo te lateat, quòd vir Dei inter tot miracula, quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulsit. Nam scripsit monachorum Regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam. Cuius si quis velit subtiliùs mores vitamque cognoscere, potest in eadem institutione Regulæ omnes magisterij illius actus inuenire: quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quàm vixit.

Cap. 37.

Mortē suā munit Eucharistia, & feliciter obdormit.

Eodem verò anno, quo de hac vita erat exiturus, quibusdam discipulis secum conuersantibus, quibusdam longè manentibus, sanctissimi sui obitûs denunciauit diem: præsentibus indicens, vt audita, per silentium tegerent: absentibus indicans, quod vel quale eis signum fieret, quandò eius anima de corpore exiret. Ante sextum verò sui exitûs diem aperiri sibi sepulturam iubet. Qui mox correptus febribus, acri cœpit ardore fatigari. Cumque per dies singulos languor ingrauesceret, sexta die portari se in oratorium à discipulis fecit, ibique exitum suum Dominici corporis & sanguinis perceptione muniuit, atque inter discipulorum manus imbecillia membra sustentans, erectis in cælum manibus stetit, & vltimum spiritum inter verba orationis efflauit. Qua scilicet die duobus de eo fratribus, vni in cella commoranti, alteri autem longiùs posito, reuelatio vnius atque indissimilis visionis apparuit. Viderunt namque, quia strata pallis atque innumeris corusca lampadibus via, recto Orientis tramite ab eius cella in cælum vsque tendebatur. Cui venerando habitu vir desupèr clarus assistens, cuius esset via, quam cernerent, inquisiuit. Illi autem se nescire professi sunt. Quibus ipse ait: Hæc est via, qua dilectus Domino cælum Benedictus ascendit. Tunc itaq; sancti viri obitum sicut præsentes discipuli viderunt, ità absentes ex signo, quod eis prædictum fuerat, agnouerunt. Sepultus verò est in oratorio beati Iohannis Baptistæ, quod, destructa ara Apollinis, ipse construxit. Qui & in eo specu, in quo priùs habitauit, nunc vsque, si petentium fides exigat, miraculis coruscat.

Cap. 38.

Amēs mulier redit ad sanitatem.

Nupèr namque est res gesta, quam narro. Quædam mulier mente capta, dum sensum funditùs perdidisset, per montes & valles, & syluas & campos die noctuque vagabatur: ibi tantummodò quiescebat, vbi hanc quiescere lassitudo coëgisset. Quadam verò die dum vaga nimium erraret, ad beati viri Benedicti specum deuenit, ibique nesciens ingressa mansit. Manè autem facto, ità sanato sensu egressa est, ac si eam nunquàm insania capitis vlla tenuisset: quæ omni vitæ suæ tempore in eadē, quā accepit, salute permāsit.

Petrus: Quidnam esse dicimus, quòd plerunque in ipsis quoq; patrocinijs martyrum sic esse sentimus, vt nō tanta per corpora sua, quanta beneficia per reliquias ostendant, atque illic maiora signa faciunt, vbi minimè per semetipsos iacent?

Sancti viri q̄ possunt ipsos inuocantes exaudire.

Gregorius: Vbi in suis corporibus sancti martyres iacēt, dubium, Petre, nō est, quòd multa valeant signa demonstrare, sicut & faciunt, & pura mente quærentibus innumera miracula ostendunt. Sed quia ab infirmis potest mentibus dubitari, vtrum'ne ad exaudiendum ibi præsentes sint, vbi constat, quia in suis corporibus non sint: ibi necessè est eos maiora signa ostendere, vbi de eorum præsentia potest mens infirma dubitare. Quorum verò mens in Deo fixa est, tantò maius habet fidei meritum, quantò illic eos nouit & non iacere corpore, & tamen non deesse ab exauditione. Vnde ipsa quoque veritas, vt fidem discipulis augeret, dixit: Si ego non abiero, paracletus non veniet ad vos. Cùm enim constet, quia paracletus spiritus à patre semper procedat & filio, cur se filius recessurum dicit, vt ille veniat, qui à filio nūquàm recedit? Sed quia discipuli Dominum in carne cernētes, corporeis hunc oculis semper videre sitiebant, rectè eis dicitur: Nisi ego abiero, paracletus non veniet: ac si apertè diceretur: Si corpus non subtraho, quis sit amor spiritûs, non ostendo: & nisi me desieritis carnaliter cernere, nunquàm me discetis spiritaliter amare. Iohan. 16.

Petrus: Placet quod dicis.

FINIS.

TABV-


TABVLA CAPITVLORVM REGVLAE EXIMII CONFESSORIS SANCTISSIMI BENEDICTI.

PROLOGVS ipsius beatissimi patris in Regulam. pagina 1.
Cap. 1. De generibus monachorum. 3
Cap. 2. Qualis debeat esse Abbas. 3
Cap. 3. De adhibendis ad consilium fratribus. 5
Cap. 4. Quae sunt instrumenta bonorũ operum. 5
Cap. 5. De obedientia. 7
Cap. 6. De taciturnitate. 8
Cap. 7. De humilitate. 8
Cap. 8. De officijs diuinis in noctibus. 11
Cap. 9. Quanti psalmi dicẽdi sint in nocturnis horis. 11
Cap. 10. Qualiter aestatis tempore agatur nocturna laus. 12
Cap. 11. Qualiter Dominicis diebus vigiliae agantur. 12
Cap. 12. Qualiter matutinorũ solẽnitas agatur. 13
Cap. 13. Priuatis diebus qualiter agantur matutini. 13
Cap. 14. In natalitijs Sanctorum qualiter agantur vigiliae. 13
Cap. 15. Alleluia quibus temporibus dicatur. 13
Cap. 16. Qualiter diuina opera per diẽ agãtur. 14
Cap. 17. Quanti psalmi per easdem horas canendi sunt. 14
Cap. 18. Quo ordine psalmi dicendi sunt. 14
Cap. 19. De disciplina psallendi. 15
Cap. 20. De reuerentia orationis. 16
Cap. 21. De Decanis, & de Praeposito monasterij. 16
Cap. 22. Quomodò dormiant monachi. 16
Cap. 23. De excommunicatione culparum. 16
Cap. 24. Qualis debeat esse modus excommunicationis. 17
Cap. 25. De grauioribus culpis. 17
Cap. 26. De his, qui sine iussione Abbatis iungunt se excommunicatis. 17
Cap. 27. Qualiter debeat Abbas esse solicitus circa excommunicatos. 17
Cap. 28. De his, qui saepiùs correpti, non emendauerint. 17
Cap. 29. Si debeant iterùm recipi fratres exeuntes de monasterio. 18
Cap. 30. De pueris minori aetate qualiter corrigantur. 18
Cap. 31. De cellerario monasterij. 18
Cap. 32. De ferramentis & rebus monasterij. 19
Cap. 33. Si debeant monachi aliquid proprium habere. 19
Cap. 34. Si omnes aequaliter debeãt necessaria accipere. 19
Cap. 35. De septimanarijs coquinae. 19
Cap. 36. De infirmis fratribus. 20
Cap. 37. De senibus & infantibus. 20
Cap. 38. De hebdomadario lectore. 20
Cap. 39. De mensura ciborum. 21
Cap. 40. De mensura potûs. 21
Cap. 41. Quibus horis oporteat reficere fratres. 22
Cap. 42. Vt post completorium nemo loquatur. 22
Cap. 43. De his qui ad opus Dei, vel ad mensam tardè occurrunt. 22
Cap. 44. De his qui excommunicãtur, quomodò satisfaciant. 23
Cap. 45. De his qui falluntur in oratorio. 23
Cap. 46. De his qui in alijs quibuslibet rebus delinquunt. 23
Cap. 47. De significanda hora operis Dei. 24
Cap. 48. De opere manuum quotidiano. 24
Cap. 49. De Quadragesimae obseruatione. 25
Cap. 50. De fratribus qui longè ab oratorio laborant, aut in via sunt. 25
Cap. 51. De fratribus qui non longè satis proficiscuntur. 25
Cap. 52. De oratorio monasterij. 25
Cap. 53. De hospitibus suscipiendis. 25
Cap. 54. Quòd nõ debeant monachi literas vel eulogias accipere. 26
Cap. 55. De vestimentis & calceamẽtis fratrũ 26.
Cap. 56. De mensa Abbatis. 27
Cap. 57. De artificibus monasterij. 27
Cap. 58. De disciplina suscipiẽdorum fratrum. 27
Cap. 59. De filijs nobilium vel pauperum quomodò offerantur. 28
Cap. 60. De sacerdotibus qui voluerint habitare in monasterio. 29
Cap. 61. De monachis peregrinis, qualiter suscipiantur. 29
Cap. 62. De sacerdotibus monasterij. 30
Cap. 63. De ordine congregationis. 30
Cap. 64. De ordinando Abbate. 31
Cap. 65. De Praeposito monasterij. 31
Cap. 66. De ostiario monasterij. 32
Cap. 67. De fratribus in viam directis. 32
Cap. 68. Si fratri impossibilia iniunguntur. 33
Cap. 69. Vt in monasterio non praesumat alter alterum defendere. 33
Cap. 70. Vt nullus praesumat aliũ caedere, vel excommunicare: & vt peccantes coram omnibus arguantur. 33
Cap. 71. Vt obedientes sint sibi inuicèm fratres. 33
Cap. 72. De bono zelo quem debẽt habere monachi. 34
Cap. 73. De eo, quòd non omnis iustitiae obseruatio sit in hac Regula constituta. 34

SAN-

SANCTISS. AC DEO ACCEPTISSIMI MONACHORVM PATRIS BENEDICTI, IN REGVLAM SVAM

PROLOGVS.



AVSCVLTA, ô fili, præcepta magiſtri, & inclina aurem cordis tui: & admonitionem pij patris libenter excipe, & efficaciter comple: vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ deſidiam receſſeras. Ad te ergò nunc meus ſermo dirigitur, quiſquis abrenunciãs proprijs voluntatibus, Domino Chriſto vero regi militaturus, obediẽtiæ fortiſsima atque preclara arma aſſumis. In primis, vt quicquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici inſtantiſſima oratione depoſcas: vt qui nos iam in filiorum dignatus eſt numero computare, non debeat aliquãdò de malis actibus noſtris cõtriſtari. Ità enim ei omni tempore de bonis ſuis in nobis parendum eſt: vt non ſolùm iratus pater, non aliquandò filios ſuos exhæredet: ſed nec, vt metuendus dominus, iritatus malis noſtris, vt nequiſsimos ſeruos, perpetuam tradat ad pœnam, qui eum ſequi noluerint ad gloriam.

Exurgamus ergò tandèm aliquandò, excitante nos Scriptura, ac dicente: Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Et apertis oculis noſtris ad deificum lumen, attonitis auribus audiamus, diuina quotidiè clamans quid nos admoneat vox, dicens: Hodiè ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. & iterùm: Qui habet aures audiẽdi, audiat quid ſpiritus dicat eccleſijs. & quod dicit: Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos. Currite dum lumen vitæ habetis, nè tenebræ mortis vos compræhendant. Et quærens Dominus in multitudine populi, cui hæc clamat, operarium ſuum, iterùm dicit: Quis eſt homo qui vult vitam, & cupit videre dies bonos? Quod ſi tu audiens, reſpondeas, Ego: dicit tibi Deus: Si vis habere veram & perpetuam vitam, prohibe linguam tuam à malo, & labia tua nè loquantur dolum: Diuerte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & ſequere eam. Et cùm hæc feceritis, oculi mei ſuper vos, & aures meæ ad preces veſtras. Et antequàm me inuocetis, dicam: eccè aſſum. Quid dulcius nobis hac voce Domini, inuitantis nos, fratres chariſſimi? eccè pietate ſua demonſtrat nobis Dominus viam vitæ.

Rom. 13. Psal. 94. Apoc. 2. Psal. 33. Ioan. 12. Psal. 33. Esa. 65.

Succinctis ergò fide, vel obſeruantia bonorum actuum, lumbis noſtris, per ducatum Euangelij pergamus itinera eius: vt mereamur eum, qui nos vocauit, in regno ſuo videre: in cuius regni tabernaculo ſi volumus habitare, niſi illuc bonis actibus *currendo minimè peruenitur. Ephe. vlt.

*curratur,

Sed

Psal.14. Sed interrogemus cum propheta Dominum, dicentes ei: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in mõte sancto tuo? Post hanc interrogationem, fratres, audiamus Dominum respondentem, & ostendentem nobis viam ipsius tabernaculi, ac dicentem: Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam: qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in lingua sua, qui nõ fecit proximo suo malum: & opprobrium non accepit aduersùs proximum suum: qui malignum diabolum aliqua suadentem sibi, cum ipsa suasione sua à * cõspectibus cordis sui respuens, deduxit ad nihilum, & paruulos cogitatus eius tenuit, & allisit ad Christum. Qui timentes Dominum, de bona obseruantia sua non se reddunt elatos: sed ipsa in se bona, non à se posse, sed à Domino fieri existimantes, operantem in se Dominum magnificant, illud cum Propheta dicentes: Non nobis, Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam. sicut nec Paulus Apostolus de prædicatione sua sibi aliquid imputauit, dicens: Gratia Dei sum id quod sum. & iterùm ipse dicit: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Vndè & Dominus in Euangelio ait: Qui audit verba mea hæc, & facit ea, similabo eum viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram: venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & nõ cecidit: * fundata enim est supra petram. Hæc complens Dominus, expectat quotidiè, his suis sanctis monitis, factis nos respondere debere: ideò nobis propter emendationem malorum, huius dies vitæ ad inducias relaxantur, dicẽte Apostolo: An nescis quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Nam pius Dominus dicit: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Cùm ergò interrogâssemus Dominum, fratres, de habitatore tabernaculi eius, audiuimus habitandi præceptum: sed si compleamus habitatoris officium, erimus hæredes regni cælorum. ergò præparãda sunt corda nostra & corpora, * sanctæ præceptorũ obedientiæ militatura: & quod minus habet in nobis natura possibile, rogemus Dominũ, vt gratiæ suæ iubeat nobis adiutorium ministrare, & si fugientes gehennæ pœnas, ad vitam perpetuam volumus peruenire, dum adhuc vacat, & in hoc corpore sumus, & hæc omnia per hanc lucis * viam vacat implere, currendum & agendum est modò, quod in perpetuum nobis expediat.

[Marginal notes: Psal.14. — * cõspectu — Psal.136. — Psal.113. — 1 Cor. 15. — 2.Cor.1. / 2.Cor.10. — Matt.7. — * al. quia fundata erat — Rom.2. — Eze.18. — * sanctorũ — * al. vitam]

Constituenda est ergò à nobis Dominici schola seruitij: in qua institutione nihil asperum, nihilq; graue nos constituturos speramus. Sed & si quid paululùm restrictius, dictante æquitatis ratione, propter emendationem vitiorum, vel conseruationem charitatis processerit, non ilicò pauore perterritus, refugias viam salutis, quæ non est nisi angusto initio incipienda: processu verò conuersationis & fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorũ Dei: vt ab ipsius nunquàm magisterio discedentes, in eius doctrina vsque ad mortem in monasterio perseuerantes, passionibus Christi per patientiam participemur, vt & regni eius mereamur esse consortes.

[Marginal notes: Matt.7. — 1.Cor.1.]

INCI-

INCIPIT REGVLA SANCTISSIMI PATRIS BENEDICTI.

De generibus Monachorum. *Cap. I.*



MONACHORVM quatuor esse genera, manifestum est. Primum, Cœnobitarum: hoc est, monasteriale, militans sub regula vel Abbate. Deindè secundũ genus est Anachoretarum, id est, Eremitarum, horum qui non conuersionis feruore nouitio, sed monasterij probatione diuturna, didicerunt contra diabolum, multorum solatio iam docti, pugnare: & benè instructi, fraterna ex acie ad singularẽ pugnam eremi, securi iam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum, DEO auxiliante, sufficiunt pugnare. Tertium verò monachorum teterrimum genus, est Sarabaitarum, qui nulla regula approbati experientia * magistri, sicut aurũ fornacis: sed in plumbi natura molliti, adhuc operibus seruantes seculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui bini aut terni, aut certè singuli sine pastore, nõ Dominicis, sed suis inclusi ouilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas, cùm quicquid putauerint vel elegerint, hoc dicunt sanctum: & quod noluerint, putant non licere. Quartum verò genus, est monachorum quod nominatur gyrouagum, qui tota vita sua per diuersas prouincias ternis aut quaternis diebus per diuersorũ cellas hospitãtur: semper vagi, & nunquàm stabiles: & proprijs voluptatibus & gulæ illecebris seruientes, & per omnia deteriores Sarabaitis: de quorũ omniũ miserrima conuersatione melius est silere, quàm loqui. His ergò omissis, ad cœnobitarum fortissimum genus disponendum, adiuuãte Domino, veniamus.

Cœnobitę. Anachoretæ. Sarabaitæ detestabiles. * al. magistra. Gyrouagi.

Qualis debeat esse Abbas. *Cap. II.*

ABBAS qui præesse dignus est monasterio, semper meminisse debet, quod dicitur: & nomen maioris, factis implere: Christi enim agere vices in monasterio creditur, quandò ipsius vocatur prænomine, dicẽte Apostolo: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Ideóq; Abbas nihil extra præceptum Domini (quod absit) debet aut docere, aut constituere, vel iubere: sed iussio eius vel doctrina, fermentum diuinæ iustitiæ in discipulorum mentibus *cõspergatur. Memor sit semper Abbas, quia doctrinę suę vel discipulorum obedientiæ vtrarunq; rerum in tremendo iudicio Dei facienda erit discussio. Sciatq; Abbas culpæ pastoris incũbere, quicquid in ouibus paterfamiliâs vtilitatis minus potuerit inuenire. Tãtùm iterũ liber erit, vt si inquieto vel inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earũ actibus vniuersa fuerit cura exhibita: pastor * earum in iu-

Rom. 8. * conspergat. * al. eorum

Psal. 39. in iudicio Domini absolutus, dicat cum Propheta Domino: Iustitiā tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuū dixi: ipsi autem contemnentes spreuerunt me. Et tunc demùm inobedientibus curæ suæ ouibus pœna sit eis præualens ipsa mors. Ergò cùm aliquis

*ostēdat. suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina suis præesse discipulis, id

Act. 1. est, omnia bona & sancta, factis ampliùs quàm verbis *ostendere: vt capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat: duris verò corde & simplicioribus, factis suis Diuina pręcepta demonstret. Omnia verò quę discipulis docuerit esse cōtraria, in suis factis indicet non agenda: nè

1. Cor. 9. alijs prædicans, ipse reprobus inueniatur, nè quandò dicat illi Deus pec-

Psal. 49. canti: Quarè tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meū per os tuū? Tu verò odisti disciplinā, & proiecisti sermones meos post te retror-

Matt. 7. sùm. Et qui in fratris tui oculo festucā videbas, in tuo trabē nō vidisti.

*al. Nō Nō ab eo persona in monasterio discernatur. *Non vnus plùs ametur, quàm alius, nisi quem in bonis actibus aut in obedientia inuenerit me-

Doctrina aurea. liorem. Non præponatur ingenuus ex seruitio conuertenti, nisi alia rationabilis causa existat. Quòd si ità, iustitia dictante, Abbati visum fuerit, & de cuiuslibet ordine id faciat. Sin aliâs, propria teneāt loca: quia siue

1. Cor. 12. seruus, siue liber, omnes in Christo vnum sumus: & sub vno Domino ęqualem seruitutis militiam baiulamus: quia nō est personarum acceptio

Rom. 2. Gal. 2. apud Deum. Solummodò in hac parte apud ipsum discernimur, si me-

Ephe. 6. Act. 10. liores alijs in operibus bonis & humiles inueniamur. Ergò ęqualis sit ab eo omnibus charitas: vna prebeatur omnibus, secundùm merita, disciplina. In doctrina nanq; sua Abbas Apostolicam debet illam semper for-

2. Tim. 4. mam seruare, in qua dicit: Argue, obsecra, increpa: id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimēta. Dirum magistri, pium patris ostendat affectū: id est, indisciplinatos & inquietos debet duriùs arguere: obedientes autem & mites & patientes, vt in melius proficiāt, obsecrare: negligentes autem & cōtemnentes vt increpet & corripiat, admonemus.

Neque dissimulet peccata delinquentium: sed mox, vt cœperint oriri,

1. Reg. 2. radicitùs ea, vt præualet, amputet: memor periculi Heli sacerdotis de Silo. Et honestiores quidem atque intelligibiles animos, prima vel secunda admonitione verbis corripiat: improbos autem & duros corde, ac superbos vel inobedientes, verberum vel corporis castigatione, in ipso initio

Pro. 23. peccati coërceat, sciens scriptum: Stultus verbis non corrigitur. Et iterū: Percute filium tuum virga: & liberabis animam eius à morte. Meminisse debet semper Abbas quod est: meminisse debet quod dicitur: & scire, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Sciatque, quàm difficilē & arduam rem suscepit, regere animas, & multorum seruire moribus: & alium quidem blandimentis, alium verò increpationibus, alium suasionibus: & secundùm vniuscuiusq; qualitatem vel intelligentiam: ità se omnibus conformet & aptet, vt nō solùm detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verumetiàm in augmentatione boni gregis gaudeat.

Ante omnia, nè dissimulans, aut paruipendens salutem animarum sibi commissarum, non plùs gerat solicitudinem de rebus transitorijs, & ter-

renis

renis atque caducis, sed semper cogitet, quia animas suscepit regendas, de quibus & rationem redditurus est. Et nè causetur de minore fortè substantia, meminerit scriptum: Primùm quęrite regnum Dei, & iustitiã eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Et iterùm, Nihil deest timentibus eum. Matth. 6. Psalm. 34.

Sciatque, quia suscipit animas regendas, pręparet se ad rationẽ reddendam. Et quantum sub cura sua fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die iudicij ipsarum omnium animarum redditurus est Domino rationẽ, sine dubio addita & suæ animæ. Et ità semper timens futuram discussionẽ * pastoris de creditis ouibus, cùm de alienis ratiocinijs cauet, redditur de suis solicitus. Et cùm de admonitionibus suis emendationem alijs subministrat, ipse efficitur à vitijs emendatus. * pastor

De adhibendis ad consilium fratribus. Cap. III.

QVotiès aliqua præcipua agenda sunt in monasterio, conuocet Abbas omnem cõgregationem: & dicat ipse vndè agitur. Et audiens consiliũ fratrum, tractet apud se: & quod vtilius iudicauerit, faciat. Ideò autem omnes ad consilium vocari diximus: quia sæpè iuniori Dominus reuelat quod melius est. Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subiectione, vt nõ præsumant procaciter defendere quod eis visum fuerit, sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, vt quod salubrius iudicauerit esse, ei cuncti obediãt. Sed sicut discipulis conuenit obedire magistro, ità & ipsum prouidè & iustè cõdecet cuncta disponere. In omnibus igitur omnes magistram sequantur regulam: neque ab ea temerè * deuietur à quoquã. Nullus in monasterio proprij sequatur cordis voluntatem, neque præsumat quisquam cum Abbate suo proteruè intùs vel foris monasterio cõtendere. Quod * si præsumpserit, regulari disciplinæ subiaceat. Ipse tamen Abbas cum timore Dei & obseruatione regulę omnia faciat: sciẽs se proculdubiò de omnibus iudicijs suis, æquissimo iudici Deo rationẽ redditurum. Si qua verò minora agenda sunt in monasterij vtilitatibus, seniorum tantùm vtatur consilio, sicut scriptum est: Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis. Matth. 11. * declinetur * qui Eccl. 32.

Quæ sunt instrumenta bonorum operum. Cap. IIII.

PRimum instrumentum. In primìs, Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute. *Deute. 6.*

ij.	Deindè, proximum tanquàm seipsum.	*Lucæ 10.*
iij.	Deindè, non occidere.	*Leuit. 19.*
iiij.	Non adulterari.	
v.	Non facere furtum.	*Exod. 20.*
vj.	Non concupiscere.	*Deutero. 5.*
vij.	Non falsum testimonium dicere.	*1. Petri 2.*
viij.	Honorare omnes homines.	*Lucæ 9.*
ix.	Et quod sibi quis fieri non vult, alij non faciat.	*Tob. 4.*
x.	Abnegare semetipsum sibi, vt sequatur Christum.	*Matth. 7.*
xj.	Corpus castigare.	*1. Corin. 9.*

xij.	Delicias non amplecti.	*2.Petri* 2.
xiij.	Ieiunium amare.	*Daniel.* 1.
xiiij.	Pauperes recreare.	*Tobiæ* 4.
xv.	Nudum vestire.	*Esaiæ* 58.
xvj.	Infirmum visitare.	*Matt.* 25.
xvij.	Mortuum sepelire.	*Tobiæ* 1.2.
xviij.	In tribulatione subuenire.	*Eccl.* 6.
xix.	Dolentem consolari.	*Eccl.* 7.
xx.	A seculi actibus se facere alienum.	*2.Tim.* 2.
xxj.	Nihil amori Christi præponere.	*Matt.* 10.
xxij.	Iram non perficere.	*Matt.* 5.
xxiij.	Iracundiæ tempus non reseruare.	*Ephe.* 4.
xxiiij.	Dolum in corde non tenere. *Prou.* 12.	*Iob* 36.
xxv.	Pacem falsam non dare.	*Psalm.* 27.
xxvj.	Charitatem non derelinquere.	*1.Petri* 4.
xxvij.	Non iurare, nè fortè periuret.	*Matt.* 5.
xxviij.	Veritatem ex corde & ore proferre.	*Psalm.* 14.
xxix.	Malum pro malo non reddere.	*1.Thessa.* 5.
xxx.	Iniuriam non facere, sed & factam patienter sufferre.	*1.Cor.* 6.
xxxj.	Inimicos diligere.	*Matt.* 5.
xxxij.	Maledicentes se non remaledicere, sed magìs benedicere.	*Rom.* 12. *1.Petri* 3.
xxxiij.	Persecutiones pro iustitia sustinere.	*Matth.* 5.
xxxiiij.	Non esse superbum.	*Tobiæ* 4.
xxxv.	Non vinolentum.	*1.Timo.* 3.
xxxvj.	Non multùm edacem.	*Ecc.*31.37.
xxxvij.	Non somnolentum.	*Prou.* 20.
xxxviij.	Non pigrum.	*Pro.*24.26.
xxxix.	Non murmuriosum.	*Sapien.* 1.
xl.	Non detractorem.	*Prou.* 4.
xlj.	Spem suam Deo committere.	*Psal.* 36.
xlij.	Bonum aliquid in se cùm viderit, Deo applicet, non sibi.	*Iacobi* 1.
xliij.	Malum verò semper à se factum sciat, & sibi reputet.	*Osee* 13.
xliiij.	Diem iudicij timere.	*Iob* 31.
xlv.	Gehennam expauescere.	*Lucæ* 12.
xlvj.	Vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare.	*Psalm.* 83. *Phil.* 1.
xlvij.	Mortem quotidiè ante oculos suspectam habere.	*Matth.* 24.
xlviij.	Actus vitæ suæ omni hora custodire.	*Deuter.* 4.
xlix.	In omni loco DEVM se respicere, pro certo scire.	*Prou.* 5.

L Cogi-

l. Cogitationes malas, cordi suo aduenientes, mox ad Christum allidere. *Psal.* 136.
lj. Et seniori spirituali patefacere. *Ecci.* 8.
lij. Os suum à malo vel prauo eloquio custodire. *Psal.* 33. 38.
liij. Multum loqui non amare. *Prou.* 10.
liiij. Verba vana aut risui apta, non loqui. *Matth.* 12. 2. *Timo.* 2.
lv. Risum multum aut excussum non amare. *Eccl̃s.* 7.
lvj. Lectiones sanctas libenter audire. *Lucæ* 11.
lvij. Orationi frequenter incumbere. *Lucæ* 18. Pulchra cõsequentia, post lectionẽ oratio.
lviij. Mala sua præterita cum lachrymis vel gemitu quotidiè in oratione Deo confiteri: de ipsis malis decæterò emendare. *Psal.* 6.
lix. Desideria carnis non perficere: Voluntatem propriam odire. *Galat.* 5.
lx. Præceptis Abbatis in omnibus obedire, etiã si ipse aliter (quod absit) agat: memor illius Dominici præcepti: Quæ dicũt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. *Hebr.* 13. *Matth.* 23.
lxj. Non velle dici sanctum, antequàm sit: sed priùs esse, * vt veriùs dicatur. *Matth.* 6. * al. quò
lxij. Præcepta Dei factis quotidiè adimplere. *Ecci.* 6.
lxiij. Castitatem amare. 1. *Timot.* 5.
lxiiij. Nullum odire. *Leuit.* 19.
lxv. Zelum & inuidiam non habere. *Calat.* 5.
lxvj. Contentionem non amare. 2. *Timo.* 2.
lxvij. Elationem * fugere. *Psal.* 130. * al. & instantiam
lxviij. Seniores venerari. *Leuit.* 19.
lxix. Iuniores diligere. 1. *Timot.* 5.
lxx. In Christi amore pro inimicis orare. *Matth.* 5.
lxxj. Cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire. *Ephe.* 4.
lxxij. Et de Dei misericordia nunquàm desperare. *Ezech.* 18.

Eccè hæc sunt instrumenta artis spiritualis: quæ cùm fuerint à nobis die noctúq; incessabiliter adimpleta, & in die iudicij reconsignata, illa merces nobis à Domino recompẽsabitur, quam ipse promisit: * quam oculus nõ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, * quam præparáuit Deus his qui diligunt eum. Officina verò, vbi hæc omnia diligenter operemur, claustra sunt monasterij & stabilitas in congregatione. Esaiæ 45. * al. quod 1. Corint. 2. * al. quæ

De obedientia. Cap. V.

PRimus humilitatis gradus, est obedientia sine mora. Hęc conuenit his, qui nihil sibi Christo charius aliquid existimant: propter seruitium sanctum, quod professi sunt, seu propter metum gehennę, vel gloriam vitæ æternæ, mox vt aliquid imperatum à maiore fuerit, àc

si diuinitùs imperetur, moram pati nesciunt in faciendo. De quibus Do-
Psal. 17. minus dixit: Obauditu auris obediuit mihi. Et iterùm dicit Doctoribus:
Matt. 10. Qui vos audit, me audit. Ergò hi tales, relinquentes statìm quę sua sunt, & voluntatem propriam deserẽtes, mox ex occupatis manibus & quod agebant, imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede iubẽtis vocem factis sequuntur: & veluti vno momento prædicta magistri iussio & perfecta discipuli opera, in velocitate timoris Dei ambæ res communiter citiùs explicantur: quibus ad vitam æternã gradiendi amor incumbit: ideò
Matth. 7. angustam viam arripiunt, vndè Dominus ait: Angusta via est, quæ ducit ad vitam: vt non suo arbitrio viuentes, vel desiderijs suis & voluptatibus obedientes, sed ambulãtes alieno iudicio & imperio in cœnobijs degentes, Abbatem sibi præesse desiderant. Sine dubio hi tales illã Domini imi-
Ioan. 5. tantur sententiam, qua dicit: Nõ véni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me. Sed hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, & dulcis hominibus: si, quod iubetur, non trepidè, non tardè, non tepidè, aut cum murmure, vel cum responsione nolentis efficiatur: Quia obedientia quæ
Matt. 10. maioribus præbetur, Deo exhibetur. ipse enim dicit: Qui vos audit, me
2. Cor. 9. audit. Et cum bono animo à discipulis præberi oportet, quia hilarem datorem diligit Deus. Nam cum malo animo si obedit discipulus, & non solùm ore, verùm etiam in corde si murmurauerit, etsi impleat iussionem, tamen acceptum iam non erit Deo, qui corrʃpicit murmurantis. Et pro
Eccl. 35. tali facto nullam cõsequitur gratiam, immò pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendauerit.

De taciturnitate. Cap. VI.

Psalm. 38. FAciamus quod ait Propheta: Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam: obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis. Hìc ostendit Propheta, si à bonis eloquijs interdùm propter taciturnitatem debet taceri: quanto magis à malis verbis propter pœnam peccati debet cessari? Ergò quanuis de bonis & sanctis ad ædificationem eloquijs, perfectis discipulis propter taciturnitatis grauitatem, rara loquendi concedatur licentia: quia scriptum est: In
Prou. 10. multiloquio non effugies peccatum. Et alibi: Mors & vita in manibus
Prou. 14. linguæ. Nam loqui & docere, magistrum condecet: tacere & audire, discipulo conuenit. Et ideò, si qua requirenda sunt à Priore, cum omni hu-
Notent Monachi: imo religiosi oẽs, & præcipuè iuuenes. militate & subiectione reuerentiæ requirantur, nè videatur plus loqui quàm expedit. Scurrilitates verò vel verba ociosa & risum mouẽtia, æterna clausura in omnibus locis damnamus: & ad tale eloquium discipulum aperire os non permittimus.

De humilitate. Cap. VII.

Lucæ 14. CLamat nobis diuina Scriptura, fratres, dicens: Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Cùm hęc ergò dicit, ostendit nobis omnem exaltationem genus esse superbiæ:
Psal. 130. quod se cauere Propheta índicat, dicens: Domine, non est exaltatum cor meum,

meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ambulaui in magnis, neque in Psalm. 130.
mirabilibus super me. Sed quid? Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam: sicut ablactatū super matrem suam, ità retribues in animam meam. Vndè, fratres, si summæ humilitatis volumus culmen attingere, & ad exaltationem illam cælestem, ad quam per præsentis vitæ humilitatem ascéditur, volumus velociter peruenire: actibus nostris ascendentibus scala illa erigenda est, quæ in somno Iacob apparuit, per quam ei descendentes & ascendentes angeli monstrabantur. Non aliud sine Gene. 28.
dubio descensus ille & ascensus à nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere, & humilitate asscendere. Scala verò ipsa erecta, nostra est vita in seculo: quæ humiliato corde, à Domino erigitur ad cælum: Latera enim * eiusdem scalæ, dicimus nostrum esse corpus & animam, in *al. eius
quæ latera diuersos gradus humilitatis vel disciplinæ euocatio diuina ascendendos inseruit.

Primus itaque humilitatis gradus est, si timorem Dei sibi ante ocu- Gradus I.
los semper ponens, obliuionem omninò fugiat: & semper sit memor omnium quæ præcepit Deus: vt qualiter contemnentes Deū, * gehen- *al. in
nam * pro peccatis incidunt: & vitam æternā, quę timentibus Deū præ- *al. de
parata est, animo suo semper reuoluat. Et custodiēs se omni hora à peccatis & vitijs, id est, cogitationum, linguæ, oculorum, manuum, pedum, vel voluntatis propriæ: sed & desideria carnis amputare festinet.

Aestimet se homo de cælis semper à Deo respici omni hora: & facta sua in omni loco ab aspectu diuinitatis videri, & ab angelis * omni hora re- *al. Deo
nunciari. Demōstrat nobis hoc Propheta, cùm in cogitationibus nostris ità Deū semper præsentē ostendit, dicens: Scrutans corda & renes Deus. Psalm. 7.
Et iterū: Dominus nouit cōgitationes hominū, quoniā vanę sunt. Et itē Psalm. 93.
dicit: Intellexisti cogitationes meas à longè: &, Quia cogitatio hominis Psalm. 138.
confitebitur tibi. Nam vt solicitus sit circa cogitationes suas peruersas, di- Psalm. 75.
cat semper * vtilis frater in corde suo: Tunc ero immaculatus coram eo, *humilis
si obseruauero me ab iniquitate mea. Voluntatem verò propriam ità fa- Psalm. 17.
cere prohibemur, cùm dicit Scriptura nobis: Et à voluntatibus tuis auer- Eccli. 18.
tere. Et iterùm: Rogamus Deum in oratione, vt fiat illius voluntas in Matth. 6.
nobis. Docemur ergò meritò non facere nostram voluntatem: cùm caueamus illud, quod dicit sancta Scriptura: Sunt viæ quæ putantur ab Prouer. 16.
hominibus rectæ, quarum finis vsque ad profundum inferni demergit. Et cùm item caueamus illud, quod de negligentibus dictum est: Cor- Psalm. 52.
rupti sunt, & abominabiles facti sunt in voluptatibus suis. In desiderijs verò carnis ità nobis Deum credamus semper esse præsentem, cùm dicit Propheta Domino: Ante te est omne desiderium meum. Cauendum er- Psalm. 37.
gò ideò malum desiderium, quia mors secus introitum delectationis posita est. Vndè Scriptura præcipit, dicens: Post concupiscentias tuas nō eas. Eccli. 18.
Ergò si oculi Domini speculantur bonos & malos, & Dominus de cælo Psalm. 13.
semper respicit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum: & si ab angelis nobis deputatis quotidiè Domino factori nostro opera nostra nunciantur, cauendum ergò omni hora, fratres,

Psalm. 52. sicut dicit in Psalmo Propheta: ne nos declinantes in malum, & inutiles factos aliqua hora aspiciat Deus, & parcendo nobis in hoc tempore: quia pius est, & expectans nos conuerti in melius, dicat nobis in futuro:
Psal. 49. Hæc fecisti, & tacui.

Grad. II. Secundus humilitatis gradus est, si propriam quis non amans voluntatem, desideria sua non delectetur implere: sed vocem illam Domini
Ioan. 6. factis imitetur, dicentis: Non véni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me. Item dicit Scriptura: Voluntas habet pœnam, & necessitas parit coronam.

Grad. III. Tertius gradus humilitatis est, vt quis pro Dei amore, omni obedien-
Philip. 2. tia se subdat maiori: imitans Dominum, de quo dicit Apostolus: Factus est obediens vsque ad mortem.

Gra. IIII. Quartus humilitatis gradus est, si in ipsa obedientia duris & contrarijs rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis iniurijs, tacita conscientia patientiã
Matt. 10. & 24. amplectatur: & sustinens, non lassescat vel discedat, dicēte Scriptura: Qui
Psal. 26. perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Item, Confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Et ostendens fidelem pro Domino vniuersa etiam contraria sustinere debere, dicit ex persona etiam sufferentium:
Psalm. 43. Propter te morte tota die afficimur, æstimati sumus vt oues occisionis. Et securi de spe retributionis diuinæ, subsequantur gaudentes, & dicentes:
Roma. 8. Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Et item alio
Psalm. 65. loco Scriptura: Probâsti nos, inquit, Deus: igne nos examinâsti, sicut igne examinatur argentum: induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro. Et vt ostendat sub Priore debere nos esse, sub-
Ibidem. sequitur, dicens: Imposuisti homines super capita nostra: sed & præceptum Domini in aduersis & in iniurijs, per patientiam adimplentes:
Matth. 5. Lucæ 6. qui percussi in maxillam, præbent & aliam. Auferenti tunicam, dimit-
2. Cor. 11. tunt & pallium: angariati milliario, vadunt & duo: cum Paulo Apostolo falsos fratres sustinent, & persecutionem: & maledicentes se, benedicunt.

Grad. V. Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo aduenientes, vel mala à se absconsè commissa, per humilem confessionem. Abbati non celauerit suo. Hortatur nos de hac re Scriptura, di-
Psal. 36. cens: Reuela Domino viam tuam, & spera in eum. Et item dicit: Con-
Psal. 105. fitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia
Psalm. 31. eius. Et item Propheta: Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitias meas non operui. Dixi, pronunciabo aduersùm me iniustitias meas Domino: & tu remisisti impietatem cordis mei.

Grad. VI. Sextus humilitatis gradus est, si omni vilitate vel extremitate contentus sit Monachus. Et ad omnia quæ sibi iniunguntur, velut operarium
Psalm. 72. malum & indignúm se iudicet, dicens cum Propheta: Ad nihilum redactus sum, & nesciui: vt iumētum factus sum apud te, & ego semper tecū.

Gra. VII. Septimus humilitatis gradus est, si omnibus se inferiorem & viliorem, non solùm sua lingua pronunciet, sed etiã intimo cordis credat affe-
Psalm. 21. ctu, humiliãs se, & dicens cũ Propheta: Ego autē sum vermis, & nõ homo:

 oppro-

opprobrium hominum,& abiectio plebis: exaltatus sum, & humiliatus, Psalm. 87.
& confusus. Et item: Bonum mihi, quod humiliasti me, vt discam mandata tua. Psalm. 118.

Octauus humilitatis gradus est, si nihil agat Monachus, nisi quòd communis monasterij regula, vel Maiorum cohortantur exempla. Gradus VIII.

Nonus humilitatis gradus est, si linguam ad loquendum prohibeat Monachus, & taciturnitatem habens vsque ad interrogationem, non loquatur, monstrante scriptura: Quia in multiloquio non effugietur peccatum. Prouer. 10.
Et quia vir linguosus non dirigetur super terram. Psal. 139.

Decimus humilitatis gradus est, si non sit facilis ac promptus in risu: quia Gradus X.
scriptum est: Stultus in risu exaltat vocem suam. Eccl. 21.

Vndecimus humilitatis gradus est, si cùm loquitur Monachus leniter Gradus XI.
& sine risu, humiliter cum grauitate vel pauca verba & rationabilia loquatur: & non sit clamosus in voce, sicut scriptum est: Sapiens verbis innotescit paucis.

Duodecimus humilitatis gradus est: si non solùm corde Monachus, Grad. XII.
sed etiam corpore humilitatem videntibus se, semper indicet, id est, in opere, in oratorio, in monasterio, in horto, in via, in agro: vel vbicunquè sedens, ambulans, vel stans: inclinato sit semper capite, defixis in terram vultibus: reum se omni hora de peccatis suis existimans, iam se tremendo iudicio Dei præsentari existimet: dicens sibi in corde semper illud, quod publicanus ille euangelicus, fixis in terram oculis, dixit: Domine, non Luca 18.
sum dignus ego peccator leuare oculos meos ad cælum. Et iterùm cum Propheta: Incuruatus sum, & humiliatus sum vsq; quaquè. Ergò his omnibus humilitatis gradibus ascensis, Monachus mox ad charitatem Dei Psalm. 118.
perueniet illam, quæ perfecta foràs mittit timorem: per quam vniuersa, Optima ac præclara conclusio.
quæ priùs non sine formidine obseruabat, absque vllo labore velut naturaliter ex consuetudine incipiet custodire: non iam timore gehennæ, sed amore CHRISTI, & consuetudine ipsa bona & delectatione virtutum, quæ Dominus iam in * operario suo mundo à vitijs & à peccatis, * al. operarium suum mundum
spiritu sancto dignabitur demonstrare.

De officijs diuinis in noctibus. Cap. VIII.

HYemis tempore, id est, à Calendis Nouembris vsq; * ad Pascha, iu- * al. in
xta considerationem rationis, octaua hora noctis surgendum est, vt modicè ampliùs de media nocte pausetur, & iam digesti surgant. Quod verò restat post Vigilias à fratribus, qui Psalterij vel lectionum aliquid indigent, meditationi inseruiatur. A Pascha autem vsque ad supradictas Calendas Nouembris, sic temperetur hora Vigiliarum agenda, vt paruissimo interuallo, quo fratres ad necessaria naturæ exeant, custodito, mox matutini, qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur. Nota discretionem.

Quanti Psalmi dicendi sint in nocturnis Horis. Cap. IX.

HYemis tempore, præmisso in primis versu, Deus, in adiutorium meum intende: Domine, ad adiuuandum me festina. In secundo, dicendum tertiò est: Domine, labia mea aperies: & os meum

Domine, quid multiplicati.

* aliàs, Venite exultemus Domino.

Hymnus.

annunciabit laudem tuam. Cui subiungendus est tertius Psalmus, & Gloria. Post hunc Psalmus nonagesimusquartus, * cum Antiphona aut certè decantandus. Indè sequatur Ambrosianum: deindè sex Psalmi cum Antiphonis: quibus dictis, dicto versu, benedicat Abbas. Et sedentibus omnibus in scamnis, legantur vicissim à fratribus in codice super analogium tres lectiones: inter quas & tria Responsoria canantur. Duo Responsoria sine Gloria dicantur. Post tertiam verò lectionem, qui cantat, dicat Gloria. Quam dum incipit cantor dicere, mox omnes de sedilibus suis surgant ob honorem & reuerentiam sanctæ Trinitatis. Codices autem legantur in vigilijs tam veteris Testamenti, quàm noui diuinæ authoritatis: sed & expositiones earum, quæ à nominatissimis doctoribus orthodoxis & catholicis Patribus factę sunt. Post has verò tres lectiones cum Responsorijs suis, sequantur reliqui sex Psalmi cum Alleluia canendi: post hos lectio Apostoli sequatur, ex corde recitanda: & versus & supplicatio Litaniæ, id est, Kyrie eleison: & sic finiantur Vigiliæ nocturnæ.

Capitulũ.

Qualiter æstatis tempore agatur nocturna laus. Cap. X.

A Pascha autem vsque ad Calendas Nouembris, omnis (vt suprà dictum est) psalmodiæ quantitas teneatur: excepto, quòd lectiones in codice, propter breuitatem noctium, minimè legantur: sed pro ipsis tribus Lectionibus, vna de veteri Testamento memoriter dicatur: quam breue Respõsorium subsequatur, & reliqua omnia, vt dictum est, impleantur: id est, vt nunquàm minùs à duodecim Psalmorum quantitate, ad Vigilias nocturnas dicatur: exceptis tertio & nonagesimo quarto Psalmo.

Qualiter Dominicis diebus Vigiliæ agantur. Cap. XI.

DOminico die temperiùs surgatur ad Vigilias: in quibus Vigilijs teneatur mẽsura, id est, modulatis (vt suprà disposuimus) sex Psalmis, & Versu, residentibus cunctis disposité, & per ordinẽ in subsellijs, legãtur in codice, vt suprà diximus, quatuor Lectiones cũ Responsorijs suis: vbì tantùm in quarto Responsorio dicatur à cantante, Gloria. Quam dum incipit, mox omnes cũ reuerẽtia surgant. Post quas lectiones sequantur ex ordine alij sex Psalmi cum Antiphonis, sicut anteriores, & * Versu. Post quos iterùm legãtur aliæ quatuor Lectiones cum Respõsorijs suis ordine quo suprà. Post quas iterùm dicantur tria cãtica de Prophetis, quæ instituerit Abbas: quæ cantica cum Alleluia psallantur. Dicto etiã Versu, & benedicente Abbate, legantur aliæ quatuor Lectiones de nouo Testamento ordine quo suprà. post quartum autem Responsorium incipiat Abbas Hymnum, Te Deum laudamus. Quo perdicto, legat Abbas Lectionem de Euangelio, cum honore & tremore stantibus omnibus: qua perlecta, respondeant oẽs, Amẽ. Et subsequatur mox Abbas Hymnũ, Te decet laus. Et data benedictione, incipiant Matutinos. Qui ordo Vigiliarum omni tempore, tam æstatis quàm hyemis, æqualiter in die Dominico teneatur: nisi fortè (quod absit) tardiùs surgant, & aliquid de Lectionibus

* al. Versus.

Vide hæc cãtica optimè pariter & deuotè distributa in Breuiario nostro.

nibus breuiandum est aut responsorijs. Quod tamen omninò caueatur, nè proueniat. Quod si contigerit, dignè indè satisfaciat Deo in oratorio, per cuius euenerit neglectum.

Quomodò matutinorum solennitas agatur. Cap. XII.

IN Matutinis Dominico die in primis dicatur sexagesimus sextus Psalmus sine Antiphona in directum. post quē dicatur quinquagesimus cum alleluia. Post quem dicatur centesimus septimusdecimus: & sexagesimussecūdus. Indè benedictiones & laudes: lectio vna de Apocalypsi ex corde, & Responsorium, & Ambrosianū: versus, canticum de Euangelio, Litania: & completum est.

Deus misereatur. Miserere 1. C. animemini 4. Deus Deus meus. Benedicite, oīa opera. Laudate Dominum de cælis. Capitulum. Hymnus. Benedictus.

Qualiter priuatis diebus Matutini agantur. Cap. XIII.

DIebus autem priuatis Matutinorum solēnitas ità agatur, vt sexagesimussextus Psalmus dicatur sine antiphona: subtrahendo modicè sicut in Dominica: vt omnes occurrant ad * quinquagesimum, qui cum antiphona dicatur. Post quem alij duo psalmi dicantur secundùm consuetudinem: id est, secunda feria quintus & triecesimusquintus: Tertia feria, quadragesimussecundus & quinquagesimussextus. Quarta feria, sexagesimustertius & sexagesimusquartus: Quinta feria, octogesimusseptimus & octogesimusnonus. Sexta feria, septuagesimusquintus, & nonagesimusprimus. Sabbato autē, centesimus quadragesimussecundus, & canticum Deuteronomij, quod diuidatur in duas Glorias. Nam cæteris diebus canticum vnumquodque die suo ex prophetis, sicut psallit ecclesia Romana, dicatur. Post hæc sequantur laudes: deindè lectio vna Apostoli memoriter recitanda: Responsorium Ambrosianum, versus, canticum de Euangelio: Litania, & completum est. Planè agenda Matutina, vel Vespertina, non transeat aliquandò, nisi in vltimo ordine. Oratio Dominica, omnibus audientibus, dicatur à Priore propter scandalorum spinas, quæ oriri solent in monasterio vt conuenti per ipsius orationis sponsionem, qua dicunt, Dimitte nobis * sicut & nos dimittimus: purgent se ab huiusmodi vitio. Cæteris verò agendis, vltima pars eius orationis dicatur: vt ab omnibus respondeatur, Sed libera nos à malo.

Deus misereatur. * al. Psalmū Miserere 1. Verba mea. Dixit iniust. Iudica me. Miserere 2. Exaudi 3. Te decet. Dñe Deus sa. Dñe refugiū. Notus in Iu. Bonū est cōf. Dñe exaudi orationē meam aur. pcip. Audite cœli. Deut. 32 Laudate Dominū de cœl. Capitulum. Hymnus.

Magnificat Luc. 1. * al. debita nostra * al. debitoribus nostris.

Qualiter in natalitijs Sanctorum agantur Vigiliæ. Cap. XIIII.

IN sanctorum verò festiuitatibus vel omnibus solēnitatibus, sicut diximus Dominico die agendum, ità agatur: excepto, quòd Psalmi aut Antiphonæ vel lectiones, ad ipsum diem pertinentes, dicantur. Modus autem suprà scriptus teneatur.

Quibus temporibus dicatur Alleluia. Cap. XV.

A Sancto Pascha vsque ad Pentecosten, sine intermissione dicatur alleluia, tam in Psalmis, quàm in respōsorijs. A * Pentecoste autē vsque ad * caput Quadragesimæ, omnibus noctibus cum sex

* al. Pentecosten * al. in

posterioribus psalmis tantùm ad nocturnos dicatur. Omni verò dominica extra Quadragesimam cantica matutini, prima, tertia, sexta, nonaq; cum Alleluia dicantur: Vespera verò, cum Antiphona: Respõsoria verò nunquàm dicantur cum Alleluia: nisi à Pascha vsq; ad Pentecosten.

Qualiter diuina opera per diem agantur. *Cap. XVI.*

Psal. 18. VT ait Propheta, Septiès in die laudem dixi tibi. Qui septenarius sacratus numerus, à nobis sic implebitur, si matutinæ, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperę, Completorijque tempore, nostræ seruitutis officia persoluamus, quia de his Horis diurnis dixit Propheta: Septiès in die laudem dixi tibi. Nam de nocturnis vigilijs idem
Ibidem. ipse propheta ait: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Ergò his temporibus referamus laudes creatori nostro super iudicia iustitiæ suæ: id est, matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, Completorio, & nocte surgamus ad confitendum ei.

Quanti Psalmi per easdem Horas canendi sunt. *Cap. XVII.*

IAm de Nocturnis vel Matutinis digessimus ordinẽ psalmodiæ: nũc de sequentibus Horis videamus. Prima Hora dicantur Psalmi tres, singulatìm, & non sub vna Gloria. Hymnus eiusdẽ Horæ, post versum, Deus in adiutorium meum intẽde, antequàm Psalmi incipiantur. Post expletionem verò trium Psalmorum, recitetur lectio vna, versus, & Kyrie eleison: & Missæ sint. Tertia verò, Sexta, & Nona, item eodẽ ordine celebratur: oratio, id est, versus: Hymni earundem Horarum, ter-
Capitulũ. ni Psalmi, lectio, versus, Kyrie eleison: & Missæ sint. Si maior congregatio fuerit, cum Antiphonis: si verò minor, in directum psallantur. Vespertina autem synaxis quatuor Psalmis cum Antiphonis terminetur,
Capitulũ. post quos Psalmos Apostoli lectio recitanda est: indè Responsorium
Hymnus. Magnificat. Ambrosianũ, versus, cãticum de Euangelio, litania, & oratio Dominica, & fiant Missæ. Completorium autem, trium psalmorum dictione termi-
Luc. 1. netur. Qui Psalmi directanei sine Antiphona dicendi sunt: Post quos
Pater noster. hymnus eiusdem Horæ, lectio vna, versus, Kyrie eleison, benedictio:
Matth. 6. & post Missæ fiant.

Quo ordine Psalmi dicendi sunt. *Cap. XVIII.*

Beati immaculati. Beati vir quĩ abijt. IN primis semper diurnis Horis dicatur versus: Deus, in adiutorium meum intende: Domine, ad adiuuandum me festina. & Gloria. Indè hymnus vniuscuiusque Horæ. Deindè prima Hora Dominica di-
Quarè fremuerunt. cenda quatuor capitula psalmi centesimi octauidecimi dicantur. Reli-
Domine, nè in furore. 1. quis verò Horis, id est, Tertia, Sexta, vel Nona, terna capitula suprascripti psalmi cẽtesimi octauidecimi dicantur. Ad primã autem secundæ fe-
Exaudiat te Dominus. riæ, dicantur tres psalmi: id est, primus, secundus, & sextus. Et ità per singulos dies ad Primam, vsque ad Dominicam dicantur per ordinem terni
Confitebor 1. Psalmi, vsque ad nonumdecimum Psalmum. Ità sanè, vt nonus Psalmus
Diligã te Domine. & septimusdecimus, diuidantur in binas Glorias. Et sic fiat, vt ad Vigili-

as Dominica ſemper à viceſimo incipiatur. Ad Tertiam verò, Sextam & Nonam ſecundæ feriæ nouem capitula, quæ reſidua ſunt de cẽteſimo decimooctauo pſalmo, ipſa terna per eaſdem Horas dicantur. Expenſo igitur Pſalmo centeſimo octauodecimo duobus diebus, id eſt, Dominica & ſecunda feria, tertia feria iam ad Tertiam, Sextam, vel Nonam pſallantur terni Pſalmi, à centeſimo nonodecimo vſque ad cẽteſimum viceſimumſeptimum, id eſt, Pſalmi nouem. Quiq; Pſalmi ſemper vſque ad Dominicam per eaſdem Horas itidèm repetantur. Hymnorum nihilominùs, lectionum vel verſuum diſpoſitione vniformi, cunctis diebus ſeruata. Et ità ſcilicet, vt ſemper Dñica à cẽteſimo octauodecimo incipiatur. Veſpera autem quotidiè quatuor Pſalmorum modulatione canatur. Qui Pſalmi incipiantur à centeſimo nono vſq; ad cẽteſimum quadrageſimum ſeptimum: exceptis his, qui in diuerſis Horis ex eis ſequeſtrãtur, i. à centeſimo ſeptimodecimo vſque ad centeſimum viceſimum ſeptimum: & centeſimo triceſimotertio, & centeſimo quadrageſimoſecundo. Reliqui omnes in Veſpera dicendi ſunt. Et quia minùs veniunt tres Pſalmi, ideò diuidẽdi ſunt, qui in numero ſupraſcripto fortiores inueniuntur, id eſt, centeſimus triceſimuſoctauus, & centeſimus quadrageſimuſtertius, & centeſimus quadrageſimuſquartus. Cẽteſimus verò ſextuſdecimus, quia paruus eſt, cum cẽteſimo quintodecimo cõiungatur. Digeſto ergò ordine pſalmorũ Veſpertinorũ, reliqua, id eſt, lectiones, reſponſoria, hymni, verſus, vel cantica, ſicut ſuprà taxauimus, impleantur. Ad Completoriũ verò ijdem Pſalmi repetantur quotidiè, id eſt, quartus, nonageſimus, & centeſimus trigeſimuſtertius. Diſpoſito ordine pſalmodiæ diurnæ, reliqui oẽs Pſalmi qui ſuperſunt, ęqualiter diuidantur in ſeptem noctiũ vigilijs, partiendo ſcilicet, qui inter eos ꝓlixiores ſunt pſalmi: & duodecim per vnãquanq; conſtituantur noctem. Hoc præcipuè commonẽtes, vt ſi cui fortè hæc diſtributio pſalmorum diſplicuerit: ordinet, ſi meliùs aliter iudicauerit: dum omnimodìs id attendatur, vt omni hebdomada Pſalterium ex integro numero centum quinquaginta Pſalmorum pſallatur. Et Dominico die ſemper à capite repetatur ad vigilias: quia nimis iners deuotionis ſuę ſeruitium oſtendunt monachi, qui minus pſalterio cum canticis conſuetudinarijs per ſeptimanæ circulum pſallunt: dum quãdò legamus ſanctos Patres noſtros vno die hoc ſtrenuè impleuiſſe, quod nos tepidi vtinàm ſeptimana integra perſoluamus.

[Margin: Domine, in virtute. Beati immaculati. Ad Dominum, cũ tri. Beati oẽs. Beati immaculati. Dixit Dñs. Lauda Hieruſalem. Confitemini 4. Beati oẽes. Ecce nunc benedicite. Dñe exaudi oratiõ. meã, aurib. ꝑcipe. Dñe ꝓb. me. Benedictus Dñs Deus meus. Exaltabo te Deus. Lauda Dñm. Credidi. Cũm inuocarem. Qui habitat. Eccè nunc. Mira ſtrenuitas ſanctorũ Patrum.]

De diſciplina pſallendi. *Cap. XIX.*

VBiquè credimus diuinam eſſe præſentiam: & oculos Domini in omni loco ſpeculari bonos & malos, maximè tamen hoc ſine aliqua dubitatione credamus, cùm ad opus diuinum aſſiſtimus. Ideò ſemper memores ſimus quod ait propheta: Seruite Dño in timore. Psal. 2.
Et iterùm, Pſallite ſapienter. Et, In conſpectu angelorum pſallã tibi. Ergò Psal. 46. Psal. 137.
conſideremus, qualiter oporteat nos in conſpectu diuinitatis & angelorum eius eſſe. Et ſic ſtemus ad pſallendum, vt mens noſtra concordet voci noſtræ.

De

De reuerentia orationis. Cap. XX.

SI, cùm hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus, nisi cum humilitate & reuerentia: quanto magis Domino Deo vniuersorum, cum omni humilitate & puritatis deuotione
Matt.6. supplicandum est? Et non in multiloquio, sed in puritate cordis & compunctione lachrymarum, nos exaudiri sciamus. Et ideò breuis debet esse & pura oratio, nisi fortè ex affectu inspirationis diuinæ gratiæ protendatur. In conuentu tamen omninò breuietur oratio: & facto signo à Priore, omnes pariter surgant.

De Decanis, & de Præposito monasterij. Cap. XXI.

SI maior fuerit congregatio, eligantur de ipsis fratres boni testimo-
Act.6. nij & sanctæ conuersationis, & constituantur Decani, qui solicitudinem gerant super Decanias suas, in omnibus secundùm mandata Dei & præcepta Abbatis sui. Qui Decani tales eligantur, in quibus securus Abbas partiatur onera sua: & non eligantur per ordinem, sed secun-
Exod.18. dùm vitæ meritum & sapientiæ doctrinam. Quòd si quis ex eis aliqua fortè inflatus superbia, repertus fuerit repræhensibilis: correptus semel
Matt.18. & iterùm atque tertiò: si emendare noluerit, deijciatur: & alter in loco eius, qui dignus est, subrogetur. Et de Præposito eadem constituimus.

Quomodò dormiant monachi. Cap. XXII.

SInguli per singula lecta dormiant monachi. Lectisternia pro modo conuersationis secundùm dispositionem Abbatis sui accipiant. Si potest fieri, omnes in vno loco dormiant. Si autem multitudo non sinit, deni aut viceni cum senioribus, qui super eos soliciti sint, pausent. Candela iugiter in eadē cella ardeat vsque manè: vestiti dormiant: & cincti cingulis aut funibus, & cultellos ad latus non habeant dum dormiunt, nè fortè per somnum vulnerentur dormientes: & vt parati sint monachi semper, & facto signo, absq; mora surgentes, festinent se inuicèm præuenire ad opus Dei: cum omni tamen grauitate & modestia. Adolescentio-
*al. mixti res autem fratres iuxta se non habeant lecta, sed * permixti cum senioribus. Surgentes verò ad opus Dei, inuicèm se moderatè cohortentur propter somnolentorum excusationes.

De excommunicatione culparum. Cap. XXIII.

SI quis frater contumax, aut inobediens, aut superbus, aut murmurās, vel in aliquo contrarius existens sanctæ regulæ & præceptis seniorum suorum, contemptor repertus fuerit: hic secundùm Domini nostri præceptum, admoneatur semel & secundò secretò à senioribus suis. Si non emendauerit, obiurgetur publicè coram omnibus. Si verò neque sic correxerit, si intelligit qualis pœna sit, excommunicationi subiaceat. Sin autem improbus est, vindictæ corporali subdatur.

Qua-

Qualis debeat esse modus excommunicationis. Cap. XXIIII.

SEcundùm modum culpę, & excommunicationis vel disciplinæ debet extendi mensura. Qui culparum modus, in Abbatis pendeat iudicio. Si quis tamen frater in leuioribus culpis inuenitur, à mensæ participatione priuetur. Priuati autem à mensæ consortio, ista erit ratio: vt in oratorio Psalmum aut Antiphonam non imponat, neq; lectionem recitet vsque ad satisfactionem. Refectionem autem cibi post fratrũ refectionem solus accipiat, vt si, verbi gratia, fratres reficiunt sexta hora, ille frater nona: Si fratres nona, ille vespera, vsque dum satisfactione congrua veniam consequatur. Deut. 25. 1. Cor. 5.

De grauioribus culpis. Cap. XXV.

IS autem frater, qui grauioris culpæ noxa tenetur, suspẽdatur à mensa simul & ab oratorio: nullus ei fratrum in vllo iungatur cõsortio, neq; in colloquio. Solus sit ad opus sibi iniunctum, persistẽs in pœnitentiæ luctu, sciens illam terribilem Apostoli sententiam, dicẽtis: traditum huiusmodi hominẽ satanæ in interitũ carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini. Cibi autem refectionem solus percipiat mensura vel hora, qua prǽuiderit ei Abbas competere. Nec à quoquam benedicatur transeunte, nec cibus qui ei datur. 1. Cor. 5.

De his, qui sine iussione Abbatis iungunt se excommunicatis. Cap. XXVI.

SI quis frater præsumpserit sine iussione Abbatis, fratri excommunicato quolibet modo se iungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere: similem sortiatur excommunicationis vindictam.

Qualiter debeat Abbas esse solicitus circa excommunicatos. Cap. XXVII.

OMni solicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes fratres: quia non est opùs sanis medicus, sed malè habentibus. Et ideò vti debet omni modo, vt sapiens medicus, immittere quasi occultos consolatores senipectas, id est, seniores sapientes fratres, qui quasi secretè cõsolentur fratrem fluctuantẽ: & prouocent eum ad humilitatis satisfactionem, & cõsolentur eum, nè abundantiori tristitia absorbeatur: sed sicut ait idem Apostolus, confirmetur in eo charitas, & oretur pro eo ab omnibus. Magnoperè enim debet solicitudinem gerere Abbas: & omni sagacitate & industria curare, nè aliquã de ouibus sibi creditis perdat. Nouerit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem: & metuat prophetæ comminationem, per quẽ dicit Deus: Quod crassum videbatis, vobis assumebatis: & quod debile erat, projiciebatis. Et pastoris boni piũ imitetur exemplũ, qui relictis nonagintanouẽ ouibus in mõtibus, abijt vnam ouem quæ errauerat, quęrere: cuius infirmitati intantùm compassus est, vt eam in sacris humeris suis dignaretur imponere, & sic reportare ad gregem. Matt. 9. 2. Cor. 2. Eze. 34. Luc. 15.

De his, qui sæpiùs correpti, non emendauerint. Cap. XXVIII.

SI quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendauerit, acrior ei accedat correctio, id est,

vt verberum vindicta in eum procedat. Quòd si nec ità se correxerit, aut fortè (quod absit) in superbiam elatus, etiam defendere voluerit opera sua; tunc Abbas faciat quod sapiens medicus: Si exhibuit fomenta, si vnguen-
Doctrina aurea. ta adhortationum, si medicamina diuinarum scripturarum, si ad vltimum vstionem excommunicationis, vel plagas virgarum: & iam si viderit nihil suam præualere industriam, adhibeat etiam, quod maius est, suam & omnium fratrum pro eo orationem, vt Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum fratrem. Quòd si nec isto modo sanatus
1. Cor. 5. fuerit, tunc iam Abbas vtatur ferro abscisionis, vt ait Apostolus: Aufer-
1. Cor. 7. te malum ex vobis. Et iterùm: Infidelis si discedit, discedat: nè vna ouis morbida omnem gregem contaminet.

Si debeant iterùm recipi fratres exeuntes de monasterio. Cap. XXIX.

FRater qui proprio vitio egreditur, aut proijcitur de monasterio, si reuerti voluerit, spondeat priùs omnem emendationem vitij, pro quo egressus est: & sic in vltimo gradu recipiatur, vt ex hoc eius humilitas comprobetur. Quòd si denuò exierit, vsq; tertiò ità recipiatur. Iam verò posteà sciat omnem sibi reuersionis aditum denegari.

De pueris minori ætate qualiter corrigantur. Cap. XXX.

OMnis ætas vel intellectus, proprias debet habere mēsuras: ideoq; quotiès pueri, vel adolescentiores ætate, aut qui minùs intelligere possunt, quanta pœna sit excommunicationis: hi tales dum delinquunt, aut ieiunijs nimijs affligantur, aut acribus verberibus coërceantur vt sanentur.

De cellerario monasterij qualis sit. Cap. XXXI.

CEllerarius monasterij eligatur de cōgregatione sapiens, maturus moribus, sobrius, non multùm edax, non elatus, non turbulentus, non iniuriosus, non tardus, non prodigus, sed timens Deū, qui omni congregationi sit sicut pater. Curam gerat de omnibus: sine
Sancta doctrina. iussione Abbatis nihil faciat: quæ iubentur, custodiat: fratres nō contristet. Si quis autem frater ab eo fortè aliquid irrationabiliter postulat, non spernendo eum contristet: sed rationabiliter cum humilitate malè peten-
1. Tim. 4. ti deneget: animā suam custodiat, memor semper illius Apostolici: quia qui benè ministrauerit, gradum bonum sibi acquirit. Infirmorum, infan-
Matt. 25. tum, hospitum, pauperumq; cum omni solicitudine curam gerat, sciens sine dubio, quia pro his omībus in die iudicij rationē redditurus est. Omnia vasa monasterij cunctamq; substātiam, àc si altaris vasa sacrata conspiciat, nihil ducat negligendū. Neq; auaritiæ studeat, neq; prodigus sit, aut extirpator substantiæ monasterij, sed omnia mensuratè faciat, & secundùm iussionē Abbatis. Humilitatē ante omnia habeat: & cui substantia nō est q̄
Eccl. 18. tribuatur, sermo respōsionis porrigatur bonus, vt scriptū est: Sermo bon9 sup datū optimū. Omnia q̄ ei iniunxerit Abbas, ipse habeat sub cura sua: A q̄bus eū ꝓhibuerit, nō præsumat. Fratribus constitutā annonā sine aliquo

typo vel mora offerat, vt nō scandalizentur: memor diuini eloquij quid mereatur, qui scādalizauerit vnum de pusillis. Si congregatio maior fuerit, solatia ei dentur: à quibus adiutus & ipse ęquo animo impleat officium sibi commissum: horis competentibus dentur quæ danda sunt; & petantur quæ petenda sunt, vt nemo perturbetur, neque contristetur in domo Dei. Matt. 18. Digna cōclusio.

De ferramentis, vel rebus monasterij. Cap. XXXII.

SVbstantiæ monasterij in ferramentis, vel vestibus, seu quibuslibet rebus prouideat Abbas fratres, de quorum vita & moribus securus sit: & eis singula, vt vtile iudicauerit, consignet custodienda atque recolligenda. Ex quibus Abbas breuem teneat: vt dum sibi in ipsa assignata fratres vicissim succedunt, sciat quid dat, aut quid recipit. Si quis autem sordidè, aut negligenter res monasterij tractauerit, corripiatur. Si non emendauerit, disciplinæ regulari subiaceat.

Si debeant monachi aliquid proprium habere. Cap. XXXIII.

PRæcipuè hoc vitium radicitùs amputandum est de monasterio, nè quis præsumat aliquid dare, aut accipere sine iussione Abbatis: neque aliquid habere proprium, nullam omninò rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omninò. Quippe quibus nec corpora sua, nec voluntatem licet habere in propria potestate. Omnia verò necessaria à Patre monasterij sperare, nec quicquam liceat habere quod Abbas non dederit, aut permiserit. Omniaq; sint omnibus communia, vt scriptum est, nec quisquam suum aliquid esse dicat, vel præsumat. Quòd si quisquam huic nequissimo vitio depręhensus fuerit delectari, admoneatur semel & iterùm: si non emendauerit, correptioni subiaceat. Nο. districtam proprij abdicationem. Act. 4.

Si omnes æqualiter debeant necessaria accipere. Cap. XXXIIII.

SIcut scriptum est: Diuidebatur singulis, prout cuique opùs erat, vbì non dicimus, vt personarum, quod absit, acceptio sit, sed infirmitatum consideratio. Act. 4.

Vbì qui minùs indiget, agat Deo gratias, & non contristetur. Qui verò plùs indiget, humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro misericordia: & ità omnia membra erunt in pace. Ante omnia nè murmurationis malum pro qualicunq; causa in aliquo qualicunque verbo vel significatione appareat. Quòd si depręhensus fuerit quis, districtiori disciplinæ subdatur. Sācta & salutaris doctrina.

De septimanarijs coquinæ. Cap. XXXV.

FRatres sic sibi inuicèm seruiant, vt nullus excusetur à coquinæ officio, nisì aut ægritudine, aut in causa grauis vtilitatis quis occupatus fuerit: quia exindè maior merces & charitas acquiritur. Imbecillibus autem procurentur solatia, vt non cum tristitia hoc faciāt, sed habeant omnes solatia secundùm modum cōgregationis aut positionē loci. Si maior cōgregatio fuerit, cellerarius excusetur à coquina, vel si qui, vt Discretissima institutio.

diximus, maioribus vtilitatibus occupantur. Cæteri verò sibi sub charitate inuicèm seruiant. Egressurus de septimana, sabbato munditias faciat.

[Deuota institutio]

Lintea, cum quibus sibi fratres manus aut pedes tergunt, lauet. Pedes verò tam ipse qui egreditur, q̃ ille qui intraturus est, omnibus lauent. Vasa ministerij sui, munda & sana cellerario reconsignent. Qui cellerarius itẽ intranti cõsignet: vt sciat quid dat, aut quid recipit.

[Vide q̃ discretus vbiq; etiã in minimis.]

Septimanarij autem, ante vnam horam refectionis, accipiant super statutam annonam, singulos biberes, & panem: vt hora refectionis, sine murmuratione & graui labore, seruiant fratribus suis. In diebus autem solennibus, vsque ad Missas sustineant. Intrantes & exeuntes hebdomadarij, in oratorio mox Matutinis finitis Dominica, omniũ genibus prouoluantur, postulantes pro se orari. Egredientes autem de septimana, dicant hunc versum: Benedictus es Domine Deus, qui adiuuisti me, & consolatus es me. Quo dicto tertiò, accipiat benedictionem egrediens: subsequatur autem ingrediens, & dicat: Deus, in adiutorium meum intende: Domine, ad adiuuãdum me festina. Et hoc idem tertiò repetatur ab omnibus. Et accepta benedictione, ingrediatur.

[Pulcherrimum institutum, quod deuotissimè obseruant Monachi congregatiõis sanctæ Iustinæ.]

De infirmis fratribus. Cap. XXXVI.

[Matt. 25.]

INfirmorum cura, ante omnia & super omnia, adhibenda est, vt sicut reuerà Christo, ità eis seruiatur: quia ipse dicturus est: Infirmus fui, & visitãstis me. Et, Quod fecistis vni de his minimis meis, mihi fecistis. Sed & ipsi infirmi considerent, in honorẽ Dei sibi seruiri, & nõ superfluitate sua contristẽt fratres suos seruientes sibi. Qui tamẽ patienter portandi sunt: quia de talibus copiosior merces acquiritur. Ergò cura maxima sit Abbati, nè aliquã negligentiã patiantur.

[Pijssimi patris doctrina pijssima.]

Quibus fratribus infirmis sit cella * super se deputata, & seruitor timens Deum, & diligens ac solicitus.

[*al. per se]

Balnearum vsus infirmis, quotiès expedit, offeratur. Sanis autem, & maximè iuuenibus, tardiùs concedatur. Sed & carniũ esus infirmis omninò debilibusq; pro reparatione concedatur. At vbi meliorati fuerint, à carnibus more solito omnes abstineant. Cura autem maxima sit Abbati, nè à cellerarijs aut seruitoribus negligantur infirmi: quia ad ipsum respicit, quicquid à discipulis delinquitur.

[Vbiquè Prelatum onerat.]

De senibus & infantibus. Cap. XXXVII.

LIcèt ipsa natura humana trahatur ad misericordiã in his ętatibus, senum videlicet & infantũ, tamen & regulæ authoritas eis prospiciat. Consideretur semper in eis imbecillitas, & nullatenùs eis districtio regulæ teneatur in alimentis: sed sit in eis pia consideratio, & pręueniant horas canonicas.

De hebdomadario lectore. Cap. XXXVIII.

MEnsis fratrũ edentiũ lectio deesse non debet. Nec * fortuito casu qui arripuerit codicẽ, legere audeat ibì: sed lecturus tota hebdomada, Dominica ingrediatur.

[*al. fortuitò.]

Qui ingrediẽs post Missas & communionẽ, petat ab om̃ibus ꝓ se orari, vt auertat ab ipso Deus spiritũ elationis. Et dicatur hic versus in oratorio tertiò ab om̃ibus, ipso tamẽ incipiente,

ente: Dñe, labia mea aperies, & os meũ annũciabit laudẽ tuã. Et sic accepta benedictione, ingrediatur ad legendũ. Sũmumq; silentiũ fiat ad mẽsam, vt nullius musitatio vel vox, nisi solius legẽtis, ibi audiatur. Quę verò necessaria sunt comedẽtibus & bibentibus, sic sibi vicissim ministrẽt fratres, vt nullus indigeat petere aliquid. Si qd tamẽ opùs fuerit, sonitu cuiuscunq; signi potiùs petatur, quàm voce. Nec præsumat ibi aliquis de ipsa lectione, aut aliundè quicquam * requirere, nè detur occasio*: nisi fortè Prior pro ædificatione voluerit aliquid breuiter dicere. Frater autem * hebdomadarius accipiat mixtum, priusquàm incipiat legere, propter communionem sanctam, & nè fortè graue sit ei ieiunium sustinere. Posteà autem cum coquinæ hebdomadarijs & seruitoribus reficiat. Fratres autem non per ordinem legant, aut cantent, sed qui ædificent audientes.

No. districtionem silentij ad mensam.
* al. referre
* al. addũt, maligno:
* lector
Arg. quòd omni Dominica cõmunicabant.
Nota hoc dictum.

De mensura ciborum. Cap. XXXIX.

SVfficere credimus ad refectionem quotidianam, tam sextæ, quàm nonæ, omnibus * mensibus cocta duo pulmentaria propter diuersorum infirmitates: vt fortè, qui ex vno non potuerit edere, ex alio reficiatur. Ergò duo pulmentaria cocta, fratribus omnibus sufficiant. Et si fuerint indè poma aut nascentia leguminum, addatur & tertium. Panis libra vna pro pensa sufficiat in die: siue vna sit refectio, siue prandij & cœnæ. Quòd si cœnaturi sunt, de eádem libra tertia pars à cellerario referuetur, reddenda cœnaturis. Quòd si labor fortè factus fuerit maior, in arbitrio & potestate Abbatis erit, si expediat aliquid * augere, remota præ omnibus crapula.

* al. mẽsis
Vide sanctam huius regulæ libertatem.
* al. augerẽ

Vt nunquàm * surripiat monacho indigeries: quia nihil sic cõtrarium est omni Christiano, quomodò crapula, sicut ait Dominus noster: Videte nè grauentur corda vestra in crapula *. Pueris verò minori ætate, non eadẽ seruetur quãtitas: sed minor quàm maioribus, seruata in oĩbus parcitate.

* al. subrepat
Lucæ 21.
* al. & ebrietate.

Carnium verò quadrupedum omninò ab omnibus abstineatur comestio: præter omninò debiles & ægrotos.

De mensura potùs. Cap. XL.

VNusquisq; proprium habet donũ ex Deo, alius * sic, alius verò sic. Et ideò cum aliqua scrupulositate à nobis mẽsura victûs aliorum constituitur. Tamen infirmorum contuentes imbecillitatẽ, credimus heminam vini per singulos sufficere per diẽ. Quibus autẽ donat Deus tolerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedẽ sciant. Quòd si aut loci necessitas, aut labor, aut ardor æstatis amplius poposcerit, in arbitrio *Prioris consistat, considerans in omnibus nè subrepat satietas, vel ebrietas. Licèt legamus vinũ omnimodò non esse monachorũ, sed quia nostris tẽporibus id monachis persuaderi nõ potest, saltẽ vel hoc consentiamus, vt nõ vsq; ad satietatem bibamus, sed parciùs: quia vinum apostatare facit etiam sapientes. Vbi autem necessitas loci exposcit, vt nec suprà scripta mensura inueniri possit, sed multo minùs, aut ex toto nihil, benedicant Deum qui ibi habitant, & non murmurent. Hoc ante omnia admonentes, vt absque murmurationibus sint*.

* quidem
1. Cor. 12.
* al. Abbatis
Nota diligenter.
Eccl. 19.
* al. fratres.

Quibus horis oporteat reficere fratres. Cap. XLI.

A Sancto Pascha vsque ad Pentecosten, ad sextam reficiant fratres, & ad seram cœnent. A Pentecoste autem tota æstate, si labores agrorum non habent monachi, aut nimietas æstatis non perturbat, quarta & sexta feria, ieiunent vsq; ad nonam: reliquis verò diebus ad sextã prandeant. Quæ prandij sexta, si opera in agris habuerint, aut æstatis feruor nimius fuerit, continuanda erit, & in Abbatis sit prouidentia. Et sic omnia temperet atque disponat, qualiter & animæ saluentur, & quod faciunt fratres, absq; * iusta murmuratione faciãt. Ab idibus aũt Septembris, vsq; ad caput Quadragesimæ, ad nonam semper reficiant. * Ab initio verò Quadragesimæ vsque ad Pascha, ad vesperam reficiant. Ipsa tamẽ vespera sic agatur, vt lumine lucernæ non indigeant reficientes, sed luce adhuc diei omnia cõsummentur. Sed & omni tempore siue cœnæ, siue refectionis hora sic temperetur, vt cum luce fiant omnia.

* vlla

* In quadragesima verò vsque in

Vt post Completorium nemo loquatur. Cap. XLII.

Omni tempore silentio debent studere monachi, maximè tamen nocturnis horis. Et ideò omni tempore, siue ieiunij, siue prandij, si tẽpus fuerit prandij, mox vt surrexerint à cœna, sedeant omnes * in vno loco. Et legat vnus collationes, vel vitas patrum, aut certè aliquid quod ædificet audientes. Non autem heptaticum, aut regum: quia infirmis intellectibus non erit vtile illa hora hanc Scripturam audire: alijs verò horis legantur. Si autem ieiunij dies fuerint, dicta Vespera paruo interuallo mox accedant ad lectionem collationũ, vt diximus, & lectis quatuor aut quinq; folijs, vel quantum hora permittit, omnibus in vnum occurrẽtibus per hanc moram lectionis, si quis fortè in assignato sibi cõmisso, fuerit occupatus, occurrat. Omnes ergò in vnum * positi compleant, & exeuntes à Completorijs, nulla sit licentia denuò cuiquam loqui aliquid. Quòd si inuentus fuerit quisquam hanc præuaricari taciturnitatis regulã, * grauiori vindictæ subiaceat: excepto, si necessitas hospitũ superuenerit, aut fortè Abbas alicui aliquid iusserit. Quod tamẽ & ipsum cum summa grauitate, & moderatione honestissimè fiat.

* in vnũ: & Propria & conueniens lectio Monachorum.

Repetit de lectione collationem.

* cõgregati

* graui No. districtionem silentij post cõpletoriũ.

De his qui ad opus Dei, vel ad mensam tardè occurrerint. Cap. XLIII.

AD horam diuini officij mox vt auditũ fuerit signũ, relictis omnibus, quælibet fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur, cum grauitate tamen, vt non scurrilitas inueniat fomitem. Ergò nihil operi Dei præponatur. Quòd si quis ad nocturnas Vigilias post Gloriam Psalmi nonagesimi quarti, quem propter hoc omninò protrahendo, & morosè volumus dici, non occurrerit, non stet in ordine suo in choro, sed vltimus omnium stet, aut in loco quem talibus negligẽtibus seorsùm cõstituerit Abbas, vt videatur ab ipso vel ab omnibus, vsq; dum, completo opere Dei, publica satisfactione pœniteat. Ideò autem eos in vltimo, aut seorsùm iudicauimus debere stare, vt visi ab omnibus, vel pro ipsa verecundia sua emendentur. Nam si foris oratorium remaneant, erit fortè

Verbo ô circunspecta.
Venite exultemus.

Conueniẽs ordinatio.

fortè talis qui se aut recollocet, & dormiat, aut certè sedeat sibi foris, * vel * &
fabulis vacet, & * datur occasio maligno: sed ingrediatur * intùs, vt nec to- * al. nè detur
tũ perdat, & de reliquo emẽdetur. Diurnis autẽ horis, qui ad opus Dei post * intrò
versum, & Gloriã primi Psalmi, qui post versum dicitur, nõ occurrerit, le-
ge qua superiùs diximus, in vltimo stet loco: nec præsumat sociari choro
psallentiũ vsque ad satisfactionẽ, nisi fortè Abbas licentiã dederit permis-
sione sua: ità tamen, vt satisfaciat reus ex hoc. Ad * mensam autẽ, qui ante * al. horam
versum non occurrerit, vt simul omnes dicãt versum, & orent, & sub vno verò refe-
simul omnes accedant ad mensam, qui per negligentiã suã, aut vitiũ non ctiõis. quæ
occurrerit, vsq; ad secundã vicẽ, * ꝑpter id corripiatur. Si denuò nõ emẽ- Quando sit
dauerit, nõ permittatur ad mẽsæ cõmunis participationẽ, sed sequestratus obseruãdũ,
à cõsortio omniũ, reficiat solus, sublata ei portione sua vini vsq; ad satisfa- benedictio-
ctionẽ, & emendationẽ. Similiter autẽ patiatur, qui & ad illum versum nõ ni mensæ
fuerit præsens, qui post cibũ dicitur. * Nec quisquã præsumat ante statutã interesse.
horã, vel posteà quicquam potûs aut cibi sumere. Sed & si cui offertur ali- * al. ꝑ hoc vitio
quid à Priore, & accipere renuerit, hora qua desiderauerit, hoc quod priùs * al. Et nè quis
recusauit, aut aliud, omninò * nihil accipiat, vsq; ad emẽdationẽ congruã. Nota præsentem articulum.

De his qui excommunicantur, quomodò satisfaciant. Cap. XLIIII. * al. non

QVi pro grauiori culpa ab oratorio, & à mensa excommunicatur,
hora qua opus Dei in oratorio * celebratur, ante fores oratorij * al. percelebratur.
prostratus iaceat, nihil dicens, nisi tantùm posito in terra capi-
te, stratus pronus omniũ de oratorio exeuntiũ pedibus, & hoc tamdiù fa-
ciat, vsq; dũ Abbas iudicauerit satisfactũ esse. Qui dũ iussus ab Abbate ve-
nerit, prouoluat se ipsius Abbatis pedibus: deindè omniũ fratrũ vestigijs,
vt orent pro eo. Et tũc si iusserit Abbas, recipiatur in choro, vel ordine quo
Abbas decreuerit. Ità sanè, vt Psalmũ aut lectionẽ, vel * aliquid nõ pręsu- * aliud qd
mat in oratorio imponere, nisi iterũ Abbas iubeat. Et omnibus horis, dũ
cõpletur opus Dei, proijciat se in terrã in loco quo stat, & sic satisfaciat, vs-
que dum ei iterũ iubeat Abbas, vt quiescat iam ab hac satisfactiõe. Qui ve-
rò pro leuib⁹ culpis excõmunicãtur tãtùm à mensa, in oratorio satisfaciãt,
vsq; ad iussionẽ Abbatis: hoc perficiãt vsq; dũ benedicat, & dicat, sufficit.

De his qui falluntur in oratorio. Cap. XLV.

SI quis dum pronunciat Psalmũ, aut Responsoriũ, aut Antiphonã,
vel Lectionẽ, fallitur, nisi per satisfactionẽ ibi corã omnibus humi-
liatus fuerit, maiori vindictæ subiaceat: quippe * qui noluit humili- * al. quia
tate corrigere, quod negligẽtia deliquit. Infantes aũt, ꝑ tali culpa vapulẽt.

De his qui in aliquibus leuibus delinquunt. Cap. XLVI.

SI quis dum in labore quouis, in coquina, in cellario, in ministerio, in
pistrino, in horto, in arte aliqua, dũ laborat, vel in quocũq; loco ali-
quid deliquerit, aut fregerit quippiã, aut perdiderit, vel aliud qd ex-
cesserit vbi vbi, & nõ veniẽs cõtinuò ante Abbatẽ, vel cõgregationẽ, ipse Arg. ꝙ Ab-
vltrò satisfecerit, & prodiderit delictũ suũ, dum per aliũ cognitum fuerit, bates tẽpo-
maiori subiaceat emendationi. Si animæ verò peccati causa fuerit latens, re S. B. erãt
tantùm Abbati, aut spiritualibus senioribus patefaciat, qui sciãt curare sua sacerdotes,
& aliena vulnera, non detegere & publicare. & per consequens & ipse.

De significanda hora operis Dei. *Cap.* XLVII.

* al. aut ipse nunciare,

NVncianda hora operis Dei die noctuq; sit curæ Abbati, * vt ipse nunciet, aut tali solicito fratri iniungat hanc curam, vt omnia horis competentibus compleantur. Psalmos autem vel Antiphonas post Abbatem ordine suo, quibus iussum fuerit, imponant. Cantare autem & legere non præsumat, nisi qui potest ipsum officium implere, vt ædificentur audientes. Quod cum humilitate, & grauitate, & tremore faciat, & cui iusserit Abbas.

Nihil omninò præsumendum.

De opere manuum quotidiano. *Cap.* XLVIII.

OCiositas inimica est animæ: Et ideò certis tēporibus occupari debent fratres in labore manuum: certis iterū horis in lectione diuina. Ideoque hac dispositione credimus vtraq; tēpora ordinari, id est, vt à Pascha vsque ad Calendas Octobris, à manè exeuntes, à prima vsque ad horam penè quartam laborent, quod necessarium fuerit. Ab hora autem quarta vsque ad horam quasi sextam, lectioni vacēt. Post sextam autem surgentes à mensa, pausent in lectis suis, cum omni silētio: aut fortè qui voluerit legere, sic sibi legat, vt alium non inquietet. Et agatur nona temperiùs, mediante octaua hora: & iterùm, quod faciendum est, operentur vsq; ad vesperum. Si autem necessitas loci, aut paupertas exegerit, vt ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur: quia tunc verè monachi sunt, si labore manuum suarum viuunt: sicut & Patres nostri & Apostoli. Omnia tamen mensuratè fiant, propter pusillanimes. A Calendis autem Octobris, vsque ad caput Quadragesimæ, vsque ad horam secundam plenam, lectioni vacent, hora secūda agatur tertia, & vsq; * nonam, omnes in opus suum laborent, quod eis iniungitur. Facto autē primo signo horæ nonæ, disiungāt se ab opere suo singuli, & sint parati dum secundum signum pulsauerit. Post refectionem autem, vacent lectionibus suis, aut Psalmis. In Quadragesimæ verò diebus, à manè vsque ad tertiam plenam, vacent lectionibus suis: & vsque ad decimam horā plenam, operentur quod eis iniungitur. In quibus diebus Quadragesimæ accipiāt omnes singulos codices de Bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant: Qui codices in caput Quadragesimæ dandi sunt. Ante omnia sanè deputentur vnus aut duo seniores, qui circumeant monasteriū horis, quibus vacant fratres lectioni, & videant nè fortè inueniatur frater acidiosus, qui vacat ocio, aut fabulis, & non est intentus lectioni, & non solùm sibi inutilis est, sed etiā alios extollit. Hic talis si, quod absit, repertus fuerit, corripiatur semel & secundò: si non emendauerit, correptioni regulari subiaceat, & taliter, vt cæteri * metum habeant. Neque frater ad fratrem iungatur horis incompetentibus. Dominico die lectioni vacent omnes, exceptis his, qui varijs officijs deputati sunt. Si quis verò itā negligens & desidiosus fuerit, vt non velit, aut non possit meditari, aut legere, iniungatur ei opus quod faciat, * & non vacet. Fratribus infirmis, vel delicatis, * talis opera aut ars iniungatur, vt nec ociosi sint, nec violentia laboris opprimantur, vt effugentur. Quorum imbecillitas ab Abbate consideranda est.

1. Cor. 4. Ioan. 21.

* al. ad

Solicitudo ad opus Dei.

Cura seniorum.

* al. timeant.

Obseruantia diei Dominicæ.

* al. vt

* al. tale opus

De

De obseruatione Quadragesimæ. Cap. XLIX.

Licèt omni tẽpore vita monachi Quadragesimę obseruationẽ debeat habere, tamẽ quia paucorũ est ista virtus, ideò suademus diebus Quadragesimę omni puritate vitam suã custodire, i. omnes pariter negligentias aliorũ tẽporum, his diebus sanctis diluere. Quod tunc dignè fit, si ab omnibus vitijs * temperemus: orationi cum fletibus, lectioni, & compunctioni cordis, atque abstinentiæ operam demus. Ergò his diebus augeamus nobis aliquid ad solitum pensum seruitutis nostræ, orationes peculiares, ciborum & potûs abstinentiam, vt vnusquisq; supra mensurã sibi indictã, aliquid propria voluntate, cum gaudio sancti spiritûs, offerat Deo, id est, subtrahat corpori suo, de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de scurrilitate, & cum spiritualis desiderij gaudio, sanctum Pascha expectet: hoc ipsum tamẽ, quod vnusquisq; offert Deo, Abbati suo suggerat, & cum eius fiat oratione, & volũtate: quia quod sine * permissione patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur, & vanæ gloriæ, nõ mercedi. Ergò cum voluntate Abbatis omnia facienda sunt.

Nota benè. * al. nos. * al. voluntate

De fratribus qui longè ab oratorio laborant, aut in via sunt. Cap. L.

Fratres qui omninò longè sunt in labore, & non possunt occurrere hora competenti ad oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ità est, agant ibidèm opus Dei vbi operantur, cum tremore diuino flectentes genua. Similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant Horæ constitutæ, sed vt possunt, agant sibi, & seruitutis pensum non negligant reddere.

De fratribus qui non satis longè proficiscuntur. Cap. LI.

Fratres qui pro quouis responso * proficiscuntur, & ea die * sperãt reuerti ad monasterium, non præsumant foris manducare, etiam si omninò à quouis * rogentur, nisi fortè ab Abbate suo eis præcipiatur: quòd si aliter fecerint, excommunicentur.

* al. diriguntur. * al se * al. cogentur

De oratorio monasterij. Cap. LII.

Oratorium hoc sit, quod dicitur: nec ibi quicquã aliud geratur aut condatur. Expleto opere Dei, omnes cum summo silentio exeant, & agatur reuerentia Deo, vt frater qui fortè sibi peculiariter vult orare, nõ impediatur alterius improbitate. Sed & si alter vult sibi fortè secretius orare, simpliciter intret & oret, * non clamosa voce, sed in lachrymis, & intentione cordis. Ergò qui simile opus non facit, non permittatur, expleto opere Dei, remorari in oratorio, sicut dictum est, ne alius impedimentum patiatur.

Hoc habetur 42. dist. c. oratoriũ. De silentio in choro, habes Extra de statu monachorum. lib. 3. decretalium, cũ ad monasterium. * al. nõ in

De hospitibus excipiendis. Cap. LIII.

Omnes superuenientes hospites, tanquàm Christus suscipiantur: quia ipse dicturus est: Hospes fui, & suscepistis me. Et omnibus congruus honor exhibeatur, maximè domesticis fidei, & peregrinis. Vt ergò nunciatus fuerit hospes, occurratur ei à Priore, vel à fratri-

Matt. 25.

*al. sociantur bus cum omni officio charitatis: & primitùs orent pariter,& sic sibi * so-
cientur in pace. Quod pacis osculum non priùs offeratur, nisi oratione
*al. ei præmissa,ꝓpter illusiones diabolicas. In ipsa autē salutatione,omnis * ex-
hibeatur humilitas. Omnibus veniētibus siue discedentibus hospitibus,
inclinato capite vel prostrato omni corpore in terra, Christus in eis ado-
Matth. 18. Nota hâc regulam. *al. hospites retur, qui & suscipitur. Suscepti autē hospites ducantur ad orationem, &
posteà sedeat cum eis Prior,aut cui iusserit ipse. Legatur corā hospite lex
diuina, vt ędificetur: & post hæc omnis ei exhibeatur humanitas. Ieiuniū
à Priore frangatur propter hospitem,nisi fortè præcipuus sit dies ieiunij,
qui non possit violari. Fratres autem consuetudines ieiuniorum prose-
quantur. Aquā in manibus Abbas hospitibus det: pedes autē hospitibus
omnibus tam Abbas,q̄ cuncta congregatio, lauet. Quibus lotis, hūc ver-
Psal. 47. *al. autem *al. susceptorum. sum dicant: Suscepimus, Deus,misericordiā tuam in medio templi tui.
Pauperum,* & peregrinorum maximè,* susceptio omni cura solicitè ex-
Matt. 18. hibeatur: quia in ipsis magis Christus suscipitur. Nam diuitū terror ipse
Egregiè dictum. sibi exigit honorem. Coquina Abbatis & hospitum per se sit, vt in certis
horis superuenientes hospites, qui nunquàm desunt monasterio, nō in-
quietent fratres. In quam coquinam ad annum ingrediantur duo fratres,
al. ministrentur qui ipsum officium benè impleant. Quibus,vt indigent, solatia admini-
strentur eis, vt absq; murmuratione seruiant. Et iterùm quandò occupa-
*al. imperatum fuerit, tionem minorem habent,exeant,vbi eis *imperatur,in opera. Et non so-
*al. in lùm *ipsis,sed & in omnibus officijs monasterij ista sit cōsideratio: vt quā-
dò indigent solatia,accommodentur eis:& iterùm, quandò vacant, obe-
diant imperanti. Item & cellam hospitū habeat assignatā frater, cuius ani-
mam timor Dei possideat, vbi sint lecti strati sufficienter, & domus Dei à
sapientibus sapienter administretur. Hospitibus autem,cui non præcipi-
tur, nullatenùs societur, neque colloquatur: sed si obuiauerit,aut viderit,
salutatis humiliter,vt dictum est, & petita benedictione, pertranseat, di-
cens, non licere sibi colloqui cum hospite.

Quòd non debeat monachus literas seu eulogias accipere. Cap. L IIII.

Diligēter obseruāda hæc est institutio. NVllatenùs liceat monacho, neque à parentibus suis, neq; à quo-
quam hominum, nec sibi inuicèm literas,aut eulogias, vel quęli-
bet munuscula accipere,aut dare, sine ꝓcepto Abbatis sui. Quòd
si etiam à parentibus suis ei quicquam directum fuerit, non præsumat
suscipere illud, nisi priùs indicatum fuerit Abbati. Quod, si iusserit susci-
pi, in Abbatis sit potestate,cui illud iubeat dari. Et non contristetur frater,
al. fuerit cui fortè directum fuerat, vt non detur occasio diabolo. Qui autem aliter
præsumpserit, disciplinæ regulari subiaceat.

De vestiarijs & calcearijs fratrum. Cap. L V.

*al. fratrū VEstimenta * fratribus,secundùm locorum qualitatem vbi habi-
tant, vel aërū temperiē, dētur: quia in frigidis regionibus ampli-
us indigetur, in calidis verò minus. Hæc ergò cōsideratio penès
Abbatem est. Nos tam mēediocribus locis sufficere credimus monachis,
per

per singulos cucullam, & tunicam: cucullam in hyeme villosam, in æstate purã, *aut vetustã, & scapulare propter opera. Indumenta pedũ pedules, & caligas. De quarum rerum omnium colore, aut grossitudine, non causentur monachi, sed quales inueniri possunt in ꝓuincia, qua [b] habitant, aut quod viliùs comparari potest. Abbas autẽ de mensura ꝓuideat, vt nõ sint curta ipsa vestimẽta vtentibus [c] eis, sed mensurata. Accipiẽtes noua, vetera semper reddant in præsenti, reponẽda in vestiario, propter pauperes. Sufficit enim monacho duas tunicas, & duas cucullas habere propter noctes, & ꝓpter lauare ipsas res: iam quod [d] supra fuerit, superfluũ est, & amputari debet. Et pedules, & quodcunq; est vetustum, reddant dum accipiunt nouum. Femoralia hi, qui in via diriguntur, de vestiario accipiãt: qui reuertentes, lota ibi restituant: & cucullæ & tunicæ sint [e] aliquanto his, quas habere soliti sunt, modicè meliores: quas exeuntes in [f] viã accipiant de vestiario, & reuertentes restituant. Stramenta autem lectorũ sufficiant, matta, sagum, lena, & capitale. Quę tamẽ lecta, ab Abbate frequenter scrutanda sunt, propter opus peculiare nè inueniatur: & si cui inuentum fuerit, quod ab Abbate nõ acceperit, grauissimæ disciplinę subiaceat. Et vt hoc vitiũ peculiaris radicitùs amputetur, détur ab Abbate omnia, q̃ sunt necessaria, i. cuculla & tunica, & pedules, & caligę, brachile, cultellus, graphiũ, acus, mappula, tabulæ, vt omnis auferatur necessitatis excusatio. A quo tamẽ Abbate semper cõsideretur illa sentẽtia Actuũ Apostolorũ: quia dabatur singulis prout cuiq; opus erat. Ità ergò & Abbas consideret infirmitates indigentiũ, non malam volũtatem inuidentiũ. In omnibus tamen iudicijs suis, Dei retributionem cogitet.

*al. & Vsus scapularis habetur etiã extra de statu monachorum. in Clemen. nè in agro. cũ cæteris quæ hic sequuntur, vt intelligas nihil prætermisisse beatissimum Benedictum.
b al. degunt
c al. ea
d al. superfuerit
e al. aliquãto solito quas habẽt modicè
f al. via
Nota benè.
Act. 4.
Sancta doctrina.

De mensa Abbatis. Cap. LVI.

MEnsa Abbatis cum peregrinis & hospitibus sit semper. Quotiès tamen minùs sunt hospites, quos vult de fratribus vocare, in ipsius sit potestate. Seniores tamen vnum aut duos semper cum fratribus dimittendum procuret, propter disciplinam.

Habetur hoc idẽ extra de statu monachorum. lib. 3. Decret. cũ ad monast.

De artificibus monasterij. Cap. LVII.

ARtifices si sunt in monasterio, cum omni humilitate faciant ipsas artes, si tamen * iusserit Abbas. Quòd si aliquis ex eis extollitur pro sciẽtia artis suæ, eò q̃ videatur aliquid cõferre monasterio, hic talis euellatur ab ipsa arte, & denuò per eam nõ trãseat: nisi fortè humiliato ei iterũ Abbas iubeat. Si quid verò ex operibus artificũ venũdandum est: videãt ipsi per quorũ manus transigenda sunt, nè aliquã fraudem ꝑsumant inferre. Memorentur semper Ananiæ & Saphiræ, nè fortè mortẽ quã illi in corpore pertulerũt, hanc isti, vel omnes, qui aliquã fraudem de rebus monasterij fecerint, in anima patiantur. In ipsis autem precijs nõ * surripiat auaritiæ malũ, sed semper aliquantulũ viliùs detur, q̃ ab alijs secularibus * datur, vt in omnibus glorificetur Deus.

*al. permiserit
Obseruãda institutio.
Aduertãt q̃ res agunt monasterij.
Act. 5.
*al. subrepat
Religiosissima ordinatio.
*al. dari potest

De disciplina suscipiendorum fratrum. Cap. LVIII.

NOuiter veniens quis ad cõuersionem, non ei facilis tribuatur ingressus, sed sicut ait Apostolus: Probate spiritus, si ex Deo sunt. 1. Ioh. 4.

Nota de institutore nouitiorũ.

Nouitiorũ probatio.

Omninò probandi sunt.

* al. quod

Et sic expleto anno admittitur ad ꝓfessionẽ, cui ordinationi sancti patris innititur summus Pontifex. 17. q. 2. c. Gonsal.

b al. se

c al. quem

d al. excusare.

Tremenda sententia.

* al. nomina

Ergò si veniens, perseuerauerit pulsans, & illatas sibi iniurias, & difficultatem ingressus post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare, & persistere petitioni suæ, annuatur ei ingressus, & sit in cella hospitum paucis diebus. Posteà autem sit in cella nouitiorum, vbi meditetur, & manducet, & dormiat. Et senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eum omninò curiosè intendat, & solicitus sit, si verè Deum quærat, si solicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Prædicentur ei omnia dura & aspera, per quæ itur ad Deum. Et si ꝓmiserit de stabilitate sua perseuerantiam, post duorum mensiũ circulum legatur ei hæc regula per ordinem, & dicatur ei: Ecce lex, sub qua militare vis. Si potes obseruare, ingredere: si verò non potes, liber discede. Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam cellam nouitiorum, & iterùm probetur in omni patientia: & post sex mensium circulum, relegatur ei regula, vt sciat, ad * quid ingreditur.

Et si adhuc stat, post quatuor menses iterùm legatur ei hæc eadem regula. Et si habita secum deliberatione, promiserit se oĩa custodire, & cuncta sibi imperata seruare, tunc suscipiatur in congregatione, sciens [b] lege regulæ constitutum, quòd ei ex illa die non liceat de monasterio egredi, nec collum excutere de subiugo regulæ, [c] quam sub tam morosa deliberatione licuit [d] recusare aut suscipere. Suscipiendus autẽ, in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, & conuersione morum suorũ, & obedientia coram Deo & sanctis eius, vt si aliquandò aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat, quem irridet.

Psal. 118.

De qua promissione sua faciat petitionem ad * nomen sanctorũ, quorum reliquiæ ibi sunt, & Abbatis præsentis. Quam petitionem manu sua scribat, aut certè, si non scit literas, alter ab eo rogatus scribat, & ille nouitius signum faciat, & manu sua eam super altare ponat. Quam dum posuerit, incipiat ipse nouitius mox hunc versum: Suscipe me, Domine, secundùm eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione mea. Quem versum omnis congregatio tertiò respõdeat, adiungentes: Gloria patri. Tunc ipse frater nouitius prosternatur singulorum pedibus, vt orent pro eo: & iam ex illa die in congregatione reputetur.

Nota.

Professi hodiè non proijciuntur, sed ꝓceditur in eos secũdum gradus disciplinæ regularis, ad vltimũ reclauduntur. Arg. extra de regulari. c. 1. Vide Archi. super c. peruenit. 27. q. 2.

Res, si quas habet, aut eroget priùs pauperibus, aut facta solenniter donatione, conferat monasterio, nihil sibi reseruans ex omnibus: quippe qui ex illo die nec proprij corporis potestatem se habiturum sciat. Mox ergò in oratorio exuatur rebus proprijs, quibus vestitus est, & induatur rebus monasterij. Illa autem vestimenta, quibus exutus est, reponantur in vestiario conseruanda: vt, si aliquandò, suadente diabolo, consenserit vt egrediatur de monasterio, (quod absit) tũc exutus rebus monasterij, proijciatur. Illam tamen petitionem eius, quam desuper altare Abbas tulit, nõ recipiat, sed in monasterio reseruetur.

De filijs nobilium vel pauperum quomodò offerantur. Cap. LIX.

SI quis fortè de nobilibus offert filium suum Deo in monasterio, si ipse puer minor est ætate, parentes eius faciant petitionem, quam suprà diximus, & cum oblatione ipsam petitionem, & manum pueri in-

ri inuoluant * palla altaris, & sic eum offerant. De rebus autem suis, aut *al. in
in præsenti petitione promittant sub iureiurando, quia nunquàm per se, *al. suffectā
nunquàm per * suspectam personam, nec quolibet modo ei aliquan- Magna cautio.
dò aliquid dent, * aut tribuant occasionem habendi. Vel certè, si hoc facere *al. nè
noluerint, & aliquid offerre voluerint in eleemosynam monasterio,
pro mercede sua, faciant ex rebus, quas dare volunt monasterio, donatio-
nem: reseruato sibi, si ità voluerint, vsufructuario. Atque ità omnia ob- Omnia obstruit.
struantur, vt nulla suspicio remaneat puero, per quā deceptus perire pos-
sit, (quod absit) quod experimento didicimus. Similiter autem & paupe-
riores faciant. Qui verò ex toto nihil habent, simpliciter petitionem fa-
ciant, & cum oblatione offerant filium suum coram testibus.

De sacerdotibus qui voluerint in monasterio habitare. Cap. LX.

SI quis de ordine sacerdotum in monasterio se suscipi rogauerit, nō
ei citiùs quidem assentiatur. Tamē si omninò perstiterit in hac sup-
plicatione, sciat se omnem regulæ disciplinam seruaturum, nec ali-
quid ei relaxabitur: vt sit, sicut scriptum est: Amice, ad quid venisti? Con- Matt. 26.
cedatur ei tamen post Abbatem stare, & benedicere, aut Missas * tenere, si *al. canere
tamē Abbas ei iusserit. Sin aliàs, nullatenùs aliqua præsumat, sciens se di-
sciplinæ regulari subditum, & magìs humilitatis exempla omnibus det.
Et si fortè ordinationis, aut alicuius rei causa fuerit in monasterio, illum
locum * attendat, quandò ingressus est in monasterium, non illum, qui *al. semper
ei pro reuerentia sacerdotij concessus est. Clericorum autem si quis eodē
desiderio monasterio sociari voluerit, loco mediocri collocetur & ipse, ta-
men si * promittit de obseruatione regulæ, vel propria stabilitate. *al. promittat.

De monachis peregrinis, qualiter suscipiantur. Cap. LXI.

SI quis monachus peregrinus, de longinquis prouincijs superuene-
rit, si pro hospite voluerit habitare in monasterio, & contentus fu-
erit consuetudine loci, quam inuenerit, & non fortè superfluitate
sua perturbat monasterium, sed simpliciter contentus est quod inuenerit:
suscipiatur, quanto tempore cupit. Si qua sanè rationabiliter, & cum hu-
militate charitatis * repræhendit, tractet Abbas prudenter, nè fortè ad hoc *al. repræhenderit,
eum Dñs direxerit. Si verò posteà voluerit stabilitatem suam firmare, non
renuatur talis volūtas: & maximè, quia tēpore hospitalitatis potuit eius vi-
ta dinosci. Quòd si * superfluus aut vitiosus repertus fuerit tempore ho- *al. superbus
spitalitatis, non solùm non debet sociari corpori monasterij, verùm eti-
am dicatur ei honestè, vt discedat, nè eius miseria etiam alij vitiētur. Quòd
si non fuerit talis, qui mereatur proijci, non solùm, si petierit, suscipiatur
congregationi sociandus, verumetiam suadeatur vt stet, vt eius exem-
plo alij erudiantur. Et quia in om̄i loco vni domino seruitur, vni regi mi- Rom. 10.
litatur, quē si etiā talem esse perspexerit Abbas, liceat eum in superiori ali-
quantulū cōstituere loco. Nō solū aūt monachū, sed etiā de * suprascriptis *al. suprà dictis.
gradibus sacerdotum vel clericorū, stabilire potest Abbas in maiori quàm
ingrediuntur loco, si eorum talem perspexerit vitā esse. Caueat aūt Abbas,

nè aliquandò de alio noto monasterio monachũ ad habitandũ suscipiat, sine consensu Abbatis eius, aut literis commendatitijs, quia scriptum est:
Tob. 4. Matt. 7. Quod tibi non vis fieri, alij nè feceris.

De sacerdotibus monasterij. Cap. LXII.

SI quis Abbas sibi presbyterũ vel diaconũ ordinari petierit, de suis eligat, qui dignus sit sacerdotio fungi. Ordinatus autem, caueat elationem, aut superbiam, nec quicquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur, sciens se multò magis disciplinæ regulari *subdendum. (*al. subditum.) Nec occasione sacerdotij obliuiscatur regulæ obedientiam, & disciplinã: sed magis ac magis in Deũ proficiat. Locũ verò semper illũ attendat, quo ingressus est monasterium, præter officiũ altaris: & si fortè electio congregationis, & volũtas Abbatis pro vitæ merito eum ꝓmouere voluerit: qui tamen regulam, à Decanis vel Præpositis constitutã sibi, seruare sciat. Quòd si aliter ꝑsumpserit, non sacerdos, sed rebellio iudicetur. Et sæpè admonitus, si non correxerit, etiam episcopus adhibeatur in testimonium. Quòd si nec sic emendauerit, clarescentibus culpis, proijciatur de monasterio: si tamẽ talis fuerit eiꝰ cõtumacia, vt subdi, aut obedire regulę nolit.

De ordine congregationis. Cap. LXIII.

ORdines suos in monasterio itã conseruent, vt conuersionis tempus, & vitæ meritũ discernit, vtq; Abbas constituerit. Qui Abbas non turbet gregem sibi cõmissum, nec quasi libera vtens potestate, iniustè disponat aliquid, sed cogitet semper, quia de omnibus iudicijs & operibus suis, redditurus est Deo rationem. Ergò secundùm ordines quos constituerit, vel quos habuerint ipsi fratres, sic accedant ad pacem, ad cõmunionem, ad Psalmũ imponendum, in choro standũ. Et in omnibus
1. Reg. 7. Dan. 13. omninò locis ætas nõ discernatur in ordine, nec præiudicet: quia Samuel & Daniel pueri presbyteros iudicauerunt. Ergò exceptis his, quos, vt diximus, altiori consilio Abbas ꝓtulerit, vel degradauerit certis ex causis, reliqui omnes vt conuertuntur, itã sint: vt, verbi gratia, qui secunda hora diei venerit in monasteriũ, iuniorem se nouerit illius esse, qui prima hora venit diei, cuiuslibet ætatis aut dignitatis sit. Pueris verò per oĩa ab oĩbus disciplina teneatur. (*al. ob seruantia.) Iuniores igitur, priores suos honorent: priores, iuniores suos diligant. In ipsa autem appellatione nominum, nulli liceat alium puro nomine appellare, sed priores, iuniores suos fratres nominẽt: Iuniores autẽ, priores suos * Nonnos vocent: (*al. Domnos) quoᵈ intelligitur paterna reuerentia. Abbas autẽ, quia vices Christi agere* creditur, (*al. videtur.) domnus & Abbas vocetur: non sua assumptione, sed honore & amore Christi. Ipse autẽ cogitet, & sic se exhibeat, vt dignus sit tali honore. Vbicunq; autẽ sibi *obuiant fratres, (*al. obuiauerint) iunior à priore benedictionẽ petat. Transeunte maiore, minor surgat, & det ei locum sedendi. Nec ꝑsumat iunior * cõsedere, (*al. sedere) nisi ei præcipiat senior suus: vt fiat quod scriptum est: Honore inuicèm præuenientes. (Rom. 12.) Pueri * paruuli, (*al. parui) vel adolescentes in oratorio, vel ad mensas cũ disciplina, ordines suos *consequantur. (*al. sequatur) Foris autem vel vbiubi, custodiam habeant & disciplinam, vsq; dum ad intelligibilem ætatem perueniant.

De

De ordinando Abbate. Cap. LXIIII.

IN Abbatis ordinatione illa ſemper conſideretur ratio, vt hic conſtituatur, quem ſibi omnis * concors congregatio ſecundùm timorem Dei, ſiue etiam pars quauis parua congregationis, ſaniori cõſilio, elegerit. Vitæ autẽ merito, & ſapientiæ doctrina eligatur, qui ordinãdus eſt, etiam ſi vltimus fuerit in ordine congregationis. Quòd ſi etiam omnis congregatio vitijs ſuis (quod quidem abſit) conſentientem perſonam pari cõſilio elegerit, & vitia ipſa aliquatenùs in notitiam b epiſcopi, ad cuius diœceſim pertinet ille locus, vel Abbatibus, aut vicinis Chriſtianis claruerint, prohibeant prauorum prçualere conſenſum, c & domui Dei dignũ conſtituãt diſpenſatorem: ſcientes pro hoc ſe recepturos mercedẽ bonã, ſi illud caſtè, & zelo Dei faciant, ſicut ediuersò peccatum, ſi negligant. Ordinatus autem Abbas, cogitet ſemper quale onus ſuſcepit, & cui redditurus eſt rationem villicationis ſuæ. Sciatq; ſibi oportere prodeſſe magìs, q̃ præeſſe. Oportet ergò eum eſſe doctum lege diuina, vt ſciat & ſit vndè proferat noua & vetera. Caſtum, ſobrium, miſericordẽ, d & ſemper e ſuperexaltet miſericordia iudicium, vt idem ipſe conſequatur: oderit vitia, diligat fratres. In ipſa autẽ correptione prudenter agat, & nè quid nimìs: nè, dum nimìs cupit eradere f ęruginem, frangatur vas. Suamq; fragilitatẽ ſemper ſuſpectus ſit: memineritq; calamum quaſſatum nõ conterendũ. In quibus non dicimus, vt permittat nutriri vitia, ſed prudenter & cum g charitate ea amputet, * prout viderit cuiq; expedire, ſicut iam diximus, & ſtudeat plùs amari, quàm timeri. Non ſit turbulentus & anxius, non ſit nimius & obſtinatus, non ſit zelotypus & nimìs ſuſpicioſus, quia nunquàm requieſcit. In ipſis imperijs ſuis ſit prouidus & conſideratus, ſiue ſecundùm Deum, ſiue ſecundùm ſeculum * ſint. * Opera quæ iniungit, diſcernat & temperet, cogitans diſcretionem ſancti Iacob, dicentis: Si greges meos plùs in ambulando fecero laborare, morientur cũcti vna die. Hæc ergò aliaque teſtimonia diſcretionis matris virtutũ ſumens, ſic om̃ia temperet, vt & fortes ſint qui cupiant, & infirmi non refugiant. Et præcipuè, vt præſentem regulam in omnibus * conſeruet, vt dum benè miniſtrauerit, audiat à Domino, quod ſeruus bonus, qui erogauit triticũ conſeruis ſuis in tempore ſuo. Amen dico vobis, * ſuper om̃ia bona ſua conſtituet eum.

- 18.q.2.ca. abbatẽ cl 1.
- * al. cohors congregationis
- Ext. de electiõe. ca. eccleſia. cl 2. vide gloſſ.
- 18. q. 1. abbatem. cl 1.
- b peruenerint
- 18.q. 2. ſi ge Abbas.
- c al. ſed
- 83. di. error. Item eadẽ diſt. cõſentire.
- Matt. 13.
- d al. humilem, &
- e al. ſuperexaltantem miſericordiam iudicio,
- f al. rubiginem,
- Eſa. 42.
- g al. vt
- * al. ſic
- * al. Om̃ia q̃
- Gen. 33.
- * al. conſeruent
- Matth. 24.
- * al. ait,

De Præpoſito monaſterij. Cap. LXV.

SAepiùs quidẽ cõtingit, vt per ordinationẽ Præpoſiti ſcandala grauia in monaſterio oriantur: dum ſint aliqui maligno ſpiritu ſuperbiæ inflati, & æſtimantes ſe ſecundos Abbates eſſe, aſſumentes ſibi tyrannidem, ſcandala nutriunt, & diſſenſiones in congregatione faciunt, & maximè in illis locis, vbi ab eodem ſacerdote, vel ab eiſdem Abbatibus, qui Abbatem ordinant, ab ipſis etiam & Præpoſitus ordinatur. Quod quàm ſit abſurdum, facilè aduertitur: quia ab ipſo initio ordinationis, materia ei datur ſuperbiendi, dum ei ſuggeritur à cogitationibus ſuis, exu-

exutū eū esse à potestate Abbatis sui, quia ab ipsis ordinatus est, à quibus & Abbas. Hinc suscitātur inuidiæ, *rixæ, detractiones, æmulationes, dissensiones, exordinationes: & dum contraria sibi * Abbas Præpositusq; sentiunt, & ipsorum necessè est sub hac dissensione animas periclitari, & hi qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem. Cuius periculi malum illos respicit in capite, qui talibus * inordinationibus se fecerunt authores. Ideoq; nos præuidemus expedire propter pacis charitatisq; custodiam, in Abbatis pendére arbitrio ordinationem monasterij sui, prout Abbas disposuerit. Et si potest fieri, per Decanos ordinetur (vt antè disposuimus) omnis vtilitas monasterij, prout Abbas disposuerit, vt dum pluribus cōmittitur, vnus non superbiat. Quòd si aut locus expetit, aut congregatio petierit rationabiliter cum humilitate, & Abbas iudicauerit expedire, quemcunque elegerit Abbas cum consilio fratrum timentium Deum, ordinet ipse * sibi Præpositum. Qui tamen Præpositus, illa agat cum reuerentia, quæ ab Abbate suo ei iniuncta fuerint: nihil cōtra Abbatis voluntatem, & ordinationem faciens: quia * quantùm Prælatus est cæteris, * tātùm eum oportet solicitè obseruare præcepta regulæ. Qui Præpositus si repertus fuerit vitiosus, aut elatione deceptus superbię, aut cōtemptor sanctæ regulæ fuerit cōprobatus, admoneatur verbis vsq; quater. Si non emendauerit, adhibeatur ei correptio disciplinæ regularis. Quòd si neq; sic correxerit, tunc deijciatur de ordine Pręposituræ, & alius qui dignus est, in loco eius subrogetur. Quòd si & posteà in congregatione quietus & obediens non fuerit, etiā de monasterio expellatur. Cogitet tamen Abbas, se de omnibus iudicijs suis Deo * redditurum rationē: nè fortè zeli aut inuidiæ flamma vrat animam.

*al. iræ | *al. inuicē | *al. inordinatiōe | 89. dist. ca. ad hoc | *al. illis. | Notandū. | *al. quāto | *al. tanto | *al. reddere

De ostiario monasterij. Cap. LXVI.

AD portam monasterij ponatur senex sapiens, qui sciat * accipere responsum & reddere, cuius maturitas eum non sinat vagari. Qui portarius cellam debet habere iuxta portam, vt venientes semper præsentem inueniant, à quo responsum accipiant: & mox vt aliquis pulsauerit, aut pauper clamauerit, Deo gratias respondeat, aut benedicat: & cum omni mansuetudine timoris Dei responsum reddat festinâter, cum feruore charitatis. Qui portarius si indiget solatio, iuniorem fratrem accipiat. Monasterium autem, si * possit fieri, ità debet construi, vt omnia necessaria, id est, aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diuersæ, intra monasterium exerceantur, vt non sit necessitas monachis vagandi foràs, quia omninò non expedit animabus eorum. Hanc autem regulā volumus sæpiùs in congregatione legi, nè quis fratrum se de ignorantia excuset.

*al. recipere | *al. potest

De fratribus in viam directis. Cap. LXVII.

DIrigendi fratres in via, omnium fratrum, vel Abbatis, se orationi commendent: & semper ad orationē vltimam operis Dei, commemoratio omniū absentium fiat. Reuertētes autem de via fratres,

tres, ipso die quo redeunt, per omnes canonicas horas, dum expletur opus Dei, prostrati solo oratorij, ab omnibus petant orationem propter excessus, nè quid fortè subripuerit in via, visus, aut auditus malæ rei, aut ociosi sermonis. Nec præsumat quisquam * alijs referre, [b] quęcunque foris monasterium viderit, aut audierit: quia plurima destructio est. Quod si quis præsumpserit, vindictæ regulari subiaceat. Similiter & qui præsumpserit claustra monasterij egredi, vel quocunquè ire, vel quippiam, quantuis parum, sine iussione Abbatis facere. *al. alio. vel alij b al. quæ

Si fratri impossibilia iniunguntur. Cap. LXVIII.

SI cui fratri aliqua fortè grauia, aut impossibilia iniunguntur, suscipiat quidem iubentis imperium cum omni mansuetudine & obedientia. Quòd si omninò virium suarum mẽsuram viderit pondus *oneris excedere, impossibilitatis suæ causas ei, qui sibi præest, patienter & opportunè suggerat, nõ superbiendo, aut resistendo, vel cõtradicendo. Quòd si post suggestionem suam, in sua sententia prioris imperium perdurauerit, sciat iunior ità sibi expedire, & ex charitate confidens de adiutorio Dei, obediat. Perfectissimum documentum *al. operis

Vt in monasterio non præsumat alter alterum defendere. Cap. LXIX.

SVmmoperè præcauendum est, ne quauis occasione præsumat * alteralterũ defendere monachũ in monasterio, aut quasi tueri, etiam si qualibet consanguinitatis propinquitate * iungantur. Nec quolibet modo id à monachis præsumatur: quia exindè grauissima occasio scandalorum oriri potest. Quòd si quis hæc transgressus fuerit, acriùs coerceatur. *al. illud, Summoperè, non habeant. *al. alius alium *al. iungetur

Vt nullus præsumat alium cædere, vel excommunicare. Cap. LXX.

VEtetur in monasterio omnis præsumptionis occasio. Ordinamus atque constituimus, vt nulli liceat quenquam fratrum suorum excommunicare, aut cædere, nisi cui potestas ab Abbate data fuerit. Peccantes autem, coram omnibus arguantur, vt cæteri metum habeant. Infantibus verò vsque ad quintumdecimum annum ætatis, disciplinæ diligentia ab omnibus adhibeatur, & custodia sit: sed & hoc cum omni mensura & ratione. Nam in fortiori ætate qui præsumpserit aliquatenùs, sine præcepto Abbatis, vel in ipsis infantibus, sine discretione exarserit, disciplinæ regulari subiaceat, quia scriptum est: Quod tibi non vis fieri, alijs ne feceris. 1. Tim. 5. Tob. 4.

Vt obedientes sint sibi inuicèm fratres. Cap. LXXI.

OBedientiæ bonum, non solùm Abbati exhibendum est ab omnibus, sed etiam sibi inuicèm ità obediant fratres, scientes per hanc obedientiæ viam, se ituros ad Deum. Præmisso ergò Abbatis, aut Præpositorũ, qui ab eo constituũtur, imperio, cui nõ permittimus priuata

*al.cum imperia præponi: deceterò, omnes iuniores prioribus suis * omni charitate & solicitudine obediant. Quòd si quis contentiosus reperitur, corripiatur. Si quis autem frater pro quauis minima causa ab Abbate, vel à quocunque priore suo corripitur, quolibet modo, vel si leuiter senserit animũ prioris cuiuscunque cõtra se iratum, vel cõmotum, quanuis modicè, mox sine mora tamdiù prostratus in terra ante pedes eius iaceat satisfaciens, vsque dum benedictione sanetur illa commotio. Quòd si quis contempserit facere, aut corporali vindictæ subiaceat, aut, si contumax fuerit, de monasterio expellatur.

De bono zelo quem debent habere monachi. Cap. LXXII.

Iaco. 3. Psal. 68. SIcut est zelus amaritudinis malus, qui separat à Deo, & ducit ad infernum: ità est zelus bonus, qui separat à vitijs, & ducit ad Deum, & ad vitam æternam. Hunc ergò zelum feruentissimo amore exerceant
Roma. 12. monachi, id est, vt honore se inuicèm præueniant. Infirmitates suas, siue
Ephe. 4. Gala. 5. corporum, siue morum patientissimè tolerent: obedientiam sibi certatim
Philip. 2. impendant. Nullus, quod sibi vtile iudicat, sequatur, sed quod magis alij:
Roma. 13. Ephe. 5. charitatem fraternitatis casto impendant amore: Deum timeant, Abbatem suum sincera & humili charitate diligãt: Christo omninò nihil præponant, qui nos pariter ad vitam æternam perducat. Amen.

De eo, quòd non omnis iustitiæ obseruatio in hac regula sit constituta. Cap. LXXIII.

REgulam hanc descripsimus, vt eam obseruantes in monasterijs, aliquatenùs vel honestatem morum, aut initium * conuersationis nos demonstremus habere. Cæterùm ad perfectionem conuersationis qui festinat, sunt doctrinæ sanctorum Patrum, quarũ obseruatio perducat hominem ad celsitudinem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis sermo diuinæ authoritatis veteris ac noui Testamenti, non est rectissima norma vitæ humanæ? Aut quis liber sanctorum catholicorum Patrum hoc non resonat, vt recto cursu perueniamus ad creatorem nostrum? necnon & collationes Patrum, & instituta, & vita eorum, sed & regula sancti patris nostri Basilij, quid aliud sunt, nisi benè viuentiũ, & obedientium monachorum * instrumẽta virtutum? Nobis autem desidiosis, & malè viuentibus, atq; negligentibus rubor confusionis est. Quisquis ergò ad patriam cælestem festinas, hanc minimam inchoationis regulam descriptam, adiuuante Christo perfice: & tunc demùm ad maiora, quæ suprà cõmemorauimus, doctrinæ, virtutumq; culmina Deo protegente, peruenies. Amen.

*al. conuersionis

*al. exempla &

D. IO-

D. IOANNIS DE TVRRE CREMATA CARDINALIS S. SIXTI, EXPOSITIO IN REGVLAM SANCTI BENEDICTI ABBATIS.

EPISTOLA D. ARSENII ABBATIS AD IPSVM D. CARDINALEM.



REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ET domino, domino Ioanni Cardinali sancti Sixti, Arsenius Monachus. Cùm superioribus diebus, Reuerendissime pater, reformationi quorundam Religiosorum ordinum præsentem me esse contigisset: accepi inter multa à multis ibi agitata, non leuem quandam, neque silētio prætereundam dubitationem: quæ non mihi modò, qui doctrina ingenioq; parùm vel nihil valeo: sed grauissimis plerisque insuper, doctissimisq; professionis nostræ hominibus, difficilis admodùm visa est. Proposita est enim in medium ratio quorundam Articulorū, qui in Regula sanctiss. patris nostri BENEDICTI cōtinentur, qui cōsilij ne, an præcepti magis sint, magnā in se prima facie habere videntur ambiguitatem. In qua re cùm diù multumq; animo fluctuans cogitarem, qua demùm via possem ignorantiæ meæ succursum ire, certiorq; horum fieri: venit in mentem, vt te consulerem, quo ne alium quidem nóui diuinæ in sapientiæ studijs eruditiorem. Quod etsi magna non sine erubescentia attentem propter publicas Ecclesiæ sanctæ arduasq; res, in quibus scio te semper esse occupatissimum: confidens tamen antiquo singularique amori nostro, humanissimæ etiam mansuetissimæque naturæ tuæ, sanctæ simul religioni, cui tu quoquè magna cum vitæ integritate dicatus es, audaciam cepi hoc quicquid est oneris, ad R.D.T. reijcere. Suscipias igitur, te rogo, optime pater, hocce desiderium meum: &, si honestum, si te dignum esse censes, impleas ea, qua & cætera semper diligentia consuesti. Declares interpreterisque singulorum Articulorum vim atque mentem. Qui vt varij sunt, ità varijs rationibus nonnunquàm præcepta tradunt: aliquandò monēt, interdùm consilia continent, plerunquè etiam constitutiones introducunt. Quorum interpretandorum cùm curam assumpseris, illud etiam, nè recuses, velim, vt super singulis doctrinā quampiam, pro mea cæterorumque qui hæc lecturi sunt, faciliore cognitione perscribas. Hæc si effeceris, (efficies autem, nihil dubito) persuade tibi, rem te non mihi modo optatissimam allaturū esse, sed confratribus etiā omnibus meis, alijsque insupèr diuersorum ordinum religiosis ac sanctis viris, qui vt vehementer idā te omnes expetunt, ità vt feliciter perficere posis, Deū pro te summis assiduisq; precibus rogitabunt. Vale, Florentiæ, duodecimo Calendas Aprilis.

RESPONSIVA EIUSDEM DOMINI CARDINALIS AD EUNDEM DOMINUM ARSENIUM, PER MODUM PROLOGI.



ACCEPI literas tuas, dilectissime frater, domine Arseni, quibus me hortatus es, vt tibi, fratrumq; tuorum commodis consulens, clarissimi patris sancti Benedicti, ducis & institutoris sacræ religionis tuæ, commendatissimam Regulã, meo labore & studio tibi exponerem. Ais enim in ea plura contineri, quæ tibi, multisq; alijs professionis tuæ doctissimis grauissimisq; Patribus, non leues afferunt difficultates. maximè, circa rationem quorundam articulorum illius, consilij'ne, an præcepti vim habeant: ac proindè, an talium transgressio mortalem culpam inducat, an potiùs venialem. Commendaui planè sanctũ desiderium tuum, quo lucidiorem apertioremque sanctæ Regulæ intelligentiã foredesideras: veraciter agnosces expedire plurimùm viris religiosis, Regulæ, secundùm quam Christo militare professi sunt, clarũ sensum interpretationemq; cognoscere. Sed optassem ad hanc rem implendam, alium virum doctiorem, & in sanctorum Patrum institutis maturiùs eruditum, ac ocio maiori potientem efflagitasses: & nõ me, qui propter occupationum angustias, neque ingenio, neq; sapientia tuis votis valeo satisfacere. Fateor mecum sæpè ac multùm cogitasse, suscipere m'ne arduam mihi rem & difficilimam, an tibi, cui pro tua maxima semper in me charitate plurimùm debeo, in re præsertim, quam tibi gratissimam, omniq; religioni tuæ perutilem asseris, morem non gererem. Cumq; ità multis varijsq; rationibus in ambiguum pulsus, diù mecum luctatus essem: tandem charitas tua singularis ad onus quod petis, etsi viribus meis maius, suscipiendum compulit. Precibus ergò tuis victus, deq; orationibus tuis tuorumq; fratrum confisus, opus ipsum aggrediar. In quo vt votis tuis respõdeam, textũ Regulæ, pro ingenij mei paruitate, explanabo: documenta aliqua moralia, ad pleniorem illius intelligentiam, adiungẽs: dubijs, de quibus tibi responderi cupis, iuxta sententiam & authoritatem probatissimorum Patrum, congrua responsa adijciam. Tu autem, si hoc meo labore voluntati tuæ minùs satisfactum intelliges, non mihi, sed tibi asscribes, qui me ad hanc rem tantam explicandam minùs idoneum minúsve sufficientem, interpretem delegeris.

DE COMMENDATIONE REGULAE SANCTISSIMI BENEDICTI, EIUSDEM DOMINI CARDINALIS, CAPITULUM UNICUM.

Regula sancti Benedicti in multis est commẽdabilis.

Prima, huius regulæ instituentis authoritas.



QUONIAM, adiuuante Domino nostro IESU Christo, expositioni Regulæ beatissimi ac clarissimi patris Benedicti, intenturi sumus: à commendatione ipsius Regulæ dignum duximus inchoandum. Inter multas & varias Patrum viuendi regulas & sanctæ religionis instituta, sub quibus religiosi diuersi militãt in ecclesia, Regula clarissimi patris Benedicti, inuenitur commẽdabilis à multis. Primò quidem, ab authoritate instituentis. Eximiæ planè authoritatis & sanctitatis fuit beatus páter Benedictus, huius Regulæ institutor & doctor: vtpotè qui, beatissimo Gregorio teste, vir fuit vitæ venerabilis, gratia benedictus & nomine. Secundò, commendabilis inuenitur à perfectione exemplaris, vndè educta est & assumpta, quia videlicet ab euãgelio Christi, primò. Vndè Bernardus in quodam sermone de beato Benedicto, ità loquitur: Quod beati patris nostri, cuius hodiè natalis agitur, Regula docuit, hoc nobis lectio euãgelij cõmendat: nec aliud sonuit veritatis præco, quàm veritas ipsa prędocuit. Quid enim aliud doctrina Regulæ persuadere conatur, nis: vt, contemptis eis, quæ mundi sunt, veritas ametur, eiusq; adhæreatur vestigijs, & indè æternæ sperentur præmia gloriæ? Hęc Bernardus. Educta insuper est Regula beati Benedicti, tanquàm fluuius quidam ex fonte religionis, ex Regula illa toti seculo clarissima, omniumque virtutum splendore ornatissima: Regula beati Basilij, & aliorum sanctorum catholicorum ac religiosorum Patrum institutis, vt idem beatus pater Benedictus, in finali capitulo Regulæ cõmemorat. Vndè beatissimus Basilius, ad filios spirituales scribens, in principio epistolæ ità ait: Verba enim ista non sunt ex me, sed prolata ex diuinis fontibus: nec enim noua doctrina instruam te, sed ea, quam didici à Patribus meis. Tertiò, commendatur Regula sancti patris Benedicti, à magnitudine vtilitatis.

Secunda, exemplaris perfectio.

Vndè deducta sit regula S. Benedicti.

Cõmendat regulam S. Basilij.

Tertia commendatio,

studuit

vtilitatis magnitudo.

ſtuduit quidem ſanctiſsimus pater in hac ſua Regula vtilia docere exemplo Domini, dicentis Iſa. 48. Ego Dominus, docés te vtilia. Docet enim huius clariſsimi patris Regula virtutes, ſobrietatem, prudentiam, iuſtitiam, & veritatem, quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus. Sap. 2.

Quarta, plenitudo continentiæ.

Quartò commendatur à plenitudine continentiæ. Traditur ſanè in ea, totius perfectionis monaſticæ norma, cùm vniuerſa virtutum inſtruméta ac religionis præcepta contineat, ſicut apertiſsimũ eſt ſingula ipſius Regulæ capitula contẽplantibus, vt de ea meritò dicamus illud Sap. 8. Doctrix eſt diſciplinæ Dei, & electrix operũ illius.

Diſciplina quid ſit.

Eſt autem diſciplina, vt ait beatiſsimus Cyprianus de duodecim abuſionibus, ordinata morum correctio, & maiorum præcedentium regularis obſeruatio.

Quinta, perfectiõis eminentia.

Quintò commendatur ab eminentia euangelicæ perfectionis. Plane nihil de volũtate propria, nihil de corporis proprij poteſtate, nihil de rerum mundanarum poſſeſsione, nihil de tẽpore dereliquit. Equidem perfectionem paupertatis, incluſiuè deduxit vſque ad graphium: perfectionem obedientiæ, deduxit vſq; ad momentum: cuius exuberãtiſsimæ perfectionis gratia, de huius perfectiſsimi & Deo acceptiſsimi patris Regula dicere meritò poſſumus illud Eccl. 39. Benedictio illius quaſi fluuius inundauit.

Sexta, implendi facilitas.

Sextò cõmendatur Regula beatiſsimi patris Benedicti, à facilitate implendi: prudentiſsimus enim pater, inſtar regulæ euangelij IESV Chriſti, facilem, ſuauem, & leuem condidit Regulam & doctrinam. Vndè in fine Prologi ità ſanctus pater pollicetur: Conſtituenda eſt à nobis Dominici ſchola ſeruitij. In qua nihil aſperum, nihilq; graue nos conſtituturos ſperamus. nec mirum, quia, vt ſapiẽs Salomon atteſtatur, doctrina prudentum facilis: Prou. 4.

Septima, ſpiritualitas.

Septimò commendatur regula beati Benedicti à ſpiritualitate: quemadmodùm enim ſpiritus præfertur corpori, ità doctrina ſpiritualis præfertur legi, ſiue doctrinæ carnali. Vndè regula, quæ plùs verſatur circa exercitia ſpiritualia, quàm circa corporalia, tanto ampliori eſt digna laude.

Quę regula maiori digna ſit laude.

Huiuſmodi eſt regula ſanctiſsimi patris Benedicti, cuius cõſideratio maximè circa ſpiritualia verſatur. Vndè in ſecundo capitulo Regulæ apertiſsimè præcepit Abbati, nè ampliùs ſolicitudinem gerat de rebus tranſitorijs, caducis, atq; terrenis, quàm de ſpiritualibus: ſed ſemper cogitet, quia animas regendas ſuſcepit, de quibus rationem redditurus eſt: memor ſemper eius quod ſcriptum eſt Lucæ 12. Primùm quęrite regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.

Octaua, ſumma diſcretio.

Octauò commẽdabilis redditur Regula beati Benedicti à diſcretione. Summa enim prudẽtia, quæ mater eſt omnium virtutum, menſurata ſunt vniuerſa huius ſanctæ regulæ inſtituta. Pijſsimus etiam ac deuotiſsimus pater ipſe Benedictus, in ca. 64. Regulæ Abbati præcepit, vt ità omnia diſcretionis lima temperet, vt opus quod imperat, tale ſit, quòd fortes illud cupiant, & infirmi nõ refugiant.

Concluſio magnæ cõmendationis.

Cuius diſcretionem beatus Gregorius in dialogo ſuo commendans, ait: Scripſit autem Regulam beatus Benedictus diſcretione præcipuã, ſermone luculentam, cuius regulæ amplitudine vtilitatis, & excellentia ſanctitatis ac perfectionis penſata, audacter dicere valemus, quòd quicunque hanc regulam ſecuti fuerint, Pax ſuper illos, ad Gala. 6. & illud, Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. Pſalm. 118.



TRACTATVS PRIMVS, IN QVO ASSVMIT PROLOGVM, ET AGIT, QVOMODO AVDIENDA SIT SANCTORVM PATRVM DOCTRINA.



VSCVLTA, *ò fili, præcepta magistri*, &c. Præmittit regulę suæ sanctus pater Benedict⁹, hunc Prologũ, tanquàm clauem totius operis: in quo exhortatur discipulum ad intentissimè audiẽdum doctrinam suam. Est enim auditus, potissima via ad disciplinam spirituale: licet enim tam visus quàm auditus, sensus sint disciplinales: auditus tamẽ, vt dicit Augustinus libro de doctrina Christiana, perneccessarius nobis est ad discipulatũ Christi. Et beatus Bernardus in libello quodam de amore Dei, dicit: Inter omnes sensus, auditus maximè euocat animam ad opus. Facit autẽ tria beatus Benedictus in hoc Prologo: Primò quidem reddit discipulũ beneuolum: ibi, *Ausculta*. Secundò, attentum: ibi, *Succinctis ergò*. Tertiò, docilem: ibi, *Constituenda est ergò* &c. Beneuolum quidem reddit ad audiendũ, ex tribus. Primò, ex parte sui: & hoc est charitas beneuolentiæ paternalis. Secundò, ex parte discipuli, quod est vtilitas singularis. Tertiò, ex parte Dei, quod est suauitas diuinę pietatis, nos misericorditer inuitantis. Primũ tãgitur in principio, dum dicitur: *Ausculta, ò fili*. Filius dicitura philos, quod est amor, eò quòd sit amor parentum: qui paternus affectus debet maximè beneuolum filium reddere ad intentè audiendum patris disciplinã, hinc Pro.6. dicit sapientissimus Salomon: Conserua, fili mi, præcepta patris tui, & nè dimittas legem matris tuæ. Et 1. Mach.2. dicitur: Obediemus legi patrum nostrorum.

Auditus, potissima via ad disciplinam spiritualem. Lib.2.c.3.

Tria facit B. Benedictus in Prologo.

Filius vnde dicitur.

Quid debeat filiũ intentum reddere.

Circa hanc partem aliqua notanda veniunt. Primò, quòd filius dicitur quatuor modis, sicut beatus Isidorus docet: scilicet, natura, adoptione, imitatiõe, & doctrina. Filius autem hoc loco duobus vltimis modis accipitur, videlicet imitatiõe & doctrina. Secundò notandum, quòd Prælatus debet esse pater subditorũ multipliciter. Primò, generando eos spiritualiter verbo doctrinæ, secundùm illud Apostoli 1. Cor.4. Per euagelium vos genui. Secundò, fouendo lacte consolationis, iuxta illud Pauli 1. Thess.2. Facti sumus paruuli in medio vestrũm, tanquã si nutrix foueat filios suos. Tertiò, erudiẽdo illos, iuxta illud 1. Cor.3. Tanquàm paruulis lac (scilicet, doctrinæ) vobis dedi potum. Quartò, thesaurizando eis exempla multarũ virtutum: Pro.21. Thesaurus desiderabilis, Glo. claritas bonorũ operum Deo amabilis, & oleum, gl. pinguedo deuotionis, in habitaculo iusti. Quintò, prouidendo de necessarijs, iuxta illud Apostoli 2. Cor.12. Ego autem libentissimè impendã, Glo. spiritualia & tẽporalia ad vsus vestros, & superimpẽdar pro animabus vestris. Tertiò notandum, quòd sanctus pater Benedictus in his verbis tria ponit, quibus audienda est Christi & sanctorum patrum doctrina. Est autẽ primò audiẽda humiliter & reuerẽter, secundùm illud Eccl.32. Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. quod notat sanctus pater, cùm dicit: *Inclina aurem cordis tui*. Simili modo spiritus sanctus, animæ sanctæ loquitur, Psalm. 44. Audi filia, & inclina aurem tuã, Glo. vt humiliter audias, quia parùm est audire, nisi humiliter audias. Secundò, est audienda doctrina & regula huius sancti patris libenter siue gratanter, secundùm illud Eccl.3. Auris bona audit cum omni concupiscentia sapientiam. Et hoc notat sanctus pater, cùm dicit: *Libenter excipe*. Tertiò, audienda est effectualiter siue efficaciter, secũdùm illud Iaco.1. Non auditor obliuiosus, sed factor operis, hic beatus erit. Et hoc notat sanctus pater, cùm ait: *Et efficaciter comple. Vt ad Deum* &c. Hic ponitur secunda causa, reddens discipulum beneuolum ad audiendum, quæ est cõmoditas singularis, quæ ex auditu & obseruatione regulæ prouenit obseruãtibus: planè sicut initium damnationis nostræ fuit inobedientia, ità initium salutis & principium redeundi ad Deũ, sola obediẽtia esse censetur, ad Rom.5. Sicut per inobedientiã vnius hominis, peccatores constituti sunt multi: ità per vnius hominis obedientiam, iusti constituuntur multi. Bernardus: Magnum est inobedientiæ vitium: quo angelus cælum, Adam paradisum, Saul regnum, Salomon amorem diuinum perdidit. Et idem Bernardus super Cant. loquens de Christo: Non dabit inobedienti copiam sui tantus amator obedientiæ, vt potiùs mori, quàm non obedire, maluerit. Benè autem dicit sanctus pater, *per obedientiæ laborem*: quia obedientia laboriosa, quæ maximè in aduersis est, plurimùm habet meriti. Vtenim dicit Gregorius in Moralibus, Obedientia quæ habet aliquid

Filius dicitur quatuor modis. Lib.9. Etymolo.c.5.

Prælatus debet esse pater subditorum multipliciter.

Triplici cõditione sanctorum patrũ doctrina est audienda.

Initiũ dãnationis nostræ, inobedientia.

Magnum vitium inobedientia.

Serm.46.

Quæ obedientia habeat meritũ.

Li.35.ca.13.

aliquid de ſuo in proſperis, nulla eſt vel minor: quarè dicitur Iere. 25. Nunquid nō recipietis diſciplinam, vt obediatis verbis meis, dicit Dominus? Sequitur: *Ad te ergò uunc* &c. In hoc loco beatus pater Benedictus declarat, quis ſit auditor & diſcipulus huius regulæ ſiue doctrinæ: Ille videlicet, qui proprijs volūtatib⁹ abrenunciās, regularis obſeruantiæ armis obediētiæ præcinctus, vero regi IESV Christo ſaluatori noſtro militare diſponit. Dicit enim Baſilius in epiſtola ad filios ſpirituales: Sicut enim qui militant regi terreno, omnibus iuſsis obediunt: ſic & qui militant regi cæleſti, debent cæleſtia cuſtodire præcepta: miles terrenus quocunquè mittitur, paratus & promptus eſt: nec ſe vxoris vel liberorum gratia excuſare audebit: multo mag-s miles Christi, ſine aliquo impedimēto, regis ſui debet imperio obedire. Vbi notandū, quòd triplex eſt voluntas mala: cui renunciandum eſt ab eo, qui ſpiritali militia æterno regi Christo militare proponit: videlicet voluntas carnis, quam ſequuntur luxurioſi: voluntas concupiſcentiæ, quā ſequuntur auari: voluntas ſenſûs proprij, quam ſequuntur ſuperbi. de quibus ait 1. Ioan. 2. Omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcētia oculorum, aut ſuperbia vitæ. Quòd autē iſtis tribus abrenunciādum ſit viris religioſis militantibus Christo, figuratum legimus Gene. 12. vbi Deus præcepit Abrahæ, dicens: Egredere de terra tua, per abrenunciationem voluntatis terrenæ concupiſcētiæ: & de cognatione tua, per abrenunciationem voluntatis carnalis affectionis: & de domo patris tui, per abrenunciationem proprij ſenſûs. Et Lucæ decimoquarto: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, vxorem & filios, & fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Secundò notandū, quòd virtutes rationabiliter arma dicūtur fortiſsima: quia animam fortiter muniūt ſeu tuentur in bello cōtra vitia. Vnde quidam dicit, virtutem dici eô, quòd vi tuetur poſſeſſorē ſuum. Auguſt. Nullus vitioſus animus virtute armatam animam ſuperat. Et Boethius lib. 5. de cōſolatiōe. Talia tibi, inquit Philoſophia, contuleramus arma, quæ niſi priùs abieciſſes, inuicta te firmitate tuerentur. de quibus armis ad Ephe. 6. Induite vos armaturam Dei. Ambro. li. de viduis: Eccleſia nō armis ſecularibus vincit aduerſarias poteſtates, ſed armis ſpiritualibus, quæ ſunt fortia ad deſtruendas munitiones, & altitudinem nequitiæ ſpiritualis. Idem: Aggrediamur aduerſarium non fuſte, non ferro, non ſaxo: ſed manſuetudine, ac bonis operibus in caſtitate. Hęc ſunt arma fidei noſtræ. Baſilius in epiſtola ad filios ſpirituales, de differētia militiæ ſpiritualis, & armis eius ad militiā terrenam, ità loquitur: Miles terrenus contra hoſtem viſibilem pergit ad bellum: tecum verò hoſtis inuiſibilis, quotidiè præliari non deſinit. Illi contra carnem & ſanguinem eſt dimicatio: tibi verò aduersùs ſpiritalia vitia in cæleſtibus eſt colluctatio. Ille contra carnalē hoſtem armis carnalibus vtitur: tu verò contra ſpiritalem hoſtem armis ſpiritalibus indiges. Ille in prælio galeam ferream geſtat in capite: ſed tua galea ſit Christus, qui eſt caput tuum. Ille lorica, nè vulneretur, indutus: ſed tu, pro lorica, fide ſis Chriſti circundatus. Ille cōtra aduerſarium ſuum mittit lanceam & ſagittas: tu contra aduerſarium tuū diuina eloquia iaculare: & percutiēs eum verbis Propheticis, dicito: Dominus mihi adiutor & ego deridebo inimicos meos. Ille, donèc pugna geritur, arma à ſemetipſo non proijcit, nè ab aduerſario vulneretur: ità & tu nunquàm debes eſſe ſecurus: quia tuus hoſtis, hoſte illius aſtutior eſt. Illius quidem hoſtis ad tempus dimicat: tuus verò hoſtis, quamdiù in ſtadio vitæ huius conſiſtis, tecum dimicādo non deſinit. Illius arma, laborioſa & grauia ſunt ad portandum: tua verò arma, volentibus ſe portare, ſuauia & leuia ſunt. Ille cùm ſuperauerit aduerſarium, ad domum coniugis ac liberorum reuertitur: tu verò, hoſte proſtrato, in illud cæleſte regnū cum omnibus ſanctis intrabis. Cæterùm arma hæc ſpiritualia, præclara dicuntur: quia luminoſa ſunt, & ſplendore ſuo hominis animā illuſtrāt in agendis ſuis: peccata verò, tenebroſa ſunt, & oculos excæcant peccatorum: ad Roma. 13. Abijciamus opera tenebrarū, & induamur arma lucis. Sequitur: *In primis, vt quicquid agendum inchoas bonū* &c. Declarato, quis ſit huius doctrinæ auditor: quia vt dicitur 2. ad Co. 3. Nō ſumus ſufficiētes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: conſequenter inſtruit ſanctus pater Benedictus diſcipulum, vt quicquid agēdum propoſuerit, à Domino inſtantiſsima oratione perficiendum depoſcat. Iaco. 1. Omne datum optimū, & omne donum perfectū, deſurſum eſt, deſcendēs à patre luminum. Quāta autem nobis immineat neceſsitas cōtinuandi, vſque in finem bona opera inchoata, ſubiūgit ſanctus pater, dicēs: *Vt qui nos iam in filiorum,* ſcilicet per adoptionis gratiam, *dignatus eſt numero computare, non debeat aliquandò de malis actibus noſtris contriſtari.* Dicitur autem Deus contriſtari non ità, quòd paſsio triſtitiæ habeat in eo locum, apud quem pro ſimplicitate & incommutabilitate naturæ ſuæ, vt teſtatur Apoſtolus, Non eſt tranſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio: ſed cōtriſtari hîc & in

Marginalia, left column:

Quis ſit huius regulæ auditor.

In admonitione ad filium ſpiritualem, initio.

Cōparatio de milite terreno.

Triplex eſt mala voluntas.

Figura.

Virtutes quare dicantur arma fortiſsima.

Virt⁹ vndè.

Quibus armis vincat eccleſia, & quibusq; ſit hoſtis aggrediendus.

Serm. 15.

Marginalia, right column:

In principio admonitionis ad filium ſpiritualem.

Item cōparatio de milite terreno perutilis.

Pſalm. 117.

Arma ſpiritualia, luminoſa: peccata verò, tenebroſa.

Quomodò dicatur De⁹ cōtriſtari.

& in multis locis sacræ Scripturæ dicitur
per similitudinem: quia ad modum con-
tristati, se habet ad homines peccatores: il-
los videlicet bonis priuando, & exponen-
do tormentis. Et hoc est, quod sanctus pa-
ter subiungit, dicens: *Ità enim ei omni tempore
de bonis suis in nobis parendum est, vt non solùm vt
iratus pater suos non aliquandò filios exhæredet: sed
nec vt metuendus Dominus, irritatus malis nostris, vt
nequißimos seruos, perpetua tradat ad pœnam, qui
eum sequi noluerint ad gloriam.*

TRACTATVS II.
Quòd Deus multipliciter nos ad se inuitat.

E*Xurgamus ergò* &c. Hîc ponitur ter-
tia causa, quæ discipulum habet
reddere beneuolum ad audiendam
doctrinam, quæ sumitur ex parte
suauitatis diuinæ pietatis, nos ad hoc per
Scripturam suam misericorditer inuitan-
tis. dicit ergò: *Exurgamus ergò tandèm aliquan-
dò, excitante nos Scriptura, atque dicente:* Roma. 13.
*Hora est iam nos de somno surgere. Et apertis oculis no-
stris ad Deificum lumen,* id est, Christum, qui
est lux vera, illuminans omnem hominem
venientem in hunc mundum. Ioannis 1.
Et attonitis, id est, intentis *auribus audiamus,* sci-
licet ea, *quæ diuina quotidiè clamans nos admoneat
vox, dicens:* Inducit autem sanctus pater Be-
nedictus septem authoritates, in quibus cle
mentissimus Deus noster nos misericordi-
ter ad se inuitat, & viã ad se perueniẽdi de-
1. monstrat. Prima est illa Psalmi nonagesimi
quarti: *Hodiè si vocẽ eius audieritis, nolite obdura-
re corda vestra.* sed, scilicet, emollite & flecti-
te ad verba mea: sensus est, non sitis duri &
rebelles, sicut fuerũt filij Israel in deserto.
Vbi nota, quòd multi indurant corda sua
De quorundam cordis duritia.
intantùm, vt nec igne diuini amoris lique-
fieri, nec malleo diuinæ cõminationis fran
gi, nec aqua diuinę largitatis poßũt emol-
liri: de quorum duritia Dominus conque-
ritur, dicens: Indurauerunt facies suas su-
pra petram, & noluerunt reuerti. Ieremiæ
2. 5. Sequitur: *Et iterùm:* Secunda authoritas,
est illa Apocalyp. 2. *Qui habet aures audiendi,
audiat,* scilicet obediendo, *quid spiritus dicat
Aures habentes, non audiunt.
ecclesijs.* Multi habent aures, & non audiũt,
quid spiritus dicat Ecclesijs: Isaiæ quadra-
gesimotertio: Quis cæcus, nisi seruus meus?
Et quis surdus, nisi ad quem misi nuncios
meos? Psalmo CXXXIIII. Aures habent, &
non audient. Glo. Deum ad ipsos claman-
3. tem. Indè subiungit: *Et quid dicit?* Tertia au-
Timor Domini.
thoritas, est illa Psalm. 33. *Venite filij, audite
me: timorem,* non mundi, non hominis, sed
Domini docebo vos. Glo. qui est initium sapi-
entiæ. Matthæi decimo: Nolite timere eos
qui corpus occidunt, animam autem non
possunt occidere: sed potiùs eum timete,
qui potest animam & corpus in gehennam
perdere. Quarta authoritas, est illa Ioan. 4.
12. *Currite,* scilicet ad Christum, *dum lumen
vitæ habetis, nè tenebræ mortis vos comprehendant.*
Quinta authoritas, est illa eiusdẽ Psalmi 33. 5.
Quis est homo qui vult vitam, Glo. æternam. *Et
cupit videre dies bonos,* id est, dies æternitatis,
de quibus Psalm. 76. Cogitaui dies anti-
quos, & annos æternos in mẽte habui: dies
Dies vitæ, hic mali.
præsentis vitæ non sunt boni dicendi, sed
mali & parui: Gene. 47. dixit Iacob: Dies
peregrinationis vitæ meæ centum triginta
annorum sunt parui & mali. Et ad Eph. 5.
Redimentes tempus, quoniam dies mali
sunt. Econtrariò, dies patriæ sunt magni
Dies patriæ, boni.
& immutabiles & boni. in Psal. 83. Melior
est dies vna in atrijs tuis super millia. Sexta, 6.
est illa eiusdem Psalmi trigesimitertij: *Si vis
habere veram & perpetuam vitam, prohibe linguam
tuam à malo.* Glo. nè mala loquaris apertè.
& labia tua ne loquantur dolum. Glo. id est, nè
etiam bona dolosè loquantur. Dolus, vt di
Dolus quãdò fit. In hunc Psalmum.
cit Cassiodorus, est quandò fallimus audi-
entem, vt quod creditur ad auxilium, in-
ferre videatur incommodũ. Iere. 9. Sagitta
vulnerans lingua eorũ, dolum locuta est.
Diuerte à malo, Glo. id est, destrue vitia vitæ,
& fac bonum. Glo. i. ædifica virtutes. Non
Nõ sufficit cãtùm, malũ non facere.
enim sufficit ad vitã æternam, declinare à
malo, sed necessè est, vt opera bona sequan
tur. quocircà Eccl. 38. dicitur: Auerte à de-
licto, & dirige manus. Gl. ad bona opera.
Vbi considerandum, quòd si volumus ca-
uere à malo tam locutionis, quàm operis,
Quomodò caueatur à malo locutionis & operis.
necessè est vt priùs caueatur à malo cogita-
tionis, quæ radix est aliorum malorũ. Cùm
ergò prohibet hic mala locutionis & ope-
ris, per consequens prohibere intelligitur
malũ cogitationis: quia non potest omni-
nò refrenari lingua & manus, nisi cor re-
primatur. Matth. 12. Ex abundantia cordis
os loquitur. quarè Prou. 4. dicitur: Omni
custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso
vita procedit. Sequitur in authoritate prę-
dicta: *Inquire pacem* Eccl. 2. Qui timent Do-
minum, inquirũt quæ placita sunt illi. Est
Pax grata Deo.
autem pax Deo maximè gratissima, secun-
dùm illud Psal. 75. In pace factus est locus
eius. & 2. Cor. 13. Pacem habete, & Deus pa-
cis & dilectionis erit vobiscum. *Et perse-
quere eam,* id est, perfectè sequere etiam fugi-
entem, perseuerãter insequẽdo, ad Heb. 13.
Pacẽ sequimini cum omnibus. August. in
epistola: Pax quærenda est: nec sufficit il-
lam quærere, nisi inuentam teneamus, fu-
gientemq; cũ studio prosequamur. Sequi-
tur: *Et cùm hoc feceritis* &c. Septima autho- 7.
ritas est etiã superioris Psalmi, quæ sequi-
tur: *Oculi mei super vos, & aures meæ ad preces
vestras.* Textus Psalmi habet: Oculi mei su-
per iustos, & aures meæ ad preces eorum.

In hac

In hac authoritate denotantur duæ remunerationes diuinæ, quas in præsenti vita cõsequuntur auditores sanctę doctrinæ. Prima est, quòd Dominus misericorditer custodit eos in pręsenti, cùm dicit: *Oculi mei super vos*, id est, respectus misericordiæ meæ. Sapi.8. Gratia & misericordia in sanctos eius, & respectus in electos illius. & Eccl.11. Oculus Domini respexit illum, id est, iustum in bonum. Secũda est, quòd exaudit deprecationem eorum efficaciter, cùm sequitur: *Et aures meæ ad preces vestras*, scilicet eas adimplendo. Quòd autem talium Dominus orationes celeriter sine dilatione exaudiat, manifestat authoritate penultima, cùm subdit: *Et antequàm me inuocetis, dicam vobis, ecce adsum*. Adimplebo, scilicet quę petitis. quasi diceret, antequàm oratione consummetis, ego perficiam vota vestra. Aduertendum, quòd huic diuinæ pollicitationi non aduersatur, quòd serui Dei quandoque non exaudiuntur in orationibus suis: quoniam, vt ait Hier. super epistolam ad Ephe. hoc cõtingit, quia sæpè contra nos petimus, quod pro nobis esse existimamus, sicut fecit Apostolus. Et Augušt. super Ioan. Quicquid petimus contra vtilitatem salutis, id nõ in nomine saluatoris petimus: & tamẽ ipse saluator est, non solùm quãdò facit quod petimus, sed etiam quandò non facit: quia quod videt peti contra salutem, non faciendo potiùs se exhibet saluatorem. Sequitur: *Quid dulcius nobis hac voce Domini inuitantis nos fratres charissimi? Ecce pietate sua demonstrat nobis Dominus viam vitæ*. Nihil planè humanæ menti potest occurrere dulcius ac suauius, quàm quòd omnipotens DEVS, bonorum nostrorum non egens, tanta nos cura ad se fontem vitæ inuitet, viam doctrina & exemplo ostendat, & peruenienti amplissima polliceatur auxilia. Augu. lib. confess. Constituis te nobis ducẽ in via tua, & consolaris, & dicis: Currite, & ego feram: ego producã: ego sum via, veritas & vita. Ideò meritò sanctus pater, tanta suauitate degustata, clamat: *Quid dulcius nobis hac voce Domini, inuitantis nos fratres charissimi?* Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo, Psalmo CXVIII. Vbi notandum circa hanc inuitationem seu vocationẽ, quòd Deus vocat nos ad se septemplici voce. Prima, est authoritas scripturarum, sicut princeps vel iudex vocat subditum per literam aut epistolam, de quo in Psalmo superiùs inducto: Hodiè si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Secũda vox, est species creaturarum, sicut vocat amicus amicum per nutum, monachus alium monachum per signum. Psal.18. Cæli enarrãt, id est, ostendunt gloriam Dei, scilicet, potentiam, sapientiam & bonitatem DEI. Et opera manuum eius, id est, quàm mirabiliter operetur, annunciat, id est, ostẽdit firmamẽtum per sui reuolutionem. Vndè dicit Augustin. Omnia clamant, Deus nos fecit. ad Rom.1. Inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sequitur: Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. id est, Omnes nationes, in quibus sunt diuersa genera linguarum, possunt per creaturas intelligere creatorem. Augustinus super Ioannem: Ex perpetuitate creaturarũ, intelligitur creator æternus: ex magnitudine, omnipotens: ex ordine & dispositione, sapiens: ex gubernatione, bonus. Et hæc omnia, signa & nutus Dei sunt, qui nos admonent ad timorem, ad reuerentiã, ad amorem omnipotentis Dei, & per quæ ipse Deus ad suauitatis suæ preciosissimũ gustum nos clementissimè vocat. Ait enim beatus Diony. 1. ca. cælestis hierarchiæ: Sicut visibiles formæ, inuisibilis pulchritudinis diuinę sunt imagines: ità sensibiles suauitates, figuræ sunt inuisibilis suauitatis. Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus, clamat Propheta Psalm.33. Tertia vox, est Doctorũ, sicut vocat aliquis aliũ per nuncium: Prouer. 9. Sapientia ædificauit sibi domũ, scilicet ęternitatis: immolauit victimas supernæ amœnitatis: miscuit vinũ summæ iocunditatis, & posuit mensam æternæ suauitatis: & misit ancillas, Glo. prædicatores, vt vocarent ad arcem. Glo. id est, ad cælum. Item beatissimus homo Ioannes missus à Deo, inquit Lucæ 3. Ego vox clamantis in deserto, Parate viam Domini. Quarta vox, est diuina inspiratio, sicut homo vocat amicum propria voce, Iob 4. Porrò ad me dictum est verbum absconditũ, & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurrij eius. Itẽ Cant. 5. Vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror mea. Glo. interlinearis super illud: vox hæc, id est, inspiratio. per hunc modum vocatus est Paulus, qui ait ad Galatas primo: Cùm placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, non acquieui carni & sanguini &c. Quinta vox, est collatio beneficiorum: sicut miles vocat auem, ostendendo cibum. Cantic. 2. Vox tua dulcis. Prouerb. 1. Vocaui, & renuistis: extendi manus meas. Glo. id est, benefaciendo, liberando omnes oppressos à diabolo, pòst in cruce. Sexta vox, est immissio flagellorum, sicut vocat mater puerum, ostendendo & mouendo virgã. Abacuc 3. Audiui, & conturbatus est venter meus: à voce contremuerunt labia mea. Item Isaiæ 21. Horrui, cùm audirem: turbatus sum, cùm viderem. Septima vox, est reue-

Auditor sanctæ doctrinæ, duo cõsequitur in hac vita.

1. Cor. 12.

Quarè sancti quandoque non exaudiantur.

Magna diuinæ pietatis suauitas.

Ioan. 14.

Deus vocat nos ad se septemplici voce.

Vox prima.

Vox secunda.

In Psal. 26. Enarrat. 2.

Lib. 11. Confess. cap. 12.

Qui Deus per creaturas intelligatur.

Vox tertia.

Quarta vox.

Vox quinta.

Sexta vox.

Vox septima inuitantis Domini.

reuelatio angelorum: vt enim probat Diony. 4. ca. cælestis hierarchiæ: Reuelationes diuinorum perueniunt ad homines mediantibus angelis, ſicut in veteri & nouo Teſtamentis compertiſsimum per multa exempla habetur. Vndè Apocalyp. 14. Vidi alterum angelum, volantem per medium cæli, habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret, dicens magna voce &c.

TRACTATVS III.

Vbì de octo gradibus virtutũ, quibus in montem ſupernæ felicitatis aſſcenditur.

Bonorum operum neceſsitas.

S*Vccinctis ergò fide, vel obſeruantia bonorum operum, lumbis noſtris*, &c. Hic ſanctus pater reddit diſcipulum ſuum attentum doctrinæ ſuæ: & hoc, ex tribus. Primò, ex neceſsitate benè operandi: quia abſque bonis actibus ad regnum cælorum non peruenitur. Secundò, ex debito reuerentiæ diuinæ maieſtatis, quæ nos continuè expectare dicitur, vt ſanctis ſuis monitis & præceptis, factis reſpõdeamus. Tertiò, ex cruciatu pœnæ gehennalis, quam indubiè incurrunt ſanctæ obediẽtiæ contemptores. Circa primum, deſcribit primò ſanctus pater quædam præparamenta ad expeditius viam peragendum, dicens ſic: *Succinctis ergò fide*, &c. Succinctis lumbis, & calceatis pedibus. Aggredienda enim itinera CHRISTI, docet ſanctus pater, ſumens ab Apoſtolo ad Epheſios ſexto. Succincti lumbos veſtros in veritate, id eſt, non ſimulatoriè, & calceati pedes in præparatione euangelij pacis. Vbi notandum, quòd lumbos tam corporis quàm mentis habere debemus ſuccinctos, ſi vias Domini expeditè libereque cupimus percurrere: lumbos quidem carnis, cingulo caſtitatis, de quibus Lucæ duodecimo: Sint lumbi veſtri præcincti. Gregorius: Lumbos præcingimus, cùm carnis luxuriam per continentiam refrenamus. Secundò, lumbos mentis præcinctos debemus habere zona fidei, ſanctorum operum obſeruantia adornata. de quibus 1. Petri 2. Succincti lumbos mentis veſtræ. Debemus prætereà calceatis pedibus aggredi vias Domini, ſi abſque offendiculo incedere deſideramus. Pedes noſtri, affectiones ſunt cordis noſtri, quæ ſanctorum Patrum, qui nos præceſſerunt, virtutibus & exemplis muniendæ ſunt. Ambroſius lib. de Patriarch. Sanctorum vita, cæteris norma viuendi eſt. Et libro de Officijs: Nobis vita maiorum, diſciplinæ eſt ſpeculum. Vndè de anima deuota, per Patrum ſanctorum veſtigia incedente, dicitur Cantic. ſexto: Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia principis. Et hæc omnia ſunt à nobis ex intentione præparanda, vt adimplere valeamus euangelium ſanctum: in quo omnis perfectionis doctrina, via, & pax vera docetur & prædicatur: per cuius adimpletionem mereamur eum, qui nos ità multipliciter & miſericorditer vocauit, (ſicut dictum eſt præcedenti cap.) in regno ſuo videre. Cuius viſio, omnium laborum noſtrorum pleniſsima merces eſt. Ioannis 17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum DEVM, & quem miſiſti IESVM CHRISTVM. Quanta autem immineat nobis neceſsitas ſanctis operibus intendere, exponit ſanctus pater, cùm ſubdit: *In cuius regni tabernaculo* &c. Matth. ſeptimo: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. Chryſoſtomus in Gloſ. Quæ eſt voluntas Dei, ipſe Dominus docet: Hæc eſt, inquit, voluntas eius qui miſit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Credulitatis verbum, & ad confeſsionem reſpicit, & ad actum. qui ergò non confitetur, aut nõ conuerſatur ſecundùm verbum CHRISTI, non intrabit in regnum cælorum. Hæc Chryſoſtomus. Item 1. Corinth. 4. dicit Apoſtolus: Nõ eſt in ſermone regnũ Dei, ſed in virtute. Glo: virtus eſt cauſa regni. Abſque ergò actibus virtuoſis, nõ peruenitur ad regnum. Porrò cognita neceſsitate bonorum operum, ad perueniendum in montem ſupernæ felicitatis, cupiens magno deſiderio ſanctus pater exponere diſcipulo, quorum bonorum operum via peruenitur in tabernaculum Dei: introducit quandam quæſtionem Prophetæ Dauid, Pſalm. 14. vt ex reſpõſione data Prophetæ à Domino, agnoſcat diſcipulus, quibus gradibus ſiue itineribus accedatur in tabernaculum Domini. *Sed interrogemus cum Propheta Dominum, dicentes ei: Domine, quis habitabit* &c. Non miretur quiſpiam, quòd beatus pater Benedictus manſionem cæleſtem tabernaculum dixerit: quia licèt tabernaculum propriè ſumptum, quod, teſte beato Auguſtino ſuper Pſalmo decimoquarto, non eſt firma domus, ſed huc illucque mutabilis, non conueniat cæleſti manſioni, quæ fixa eſt & perpetua: nihilominùs quandoquè in Scriptura ſacra cæleſtis manſio nomine tabernaculi legitur deſignari. vndè Lucæ 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, inquit Veritas, vt recipiãt vos in æterna tabernacula. Dicitur inſupèr cæleſtis manſio mons: tum quia nihil interponitur inter ipſam & verũ ſolẽ: tũ, quia queadmodùm

Lumbi corporis & mẽtis ſuccingendi.

Homil. 13. in Euang.

calceatis pedibus aggrediendaeſt via Dñi.

Pedes noſtri q̃ ſint.

In lib. de S. Ioſeph. c. 1.

Lib. 1. cap. 25.

Merces laborum noſtrorum.

Neceſsitas benè operandi.

Hom. 19. oper. imp. Ioan. 6.

Credere, reſpicit ad cõfeſsionem & actũ.

Sine operibus nõ peruenitur ad regnum.

Pſalm. 14.

Tabernaculũ propriè.

Cæleſtis manſio, tabernaculi nomine cẽſetur.

Cæleſtis mãſio, mõs dicitur.

dùm

dùm mons eleuatur super terram, sic illa cælestis & superna beatitudo, super vitam nitam est eleuata. Bernardus: Ciuitas cælestis, mansio secura: patria totum continens quod delectat: ibi erit cumulus felicitatis, supereminens gloria, superabundans lætitia. Sequitur: *Post hanc interrogationem, fratres, audiamus Dominum respondentē*, &c. Est hic aduertendum, quòd in hac Domini responsione, octo describuntur virtutes, tanquàm gradus quidam ascensûs cælestis tabernaculi. Prima, est munditia à macula peccati mortalis, cùm ait: *Qui ingreditur sine macula*: dictum est Psalm. 118. Beati immaculati in via. hæc est quæ primò requiritur. Vndè Leuiti. 21. præcipitur, quòd nullus habens maculam, accedat ad ministerium Dei. Et Cantic. 8. dicit spiritus sanctus: Tota pulchra es amica mea, & macula (Glo. criminalis) non est in te. Secunda, est iustitia sanctorum operum, quæ tangitur, cùm subdit: *Et operatur iustitiam*, id est, bona opera. Non enim sufficit nobis, vt ait Augustinus in Glo. malum non facere, nisi fecerimus & bonum. Et ideò Prouerb. 16. dicit Sapiens: Iudicium viæ bonæ, est facere iustitiam. Iustitiam autem posuit, quæ mater est omnium virtutum, vt dicit Augustinus, nè alias videretur exclusisse virtutes. Tertia, est veritas in sermone: ib. *Qui loquitur veritatem in corde suo*, id est, non solùm in ore. Glo. veritatem, dico, in corde suo conceptam, id est, qui scit veritatem, & dicit. Congruè additur, quia aliquis putat fallere quandoquè, & verum dicit, & habet ille veritatem in labijs, sed non in corde: vt si quis alicui dolosè ostendat viam, putans in ea esse latrones, & dicat: si hanc tenes, à latronibus tutus eris: & contingat, vt verè non inueniantur ibi latrones, veritatem ille locutus est, sed non in corde. Parùm itaque est, verum loqui, nisi stà sit in corde. Et notandum, quòd est veritas cordis sine duplicitate, veritas oris sine falsitate, veritas operis sine vanitate. Et hæc est omnis veritas, & perfecta veritas. Ioānis decimosexto: Docebit vos omnem veritatem. Quarta, est innocentia, vt proximo non noceat, cùm subdit: *Qui non egit dolum in lingua sua*. Hoc autem contingit, quandò aliud est in ore, & aliud in corde ad decipiendum proximum. Dolus enim in lingua, vt ait Glo. est, cùm aliud dicitur, & aliud in pectore est. Vndè Psalmo vndecimo: Labia dolosa, in corde & corde locuti sunt. Et Ieremiæ nono: Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est. Et Sophoniæ tertio, dicitur de viris iustis: Non inuenietur in ore eorum lingua dolosa. Quinta, est innocentia operis, cùm ait: *Nec fecit proximo suo malum*.

Cap. 4. Meditationū.

Octo gradus ascendendi in cæleste tabernaculum.

Nō sufficit, malum nō facere.

Remig. in Psalm. 14. Quis loqui dicatur veritatem.

Perfecta veritas.

Dolus in lingua.

Isaiæ quinquagesimosexto: Beatus vir qui facit hoc, custodiens manus suas, nè faciat omne malum. Vocatur autem proximus in hoc loco, omnis homo, vt ait Glo. Augustini. Nulli quippe homini debemus malum facere. Vndè Apostolus 1. ad Thessal. 4. Nè quisquā supergrediatur, nec circumueniat in negocio fratrem suum. Et 2. Corinth. 7. dicit Apostolus, ad aliorum exemplum: Neminem læsimus, neminem corrupimus. Sexta est, vt non noceat proximo, audiendo eius malum, vel detrahendo, cùm subdit: *Et opprobrium non accepit aduersus proximos suos*. id est, non acceptauit illatum à se, vel ab alio: vel sic, non accepit, scilicet, nec in corde cogitando temerè, vel leuiter credendo criminatori, vt ait Glo. Eccle. 9. Qui citò credit, leuis est corde. Nec in ore loquendo. Prouerb. 10. Qui profert contumeliam, insipiens est. Nec in aure audiendo, sed repulit cum indignatione, in signum displicētiæ, quòd proximus infametur: quia Prouerb. 25. dicitur: Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem. Dicit Hieronymus: Si deest auditor, deest detractor. Septima, est virtus fortitudinis: ib. *Qui malignum*, scilicet diabolum, *suadentem sibi, cum ipsa suasione à conspectibus cordis sui respuens, deduxit ad nihilum*. Malignus enim dicitur diabolus, à malo igne, quia ignem accendit peccati in cordibus hominum. Oseę 7. Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquēte. Deducitur autem ad nihilum, quandò suasionibus eius siue tentationibus viriliter resistitur: Iacob. 4. Resistite diabolo, & fugiet à vobis. & 1. Ioan. 2. Scribo vobis iuuenes, quoniam vicistis malignū. Et hoc est quod pater subdit, dicens: *Et paruulos eius cogitationes tenuit, & allisit ad petram*. quasi dicat, tunc ad nihilū deducitur malignus, quandò nascentes suggestiones eius comprimit: & allidit, nè robur accipiant. De quo modo Psalm. 136. Beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram. Glo. id est, malos motus, qui ex carne nascuntur, antequàm crescant siue robur accipiāt, retinet, nè sint liberi, & allidit ad petram, id est, CHRISTVM, vt confracti, dispereant: faciliùs enim vincuntur, dum paruuli sunt. Isidorus in Soliloquijs: A cogitatione noxia custodi animam, & mentem tuam cogitatio non surripiat: quandò te angit praua cogitatio, non consentias illi: sed statim vt apparuerit scorpio, contere eum: calca serpentis caput, calca prauæ suggestionis malum: culpam emenda, vbi nascitur: in ipso initio cogitationi resiste, vt euadas: certa aduersùs malum cogitationis: Certa, & vinces: caput cogitationis exclude, cætera su-

Quis sit proximus.

Nulli est faciendum malum.

Opprobriū non accipere contra proximum.

Epist. 2. ad Nepotia. & 14. ad Celantiam.

Remediū detractātis.

Diabolus dicitur malignus.

Quomodò diabolus deducatur ad nihilū.

Faciliùs crimina vincuntur & motus in principio.

 peran-

Humilitatis effectus.

perantur. Octaua virtus, est virtus humilitatis, qua homo verissima suî cogitatione sibijpsi vilescit, & laudari nullo modo appetit. Aug. exponés illud Psal. 33. Benedicam Dominum in omni tempore, dicit:

Quis humilis.

Esse humilem, est nolle in se laudari. Qui in se vult laudari, superbus est. Hanc tangit sanctus pater, cùm subdit: *Qui timentes Dominum.* August. lib. de vera innocentia:

Primũ Dei donum in nos.

Prima diuini muneris gratia est, vt nos erudiret ad humilitatis confessionem, vt recognoscere faciat, quòd si quid boni facimus, per illum possumus, sine quo nihil possumus. Nostra enim sufficientia à Deo est, 2. Corinth. 3. *Operantem in se Dominum magnificant*, id est, magnum prædicant, & dignis laudibus extollunt: quia, vt ait Propheta Isa. 26. Omnia opera nostra operatus est in nobis: *illud cum Propheta dicẽtes:* Psal. 113. *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

Bonũ omne à Deo, malum à nobis.

quasi dicerent, vt ait August. Quicquid boni inest nobis, parui vel magni, donum tuum est: & nostrum non est, nisi malum: tuum, Domine, est bonũ: tua est gloria. qui enim de bono tuo gloriam quærit, & non tibi quærit, fur est & latro: similis diabolo, qui furari voluit gloriam tuam, & laudari de bono tuo. da ergò gloriam nomini tuo, id est, ità dignare nobis pietatis tuæ dona largiri, vt non nobis, sed nomini tuo gloriam quæramus: cui soli est honor & gloria. Sequitur: *sicut nec Paulus.* Inducit ad hoc, exemplum beatissimi Apostoli, qui quantumcunq; in prædicatione sua & doctrina excellentissimus fuerit, nihil tamen sibi, sed omnipotenti Deo attribuit, *dicẽs: Gratia Dei sum id quod sum*, siue quòd Christianus sum, siue quòd Apostolus, 1. Cor. 15. *Et iterùm ait: Qui gloriatur, in Domino glorietur.* 1 Cor. 1. & 2. Cor. 10. Glo. id est, Domino attribuat confidentiam & gloriam suam, cuius gratia est. Porrò, quia solus talis ad gloriam Dei vniuersa bona sua opera referens, firmum constituit ædificium, ideò sanctus pater subiungit: *Vndè & Dominus in Euangelio*, scilicet Matthæi septimo, *ait: Qui audit verba mea hæc, & facit ea: similabo eum viro sapienti, qui ædificauit domum suam*, id est, ædificium bonorum operum, *super firmam petram.* Qui enim audit obediẽter, humiliter, & libenter doctrinam Christi &

Qui ædificent supra petram.

sanctorum Patrum, & illam recta intentione ad Dei laudem & gloriam factis adimplet, hic profectò domum conscientiæ suæ super firmam petram, qui Christus est, videtur ædificare. de cuius ædificij firmitate subiungit, dicens: *Flumina venerunt*, scilicet persecutionum: *flauerunt venti*, videlicet tentationum: *& irruerunt*, id est, impetum fecerunt importunitate tentationum *in domum illam, & non cecidit*, à stabilitate virtutis. Cuius ratio subditur: *fundata enim erat supra firmam petram*, id est, Christum. Sequitur: *Hæc complens*, id est, consummans *Dominus*, id est, postquàm hæc docuit, *expectat nos continuè.* Hic sanctus pater secundò reddit attentum discipulum ex reuerentia diuinæ maiestatis. quasi dicat: Multùm nos attentos debet reddere ad implendum pręcepta nobis data, diuinæ maiestatis reuerentia, *quæ continuè nos expectat, his suis sanctis monitis, factis nos respondere debere.* Incassùm quippe verba Dei audiuimus, si opera non fecerimus, dicente beato Iacobo: Si quis

In vanum audiuntur diuina pręcepta, nisi fiant.

auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo: considerauit enim se, & abijt: & statim oblitus est qualis fuerit. Iacobi primo. Glo. Qui solò auditu putat se saluari, fallitur. Sequitur: *Ideò nobis propter emendationem malorum, huius vitæ dies ad inducias relaxantur.* Sensus est, id est,

Dies hic vitæ nobis ad inducias dantur.

ideò nobis huius vitæ dies relaxantur, id est, misericorditer conceduntur, vt habeamus spatium pœnitentiam agendi, per quam, peccatorum emendationem consequamur. *An nescis*, id est, mirum est quòd nescias, *quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit*: scilicet quantùm in se est. quod sumitur ex Apostolo ad Romanos secundo, dicente: An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis? quasi diceret: Non debes contemnere: ignoras, quoniam benignitas Dei, id est, bona voluntas Dei, ad pœnitentiam te adducit? Vbi notandum, vt colligitur ex Glo. ad Romanos secundo, quòd Deus dicitur pa-

Deus dicitur patiens.

Longanimitas & patientia differunt.

tiens, quia tot & tanta peccantes sustinet, ac misericorditer tolerat. Differt enim longanimitas, quæ dicitur sustentatio, à patientia: quia qui infirmitate magis, quàm proposito delinquunt, sustentari per longanimitatem dicuntur: qui verò pertinaci mente exultant in delictis suis, ferri patienter dicendi sunt. Patientia ergò est, qua per superbiam & procaci mente peccantes non statim punit. Longanimitas est, qua per infirmitatem, & non deliberati animi malitia peccantes, diù portat, expectans ad pœnitentiam, secundùm illud Isaiæ 30. Proptercà expectat Dominus, vt misereatur vestrî. *Nam pius Dominus dicit*, s. Ezech. decimooctauo: *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.* id est, non est voluntatis meæ, quòd peccator moriatur in peccatis suis, sed magis, vt conuertatur, & viuat, scilicet, vita gratiæ hîc, & tandèm vita gloriæ. Vult enim Deus, vt diuinus testatur Apostolus, primæ ad Timotheum secundo, omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. Cuius opti-

Signa bonę voluntatis Dei in nos.

mæ voluntatis signa seu argumenta, plurima sunt. Primò, quia omnibus hominibus, vtpotè ad imaginem suam formatis,

in ipso

in ipso suę creationis exordio, cognitionem veri & boni amorem impressit, vt dicit Boëthius, secūdùm illud Psalmi 4. Signatum est super nos lumē vultûs tui, Domine. Secundò, quia omnibus indifferenter largitus est documēta salutis, Marc. vltimo: Euntes in mundum vniuersum, prędicate Euāgelium omni creaturæ. Tertiò, quia neminem excludit ab influētia beneficiorum suorū, sed omnibus communiter influit. Matt. 5. Qui solem suū oriri facit super bonos & malos. Quartò, quia remedia sanitatis, videlicet sacramēta, vt baptismum, omnibus cōmunia instituit; Ioann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quintò, quia omnibus præmia communia promittit, vt denariū diurnū, Matt. 20. Sequitur: *Cùm ergò interrogāssemus Dominū, fratres, de habitatore tabernaculi eius, audiuimus quidem habitandi præceptum.* i. doctrinā & præcepta virtutum, quibus ad illud peruenitur. *Sed si compleamus habitatoris officium,* i. si illa faciamus, quę sunt opus habitationis, quæ per descriptos iàm octo virtutum gradus designantur, *erimus proculdubiò heredes regni cælorum.* Ex quibus sanctus Pater cōcludit, quòd meritò nos agere debeamus: *Ergò præparāda sunt corda & corpora nostra, sanctæ præceptorum obediētiæ militatura.* Vbi notandū, quòd non modò corda, sed etiam corpora aptāda esse dicit sanctæ obedientię. Vtroq; quidem homine famulandū est Deo. Corda quidem sunt præparanda per bonā voluntatem, 1. Reg. 8. Præparate corda vestra Deo, & seruite illi soli. & Psal. 9. de iustis ait Propheta: Præparationem cordis eorū audiuit auris tua. Corpora autem præparanda sunt & disponenda per carnis mortificationem, & bonorum operum exercitationē, Eccés 2. Fili, accede ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Verùm quia nō sufficimus, nos ad hanc militiā exercēdam, nisi diuina virtute adiuti, docet nos ad orationis suffragium recurrere, dicens: *Et quod minùs habet in nobis natura possibile.* quasi dicat: Neminem vestrûm retrahat ab obedientia sancta præceptorum, suæ naturæ fragilitas: quia quod natura minùs possibile habet in nobis, auxilio diuinæ gratiæ reddetur facilimum. Nam vt sanctus Propheta Isaias ait, Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem. Glo. vt sint fortes: & assument pennas, sicut aquilæ: current & nō laborabūt: ambulabūt, & non deficient. Isa. 40. Exorandus ergò est Deus, qui dat omnibus affluenter: & proculdubiò, quòd naturæ nostræ possibilitate aggredi non valemus, eius auxilio faciliter percurrimus. Sequitur: *Et si fugientes gehennæ pœnas* &c. Hoc loco sanctus Pater reddit attentum discipulum ex parte pœnarum gehēnæ infernalis: quæ præparatæ sunt sanctæ obedientiæ contemptoribus, secūdùm illud Psal. 118. Maledicti qui declinant à mandatis tuis. sensus est: si fugere volumus gehēnæ pœnas, & ad æterna peruenire gaudia, dum tempus habemus opportunum benè operandi, quod est tempus vitæ præsentis, operemur illa celeriter, quæ in perpetuum nobis expediant ad gaudiū & gloriam perfruenda. In quibus verbis sanctus Pater attentum reddens discipulū ad auditum & obseruationem doctrinæ suæ, ex quatuor hortatur illum ad celeriter benè operandum, per obseruantiam & impletionem eorum, quæ dicta sunt de gradibus cælestis tabernaculi. Primò, de horrore pœnarum inferni, quæ præparantur cælestis doctrinæ contemptoribus: quod tangit in principio, cùm dicit: *Et si fugiētes gehennæ pœnas* &c. Prouerbiorum 15. Per timorem declinat omnis homo à malo. Secundò, ex amore & desiderio vitæ æternæ, cùm ait: *Ad vitam æternam volumus peruenire.* Vita æterna non datur peruersis, quia tales regnū Dei non possidebunt. 1. Cor. 6. Nō datur ociosis, sed operantibus. In cuius signum dicitur Matt. 20. Conuentione facta cum operarijs ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et ideò dicitur Prouerb. 12. Qui operatur terrā suam, Glo. i. animā exercet spiritualibus studijs, saturabitur panibus Glo. nunc virtutum, & tādem præmiorum. Qui autem sectatur ocium, stultissimus est. Glo. Pro salute laborare negligens, inter stultos numerabitur. quarè dicitur Matt. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Tertiò, ex congruitate & breuitate præsentis vitæ, cùm ait: *Dum adhuc vacat,* i. dum tempus habemus opportunū, *& in hoc corpore sumus.* Ità nos Apostolus hortatur ad Galat. 6. Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Glo. tempus seminandi, est præsens vita, quam currimus: in hac licet nobis, quòd volumus, seminare: cùm verò transierit, operandi tempus auferetur. Quartò, ex necessitate loci, & post hanc vitam operandi impossibilitate. Et hoc tangit, cùm dicit: *Et hæc omnia per hanc lucis vitā vacat implere, currendū & agendum est* &c. In huius quippe vitæ luce, tantùm adest facultas benè operandi: in alia verò vita, non operandi, sed pro factis recipiendi mercedem, locus est. quarè dicit Sapiens Ecclesiast. 9. Quodcunque potest manus tua facere, instāter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erūt apud inferos. Et Apostolus 2. ad Cor. 6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nūc dies salutis. Et Dominus Ioan. 12. Ambulate, dum lucē habetis, vt vos tenebræ (scilicet) mortis, non comprehendant.

Non solùm corda, sed etiam corpora, aptanda sunt obedientiæ.

Nostrę fragilitatis remedium.

Tēpus benè operandi.

Ex quatuor inducimur ad benè operandū.

Quibus æterna vita non detur.

Tēpus seminandi.

Alia vita locus est nō operis, sed mercedis.

TRACTATVS IIII.

In quo de ſuauitate & humanitate præceptorum huius regulæ.

C*Onſtituenda eſt ergò à nobis Dominici ſchola ſeruitij: in qua inſtitutione* &c. In hac parte prologi ſanctus pater Benedictus diſcipulũ ſuum reddit docilem: & hoc ex humanitate & ſuauitate præceptorum ipſius Regulę: ex qua ſequitur facilitas adimplendi. Circa quod dicit ſic ſanctus pater: *Cõſtituenda* i. diſponẽda *eſt ergò à nobis Dominici ſchola ſeruitij*. Scholã in hoc loco, monaſticam diſciplinam vocat. Schola enim Gręcè, vacatio dicitur. Et rectè. Nam qui in virtutũ ſtudio proficere cupit, & in conſummatum exire diſcipulum, neceſsè eſt vt à terrenis & mũdanis ſolicitudinibus ſeparet᷒, integro animo, mẽteq́; libera ipſi monaſticæ incumbat diſciplinæ. Vndè Pſalm. 45. Vacate, & videte quoniam ego ſum Deus. Et Eccleſiaſt. 38. Sapientiam ſcribe in tempore vacuitatis. *In qua inſtitutione nihil aſperum, nihilq́; graue nos conſtituturos ſperamus.* Eccè vnde diſcipulum reddere curat docilem. Sanctus quippe pater, ſapientiſſimum ac humaniſſimũ imitatus legiſlatorem Dominũ noſtrum, qui ait: Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Matt. 11. Et de quo beatus Ioã. ait, Mandata eius grauia non ſunt, regulã inſtituit, nihil aſperitatis aut grauitatis, ſed humanitatis plurimum, habentem: & hoc, maximè virtutum & religionis amore feruentibus. Amanti quidẽ nihil eſt difficile. Auguſt. † lib. confeſſ. Qui amat, nõ laborat. Omnis enim labor non amantib᷒ grauis eſt: ſolùm amor eſt, quod nomen difficultatis erubeſcit. Idem in lib. de bono viduitat. Nullo modo oneroſi ſunt labores amantium. Sequitur: *Sed et ſi quid paululùm reſtrictiùs* &c. quaſi diceret: Si quid dictãte ratione æquitatis aliquid diſtrictiùs, ſiue durius, ſiue aſperum proceſſerit, quod vna duarum cauſarum contingit, videlicet vel propter emendationem vitiorum, ſicut in pertinentibus ad macerationẽ carnis: cuiuſmodi ſunt ieiunia, vigiliæ, labores, pœnitentiæ. Dicitur enim Actuum 3. Pœnitemini, vt deleantur peccata veſtra. Vel ſecundò propter obſeruationem charitatis & pacis, ſicut in pertinentibus ad iuſtitiam. Parit enim iuſtitia pacem. Pſal. 84. Iuſtitia & pax oſculatę ſunt. Et Iſa. 32. Fructus iuſtitiæ, pax. Noli terreri, noli refugere propter hoc viam ſalutis, quæ non niſi anguſto initio eſt incipienda, dicente Domino Matt. 7. Quoniam anguſta eſt porta & arcta, quæ ducit ad vitam. Glo. Satis anguſtum eſt, omnia prætermittere: vnum ſolum diligere, vnũ quærere, vnum continuè pulſare: omnia proſpera non ambire, & aduerſa non timere: quæ omnia monaſticæ vitæ diſciplina continet & docet. *Proceſſu verò conuerſationis* &c. quaſi diceret: Nullus timeat, nullus expaueſcat viam hãc ingredi ſalutis: & ſi initium habeat anguſtum & arctum. Via enim virtutis in principio habet aliquid difficultatis, quia inconſueta eſt. Hieron. Inſuauem & aſperã fecit nobis viam virtutum longa conſuetudo peccandi. Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre ſolem, Eccleſiaſtes 11. & tamen lux ſolis contriſtat oculos tenebris aſſuetos. Sic vita virtutum in principio eſt moleſta: ſed poſteà iocunda efficitur gratia & aſſuefactiõe. Et hoc eſt quod ſanctus pater dicit: *Proceſſu verò cõuerſationis & fidei, dilatato corde per dilectionem inſtitutæ, multa ſuauitate percurritur.* Vndè Pſalm. 118. Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatâſti cor meum. Dilatatio cordis, vt ait Auguſtin. in Glo. eſt iuſtitiæ delectatio. Hoc munus eſt Dei, vt in præceptis eius non timore, ſed delectatione iuſtitiæ dilatemur. Prouerbiorum 4. Ducã te per ſemitas ęquitatis, quas cùm ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui. Hugo de ſancto Victore, in libro de arca Noe: Inter amorẽ Dei & amorem mundi, hæc eſt differẽtia, quòd in principio amor huius mundi, dulcis eſſe videtur, ſed finem habet amarũ. Amor autem Dei, ab amaritudine incipit: ſed vltima eius, plena ſunt dulcedine. Conſequenter exponens, quæ ſit principalis intentio inſtitutionis ſcholę diuini ſeruitij, ſubiungit, dicens: *Ideò conſtituenda eſt à nobis diuini ſeruitij ſchola, vt ab eius magiſterio* i. doctrina *vſque ad mortem in monaſterio perſeuerantes, paſſionibus Chriſti per patientiam participemus, vt regni eius mereamur eſſe conſortes.* Benè dicit, *perſeuerantes*: quia incipere, parùm eſt: nec proficit, niſi conſummare contingat. Mat. 10. Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Dicit, *in monaſterio*. Monaſterium dicitur, quaſi vnius ſtatio. Monos enim Græcè, vnus Latinè dicitur: ergò monaſterium propriè eſt, vbi vnus ſolus habitat, vel vbi plures, ſub vna voluntate atq; vno deſiderio, omnipotenti Deo religioſè famulantur. Vnde Auguſtinus ſuper Pſal. 132. Qui ſic viuunt, vt vnum hominẽ faciant: vt ſit illis verè, quod ſcriptum eſt, anima vna & cor vnum: rectè dici poſſunt vnus ſolus. Benè dicit, CHRISTI *paſſionibus participemus, vt regni eius mereamur eſſe conſortes*: quia, vt dicit beatus Paulus vas electionis, 2. ad Corinth. 1. Sicut ſocij paſſionis eſtis, ſcilicet in præſenti: ſic eritis & conſolationis æternæ, vt dicit Glo. Et 2. Cor. 2. Si ſuſtinemus, & conregnabimus.

FINIS PROLOGI.

Schola.

Vacatio à terrenis, neceſſaria eſt monaſticæ diſciplinæ incumbẽti.

1. Ioan. 5.

Amor non ſentit laborem.

† habetur tract. 48. in Ioannem.

Cap. 19.

Duabus de cauſis diſtrictiùs aliqd cõſtituitur.

Vndè pax oriatur.

Anguſtia viæ vitæ deſcribitur.

Via virtutis difficilis in principio, & quare.

Comparatio aptiſſima.

Dilatatio cordis.

Inter amorem Dei & mũdi quid differat.

Principalis intẽtio huius inſtitutionis.

Incipere, parùm eſt.

Monaſterium.

Quõ viuẽs in congregatiõe, monachus dicatur.

QVONIAM nõ parua apud multos versatur difficultas, de qua plurimæ aliæ oriuntur, quomodò & quantùm sit regularis ista institutio sancti Benedicti pensanda: vtrùm videlicet cuncta quæ continet, putanda sint esse præcepta, & consequenter damnosa transgredienti, an consilia tãtùm vel monita: & ob hoc, nullius aut nõ magni sit ponderis ipsorum professio, aut nõ grauis culpæ ipsorũ præuaricatio: An certè quædam sunt deputãda præceptis, quædam pro simplicibus monitis in institutis reputanda: Expedire plurimũ iudicamus, hanc ipsam ambiguitatẽ ꝑ nostra paruitate in hoc loco antè illucidare, q̃ de ipsius regulę institutis aggrediamur tractatũ.

Quid in sequenti tractatu intendat D. Cardinalis.

TRACTATVS V.

In quo declaratur, quòd non om̃ia in Regula sancti Benedicti contenta, cadunt sub præcepto.

QVòd autem nõ omnia in regula ipsa contenta, vim habeãt præceptorũ, pater ipse clarissimus beatus Benedict⁹, in ipsius regulæ exordio aptissimè demonstrat, cùm ait: *Ausculta, ò fili, præcepta magistri, & admonitionem pij patris libenter excipe.* Eccè quàm apertè loquitur, non omnia per eũ tradita in hac regula discipulis obseruanda, ex intentione sua præcepta esse, sed quædam admonitiones. Pro cuius partis pleniori intelligentia, exponendũ in primis est, quid importetur nominib⁹ ꝑcepti, consilij, admonitionis, constitutionis, iniunctionis, & cõsuetudinis. Ad quæ resoluũtur omnia, quæ in religionibus obseruanda ipsarum professoribus proponuntur. Præceptum, dicitur iussio vel imperium faciendi aliquid vel non faciendi. Faciendum autem dicitur, quod est debitum fieri, vt honorare patrem. Non faciendum autẽ, quod est debitum non fieri, vt non mœchari. Iussio vel imperium, est superioris: sicut obedire, minoris. Vel sic potest describi: Præceptũ siue iussio, est voluntatis superiorum expressio, necessitatem indicẽs, de faciendo vel non faciendo, ei qui est inferior. Admonitio verò siue consilium, est incitatio seu excitatio ad bonum faciendum, vel malum vitandum. Differt autem monitio siue consilium, à præcepto, in tribus. Primò, quia præceptum semper est superiorũ: consilium verò & admonitio, non modò superioris est, sed etiam paris aut inferioris, secundùm illud Matt. 18. Si peccauerit in te frater tu⁹, corripe eũ inter te & ipsum solum. Secundo, quia præceptum, de se adimplendi necessitatem importat. Consilium verò & admonitio, ex natura sua nõ: sed in optione ponitur eius cui datur, secundùm illud Gregorij ca. 3. quod præcipitur. 14. q. 1. Quod præcipitur, imperatur: & quod imperatur, necessè est fieri: si non fiat, pœnam habet. Vbi consilium datur, offerentis arbitrium est: vbi præceptũ, necessitas seruantis vel imperantis est. Tertiò, quia præceptum obligat ad culpã: admonitio verò, de sui natura non obligat, sed ex cõtemptu potest obligare. Nõ enim sine culpa potest esse, quòd aliquis contemnat admonitiones Maiorum illorum, quibus obedire tenetur.

Præceptum quid sit.

Admonitio

Consilium à præcepto differt in tribus.

Constitutio dicitur ius scriptũ. dist. 1. §. cùm itaq;. Constitutio conuenit cum præcepto: quia sicut præcipere, superioris est: ità cõstituere, siue legem condere. di. 2. ca. cõstitutio. Constitutio aut edictum est, quod Rex vel Imperator constituit vel edidit. Differt autẽ à præcepto, in duobus. Primò, quia præceptum quandoquè datur in scriptis, quandoquè non. Constitutio est lex redacta in scriptis. dist. 1. ca. ius. Lex est constitutio scripta. & in §. cùm itaque. quæ in scriptis redacta est, cõstitutio siue ius vocatur. Secundò differt, quia præceptum semper inducit necessitatem adimplendi. Constitutio verò, non semper: quoniam, vt videbitur in sequentibus, non omnes constitutiones sunt præceptoriæ, sed quædam sunt simplices. Differunt autem, constitutio & admonitio, in multis apud aliquos religiosos. Quanuis enim omnis constitutio debeat esse in scriptis, nõ tamen quicquid est in scriptis, est constitutio. Differunt igitur primò ex parte eorum, de quibus fiunt: quia constitutiones fiunt de mag s necessarijs, aut mag s expedientibus: admonitiones verò, de quibusdam, quæ non reputantur adeò necessaria, vel adeò expedientia, vel adeò cõmunia aut perpetuò seruãda. Secundò differunt in stabilitate. Non enim adeò sunt stabiles admonitiones, vt constitutiones: faciliùs enim reuocantur admonitiones, quàm constitutiones. Tertiò differunt in obseruantia. Non enim apponitur tanta cura in religionibus ad obseruantiam admonitionum siue consiliorum, sicut constitutionum. Quartò differunt ex parte condentium: quia faciliùs fiunt admonitiones. Vndè nõ solũ capitulũ quodlibet, sed etiã ꝑlati qcunq; facere possunt huiusmodi admonitiones, quod nõ est de cõstitutionib⁹. Iniũctio verò, dicitur impositio alicuius faciendi vel nõ faciẽdi, ab eo qui habet potestatem in aliũ: vt quãdò iniũgitur aliqua oratio in capitulo à ꝓlato: & alia huiusmodi. Differt aũt iniunctio à simplici admonitiõe: quia iniũctio semper fit à superiore potestatẽ habẽte: admonitio verò, sicut dictũ est, quãdoq; à pari vel inferiori fit. Cõsuetudo verò dicitur lex non scripta, sicut ea sunt quæ longæuo vsu obseruata sunt in Ordinę: de quibus à patribus nihil certum in scripturis statu-

Cõstitutio quid sit.

Cõstitutio differt à ꝓcepto in duobus.

Cõstitutio & admonitio in multis differũt.

Constitutiones siue admonitiones q̃s possit facere.

iniunctio quid sit.

Iniũctio & admonitio differunt.

Cõsuetudo.

Consuetudinis non vilis authoritas.

tum reperitur. Talis autem consuetudinis vsusq; longęui non vilis authoritas est: vt dicitur in c. consuetudinis. dist. 11. Secundò notandum, quòd quemadmodùm in regula Euangelica nõ omnia quæ proponuntur, sunt præcepta, sed quædam eorũ proponuntur quæ vim habent præceptorum, sicut est illud: Diliges Dominũ Deũ tuum &c. quædam verò, tanquàm simplices admonitiones, per modum consiliorũ, sicut est illud Luc. 6. Si quis te percusserit in vnam maxillam, præbe ei aliam. Sic in regula sancti Benedicti, nõ omnia in ea cõtenta, præcepta sunt: sed quædam traduntur per modum præcepti, quædam verò proponuntur per modum ordinationis cuiusdam, vel statuti, aut simplicis admonitionis: quod videtur notare (sicut dictũ est) sanctus pater in ipso exordio Regulæ, cùm dicit: *Ausculta, ò fili, præcepta magistri, & admonitiones pij patris libenter excipe.* Si quæritur, quomodò distingui possunt & cognosci, quæ sunt præcepta in regula, quæ simplicia statuta, aut ordinationes, siue admonitiones: maximè, cùm ex forma verborum regulæ, nulla quandoq; appareat facta distinctio. Respondetur, quòd sicut vbi sacra scriptura vniformiter loquitur, per rationem & doctrinam sapientũ docentur, quæ sunt præcepta, & quæ consilia, & exhortationes simplices, ità in præsenti loco cognoscitur per rationem quidem: Quia non est verisimile, quòd vir sapiens & diuino spiritu repletus, regulæ institutor, intenderit singula in regula cõtenta, vim habere præceptorum: quia sic iam non esset regula, qua spirituales in viam paradisi dirigerentur: sed potiùs infernalis muscipula videretur laqueis plena, qua animæ à diabolo illaquearetur. Per doctrinam etiã sapientum potest haberi ista differentia & distinctio, inter ea quæ præcepta sunt, & quæ non. Pro quo notandum, quòd præceptum, sicut in præcedenti articulo dictũ est, importat rationem debiti: intantùm ergò aliquid cadit sub præcepto, inquantùm habet rationem debiti. Est autem aliquid debitum dupliciter. Vno modo per se, alio modo propter aliud. Per se quidẽ, siue secundùm se, debitũ est in vnoquoq; negocio id, quod est finis, quia habet rationem per se boni. Debitum verò propter aliud, est, quod ordinatur ad finem, sine quo non potest ad finem perueniri: sicut medico per se debitum est, vt sanet: propter aliud autem, vt det medicinã, vel indicat diætam. Id verò, quod ordinatur in finem, vt meliùs atq; expeditiùs, siue faciliùs quis finem consequatur: si sine hoc possit aliqualiter finis haberi, non habet rationem debiti. Status autem religionis, cùm disciplina quædam sit vel exercitium perueniendi ad perfectionẽ: & perfectio hominis in hoc consistit, quòd totaliter Deo adhæreat, quod fit per charitatẽ perfectã: finis religiõis principalis est, perfecta charitate vniri Deo. Dicit in collationib⁹ patrum Abbas Moyses, de religiosis loquẽs: Ieiuniorum inediam, vigilias, labores, corporis nuditatem, lectionem, cæterasq; virtutes debere nos suscipere nouerimus, vt ad perfectionem charitatis istis possimus conscendere. Dionysius etiam 6. ca. cælestis Hierarch. dicit, eos qui nominãtur Dei famuli, ex Dei puro seruitio & famulatu vniri ad amabilem perfectionem. Prætereà Isidorus lib. etymol. Religio indè appellata est, ꝙ per eam vni Deo animas nostras religemus ad cultũ diuinum vinculo seruiendi. Secundarius autem finis, quasi dispositiuus ad principalẽ, est puritas & rectitudo cordis, quæ consistit in interioribus actionibus aliarum virtutum. Vndè Apost. 1. Tim. 1. Finis ꝓcepti, est charitas de corde puro, & cõscientia bona, & fide nõ ficta. Et ad Roman. 6. Habetis fructũ vestrum in sanctificationẽ. Quibus notatis, habenda est in præsenti materia talis consideratio: Aut enim illa quæ põnuntur in regula, se habent tãquàm finis regulę suę, tanquàm essentialiter facientia ad finẽ regulæ: quæ est, vt dictum est, perfectio charitatis, cui commodi sunt om̃es interiores actus virtutum, quorũ mater est charitas, secundùm illud 1. Cor. 13. Charitas patiẽs est, benigna &c. Et talia omnia iudicanda sunt præcepta, etiam si sub pręcepti modo non exprimantur, sicut ea quæ de dilectione proximi, de iustitia & de humilitate, de patientia, de castitate, & huiusmodi statuta leguntur. Si verò ea quæ ponsitur in regula, non sint debita secundùm se, sed ordinentur gratia alterius, vel sunt talia, sine quibus finis religionis haberi non potest, & huiusmodi: sub præcepto aut voto religionis cadere intelliguntur, sicut est voluntaria paupertas, perpetua continẽtia, & obedientia. Si verò sint talia, quòd sine eis possit haberi finis, talia nõ intelliguntur esse præcepta secundùm se: sicut sunt constituta de silentio, de abstinentia carnium, de vigilijs, de áliquibus ieiunijs regularibus, & huiusmodi, quæ pertinent ad macerationem carnis. Talia enim cùm non habeant rationem debiti secundùm se, nec necessarij in ordine ad consecutionem finis religionis, licèt sint dispositiua ad meliùs & expeditiùs consequendum, nõ sunt habenda tanquàm præcepta: etiam si sub modo præcepti in regula videantur designari: sed sunt ordinationes, aut instituta quædam, aut simplices admonitiones. Nõ enim est inconueniens, quòd aliqua sub modo præcepti designentur, quæ tamẽ de in-

Deut. 6.

Nõ omnia contenta in reg. S. Benedicti præcepta sunt.

Applicatio ad prædicta

Quõ intelligi possit, quæ ꝓcepti, quæ cõsilij vim habeãt in Regula.

Ratio, ꝙ non omnia contenta in regula, sint præcepta.

asse aliquid debitũ, dupliciter.

Status religionis quid sit.

Finis religionis quis.

Cassianus colla. 1. c. 7.

Lib. 10. c. 17. Religio vndè appellata.

Charitas omniũ virtutũ mater.

Determinat quę iudicãda sint præcepta.

Pulcherrima distinctio q̃ pro cõsilijs sint habenda.

Quædã habent modũ & intẽtionem præcepti. Ioan. 15. Quædã vero intentionem, & nõ modum. Exod. 20. Quædam modũ & nõ intentionẽ.

intentione præcipientis, vim præceptorũ non habẽt. Pro quo notãdum, quòd quędam reperiũtur in libris diuinis, quæ habent in se modum & intentionẽ præcepti, vt est illud: Hoc est præceptũ meum, vt diligatis &c. Quædam verò sunt præcepta, & intentionem habent præceptorum, quamuis non modùm præcepti: sicut est illud, Nõ furtum facies. Quædam quæ habent modũ præcepti, sed nõ intentionem: vt est illud de sanatione surdi & muti: Marc. 7. Præcepit eis, nè cui dicerent. Quis enim auderet dicere, quòd intẽderet eos Saluator noster præcepto ligare ad mortale? & quòd illi prædicando Christi miraculum plùs, & quantò plùs præcipiebat vt tacerẽt, peccassent mortaliter: quod fuisset, si illud intẽtionem habuisset præcepti. Itẽ in iure Canonico huius rei etiã habemus exemplũ:

Exemplũ.

vt est illud in c. Dilectissimis. 12. q. 1. quòd beatus Clemens de communi vita Apostolorũ imitanda loquens, dicit: Doctrinis & exemplis Apostolorum obedire præcipimus. Exponitur in Glo. id est, monem⁹. Et subdit: Quia si hoc præciperet, deformaret statũ Ecclesiæ vniuersalis. Verùm pro maiori declaratione huius articuli, arguitur aliquibus medijs contra iam dictam cõclusionem.

Arguit cõtra iam dictam cõclusionem, videlicet ꝙ nõ omnia contẽta in regula, cadãt sub pręcepto.

Et primò per illud, quod ext. nè clerici. c. relatũ. habetur, vbi dicitur: Relatũ est nobis, quòd monachi de N. viuũt seculariter, & alios exemplo corrumpunt. Ideoq; mandamus, quatenùs eos ad obseruantię regulæ, appellatione remota, compellas. Non videtur autem aliquis compellendus ad obseruantiam aliquorũ, nisi quæ habent vim præcepti. Ergò videtur, quòd tota regula cadit sub præcepto. Item secũdò per illud, quod in fine prologi regulæ suæ beatus Benedictus dicit: *Præparanda sunt corda & corpora sanctæ præceptorum obedientiæ militatura.* vbi videtur innuere, quòd omnia in Regula contenta, sunt præcepta. Tertiò arguitur ad idem per illud, quòd beatus Bernardus in lib. de præcepto & dispensatione, ad quæstionem hanc, Vtrùm omnia in regula beati Benedicti, putãda sint præcepta? Respondens, ità dicit: Omnia proinde sancti Benedicti instituta, exceptis sanè nõnullis de spiritualibus: verbi gratia, de charitate & humilitate, mãsuetudine, quæ non tam ipsum constat instituisse, quàm Deum: & ob hoc, penitùs non esse immutanda. De cætero, reliqua vniuersa, non ꝓfitentibus quidem, monita tantùm seu cõsilia censenda sunt. nec grauant nõ obseruata, cùm tamen profitẽtibus, in præcepta; præuaricantibus, in crimina fiãt. Præterea etiã vniuersa in regula cõtenta, non modò dicit esse præcepta, sed necessaria.

Cap. 2.

Responsio ad obiecta.

Istis non obstantibus, dicendũ est sicut priùs, quòd nõ omnia in regula contenta, sint præcepta: sed quædam sic, & quædã nõ.

Quò tota regula dicatur cadere sub pręcepto.

Ad primum argumentum, sumptũ de c. relatum. respondetur, vt Ioan. An. in nouella, qui in Glo. illius c. ità dicit: Argumentum, ꝙ regula est in præcepto, quod intelligas indistinctè, quo ad tria substãtialia. Alia aũt non credo esse in præcepto, aliàs vix vnus monachus de mille saluaretur. Ad secundum dicendum primò, quòd ex illo verbo regulę nõ habetur, ꝙ sanctus vir Benedict⁹ vniuersa in regula constituta, præcepta esse voluẽrit: sed aliqua tantùm, quæ principaliter sunt instituta, vtpotè magis intrinseca seu proxima fini ipsius religionis. Ad tertium dicendum, quòd B. Bernardus non accipit pręceptum stricto modo sumptum, prout dicit iussionem superiorum cum intentione ligandi virtute obedientię eum, cui iniungitur, ad complendum id quod iubetur: sed accipit præceptũ largo modo, pro quacunq; simplici iussione, ordinatione, impositione, prohibitione alicuius rei: sicut dicuntur præcepta artis Grammaticæ, i. regulæ quædam siue instituta. Et similiter non accipit necessarium pro eo, sine quo ordo virtutis esse non potest, aut pro eo, sine quo finis attingi non potest religionis, cuius transgressio est criminalis: sed accipit necessarium, prout distinguitur contra liberum, pro eo scilicet, quod nõ est ampliùs in optione, arbitrio, aut potestate eius, cui iniũgitur, non faciendi sine culpa aut pœna aliqua.

Diuersimodè aliquid dicitur necessarium.

Et hoc modo, quicquid in regula instituitur aut iubetur fieri ꝓfessoribus religionis, potest dici necessariũ. Vndè Bernar. in principio libri de præcepto & dispẽsatione, sic dicit: Itaque, vt sentio ego, regula sancti Benedicti, omni homini proponitur, imponitur nulli: prodest, si deuotè suscipitur & tenetur: non tamen, si non suscipitur, obest. Quod autem in voluntate suscipientis est, non in potestate proponentis, voluntarium meritò dixerim, non necessarium. Attamen hoc ipsum, quod dico, voluntarium, si quis ex propria voluntate semẽl admiserit, & promiserit, deincèps tenendum, profectò in necessarium sibi ipse cõuertit: nec iam liberum habet dimittere, quod antè tamen non suscipere liberũ habuit. Item infrà, facta distinctione præceptorum maximorum & minorum, & loquendo de minimis, sicut est interdictum verbum ociosum, & interdictum silẽtium, dicit sic: Hæc siquidẽ si contra mandatum non veniunt, non peccata sunt. Accedente mandato, si quo minùs obseruentur, in peccatum reputãtur, non tamẽ in crimen: ità sanè, si per surreptionem aut obliuionem, non autem per cõtemptum, horum transgressio cõntigerit.

Cap. 2.

Cap. 11.

TRACTATVS VI.

In quo declaratur, an omnia in regula sancti Benedicti cõtenta, obligent ad peccatum mortale.

ARticulus iste & si ex superioribus ità clarus videatur, vt non esset opùs aliquid addere: nihilominùs pro maiori euidẽtia pręsentis materiæ, & cõsolatione ampliori simpliciũ religiosorũ, inducendę sunt rationes in speciali ad idem: ostendentes, quòd religiosus non semper peccat mortaliter, transgrediendo ea quæ sunt in regula. Prima ratio: Non omnia in regula contenta, proponuntur sub præcepto, seu habent vim præcepti, vt iam apertissimum est ex cap. præcedenti. Ergò non quælibet transgressio eorum q̃ in regula S. Benedicti cõtinentur, est peccatum mortale, sed aliqua erit venialis. Cõsequentia est manifesta ex superiùs dictis. Secundò sic: Non quęlibet transgressio eorum, quæ cõtinentur in lege diuina siue regula Euangelica, est mortalis. Ergò similiter dicendũ est de Regula B. Benedicti, quæ exẽplata est ab illa. Vndè sicut in his, quæ proponũtur nobis in lege diuina, quædam sunt quæ adeò obligant, quòd transgrediendo quis peccat mortaliter: quædã, quæ transgrediendo peccat venialiter: quædã, quæ trãsgrediendo, nullo modo, quia sunt solùm incitatiões: ità sumendũ est in regulis & statutis, quæ viri Dei spiritum habentes, tradiderũt. Vndè Bernardus libro de pręcepto & dispensatione, respõdendo ad argumentũ cuiusdã, dicentis, ꝙ si Prælatorũ iussionibus tãtùm tribuendum esset, quantũ si diuinitùs traderentur, iam monacho nihil poterit esse veniale peccatum vel leue: dicit inter alia, ipsa Euangelica præcepta multùm inter se discrepare & merito obseruationis, & trãsgressionis periculò. Et infrà: Nonnè veritas in Euangelio sub nominibus trabis & festucę, graues leuesq; discernit inobedientię culpas? Nónne ipsa disputante, immò diffiniente, gradatim nobis dicitur, quæ cuiq; reatui pœna debeatur, dum aliũ iudicio, alium consilio, aliũ gehennæ reum esse protestatur? Quęnam ergò cõsequendi necessitas cogit, vt si magistris diuina detur in suis præceptis authoritas, nullum ideò iã monacho leue aut veniale peccatũ inueniri posse putetur, & quòd vniuersæ eius actioni crimẽ insidietur inobediẽtiæ? Esto: sit crimen, cui pœnalis illa gehenna, vel gehẽnalis pœna assignatur: quale, quęso, illud diffiniemus esse crimẽ, quod veritate iudice, reum tantũ facit iudicio? nec tamen diffitebimur esse reatũ, quod vel hactenùs reum statuit. quòd si reatum & peccatũ: porrò omne peccatũ, cõtra Dei mandatum præsumitur: quod autẽ cõtra mandatum præsumitur, inobedientia dicitur. Hinc colligitur, quòd irasci fratri, & inobedientia sit, & crimen non sit. Et vnũ inuẽtum est monacho leue ac veniale peccatũ, quodq; nõ humani, sed diuini mãdati statuat trãsgressorẽ. In hoc genere sunt trãsgressionis, nõnulla stultiloquia, seu vaniloquia, & quæq; ociosa dicta, facta & cogitata: huiusmodi enim nunquàm, nisi cõtra mandatum & Dei mandatum, vsurpantur: peccata quippe sunt, & Deus prohibet omne peccatum, & tamen venialia, & non criminalia, reputantur, excepto, cùm per contemptum vertũtur in vsum & consuetudinem: & nunc non peccati species, sed peccãtis intentio, pensatur. Hæc Bernard. Cùm ergò ità sit de regula Euãgelij, sequitur quòd similiter dicendum sit de regula S. Benedicti: videlicet, quòd non quælibet transgressio contentorũ in regula, sit mortalis. Tertiò sic: In legibus humanis, siue ciuili, siue canonica, nõ quælibet transgressio statuti legis, facit dignũ pœna mortis corporalis, vt patet manifestè: ergò multo minùs quælibet trãsgressio statutorum regulę S. Benedicti, quę suauior benigniorq; esse debet, dicenda est obligare ad pœnam mortalem animæ. Quartò sic: Status religionis est securior, quàm status secularis vitæ. Vndè Gregorius in principio Moralium, comparat vitam secularẽ mari fluctuanti: vitam autem religionis, portui tranquillo. Sed si quælibet transgressio eorum, quæ in regula continentur, est peccatum mortale: sequeretur, quòd religio nõ esset portus tranquillitatis, sed naufragiũ flebile: & quòd vita secularis esset securior: quod non est verum. Quintò sic: Cùm spiritus sanctus benignus sit & suauis, vt dicitur Sapientiæ 1. immò ipsa benignitas: nõ est credendũ, quòd beatus Benedictus spiritu sancto plenus, gladio extracto omnia mãdauerit, q̃ agenda à filijs suis decreuerit. gladio enim extracto aliquid mãdatur, cũ non implens illud, morte punitur. Sextò sic: Ipse se nominat pium patrẽ in principio regulæ, cum ait: *Ausculta, ô fili, præcepta magistri, & admonitiones pij patris libenter excipe.* sed non est pietatis paternæ, sed crudelitatis tyrannicæ, pro neglectu vel transgressione cuiuscunq; quod iniungitur, velle mori, & maximè morte spirituali, filiũ suum: ergò sequitur, quòd non fuit mentis beati Benedicti, vt trãsgressio cuiuscunq; statuti regulæ suæ, esset peccatum mortale. Septimò sic: Beatus Gregorius in lib. dialogorum, commẽdans beatum Benedictum, dicit, quòd scripsit regulam monachorũ, discretione præcipuam. Si ergò transgressio cuiuslibet statuti illius, peccatũ induceret

Religiosus non semper peccat mortaliter, trãsgrediendo regulam.

Non quælibet trãsgressio legis diuinæ, est mortalis.

Cap. 14.

Euangelica præcepta multũ inter se discrepãt, & quomodò.

Non peccati species, sed peccãtis intẽtio, pensatur.

Status religionis, est securior, q̃ status secularis.

lib. 6. ca. 16.

lib. 2. ca. 36.

teret mortale, non esset discretione præcipua, immò esset indiscretissima. Vndè sanctus Thomas in quolibeto primo, ar. 20. dicit, quòd stultũ esset, putare quòd monachus frangens silentium post Cõpletorium, peccaret mortaliter. Octauò, hoc idẽ arguitur ex parte eius, ad quod religiosus huius regulę, voto professionis se adstringit. Et arguitur sic: Monachus profitendo, non vouit se regulam seruaturũ: ergò cùm non videatur se voto obligare ad singula, q̃ continentur in regula, non est dicendus mortaliter peccare trãsgrediẽs quodlibet, quod in regula cõtinetur. cõsequẽtia patet. Sed ꝙ monachꝰ nõ ꝓfiteatur se regulã seruaturum, accipitur expresse ex c. 58. eiusdẽ regulæ. Dicit etiã Bernar. lib. de præcepto & dispẽsatione: Nemo, cũ ꝓfitetur, spõdet regulam: sed determinatè secundũ regulã, sui quisq; conuersationẽ se dirigere pollicetur. Itẽ in eodẽ: Professio sic se habet: ꝓmitto nõ quidem regulã, sed obedientiã secũdùm regulã. Itẽ S. Thomas quolibeto 1. ar. 20. dicit: B. Benedictꝰ statuit monachũ profiteri, nõ quidẽ obseruare regulam. Sed ꝙ profitẽs promittat conuersionẽ morum suorũ secundùm regulã, hoc est dictu, vt secundùm regulã dirigat mores suos. Cùm ergò non omnia sint præcepta, quæ in regula continentur, vt suprà ostẽsum est, nec monachus profiteatur omnia seruare, quę sunt in regula cõtenta: manifestũ est, quòd nullo modo dicendũ sit, ꝙ religiosus semper peccet mortaliter, trãsgrediẽdo ea quæ sunt in regula. Pro huiusmodi verò verissimæ cõclusionis ampliori notitia, inducẽda est determinatio S. Thomę in secũda 2. q. 186. ar. 9. vbi quærit: Vtrũ religiosus semper peccet mortaliter, transgrediendo ea quę sunt in regula? Qui respõdens ità dicit: Dicendũ, quòd in regula aliquid cõtinetur dupliciter. Vno modo, sicut finis regulæ: putà ea, quæ pertinẽt ad actus virtutum: & horũ transgressio, quantùm ad ea quæ cadunt cõmuniter sub præcepto, obligat ad mortale: quantũ verò ad ea quæ excedunt cõmunem necessitatẽ præcepti, nõ obligat ad mortale, nisi propter cõtemptum: quia religiosus nõ tenetur esse perfectus, sed ad perfectionem tendere, cui cõtrariatur perfectionis cõtemptus. Alio modo cõtinetur aliquid in regula, pertinens ad exterius exercitium: sicut sunt omnes exteriores obseruãtiæ, inter quas sunt quædam, ad quas obligatur religiosus ex voto professionis. Votum autem professionis, respicit principaliter tria, s. paupertatem, continentiã, & obedientiam. Alia verò omnia, ad hæc ordinantur. Et ideò trãsgressio horũ triũ, semper obligat ad mortale. Aliorum autẽ transgressio non obligat ad mortale, nisi vel propter contemptum regulæ, quia hoc directè cõtrariatur professioni, per quam aliquis vouit regularem vitam: vel propter præceptũ siue oretenùs à Prælato factũ, siue in regula expressum: quia hoc esset, facere contra obedientiæ votum. Hæc sanctus Thomas. Sed arguitur cõtra istã conclusionem. Primò sic: Facere contra votũ, est peccatum mortale: vt patet per illud, quod Apostolus dicit 1. ad Tim. 15. ꝙ viduæ quæ volunt nubere, damnationẽ habent, quia primam fidem irritam fecerunt: sed religiosus voto professionis ad regulã adstringitur: ergò peccat mortaliter, trãsgrediendo ea quæ in regula continentur. Secundò sic, per illud quod scribitur in ca. 58. *Si habita*, inquit, *deliberatione, promiserit se omnia custodire, & cuncta sibi imperata seruare, tunc suscipiatur in congregatione.* Cùm ergò ille qui recipitur, se omnia custodire polliceatur, si aliquid eorum non custodit, transgressor est promissionis vel voti: sed talis trãsgressio est damnabilis, ergò &c. Tertiò ad idem facit, quod subditur eodẽ cap. *Suscipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, & conuersione morum, & obedientiam coram Deo & sanctis eius: vt si aliquandò aliter fecerit, à Deo se damnandũ sciat, quem irridet.* Quartò: Impletio voti, sicut impletio iuramenti, cadit sub pręcepto, secũdùm illud Nũ. 30. Si quis virorum votum Deo vouerit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum suum: sed omne quod promisit, implebit. Aut ergò est voti transgressio, cùm monachus transgreditur aliquid eorũ, quæ in regula continentur, quę ante professionem erant indifferentia, aut non. Si sit, trãsgressio illa est damnabilis: si non, tunc transgressio illa non videtur culpabilis: cùm nulla alia ratio offensæ inueniatur ibi: ergò in transgressione talium vel est mortalis culpa, vel nulla: sed nõ est dicendum, quòd nulla: ergò sequitur, quòd erit mortalis. Quintò sic: Regula imponitur religioso, sicut lex quædam: sed ille qui transgreditur præceptum legis, peccat mortaliter: ergò videtur, quòd monachus transgrediens ea quæ sunt in regula, peccat mortaliter. Sextò: Contẽptus inducit peccatũ mortale: sed quicunq; frequenter aliquid iterat, quod nõ debet facere, videtur ex cõtemptu peccare: ergò videtur, quòd religiosus frequenter transgrediens ea quæ sunt in regula, peccet mortaliter. Septimò dicit canon in c. carnem. de cons. dist. 5. quòd monachi non debent comedere carnes: & si cõtrafecerint, debent incarcerari: sed talis pœna non infligitur, nisi pro peccato mortali: ergò monachi comedendo carnes, & ità transgrediẽdo alia similia in regula contenta, peccant mortaliter. Responsio: Istis non obstantibus, dicendum est, quòd monachus trãsgredien-

Monachus frangens silentiũ post Completorium.

Cap. 7. Nemo ꝓfitetur se regulam seruaturum.

Determinatio sancti Thomę, vtrùm religiosus trãsgrediendo reg. religionis, semper peccet mortaliter.

In qualibet regula aliquid continetur dupliciter.

Votum professionis, respicit principaliter tria.

Adhuc arguit contra prædictam cõclusionẽ.

Impletio voti, cadit sub præcepto.

Contẽptus inducit peccatũ mortale.

Responsio ad obiecta.

do ea quæ ſunt in regula ſancti Benedicti, non ſemper peccet mortaliter. Ad primũ argumentum reſpondetur, negãdo quòd monachus ſancti Benedicti profitetur regulam, ſicut ſuprà dictum eſt: ſed profitetur viuere ſecũdùm regulam, id eſt, tendere ad hoc, quòd mores ſuos informet ſecundùm regulam, ſicut ſecundùm quoddam exemplar. Vndè ex voto obligatur ad ſeruanda ea, quæ ponuntur in regula, tanquàm præcepta, quæ prælatus ſecundùm tenorẽ regulæ ſibi præcipere voluerit. ¶Cætera verò, quæ non continentur in regula ſub præcepto, non cadunt directè ſub voto: vnde ea prætermittẽs, non peccat mortaliter: Non autem omnia quę in regula cõtinentur, ſunt præcepta, vt reſponſum eſt: ſed quędam ſunt admonitiones ſiue conſilia, quędã verò ordinationes ſiue ſtatuta: vt ꝙ poſt Completorium nemo loquatur. huiuſmodi aũt ſtatuta quæ in regula cõtinentur, nõ habent vim præcepti. Sicut nec prçlatus ſtatuens aliquid, intendit ſemper ad peccatum mortale obligare per pręceptum. Eſt enim prçlatus, quaſi quędam regula animata. Vnde ſtultum eſſet putare, inquit ſanctus Thomas, quòd monachus frangens ſilentiũ poſt Completorium, peccaret mortaliter: niſi fortè faceret hoc cõtra præceptum Prælati, vel ex contemptu regulæ. Vndè taliũ tranſgreſſio vel omiſſio, obligat ſolùm ad veniale: quia huiuſmodi ſunt diſpoſitiões ad principalia vota. Peccatum autem veniale, eſt diſpoſitio ad mortale, inquantùm impedit ea, quibus aliquis diſponitur ad obſeruanda principalia præcepta legis Chriſti, quæ ſunt pręcepta charitatis. In religione autem Prędicatorum, in qua cautiſsima & ſecuriſſima eſt forma profitendi: quia nõ promittunt ſeruare regulã, nec ſecũdùm regulã viuere, ſed obedire ſecundùm regulã: taliũ tranſgreſſio vel omiſſio, ex ſuo genere nõ obligat ad culpã, nec mortalẽ, nec venialẽ: ſed ſolũ ad pœnã taxatã ſuſtinendã, quia per hũc modũ ad talia obſeruanda obligãtur. qui tamẽ poſſent venialiter vel mortaliter peccare ex negligẽtia vel libidine ſeu ex cõtemptu, vt dicit S. Thomas vbi ſuprà. Ad ſecundũ dicendũ, quòd verbũ promittẽdi, ſumitur largè, vt nõ importet obligationẽ voti. & eſt ſenſus, promiſerit, id eſt, oſtenderit ſe omnia velle cuſtodire. Nõ enim vouet ꝓfitens, quòd cuſtodiat omnia quæ in regula cõtinentur, vt ſuperiùs oſtẽſum eſt. Ad tertiũ dicendũ, quòd illud verbũ regulæ: *ſi aliter fecerit, ſe damnandũ ſciat*: ſic eſt intelligendũ, ſi aliquandò contrariũ ꝓfeſſioni fecerit. Nõ eſt aũt dicẽdus contrarium profeſſioni facere pro trãſgreſſiõe cuiuſcunq; eorũ quæ in regula cõtinentur, ſed ſi promiſſionem de ſtabilitate, trãſgreſſus fuerit apoſtatando: vel promiſſionem de morũ cõuerſione, ſeculariter viuẽdo in monaſterio: vel promiſſionẽ de obediẽtia, vel pręceptũ ſuperiorũ contemnendo. Ad quartũ dicẽdum, ꝙ ſicut in his quæ indicãt nobis voluntatẽ Dei, ſine trãſgreſſione præcepti poteſt eſſe offenſa: vt cũ aliquis venialiter peccãdo, id ꝙd Deus diſſuadet, cõmittit: vel quod ſuadet, dimittit vel negligit. Sic ſine voti tranſgreſſione poteſt eſſe culpa circa hæc, quæ monacho indicant voluntatẽ patris ſpiritualis, vel Benedicti, vel Auguſtini, vel Abbatis: vt cùm monachus monitũ Abbatis trãſgreditur, vel ſtatutum regulæ, quod probabiliter creditur nõ eſſe præceptum. Et ſicut qui venialiter peccat circa ea q̃ ſunt de iure naturali, vel diuino, non dicitur ſimpliciter inobediẽs: ſic nec ille qui venialiter peccat circa ea quæ in regula cõtinentur, vel ab Abbate mandãtur, dicitur ſimpliciter tranſgreſſor voti: ſicut nec ille inobediẽs reputatur, qui mandatũ Prælati ſine pręcepto factũ, trãſgreditur. Ad quintum dicendũ, ſicut iam dictũ eſt, ꝙ nõ omnia quę cõtinentur in lege, tradũtur per modũ pręcepti: ſed quędã proponũtur per modũ ordinationis cuiuſdã, vel ſtatuti obligãtis ad certã pœnã. ſicut in lege ciuili, nõ facit ſemper dignum pœna mortis corporalis, trãſgreſſio ſtatutorũ legis; ità nec in lege eccleſiæ oẽs ordinationes vel ſtatuta obligant ad mortale: & ſimiliter nec omnia ſtatuta regulę S. Benedicti, ſiue Auguſtini. Ad ſextũ dicendũ, ꝙ falſum eſt, ꝙ ex contemptu peccet ſemper, qui ſtatuta legis tranſgreditur etiã frequenter. Nam, vt dicit S. Thomas, tũc cõmittit aliquis vel tranſgreditur regulã ex contemptu, qñ voluntas eius renuit ſubijci ordinationi legis vel regulę, & ex hoc ꝓcedit ad faciendũ cõtra legẽ vel regulã. Quãdò aũt ecõuersò propter aliquã particularem cauſam, putà cõcupiſcentiã, vel irã, inducitur ad aliquid faciendũ contra ſtatuta legis vel regulæ, nõ peccat ex cõtemptu, ſed ex aliqua alia cauſa, etiãſi frequenter ex eadẽ cauſa vel alia ſimili cõmitteret. Sicut etiã Auguſt. dicit lib. de natura & gratia, ꝙ nõ omnia peccata cõmittũtur ex cõtemptu ſuperbiæ: frequẽtia tamẽ peccati, diſpoſitiue inducit ad contemptum, ſecundùm illud Prouerb. 18. Impius cùm in profundũ venerit malorũ, contemnit. Ad ſeptimũ reſpondetur, vt S. Thomas reſpõdit in quolibeto 1. quòd illa pœna de qua loquitur canon, infligitur monacho contumaciter & inobediẽter comedẽti carnes.

Prælatus eſt quaſi quędam regula.

Peccatum veniale.

Fratrũ Prædicatorum cautiſſimè profitendi forma.

Verbũ promittere, largè ſumitur.

Quis dicatur contrariũ profeſſioni facere.

Qñ aliquis nõ dicatur tranſgreſſor voti.

Qñ quia dicatur peccare ex contemptu.

Cap. 19.

TRACTATVS VII.

De multiplici commendatione vitæ cœnobitarum, & de emolumentis bonæ ſocietatis.

Licèt

Coenobitæ in tribus præcellunt.

LIcèt autē vtrunq; genus tam anachoretarum, quàm cœnobitarū, laudabile sit: genus tamē vitę cœnobitarum videtur præcellere in tribus, videlicet in præmio, & hoc est post mortem: in securitate, & hoc in morte: in emolumēto multiplici, & hoc in vita. Propter primū dicitur in Vitis patrum, quòd cùm essent ostensi quatuor ordines in cęlo cuidā viro sancto, s. infirmantiū & gratias agentium, seruientiū infirmis in hospitalibus, solitariorū, & viuentiū in congregatione sub obediētia: & quartus appareret sublimior, quærēti cur hoc, dictum est ei, quòd oēs faciunt secūdùm voluntatē propriam: hi autē sub obedientia patrū viuentes, nō secūdùm voluntatē propriā faciunt quod faciunt: sed secūdùm alterius voluntatē, & ideò maioris virtutis sunt. Seneca: Hoc solum virtuti adijcies, quod propriæ voluutati detraxeris. Et cùm maiori virtuti maius præmium debeatur, viuētibus sub obedientia maius præmiū debetur. ideò dicitur de Christo Phil. 2. Factus est obediens vsq; ad mortē. propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomē, quod est super omne nomen. Propter secundū dicitur de quodā eremita viro sancto, quòd cùm reuelata fuisset ei hora mortis propinqua, accessit ad cœnobiū propinquū, petēs ibidem recipi. Cùm autē Abbas eidem in hoc difficultatē exhiberet, timens nè esset eis in grauamen propter senectutem & debilitatē: & ipse responderet, quòd ipse citò moriturus esset, vt sibi fuerat reuelatū: & Abbas quæreret, quarè ergò vis mutare statum pro tam modico tempore, cùm multi possint ex hoc scandalizari & turbari? respondit, quòd securius erat, trāsitum periculosum transire in societate, quàm solum: & ideò cùm transitus mortis esset periculosissimus, affectabat illum magis in societate transire, quàm solus, expauescens illos inimicos, qui ibidem expectarit. Qui receptus, post paucos dies mortuus est. ideò fratres in societate transeuntes, securiorem habēt transitum mortis. O, quantùm expauescebat passum istum, qui dicit: O anima mea, quis erit ille pauor, cùm tibi occurrētia caterua tim illa teterrima dæmonum mōstra videbis? O quàm felix & securus, cui dicitur illud Prouerb. 3. Si dormieris, nō timebis: quiesces, & suauis erit somnus tuus. Nè timeas repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorum. Dominus enim erit in latere tuo: sed quanto felicior, qui Dominum cum exercitu suo nō solùm angelorum, sed etiā sanctorum fratrū, habebit à latere? Magna igitur in morte securitas in congregatione degēti. Propter tertiū dicitur Ecc. 4. Melius est, duos esse simul, quàm vnum: habent enim emolumentum societatis suæ: quanto magis qui non solùm duo, sed quàm multi sunt? habent siquidem emolumentum multum tantæ societatis. Sunt autem huiusmodi emolumenta nouem. Primum, est societatis acquisitio. Si enim tanta est virtus societatis cum muliere fideli, quòd sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem, sicut dicitur 1. Corinth. 7. quanto magis sanctificatur quis ex societate multorum bonorum? Et ideò dicitur in Psalm. 17. Cum sancto sanctus eris, &c. Secundum, est sancta in bonum calefactio: sicut enim carbo frigidus accenditur ex adiunctione cum alijs ardentibus: ità etiam tepidi, ex societate feruentiū fratrum calefiunt. Ecclēs 4. Vnus quomodò calefiet? & si dormierint simul duo, fouebunt se mutuò, & calefient. Tertium, est in bonum corroboratio. Prouer. 18. Frater qui iuuatur à fratre, quasi ciuitas firma. Sicut enim in ciuitate vnus murus alium corroborat, & turris turrem, &c. sic in corpore vnius congregationis, vnus ex alio corroboratur in bono. Igitur ex societate sancta tria prædicta sequūtur, scilicet virtutis acquisitio: & hoc, quo ad incipientes: virtutis feruor, & hoc, quo ad proficientes: virtutis firmitas, & hoc, quo ad perfectos. Quartum, est cadentis subleuatio, quæ multis est necessaria. Ecclesiast. quarto: Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, qui si ceciderit, non habet subleuantem. Quintum, est hostium impugnatio. Ibidem: Et si quispiam præualuerit contra vnum, duo resistent ei. Sextum, est operis cuiuslibet perfectio. Quod enim non potest quis per se facere, alterius adiutorio completur. Lucæ quinto: Annuerunt socijs qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos: & sic in hoc loco opùs est. Hic ergò est triplex adiutorium, quod quis consequitur ex societate sancta: scilicet adiutorium in resurgendo, in pugnando, in operando, secundùm tria prædicta. Septimum, est delicti indulgentia. Gene. 18. Si inuenero in Sodomis decem iustos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos. Si autem ratione societatis bonæ tam modicæ, paratus erat Deus parcere tantæ multitudini, & in tantis sceleribus inuolutis: nunquid non paucis, & in culpis modicis, propter societatem bonorum? Octauum, est collatio spiritualis gratiæ. Matthæi decimooctauo: Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorū sum, scilicet per aliquem effectum gratiæ. Sic enim dicitur in hominibus, & inter homines habitare. Nonū, est precum omnium exauditio, quod non obtinet quis solus, secundùm illud: Impossibile est, preces multorum non exaudiri. Matthæi 18.

No. de obedientia.

Securitas vitæ communis.

Expauescendus mortis articulus.

Nouē emolumenta vitæ cœnobialis.

Tria epilogat.

Triplex adiutoriū sanctæ societatis.

Habitat Deus in nobis.

Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcunq; petierint, fiet illis à patre meo: quanto magis, vbi nō duo vel tres tantùm, sed maxima multitudo cōuenit ad rogandum, aliquid obtinebunt? Exemplum Act. 4. Cùm orâssent, motus est locus, vbi erant congregati, & repleti sunt omnes spiritu sancto, & loquebantur cum fiducia verbum Dei. Glo. hoc postulabāt. Oratio igitur cōgregatorū obtinuit quod petebant. Et hæc sunt tria Dei beneficia, scilicet delictorum indulgentia, collatio spiritualis gratiæ, precum exauditio. Et sic ex sancta congregatione lucratur triplicē statum virtutis, triplex adiutorium, triplex Dei beneficium: quæ sunt nouem emolumēta. Ex his patet, quòd volentib⁹ religiosam vitam ducere, cautius est eligere viuere in congregatione, quàm in solitudine.

Tria beneficia cōsequitur viuens in congregatione.

IN CAPVT I.
TRACTATVS VIII.
Vbi de generibus & vita monachorum vel religiosorum quorumcunque agit luculenter.

M*onachorum quatuor esse genera, manifestum est* &c. Completo Prologo, sequitur tractatus, in cuius exordio sanctus pater Benedictus conuenientissimè priùs, quemadmodùm, vel vndè, ordo atq; principium professiōis monachorū descēderit, describit. Tunc etenim poterit quis (ait Cassianus in collatione Patrum) desideratę artis efficaciùs assequi disciplinam, & ad exercendam eam ardentiùs incitari, cùm authorum fundatorum eius agnouerit dignitatem. Dicit ergò, quatuor esse genera monachorum: quorum duo, optima sunt: duo verò, pessima & euitanda. De quibus quatuor generibus, in colla. Patrum, collat. 18 per multa capitula habetur. Quorum primum est, *Cœnobitale, hoc est, monasteriale: militans sub Regula vel Abbate*. Cœnobitæ dicuntur, qui in congregatione pariter consistentes, vnius senioris iudicio gubernantur, vt dicit Cassianus collat. 18. cap. 4. Cœnon enim Græcè, commune Latinè dicitur. Circa quod sunt aliqua notāda. Primum est, quòd hoc genus cœnobitarum, videtur quo ad aliquid, initium sumpsisse à cuneis Prophetarum. Vndè Samuel dicitur primus instituisse religiosorum conuentus iugiter psallentium Domino, vt ait Magister in historia Scholastica super illud 1. Reg. 10. Obuium habebis gregem Prophetarū, descendentium de excelso, & ante eos psalterium. In talium congregatione laudauit Dominum Dauid, dicens: Cōfitebor tibi, Domine, in toto corde meo: in consilio iustorum & congregatione. Quòd autem istorum Prophetarum conuentus, personam religiosorum repræsentarent, testatur Hieronymus in epistola ad Rusticum monachum, dicens: Filij, inquit, Prophetarū, quos monachos legimus &c. Quo ad personam verò formam cōmunis vitæ, & abrenunciationem terrenorum, hoc genus monachorum, hæc cœnobitarum disciplina, vt dicit Cassianus cap. 5. collat. 18. tempore prædicationis Apostolicæ sumpsit exordium. Nam talis extitit in Hierosolymis omnis illa credentium multitudo, quę in Actibus Apostolorum, cap. quarto, ita describitur: Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebant, sed erant illis omnia communia. Ecclesia verò crescēte, vidētes Apostoli & sancti successores eorum, quòd hic modus in cōmuni viuendi, retrahebat aliquos à conuersione: neminem ad hanc vitam coēgerunt inuitum, sed venientibus ad fidem, permissum est sub fide CHRISTI, quæ priùs possederant, retinere. Nonnulli verò perfectionē Apostolicam imitari cupientes, à consortio aliorum hominum sequestrati, in cōmuni sine proprio viuere elegerunt: & hi appellati sunt cœnobitæ. Secundò notandum, quòd hoc, quod dicit, *sub Regula vel Abbate*: non est accipiendum disiunctiuè, sed simpliciter, vt sit sensus: sub Regula & Abbate. Tertiò notandum, quòd in hoc loco Abbatis nomine accipiendus est quicunque senior, siue pater, cuius iudicio cæteri in congregatione gubernantur. Multa quidem sunt loca religiosa, cœnobiticam vitam agentia, in quibus similium congregationum rectores siue gubernatores, non Abbates, sed Decani, aut Præpositi, aut Priores, aut Patres, aut Maiores appellantur. Quartò notandum, quòd (vt ait Abbas Ioānes collat. 19. cap. 8. finis cœnobitæ est, omnes suas mortificare & crucifigere voluntates, ac secundùm euangelicæ perfectionis mandatum salutare, nihil de crastino cogitare. Quam perfectionem prorsus à nemine, nisi à cœnobita, impleri posse certissimum est. Quem virū Isaias Propheta describens, scilicet cap. 58. ità beatificat atque collaudat: Si auerteris à sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & glorificaueris eum dum non facis vias tuas, & non inuenietur voluntas tua, vt loquaris sermonem: tunc delectaberis super Dominum, & sustollā te super altitudinē terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Os enim Domini locutū est.

Assequēdæ alicuius disciplinæ facilitas.

Cœnobitæ qui sint.

Monachorū primum principiū.

Epist. 4.

Monachorum origo præcipua.

Abbatis nomine quis intelligendus.

Finis cœnobitæ.

Matth. 6.

In qua

In qua authoritate Dominus per Prophetam describit finē siue perfectionem monasticę siue cœnobiticæ disciplinæ, & fructū siue pręmium eius. Finis consistit in tribus. Primò, in declinatione à peccatis, per quæ violatur quies, per obseruantiā sabbati designata: & hoc, cùm ait in principio authoritatis, Si auerteris à sabbato pedem tuū, id est, si non violaueris quietē animi, quæ (vt dicit Glo.) omni tempore celebranda est. Secundò, in abnegatione propriæ voluntatis, cùm ait, non feceris voluntatem tuā. Tertiò, in refrenatione linguæ: ib:, vt non loquaris sermonem, scilicet malum, cōtra Deum vel proximum. Fructū autē cœnobiticæ vitæ, duplicē tangit: vnum in præsenti, qui est delectatio in cōsolationibus diuinis, cùm ait: Tunc delectaberis in Domino. Alium in vita futura, quæ est consecutio felicitatis ęternę, cùm inquit: Sustollam te super altitudinem terrę, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Dicitur autem vir cœnobita, filius Iacob, per fidē & operationem bonā, supplantando vitia & peccata. Cuius enim quis imitatus fuerit vitā, eius filius dicitur, ait Glo. Quintò notandum, quòd (vt ait Abbas Germanus col. 18. ca. 9. licèt à nonnullis soleant indifferēter monasteria pro cœnobijs appellari, tamen hoc interest, quòd monasterium, nomē est diuersorij, nihil aliud ampliùs, quàm locum, id est, habitaculum significans monachorum. Cœnobium verò, professionis illius qualitatem disciplinamq; designat. Et monasterium potest vnius monachi habitatio nominari. Cœnobium verò appellari non potest, nis vbi plurimorū habitantium degit vnita communio. *Deindè secundū genus est Anachoretarum*, id est, *Eremitarum*. Anachoretæ monachi dicuntur, qui contēplationis amore, vt liberiùs soli Deo vacēt, ab hominum separati consortio, soli in desertis & abditis locis inhabitant. Vndè ab eo, quòd procùl ab hominibus recesserunt, tali nomine nuncupātur. Ana enim Græcè, seorsùm Latine dicitur. Chorus, multitudinis ordo appellatur. indè Anachoreta, quasi seorsùm a choro, id est, multitudine, appellatus est. Genus hoc monachorū, secundū esse dicit, quia de cœnobitarū schola, actuali iam conuersatione perfecti, ad solitariam & secretam vitam transierunt. Vbi notandum est primò, quòd quēadmodùm primum genus monachorum, scilicet cœnobitarum, exordiū à Prophetis in veteri Testamento, & ab Apostolis in nouo sumpsit: ità hoc genus secūdum, vetustissimam habuit originem. Habuit quidē fundatores Eliam & Heliseum in veteri Testamento, in nouo Ioānem Baptistam, excellentissimum eremi cultorem: aliosque, de quibus Apostolus ad Hebræos 11. cōmemorat, dicens: Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, & in mōtibus, & in speluncis, & in cauernis terræ. Tandèm huius professionis principes, vt dicit Cassianus, fuerunt monachi illustrissimi illi duo Patres, s. Paulus & Antonius. Secūdò notandum est, quòd (vt ait Abbas Ioannes, vbi suprà) finis siue perfectio Eremitæ est, exutā mentem à cunctis habere terrenis, eamque (quantùm humana imbecillitas sinit) vnire cum Christo. Quem virū describens Hieremias Thren. 3. Beatus, inquit, vir qui tulit iugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius, Glo. cum Deo, non immixtus negociorum vel desideriorum turbis. & tacebit, Glo. ab omni strepitu mundi, quia leuauit se supra se, contemnendo terrena, & ad cęlestia adspirando. Desiderio enim bono louamur ad Deum, dicit August. Sequitur: *Horum qui non conuersionis feruore nouitio, sed monasterij probatione diuturna, didicerunt contra diabolū, multorum solatio iam docti, pugnare: & benè instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi, securi iam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante pugnare sufficiunt.* Hic ostendit sanctus pater, qui dicendi sint veri eremitæ, qualesq; esse oporteat huius secūdi generis monachos, videlicet, *qui non conuersionis feruore nouitio*, id est, nouello siue tenero, qui nōdùm firmus est, *sed monasterij longa experientia didicerunt aduersus* fortissimum & acutissimū bellatorem *diabolum, multorum solatio*, id est, adiutorio aliorum, putà doctrina, exēplo, oratione confratrum suorum, *iam docti pugnare: & benè instructi fraterna ex acie*, id est, exemplo congressuum bellorum ac victoriarū congregationis commilitantium fratrum suorum, *ad singularem pugnam eremi, securi iam sine consolatione*, id est, adiutorio alterius, *sola manu vel brachio*; i. sola fortitudine propria, *Deo auxiliante*, contra carnis, mundi & diaboli tentamenta *pugnare sufficiunt*. Ad sciendū autē, quibus cōueniat vita solitaria, & quàm periculosum sit, indoctos ac inexpertos, & nondùm bellis spiritualibus exercitatos, vitam aggredi solitariam: considerandum est, prout docet sanctus Thomas in secūda secundæ, q. clxxxviij. quòd id, quod est solitarium, oportet esse sibi per se sufficiens: hoc autem est, cui nihil deest, quod pertinet ad rationem perfecti. Et ideò solitudo competit contemplanti, qui iam ad perfectum peruēnit: quod quidē contingit dupliciter. Vno modo, ex solo diuino munere, sicut patet de Ioanne Baptista, qui fuit repletus spiritu sancto adhuc ex vtero matris suæ. Vndè & cùm adhuc puer esset, erat in desertis, vt dicitur Lu. 1. Alio modo, per exercitiū virtuosi act9, secūdū illud Heb. 5.

Monasticæ finis in tribus.

Cœnobialis vitæ fructus.

Cœnobita dicitur filius Iacob, & quarè.

Monasterium & cœnobium differunt.

Anachoretæ q sint.

Anachoretarum exordium.

Collat. 18. cap. 6.

Anachoreticæ vitæ fundatores precipui.

Finis Anachoretæ.

In princip. Enarrat. Psal. 132.

Veri eremitæ q sint.

Solitaria vita quibus conueniat.

Peruenire ad perfectionē, contingit dupliciter.

Perso-

Perfectorum est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali. Ad exercitium autem huiusmodi, iuuatur homo ex aliorum societate dupliciter. Vno modò, quantùm ad intellectum, vt instruatur in his, quæ sunt contemplanda. Vndè Hiero. dicit ad Rusticum monachũ: Mihi placet, vt habeas sacrum contuberniũ, nec ipse te doceas. Secundò, quantùm ad affectum, vt scilicet noxiæ affectiões hominis, reprimantur exemplo & correctione aliorum: quia vt Gregorius dicit trigesimo Moralium, super illud: Cui dedi in solitudine domum: Quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis? Et ideò vita socialis, necessaria est ad exercitium perfectionis. Solitudo autem iam competit perfectis. Vndè Hieronymus dicit ad Rusticũ monachum: Solitariam vitam repræhendimus minimè, quã sæpè laudauimus. sed de ludo monasteriorum huiusmodi volumus milites egredi, quos eremi dura rudimenta non terreant, qui specimen conuersationis suæ multo tẽpore didicerũt. sicut ergò id quod iam perfectum est, præeminet ei quod ad perfectionem exercetur: ità vita solitariorum, si dẹbitè assumatur, præeminet vitæ sociali. Si autem absq; præcedenti exercitio talis vita assumatur, est periculosissima, nisi per diuinam gratiam suppleatur, quod in alijs per exercitiũ acquiritur, sicut patet de beatis Antonio & Benedicto. Ex quibus patet, quàm maximè repræhendendi veniunt, qui nondùm in cœnobiticæ vitæ institutis probati, neq; vitijs prioribus excoctis, ad solitariam vitam immaturè se transferunt. Tales quippe cùm in vtraque parte imperfecti sint ac fragiles, quocunquè aura commotionis impulerit, inclinantur. Vbi optimè venit commemorandum, quod Aristoteles ait primo Politicæ, quòd qui alijs nõ communicat, bestia est, aut Deus, id est, diuinus vir. Sequitur: *Tertium verò genus monachorum teterrimũ*, id est, obscurum & horrendum, *est Sarabaitarũ, qui nulla regula approbati experientia magistri, sicut aurum fornacis: sed in plumbi natura molliti, adhuc operibus seruantes seculo fidem, mentiri Deo per tonsurã noscuntur*. Sensus est: Tertium genus monachorum, qui Sarabaitæ, id est, renuentes militare sub pastore, aut Regula certa Patrum, dicuntur, qui nullam Regulam Patrum legitima eruditione suscipiunt, qui nulla laudabili exercitatione disciplinæ religionis, aut experientia sanctorum operum sunt approbati, & per cõsequens non sunt sicut aurum fornacis, quod per ignem purificatum, probatumque est. Et ità non sunt de iustorum numero, de quibus Scriptura sancta commemorat Sapien. tertio:

Iuuatur homo ex societate.

Iob 39.

Epist. 4.

Quàm periculosum sit, vitã solitariam aggredi.

Sarabaitæ qui sint.

Tanquàm aurum in fornace, scilicet tribulationis præsentis seculi, probauit illos Dominus, & quasi holocausti hostiam accepit illos. In quo loco sanctus pater Benedictus innuit, disciplinam religionis, fornacem quandam esse: in qua monachus varijs virtutum exercitijs, pœnitentiæ laboribus, præsentisque vitæ angustijs probandus immittitur, vt tanquàm aurum tandèm rutilet & splendeat, & incorruptibilitatis virtute firmetur. Sed isti Sarabaitæ instàr naturæ plumbi molles, paruo pœnitentiæ pondere ilicò dissoluuntur: qui licèt habitu & nomine monachi censeantur, actionibus tamen seculares existunt. propterea ergò sanctus pater ait: *Adhuc operibus seruantes seculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur*. Tonsura enim, cùm sit quædam rasura capitis, iuxta sententiam beati Dionysij in Ecclesiastica hierarchia, & beati Hieronymi ad quendam suum Leuitam, vt in cap. duo sunt genera. 12. q. 1. significat omnium temporalium rerum depositionem & abrenunciationem. Dicuntur ergò tales mentiri per tonsuram, & etiã habitu: quia aliud operantur, quàm habitu & tonsura prætendant. Habitu enim & tonsura prætendunt, seculo abrenunciâsse: ipsi verò operibus seculo seruãt fidem. Sequitur: *Qui bini, vel terni, aut certè singuli sine pastore, non Dominicis, sed suis inclusi ouilibus, pro lege est eis desideriorum voluptas, cùm quicquid putauerint vel elegerint, hoc dicunt sanctum: & quod noluerint, hoc putant non licere*. Explicando sanctus pater ampliùs conditionem Sarabaitarum, subdit sententialiter, quòd etsi Sarabaitæ, fingentes se cœnobitarum vitam & disciplinã ducere, bini aut terni quãdoquè conueniant, & eremitas se fingentes, quãdoquè singuli, id est, solitarij, habitãt: operibus tamen & vita nec cœnobitæ, nec eremitæ dicendi sunt. Et rationem videtur assignare, quia scilicet sine pastore, sine Regula viuunt. Pastoris enim non contenti imperio gubernari, hoc præcipuè procurant, vt absoluti à seniorum iugo, exercendi voluptates suas, ac procedendi, vel quò placuerit euagandi, agendi ve quod libitum fuerit, habeant libertatem. Ouilia Dominica, vocat monasteria, in quibus religiosi in vnum sanctum propositum conuenientes, firma stabilitate sub vna sanctæ obedientiæ disciplina vnanimiter viuunt, de quo in Psalmo 65. dicitur: Qui inhabitare facit vnanimes in domo. Glo. id est, vnum sentientes colligit. Ouilia propria, dicit habitacula, in quibus nõ sub sanctorum Regula, aut religionis approbatæ disciplina, sed suis proprijs volũtatibus vniuntur. Ista sunt illa carnaliũ hominũ conuenticula, de quibus Propheta in Psalm. 15.

Con-

Religio est quasi fornax quædã.

Tonsura quid significet.

Cap. 6.

Ouilia Dominica quæ sit.

Ouilia propria quæ dicantur.

Sermo.77. Periculosum est, sine magistro viuere.

Côuenticula eorum de sanguinibus. Porrò quàm periculosum sit, sine magistro, sine præceptore viuere, pulchrè docet in sermone quodam Bernardus super Cantica, ità dicens: Audiant, qui sine duce & præceptore vias vitæ ingredi non formidât: ipsi sibi in arte spirituali existentes & discipuli pariter & magistri. Non sufficit hoc: etiam coaceruant sibi discipulos: cæci duces cæcorum: quàm multi ex hoc tramite periculosè aberrâsse cômperti sunt, nimirùm ignorantes astutias satanæ & cogitationes ipsius: factum est vt qui spiritu cœperant, carne consummarentur: abducti turpiter, lapsi damnabiliter. Videant proindè, qui huiusmodi sunt, quomodò cautè ambulent. seductori dat manum, qui dare dissimulat præceptori. Et qui dimittit oues in pascua absque custode, pastor est non ouium, sed luporum. *Quartum verò genus, est monachorum, quod nominatur Gyrouagum: qui tota vita sua per diuersas prouincias ternis aut quaternis diebus per diuersas cellas hospitantur: semper vagi & nunquàm stabiles: & proprijs voluptatibus & gulæ illecebris seruientes: & per omnia deteriores Sarabaitis. De quorum omnium miserrima côuersatione melius est silere, quàm loqui.* Hic describit sanctus pater quartum genus monachorum, quod nominatur Gyrouagû: quasi vagando gyrans prouincias & regiones varias, quod ternis aut quaternis diebus per diuersas cellas hospitari ea astutia carnali quærebant: quia mos est apud regularia monasteria, tribus aut quatuor diebus omnem humanitatem hospitibus exhibere: pòst verò, si illos stare plùs in monasterio contingeret, tanquàm domesticos communiter cum cęteris pertractare. & ob hoc tales gyrouagi voluptatibus proprijs & gulæ illecebris seruientes, tam diù morantur per diuersorû cellas, quâdiù humanitas hospitalitatis perdurat. Dicuntur autem isti peiores Sarabaitis, quia licèt illi sint mali, isti tamen peiores sunt: Tum primò, quia illi cellas ędificant, & manent firmiter in eis. Gyrouagi verò non sic, sed tanquàm hospites, diuersas prouincias percurrunt. Secundò, quia licèt Sarabaitę sint mali, nihilominùs de labore proprio viuunt: gyrouagi de laboribus alienis: immò quod multo tépore & labore quæsitum aut congregatum est, breui hora isti côsumunt. Tertiò, quia isti per diuersa loca percurrentes, plurimos malæ eorum vitę exemplo perdunt ac corrumpunt. Sequitur: *His ergò omissis, ad cœnobitarum fortissimum genus disponêdum, adiuuante Domino, veniamus.* Descripto quadruplici genere monachorum, explicat sanctus pater, de quo intendit loqui, sine cui generi monachorum disponit dare regulã ac viuendi præcepta. Hoc autem dicit esse cœnobitarum genus, quod fortissimû meritò vocat: quia vita cœnobitica habet plurimum fortitudinis, securitatis & côsolationis, vt infrà patebit. Ait enim Dominus Matt. 18. Vbi fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi sum ego in medio eorum, tanquàm scilicet turris fortitudinis à facie inimici.

Gyrouagi qui sint.

Monasteriorum mos.

Gyrouagorum malitiam describit.

Cœnobitarum genus fortissimum.

Psal. 60.

IN CAPVT II.

TRACTATVS X.

EXposito quadruplici genere monachorum, & exposita mente sua, quòd prætermissis tribus vltimis generibus, ad compositionem & dispositionem primi generis, scilicet cœnobitarum, suæ considerationis oculos conuerteret: præmittit, qualis debeat esse abbas, qui caput est monasterij: egregium profectò ordinê, vt priùs describatur forma eius, qui forma & speculum debet esse cæterorum. In hoc ergò capitulo sanctus pater Benedictus describens, qualis debeat esse abbas in generali, quia in speciali infrà eû describit in capitulo 64. sex ponit doctrinales considerationes, facientes ad bonam qualitatem abbatis.

No. egregiû ordinem.

Sex conditiones boni prælati.

nam qualitatem abbatis. Prima est, vt abbas 1.
nomen & dignitatê suam factis adimple-
at. Secunda est, quòd doctrina sana & vir- 2.
tutum exemplo præsit discipulis. Tertia, 3.
quòd non sit acceptor personarum. Quar- 4.
ta, quòd sit diseretus in corrigendo. Quin- 5.
ta, quòd principalis cura sit ei de anima-
bus, quas regendas suscepit, quàm de rebus
transitorijs & caducis. Sexta, quòd non sit 6.
negligês, sed solicitus de ouibus sibi com-
missis, vtputà qui redditurus est rationem de eis in finali iudicio. Circa primam dicit sic: *Abbas, qui præesse dignus est monasterio, semper meminisse debet quod dicitur: & nomen maioris, factis implere.* Sêsus est: Qui pręesse vult dignè & meritoriè monasterio, debet animo semper retinere, quod dicitur, id est, quòd est & nominatur Pater, Prior, siue Prælatus monasterij, & nomê maioris siue superioris, factis adimplere: vt, sicut dicit Ambrosius in Pastorali, Actio congruat nomini, & nomen actioni: nè sit nomen inane, & crimen immane: honor sublimis, & vita decliuis. Debet ergò, qui præest, meminisse quod dicitur, vt, sicut maior & prior cæteris est dignitate, authoritate & honore: ità sublimior atque excellentior, perfectione virtutum & obseruantia religionis. Sequitur: *Christi enim agere vices in monasterio creditur, quandò ipsius vocatur pronomine*, id est, nomine importâte dignitatem & superioritatem, quod est nomen abbatis, *dicente Apostolo*: scilicet ad Rom. 8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, abba pater.* Sensus est: Abbas meritò meminisse debet, quod dicitur: & nomen maioris, factis implere, quia Christi vices gerit in monasterio, eodem

Pulchra S. Ambrosij verba.

Prælatus, Christi vices gerit.

cum eo dignitatis nomine honoratus. 2. Corinth. 5. Beatus Paulus in persona omnium prælatorum inquit: Pro Christo legatione fungimur, tãquàm Deo exhortante per nos. Est autem absurdum, vt quis vices Christi gerat, & ministerium suum vitæ sanctitate non impleat, cùm dicatur 2. ad Corinth. 6. In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros Sequitur: *Ideoq́; abbas nihil extra præceptum Domini (quod absit) debet aut docere, aut constituere, vel iubere: sed iussio eius vel doctrina, fermentum diuinæ iustitiæ in discipulorum mentibus conspergatur.* Hic ponitur secunda consideratio circa qualitatem abbatis, quæ est, vt sana doctrina & virtutum exemplis præsideat discipulis. Sensus ergò est: Ex quo abbas Christi vices gerit in monasterio, & est quasi organum Christi loquentis: *nihil extra*, id est, contra *præceptum Domini debet docere*. Omnis enim doctrina, præceptis diuinis aduersa, iniqua est & falsa. Psalm. 118. Omnia mandata tua, veritas, inquit propheta. Iniqui persecuti sunt me. Vbi Glo. inquit, quòd errabunda loquacitas hæreticorum persequitur veritatem. *Aut constituere*, per modum statuti: quia omnis lex quæ legi Christi non est conformis, deuia est & iniqua. Isa. 10. Væ qui condunt leges iniquas. *Vel iubere* siue precipere. Talia enim imperia, praua & temeraria sunt, quæ diuinis depræhenduntur cótradicere pceptis. Obedire enim magis Deo oportet, quàm hominibus. Act. 4.

Quæ sit iniqua doctrina.

In quibus sit omnis bona prælati códitio

Benè autem ista tria posita sunt, scilicet docere, constituere, & iubere: quoniam in istis tribus tota pendére videtur potestas abbatis, videlicet, vt sana doceat, constituat iusta, licita iubeat & honesta. Debet ergò abbatis doctrina sana esse, & plena veritate, iustitia, & honestate, quę tanquàm *fermentum*, id est, condimentum quoddam siue sapor *diuinæ iustitiæ in discipulorum mentibus diffundatur*. Porrò quia plurimùm mouere debet prælatos ad curam habendam gregis sibi commissi, quòd in tremendo Dei iudicio doctrinæ & regiminis sui discussio fienda est, sibique culpabiliter asscribendum, quicquid ex eius negligentia in grege suo detrimenti aut minus vtilitatis pastor pastorum Christus reperit, ideò sanctus pater subdit: *Memor sit semper abbas, quia doctrinæ suæ vel discipulorum obedientiæ vtrarumq; rerum in tremendo iudicio Dei fienda erit discußio. Sciatq́; abbas culpæ pastoris incumbere, quicquid in ouibus paterfamiliâs vtilitatis minùs potuerit inuenire. Tantùm iterùm liber erit, vt si inquietę vel inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus vniuersa fuerit cura exhibita: pastor earum in iudicio Domini absolutus*, id est, liber à vinculo in præsenti, & reatu damnationis in futuro, *dicat*, id est, dicet, *cum propheta Domino: Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam & salutare tuum dixi*. quod sumptum est de Psalmo 39. Sensus est: *Non abscondi in corde meo* sed publicè eis prædicaui *iustitiam tuam*, id est, quòd declinarent à malo, & facerent bonum. In his enim duobus, vt dicit Augustinus libro de natura & gratia, stat perfectio iustitię. Vel, *Nõ abscondi iustitiam tuam*, id est, comminationes pœnarum, quas iustissimè executurus es in malos. *veritatem tuam*, id est, promissionem cælestium gaudiorum, quę præparâsti diligentibus te, *dixi*, id est, notam feci eis: *& salutare tuum*, id est, vias pręceptorum tuorum, & semitas consiliorum, quibus salutem promererentur ęternam. *Ipsi autem contemnentes spreuerunt me*, id est, doctrinam meam & sermones meos. *Et tunc demùm inobedientibus curæ suæ ouibus pœna sit, eis præualens ipsa mors.* Sensus est: Postquam abbas fecerit quod debet, tunc pœna non illi, sed ouibus curæ suæ inobedientibus inferetur, quę pœna erit ipsa mors, scilicet gehennæ: quæ præualens dicitur, id est, valdè crudelis & seuera. Sequitur: *Cùm ergò aliquis suscipit nomen abbatis, duplici debet doctrina suis præesse discipulis, id est, omnia bona & sancta factis ampliùs quàm verbis ostendere: vt capacibus discipulis, mandata Domini verbis proponat: duris verò corde & simplicioribus, factis suis diuina præcepta demonstret. Omnia verò quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda.*

Timor iudicij debet prælatũ solicitũ reddere.

Cap. 16. In duobus perfectio iustitiæ stat.

Concludit ex dictis sanctus pater, quòd qui suscipit nomen abbatis, id est, qui alijs præficitur abbas & pastor, debet duplici doctrina suis præesse discipulis: videlicet doctrina verbi, & doctrina exempli. Doctrina verbi, vt iuxta capacitatem vniuscuiusque, mandata proponat salutis. Doctrina verò exempli, vt quæ verbo doctrinæ fienda docuerit, factis & exemplis facienda vel fugiẽda demonstret. Vtrunq; enim Dei seruis necessarium est, dicit Hierony. vt & opus sermone, & sermo operibus comprobetur. De Saluatore nostro, patre & magistro totius Christianæ disciplinæ, dicitur Actorum 1. Cœpit IESVS facere & docere. Priùs dicitur fecisse, quàm docuisse: vt ostẽdat, quòd prælatus, qui vices eius in congregatione gerit, ampliùs factis quàm dictis, quæ agẽda vel fugienda sunt, debet ostendere. Vbi notandum est, quòd quatuor sunt, quæ nobis ostendunt, quòd prælatus debeat sanctæ conuersationis exemplo præsidere discipulorum suorum cõgregationi. Primum est, quia hoc plurimùm decet ipsum, qui congregationi præest. Secũdum, quia hoc ipsum est multùm vtile ipsi congregationi. Tertium, quia contrarium est multùm nociuum ipsi communitati. Quartũ, quia valdè verecundũ est & confusibile prælato, si malũ vitæ exemplũ subditis tribuat.

Duplici doctrina debet præesse discipulis.

In cap. 7. Matth.

Prælatum debere exẽplo præsidere, ex 4. ostenditur.

Primum

Primum quidem, quòd deceat abbatem & omnem alium, qui cógregationi præsidet, sanctæ cóuersationis exemplo discipulos præcedere, superiùs in principio huius capituli beatus Benedictus manifestè ostendit, dicens: *Abbas meminisse debet quod dicitur: & nomen maioris, factu implere.*

Nomē maioris implere.

Nomē autem maioris tunc abbas factis adimplet, quandò maioritatem dignitatis, exemplis præcipuę sanctitatis adornat.

Parte 2. Curæ past. cap. 3.

Beatus Gregorius: Sit rector operatione præcipuus, vt vitæ viā subditis benè viuendo denunciet. Et 1. ad Tim. 4. inquit Paulus: In omnibus exemplum teipsum præbe bonorū operū. Prælati enim est, dicere subditis, quod dicit Gedeon Iudicū 7. Quod me facere videritis, hoc facite. Matth. 3. inquit summus abbas Christus pręcursori suo. Sic decet nos implere omnē iustitiam.

Prælati debent omnē iustitiam implere.

Superiores omnē iustitiam debēt implere, qui necesse habēt oēm iustitiā docere. Gregori⁹ in pastorali:

Ibidém.

Qui enim loci sui necessitate cogitur summa docere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare. Vnde ei per prophetam dicitur: Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion. Isai. 40.

Lib. 2. ca. 7.

Bernardus libro de consideratione: Monstruosa res est, gradus summus, & animus infimus: sedes prima, & vita ima: lingua magniloqua, & manus ociosa: sermo multus, & fructus nullus. Ex ipsa ergò superioritate aptissime cognoscitur, quòd qui alios honore superat, exemplo bonæ vitæ ipsos debeat præcedere.

Lib. 24. Moral. cap. 30.

Quarè dicit beatus Gregorius: Nō debet hominum ducatum suscipere, qui nescit homines benè viuēdo præire.

De exemplī efficacia.

Secundò, hoc est multū vtile congregationi: tū primò, quia doctrina prælati, adiuncto exemplo bonę vitę, efficitur maioris virtutis, & maioris efficaciæ, ad mouendum animos discipulorum ad benè agend[um].

Hom. 38. in Euang.

Grego. Plùs mouent exempla, quàm verba. E[t] secundùm verbum sapientis: Longum iter per præcepta, breue & efficax est per exempla. Et ideò qui docet, debet doctrinæ suæ exempla addere, vt vox sua, vox sit virtutis. Bernardus: Exemplū

Ser. 59. in Cant.

sanè, maximè in hoc negocio, verbo efficacius est. dabis voci tuæ vocem virtutis, si quod suades, priùs tibi illud cognósceris persuasisse. validior operis, quàm oris, vox est. Idem: Sermo viuus & efficax, exēplum est operis, facilè persuadēs quod intendimus, dum factibile probat esse quod dicimus.

In ser. de S. Benedict. & ser. 2. de Resurre.

Secundò, quia doctrina prælati, adiuncto exemplo bonæ vitæ, est præstantioris authoritatis.

Lib. 19. Mora. ca. 6.

Gregorius: Authoritas loquendi perditur, cùm vox opere non iuuatur.

Lib. 4 de doct. Chri. cap. 27.

Augustin. Obedienter non auditur, qui seipsum non audit. Opus enim verbum debet confirmare, non confundere. Eccles. 29. Confirma verbum, scilicet per opus. Hieronymus: Non confundant opera tua sermonem tuum.

In cap. 5. Sopho.

Tertiò, quia exemplum boni prælati operatur ad magnam consolationem subditorum, efficitque illos fortiores ad supportādum iugum religionis.

Magna subditorū consolatio.

Sanè multùm confortat monachos bonum exemplum abbatis. Augustin. Magna consolatio membris ex capite. Si viderint monachi abbatem asperitatem corporis cum ipsis viriliter sustinētem, multùm ex hoc animantur. Si autem viderint eum, quæ aspera sunt, fugientem, multùm exterrentur. Strenuitas ducis, milites non modicùm cósolatur. Ipso verò fugiente, in fugam omnes cóuertuntur. Prætereà cùm prælatus ordinis asperitates cum alijs sustinet, ipse intelligit, qui sunt proximi, ex seipso: & dum sentit miseriam, addiscit misericordiā: & quæ temperanda sunt, temperat.

Experientiæ bonū.

Vndè de capite ecclesiæ dicitur ad Hebræos 2. Debuit per omnia fratrib⁹ assimilari, vt misericors fieret. Qui per experientiam miseriam non nouit, miseris compati nescit, secundùm illud Amos 6. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, nihil compatiebantur super contritione Ioseph.

Tertiò debet prælatus exemplo bonæ vitæ discipulis suis præesse: quia oppositum, multùm nocet congregationi: quod sic ostenditur. Est enim prælatus sicut exemplar, à quo alij libri conscribūtur, iuxta illud: Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Prælatus est tanquàm exemplar quoddam.

Et ideò sicut omnes libri cóscripti ad exemplar corruptū, sunt corrupti: ità exemplum prælati, nisi sit bonum, est causa corruptionis in omnibus subiectis. Et ideò sicut cura apponenda est circa primum exemplar librorū, quòd sit bonum: ità requiritur, quòd prælatus sit boni exempli & bonæ vitæ. Secundò, prælatus est tanquàm magister in monasterio. Vndè sanctus pater Benedictus ait in exordio regulę: *Ausculta, ô fili, præcepta magistri.*

Ex mala prælati vita quę damna consequantur.

Si prælatus est mali exempli, qui mali sunt in religione, per hoc in sua malitia confirmantur, secundùm illud Ezech. 13. Confortâstis manus impij, vt non reuerteretur à via sua mala, & viueret. Item errare facit simplices in religione. Vndè maledictus est, secundùm illud Deutero. 25. Maledictus, qui errare facit cæcum in itinere suo. Item ipse facit contra illud Leuitici 19. Non pones coram cæco offendiculum.

Prælatus debet esse lux.

Tertiò prælatus debet esse tanquàm lux & sal monasterij, secundùm illud quod Dominus ait Apostolis Matth. 5. Vos estis sal terræ: vos estis lux mundi. Si verò lux ista obtenebretur, & sal infatuetur, tenebræ sunt in monasterio: ità vt, quæ agenda sunt, non videantur: & deficit cōdimentum, vt ea non sapiant quæ agantur. Quartò prælatus est tan-

Pastor est. tanquàm pastor & ductor gregis, secundùm illud Psalm. 76. Deduxisti sicut oues populum tuum in manu Moysi & Aaron. Et ideò officium eius est, dirigere & gregem suum præcedere, secundùm illud Ioan. 10. Cùm emiserit oues suas, ante eas vadit, & oues eum sequuntur. Cùm verò pastor per abrupta graditur, dicit Gregorius, necesse est vt in præcipitiũ grex sequatur. (Lib. 24. mo ral. cap. 30.) Vbi plurimùm venit memorandum illud Gregorij: Scire debent prælati, quòd tot mortibus digni sunt, quot exẽpla perditionis ad subditos transmittunt: quia nimirùm per illa exempla praua, omnes ad mortem ducunt. (Par. 3. Curæ pastor. ad. mo. 5.) Quintò, prælatus debet sana doctrina & exemplo bonę vitę discipulis præesse: quia aliàs bona docere, & mala facere, verecundum & turpe est prælato. (Nota cõtra malos prælatos.) Qui enim benè docet, & male agit, quasi lucernam ante se defert, qua immunditiam suã alijs ostendit. Prouerb. 6. Mandatum lucerna est, & lex lux. Item vulnus portàs in facie, alijs mederi præsumit. Gregorius in Pastoralibus: Qua præsumptione alijs mederi properat, qui in facie vulnus portat? (Inconueni entia mali prælati.) Ipse de bello fugiens, alios ad strenue pugnandum inuitat? Ipse literas propriæ damnationis publicat, secundùm illud Roman. 2. In quo alium iudicas, teipsum condemnas. Et hanc rationem tangit sanctus pater in litera, cùm dicit: *Omnia verò quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda: nè alijs prædicans, ipse reprobus inueniatur*. quod sumptum est ex Apostolo 1. Corinth. 9. Item, *Nè quandò dicat illi Deus peccãti*, quod scilicet scribitur Psal. 49. *Quarè tu enarras iustitias meas*, Glo. id est, cùm tu opere non impleas, quarè cõmuni sermone ad populum infers aliquid de mea maiestate, *& assumis*, scilicet præsumptuosè & propria temeritate, *testamentum meum*, scilicet scripturam noui & veteris Testamenti, *per os tuum*, pollutum & indignum ad prædicandum alijs, cùm tamẽ non sit speciosa laus in ore peccatorum, Ecclesi. 15. *Tu verò odisti disciplinam*. Glo. Ore dicis, sed factis negas. odisti disciplinam, non quidem dare alijs, sed recipere ab alio. quod est signum superbiæ. Qua ergò fronte vis esse magister aliorum? *Proiecisti sermones meos retrorsum*. id est, quæ dicis & doces, post te ponis, nè videas. Sequitur: *Et qui in fratris tui oculo festucam*, id est, leuem culpa, *videbas: in tuo trabem*, id est, graue peccatum, *non vidisti*. quod sumptum est de Euangelio Matt. 7. Sensus est: Abbas debet factis ostendere discipulis suis, quæ agenda sunt aut fugienda, nè dicatur illi hoc quod dictum est: & id quod sequitur in Euangel. Hypocrita, eijce primo trabẽ de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui. Et ideò optimè consulit beatus Bernardus, dicens: Fac vt loqueris, & non solùm me faciliùs emendas, sed te quoquè graui liberas probro. (Ser. 59. in Cant.) Nec tunc pertinebit ad te, si quis dicat: Tu qui alios doces, teipsum non doces? (Duo facit doctor si benè viuat. Rom. 2.)

TRACTATVS XI.

De tertia qualitate abbatis, & personarum acceptione.

CAeterùm beatus Benedictus ad bonitatem abbatis dicit tertiò pertinere, quòd non sit acceptor personarum, cùm ait: *Non ab eo persona in monasterio discernatur. Non vnus plus ametur, quàm alius: nisi quem in bonis actibus aut obedientia inuenerit meliorem*. Sensus est: Abbas non discernat personam, siue in distributione bonorum, siue in executione iustitiæ. Omnes æquali amore prosequatur, nisi quem præstantia virtutum & sanctæ obedientiæ obseruantia in monasterio inuenerit meliorem: & per cõsequens dignum amore cæteris præponendum. Sequitur: *Non præponatur ingenuus ex seruitio conuertenti, nisi aliqua rationabilis causa existat*. Sensus est: Si seruus de vili conditione natus, venerit primò ad monasterium: ingenuus vel liber posterior aduenìens, non præponatur illi. quod etiam de alijs conditionibus personarum accipiendum est, nisi rationabilis causa existat. Vbi considerandum, quòd ex diuersis causis potest contingere, quòd vnus cõuersione posterior, præponatur in aliquo alicui priori. (Præponitur inferior superiori in monasterio diuersis de causis.) Primò, si vnus meliùs sciret cantare vel legere, quàm alius: decens est, vt in loco vbi necessitas cogit lectionis, aut cantûs, aut alicuius similis actûs: qui scit meliùs illum actum facere, præponatur, etiam si posterior sit conuersione. Secundò, si hospites venirent de prouincia alterius idiomatis, putà Græci aut Teutonici, & frater linguam intelligens, esset ordine posterior in monasterio: in hoc casu decens esset, vt talis, interpretationis gratia, præponeretur multis senioribus in loco sessionis, vt hospiti sedenti prope abbatem viciniùs loqueretur. Tertiò, cùm vacat præpositura, aut decanatus, & assumeretur fortè, qui conuersione vltimus esset, vtpote dignior & melior cęteris ad tale officium ęstimatus. Quartò, cùm aliqua venerabilis persona, videlicet qui in seculo pręlatus magnus aut princeps extiterit, religionis habitum assumit: talem aliquibus priùs conuersis in aliquo, putà in loco, pręponere licebit abbati.

Sequi-

Sequitur: *Quòd si ità iustitia dictante abbati visum fuerit: & de cuiuslibet ordine ità faciat*, id est, siue de his qui laici veniunt ad monasterium, siue de sacerdotibus aut clericis, siue monachis peregrinis, eandem regulam obseruabit. *Sin aliàs, propria teneant loca.* Sequitur: *quia siue seruus, siue liber, omnes in Christo vnum sumus.* Hic sanctus pater reddit triplicem causam, quarè abbas non debeat discernere inter personas, nisi sicut dictum est. Prima sumitur ex vnitate corporis CHRISTI, quod est Ecclesia: in quo corpore siue seruus, siue liber, omnes in CHRISTO vnum sumus. 1. Cor. 12. Secunda sumitur ex æqualitate militię Christianæ: quia, vt dicit, *sub vno Domino æqualem seruitutis militiam baiulamus.* Omnes enim fideles sub vno Domino nostro IESV CHRISTO vna militia militamus. De quo ad Romanos decimo: Non est distinctio Iudæi & Græci. nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. Tertia causa redditur ex imitatione CHRISTI, cùm ait: *quia non est apud Deum personarũ acceptio*, quòd sumptum est ab Apostolo ad Ephe. 6. Et Act. 10. inquit Petrus Apostolus: Non est personarum acceptor Deus: tali scilicet acceptione, quòd nobilem præponat seruo, aut diuitem pauperi, aut potentem minùs potenti. *Sed solummodò in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores alijs in bonis operibus, & humiles inueniamur.* Deus enim, etsi omnes bonos diligat, plùs diligit meliores, vtpotè sibi simiIiores. Beatus autem pater benè coniungit humilitatem bonis operibus: quia, vt ait Gregorius, Perijt omne quod agitur, si non solicitè in humilitate custoditur. Sequitur: *Ergò æqualis.* Concluditur ex dictis causis: *Ergò æqualis sit ab eo omnis charitas*, scilicet exhibita, id est, cura charitatis & beneuolentiæ, salutem vniuscuiusque absque discretione personarum, secundùm conditiones carnis aut fortunæ procurando. Sola discretio, sicut dictum est, sit meritorum apud abbatem. ideò subditur, *vna præbeatur omnibus secundùm merita disciplina.* Est autem circa hanc partem notandum, quòd consuetudo, siue (vt prius loquamur) corruptela Abbatum & Prælatorum quorundam, qui nobilitatem generis, nobilitati animi: & carnis propinquitatem, sanctitati vitæ in monasterijs præponunt, ex multis causis venit detestanda. Primò, quia diuina lege prohibita est. Dicitur enim Deuteron. 10. Non accipies personam cuiuscunque. Vbi considerandum ad sciendum quandò est acceptio personarum, & quando non, quòd (vt ait sanctus Thomas in secunda secundæ, quæstio. 63. articul. primo) Acceptio personarum opponitur distributiuæ iustitiæ in hoc, quòd diuersis personis diuersa tribuuntur, secundùm proportiones ad dignitates personarum. Si ergò aliquis consideret dignitatem illam personæ, propter quam id quod ei confertur, est ei debitum: non erit acceptio personæ, sed causæ. vndè Glo. dicit super illud ad Ephesios 6. Non est personarum acceptio apud DEVM, quia iudex iustus causas discernit, non personas. putà, si aliquis promoueat aliquem ad magisterium propter sufficientiam scientiæ: hîc attenditur causa debita, non persona. Si autem aliquis consideret in eo, cui aliquid confert, non id, propter quod id, quod ei datur, esset ei proportionatum, vel debitum: sed solùm hoc, quòd est iste homo, putà Petrus aut Martinus: est acceptio personæ: quia non tribuitur ei propter aliquam causam, quæ faciat eum dignum, sed simpliciter attribuitur personæ. Ad personam autem refertur quęcunque conditio, non faciens ad causam, propter quam sit dignus hoc dono: putà, si aliquis promoueat aliquem ad prælationem vel magisterium, vel quia est diues, vel quia est consanguineus suus, est acceptio personæ: pariter dicendum est in exhibitione honorum. Si enim exhibetur honor maior vni, quàm alteri, solùm intuitu diuitiarum, aut aliarum causarum, quæ non faciunt dignum honore: est acceptio personarum. Vndè Iacobi secundo habetur, quòd quicunque diuitem propter diuitias eligit, & propter paupertatem abijcit pauperes, vtrobique peccat. Et Bernardus libro de consideratione ad Eugenium Papam, dicit ità: Non parui te reum peccati existimes, si facies peccatorum sumis, & non potiùs causas iudicas meritorum. Secundò præfata consuetudo est detestanda: quia peruersa est contra ordinem rationis. Planè aduersùs omnem rationis ordinem est, nobilitatem carnis, nobilitati animi: vanitatem seculi, decori sapientiæ: seruos diaboli, filijs DEI & cohæredibus CHRISTI: vitia, virtutibus anteferri. Ponunt enim tales terram sursùm, cælum deorsùm: quod est magna peruersitas, contra illud Prouerb. 25. Cælum sursùm, & terra deorsùm. Tertiò, præfata consuetudo est detestanda: quia plurimùm est nociua monasterijs. Multi enim probi & virtuosi, videntes quòd honor non detur virtutibus, non sapientiæ, non animi nobilitati: sed aut sanguini, aut carni, aut vanitati huius seculi: retrahuntur non modò à religionis ingressu, sed etiam à deuotione ordinis. Vndè Baruch quarto dicit Hierusalem, quæ est figura religionis: A multis derelicta

Non debet discernere personas, triplici ratione.

Omnes sub vno Domino militamus.

Rom. 2.

In quo à Deo discernamur.

Lib. 19. Moral. cap. 17.

In omni tempore humilitas necessaria.

Corruptela quorũdam prælatorum.

Quandò dicatur personarum acceptio, vel non.

Quæ conditio propriè ad personam referatur.

Lib. 2. cap. 14.

Nota, de his, qui incongruè præponuntur.

sunt propter peccata filiorum meorũ: quia declinauerunt à lege Dei. Lex profectò

Lex Dei quid iubeat.

Dei est, vt virtutes & sapientia præferantur carni, sanguini, & diuitijs huius seculi. Vndè de sapientia dicitur Sapient. 7. Præposui illam regnis & sedibus: & diuitias nihil esse dixi in comparatione illius. Quartò, consuetudinem illam detestandam ostendit prima institutio Christi. Vt enim ait Apostolus 1. Corinth. 1. Deus ignobilia & contemptibilia mundi elegit: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Item Iacob. 2. Audite, fratres mei, Nónne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites autem in fide & hæredes regni, quod repromisit diligentibus se? Non debet ergò prælatus carne nobiles, sapientia & virtutibus vacuos, præferre alijs: & si secundùm carnem minùs sint nobiles, virtutibus tamen & sapientia præstantiores sunt. Absurdum profectò est, vt id quod Deus abominatur, isti diligant, & sanctitati præferant. Luc. 16. Quod altum est apud homines, abominatio est apud Deum. Cùm terrena altitudo Deo sit odibilis: qui in monasterijs altitudiné terrenã virtutibus præferũt, quasi abominationes Aegyptiorum Deo suo immolare contendunt. Quintò præfata consuetudo detestanda ostenditur, quia plurimùm scandalosa est. Multùm planè scandalizãtur homines, videntes prælatos in monasterijs, virtutibus & sapientia præcellentes postponere, & illos præponere, qui generis nobilitatem absq; virtutibus habẽt. Illos inhonorare, qui ex humili genere ad nobilitatem surrexerũt: illis honorem tribuere, qui de nobilitate ad ignobilitatem ceciderunt: honorare de aliena probitate tumentes: illos verò despicere, qui propria virtute in maximũ splendorem surrexerũt. Qnid autem aliud est hoc, quàm scandalizare alios minores? Sed quid de talibus dicit Euangelista Matthęus 18? Qui scãdalizauerit vnũ de pusillis istis, qui in me credũt, expedit ei, vt mola asinaria suspẽdatur in collo eius, & demergatur in profundum maris. Optimè ergò sanctus pater Benedictus præcipit, vt abbas non personam, sed tantùm merita discernat in monasterio. Sequitur: *In doctrina nanque sua abbas apostolicam debet illam semper formam seruare, in qua dicit: Argue,* &c. Sanctus pater Benedictus, quia superiùs locutus fuerat de doctrina, qua abbas debet discipulis præsidere: nunc agit de forma seruanda in doctrina & correctione subditorum. Et est sensus: Abbas in docendo & corrigendo vtatur illa forma beati Pauli, quam ad discipulum suum Timotheum scribit, dicens: Argue, obsecra, increpa &c. 1. Tim. 4. *Argue,* id est, corripe: *obsecra*, id est, roga, hortare, precare: *increpa,* id est, repræhende, obiurga, id est, fortiter culpam ostende. Et exponens, subiungit, *id est, miscens temporibus tempora,* id est, congrua tempora disciplinæ suæ secundùm dispositioné vniuscuiusque obseruans. Non enim indifferenter omni tempore arguendus aut increpandus quisque est. Erit profectò tempus loquendi vni, & tacendi alteri: erit tempus arguendi, & non increpandi: tempus obsecrandi, & non obiurgandi. quæ varietas potest accipi & respectu diuersarum, & respectu earundem personarum. Ecclés 3. Omnia tempus habet, & suis spatijs transeunt vniuersa. Et infrà: Est tempus tacendi, Glo. interli. in disciplina. Et tempus loquendi, Glo. in magisterio. Nam vt beatus Gregorius docet, nec cuncta tempora doctrinæ sunt congrua. Nanq; plerunquè dictorum virtus perditur, si intempestiuè proferantur. Sæpè verò & quod leuiùs dicitur, conuenientia temporis congruentiùs animatur. Ille ergò scit rectè dicere, qui & ordinatè nouit tacere. Quid enim prodest, eo tempore irascentem corripere, qno alienata mente nó solùm aliena verba percipere, sed semetipsum vix valet tolerare? Furentem quippe qui per inuectionem corripit, quasi ei qui non sentiat, plagas ebrio imponit. Doctrina itaq; vt peruenire ad cor audientis valeat, quæ sibi cógrua sint, temporum momenta perpendat. Hæc Gregorius. Sequitur: *Terroribus blandimenta,* scilicet, immisceat. Sésus est: Abbas siue rector ità temperare doctrinam suam debet, vt non terroribus semper aut blanditijs vtatur: sed vtriusque temperamento permixto vtatur sermone: eò quòd si discipulus semper territus fuerit, desperabit: & si semper illum fuerit blanditus, non corrigetur. Miscéda est ergò, iuxta Gregorium, lenitas cum seueritate, faciendo quoddam ex vtroque temperamentum, vt nec multa asperitate exasperentur subditi, nec nimia benignitate soluantur. Et hoc est, quòd B. Benedictus subdit, dicens: *Dirum magistri, pium patris ostendas affectum.* quasi dicat: Aliquandò se debet ostendere seuerum siue dirum magistrum, durè increpando, disciplinas inferendo: Aliquandò, sicut pium patrem, ostendendo amoris affectũ, quem habet ad subditum, dulciter alloquendo, suauiter arguendo, remittendo pœnam, temperando disciplinam, consolando ad patientiam: & ità misericordia & iustitia in prælato non separãtur. Nam vt ait Gregorius in Moralibus, Misericordia & iustitia destruitur, si vna sine altera teneatur. Vndè sanandis vulneribus semiuiui Samaritanus adhibuit vinum & oleum Luc. 10. Id autem quod dixerat exponendo, iuxta diuersitatem personarum, subdit: *id est, indisciplinatos & inquietos debet duriùs arguere.* In

hoc

Doctrina optima.

Scandalosa consuetudo.

Forma seruanda in doctrina.

Lib. 30. Moral. c. 11.

Congruencia temporis, in exhibenda doctrina necessaria est.

Pastor. Curæ part. 2. cap. 6.

Misericordia & iustitia, in prælato nunquàm separandæ.

Lib. 20. c. 6. Et parte 2. Curæ past. cap. 6.

Lib. 1. Epistol. 24.

hoc loco ostenditur clarè, quàm dignè reprehendēdi veniāt, qui putant quòd prælatus nunquàm debet durè loqui subditis, sed semper mansuetè. Profectò, sicut propter duros lapides inuenti sunt mallei duriores: sic quorumdam duritia requirit, vt causa disciplinę duris verbis corrigantur. Vndè Isidorus: Qui blando verbo castigatus, non corrigitur: acriùs, necessè est, vt arguatur. Cùm dolore enim abscindendæ sunt, quæ leniter sanari non possunt. Dicuntur autem *indisciplinati*, qui sine disciplina dissolutè viuunt. *Inquieti* verò, secundùm Glo. scilicet 1. ad Thessalonicen. 5. dicuntur curiosi siue gyrouagi. Et propriè dici possunt, qui curiositate agitati, secum consistere non possunt: sed modò intùs, modò extrà, modò in porta, modò cum extraneis, modò in locutorio cum fratribus, modò in hospitio cum hospitibus, modò in infirmitorio cum infirmis: modò in horto, modò in coquina sunt: & sic de alijs locis. Porrò huiusmodi homines sunt sicut musca animal inquietum, quæ modò super vnum hominem residens, modò super vnum alium, & sic multos molestat: sic & isti discurrendo modò illum scandalizant, modò illum concitant atque commouent, & similia agunt. Contra quos dicitur 1. Thessal. 4. Rogamus vos, fratres, vt detis operam, vt sitis quieti. Isti verò tales sic indisciplinati, vt sanctus pater docet, sunt duriùs arguendi: *obedientes verò, & mites, ac patientes, vt in melius proficiant, obsecrandi*, secundùm illud Psalm. 83. Ibunt de virtute in virtutem, & videbitur Deus deorum in Sion. *Negligentes autem & contemnentes vt increpet*, scilicet verbis duris & asperis, *& corripiat*, scilicet flagellis, *admonemus*.

Prælatus quandoquè duritia vti debet.

Lib. 5. de summo bono, cap. 46.

Indisciplinati & inquieti qui dicantur.

Not. cõtra inquietos.

TRACTATVS XII.

Vbi agitur de malis, quæ proueniunt ex dissimulatione culparum.

SEquitur: *Neque dissimulet peccata delinquentium: sed mox vt cœperint oriri, radicitus ea, vt praualet, amputet: memor periculi Heli sacerdotis de Silo.* Hîc sanctus pater ponit quartam considerationem, facientem ad bonam qualitatem abbatis. Debet autem abbas non negligere culpas delinquentium, sed illas pro sua possibilitate studeat corrigere. Dissimulare autem dicitur prælatus culpas delinquentium: aut cùm illas scire non curat, aut cùm illas apertè cognitas corrigere negligit, parùs faciens offensam Dei & dispendia animarum. Contra quod dicitur in Psalm. Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me. Sicut enim Domini terrarum qui iusti sunt, exercent iustitiam contra delinquentes: ità ad Prælatum iustum pertinet corrigere. Nec hoc est malitia, sed misericordia. Prælati negligentes in correctione culparum, secundùm Isidorum, assimilantur dormienti, de cuius manu cadit baculus pastoralis. Et benè sic assimilantur. Ex dormitione enim negligentiæ, virgam correctionis amittunt: & ideò ad euigilandum eos, dicitur eis in persona summi Prælati: Simon, dormis? Mar. 14. Item sunt sicut potestates, quæ ante se faciunt ferre gladium, & tamen sine causa: quia sunt ità inertes, quòd nunquàm eo vtuntur. Contra quos dicitur Rom. 13. Si malefeceris, time potestatem. Non enim sine causa est quòd portat gladium. Vbi notanda veniūt aliqua. Primò, quòd varijs de causis accidit, quòd ille qui præest, mala subditorum non corrigat. Primò quandoquè hoc accidit ex ipsius pigritia. Aliqui enim cùm vocati sunt à Domino, vt in ipsius vinea laborent: sic se habent, ac si iam dixisset eis spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Prou. 24. Per agrum pigri hominis transiui, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant vrticæ, operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat. Hic est ordo deficiendi in monasterijs. Primò est quasi murus cum cæmento valdè tenaci, cùm scilicet superiores ex charitate vtiliter præcipiunt, & inferiores ex amore humiliter obediunt. Huic muro aliquandò succedit maceria, quæ est murus macilentus, scilicet sine cæmento, quandò superiores cum austeritate & potentia præcipiunt, & inferiores ex timore obediūt, tandèm maceria destruitur, cùm ab eo qui præest, correctio delinquentium negligitur, sicut legitur Eccle. 4. In pigritijs humiliabitur continuatio, id est, terminorum iunctura. Proprium enim est pigritiæ, non statim subuenire periculo: sed expectare donèc totum ædificiū corruat. Somnus pigritiæ, valdè repræhensibilis est in eo qui præest. Ad quod ostendendum specialiter repræhendit Saluator Petrum de dormitione. Marci 14. Simon, dormis? Dormitio ista sibi & alijs est periculosa. Est enim sicut vigil in vrbe obsessa. Cant. 3. Inuenerunt me vigiles qui custodiunt ciuitatem. Cùm enim dormientibus his qui habent vigilare, intrāt hostes: primò desæuiunt in eos, deindè in alios. Ideò benè dicitur Timotheo, qui prælatus erat: Tu verò vigila. 1. Timoth. 4. In Psalm. 120. Non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel. Pigritia prælatorū multùm nocuit monasterijs.

Quādò prælatus dicatur dissimulare peccantiū culpas.

Psal. 140.

Prælati negligentes, dormienti benè assimilantur.

Quarè accidat, quòd prælatus subditos nō corrigat.

Apoc. 14.

Quomodò deficiatur in monasterijs.

Proprium pigritiæ.

Pigritia in prælato repræhensibilis.

Matth.

Matth. 13. Cùm dormirent homines, inimicus superseminauit zizania in medio tritici. Secundò, aliquandò qui pręest, non corrigit: quia ipse reprędhensibiliter viuit. Ber. Nemo fideliter repræhendit, in quo se esse irrepræhensibilem non confidit. Siquidem humanitas est omnium, in quo sibi quisque indulget, alij non vehementer irasci. Tertiò, aliquandò qui præest, non corrigit: quia per indiscretam humilitatem corrigẽdo, authoritatem amisit. Contra quod dicit Augustinus, loquẽs de prælatis: Quandò necessitas disciplinæ in moribus coërcendis dicere vos dura verba cõpellit, si etiam ipsi vos modum excessisse sentitis, non à vobis exigitur, vt à vobis subditis veniam postuletis: nè apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimiùm seruatur humilitas, regendi frangatur authoritas. Tit. 2. Argue cum omni imperio. Quartò, aliquandò etiam nõ corrigit: quia in rebus temporalibus solicitudinem suam & amorem posuit: & de spiritualibus non curans, fratrum culpas nec agnoscit, nec punit. Et quia mala non puniuntur, sine timore perpetrantur. Bernar. Impúnitas est incuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ, transgressionum nutrix. Quintò, aliquandò nõ corrigit timore scandali, vel alicuius temporalis incommodi, non attendens quòd veritas non sit dimittenda propter scandalum, & quòd plùs debeat timere Deũ, quàm proximum. Matth. 15. cùm diceretur Christo, Scis quia Pharisæi, audito hoc verbo, scandalizati sunt? ait, Omnis plantatio quam nõ plantauit pater meus cęlestis, eradicabitur: Sinite eos: cæci sunt, & duces cæcorum. Et de Helia legitur Eccl. 48. quòd non pertimuit principem, nec superauit eum verbum aliquod. Et Gregorius super Ezechielem dicit, quòd vtiliùs permittitur nasci scandalum, quàm veritas relinquatur. Item Sextò, aliquandò non corrigit: quia remissio, quæ falsa benignitas creditur, hoc impedit. Credit enim, quòd subditi magis benignitate, quàm seueritate: magis amore, quàm timore, regendi sunt. Cuiusmodi fuit Heli sacerdos, qui remissè correxit filios suos, 1. Reg. 2. Licèt autem interdùm hoc habeat veritatem, tamen non semper. Vndè Augustinus ad Bonifaciũ: Quidam dicit, Pudore & liberalitate liberos retinere, sanctius esse credo, quàm metu. hoc quidem verum est. Sed sicut meliores sunt, quos amor dirigit, ità plures corrigit timor. Et Isidorus, quod suprà inductum est: Qui blando verbo castigatus, nõ corrigitur: acriùs, necessè est, vt arguatur. Hinc dicit sanctus pater: *Et honestiores quidem*, id est, verecundiores, *ac intelligibiles animos*, id est, dociles & subtiles, considerare scientes, quanta sit vtilitas culpæ, quanta offensæ Dei grauitas, quantáve pœna peccantibus reseruata, *Prima vel secunda admonitione verbis corripiat: improbos autem, & duros corde, ac superbos vel inobedientes, verberum vel corporis castigatione, in ipso initio peccati coerceat: sciens scriptum*, scilicet, *Stultus verbis non corrigitur. Et iterùm: Percute filium tuum virga, & liberabis animam eius à morte*. Prouer. 23. Itẽ, Septimò aliquandò non corrigit: quia malitiã tantùm crescere permisit, quòd iam ei non sufficit præualere. Ideò benè in hoc loco beatus Benedictus dicit, *vt peccata mox, vt oriri coeperint, radicitùs ea, vt praeualet, amputet*. Cognouit sanctus pater, quòd si peccatum processu temporis robur & fortitudinem sumpserit, vix eradicari poterit.

Secunda causa.

Tertia causa.

Epist. 109. Non debet prælatus à subditis veniam petere.

Quartò.

Impúnitas quid pariat.

Lib. 3. de consi. c. 5.

Quintò.

Non est dimittenda veritas propter scandalũ.

Hom. 7.

Sextò.

Epist. 50.

Terent. in Adelph.

Nõ semper benignitate reguntur subditi.

Lib. 1. de summo bono, cap. 46.

Septimò.

Peccatis in ipso initio est obuiandum.

Principijs obsta. Serò medicina paratur,
Cùm mala per lõgas cõualuẽre moras.

Ecclesi. 11. Ab scintilla vna augetur ignis. *Radicitùs* dicit esse amputanda: quia, nisi à radice extirpentur, orta occasione, repullulare timentur. Hieronymus: Lubricus est antiquus serpens: & nisi capite teneatur, totus statim illabitur. Secundò notandum, quòd ex negligentia prælatorũ circa correctionem culparum suorum subditorum, multa mala sequuntur, quorũ quædam redundãt in prælatum, alia in delinquentem, alia in vniuersitatẽ. Sunt autem tria mala, quæ redundãt in prælatum. Primum, est confusio. Sicut enim honor est patri, bonos habere filios: ità cedit in confusionẽ suam, malitia filiorum. Ecclesi. 22. Confusio est patri de filio indisciplinato. Secundum, est culpa. Transeunt enim in prælatum culpæ subditorum, quos non corrigit. Gregorius in Pastorali: Si rector minùs contra culpas accenditur, culparum omnium reus ipse tenetur. Huiusmodi aũt exemplum, manifestũ est in medico. Certum est enim, quòd reus est mortis infirmi, si ex negligentia sua vita deficit. Vndè in Glo. super Numer. 25. dicitur: Pædagogo culpa attribuitur, si puer suæ instructioni commissus, minùs disciplinatus ex sua negligentia inueniatur. Aliud exemplum ponit beatus Benedictus in capitulo secũdo regulæ de pastore, dicens: *Sciat abbas culpa pastoris incumbere, quicquid paterfamiliãs in ouibus minùs vtilitatis poterit inuenire*. Tertium, est pœna etiam temporalis. Puniuntur enim non solùm in futuro, sed etiam in præsenti, prælati negligentes pro culpis subditorum. Hinc est, quòd dicitur Numer. 25. Initiatus est Israel Beelphegor. Et iratus Dominus, dixit ad Moysen: Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis. Hinc est iterùm, quòd 1. Regum 4. dicit Dominus, eò quòd nouerit Heli indignè agere filios suos, & non corripuit eos, idcircò iuraui domui Heli, quòd

In caput 9. Ecclesi.

Nota, ex negligentia prælatorum circa correctionem, quot mala sequantur.

Prælati negligentes, etiã in præsenti puniuntur.

quòd non expietur iniquitas domûs eius victimis & muneribus in æternum. Sunt iterùm alia tria mala, quæ redundât in damnum delinquentis. Primũ, est excæcatio. Credit enim interdùm delinquẽs, cùm nõ corrigitur, illud quod fecit, non esse malũ, vel nõ esse tantum malũ vt est. ideò dicit Gregor. Nonnulla vehementer increpanda sunt, vt, dum culpa ab authore non cognoscitur, quâti ponderis sit, ab increpãtis ore sentiatur. Et ideò benè dicitur Pro. 29. Virga & correctio tribuit sapientiam. Secundum, est delicti multiplicatio. Delictum enim quod non corrigitur, faciliùs multiplicatur. Bernardus: Impunitas est insolentię mater, radix impudicitię, transgressionum nutrix. Et ideò dicitur Ecclesi. 8. Quia citò non fertur contra malos sententia, idcircò absque timore vllo filij hominum perpetrant mala. Tertium, est finalis perditio. Qui enim non corriguntur, & ideò faciliùs delicta continuant: finaliter perduntur, sicut patet de Adonia, dicente: Ego regnabo. quem pater non corripuit aliquandò, & ideò finaliter est interfectus, 3. Reg. 1. Ideò dicitur Eccl. 41. De patre impio conqueruntur filij, quoniam propter ipsum sunt in opprobrium. Dicitur de quodam iuuene, quòd cùm propter delicta sua duceretur ad patibulum, & patre eum sequente peteret osculum, in fine arripiens cum dentibus nasum eius abscidit: & dixit, quòd hoc fecit, quia propter eius culpam, qui nunquàm eũ correxerat, ab infantia venerat ad opprobrium. Sunt & alia tria mala, quæ redundant in damnũ totius vniuersitatis. Primum, est infectio. Sicut enim ouis morbida, nisi sanetur, inficit gregem: ità peccatum vnius incorrectũ, inficit alios. Origenes super illud Numer. 25. Suspẽde principes in patibulis: Pro populo coguntur præpositi reddere rationem, nè fortè non docuerint, nõ monuerint, nec solicitè arguerint eos, qui primũ peccauerint, nè contagium dispergeretur in plures. Secundum, est difficultas corrigendi. Quanto enim in plures transit infectio, tanto difficilius est eã corrigere. Glo. super illo verbo Iob. 4. Squamis sese prementibus: Qui diuisi corrigi potuerunt, in iniquitatum suarũ pertinacia vniti perdurãt. Tertiũ, est rebellio ad omne bonum. Delictum enim incorrectũ, nõ solùm inficit alios, sed ineptos omni bono reddit: ità vt nullum bonum spirituale possit ad eos introduci. Iob 41. Vna vni coniungitur ità, vt ne spiraculum quidem incedat per eas, quod dicitur secundùm Glo. quia nulla exhortatio spiritualis apud tales proficit. propter hæc igitur prædicta, benè dicitur prælato, vt corripiat. Tertiò notandũ, quòd hoc quod dictũ est, abbatẽ siue prælatũ debere corrigere culpas subditorum: intelligendum est, cùm opportunitas adest corrigendi: quia aliquandò sine peccato Rectorum, culpæ delinquentium dissimulandæ veniunt, sicut docet beatus Gregorius in Pastorali, cap. 22. ità dicens: Rector debet aliquandò subditorũ vitia dissimulare: & tamen ea, quæ dissimulat, iudicare. Aliquandò etiã apertè cognita, maturè tolerare exẽplo Domini, qui est iudex iustus, fortis & patiẽs: & quia medici quoq; tẽpora seruãt. Vndè Psalmista dicit: Supra dorsum meũ fabricauerũt peccatores. q.d. Quos corrigere nequeo, quasi dorso impositũ onus porto. Sequitur: *Meminisse debet semper abbas quod dicitur: & scire, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur.* Hic reducit ad memoriam abbati institutionem suam, & commissionem gregis, & arduitatem officij, vt attentũ eum magis reddat & diligentem. Ex commissione aũt sibi facta gregis, meritò debet reddi abbas attentus: cùm ità sit, quòd quanto plus ei à Domino commissum est in præsenti, tãto amplius in futuro iudicio requiretur ab eo. De quo Gregorius in Hom. quadam loquitur: Lectio sancti euangelij solicitè nos considerare admonet, nè nos, qui plus cæteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, ab authore mũdi grauiùs indè iudicemur. Cùm enim augentur dona, rationes etiã crescũt donorum: & secundùm quod accipit, rationem cõpellitur reddere. Item idẽ: Tantum quippe ab vnoquoq; nostrûm venturus iudex exiget, quantũ vnicuiq; suæ pietatis donum distribuit. Sequitur: *Sciátque, quàm difficilem & arduam rem suscepit, regere animas, & multorum seruire moribus: & alium quidem blandimentis, alium verò increpationibus, alium suasionibus: & secundùm vniuscuiusque qualitatem vel intelligentiam, ità se omnibus conformet & aptet: vt non solùm detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verùm etiam in augmentatione boni gregis gaudeat.* Arduitatem & difficultatem pastoralis officij sanctus pater commemorat: vt abbas intelligat, multa cum sapientia, peritia, ac diligentia, quæ in pastore animarum esse debet. Vndè hac difficultate pastoralis regiminis pensata, beatus Gregorius in Pastorali admiratus de quibusdam præsumptuosis ad huiusmodi officia, ait: Nulla ars doceri præsumitur, nisi intenta priùs meditatione discatur. Ab imperitis pastoribus magisterium pastorale qua temeritate suscipitur, quandò ars artiũ est regimen animarum? De hoc autem quod ait: *secundùm vniuscuiusque qualitatem & intelligentiam* incumbat prælato, curã sui regiminis temperare, exemplum ponit notabile Gregorius Nazianzenus, dicens: Si possibile esset, vnum animal fieri ex diuersis animalium & bestiarum generibus, incumberet

Peccatum incorrectum cedit in dãnum delinquentis.

Lib. 3. de consid. c. 5. Impunitas.

Exẽplum.

Peccatum incorrectum vniuersitati nocet.

Delictum incorrectum omni bono ineptos reddit.

Subditorum vitia quandoquè sunt dissimulanda.

Est part. 2. cap. 10.

Psal. 7.

Psal. 118.

Ab eo cui plus datur, plus exigitur.

Hom. 9. in Euang.

Ardua res, regere animas.

Parte 1. cap. 1.

Contra affectantes animarum regimen.

Exẽplum.

In apologet. 1.

ei qui curam haberet illius animalis, tot varia facere, quot varietates ſingulorũ animalium requirerent. Non enim eadem vox apta eſt omnibus, nec eiſdem aguntur, nec idem cibus omnibus competit: nec palpandi, nec fouendi modus idem eſt: immò quibus alia mitigantur, alia excitantur ad furorem. Cùm ergò corpus congregationis, commiſſæ abbati aut alteri prælato, habeat huiuſmodi varietates: neceſsè eſt, curam prælati ſecundùm has diuerſitates, adaptari & conformari illi. Quarè vt beatus Chryſoſtomus optimè dicit: Multo conſilio & prudentia opùs eſt paſtori, & mille (vt dicitur) oculis, ad ſpeculandum vndiquè ad eruditionem earum, quas gubernat, animarum.

Lib. 2. de ſacerd. ante medium.

TRACTATVS XIII.

Quòd abbas non debet paruipendere ſalutem animarum ſibi commiſſarum, ſed maximè debet & ſuper omnia alia gerere curam illarum.

SEquitur: *Ante omnia ſcilicet caueat, nè diſſimulãs, aut paruipendens ſalutem animarum ſibi commiſſarum, non plùs gerat ſolicitudinem de rebus tranſitorijs & caducis atque terrenis*, ſupple, quàm de ſpiritualibus, *ſed ſemper cogitet, quia animas ſuſcepit regendas, de quibus & rationem redditurus eſt*. Iſta eſt quinta conſideratio, faciens ad bonam qualitatem abbatis. Vbi notandum primò, quòd valdè repræhenſibile eſt, quòd abbas aut quicunq; alius prælatus, animas vilipẽdat, qui vices eius gerit, qui animas ſpecialiter amat. Sap. 11. Parcis omnibus, quoniam tua ſunt, Domine, qui amas animas. frequenter eſſent ei appẽdendę animæ ex precio, quod ſaluator eis dedit, nè ſibi vileſcerent: frequenter cogitandum eſſet ei, quòd ſaluator pro eis animã ſuam poſuit, & ſanguine ſuo eas requiſiuit. Negligentia prælati circa ſpiritualia cum diligentia circa temporalia in aliquibus monaſterijs, in quibus omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fieri debent, tantam inordinationẽ inducit, vt in eis terra ſit ſurſùm, & cælum deorsùm. Terrena enim ibi cæleſtibus prę ponuntur. Pedes ſunt ibi ſupra caput. Viri enim ſpirituales, ibi deſpiciuntur: homines verò terrena ſapientes, ad regimen temporale vtiles, in honore habẽtur. Pes eſt ille, quis ſolicitudine & amore & miniſterio terrã tangit: qui frequenter lęditur & maculatur: & licèt videatur eſſe neceſſarius, quia ſuſtinet & portat corpus: tamen ſi ſcandalizat, eſt amputandus, ſecũdùm illud Mar. 9. Si pes tuus ſcandalizat te, amputa illum. Facies

Conſideratio quinta, faciens ad bonã qualitatem abbatis.

Quid cogitare debeãt prælati, nè animas vilipendant.

Quanta emergat inordinatio ex maiori cura temporalium, quàm ſpiritualium.

Qui ſit pes amputandus, & quãdò.

Matth. 5.

eſt retrò, quia in operibus quæ videntur bona, potiùs intenditur vtilitas terrena, quàm merces æterna. Interiora, effuſa ſunt extrà, cùm bona interna ibi negligantur, & exteriora diligantur. Eccleſ. 4. dicitur de auaro, quòd in vita ſua proiecit intima ſua. Deus ibi cõculcatur, & terra deificatur. Deficit enim ibi charitas, & regnat auaritia vel cupiditas, quæ eſt ſimulacrorum ſeruitus, Epheſ. 5. Diabolus ibi honorificè recipitur, & Deus contumelioſè repellitur, vel ignominioſè ſuſcipitur. Raptores enim vel vſurarij, quis ſunt membra diaboli, libenter & cum magno honore ibi ſuſcipiuntur, & cũ magnis expenſis ibi procurantur. Boni verò pauperes, vel repulſam patiũtur, vel malè procurãtur, in quibus Deus recipitur vel repellitur. Matth. 25. Quãdiù feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Et quandiù non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Secũdò notandũ, quòd plura ſunt ſigna, quibus perpẽdi poteſt, quòd Prælatus ſalutem animarum paruipendat, & plùs de rebus tranſitorijs, quàm de animabus, ſolicitudinẽ gerat. Primũ, ſi in propria perſona terrenis negocijs intendit, & in ſpiritualibus vicariũ ponit. Secundum, ſi non timet fratres ſuos periculo exponere, vt temporalia bona ſeruare valeat, vel augere: vt cùm fratres iuuenes & leues ponit in officijs exterioribus. Tertium, ſi cùm magnis expenſis muros erigit, & mores negligit. Quartum, ſi quotidianas expenſas frequenter cõputat: animarum verò detrimenta vel profectus ignorat. Quintum eſt, ſi quandò conueniunt fratres ad capitula, de rerum temporalium conſeruatione vel multiplicatione eſt tractatus primus: de ordinis verò reformatione, vltimus vel nullus. Sextum, ſi ſolicitè prouidẽtur, quæ neceſſaria ſunt corporibus: de his verò non curatur, quæ ſunt neceſſaria animabus. Primum, ſcilicet, quòd prælatus, quantùm ad ſpiritualia, vicarium ponat: & relicto grege, temporalibus intendat, valdè repræhenſibile eſt, & multùm longè à conſilio, quod dedit Iethro Moyſi, Exod. 18. Eſto, inquit, tu populo in his, quæ ad Deũ pertinent. Prælatus ad intendendum temporalibus, alium debet ſubſtituere: ipſe verò orationi & doctrinæ debet intendere. Ipſe debet eſſe quaſi medius inter Deum & populũ. Aliquandò debet loqui Deo, pro ſubditis ipſum orando: Aliquandò ſubditis pro Deo, eos inſtruendo. Quòd autem non ſit tutum, vicariũ ponere, & gregem deſerere, patet ex primo vicario ſynagogę. Moyſes enim aſcenſurus ad Dominum, ad regimen populi meliorem vicarium poſuit, quem inuenit: & tamen populus, quem recedens fidelẽ reliquit, elapſo modico tempore

Quomodò colligitur, prælatum magìs de tranſitorijs quàm de animabus curare.

Prælatus nõ debet ad ſpiritualia vicarium ponere.

Exẽplum. Exod. 32.

pore, ipso redeunte, inuentus est infidelis. Secundum, scilicet pro rebus temporalibus, periculis fratres exponere, personas minus securas in exterioribus officijs ponendo, vel prioratus ad paruos, eos dispergendo, multùm est repræhensibile. Cùm enim boni pastoris sit, animam ponere pro ouibus suis: longe videtur esse à bonitate pastoris, pro temporalibus rebus eos exponere lupis. Lupi infernalis est, oues dispergere, secundùm illud Ioan. 10. Lupus rapit & dispergit oues. Saluatoris verò & boni pastoris est, oues colligere. Vndè Matth. 12. dicit Saluator: Qui non congregat mecum, dispergit. Et Ioan. 10. Alias oues habeo, quæ nõ sunt ex hoc ouili: & illas me oportet adducere, & fiet vnũ ouile & vnus pastor. Ezech. 34. Visitabo oues meas, & liberabo eas ex omnibus locis, in quibus dispersæ fuerint in die nubis & caliginis. Mandato Pharaonis, dispersus est populus Israel per vniuersam terram Aegypti ad colligendas paleas, Exod. 5. Et procuratione Pharaonis infernalis, viri religiosi de monasterijs magis per paruos prioratus videntur fuisse dispersi, vt temporalia bona acquirerent, vel conseruarent. Thren. 4. Dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum. Cùm Saluator dispersos Israel congregare venerit, Esa. 10. valdè indiscretè fecisse videntur, qui vices eius gerebant, quandò congregatos dispersertunt. Item cùm Dauid, qui super senes intellexit, dixerit: Ecce quàm bonum & quàm iocundum, habitare fratres in vnũ: temerariè videntur egisse, qui eos, qui elegerant viuere in congregatione, posuerunt in dispersioné. Thomæ existenti in congregatione, apparuit Dominus: separato verò ab ea, non apparuit, Ioan. 20. Filij Iacob congregati, patris benedictionem receperũt, Gen. 49. Et super discipulos congregatos, spiritus sanctus descendit, Act. 2. In paruis prioratibus religio annihilatur: ibi vitio proprietatis appropinquatur; meritũ obedientiæ minuitur, continentia facilè periclitatur. qui solus est in priotatu, vel cum vno socio, frequenter ferè est proprietarius: quæ habet, pro maiori parte habet sibi: obedientia ipsius minùs meretur, cui nullus aliquid iubet: & ideò facit, quod facere libet. Continẽtia etiã facilè periclitatur: quia opportunitas peccandi habetur. Bernardus cuidam moniali volenti deserere congregationem: Audi me, filia, audi fidele consilium. Noli te separare à groge: nè quandò lupus rapiat, & non sit, qui eripiat. Ezech. 34. Dispersæ sunt oues meæ, eò quòd non esset pastor, & factæ sunt in deuorationẽ omnium bestiarũ agri. Sequitur: *Et nè causetur fortè de minori substantia.* Hîc respondet cuidam tacitæ questioni, quam fortè abbas faceret: quid si monasterium paruas habet prouisiones, minusq; sit prouisum, quàm necessitas exigat monachorum? Respondet: Nullus timeat, nullus conqueratur de insufficienti substãtia in prouisione: quia absq; dubio cõfidendũ est, quòd Deus pro sua bonitate sufficienter prouidebit suis seruitoribus. Et hoc est quod sequitur, *meminerit, s. abbas, scriptum: Primùm quærite regnum Dei, & iustitiã eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Matth. 6. *Iterùm:* s. meminerit, quod etiam Dominus ait per prophetam Psal. 34. *Nihil deest timentibus eum.* Vbi notandum, quòd tria sunt, quæ dare possunt seruitoribus Dei fiduciam, quòd nihil necessariorum defuturum est eis. Primum, est ex parte dantis liberalitas. Si enim nobilis quilibet familiæ suæ prouidet: quanto magis nobilissimus & clementissimus ac magnificentissimus Dominus noster? Lucæ 12. Nolite soliciti esse. Glo. Indecorũ est homini, curare de cibo vel veste, qui militat in regno Dei. Nôrit rex, quemadmodùm familiam suam pascat, alat, & vestiat. Secundum, est ex parte recipiẽtis nobilitas siue dignitas, qua serui Dei cæteris præferuntur. vndè Glo. super Psal. 33. dicit: Pascebat Dominus cõtemnentem se, & deserebat timentem se? quasi dicat, non. Vndè ad Hebr. 13. dicitur ex persona Dei: Nõ te deserã. Glo. quin necessaria donem, nec derelinquam. Glo. derelinqueretur, qui fame periret. Tertiũ, est ex parte dati, siue rei datæ preciositas. Matthæi 6. dicit Dominus: Nónne anima plus est quàm esca, & corpus quàm vestimẽtum? vbi Glo. dicit: Qui maiora dedit, id est, vitam & corpus: dabit minora, id est, victum & vestes. propter hoc meritò dicit cũ omni fiducia propheta: Timete Dominũ omnes sancti eius, quoniam non est inopia, Glo. temporalium, timentibus eum.

Periculosum est personas minùs securas, exterioribus officijs deputare.

Exẽplum.

Nota.

Psal. 146.

Psal. 118.

Psal. 133.

Bona vnitas.

Damnat prioratus vel loca à congregatione separata, quæ membra vocari solent.

Epist. 115.

Vndè debent confidere serui Dei, quòd nihil eis sit defuturum.

Iosu. 1.

Psal. 33.

TRACTATVS XIIII.

Quòd abbas frequenter debet cogitare, quòd rationem redditurus est Deo de animabus, quas regendas suscipit.

INter omnes cogitationes pertinentes ad statum prælati, hęc est de magis necessarijs, vt nõ ad horã, sed semper, cogitet de ratione reddenda Deo de subditis. Ideò B. Benedictus subdit, dicens: *Sciatq; abbas, quia qui suscipit animas regendas, preparet se ad rationem reddendã.* Et hæc est sexta cõsideratio, quam ponit ad bonã qualitatem abbatis, quæ est solicitudo & vigilãtia boni regiminis: quę cõsurgit ex hoc, quòd rationẽ redditurũ se nouit gregis sibi cõmissi. Requiret aũt Deus à pręlatis siue pastoribus rationẽ gregũ sibi cõmissorũ, secundùm illud Ezech. 34. Eccè ego requirã gregem meũ de manu pastorum, & infrà, Ego

Necessaria prælati cogitatio.

ipſe requirã oues meas. Luc. etiã 16. dicitur vnicuiq; taliũ, Redde rationẽ vilicationis tuę. Vbi notandũ, ꝙ circa rationẽ reddẽdã de animabus, Dominus requiret rationẽ de numero ouiũ. Hier. 33. Adhuc tranſibunt greges ad manũ numerãtis. quod expaueſcens B. Auguſt. dicit: Quid faciã, cùm exigetur à me ratio tot animarũ, quæ pẽdent ad collũ meũ? Et B. Benedictus de hoc loquens, ſubdit: *Et quantum ſub cura ſua fratrum ſe habere ſcierit numerum, agnoſcat pro certo, quia in die iudicij ipſarum omnium animarum eſt redditurus Domino rationem, ſine dubio addita* ſ. ratione *& ſua anima.* Debet ergò abbas curã ſolicitã gerere de cuſtodia ouiũ, Saluatoris noſtri exemplo, qui dicit Ioan. 17. Pater, quos dediſti mihi, ego cuſtodiui, & nemo perijt ex eis, niſi filius perditionis. Itẽ requiret ſecũdò rationẽ de fructu ouiũ, de quo B. Benedictus ſuprà dixerat: *Sciatq́, abbas culpæ paſtoris incumbere, quicquid in ouibus paterfamiliâs vtilitatis minus potuerit inuenire.* Quarè neceſsè eſt, abbatem operam dare diligentẽ circa ſubditos, vt debitũ fructum reddant, exemplo illius boni paſtoris, qui dicit Gen. 31. Oues tuæ & capræ tuæ ſteriles non fuerunt. Item tertiò requirit rationẽ Dominus de qualitate ouium, ſ. quales erant, an ſ. pingues, an tenues. Ezech. 34. Eccè ego iudico inter pecus pingue & macilentũ. Et ideò debet pręlatus ſolicitus eſſe de benè paſcẽdo gregem paſcuis optimis, ſ. doctrinis ſanctis, & virtuoſis exẽplis, vt pingues, ſ. deuotione, reddere eas valeat, iuxta illud, quod Dominus ait Petro: Paſce oues meas, Ioan. 21. Secundò, quòd prælatus deficiens in ratione reddenda, non leuiter, ſed grauiſsimè, punietur: reddet quidem animam pro anima, ſecundùm illud 3. Reg. 20. Cuſtodi virum iſtũ, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima illius. Sap. 6. Duriſſimũ iudiciũ fiet his qui præſunt. Glo. magis punięntur, quibus plus cõmittitur. Zach. 10. Super paſtores iratus eſt furor meus. Iſta autem ſanctus pater frequenter cõmemoranda dicit eſſe abbati, vt timore futuræ diſcuſſionis perterritus, circa curam ſubditorum ſuorum vigil ſit & ſolicitus. Vndè ſubdit: *Et dum timens ſemper futuram diſcuſſionem paſtoris de creditis ouibus, cùm de alienis ratiocinijs cauet, redditur de ſuis ſolicitus: & cùm de admonitionibus ſuis emendationem alijs ſubminiſtrat, ipſe efficitur à vitijs emendatus.* Hinc dicit Apoſtolus ad Hebræos 13. Obedite præpoſitis veſtris. & ſubdit: Et ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris. Et ad Romanos 12. Qui præeſt, in ſolicitudine: ſupple, præſit.

Numerus ouium requiretur.

Fructus ouium exigetur.

Qualita ouium.

Bona paſcua.

Graue iudicium Prælati.

IN CAPVT III.

TRACTATVS XV.

Vbi de accipiendo vel dando conſilio.

EXpoſita iam bona qualitate abbatis in ſuperioribus, qui caput & pater eſt cõgregationis, quia maximè ad bonũ regimẽ paſtoris expedit, cuncta agere cũ cõſilio, dicẽte ſapiẽtiſſimo Salomone Prou. 24. Vbi cõſilia multa, ibi ſalus: ſanctus pater Benedictus ſubiũgit capitulũ, de faciendo omnia cũ maturo cõſilio: & ponũtur in hoc capitulo tria principalia documẽta. Primum reſpicit pręlatum cõſulentẽ. Secundũ, ipſos cõſiliarios. Tertiũ eſt cõmune omnibus. Circa primũ dicit ſic: *Quotiès aliqua præcipua agenda ſunt in monaſterio, conuocet abbas omnem congregationem: & dicat ipſe, vndè agitur.* id eſt, quæ neceſſariò agẽda incũbunt vel imminẽt. Totã cõgregationẽ conuocari iubet: tũ quia quod oẽs tangit, meritò ab omnibus debet approbari: tũ quia, vt dicit ſanctus pater, *ſæpè iuniori Deus reuelat quod melius eſt.* Matth. 11. Confiteor tibi, pater, quia abſcõdiſti hęc à ſapientibus & prudẽtibus, & reuelaſti ea paruulis. Notãdũ circa hoc præceptũ ſiue documẽtũ, primò, quòd plurimùm vitãda eſt ſingularitas proprij cõſilij: quoniam, vt ait B. Bernar. In corde duplex lepra eſt: propria volũtas, & propriũ cõſiliũ. Vtraq; lepra nimis peſſima: lepra verò proprij cõſilij, eo pernicioſior eſt, quo magis occulta: & quãto plùs abũdat, tãto quiſq; ſanior eſſe videtur. Hæc illorũ eſt, qui zelũ Dei habẽt, ſed nõ ſecũdùm ſcientiã: ſequẽtes errorem ſuum, & ità obſtinati in eo, vt nullis velint conſilijs acquieſcere. Hi ſunt vnitatis diuiſores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes ſibi, & magni in oculis ſuis, ignorãtes Dei iuſtitiã, & ſuam volẽtes cõſtituere. Et quæ magis ſuperbia, quã vt vnus homo toti cõgregationi iudiciũ ſuũ præferat: tãquàm ipſe ſolus habeat ſpiritũ Dei. Idolatriæ ſcelus eſt, nõ acquieſcere, & quaſi peccatũ ariolãdi. Eant nunc, qui ſe faciũt religioſiores alijs, qui nõ ſunt ſicut cęteri hominũ: eccè arioli & idolatrę facti ſunt. Secũdò notandũ, ꝙ quatuor gradus deſcribit ſanctus pater. Primò enim iubetur abbas, cum cõſilio cõgregationis, diſponere quæ agẽda ſunt. In hoc maximè differt homo à brutis, quia bruta impetu naturæ ſe mouent, homo autem conſilio ſe mouere debet. Eccle. 13. Qui cuncta agunt cum conſilio, reguntur ſapiẽtia. Et infrà: Aſtutus omnia agit cũ conſilio. Qui fatu⁹ eſt, aperiet ſtultitiã. Et Eccleſ. 36. Ante omnia verbũ verax præcedat te, & ante omnẽ actum conſilium ſtabile. Secundo gradu iubetur Abbas omninò vota fratrũ plenè & gratanter audire, vt nullius conſiliũ ſpernat, cõtemnat, aut irrideat. Pro. 22. Qui ſapiens eſt, audit conſiliũ: exẽplo Moyſi, qui audiuit conſilium Iethro, qui erat multùm inferior eo & religione, & authoritate, & ſapientia, Exod. 18. Tertio gradu iu-

Tria documenta.

Vitãda eſt ſingularitas proprij conſilij.

Magna ſuperbia.

Quatuor gradus obſeruandi ab abbate circa conſiliũ.

du iubetur abbas, auditis omniũ fratrum votis, apud se tractare, quid sit vtilius. Vndè dicit: *Et audiens consilium fratrum, tractet apud se, quid sit vtilius aut expedientius* Proprium enim præsidentis est, vt ait Seneca, examinare consilium, & non citò leui credulitate ad falsa prolabi. Bernardus: Noli, inquit, præcipitanter agere. diù considera, diligenter intuere. Quarto gradu iubetur abbas exequi, quod, omnium consilijs benè ponderatis, vtilius esse iudicauerit: ibi, *& quod vtilius iudicauerit, faciat.* Sequitur secundum documentum sancti patris, quod respicit ipsos, qui daturi sunt consilium: *Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subiectione, vt non præsumant procaciter,* id est, superbè, impudenter, immoderatè, *defendere quod eis visum fuerit, sed magis in abbatis pendeat iudicio*: supple, non illius, vel illorum, qui proteruè sua vota defendere præsumpserunt: *vt, quod salubrius esse iudicauerit, ei cuncti obediant.* Sequitur tertium documentũ, quod respicit simul tam abbatem, quàm subditos: *Sed sicut discipulis conuenit obedire magistro, ità & ipsum prouidè & iustè condecet cuncta disponere.* quasi dicat: Ideò admonui abbatem salubriter iudicare, & monachos non superbè defendere: quia sicut illis conuenit obedire, ità & abbatem decet prouidere, & iustè cuncta disponere. Sequitur: *In omnibus igitur omnes,* scilicet tam abbas quàm subditi, *magistram sequantur regulã*: ità vt nulli, siue abbati, siue subdito, liceat aliquid contra regulam diffinire vel ordinare: *nec ab ea temerè,* id est, præsumptuosè, *declinetur à quoquã,* nec scilicet à subdito, nec ab abbate. Nam vt ait Bernardus, Super fratrũ transgressiones, non super patrum traditiones, constituitur, qui abbas eligitur, cultor mandatorum, vltor vitiorum. *Nullus in monasterio proprij sequatur cordis voluntatem, neque præsumat quisquam cum abbate suo proteruè intùs aut foris monasterio contendere. Quod si præsumpserit, regulari disciplinæ subiaceat. Ipse tamen abbas cum timore Dei & obseruatione regulæ omnia faciat, sciens se procul dubiò de omnibus iudicijs suis æquissimo iudici Deo rationem redditurum.* Vbi nota rationabilem ordinem: monachus errans debet subiacere regulari disciplinæ. Abbas verò errans, qui in monasterio superiorem non habet à quo iudicetur, iudicio reseruatur diuino. Sequitur: *Si qua verò minora agenda sunt in monasterij vtilitatibus, seniorum tantùm vtatur consilio.* Minora dicit respectu præcipuorum: cuiusmodi sunt, quæ non totam communitatem concernunt, vel quæ non habent plurimùm difficultatis: sicut est depositio aut mutatio alicuius officialis, vel translatio ab vno officio in aliud, aut correctio alicuius officialis, aut prouisio de necessarijs monasterij. talia agenda sunt cum cõsilio seniorũ tantùm. Non enim tota congregatio fatiganda est pro minoribus rebus. Vbi notandum, quòd triplex est gradus rerum agendarum: videlicet, maximarum, minorum, & minimarũ. Maxima, disponenda sunt cũ consilio totius cõgregationis. Minora siue media, cũ cõsilio tãtùm seniorũ. Minima siue quotidiana, disponere ipse ꝓlatus potest, nullius alterius requisito cõsilio. Grauissimũ quidẽ onus esset ꝓlato & senioribus, si propter quęlibet ꝑcipienda, disponẽda, aut ꝓhibẽda, consiliũ seniorũ deberet euocari. Prętereà notãdũ, ꝙ senior hoc loco non semꝑ videt notare senectutẽ ętatis, aut prioritatẽ cõuersionis: quia quãdoq; in multis huiusmodi nec abũdat cõsilij maturitas, nec rerũ experiẽtia. Sed seniores credimus hîc prudẽtiores, & magis expertos, appellatos, secundùm illud Tob. 4. Consiliũ à sapiente require. Causam autẽ hui⁹ admonitionis, de agẽdis reb⁹ semper cum consilio, assignat ex authoritate sacrę scripturæ, dicens, *sicut scriptum est*: s. Eccles. 32. *Omnia fac cũ consilio, & post factũ nõ pœnitebis.*

Proprium præsidẽtis.

Dat uri cõsilium.

Nota de potestate prælati.

Ordo rationabilis.

Triplex gradus rerum agẽdarum.

Senior quis sit.

IN CAPVT IIII.

TRACTATVS XVI.

Vbì de conuenientia sequentis capituli, & instrumentis bonorum operum in generali.

CONsequẽter nobis sermo habendus est circa cap. 4. regulę: in quo describũtur, quę sunt instrumẽta bonorũ operũ. In superiorib⁹ sanctus pater Benedictus, declarãs se velle diuini seruitij scholam instituere: quia in qualibet facultate necessariò artis instrumenta in primis describẽda veniũt, descripto ergò qualis debeat esse abbas, qui magister & rector scholę est: iam exponit, quæ sunt instrumẽta bonorũ operũ, quibus in hac spirituali schola, pro acquirenda perfectione religionis, & capessenda superna beatitudine, vtendũ sit, qui finis vltim⁹ & potissimus est, ad quẽ huius sanctę scholæ discipulus, hui⁹ spiritualis artis industrius appetitor, omni conatu suo anhelat & cõcupiscit. Interpretatur aũt sanct⁹ pater religiosam cõuersationẽ, scholã diuini seruitij: quoniã status religiõis, vt S. Thomas docet, quædã disciplina est & exercitiũ ad perfectionẽ perueniẽdi. Ad quã quidẽ aliqui peruenire nituntur exercitijs diuersis. ob quã etiã causam sanctus pater præcepta varia virtutũ, quæ describit in hoc quarto capitulo, instrumenta nominat acquirẽdę perfectionis. Pro eo etiã, quia virtutes media sunt disponẽtia ad consecutionẽ finis vltimi, secundùm illud Aristotelis septimo Physicorum: Virtus est dispositio perfecti ad optimum: dicit abbas Moyses libro collationum, collatione prima: Ieiunium, vigiliæ, meditatio scripturarũ, nuditas, ac priuatio omnium facultatum, nõ

Religio dicitur schola & quarè.

Virtutis diffinitio.

Cap. 7.

perfectio, sed perfectiõis instrumẽta sunt: quia non in ipsis consistit disciplinę illius finis, sed per illa peruenitur ad finem. Est aũt sciendũ, quòd S. Benedictus in hoc capitulo septuagintaduo ponit, quę instrumenta bonorũ operũ, siue ornamenta virtutũ, siue documenta scholę diuini seruitij, siue fundamenta spiritualis ædificij nominari possunt, q̃ etsi sanctus pater in vno capitulo cõcluserit, nos tamen pro amplitudine materiæ eorũ, & vt pręfati charissimi fratris domini Arsenij, ad hoc opus nos impellentis, votis pleniùs satisfaciamus, de illis per diuersa capitula doctrinaliter agemus. Distinguuntur autem hæc bonorum operum instrumenta, vt suprà pag. 5.

TRACTATVS XVII.

Vbi agitur de primo instrumento bonorũ operũ, videlicet de dilectione Dei: cur & quomodò diligendus sit Deus.

IN *primis Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute.* Meritò sapientissimus pater Benedictus, primum omnium instrumentorum bonorum operum, posuit dilectionem Dei: quia hoc est primum dignitate & perfectione, & maximum mandatorum, vt dicitur Matth. 22. Circa quod notanda sunt duo. Primò ponentur septem, quæ nos incitare debent ad dilectionem Dei. Secundò, videbitur de modo, quo diligendus est Deus.

Septem nos inducũt ad diligẽdum Deum.

Primum.

Primum autem incitans nos ad Dei amorem, est summa eius bonitas. Bonum enim, per se, obiectum amoris est. Bonum autem & pulchrum, inquit Dionysius, omnia desiderant. Cùm autem Deus sit summè bonus, meritò à nobis summè diligendus est. Vndè August. de Trinitate: Cũ alia nõ diligãtur, nisi quia bona sunt, pudeat, illis inhærendo, non amare bonum ipsum, vndè bona sunt. Itẽ idem August. Diligamus id, quo nihil melius est. Hoc Deus est, cui si aliquid diligẽdo vel pręponimus, vel æquam⁹, nos diligere nescimus.

Cap. 4. de Diui. nomi.

lib. 8. cap. 3.

De morib⁹ Eccles. Catho l. ca. 11.

Secundum.

Secundò incitat nos ad diligendũ Deũ affluentia bonorũ, quæ nobis continuè liberaliter elargitur. Nam omnia bona, siue naturalia, siue gratuita, quæ habemus, desupèr à Deo nobis data sunt. Omne enim datum optimũ, & omne donũ perfectũ, desursùm est, descẽdens à patre luminũ, Iac. 1. vb: Glo. inquit: Datũ, refertur ad naturã: donũ, ad gratiam. De hoc amoris incitamento, dicitur Ecclesiast. 7. Dilige eum in omni virtute tua, qui te fecit. Et Bernardus super Canti. Valdè mihi amandus est, per quem sum, viuo, & sapio: si ingratus non sum, & indignus. Dignus planè est morte, qui tibi, Domine Iesu, recusat viuere, & mortuus est: & qui tibi, Domine, non sapit, desipit. Et qui curat esse, nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est: & qui esse vult sibi, & non tibi, nihil esse incipit inter omnia. Deum time, & mandata eius obserua, hoc est omnis homo. Et si hoc est omnis homo, ergò absque hoc nihil est homo. Idem in libro de diligendo Deo: Infidelis se ei totum debere nõ ignorat, quem sui totius non ignorat authorem. Quid ergò ego, qui Deum meum teneo vitæ meæ non solùm gratuitum largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorem, solicitum gubernatorem: sed insupèr etiam copiosissimum redemptorem, æternum conseruatorem, ditatorem & glorificatorem? Ex hac causa nõ modò diligendus est Deus, sed omni hora omnique momento amandus: cùm nulla sint horarum momenta, quibus eius nõ fruamur beneficijs. Vndè Augustinus libro Soliloquiorum ad Deum loquens; Idcircò, Domine Deus, iussisti mihi lege tua, vt diligam te omnibus horis & momentis, quibus fruor bonis misericordiæ tuæ: quoniam semper perirem, nisi quia semper me regis: & semper morerer, nisi quia semper me viuificas. Et omni momẽto me tibi obligas, dum omni momento mihi tua magna beneficia præstas. Sicut ergò nulla hora est vel punctus in omni vita mea, quo tuo beneficio non vtar: sic nullum debet esse momẽtum, quo te non habeam ante oculos in memoria mea, & te non diligam ex omni fortitudine mea.

Serm. 20. Ad Dei amorẽ pulcherrima excitatio.

Ecclesia.

Omni hora diligendus est Deus.

Cap. 18.

Tertium.

Tertiò incitat nos ad amandũ Deũ, eius ad nos summa charitas: de quo 1. Ioan. 4. Diligamus Deũ, quoniã ipse prior dilexit nos. Augu. lib. de catechizãdis rudib⁹: Si amare pigeat, saltẽ reamare nõ pigeat: nulla enim maior est ad amorẽ incitatio, quàm pręuenire amando. Et nimis durus est animus, qui dilectionem, si nolebat impẽdere, nolit repẽdere. Item idem Augustinus: O anima mea, insignita Dei imagine, redempta Christi sanguine, desponsata fide, dotata spiritu, ornata virtutibus, deputata cùm angelis, dilige illum à quo dilecta es tantùm: intende illi, qui intendit tibi: quære quærentem te: ama amatorem tuum, à quo amaris, cuius amore præuenta es, & qui est causa amoris tui. Singulariter autem nos incitare debet ad diligendum Deum illa eius ad nos dilectio, qua nullà maior esse potest, quam in opere redemptionis nobis monstrauit. De qua beatus Bernardus super cantica ità loquitur: Super omnia reddit amabilem te mihi, Iesu bone, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis: hoc omninò amorẽ nostrũ facilè vendicat totũ sibi: hoc, inquam, est, quod nostram deuotionem & blandiùs allicit, & iustiùs exigit, & arctiùs stringit, & afficit vehementiùs. Quartò incitat nos ad aman-

Cap. 4.

In Manua. li. cap. 24.

Diligendi Deũ causa singularis.

Serm. 20.

Quartum.

amandum Deum, inuitantis nos eum diligere authoritas maiestatis. Ipse quippe tremendæ authoritatis Dominus præcipit, vt eum diligam. Deuteron. 6. & Matth. 22. dicitur: Diliges Dominum Deum tuum. Cuius præcepti benignitatē admirans beatus Augustinus lib. confess. ità dicit: Quid tibi sum ipse, vt amari te iubeas à me: & nisi hoc faciam, irasceris mihi, & minaris ingentes miserias? Item idem Augustinus: Non postulat à nobis Deus aurum, non argentum, nec pallia: non vestes preciosas, non agros & cætera huiusmodi, sed nosmetipsos quærit, & in nobis quiescere cupit. Accedamus ergò ad eum, vt vitam æternam habeamus: habeamus in nobis dilectionem Dei & proximi. Quintò incitat nos ad Deum amandum, ipsius diuinę dilectionis nobilitas. Cùm enim diuinus amor, vt ait beatus Dionysius, ecstasim faciens, non finit sui ipsorum esse amatores, sed amatoris: amando Deum, efficimur quodammodò consortes diuinæ naturæ. Vis enim amoris, amantem in amatum transfert. Vndè si vitia diligimus & caduca, viles & instabiles efficimur, sicut dicitur Osee nono: Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt. Si autem Deum diligimus, quasi dij efficimur. 1. Corinthi. 6. Qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo. & Augustinus super prima Canonica Ioannis, inquit: Talis est quisque, qualis est dilectio eius. Terram diligis? Terra es. Deum diligis? quid dicam? Deus eris? non audeo dicere ex me. scripturam audiamus: Ego dixi, dij estis, & filij altissimi. Hæc Augustinus. In cuius sublimitatis testimonium, Deus omnes amatores suos vt reges coronat in cælis, secundùm illud Iacobi 1. Coronam vitæ repromisit Deus diligentibus se. Quamobrèm rectè dicit sapiens, Ecclesiastici primo: Dilectio Dei, honorabilis sapientia. Sextò incitat nos ad amorem Dei, dilectionis illius suauitas. Tanta est enim immensitas diuinæ bonitatis, vt sine dilectione & dulcedine amari non possit. Sapient. octauo: In amicitia illius delectatio bona. Et Sapient. 12. clamat sapiens, eiusdem diuini amoris expertus: O quàm bonus & suauis est spiritus tuus in nobis. vbi Glo. interli. Amor Dei, fons totius boni est. Et Augustinus ad Deum loquens, ait: Habent hæc infima suas dilectiones, suosque amores: non tamen tali modo delectant, sicut tu Deus noster. In te enim delectatur iustus, quia amor tuus suauis est & quietus. Nam pectora quæ possides, dulcedine, suauitate, & tranquillitate reples. Econtrà, amor seculi anxius & perturbatus, animas quas ingreditur, quietas esse

Lib. 1. cap. 1. — Quid quærat à nobis. — Quintum. Amoris Dei nobilitas. — Cap. 4. de Diuinis nominibus. — Tracta. — Psal. 81. — Sextum. — Libro 1. Meditat. cap. 15. — Diuini amoris suauitas

non patitur. Semper enim suspicionibus varijsque timoribus solicitat eas. Tu itaque es delectatio rectorum: & meritò, quia valida est apud te & imperturbabilis vita. Item Richardus de sancto Victore: Amor diuinus, res prorsùs dulcissima est: qui non solùm iniurias, sed etiam mortis amaritudinem vertit in dulcedinem. Item si dulcedinem diuini amoris perfectè gustaueris, de temporali dulcedine non curabis. Si cupis, vt mens tua placida tranquillitate quiescat, te fundans diuinus amor absorbeat. Quarè beatus Augustinus orabat, dicens: Absorbeat, quæso, mentem meam ab omnibus quæ sub cælo sunt, ignita & melliflua vis amoris tui: vt totus tibi inhæream, solaque suauitatis tuæ dulcedine pascar. Septimò incitat nos ad amandum DEVM, dilectionis illius fructus & vtilitas. Non enim sine præmio, inquit Bernardus, diligitur Deus, etsi absque præmij intuitu diligendus sit Deus. Prouenit autem vtilitas triplex ex amore diuino. Primò quidem dilectio Dei, diligentibus DEVM peccata condonat. Lucæ septimo: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. vbi Glo. dicit, Ignis charitatis in ea rubiginem peccatorum combussit. Secundò illuminat mentem. Ecclesiastic. tertio: Qui timetis Deum, diligite illum: & illuminabuntur corda vestra. Tertiò locupletat spiritualib. diuitijs. Hinc diuina Sapientia loquitur Prouerbiorũ octauo: Ego diligentes me diligo. Et qui manè, id est, diligenti studio, vigilauerint ad me, inuenient me: mecum sunt diuitiæ & gloria. opes supernæ, id est, excelsæ, & iustitia: melior est fructus meus auro & lapide precioso, & genimina mea argento electo: in vijs iustitiæ ambulo: in medio semitarum iudicij: vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam. Hinc dicit Basilius: Thesaurus indeficiens est amor diuinus: quem qui habet, est diues: sine quo, quicunque pauper est. De ineffabilitate præmiorum diligentium Deum, dicit Apostolus 1. Corinthiorum 2. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum. Circa secundum, quod erat notandum de modo diligendi Deum, considerandum est inprimis, quòd quærentes de modo diligendi DEVM, non intelligimus, quòd dilectio DEI habeat aliquam mensuram præfixam, vltra quam diligendo progredi non liceat. Nulla enim mensura talis præfigi potest in dilectione Dei, quod ità sanctus Thomas ostendit: Actus mensuratur ab eo, quod est ratio agēdi, sicut misericordia acci-

Ibidem. — Septimum. — Ex amore diuino vtilitas multiplex. — Modus diligendi Deum, quomodò intelligatur.

accipit mensuram in subuentione misero facienda ex quantitate miseriæ, quæ ad misericordiam mouet. Causa autem diligendi Deum, diuina bonitas est, quæ infinita est. Actus autem dilectionis creaturæ rationalis, finitus est: cùm ex potentia procedat. Quarè manifestum est, quòd mensurari nō potest ratio dilectionis. Et propter hoc in dilectione Dei nō ponitur modus, vltra quem non oporteat progredi: sed quantumcunquè diligatur, semper ad anteriora se extendit, vt modus diligendi sit, vt diligamus Deum quantùm plùs possumus. Hæc est sententia deuotissimi Bernardi, in lib. de diligendo Deo ità dicentis: Causa diligēdi Deum, Deus est: modus, sine modo diligere, cū dilectio Dei quę tendit in Deum, tendat in immensum, in infinitum. Nam & infinitus Deus, & immensus: quisnam, quæso, debeat esse finis nostri vel modus amoris? Et infrà: Deus meus, adiutor meus, diligam te pro dono tuo, & modo meo, minùs quidem iusto, sed planè minùs posse meo: qui etsi quātuncunq; debeo, nō possum: nō possum tamē vltrà, quàm possum: potero verò plùs, cum plùs donare dignaberis: nunquàm tamen, prout dignus haberis. Prętereà notādū, quòd modus amandi Deum, exprimitur à beato Benedicto in hoc capitulo, cùm ait, diligendum Deum esse ex toto corde, tota anima, tota virtute, iuxta illud Deuter. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. In quibus datur intelligi, quòd diligendus est Deus à nobis tripliciter. Primò, *toto corde*, id est, veraciter, nō verbo solùm, sicut illi diligebant, de quibus dicitur Psalm. 77. Dilexerūt eum in ore suo. Glo. non cordę. Et lingua sua mentiti sunt ei. Et Isa. 29. Populus hic labijs me honorat, cor autem eius longè est à me. Contra quos Apostolus Ioannes in Canonica sua inquit: Filioli mei, non diligamus verbo, nec lingua, sed opere & veritate: 1. Ioan. 3. Et Augusti. Deus nō vult verbis diligi tātùm, sed corde puro & operibus iustis: quia nō verborum, sed cordium auditor & inspector est. Diligendus est ergò à nobis Deus veraciter: quod fit, cùm toto corde diligitur. Toto autē corde diligere, dicit Chrysostomus, est habere cor, non inclinatum ad alicuius rei dilectionem magis, quàm Dei. Hinc Prouer. 23. dicitur: Præbe mihi, fili, cor tuum & totum, scilicet quia, vt ait Augustinus, totum exigit, qui totum fecit. Secundò, diligendus est Deus *tota anima*, id est, integraliter, vt illi vacent & intendant omnes sensus nostri, omnes cogitationes & affectiones nostrę. Vndè Augustin. de dilectione Dei: Quid dicam? Diliges Dominum ex toto corde tuo, ex tota anima tua: diligat eum os tuum, oculus tuus, manus tua, pes tuus, & omnes sensus tui: & tu totus diligas eum. Item idem Augustinus: O ignis, qui semper ardes, & nunquàm extingueris: accende me, & accēdar totus à te, vt totus diligam te solum: Minùs enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Tertiò diligendus est Deus *tota virtute*, id est, fortiter siue perseueranter: quod fit, cùm seruus Dei timorem à corde expellit, laborem pro Christo appetit, opprobria & mortem non fugit. De primo dicitur 1. Ioan. 4. Perfecta charitas foràs mittit timorē. Glo. seruilem. De secundo dicit Propheta in Psalm. 37. Ego in flagella paratus sum. De tertio Act. 21. dicebat Paulus, Non solùm alligari, sed etiam in mortem paratus sum ire. hoc dilectionis modo diligebant Deum qui dicebāt: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? quasi dicat: Nulla res poterit nos separare à charitate Dei. Augusti. Cōstans & perfectus debet esse amor noster, vt si necessè fuerit, amore illius moriamur, qui amore amoris nostri placidè ac benignè mori dignatus est: vt enim amaretur, priùs amauit. Et vt in nomine eius nemo mori timeret, priùs pro omnibus mori dignatus est. Bernardus super Canti. Disce, ô Christiane, à Christo, quē admodùm diligas Christum. Discite amare dulciter, amare prudēter, amare fortiter: Dulciter, nè illecti: prudenter, nè decepti: fortiter, nè oppressi, ab amore Domini auertamur. Et infrà: Non abduci blanditijs, non seduci fallacijs, non iniurijs frangi: toto corde, tota anima, tota virtute diligere est.

[Margin: Modus diligendi Deum.] [Margin: Tripliciter Deus est diligendus. Primò.] [Margin: Secundò.] [Margin: Tertiò.] [Margin: Rom. 8.] [Margin: Constans esse debet amor Dei.]

TRACTATVS XVIII.

De instrumento secundo bonorum operum artis spiritualis: vbi de dilectione proximi.

SEcundum huius spiritualis artis instrumentum, ad consequendam animæ perfectionem, vt sanctus pater ponit, est, *Diligere proximū tanquàm seipsum*. De quo Leuit. 19. & Matt. 22. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Porrò cùm is qui in religione est, debeat diligentem operam dare, vt fratres suos amet, & vt ab eis ametur: Aliqua pro præsentis articuli doctrina sunt notanda. Primum erit de causis, quæ incitare possunt ad hoc, quòd religiosus fratres suos diligat. Secundum, de modo quo illos diligere

[Margin: Proponit dicenda.]

gere debeat. Tertium, de his quæ valere
possunt ad hoc, vt frater à cõfratribus suis
Ad amorẽ pximi quæ incitent. diligatur. Circa primum notandum,
quòd ad amandum proximum incitat di-
uinum præceptum. Christus enim pius
1. magister noster, in recessu suo à corporali
præsentia discipulorum suorum, hoc ma-
ximè inter alia præcepta commendare cu-
rauit, vt se inuicèm diligerent & amarent,
dicens: Hoc est præceptum meum, vt dili-
gatis inuicèm, sicut dilexi vos. Ioan. 15.
2. Secundum, est vinculum triplicis frater-
Triplex fraternitas. nitatis. Prima est naturalis, quæ est inter
Prima. omnes homines. Augustinus in libro de
Cap. 1. disciplina Christiana: Si putamus non es-
se proximos, nisi qui ex eisdem parentibus
nascuntur, Adam & Euam intendamus,
& omnes fratres sumus. Idem 12. de ciuita-
Cap. 26. te Dei: Nihil est quàm genus humanum,
tam discordiosum vitio, tam sociale natu-
ra. Propterea Deus voluit creare paren-
tem vnum, de quo multitudo propagare-
tur, vt hac admonitione etiam in multis
Secunda. concors vnitas seruaretur. Secunda est fra-
ternitas spiritualis, qua ex vno patre Deo,
& ex vna matre ecclesia geniti, Christiani
effecti sumus. De qua Augustinus in libro
Cap. 1. de disciplina Christiana: Omnes quidem
fratres secundùm quod homines sumus,
quanto mag s secundùm quod Christiani
sumus: ad id quòd homo es, vnus pater
fuit Adam, vna mater Eua: ad id quòd
Christianus, vnus pater Deus, vna ma-
ter ecclesia. Hæc fraternitas tanto profectò
melior est naturali, quanto meliorem ha-
bet patrem Deum, meliorem habet ma-
trem ecclesiam, & meliorem expectat hæ-
reditatem. Si ergò amandi sunt fratres,
qui diuidendo hæreditatem, portionem
vniuscuiusque minorem faciunt: quanto
mag s amandi sunt fratres illi, qui portio-
nem vniuscuiusque augent, secundùm il-
lud Psalm. 121. Hierusalem quæ ædifica-
tur vt ciuitas, cuius participatio eius in id-
ipsum. Glo. quod de nulla carnali potest
dici. Hic enim habent homines diuersa
bona & deficientia: ibi verò, bonum quod
fuerit singulorum, erit omnium: ideò ait,
Participatio eius in idipsum. Gregorius:
Felix hæreditas, quam multitudo cohæ-
Tertia. redum non coangustat. Tertia est frater-
nitas eiusdem religionis, de qua in Psa. 132.
Eccè quàm bonum & quàm iocundum,
habitare fratres in vnum. Meritò ergò de-
bent se inuicèm diligere, quos vinculum
tantæ fraternitatis coniunxit. Tertium,
3. quod incitare debet ad diligendum pro-
Exemplo inducitur ad alterutrùm diligendum. ximum, est multiplex exemplum. Primò,
exemplum Christi. Non est despiciendus,
quem Christus ità charum habuit, quòd
pro eius redemptione mori voluit, appen-
dere debemus proximum hoc precio nobis
vilescat. Apocalyps. 1. Qui dilexit nos, &
lauit nos à peccatis nostris in sanguine
suo. ad Titum 2. Qui dedit semetipsum
pro nobis. Secundò, exemplum angeli, qui
adeò amat hominem, vt custodiat eum in
omnibus vijs suis. Non est despiciendus
homo ab homine, qui adeò charus est an-
gelis. Matth. 18. Videte nè contemnatis
vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia
angeli eorum semper vident faciem pa-
tris mei qui in cælis est. Tertiò, exemplum
sanctorum. Legitur in vita sancti Ioannis
Euangelistæ, quòd cùm ipse deuenisset ad
vltimam senectutem, & vix inter discipu-
lorum manus ad ecclesiam deferretur, nec
posset plura dicere verba, ad quamlibet
pausam hæc dicebat: Filioli, diligite alte-
rutrùm. Tandèm discipuli & fratres qui
aderant, audientes quòd eadem verba sem-
per diceret, dixerunt: Magister, quarè hæc
semper loqueris? qui respondit: quia prę- Vnum sufficit ad salutem.
ceptum Domini est: & si id solum fiat,
sufficit. Quartò, exemplum creaturarum
irrationalium, quæ amorem habent ad in-
diuidua suæ speciei. Ecclesiasti. 13. Omnis
caro ad similem sibi coniungitur. Quar-
tum, quod incitare debet, est: quia proxi- 4.
mus est membrũ corporis, cuius Christus
caput est. 1. Corinth. 12. Vos estis corpus
Christi. Non amat autem caput, qui non
amat eius membra. Quintum, quia proxi- 5.
mus est membrum eiusdem corporis, cuius
ipse est membrum. Est autem naturaliter
amor inter membra vnius corporis. Ro-
man. 12. Multi vnum corpus sumus, sin-
guli autem alter alterius membra. Sextum, 6.
quia fraterna dilectio est multùm grata
Deo. Ecclesiastici 25. In tribus beneplaci-
tum est spritui meo, quæ sunt probata co-
ram Deo & hominibus: Concordia fra-
trum, amor proximorum, &c. Septimum 7.
est, quia sine dilectione proximi non po-
test quis ad scholam Christi pertinere.
Ioã. 13. In hoc cognoscemini quia mei estis
discipuli, si dilectionem habueritis ad in-
uicèm. Octauum, est multiplex emolu- 8.
mentum, quod ex fraterna dilectione pro-
uenit. Vbi notandum, quòd præter emo- Plures vtilitates fraternæ dilectionis.
lumenta bonæ societatis, superiùs posita
in capitulo nono, reperimus in sacra scri-
ptura plures vtilitates fraternæ dilectio-
nis. Prima, est certitudo de resurrectione Prima.
spirituali. 1. Ioan. 3. Nos scimus quoniam
sumus translati de morte, scilicet æterna,
ad vitam, quoniam diligimus, id est, per
hoc quòd diligimus fratres: quia, vt dicit
Glo. qui fratrem diligit, apertum dat in-
dicium, quòd ad sortem iustorum perti-
neat. Secunda, est illuminatio mentis. Secunda.
1. Ioannis 2. Qui diligit fratrem suum, in

lumine permanet. Glo. in lumine scientiæ & operationis. Tertia. Tertia, est vitatio scandali. Sicut enim ex discordia nascuntur scandala, ità ex dilectione, quæ omnia patienter suffert, scandala vitantur. 1. Ioan. 3. Qui diligit fratrem suum, scandalum non est in eo. vbi Glo. assignat rationem, dicens: Qui diligit fratrem suum, tolerat omnia propter vnitatem charitatis: etiam si fratri adhibet correctionem, non irascitur, non ignominiam infert. Psal. 118. Pax enim multa diligentibus legem tuam, id est, charitatem: & non est illis scandalum. Quarta. Quarta, est diuina habitatio: vbi enim est dilectio sancta, ibi Deus est. primæ Ioannis quarto: Si diligamus inuicem, Quinta. Deus manet in nobis. Quinta, est filiatio Dei. sicut per peccatum quis efficitur filius diaboli: ità per dilectionem efficitur filius Dei. primæ Ioannis quarto: Qui diligit fratrem suum, ex Deo natus est. Quid discernit inter filios Dei & filios diab. Tract. 5. in Epist. Ioan. Augustinus: Dilectio sola discernit inter filios Dei & filios diaboli: signent se omnes signaculo Crucis: respondeant omnes, amen: cantent omnes, alleluia: baptizentur omnes: omnes intrent Ecclesias. Non discernuntur filij Dei à filijs diaboli, nisi charitate: Qui habent charitatem, nati sunt ex DEO: qui non, Sexta. non sunt nati ex DEO. Sexta, est æterna beatitudo. Hieronymus: O nimiam DEI clementiam, ô ineffabilem Dei benignitatem. præmium se nobis pollicetur, si nos mutuò diligamus: & si nobis ea præstamus inuicèm, quibus inuicèm

9. indigemus. Nonum, est damnum quod Discordia q̃d pariat. sequitur. Ex discordia autem nascitur maleuolentia fraterna. Hoc enim facit discordia in corpore mystico Ecclesiæ, siue in cōgregatione religiosorum, quod facit diuisio continuitatis in humano corpore: ex quo sequitur dolor magnus, & quandoque mors. Ideò saluator noster sæpenumerò preces fundit ad patrem pro vnitate Ecclesiæ seruanda. Ioannis decimoseptimo: Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos. Iterùm in eodem: Non pro eis rogo tantùm, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum, vt omnes vnum sint. Circa secundum, videlicet modum diligendi, qui notatur in textu, Pulchra speculatio super verbo, Diliges proximum sicut teipsum. cùm dicitur, *tanquàm teipsum*: Notandum primò, quòd in dilectione Dei non potuit aliquod exemplar dilectionis, sicut in dilectione proximi: quia DEO par siue æqualis non inuenitur, quod sit exemplar dilectionis diuinæ. Vndè Augustinus libro de disciplina Christiana: Ecce quod dicitur in domo disciplinæ: Dilige DEVM, dilige proximum: Deum, tanquàm Deum: proximum, tanquàm te. Non enim inuenies parem DEO, vt posset tibi dici, Dilige Deum, sicut diligis illum. De proximo inuenta est tibi regula, quia inuentus es proximo tuo par. Prætereà notandum, quòd similitudo ista dilectionis accipienda est tripliciter. Dilectio proximi accipitur tripliciter. Primò, ex parte finis, vt aliquis scilicet diligat proximum, propter DEVM, sicut seipsum: propter Deum debet diligere, vt sic sit dilectio proximi sancta. Secundò, ex parte regulæ dilectionis, vt scilicet aliquis non condescendat proximo in aliquo malo, sed solùm in bonis, sicut & suæ voluntati satisfacere debet homo solùm in bonis, vt sic sit dilectio proximi iusta. Tertiò, ex parte rationis dilectionis, vt scilicet non diligat aliquis proximum propter propriam vtilitatem vel delectationem, sed ea ratione, quòd velit proximo bonum, sicut vult bonum sibijpsi, vt sic dilectio proximi sit vera. Nam cùm quis diligit proximum propter suam vtilitatem vel delectationem, non vere diligit proximum, sed seipsum. Circa tertium, notandum quòd sex maximè valere possunt ad hoc, quòd frater ametur ab alijs. Sex sunt quæ aliquē amabilem faciunt. Primum, est discretio, vnde Sapientia dicitur esse mater pulchræ dilectionis Ecclesiastici vigesimoquarto: 1. Fatuitas nescit acquirere vel conseruare amicitiam. Ecclesiastici vigesimo: Fatuo non erit amicus. Secundum, est modestia in sermone. 2. Ecclesiastici vigesimo: Sapiens in verbis amabilem se facit: gratiæ autem fatuorum effundentur. Tertium, est similitudo. 3. Ecclesiastici vigesimoseptimo: Volatilia ad sibi similia conueniunt. Ambrosius: Est insitum bonis, vt vnusquisque virtutes suas in alijs amet. Econtrariò dissimilitudo facit ad odium. Oderunt enim hilarem tristes, tristemque iocosi. Quartum, est virtus. 4. Magna vis probitatis atque virtutis. Tullius: Nihil est virtute amabilius: nihil quod magis alliciat ad diligendum: quippe propter virtutem & probitatem eos, quos nunquàm vidimus, quodammodò diligimus. Vndè Tullius: Tanta est vis probitatis, vt eam etiam in eis, quos nunquàm vidimus, vel quod maius est, in hoste diligamus. Specialiter valet ad hoc virtus mansuetudinis. Ecclesiastici tertio: Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super gloriam hominum diligéris. Mansuetudo, ad modum adamantis, vim habet attractiuam. Ezechielis tertio: Vt adamantem & silicem dedi faciem tuam. Item specialiter valet ad hoc virtus humilitatis. Sicut enim odibilis est Deo & hominibus superbia, sic amabilis est DEO & hominibus humilitas. Superbia signatio, dum

quarē superbia, odibilis: amabilis dicatur humilitas.

dum se exaltat, alios deprimit: ideò non est mirum, si ab alijs odiatur. Humilitas verò dum se demittit, alios exaltat & honorat: ideò meritò ab eis amatur: maximè inter omnia valet ad hoc, quòd aliquis ametur, si ipse primò amauerit. Augustinus: Nulla est maior ad amorem inuitatio, quàm præuenire amando: vel nimis durus est animus, qui si dilectionem nolebat impéndere, nolit repéndere. Seneca in Epistolis: Quæris, quomodò amicum facturus sis? citò ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, id est, sine sortilegio & coniuratione, sine herba, sine vllius venefico carmine: si vis amari, ama.

Dictum elegans.

5\. Quintum, est fidelitas. Ecclesiast. sexto: Amico fideli nulla est comparatio. Item Ecclesiastici trigesimotertio: Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem tuum sic tracta eum.

6\. Sextum, est obsequium vel beneficium. Sapiens: Hoc tempore obsequium amicos, veritas odium parit. Ignis amoris, lignis beneficiorum nutriendus est, alioquin deficit. Beneficia etiam feras ad amorem incitant, & inimicos efficiunt amicos. Romanor. duodecimo: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. id est, cor eius ad te amandum accendes.

Ligna succendentia amoris ignem.

TRACTATVS XIX.

De tertio, quarto, quinto, sexto, & septimo instrumentis.

TErtium est: *Non occidere* &c. Quoniam, vt ait Apostolus ad Romanos decimotertio: Dilectio proximi malum non operatur. Erga neminem est operandum malum. Et ideò sanctus pater, postquàm posuit instrumentum dilectionis fraternæ, consequenter subdit instrumenta, quibus inferri nocumentum proximo prohibetur. Nocet autem quis proximo tripliciter, scilicet peruersitate operis, falsitate sermonis, improbitate voluntatis. Hæc autem prohibentur per præcepta sequentia. Primò, ponuntur præcepta, quæ hic instrumenta dicuntur, prohibentia nocumentum operis: quod est triplex, secundùm quod vnus alteri nocere potest: Primò, in propria persona: Secundò, in persona coniuncta: Tertiò, in temporali substantia. Nocumentum verò personæ prohibetur in tertio instrumento, cùm ait: *Non occidere*. De quo Exodi capite vigesimo, & Deuteronomij quinto dicitur: Non occides, scilicet hominem: quia, vt ait Augustinus, non est hoc accipiendum, vt quidam errantes dixerunt, de frutetis, quia nullus est in eis sensus: nec de irrationalibus animalibus, quia nulla nobis ratione sociantur: sed de homine. Quòd autem iustè, occidere, lege diuina sit prohibitum, perfacilè colligi potest ex illis omnibus causis, quibus dilectio fraterna in capitulo præcedenti persuasa est. Est autem notandum, quòd duplex est genus homicidij, quod in hoc loco diuina lege prohiberi intelligitur: scilicet corporale, quo vita corporis extinguitur: Aliud spirituale, quo anima spiritu gratiæ priuatur. Spirituale verò homicidium committitur quadrupliciter. Primò, odij impietate. primæ Ioannis tertio: Qui odit fratrem suum, homicida est. Augustinus 1.
de decem chordis: Illi viuo, quem vis mori, homicida es. Secundò, prauitatis 2.
suggestione. vndè de diabolo, qui hominem prauis suggestionibus ad peccatum induxit, dixit DEVS: Ille homicida erat ab initio. Augustinus super Ioannem: Homicida dicitur diabolus: non gladio armatus, nec ferro accinctus venit ad hominem: verbum seminauit, & occidit. Noli ergò putare, te non esse homicidam, quandò fratri tuo mala persuades. Tertiò, mali exempli osten- 3.
sione. Romanorum decimoquarto: Noli cibo tuo illum perdere: loquitur Apostolus de illo, qui cum scandalo alterius comedit. Quamobrèm prælati, vt dicit Gregorius in Pastorali, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos exēpla perditionis transmittunt. Matthæi decimooctauo: Væ homini per quem 4.
scandalum venit. Quartò, venenatæ detractionis mordacitate. Detractio enim est homicidium, vt dicit Anselmus libro de similitudinibus. Et Prouerbiorū trigesimo dicitur: Generatio quæ pro dentibus gladios habet, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus. Et Psalmo quinquagesimosexto: Dentes eorū gladius acutus. Homicidium autem corporale, etiam multipliciter committitur: videlicet manûs percussione, Isaiæ primo: Manus vestræ plenæ sunt sanguine. Secundò, linguæ deprauatæ 2.
suasione. Sic Iudæi Christum interfecisse dicuntur. Iacobi vltimo: Interfecistis iustum, & non restitit vobis. Tertiò, 3.
scriptura præcipiendo, sic Dauid occidit Vriam. Vndè secundi Reg. duodecimo: Occi-

Non occides: de quibus intelligendum sit.

Duplex homicidium.

Homicidiū spirituale committitur quadrupliciter.

Detractio homicidiū est.

Homicidiū corporale multipliciter perpetratur.

Occidisti Vriam gladio filiorum Amon.
4. Quartò, consensu. Romanorum primo:
Digni sunt morte, non solùm qui faci-
unt, sed etiam qui consentiunt facienti-
5. bus. Quintò, rapina, necessariorum sub-
tractione. Ecclesiastici trigesimoquar-
to: Qui aufert in sudore panem, quasi
qui occidit proximum suum. Et ibidem:
Panis egentium, vita pauperis: qui de-
fraudat illum, homo sanguinis est. Se-
6. xtò, immisericordia, in necessitate non
subueniendo. Augustinus: Si occurras in famelicum, qui mori possit, nisi cibum porrigendo subuenias, homicida teneberis. Item Ambrosius: Pasce fame morientem: quem si non pauisti, occidisti. Sequitur quartum instrumentum: *Non adulterari*. Hîc prohibet nocumentum proximi in personâ coniunctâ. De quo Exodi vigesimo, & Deuteronomij quinto dicitur: Non mœchaberis. In quo præcepto non solùm adulterium, sed omnis illicitus concubitus, & omnis actus carnis inordinatus prohibetur. In detestationem autem huius vitij sufficiat ad præsens, quod beatus Augustinus in sermone de mulierum familiaritate vitanda, ità dicit: O quanta iniquitas, & quàm lugenda peruersitas, vt animam, quam Christus suo sanguine redemit, luxuriosus, propter vnius momenti delectationem libidinis, diabolo vendat: verè plangenda nimis & miseranda conditio, vbi citò præterit quod delectat, & permanet sine fine quod cruciat, sub momēto libidinis impetus trāsit, & permanet sine termino infelicis animi opprobrium. Est autem notandum, quòd duplex distinguitur adulterium, quorum vtrunque hoc præcepto prohibetur: carnale videlicet, de quo dictum est: & spirituale, de quo in Glo. Deuteronomij quinto dicitur: Fornicatio est idolatria, & scripturarum expositio praua. Sequitur quintum instrumentum: *Non furtum facere*. Hîc prohibetur nocumētum proximi in temporali substantia. De quo Exodi vigesimo, & Deuteronomij quinto mandat Dominus: Non furtum facies. Vbi per furtum, secundùm quod dicit Glo. Exodi vigesimo, quamlibet rei illicitam vsurpationem intelligit, quod est vitium rapacitatis. Et per consequens, hoc præcepto prohibetur furtum, rapina, vsura, Simonia: & in summa, omnis illicita contrectatio rei alienæ. vndè Glo. Deuteronomij quinto, super verbo, Furtum non facies, dicit, actu vel consensu, vel auaritia commissi talenti. Et Augustinus libro quæstionum super Exod. Furti autem nomine intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ. Non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit: sed vtiquè furti nomine in lege veteris Testamenti, etiam rapinam intelligi voluit. A parte enim totum significauit, quòd illicitè res proximi aufertur. Prohibetur etiam hoc loco furtum eorum, qui in religione rem sibi collatam celant. Profectò religiosus, qui rem collatam celat, dicitur fur: quia rem non suam, sed communitatis, inuito domino, scilicet illo ad quem pertinet dispensatio, cùm de eius ratihabitione non præsumitur, tractat occultè, vndè Augustinus in regula: Si quis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur. Quàm detestabile autem sit huiusmodi furtum, colligitur ex Vitis patrum, vbi narratur, quòd quidam monachus furabatur panes, nesciente abbate. Et cùm ille abbas diceret fratribus, quòd nihil ità lætificat dæmones, sicut quòd homo celet cogitationes: tunc ipse cogitauit, quòd DEVS reuelauerat sibi de illo, postulauitque veniam, confitendo quod fecerat. At ille: Confessio tua liberauit te, & dæmonem cor obtenebrantem interfecisti. Et ecce quasi lampas ignis egressus est de sinu suo, qui impleuit domum fœtido odore. Vbi nota, quòd furtum duplex prohibetur hoc præcepto, scilicet temporale siue corporale, de quo dictum est: Et furtum spirituale, quod fit, cùm quis se aut alium DEO dedicatum, ab eius seruitio subtrahit: & diaboli siue seculi religat obsequijs. Vndè de diabolo, cuius hæc permaxima cura est, dicitur Ioannis decimo: Fur non venit, nisi vt furetur, & perdat, & mactet.

Contra luxuriam.

Duplex adulterium.

Furti nomine quid accipiatur.

Exemplū.

Duplex furtum.

Sequitur sextum instrumentum: *Non concupiscere*. De isto scribitur Deuteronomij quinto: Non concupisces vxorem proximi tui, non domum, non agrum, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, & vniuersa quæ illius sunt. In quo præcepto non modò prohibetur appetitus auaritiæ, qui est immoderatus appetitus habendi, sed etiam omnis inordinatæ voluntatis appetitus, siue concupiscentia carnis, siue ambitio seculi, siue terrenarum rerum inordinatus affectus. Vbi notandum, quòd non prohibetur hîc appetitus concupiscentiæ, qui consistit infra limites sensualitatis, qui dicitur primus motus, surgens in nobis etiam nolentibus, ex corruptione naturæ lapsæ,

Cōcupiscētię nomine quid prohibeatur.

psæ, sed prohibetur consensus voluntatis, qui est in opus, vel in delectationem, vt dicit sanctus Thomas in secunda secundæ. & Glo. ad Romanos sexto: Concupiscentia quæ est in primo motu, non prohibetur: quia non est in potestate nostra, quin surgat, sed DEI gratia compescere possumus, nè vsque ad delectationem & consensum perueniat: prohibetur ergò, vt mente non delecteris, vel consentias concupiscentiæ carnis, quæ ex languore naturæ veniens, rebellet aduersùm te: languor autem iste, tyrânus est, qui mouet illicita desideria. Sequitur septimum instrumentum: *Non falsum testimonium dicere.* De quo Exodi vigesimo, & Deuteronomij quinto: Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium. Vbi secundùm Augustinum, sicut nomine furti, interdicitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ: & nomine mœchiæ, omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus vsus: ità nomine falsi testimonij, intelligitur prohiberi omne mendacium generaliter. De quo Sapient. primo dicitur: Os quod mentitur, occidit animam. Et in Psal. Perdes omnes qui loquuntur mendacium. quod intelligitur indistinctè de mendacio malignitatis, siue pernicioso. Circa hoc duo sunt notanda: Primò, vt ait sanctus Thomas in secunda secundæ, Falsum testimonium ex tribus habet deformitatem. Vno modo ex periurio, quia testes non admittuntur, nisi iurati. & ex hoc semper est peccatum mortale. Alio modo, ex violatione iustitiæ. & hoc modo etiam est peccatum mortale in suo genere & qualibet iniustitia. Tertio, ex ipsa falsitate, secundùm quod omne mendacium est peccatum. Secundò notandum, quòd loqui falsum testimonium contra proximum, potest esse dupliciter: vel in iudicio, vel in communi locutione. In iudicio, tribus modis, secundùm quod tres personæ in iudicio possunt delinquere contra hoc præceptum. Primò scilicet persona accusantis falsò. Vndè in Leuit. decimonono cap. dicitur: Non eris criminator & susurro in populis. Secundò, persona testificantis mentiendo, de quo Prouerbiorum decimonono dicitur: Testis falsus non erit impunitus. Et qui loquitur mendacium, peribit. Tertiò, persona iudicis malè sententiando. Vndè Leuitici 19. Non facies quod iniquum est, nec iniustè iudices, nec adspicies personam pauperis, nec honores vultum potêtis. In cômuni autem locutione peccant contra hoc præceptum, quinque genera hominum, videlicet detractores, & qui libenter audiunt detractiones, susurratores, adulatores, & murmuratores. De quibus ad Romanos 1. Susurrones, detrectatores, Deo odibiles. & rectè odibiles eos Apostolus dicit, quià auferre nituntur, quod homini charius est, scilicet nomen bonum. Dicitur enim Prouerb. 22. Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.

Quid interdicatur per falsum testimonium.

Psal. 5.

Deformitas falsi testimonij.

Quandò & quomodò dicatur falsum testimonium.

TRACTATVS XX.

De octauo & nono instrumentis, in quo de honore, quem fratres debent sibi inuicèm adhibere.

SEquitur octauum instrumentum: *Honorare omnes homines.* Quod sumptum est de beato Petro Apostolo, qui ait: Omnes honorate. 1. Pet. 2. Rectè post mandatum de dilectione proximi, ponit sanctus pater de honore mutuo sibi exhibendo, qui sequela ad illud est. Gregorius: Dilectio nostra semper exhibenda est & veneratione sermonis, & beneficio largitatis. Circa quod instrumentum quatuor notanda veniunt. Primò enim, quis honor iste sit, ostendetur. Secundò, exhibitio mutui honoris commendabitur. Tertiò, quòd fratris inhonoratio multùm sit cauenda. Quartò, quòd in exhibitione honoris, discretio habenda sit. Circa primum sciendum, quòd nomen honoris, quandoq; sumitur pro dignitate, vt ad Hebræos quinto, vbi dicitur: Nemo quisquam sumit sibi honorem: sed qui vocatur à Deo, tanquàm Aaron. Aliquandò verò honor sumitur pro timore reuerentiæ, quæ est affectio animi, quo aliquis altitudinem alterius veretur: & dicitur esse fuga siue resilitio ab altitudine alicuius rei in propriam paruitatem: & huic motui interiori respondet exteriùs elongatio vel fuga, qua humiles personæ elongant se ab his, qui sunt in dignitate positi, non audentes eis appropinquare. Aliquandò verò honor dicitur, quod alicui personæ propter aliquam prælationê exteriùs exhibetur. Quod aliquandò fit gratia superioritatis, ad ostensionem subiectionis, & ad ostendendum voluntatem paratam esse ab obediendum: vt cùm aliquis assurgit venienti, vel assistit sedenti, vel inclinat transeunti, vel cùm sequitur incedentem, vel coram eo genua flectit. Ad exhibendum hunc honorem, monemur ad Romanos 13. Cui honorem, honorem. & 1. Pet. 2. Regem honorificate. Aliquàdò exhibetur honor

Diuisio dicendorum.

Honoris nomê quid oportet.

Diuersis de causis honor exhibetur.

honor alicui propter prioritatem temporis, ſecundùm illud Leuitici 19. Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis. Aliquandò verò aliquis honorem exhibet alicui, quia ab eo ſumpſit originem, ſecundùm illud Exodi vigeſimo: Honora patrem tuum & matrem tuam. Aliquandò verò propter excellentiam in aliqua gratia: & ſic exhibendus eſt omnibus. Debemus enim credere, quòd omnes nos excedunt in aliqua gratia. primæ Petri ſecundo: Omnes honorate. Et ſuper illud ad Philippen. ſecundo: In humilitate ſuperiores ſibi inuicèm arbitrantes, dicit Glo. Auguſtini: Non ità debemus arbitrari, vt nos æſtimare fingamus, ſed verè æſtimemus, poſſe aliquid occultum in alio eſſe, quo nobis ſuperior ſit, etiam ſi bonum noſtrum, quo illo videmus nos ſuperiores eſſe, non ſit occultum.

Quomodò alios extimemus ſuperiores nobis.

Secundò notandum, quòd multa ſunt, quæ huiuſmodi exhibitionem honoris mutui inter fratres, commendabilem reddunt, & incitant ad implendum.

Multa incitant ad honorem mutuò exhibendum.

1. Primò, ſcriptura ſacra, quæ multùm ad hoc hortatur, ad Roman. 12. Honore inuicèm præuenientes. Glo. aliter non eſt fraternus amor, niſi mutuis ſe præueniant obſequijs. & ad Epheſios quinto dicit Apoſtolus: Subiecti inuicèm in timore CHRISTI.

2. Secundò reddunt eum commendabilem exempla: inter quæ præcipuum eſt exemplum Domini, qui hominem tantùm voluit honorare. Honorauit enim eum creando, quia ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit illum, Geneſis primo. Honorauit etiam eum, ei prouidendo: quia viſibilia mundi propter eũ fecit, ſecúdùm illud Pſalm. Gloria & honore coronâſti eum, Domine, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. Item honorauit eum in conſeruatione, angelorum ei cuſtodiã deputando, ſecundùm illud Pſal. Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Honorauit etiam in incarnatione, naturam humanam cum diuina in vna perſona ſociando. De quo dicit Apoſtolus ad Hebræos ſecundo: Nuſquàm angelos appræhendit, ſed ſemen Abrahæ, ſcilicet carnem humanam, de ſemine illius aſſumendo. Honorauit etiam in paſſione, hominis gloriam crucis ignominia acquirendo. Vndè dicit Auguſtinus de CHRISTO, quòd redemit nos venditus, viuificauit occiſus, honorauit iniuriatus. Honorauit etiam Deus hominem in retributione, regnum cælorum ei in præmium bonorum operum diſponendo, ſecúdùm illud Matthæi vigeſimoquinto: Venite benedicti patris mei, percipite regnum &c. Non eſt ergò deſpiciendus ab homine, qui tantùm honoratur à creatore.

Quomodò Deus hominem honorauit.

Pſal. 8.

Pſal. 90.

Tertiò notandum, quàm multùm cauendum eſt in congregatione à dehonoratione fratris.

Cauendum eſt à dehonoratione.

1. Primò, quia nihil eſt, quod homines magis ſoleant diligere, quàm honorem ſuum: & ideò valde offenduntur in tali iniuria. Vndè & Dominus Saluator noſter patientiſſimus ad omnes alienas iniurias Iudæorum, de hac conqueritur, cùm dicit Ioannis octauo: Et vos inhonoráſtis me. Iniuria verò quanto plùs offẽdit, tãto eſt grauior.

2. Secũdo, quia huiuſmodi iniuria, eſt difficilis emendationis, ſiue reparationis. Nã ſi quis in rebus iniuriatur auferendo, poteſt emẽdare: honorem verò nõ ſic. Et ideò Pro. 25. dicitur: Quæ viderunt oculi tui, non proferas in iurgio citò: nè poſteà emendare non poſſis, cùm dehoneſtaueris amicum.

3. Tertiò, quia in huiuſmodi dehonoratione fratris, dehonoratur Deus, qui ſummè honorandus eſt: ad cuius imaginẽ factus eſt homo, & cuius inhabitator eſt. Matth. 25. Quòd vni ex minimis meis feciſtis: quòd intelligitur tam in bono, quàm in malo. Quicunque ergò inhonorat vnum de fratribus ſuis, etiam de minimis, Deum inhonorat. Econtrà honore exhibito homini, honoratur Deus: quia honor qui exhibetur imagini, potiùs exhibetur illi, cuius eſt imago.

Qui honorat hominem, honorat Deum, & econuerſo.

Quartò notandum eſt, quòd habenda eſt diſcretio magna in honoris exhibitione: & hoc quadrupliciter.

Quadruplex habẽda ratio in honorãdis hominibus.

1. Primò, vt non habeatur reſpectus ad bona contemptibilia, ſcilicet bona fortunæ, ſed ad bona naturę vel gratię. Honorare aliquẽ propter bona fortunæ, & deſpicere bona honorabilia, ſcilicet bona naturæ & gratiæ, magnæ ſtultitiæ eſt. Seneca: Quemadmodùm ſtultus eſt, qui equum empturus, non equum, ſed ſtratam & frenos conſpicit: ſic ſtultiſſimus eſt, qui ex veſte aut ex conditione, quæ modo veſtis nobis circundatur, hominem exiſtimat. Secundùm enim Gregorium in Moralibus, perſonam hominis accipere, eſt, hominem non quia homo, ſed propter aliquid quod circa ipſum eſt, honorare.

2. Secundò, quia licet omnes homines ſint honorandi, tanquàm ad imaginem DEI facti: ampliùs tamen honorandi ſunt boni, tanquàm filij DEI, & tanquàm qui à ſpiritu ſancto inhabitatur. primę ad Corinthios tertio: Templum DEI ſanctum eſt, quod eſtis vos. quod ſpecialiter competit viris religioſis, quia & ipſi ſunt DEO dedicati, vt templum & habitatio ſpiritualis per gratiam. Vndè templum eſt ſpecialis domus DEI, & excellentis nobilitatis ædificium: quarè optimè dicit Auguſtinus in regula: Honorate DEVM in vobis inuicèm, cuius templa facti eſtis.

Templum Dei.

3. Tertiò honorandi

Præ cæteris honorandi.

norandi sunt præ cæteris prælati, qui loco Dei sunt, iuxta illud Ecclesiast. 10. In medio fratrum, rector illorum in honore. Cuius autem est honor ille, nisi eius, cuius est magister? Vndè Maximus in sermone quodam: Dignitas quæ defertur ministris,
4. illi cuius sunt ministri, exhibetur. Quartò, honorandi sunt præ cæteris sacerdotes, maximè pabulum cælestem ministrantes. Ecclesiast. 5. Honorifica sacerdotes. & 1. Tim. 5. Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore habeantur digni, maximè qui laborant in scientia & doctrina. Sequitur nonum instrumentum: *Quod sibi quis fieri non vult, alijs non faciat.* Hoc præceptum est iuris naturalis, in corde hominis scriptum: in quo vniuersaliter prohibetur omne nocumentum proximi. Sunt autem duo præcepta iuris naturalis in corde hominis scripta, quibus plenè continetur regula dilectionis proximi. quorum primum habetur Tobiæ 4. Quod ab alio tibi oderis fieri, vide nè aliquandò alteri facias. Secundum habetur Matth. 7. Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis: quod intelligendum est de velle rationabili, & ordinato tantùm. De istis duobus beatus Augustinus libro de vera religione, ità loquitur: Ea est regula dilectionis, vt quæcunque vult homo sibi bona prouenire, & proximo velit: & quæ accidere sibi mala non vult, & proximo nolit. Hanc voluntatem erga omnes seruet. Hic autem notandum, quòd adimplere hoc, videlicet facere alijs, quæ vult homo sibi fieri, in casu necessitatis est præcepti: in alijs verò, est supererogationis.

Tob. 4. Matth. 7.

Duo iuris naturalis præcepta.

Regula dilectionis, & quādò alijs facere, quæ nobis volumus fieri, sit præceptum, vel nè.

TRACTATVS XXI.

De x. xj. xij. & xiij. instrumentis, vbì de multiplici abrenunciatione & castigatione carnis.

SEquitur decimum instrumentum: *Abnegare semetipsum sibi, vt sequatur Christum.* quod sumptum est ex Christi doctrina, Luc. 9. dicentis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & sequatur me. Abnegatio autem suiipsius, vt dicit Basilius, est totalis præteritorum obliuio, & recessus à proprijs voluptatibus. Et Gregorius super Ezechielem: Semetipsum abnegat, qui mutatus ad meliora, incipit esse quod non erat, & desijt esse quod erat. Et Origenes: Abnegat aliquis seipsum, dum vitam priùs in malitia consuetam, alteratione debita commutat: putà, qui dudùm in lasciuia vixerat, abnegat seipsum lasciuum, cùm sit castus: & similiter abstinentia cuiuslibet criminis, suiipsius abnegatio est. Quantæ autem necessitatis sit hoc documentum, Glo. exponit Lucæ 9. dicens: Nisi quis à semetipso deficiat, ad Deum qui supra se est, non appropinquat: & nouitatem, ad quam vocamur, non appræhendet: nisi mactet vetustatem, in qua natus fuit. Notandum circa hanc partem, quòd ad perfectè Christum sequendum, tria monacho Christi discipulo, abnegare conuenit, videlicet sua, secundùm quod habetur Lucæ 14. Qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. secundò mundum: tertiò seipsum, sicut dicitur in hoc loco. Iuxta hanc doctrinam distinguuntur in collationibus Patrum, colla. iij. cap. vj. tres renunciationes, quas vnúsquenq; nostrûm omni studio oportet implere. Prima est, qua corporaliter vniuersas diuitias mūdi, facultatesq; contemnimus. Secunda, qua mores ac vitia affectúsque pristinos animi carnísque respuimus. Tertia, qua mentem nostram de præsentibus vniuersis ac visibilibus euocantes, futura tantummodò contemplamur: & ea quæ sunt inuisibilia, concupiscimus. Quæ tria vt simul perficiantur, ità Abraæ legimus Dominum præcepisse, cùm dixit ad eum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Primùm dixit ei, Exi de terra tua, id est, de facultatibus mundi huius, operibus terrenis. Secundò, de cognatione tua, id est, de conuersatione & moribus vitijsq; prioribus: quæ nobis à nostra natiuitate cohærentia, velut affinitate quadam & consanguinitate cognata sunt. Tertiò, de domo patris tui, id est, de omni memoria mundi huius, & de his quæ oculorum occurrunt obtutibus. Sequitur vndecimum instrumentum: *Corpus castigare.* Quoniam, vt attestatur Glo. Lucæ 14. tunc verè nosmetipsos abnegamus, cùm carnalibus desiderijs non acquiescimus, sed potiùs reluctamus: conuenienter sanctus pater post instrumentum abnegationis suijpsius, de castigatione corporis instrumentum subiungit, quod sumptum est ex verbo Domini, Lucæ nono dicentis: Qui vult post me venire, abneget semetipsum. Et sequitur, Tollat crucem suam, scilicet pœnitentiæ. Vndè Augustinus: Crucifixio interioris hominis, pœnitentiæ dolores intelliguntur, & continuus quidam salubris cruciatus. Et Greg. Crux à cruciatu dicitur. Et duobus modis crucem Domini baiulamus. Aut cùm per abstinentiam carnem affligimus,

Abnegatio suiipsius quæ sit.

Tria monacho abneganda.

Gen. 12. Exēplum perfectæ abrenunciationis.

Crux animæ. Crux vndè. Crux duobus modis tollitur.

gimus, aut cùm per cõpassionem, proximi necessitatem, nostram putamus. Est aũt notandum, quòd multiplici de causa debet discipulus huius sanctæ scholæ corpus suum & carnem suam castigare vigilijs, ie-

Corpus multiplici de causa castigandum.

1. iunijs, alijsq́; sanctis laboribus. Primò, quia hoc est seruorum & militũ Christi, ad Gal. 5. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs suis. Vndè strenuissimus Christi miles Paulus, de seipso loquens, ait 1. Corinth. 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, id est, reprimo illicitos motus corporis, & in

2. seruitutem rationis redigo. Secũdò, nè caro contra spiritũ superbiat, aut insolescat: ità, vt corpus spiritui sit adiuuamentum, non viæ impedimẽtum. August. Caro nostra est, quæ nos demergit in foueam. Caro data est nobis, quasi animæ bellum, quæ si mortificetur, adducit ad vitam: si nutriatur, præparat se ad bellum: laudo illum, qui carnis suæ potest habere potestatẽ. O caro bestia crudelis, quid habes, quod grauas animã, quæ nihil desiderâsset, nisi Deo seruire, si tibi iuncta non fuisset: tu autem caro misera non solùm teipsam occidis, sed animã necas. Item Aug. Nõ præbeamus ergò vires illicitas corpori nostro, nè committat bellum aduersùs spiritum nostrum: sed semper sit subiecta caro, vt obtemperet iussis sancti spiritûs. Item Bernardus: Duriùs tractandum est corpus, nè rebellet, nè insolescat: sic tamen, vt seruire sufficiat: quia ad seruiendum spiritui, datum est. Nec sic habendum est, tanquàm propter illud viuamus: sed tanquàm sine quo viuere

De salutaribus docu. cap. 64.

Caro data est nobis ad bellum.

Ibid. c. 35.

Ad fratres de monte Dei.

Quomodò habendum sit corpus.

3. non possumus. Tertiò, propter amorẽ habendæ munditiæ & puritatis, quæ minimè speratur possideri, si caro concupiscentijs suis non refrenatur. Vt enim beatus Aug. loquitur, Caro præceps est ad libidinem, improba ad petulantiam, frequens ad luxuriam, inuerecunda ad fornicationem: crimen quotidiè crimini supponẽs, peccata peccatis, non cessat pessimis deteriora coniungere: voluntate crudelis, vana & insipiens, semper ad malum prona: velox ad mortem, ad vitam difficilis. Et quid plura? Sicut tinea lanam deuorat, & sicut ignis ligna, fœnum & stipulam consumit: ità caro rebellis & delicata, animam consu-

De salutaribus docu. cap. 65.

Caro non refrenata quid pariat.

4. mit & concremat. Quartò, quia in castigatione & humiliatione carnis, spiritus vigoratur & delectatur. Vt enim beatus attestatur Gregorius in Moralibus, spiritus deficit, vbi caro requiescit. Vt enim caro mollibus, sic anima duris nutritur: illam blanda refouent, hanc aspera exercẽt: illa delectationibus pascitur, hæc amaritudinibus vegetatur. Et sicut carnem dura sauciant: sic mollia spiritum necant, sicut il-

Spiritus & caro diuersa requirunt.

In Psalm. 3. Pœnitent.

lam laboriosa interimunt, sic istam delectabilia extinguunt. Quintò, quia casti- 5.
gato corpore, spiritus liberiùs ad superiora appetenda conscendit. Gregorius in Moralibus: Quo plùs caro premitur, eo de cælesti spe animus securiùs lætatur. Tanto enim mens meliùs ad superna appetenda componitur, quanto corpus ab illicitis arctiùs edomatur. Secundò notandum, quòd sanctus pater prudentissimè admonet corpus castigandum, non occidendum. Castigatio enim corporis ità debet esse discreta, vt vitia comprimantur, & facultas benè operandi, non deficiat. Vndè Apostolus Roman. 12. Obsecro itaque vos fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile sit obsequium vestrum. Hostia viuens debet esse corpus, vt mortificentur vitia, & seruetur natura. Colossen. 2. Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram. Hostia sancta est, si macula culpæ desit: placens Deo est, si recta intentio adsit, vt purè propter Deum fiat. Obsequium rationabile est, quandò ità discretè fit, vt corpus castigetur, & natura dissolui non cogatur. Vtendum est ergò sale discretionis in castigatione carnis, vt sacrificium nostrum Deo sit acceptum, secundùm illud Leuitic. 11. Quicquid obtuleris sacrificij, sale condies. In libro de vita solitaria: Si vigiliæ, ieiunia, & alia huiusmodi, ex indiscretionis vitio sic agantur, vt vel deficiente spiritu, vel languente corpore, spiritualia impediantur: qui sic corpori suo tulit boni operis effectum, spiritui affectum, proximo exemplum, honorem Deo: sacrilegus est, & horum omniũ in Deum reus. Sequitur duodecimum instrumentum huius artis spiritualis: *Delicias non amplecti*, id est, non amare. Sunt autem plures rationes, quarè huius scholæ discipulus, delicias carnales non debeat cupere & amare. Pri-
mò, exemplo CHRISTI, qui vitam asperam duxit, & laboriosam, non de- 1.
licijs affluentem. Vt enim ait deuotus Bernardus, Non decet sub spinato capite
membrum viuere delicatè. Secundò, quia 2.
deliciæ carnales & spirituales, non se compatiuntur, vt attestatur beatus Bernardus: Quomodò ignis & aqua simul esse non possunt, sic spirituales & carnales de-
liciæ in eodem se non cõpatiuntur. Tertiò, 3.
quia deliciæ carnales, sordes generant animarũ: inficiunt quidem spiritũ per turpes cogitationes & delectationes immundas. Bernardus: Mens assueta delicijs, nec culta disciplinæ surculo, multas con-
trahit sordes. Quartò, quia sunt causa 4.
lasci-

Lib. 31. cap. 28.

Accepta Deo hostia describitur.

Indiscreta carnis maceratio quid pariat.

Carnales deliciæ multiplici ratione nõ amandæ.

lasciuiæ & dissolutionis. Hiere.31. Vsque-
5. quò delicijs dissolueris filia vaga? Quintò,
quia sunt causa contumaciæ & rebellionis
carnis contra spiritum. Prou.29. Qui deli-
catè à pueritia nutrit seruum suum, post-
6. eà sentiet eum contumacē. Sextò, quia sunt
causæ mortis spiritualis. 1.Timot.5. Vidua
7. viuens in delicijs, mortua est. Septimò,
quia sunt causa æternæ damnationis. Ex-

Exemplum contra delicias.

emplum de diuite epulone, qui epulabatur quotidiè splendide, & sepultus est in inferno. Lucæ 16. Quarè dicit beatus Ambrosius super Lucam: Tenera corporis cura, fluxuq; deliciarum & lasciuiarum cupiditate mellitos, nequaquàm cælestis aula suscipit, ad quam duris, laboriosisque gradibus virtutum ascenditur. Et beatus Basilius in Hexameron: Qui ex desiderio ad gaudia æterna suspirat, præsentis vitæ oblectamēta non amat. Notādum autem, quòd, vt in

Quæ sint corporales deliciæ.

Vitis patrum dicit Abbas Ioannes, Delicię corporales non solùm illæ deliciæ putandę sunt, quibus homines seculi iterùm perfruuntur, sed abstinenti deliciæ credendæ sunt, quicquid cum cupiditate suspendit: etsi vile sit id, quod non corporis necessitate, sed vt animi desiderio satisfiat, sumitur: abstinenti deliciarum vitio ducitur. Sequitur tertiumdecimum instrumentum: *Ieiunium amare*. Optimè sanctus pater amorem ieiunij, collocat post instrumentum castigationis corporis: quia, vt ait Ambrosius in libro de Elia & ieiunio, Ieiunium est magisterium continentiæ, disciplina pudicitiæ, humilitas mētis, & castigatio carnis. Vndè Iudith quarto dicitur: Humiliauerunt animas suas ieiunio. Et Hester 5. Humiliauit corpus suum ieiunijs. De ieiunij dignitate, & quòd meritò

Ieiunij laudes referuntur.

amandum sit, Petrus Rauen. in sermone de Quinquagesima, ità loquitur: Ieiunium est vitiorum mors, vita virtutum, pax corporis, membrorum decus, ornamentum vitæ, robur mentium, vigor animarum. Ieiunium est castitatis murus, pudicitiæ propugnaculū, ciuitas sanctitatis, schola meritorum, magisterij magisterium, disciplina disciplinarum. Verùm parùm prodest à cibis abstinere, si non ieiunetur à vitijs.

Perfectum ieiunium.

Perfectum ieiuniū, quod discipulo amandum iniungitur, est, quod absque cuiuspiam vitij cōtagione, operibus virtuosis est copulatum, de quo Dominus per Prophetam ait: Sanctificate ieiunium, Ioel.1. quod beatus Gregorius exponens, in homilia dicit: Ieiunium sanctificare, est, adiunctis bonis operibus, dignam Deo abstinentiā carnis ostendere. cesset ira, sopiantur iurgia. Incassùm enim caro atteritur, si à prauis suis voluptatibus animus non refrenatur. Et Hieronymus: Abstinentia ieiunij, adiuuamentum est, non perfectio, sanctitatis. Quid prodest attenuari abstinentia, si animus intumescit superbia? Quæ laus de pallore ieiunij, si de inuidia liuidi sumus? Quid virtutis habet, vinum non bibere, & ira & odio inebriari? Tunc præclara est abstinentia, & magnifica castigatio carnis, cùm animus ieiunus est à vitijs: ideò carnem affligat, quo animæ frangat superbiam. Hæc ille. Est circa hoc instrumentum notandum, quòd sanctus pater non dicit simpliciter, ieiunet: sed, quòd amet ieiunium. tum propter eos, qui inuiti quandoquè ieiunant, aliqua necessitate compulsi, qui non videtur dicendi amare ieiunium.

Nōn tam ieiunare, q amare ieiunium debemus.

Secundò, propter eos, qui aliquandò aduentantibus fratribus, fraterna charitate deuicti, quotidiana prætereunt ieiunia: sicut apud Patres Aegypti refert Cassianus fuisse consuetudinem, qui tamen licèt videantur præterire ieiunia, nihilominùs quia hoc pro implenda charitate tantùm faciunt, ieiunium amare dicendi sunt. Vndè Prosper de vita contemplatiua: Si propter quoslibet aduenientes, intermisso ieiunio, me simul reficio: non soluo ieiunium, sed impleo charitatis officium. Ipsa nanque ieiuniorum continuatio, nisi fuerit, quandò res exigit, prętermissa: & me inflat, & fratrem, cui iubeor seruire, contristat: & cùm sit sine adiunctione charitatis, necessè est vt pereat.

Quomodò non frangamus ieiunium, etiam comedētes.

Prætereà notandum, quòd ieiunium debet esse discretione moderatum: compensata quantitate virium, sicut suprà parùm diximus de castigatione corporis. Vndè Hieronymus in epistola ad Nepotianum: Tantum tibi ieiuniorum impone, quantum ferre potes: sint ieiunia pura, casta, simplicia, moderata, & non superstitiosa. Matt.6. Cùm ieiunatis, nolite fieri, sicut hypocritę, tristes. Talium enim ieiunia, sunt coram hominibus immoderata, & superstitiosa, & non simplicia.

Ieiuniū debet esse discretum.

TRACTATVS XXII.
De xiiij. xv. xvj. xvij. xviij. xix. instrumentis: vbì de operibus misericordiæ.

QVoniam virtus & efficacia ieiunij, multùm pendet ex associatione operum misericordiæ: Illud enim ieiunsum, vt dicit Gregorius in Homilia, Dominus approbat, quod ad eius oculos manus eleemosynarum leuat, quod cum proximi dilectione agitur, quod ex pietate conditur: rationabiliter post amorem ieiunij sanctus pater subdit instrumenta operum pietatis. Decimumquartum instrumentum est: *Recreare pauperes*. De quo Isa. quinquagesimo-

quarto: Frange esurienti panem tuum. Decimumquintum est: *Vestire nudum*. De quo Tobię quarto: De vestimentis tuis nudos tege. Et Isaiæ 54. Cùm videris nudum, operi eum. Decimumsextum est: *Infirmos visitare*. De quo Ecclesiastici 6. Non te pigeat visitare infirmum. Decimumseptimum est: *Mortuos sepelire*. Ecclesiastici septimo: Mortuo non prohibeas gratiam. Glo. ad eleemosynam pertinet sepultura mortuorum. Decimumoctauum est: *In tribulatione subuenire oppresso*. Decimumnonum est: *Dolentem consolari*. De quo dicitur in commendationem sancti viri Tobiæ: Pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, Tobiæ primo. Circa ista instrumenta operum misericordiæ, plura veniunt notãda, videlicet quot sunt opera misericordiæ: secundò, quomodò distinguuntur: tertiò, quomodò hîc sufficiẽter tradũtur à beato Benedicto: quartò, de vtilitate misericordiæ: quintò, qualiter ad supradicta opera misericordiæ religiosi teneantur.

Dicendorũ in præsenti tractatu, distinctio.

Circa primum sciendum, quòd quatuordecim assignãtur opera misericordiæ, septem corporalia, & septem spiritualia. Corporalia sunt ista: pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, recolligere hospitem, visitare infirmum, redimere captiuũ, & sepelire mortuum: quæ in hoc versu continentur: *Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo*. Septẽ verò spiritualia, sunt ista, s. docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari tristẽ, corrigere peccantem, remittere offendẽti, portare onerosos & graues, & pro omnibus orare: quę etiam in hoc versu cõtinentur: *Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora*: ità tamẽ, quòd sub eodem intelligitur consiliũ & doctrina.

Opera misericordiæ corporalia.

Spiritualia.

Circa secundum notandũ, quòd, vt inquit sanctus Thomas in secunda secundæ, prædicta operum misericordiæ distinctio, conuenienter sumitur secundùm diuersos defectus proximorum. quorum quidam sunt ex parte animæ, ad quos ordinantur spirituales eleemosynæ: quidam verò ex parte corporis, ad quos ordinãtur eleemosynæ corporales. Defectus enim corporalis aut est in vita, aut est post vitam. Si quidem est in vita, aut est communis defectus, respectu eorum quibus omnes indigent: aut est specialis propter aliquod accidens superueniens. Si primo modo, aut defectus est exterior, aut interior. Interior quidem est duplex: vnus quidem, cui subuenitur per alimentum siccum, scilicet fames: & secũdùm hoc, ponitur pascere esurientem. Alius autem est, cui subuenitur per alimentum humidum, scilicet sitis: & secundùm hoc, dicitur potare sitientem. Defectus autem communis, respectu exterioris auxilij, est duplex: vnus, respectu tegumenti: & quantùm ad hoc, ponitur vestire nudum. Alius est respectu habitaculi: & quantùm ad hoc, est suscipere hospitem. Similiter autem, si sit aliquis defectus spiritualis, aut est ex causa intrinseca, sicut infirmitas: & quantùm ad hoc, ponitur visitare infirmum: aut ex causa extrinseca: & quantùm ad hoc, ponitur redemptio captiuorum. Post vitam autem exhibetur mortuis sepultura.

Quomodò rectè sumatur operum misericordiæ distinctio.

Similiter autem spiritualibus defectibus, spiritualibus actibus subuenitur dupliciter. Vno modo, poscẽdo auxiliũ à Deo: & quantùm ad hoc, ponitur oratio, qua quis pro alijs orat. Alio modo, impendendo humanum auxilium: & hoc, tripliciter: vno modo, contra defectum intellectûs: & si quidem sit defectus speculatiui intellectûs, adhibetur ei remedium per doctrinam: si autem practici intellectûs, adhibetur ei remedium per consilium. Alio modo est defectus, per passionẽm appetitiuæ virtutis: inter quos maximus est tristitia, cui subuenitur per consolationem. Tertio modo, ex parte inordinati actûs, qui quidem tripliciter considerari potest: Vno modo, ex parte ipsius peccantis, inquantùm procedit ab eius inordinata volũtate: & sic adhibetur remedium per correctionẽ. Alio modo, ex parte eius in quem peccatur: & sic, si qnidem sit peccatum in nos, remedium adhibemus remittendo offensam. Si autem sit in Deum, vel in proximum, non est nostri remittere, vt Hieronymus dicit super Matt. Tertio modo, ex parte sequelę illius actûs inordinati, ex qua grauantur ei conuiuentes, etiã præter peccantis intẽtionem: & sic remedium adhibetur supportãdo, maximè in his, qui ex infirmitate peccant, secundùm illud ad Rom. 15. Debemus nos firmiores, infirmitates aliorum portare. & non solùm secundùm quod infirmi sunt graues ex inordinatis actibus, sed etiam quæq; eorum onera supportanda sunt, secundùm illud Gal. 6. Alter alterius onera portate.

Spiritualibus defectibus dupliciter subuenitur.

Actus inordinatus cõsideratur tripliciter.

Circa tertium notandum, quòd sanctus Benedictus compræhendere videtur in his sex operibus quę posuit, quatuordecim opera misericordiæ. Sub primo enim, scilicet sub recreatione pauperum, continentur tria, videlicet pascere esurientem, potare sitientẽ, & recolligere hospitem. Sub tertio autem, videlicet infirmos visitare, compræhenditur redemptio captiuorum. Sub alijs verò duobus, compręhenduntur alia opera spiritualia. Nam per quintum, videlicet, subuenire in tribulatione, intelliguntur tria opera misericordiæ, videlicet docere ignorantem, consulere dubitanti, corrigere deuiantem. Sub sexto autẽ, videlicet dolentẽ, id est, tristem consolari, compręhẽduntur alia tria, videlicet remittere offendẽti, sup-

Quomodò S. Benedictus paucis verbis oĩa opera miæ, tam corporalia quàm spiritualia, optimè cõpræhenderit.

portare

portare patienter onerosos siue graues: & orare pro alijs, vt Deus illos consoletur.

Vtilitas misericordiæ ea multis colligitur.

Circa quartum, notandum, quòd vtilitas misericordiæ, inter alia colligitur ex
multis. Primò, quia valet ad conuersatio-
1. nem vitæ. vndè Apostolus Timotheo di-
1.Timot. 4. scipulo scribens, ait: Exerce teipsum ad
pietatem. nam corporalis exercitatio, ad
modicum vtilis est sine pietate: pietas au-
2. tem vtilis est ad omnia. Secundò, ad commendationem conscientiæ. Vndè Augustinus: Misericordia, est humanæ naturæ preciosum ornamentum. Et Ambrosius libro de Officijs: Nihilità commẽdat Christianam animam, quemadmodùm miseri-
3. cordia. Tertiò valet ad multiplicationem terrenæ substantiæ, secundùm illud Saluatoris, Lucæ sexto: Date, & dabitur vobis. Prouerb. vndecimo: Benedictio Dei, diuites facit. Et Prouerb. decimonono: Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur. Et Gregorius in dialogo: Terrenæ substantiæ per hoc, quòd pauperibus distri-
4. buuntur, multiplicantur. Quartò, valet ad redemptionem culpæ. Danielis quarto: Peccata tua eleemosynis redime. Lucæ vndecimo: Date eleemosynã, & omnia munda sunt vobis. Et Chrysostom. super Matthæum: Eleemosyna mundat, & est maius sacrificio, secundùm illud Osee sexto: Misericordiam volo, & non sacrificium.
5. Quintò, ad impetramen gratiæ. Prouerb. 3. Misericordia & veritas non te deserant, & inuenies gratiam coram Domino. Prouer. decimonono: Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. Et Isaiæ quinquagesimooctauo: Cùm effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orie-
6. tur in tenebris lux tua. Sextò, valet ad conseruationem eiusdem. Ecclesiastici vigesimonono: Eleemosyna viri, gratiam bo-
7. minis, quasi pupillam conseruabit. Septimò, ad exauditionem orationis. Ecclesiastici vigesimonono: Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc orabit pro te. Et Isaiæ quinquagesimooctauo: Frãge esurienti panem tuum. Et infrà: Tunc exorabis, & Dominus exaudiet: & clamabis, & dicet, eccè adsum: quia misericors est Do-
8. minus Deus tuus. Octauò, valet ad impugnationem hostis. Ecclesiastici 29. Eleemosyna viri, quasi sacculus cum ipso. Et sequitur: Super scutum potens, & super lanceam aduersùs inimicum tuum pugnabit.
9. Nonò, valet ad liberationem æternæ mortis. Prouerb. decimoquarto: Eleemosyna ab omni peccato in morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Item Psalmo quadragesimo: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala libe-
10. rabit eum Dominus. Decimò, valet ad redemptionem gloriæ. Prouerb. decimotertio: Qui miseretur pauperis, beatus erit. Matthæi quinto: Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur: quibus in die iudicij dicturus est Dominus: Venite benedicti patris mei: percipite regnum. Matthæi vigesimoquinto.

Quomodò religiosi teneantur ad opera misericordiæ, maximè corporalia, cùm eis propriũ habere non liceat.

Circa quintum, quia dubium esse potest, qualiter religiosi teneantur ad opera misericordiæ corporalia, quæ sanctus pater Benedictus hic posuit, videlicet ad recreationem pauperum, &c. cùm monachus proprium habere non debeat: nec dispensatio bonorum communitatis, sit credita singulis monachis: Notandum est primò, quòd duo illa prima, videlicet de recreatiõe pauperum, & tegumento nudorum, quantùm ad affectũ pietatis, omnes respiciunt: quantùm verò ad affectum operis, solos maiores respiciunt monasterij, qui dandi habent potestatem. Dicitur autem in quodam sermone quadragesimæ, quòd illi qui non habet vndè tribuat, sufficit bona voluntas: secundùm quod scriptum est: Gloria in excelsis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. (Luc. 2.) Vtrùm autem monachus posset facere eleemosynam de bonis monasterij? Respondet sanctus Thomas in secunda secundæ, quòd monachus, si habet dispensationem à Prælato commissam, potest facere eleemosynam de bonis monasterij, secũdùm quod sibi est commissum. Si verò non habet dispensationem, quia nihil habet proprium, non potest facere eleemosynam sine licentia Abbatis, expressa habita, vel probabili præsumpta, nisi fortè in articulo extremæ necessitatis, in quo datum esset ei furari, vt eleemosynam daret. Prętereà, vt dicit idem sanctus Thomas in quarto Sententiarum, potest, absente Abbate, aliquid modicum dare sub spe ratihabitionis. Extra monasterium verò existens, putà in studio, potest eleemosynam facere: quia cùm dantur ei expensæ, committitur ei dispensatio earum.

Videãt pauperes, & lætentur, religiosi sancti, quod non sint peioris conditionis, quàm diuites seculares, quia nõ possunt eleemosynas facere.

Secundo notandum, quòd ex hoc, quòd monachus, ratione iam dicta, non possit opera illa misericordiæ effectualiter exercere, non est peioris conditionis, quàm sint diuites seculares, habentes vndè eleemosynas faciunt. Quoniam multo magis est accepta DEO, vniuersalis rerum abdicatio, quàm particularis distributio, quæ fit per eleemosynas. Sicut enim dicit sanctus Thomas in secunda secundæ: Abrenunciatio propriarum diuitiarum, comparatur ad eleemosynarum largitionem, sicut vniuersale ad particulare, & holocaustum ad sacrificium. Vndè Gregorius dicit super Ezechielem, quòd illi qui ex possessis rebus subsidia egentibus mini-

ſtrant, in bonis quæ faciũt, ſacrificium offerunt: quia aliquid Deo immolant, & aliquid ſibi reſeruant. Qui verò nihil ſibi reſeruant, offerunt holocauſtum, quod eſt maius ſacrificio. Vndè Hieronymus contra Vigilantium dicit: Quòd aũt aſſeris, eos meliùs facere, qui vtũtur rebus ſuis, & paulatim fruct⁹ poſſeſſionũ pauperibus diuidunt: non à me eis, ſed à Domino reſpondetur: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, &c. Et poſteà dicit: Iſte, quem tu laudas, ſecundus & tertius gradus eſt, quem & nos recipimus, dummodò ſciamus prima ſecundis & tertijs præferenda. Et ideò ad excludẽdum errorem Vigilantij, dicitur in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus: Bonum eſt, facultates cum diſpenſatione pauperibus erogare: melius eſt, pro intentione ſequendi Dominum, in ſimul donare: & abſolutum ſolicitudine, cum CHRISTO egere.

Matth. 19.

Cap. 71.

Tertiò, notandum circa alia duo de viſitatione infirmorum & ſepultura mortuorum, quòd ſanctus pater non intendit, vt horum gratia gradiendum ſit extra monaſterium: quia ipſe ſanctus pater inferiùs dicit, quòd officina, vbi hæc diligẽter operanda ſunt, clauſtra ſunt monaſterij. Vndè in cap. placuit. 16. q. 1. præcipitur monachis, vt mortuum non ſepeliant, niſi monachum in monaſterio ſecum commorantem: vel ſi fortuitù quenquam aduenientium fratrum ibi mori cõtigerit. Propterèa etiam iſta infra monaſterij clauſtra adimplenda ſunt cum licentia, & ſecundùm diſpenſationem Prælati. Porrò ſurgit hic quæſtio: vtrùm religioſus videns patrem ſuum eſſe in neceſsitate, poſsit abſq; Prælati licentia exire clauſtrum, ad ſubueniendum patri? Ad hanc quæſtionem reſpondet ſanctus Thomas in Quolibeto tertio, ar. 16. ſic: quòd aliter dicendum eſt de illo, qui nondùm religionem intrauit, & aliter de illo, qui iam in religione eſt profeſſus. Ille enim, qui nondùm religionem intrauit, ſi videat patrem ſuum in magna neceſſitate, cui per alium ſubueniri non poſsit, non debet religionem intrare: ſed tenetur miniſtrare parentib⁹, maximè ſi abſq; periculo peccati poſsit in ſeculo remanere. Si verò per alium poſsit eius parentibus miniſtrari, poteſt, ſi vult, religionem intrare. Vndè Chryſoſtomus exponens illud, Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos: dicit, quòd malum eſt abducere hominem à ſpiritualibus, & maximè, cùm fuerint qui miniſterium parentum compleant: erant enim aliqui, qui complere poſſent illius funeris ſepulturam. Poſtquàm verò aliquis iam eſt in religione profeſſus, eſt mortuus mundo: vndè per ſpiritualem mortem deobligatur à cura impendenda parentibus, ſicut etiam deobligaretur per mortem temporalem ſiue corporalem: & ideò non peccat, nec contra præceptum Dei agit, ſi in clauſtro remaneat ſub præcepto Prælati, parentum miniſtratione prætermiſſa. Etenim factus eſt impotens ad reddendum debitum miniſterium abſque propria culpa. Debet tamen, quantùm poteſt ſalua ordinis ſui obedientia, ſatagere, vt per ſe vel per alium ſuis parentibus ſubueniatur, ſi in neceſsitate fuerint conſtituti.

Quomodò intelligatur, monachũ debere viſitare infirmum, vel mortuum ſepelire.

Vide pulchram ſolutionem, ad religioſos pertinentẽ.

Homil. 28. in Matth.

Religioſus eſt tanq̃ mortuus.

TRACTATVS XXIII.

De xx. inſtrumento: vbì de fuga negociorum ſecularium, & de decem rationibus, propter quas mundus ſit contemnendus.

SEquitur viceſimum inſtrumẽtum: *A ſeculi actibus ſe facere alienum.* Quoniam, vt ait Glo. Deuteronomij primo, animus nimis intentus humanis actionibus, Deo quodammodò vacuatur: quo tanto fit plenior, quanto in ſuperna & æterna liberiùs extenditur: meritò ſanctus pater inſtrumentum adipiſcendæ perfectionis ſpiritûs, poſuit ſeparationem & animi alienationem à ſeculi actibus. Vbi duo veniunt notanda, ſecundùm quod duplex ſenſus poteſt dari huius inſtrumenti. Primus eſt, vt diſcipulus perfectiõis amator, à negocijs ſecularibus, cuiuſmodi ſunt curæ terrenæ, negociationes ſeculares, ſolicitudines mundanæ, mercationes, aduocationes, & huiuſmodi, ſit alienus. Nam vt docet Apoſtolus 2. Timo. 2. dicens: Nemo militans Deo, implicat ſe negocijs ſecularib⁹, vt ei placeat, cui ſe probauit, id eſt, deuouit. Magnum profectò impedimentum quietis & perfectionis ſpiritûs, eſt occupatio ſecularis. Hinc Seneca: Omnia impedimenta dimitte: vaca bonæ menti: nemo ad illam peruenit occupatus. Et Gregorius in Moralibus: Qui ſpiritualibus bonis ditati ſunt, terrenis non debent implicari negocijs: ne, dum cognouerint inferiora bona diſponere, non valeant ſuperioribus bonis deſeruire. Alienum enim eſſe à ſeculi actibus, maximè conuenit monachis & religioſis. Vndè Hieronymus: Tu, ſi monachus eſſe vis, non videri, habeto curam, non rei familiaris, cui renunciando, hoc eſſe cœpiſti, ſed animæ tuæ: monachum, non loquendo & diſcurrendo, ſed tacendo & ſedendo, quiſque te noue-

Magnũ impedimẽtũ, religioſis, occupatio ſecularis.

Ad Ruſticũ monachũ, epiſt. 4.

noucrit. Hinc Arsenio oranti, Domine,
Radices nõ peccandi. dirige me ad salutem : vox cælitùs facta
est : Arseni, fuge, tace, & quiesce: hæc
sunt radices non peccandi. Hieronymus
Epist. 13. ad Paulinum: Si autem cupis esse, quod
diceris, monachus, id est, solus: quid
facis in vrbibus, quæ vtiquè non sunt so-
lib. 2. de claustro animæ cap. 16. lorum habitacula, sed multorum. Vndè
Hugo in tractatu de duodecim abusio-
nibus, ait: quòd quinta abusio est mona.
Abusio eorum qui se immiscent curijs secularium, quũ religiosam sint vitam professi. chus curialis. Qui enim secularium ho-
minum consortium diligũt, qui se con-
silijs principum libenter ingerũt, qui se-
cretorum conscij sunt & internuncij,
curiales possunt appellari. Ordo clau-
stri, & ordo curiæ, diuersus est valdè: Ibi
sedes in insidijs cum diuitibus in occul-
Psal. 9. tis, vt interficias innocentem: hîc audis,
Psal. 25. Non sedi cum consilio vanitatis, & cum
iniqua gerentibus non introibo. Ibi in-
Psal. 9. sidiaris, vt rapias pauperem &c. hîc dicis,
Psal. 25. Odiui ecclesiam malignantium, & cum
Ibid. impijs non sedebo. Ibi dextera tua reple-
ta est muneribus: hîc lauas inter inno-
Ibid. centes manus tuas. Ibi pauperum res vi-
Psal. 9. olenter auferũtur: hîc pauperibus spon-
tè offeruntur. Ibi laudatur peccator in
desiderijs animæ suæ, & iniquus bene-
dicitur: hîc benedicitur iusto. Si vis mo-
nachus esse curialis, laudas, quod non
debes: quod non expedit, defendis:
quod non licet, operaris. Hæc ille. Est
tamen hic considerandum, quòd tra-
ctare negocia, quandò iusta necessitas
cogit, vel pia vrget vtilitas, benè per-
mittitur religiosis: quod sanctus Tho-
mas in secunda secundę, questione cente-
sima octogesima septima, articu. secundo
Decisio, quũ liceat monachis tractare secularia, & quandò nõ. declarat, ità dicens: Status religionis, est
ordinatus ad perfectionem charitatis cõ-
sequendam. Ad quam quidem principa-
liter pertinet Dei dilectio: secundariò
autem, dilectio proximi. Et ideò religi-
osi præcipuè & propter se, debent inten-
dere ad hoc, quòd Deo vacent. Si autem
necessitas proximis immineat, eorum ne-
gocia ex charitate agere debent, secun-
dùm illud ad Galatas sexto: Alter alteri-
us onera portate, & sic adimplebitis legẽ
Christi. quia & in hoc ipso, quòd pro-
ximis seruiunt propter Deum, dilecti-
oni diuinæ obsequuntur. Vndè dicitur
Iacobi primo: Religio munda & imma-
culata apud Deum & patrem hæc est, vi-
sitare pupillos & viduas in tribulatione
eorum. Glo. id est, succurrere eis, qui ca-
rent præsidio, in tempore necessitatis. Est
ergò dicendum, quòd causa cupiditatis,
secularia negocia gerere nec monachis,
nec clericis licet: causa verò charitatis, se
negocijs secularibus cum debita mode-
ratione ingerere possunt, secundùm su-
perioris licentiam, & ministrando, & di-
rigendo. Vndè dicitur in decreto distin.
octogesima octaua: Decreuit sancta syn-
odus, nullũ deincèps clericum aut pos-
sessiones conducere, aut negocijs secula-
ribus se permiscere, nisi propter curam
pupillorum, aut orphanorum, aut vi-
duarum: aut si fortè episcopus ciuitatis,
ecclesiasticarum rerum solicitudinem
eum habere præcipiat. Eadem autem ra-
tio est de religiosis & clericis, quia vtrisq;
simpliciter negocia secularia interdicun-
tur, vt dictum est. Secundus est sensus,
qui potest haberi de intelligentia hui-
us instrumenti, vt non modò conuer-
sationis ab actibus seculi, sicut dictum
est, sed etiam ab amore eius discipulus
omninò sit separatus. De hoc inquit A-
postolus: Nolite diligere mundum, nec
ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit
mundum, non est charitas patris in eo,
primæ Ioannis secundo. Glo. Vnum cor,
duos sibi aduersarios amores non capit:
radicati in charitate, hanc super radicem
nihil ædificetis, nisi quod conuenit cha- Dilectio Dei, & dilectio mundi.
ritati: quia non potestis duobus domi-
nis seruire: sicut dilectio Dei, est fons
omnium virtutum: ità dilectio mundi,
omnium vitiorum. Circa quod no- Nõ esse diligendum mundum, decem rationibus.
tandum, quòd sunt decem rationes, quæ
meritò nos alienare debent & separare ab
actibus seculi & amore mundi. Prima
est, quia mundus est tenebrosus: ma- 1.
gnas enim tenebras patiuntur amatores
mundi, & ideò per Aegyptum conueni-
enter intelligitur. Interpretatur enim
tenebræ. De tenebris malorum dicitur
Prouerbiorum quarto: Via impiorum
tenebrosa. & in Psalmo: Nesciêrunt, ne- Psal. 81.
que intellexerunt, in tenebris ambulant.
Causa autem, quòd amatores mundi te-
nebris inuoluuntur, est, quòd oculos su-
os statuerunt declinare in terram, quæ est
corpus obscurum, dorsum habentes ad
DEVM, qui est verum lumen. Augusti-
nus: Dorsum habebam ad lumen, & fa-
cies mea non illuminabatur. Idem de li-
bero arbitrio: Væ eis, Domine, qui auer-
tunt se à lumine tuo. Secunda ratio, re- 2.
trahens nos ab amore mundi, est, quòd
mundus est falsus & deceptorius: eum, Mundus est falsus.
cui arridet, decipit: potiùs eligenda est
ira eius, quàm arrisus. Ecclesiastis septi-
mo: Melior est ira risu. Gregorius: Cùm lib. 5. Mor. cap. 1.
omnis fortuna timenda sit, magis timen-
da est prospera, quàm aduersa: hæc enim
sæuiendo erudit, illa blãdiendo seducit.
Mundus amantes se deuorat? iuxta illud

Auguſtinus: Amas ſeculum? abſorbebit
te, amatores ſuos vorare nouit, non por-
tare. Fallax profectò eſt præſens ſeculum:
omnia enim quæ habet aut ꝓmittit, falſa
ſunt & fallacia: fallaces quidem ſunt di-
uitiæ eius, fallaces deliciæ: fallax gratia,
fallax potentia, fallax gloria eius. Hinc
Deus per Prophetam ait Pſal. quarto: Fi-
lij hominum, vſquequò diligitis vanita-
tem, & quæritis mendacium? vbi Glo. in-
quit: Terrena bona, vana ſunt: quia, vt
vmbra, tranſeunt: mendacia verò, quia
non faciunt quod promittunt, ſcilicet
beatos. Tertia ratio, quia mūdus eſt mo-

Terrena, vana ſunt & mendacia.

3. dicus: bona enim terrena, modica ſunt
in ſe: modica ſunt reſpectu Dei, reſpectu
animę, reſpectu cæli. Modica quidem ſe-
cundùm ſe. vndè Bernardus: Precioſiſſi-
ma mundi, aurum & argentum ſunt: ſed
quid ſunt illa, niſi terra rubea & alba: er-
gò qui diligit aurum & huiuſmodi, dili-
git terram. Sunt prætereà modica reſpe-
ctu Dei, quia ſunt reſpectu eius quaſi gut
ta roris. Sapientiæ vndecimo: Quaſi gut-
ta roris antelucani, ſic eſt ante te orbis
terrarum: immò nec ſunt, reſpectu Dei,
dicente beato Gregorio in Moralibus:
Omnia humana, quæ pulchra, quæ iuſta
ſunt, Dei iuſtitiæ & pulchritudini com-
parata, nec pulchra, nec iuſta ſunt: nec
omninò ſunt. Et Ioan. decimoſexto di-
cit Chriſtus: Vſque modò non petîſtis
quicquam. Nihil pętit, qui temporale pe-
tit. Iere. quarto: Adſpexi terram, & eccè
vacua erat & nihil. Et ideò beatus Augu-
ſtinus: Væ tibi, ſi amaueris condita, & de-
ſeruēris conditorem: pulchra ſunt tibi
hæc: ſed quanto eſt pulchrior, qui illa
formauit? In reſpectu animæ, etiam mo-
dica ſunt, quoniam eam replere nō poſ-
ſunt. Cùm enim anima capax ſit Dei, re
minore Deo repleri nō poteſt. vndè Au-
guſtinus in ſermone quodam: Ad imagi-
nem quippe Dei facta anima rationalis,
cæteris omnibus occupari poteſt, repleri
omninò non poteſt. Capax enim eſt Dei:
quicquid Deo minus eſt, non eam imple-
bit. Quarè idē beatus Auguſtinus in qua-
dam homilia ità loquitur: Si inferius te
eſt, quod amas: ad conſolandum ama, ad
vtendum ama, non ad illigandum: ver-
bi gratia, aurum amas, noli te illigare au-
ro: quanto melior es, quàm aurum? Au-
rum enim, terra eſt fulgens, tu autem il-
luminaberis à Domino, ad imaginem
Dei factus es: cùm ſit aurum creatura Dei,
non tamen fecit Deus aurum ad ſimili-
tudinem ſuam, ſed te: ergò poſuit ſub
te aurum. Amor ergò iſte contemnen-
dus eſt, ad vſum aſſumenda ſunt iſta, non
eis vinculo amoris quaſi glutino inhæ-

Modica ſunt.

lib 33. ca. 1.

Nihil ſunt.

37. ex 50.

rendum eſt. Modica enim ſunt reſpectu
cæli, ſicut centrum reſpectu circunfe-
rentię: latitudo, circunferentiæ eſt, non
centri. Seneca: Punctum eſt, in quo na-
uigatis, bellatis, regnatis: modica planè
eſt bonitas temporalium, reſpectu bo-
norum ęternorum: vmbrę potiùs dicen-
da ſunt verorum bonorum, quàm vera
bona. Sapientiæ quinto: Omnia tranſi-
êrunt tanquàm vmbra. Signum modicę
bonitatis bonorum temporalium mani-
feſtum eſt, quòd Deus ea dat omnibus, &
amicis, & inimicis: communia ſunt &
bonis & malis. Auguſtinus libro decimo-
quinto de ciuitate Dei: Temporalia &
carnalia bona propterea largitur Deus
etiam malis, nè magna videantur bonis.
quarè optimè concludit beatus Augu-
ſtinus libro de conflictu vitiorum: Si te
iſta delectant, quæ ſub cælo ſunt: cur nō
magis ea delectant, quæ ſuper cælos ſunt?
Si carcer iſte pulcher eſt, patrum ciuitas
& domus qualis eſt? Si talia ſunt, quæ
hîc incolunt peregrini: qualia ſunt, quę
ibi poſſident filij? Si mortales & miſeri
in hac vita taliter ſunt remunerati, im-
mortales & beati qualiter ſunt in illa vi-
ta ditati? Quapropter recedat amor præ-
ſentis ſeculi, in quo nullus ità naſcitur,
vt non moriatur: & ſuccedat amor fu-
turi ſeculi, in quo omnes ſic viuificen-
tur, vt non moriantur. Deincèps vbi
nulla neceſſitas turbat, nulla aduerſitas
anguſtiat, nulla moleſtia inquietat, ſed
perennis lætitia regnat. Quarta ratio, 4.
quia mundus eſt damnoſus ſiue noxius.
Iacobi quarto: Amicitia huius mundi,
inimica eſt Deo. Quicunque ergò volu-
erit amicus eſſe huius ſeculi, inimicus
Deo conſtituitur. Sicut enim non con-
iungitur cælum terræ, immò multùm di-
ſtat ab ea: ſic cæleſtia in corde humano
terrenis non coniunguntur. Vndè inui-
tati ad nuptias, excuſant ſe, quòd ſint ter-
renis negocijs impediti, Lucæ decimo-
quarto. vbi Glo. Excuſat ſe omnis, qui
plùs terrena quàm cæleſtia diligit, etiam
ſi ad cæleſtia ſe extendere dicat. Abun-
dantia temporalium & Dei obliuio, fre-
quenter ſe comitantur. Effrain & Ma-
naſſes fratres fuerunt: vt dicitur Geneſis
quadrageſimoprimo. Effrain, fructificās
interpretatur: Manaſſes, obliuio: profi-
cientes temporalibus, Deum ſolent obli-
uiſci. Deuteronomij octauo: Caue nè
cùm dederit tibi Dominus vrbes & op-
pida, cunctarumq; opum gloriam, obli-
uiſcaris Domini Dei tui. Et beat⁹ Aug. in
hom. quadā: Eſt amor vtilis, & eſt amor
noxius. amor amore impeditur. Amor
noxius ſecedat, & amor vtilis ſuccedat:
ſed

Argumē. ꝙ terrena bona, modicæ bonitatis ſint.

Cap. 16.

Amor huius mundi, noxius.

Figura, ꝙ qui abūdāt terrenis, obliuiſcuntur cæleſtia.

37. ex 50.

Ratio, quare non capit in nobis amor Dei.

sed quia homines nolunt illinc recedere: ideò in illos aliud non potest introire: vt non capiant, pleni sunt: fundant, & capiunt: pleni enim sunt amore voluptatum carnalium, pleni sunt amore præsentis vitæ, pleni sunt amore auri & argenti, & possessionum huius seculi: quia ergò pleni sunt, sic sunt quomodò vasa: vis vt intret mel, vndè acetum nondùm fudisti? funde quod habes, vt capias quod non habes. Ideò prima renunciatio est huic seculo: & deindè conuersio ad Deum: qui renunciat, fundit: qui conuertitur, impletur: sed si non fiat corpore solo, sed &

5. corde. hæc Augustinus. Quinta ratio, quia mundus est transitorius & ruinosus.

Mundus est trãsitorius.

Parùm enim viuunt homines, parùm durant res temporales: citò transeunt. Transit enim mundus & concupiscentia eius, 1.Ioan. 2. & 1. ad Cor. 7. dicit Apostolus: Præterit figura huius mundi. Gregorius in Moralibus: Qui temporalia diligit, quæ stare non possunt: quia ipsa fugiunt, qui eis innituntur, cum temporis volubilitate percurrunt. Item idem: Nemo potest mobilia diligere, & ipse immobilis stare: qui enim transitoria amplectitur, eo ipso ad cursum ducitur, quo decurrentibus implicatur. Et Augustinus in homilia: Quid amas, quod ad tempus durat? amandum est, quod nobiscum potest esse æternum. Hunc transitum velocem bonorum temporalium recognoscunt reprobi in inferno, dicentes Sap. 5. Diuitiarum iactantia quid profuit nobis? Et infrà: Transierunt omnia velut vmbra, & tãquàm nuncius præcurrens, & tãquàm nauis quæ pertransijt fluctuãtem aquam, cuius cùm pertransierit, non est vestigium nec semita carinæ eius in fluctibus. Quarè beatus Gregorius dicit: Si domus quassata, ruinam minaretur, quisquis in ea habitaret, fugeret: & qui tantem dilexerat, quanto cyùs à cadente festinaret. Si igitur mundus cadit, & nos eum amando amplectimur, comprimi potiùs volumus, quàm habita-

6. re. Sexta ratio, quia mundus est inquie-

Amor mũdi inquietus.

tus. Amor enim mundi, vt dicit Augustinus, animas quas ingreditur, quietas esse non patitur. Et ideò Iohannis 16. inquit Dominus discipulis: In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Nascuntur autem inter amatores mundi, vt ait Augustinus, mordaces scissuræ, perturbationes, mœrores, formidines, insana gaudia, discordiæ, lites, bella, insidiæ, inimicitiæ, falsa adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, inuidia. Et ideò dicebat quidam sapiens: Si vis esse perfectè quietus, nihil seculi appetas: semper mẽtis quietem habebis, si à te mundi curas abieceris: abijce abs te, quicquid impedire bonum propositum potest. Esto mortuus mundo, & mundus tibi: gloriam, tanquàm mortuus, non adspicias: tanquàm mortuus, ab affectu huius vitæ te separa: sicut sepultus, non habeas curam de seculo: tanquàm defunctus, ab omni terreno te purga negocio: contemne viuens, quæ post mortem habere non potes.

Quõ quis possit esse quietus.

Septima ratio, quia mundus, est immundus & fœtidus. est enim corruptionibus plenus. secundæ Pet. 1. Fugientes eius, quę in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. Omne enim quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. quoniam, vt dicit Beda in Glosa, Omnes dilectores mundi nihil habent, nisi hæc tria, quibus omnia vitiorum genera comprǽhenduntur. Ideò beatus Augustinus de verbis Domini, dicit: Amor mundi, adulterat animam: amor fabricatoris mundi, castificat animam. Et Bernardus: O munde immunde, cùm sic fugiens, me teneas, quomodò me teneres, si permaneres? turbatur mundus, & amatur: quid si tranquillus esset? formoso quomodò adhæreres, si amplecteris fœtidum? flores quomodò colligeres, qui à spinis non reuocas manum? 7.

Mundus immundus est.

Octaua ratio, quia mundus est valdè pœnosus, siue laboriosus. vita enim mundana, multùm laboriosa est. Sapientiæ quinto: Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis: ambulauimus vias difficiles fatigationis. Huius duplex est causa, similitudo agendorum, & multitudo impedimẽtorum. Amatores mundi tot inueniunt impedimenta in his, quæ agunt, quód etiam homines potentes non perficiũt quod intendunt. Gregorius: Vita præsens laboribus plena est: cum luctu agitur, & cum lachrymis amittitur. Non sunt fine cruciatu, qui amore spinas deliciarum amplectuntur. Ecclesiastici secundo dicitur de auaro: Cuncti dies eius, doloribus & ærumnis pleni sunt: nec per noctem, nec per diem requiescit. Ideò dicit Seneca: Horum qui felices vocantur, hilaritas ficta est, & grauis tristitia: eo quidem grauior, quód non licet interdùm palàm esse miseros, sed inter ærumnas cor ipsum exedentes, necessè est agere felicem. Nõ sunt planè fine cruciatu, qui in spinis vitiorum iacent. Mat. 7. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Nõ sunt fine cruciatu, quos vermis cõscientiæ mordet. Iere. 11. Arguet te malitia tua. Augustin. Curre per singula, & inuenies tot animę tormenta, quot vitia. Nona ratio, quia mundus valdè est periculosus. Bernardus: Mũdus est, vbi est malitiæ plurimũ, sapiẽtiæ modicum: 8. 9.

Mundus laboriosus.

Duplex causa laboris mundi.

Mundus est periculosus.

dicum: vbi omnia lubrica, omnia ruinosa, vbi omnia periclitantur, & corpora affliguntur: propter quod meritò mare nuncupatur in scriptura sancta. Psalmo 103. hoc mare magnum &c. Periculum huius maris, iuxta verbũ Bernardi, probat transeuntium raritas, & pereuntium multitudo. Mirabiles elationes huius maris. nunquàm ibi tranquillitas, incessanter flant ibi venti. Et qui in hoc mari perijt, æternaliter perijt: quasi locus diluuij est mundus iste, vbi pauci, respectu pereũtium, saluantur. Osee 4. Maledictum, mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium, inundauerunt. Mundus iste est velut locus pestilens. Declinant sapientes loca pestilentiæ: maximè, quando vel ægros se sentiunt, vel ægrotaturos se agnoscunt. Seneca: Non tantùm corpori, sed etiam moribus locum salubrem eligere debemus.

Psal. 92.

10. Decima ratio, quia mundus iste est plenus laqueis. Vndè beatus Antonius ait: Vidi omnes laqueos inimici tensos in terra: & ingemiscens, dixi: Quis poterit transire? Et iam audiui vocem, dicentem: Humilitas. Et ideò optimè pater Augustinus nos hortatur, dicens: Nè desideremus remanere cũ hoc mundo, nè pereamus cum hoc mũdo. Heu quàm miseri sumus, si hoc credere nolumus, & ab amore huius seculi mentem nostram non reuocamus, dum ista perpetualiter tenere nõ possumus, & illa per securitatem amittimus. Cùm ergò mundus iste sit tenebrosus, falsus & deceptorius, medicus & damnosus, transitorius & inquietus, immundus, laboriosus, ac periculosus, ac laqueis plenus: meritò sanctus pater Benedictus exhortatur discipulum suum, vt à seculi actibus se faciat alienum.

Mundus laqueis plenus.

Epilogat mala mundi.

TRACTATVS XXIIII.

Quòd Christi amori nihil sit præponendum.

Vicesimumprimum instrumentum est: *Nihil amori Dei præponere.* quod sumptum est ex illo Matthæi 10. vbi Christus ait: Qui amat patrem aut matrem plùs quàm me, non est me dignus: qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Vbi Hieronymus in Glo. Hic enim ordo in omni affectu necessarius est. Ama post Deum patrem, matrem, aut filios. Si autem necessitas venerit, vt amor parentum ac filiorum, Dei amori cõparetur, & non possit vtrũq; saluari, odium in suos, pietas in Deum est. Nõ ergò prohibuit amare patrem aut matrem, sed signanter addit, plùs quàm me. Hęc Hieronym. Et Rabanus super illud, Non est me dignus: dicit, Per quod significat, illum diuino cõsortio esse indignum, qui consanguinitatis carnalem amorem præponit spirituali amori Dei. Et ideò dicit Augustinus libro de doctrina Christiana: Amandus est genitor, sed præponend. est creator. Hic profectò legitimus ordo charitatis est, vt nihil amori Christi, qui summum & verum bonum est, præponatur. De quo sponsa Christi Cantic. 2. ait: Ordinauit in me charitatem. Glo. i. ostendit, qualiter Deus, qualiter proximus diligendus est. Ostendit autem in Euangelio, cùm ait: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c. Sanè Christus à nobis toto corde, tota anima, tota mente non diligitur, si amori eius aliquid præponatur. Chrysostomus: Diligere Deum toto corde, est habere cor non inclinatum ad alicuius rei dilectionem magis quàm Dei. Diligere tota anima, est certissimum animum habere in veritate, & firmũ in fide esse. qui enim credit apud Deum esse omne bonũ, & nihil boni esse extra ipsum, hic diligit Deum tota anima. Tota verò mente diligere Deum, est omnes sensus hominis Deo vacare. Augustinus: Diligamus id, quo nihil melius est: hoc est, Deus, cui si aliquid diligendo vel præponimus, vel æquamus, nos diligere nescimus. Tanto enim melius est, quanto magis in illum imus, quo nihil melius est. Imus autem, non ambulando, sed amando: quem tanto habebimus præstantiorem, quanto eundem amorem, quo in eum tendimus, poterimus habere puriorem.

Ordo legitimus charitatis.

Quid sit diligere Deũ toto corde, tota anima &c.

TRACTATVS XXV.

De xxij. xxiij. xxiiij. xxv. & xxvj. instrumentis: vbi de vitanda ira, & fraterna pace seruanda cum proximo.

Vicesimumsecũdum instrumentum est: *Iram non perficere.* Ira autem est desiderium, quo cum, qui nos irritauit, affligi cupim.: siue, vt ait Augustinus, vlciscendi libido, aut appetitus vindictæ: siue, vt alius dicit, irrationabilis perturbatio mentis, in vltionem effluens. Vbi considerandum, quòd sanctus pater non dicit, nõ irasci: quia motus iræ, non est in potestate nostra omninò: sed dicit, *Iram non perficere*, id est, ad effectum non deducere. Vndè Glo. super illud Apostoli ad Ephesios 4. quod sumptũ est ex Psal. 4. Irascimini, & nolite peccare. ità dicit: Si surgit motus animi, qui iam ꝓpter pœnam peccati nõ est in potestate nostra, saltem ei non consentiat. Ideò permittit quidem Apostolus irasci, quod est humana

Definitio iræ.

Iræ motus non est in nostra potestate.

mana tentatio: sed prohibet iram ad effectum deducere. Augustinus in libro de patientia: Irasci itaque, hominis est: & iram non perficere, Christiani. Iram autem quis perficere dicitur, cùm liuore vindictę, ad contumelias, ad cōuicia, & ad alia inferenda nocumenta proximo, progreditur.

Iram perficere quis dicatur.

Circa quod instrumētum, pro simplicium monachorū doctrina, quinq; hîc notanda veniunt. Primò ponuntur rationes, quæ faciunt ad detestatione̅ huius vitij. Secundò ostenditur, quandò irasci sit peccatum. Tertiò, quando sit peccatū mortale. Quartò, de octo documentis, quæ faciunt ad ordinationem hominis, quantùm ad actum irascendi. Quintò, de aliquibus remedijs cōtra iram. Pro primo sufficere credimus rationes, quas Cassianus libro octauo de institutionibus inducit, dicens: Mortiferum virus iræ, est de recessibus animæ nostræ funditùs eruendū. Hac enim in cordibus nostris insidente, & oculum mentis noxijs tenebris occæcante: nec iudicium rectę discretionis acquirere, nec honestæ cōtemplationis intuitum, nec maturitatem consilij possidere, nec vitæ participes, nec iustitiæ tenaces, sed nec spiritualis quidem ac veri luminis capaces, poterimus existere, quia Turbatus est, inquit, scilicet propheta in Psalm. 6. in ira oculus meus: nec sapientiæ participes effici, etsi sapientes omnium prouinciarū opinione videamur: quia ira in sinu insipientium requiescit, Ecclés 7. Sed nec vitam quidem immortalitatis consequi poterimus, quanuis prudentes videamur diffinitione hominū iudicari, quia ira perdit etiam prudētes. Nec iustitiæ moderamina perspicaci discretione cordis valebimus obtinere, licèt perfecti sanctiq; cūctorum opinationibus æstimemur: quia ira viri, iustitiam Dei non operatur, Iaco. 1. Ipsam quoque honestatis grauitatem, quæ etiam viris seculi huius solet familiaris existere, nullo modo possidere poterimus, licèt nobiles & honesti natalium prærogatiua putemur: quia vir iracundus inhonestus est: consilij etiam maturitatem nullatenùs valebimus obtinere, quanuis graues & scientia summa præditi videamur: quia vir iracundus agit sine consilio. Sed nec quieti esse à perturbationibus noxijs, nec poterimus carere peccatis: tametsi nequaquàm nobis inquietudines ab alijs inferantur: quia vir animosus parit rixas, vir autem iracundus effundit peccata. Item beatus Gregorius in Moralibus: Per iram iustitia relinquitur, quia dum perturbata mens iudiciū sine ratione exasperat, omne quod furor suggerit, rectum putat. Item, Per iram gratia socialis vitæ amittitur: quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est vt bestialiter solus viuat. Item, Per iram mansuetudo amittitur, per iram concordia rumpitur, per iram lux veritatis amittitur. Quia cùm menti iracūdia cōfusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit. Item, Per iram spiritûs sancti splendor excluditur, qui super humilem & quietum requiescere dicitur: quia cùm ira quietem mēti subtrahit, suam sancto spiritui habitationem claudit. Cuius recessione animus vacuus, ad apertam mox insaniam ducitur, & vsq; ad superficiem ab intimo cogitationum fundamento dissipatur.

Quinq; tractanda hoc sermone.

Cap. 1. Digna descriptio, quò ira in nobis manente, olim bonorum efficiamur expertes.

lib. 5. ca. 31.

Circa secundum notandum, quòd vt dicit sanctus Thomas in secunda secundæ, Ira propriè nominat quandam passionem: passio autem appetitûs sensitiui, intantùm est bona, inquantùm ratione regulatur; si autem ordinem rationis excludat, est mala. Ordo autem rationis in ira, potest attendi quantùm ad duo. Primò quidem, quantùm ad appetibile, in quod tendit, quod est vindicta. Vndè si aliquis appetat, quòd secundùm ordinem rationis fiat vindicta, est laudabilis talis iræ appetitus, & vocatur ira per zelum, de qua dicitur Ecclesiast. 7. Melior est ira risu. Glo. ira contra vitia. Si autem aliquis appetat, quòd fiat vindicta qualitercunque contra ordinem rationis, putà si appetat puniri, eum qui non meruit, vel vltrà quàm meruit, vel etiam non secundùm legitimum ordinē, vel non propter debitum finem, qui est cōseruatio iustitiæ, & correctio culpę: erit appetitus irę vitiosus, & nominatur ira per vitiū. Alio modo attēditur ordo rationis circa iram, quantùm ad modum irascendi, vt scilicet ira non immoderatè ferueat, nec interiùs, nec exteriùs: quod quidem si prętermittatur, nō erit ira absq; peccato, etiam si aliquis appetat iustam vindictam.

artic. 2. Determinatio, quā irasci sit peccatum.

Circa tertium notandum, vt dicit sanctus Thomas vbi suprà, quòd motus iræ potest esse inordinatus & peccatum dupliciter, sicut dictum est: Vno modo ex parte appetibilis, vtpote cùm aliquis appetit iniustam vindictam: & sic ex genere suo, ira est peccatū mortale, quia contrariatur charitati & iustitię. Potest tamen cōtingere, quòd talis appetitus sit peccatum veniale propter imperfectionem actûs: quæ quidem imperfectio attenditur vel ex parte appetētis, putà cùm motus iræ præuenit iudicium rationis: vel etiam ex parte appetibilis, putà cùm aliquis appetit in aliquo modico se vindicare, quod quasi nihil est reputandum: ità etiam quòd si actu inferatur, non esset peccatum mortale: putà, si aliquis parùm trahat aliquem puerum per capillos, vel aliquid huiusmodi. Alio modo potest esse

artic. 3.

Ira ex suo genere, est peccatum mortale, & quā fiat veniale.

motus iræ inordinatus, quantũ ad modũ
irascendi, vtpotè si nimis ardẽter irascatur
interiùs, vel si nimis exteriùs manifestet si-
gna iræ: & sic ira secundùm se, nõ habet de
suo genere rationẽ peccati mortalis. Potest
tamen contingere, quòd sit peccatum mor-
tale: putà, si ex vehementia iræ, aliquis ex-
cidat à dilectione Dei & proximi: & sic
patet, quòd ira potest esse peccatum mor-
tale. Circa quartum notandum, quòd
ad ordinationem hominis, quo ad actum
irascendi, octo pertinent. Primùm est,
vt homo non ex leui causa irascatur. Pro-
uerbiorum octauo: Spiritum ad irascen-
dum facilem sustinere quis poterit? Into-
lerabilis est familiaritas iracundi: Prouer-

Octo quæ faciunt ad ordinationem hominis, quantũ ad actum irascendi.

1. biorum vigesimosecundo: Noli esse ami-
cus homini iracundo. Qui facilè irascitur,
est sicut domus de palea, quæ de facili com-
buritur. Dominus talis domûs multùm
damnificatur: sic qui facilè irascitur, ad
sibilum vnius verbi, omnia bona sua per-
dit. Ecclesiastici primo: Væ his qui per-
diderunt sustinentiam. Prouerbiorum de-
cimonono: Qui impatiens est, sustinebit
2. damnum. Secundum est, vt non veloci-
ter irascatur. Ecclesiastici duodecimo: Nè
sis velox ad irascendum. Iacobi primo: Sit
omnis homo tardus ad iram. Qui velox
est ad irascendum, velox est ad se præcipi-
tandum, & ad faciendum saltum, quo si-
bi collum frangit, dum de statu amoris,
3. ad statum odij transit. Tertium est, quòd
iræ resistatur, nè homo ab ea superetur
Iob trigesimosexto: Non te superet ira.
Multùm timendum est superari ab ira,
quasi ab hoste crudelissimo, & qui non
habet misericordiam. Prouerbiorum vi-
gesimoseptimo: Ira non habet misericor-
diam. cùm secundùm sapientiam, ira fu-
ror breuis sit: multùm timendum est do-
minium iræ, sicut dominium insani. Quar-
4. tum est, vt ira citò sedetur. ad Ephesios
quarto: Sol non occidat supra iracundiam
vestram. Ecclesiast. vndecimo: Aufer iram
de corde tuo. Citò auferenda est ira de cor-
de, sicut ardens carbo de sinu. Iob trigesi-
mosecundo: Ignis est vsque ad consumpti-
onem deuorans. Quintum est, vt ira ser-
5. mone non indicetur. Prouerbiorum duo-
decimo: Fatuus statim indicat iram suam.
Glo. Natura iræ est, vt prolata, magis serue-
at: occultata, languescat. Prouerbiorum
vigesimosexto: Qui imponit stulto silen-
6. tium, iras mitigat. Sextum, vt ira operari
non permittatur: cùm enim sit in tenebris
animus iratus, non videt quid sit agẽdum.
Ioannis duodecimo: Qui ambulat in tene-
bris, nescit quò vadat. Opus quod aliàs es-
set commendabile, cùm ex ira procedit, nõ
est commendabile. Iacobi secundo: Ira vi-
ri, iustitiam Dei non operatur. Septimum 7.
est, vt irascatur vitio, non personæ. Ira,
qua quis irascitur vitio, vtilis est. De qua
Ecclesiastici septimo: Melior est ira risu:
quia per tristitiam vultûs, corrigitur ani-
mus delinquentis. Octauum est, vt potiùs
irascatur culpæ propriæ quàm alienæ. Se- 8.
neca: Regum animos vidimus: illi obliti in-
firmitatis suæ, alienæ desæuiunt, quasi in-
iuriam acceperint. Augustinus: Irasceris
seruo tuo, nè peccet? Irascere tibijpsi, nè
peccces. Circa quintum notandum, quòd
sunt sex remedia contra iram. Primum, est

Sex remedia contra iram.

consideratio Dominicæ passionis. Bernar- 1.
dus: Si passio Domini ad mentem reuoce-
tur, nihil adeò durum, quod non æquo
animo toleretur. Quod remedium insinu-
atum est in libro Numeror. cap. vigesimo-
primo, vbi legitur, quòd filij Israel respici-
entes serpẽtem in palo, sanabantur à mor-
sibus serpentum ignitorum. vnus de ser-
pentibus ignitis, est ira: à qua quis sanatur,
si diligenter attendat, quòd CHRISTVS
in cruce passus est. Tunc enim patienter su-
stinebit, quicquid oportebit pro amore
CHRISTI. Secundum, est silentium. vn- 2.
dè super illud Prouerbiorum vigesimose-
cundo: Fatuus statim indicat iram suam,
dicit Glo. Natura iræ est, vt prolata, magis
ferueat: occultata, languescat. Prouerbior.
vigesimosexto: Qui imponit stulto silen-
tium, iras mitigat. Abbas Isaac requisitus,
quarè dæmones eum timerent, ait: Ex quo
factus sum monach[us], ira non processit ex-
tra guttur meum. Quamobrèm dicit Ab-
bas Ioseph in collationibus Patrum, colla.
decimasexta, cap. vigesimosexto: Ab his
qui soliditatis affectum cupiũt inuiolabi-
lem custodire, præ omnibus obseruandum
censemus, vt primùm cuiuslibet iniurijs la-
cessitus, nõ solùm labia, sed etiam profun-
da pectoris sui, monachus trãquilla custo-
diat: quæ tamen si senserit vel tenuerit fu-
isse turbata, omni semetipsum taciturni-
tate contineat. Et illud quod Psalmista cõ-
memorat, diligenter obseruet: Turbatus
sum, & non sum locutus: Et, Dixi, custodi-
am vias meas, vt non delinquam in lingua
mea. Et, Posui ori meo custodiam, cùm cõ-
sisteret peccator aduersùm me. Tertium, 3.
est consideratio diuinæ ordinationis. Nul-
lum malum pœnæ potest inferri nobis, ni-
si diuina ordinatione. De quo magna con-
solatio deberet esse fidelibus. Omnis enim
tribulatio, velut potio est, quam cælestis
medicus, qui fidelis & discretus est, habet
quasi in vtre suo. Psalm. Statuit aquas quasi
in vtre, & dispensat eam filijs, prout scit
expedire: vndè mansuetè toleranda est.
Quartum, est consideratio propriorum 4.
defectuum. Facilè enim quis portat defe-
ctus

Ser. 43. in Cantic.

Figura.

Exemplũ.

Psal. 76.

Psal. 38.

Omnis tribulatio, deberet esse fidelibus consolatio.

Psal. 77.

ctus alienos, cùm cognoscit suos. Prouerb. decimonono: Homo indigens, misericors est. Seneca libro de ira: Poterit non statim irasci, si sibi tacitus ad singula dixerit, quibus offenditur, Et hoc ipse commisi. Aliena vitia in oculis habemus, à tergo nostra. Et infrà: Faciant nos moderatiores respectus nostri. Quarè Chrysostomus super Ioannem, ait: Cùm contristauerit quis te, excogita quæ tu peccâsti in Deũ, & quibus eius mansuetudinẽ iritaueris. Et si ex tali consideratione offensam dimiseris, minus tibi iudicium futurum constituis.

Singulare remedium contra irã.

5. Quintum, est consideratio status, in quo est iniurians, quia insanus est: & ideò potiùs compatiendum est illi, quàm irascendum.

6. Sextum, est consideratio mortis & eorum quæ post mortem sequuntur. Ecclesiastici trigesimooctauo: Memento nouissimorum, & desine inimicari. Et Seneca lib. tertio de ira: Quid seruo, quid domino, quid regi, quid clienti irásceris? Expecta paululùm, & venit ecce mors, quæ nos pares faciet: quid tumultuamur, & vitam seditiosi conturbamus? stat supra caput fatum, & pereuntes dies imputat vel amputat, propiusq; accedit. Sequitur vicesimumtertium instrumentum: *Iracundiæ tempus non reseruare.* Differẽtia est inter iram & iracundiam: quia iracundia importat diuturnitatem maiorem, quàm ira. Vndè descendit ab iracundo, qui consuetudinem dicit irascendi: ira dicit simplicem passionem, sed iracundia dicit passibilem qualitatem. Hieronymus super epistola ad Titum: Nec verò qui aliquandò irascitur, iracundus est: sed ille dicitur iracundus, qui crebrò hac passione superatur. Iracundiæ autem tempus seruat, qui tempus, in quo reddat vicem offendenti se, expectat. De quo Apostolus ait ad Romanos duodecimo: Non vosmetipsos defendẽtes, charissimi, sed date locum iræ. id est, nequaquàm ad vindictã, iracundia cogẽte, tendatis. Prouerb. vigesimo: Ne dicas, reddã malum pro malo: expecta Dominum, & liberabit te. Vbi Glo. dicit: Qui suas vult hic vindicare iniurias, corona patientiæ in futuro carebit. Euellenda est ergò de animo omnis iniuriarum memoria: quia, vt ait Ioannes Scholasticus in octauo cap. libri scholæ spiritualis: Memoria iniuriarũ, est furoris complementum: peccatorum custos, iustitiæ odium, virtutum perditio, venenum animæ, mentis assiduus vermis, orationis confusio, deprecationis excisio, charitatis alienatio, clauus infixus, iniocundus sensus, qui in amaritudinis suauitate diligitur, iuge peccatum, nunquàm dormiens iniquitas, horis singulis admissa malitia. Et infrà: Monachus solitarius,

Iracundia & ira differunt.

Gradu 9. Memoria iniuriarũ, quantorum malorum sit causa.

qui hanc seruat in semetipso memoriam, aspis nidificans est, lethale virus secum vbiquè circunferens. Et infrà: Qui hanc eijcit, remissionem reperit: qui verò illi adglutinatus est, miseratione priuatur. Laboribus se quidam ac sudoribus, vt veniã mererentur, exposuerunt: hos tamen vir, qui iniurias obliuiscitur, facilè anticipauit. Siquidem illud verissimum est, quod dicitur, Dimittite celeriùs, & copiosè dimittetur vobis: veræ germanæq; pœnitẽtiæ certum argumentum, est obliuio iniuriarum. Item in Vitis Patrum legitur, Macarium dixisse, ità debere monachum ieiunijs operam dare, vt cẽtum annis in corpore commoraturum: ità motus animi refrenare & iniuriarum obliuisci, tanquàm quotidiè moriturum. Sequitur vicesimumquartum instrumentum: *Dolum in corde non tenere*, scilicet, contra proximum. Dicitur enim Prouerb. 12. Dolus in corde cogitantium mala. Dolus autem est fraus & simulatio, quandò quis aliud in corde tegit, & aliud loquitur. Augustinus super Ioann. Dolus est, cùm aliud agitur, & aliud fingitur: quandò enim aliud quis fingit, & aliud loquitur, dolus est, & tanquàm duo corda habet: vnum quasi sinũ cordis habet, vbi videt veritatem: & alterum sinum, vbi concipit mendacium. Vndè psal. Labia dolosa in corde & corde locuti sunt. quid est, in corde & corde, nisi duplici corde? tales sũt mendaces & deceptores: fingunt quidem se amicos fideles, vt eis plenius confidatur: & corda eorum veneno plena sunt. Danielis 4. Post amicitias cum eo faciet dolũ. Talis ergò dolus à corde discipuli euellendus & eradicandus est: tum quia dilectio nostra vera sine simulatiõe esse debet. Augustinus: Id agendum est inprimis, vt beneuoli simus: id est, vt nulla malitia, nullo malo dolo ad hominem vtamur, tum quia simplicem mentem & defæcatũ animum diligit Christus, secundũ illud Matthæi 10. Estote prudentes sicut serpẽtes & simplices sicut columbę. Augustinus: Habeto simplicitatem columbę, nè cuiquam machineris dolos: & serpẽtis astutiam, nè cuiuscunque supplanteris insidijs. Vicesimumquintũ instrumẽtum est: *Pacẽ falsam non dare.* Hoc instrumentum est quasi expositio prioris. Pax falsa est, cùm quis eum se diligere simulat, quem corde odit. Hanc simulatam & falsam pacem dant hypocritæ, simulantes se pacificos, cùm tamen sint nequissimi hostes. De quibus in psal. vigesimoseptimo: Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. & Hiere. nono: In ore suo pacem cum amico loquitur, & in occulto parat insidias. Et Chrysostomus: Osculum pacis

Elegans dictum.

Dolus quãdò sit. Tract. 7.

Pax falsa.

lib. 1. de compunctione cordis.

pacis porrigere tẽpore quo munera offeruntur, in vſu eſt: ſed vereor, nè plures ex vobis, labijs hoc tantummodò faciãt, cùm Chriſtus pacem non ex ore, ſed ex corde, deſideret: & affectu velit proximum,

Pax vera.

non labijs, ſalutari. Pax autem vera danda eſt ſemper à diſcipulo huius ſcholæ. Quæ,

Ser. 57. de verbis Dñi.

vt ait Auguſtinus libro de verbis Domini, eſt ſerenitas mentis, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis, amoris vinculum, conſortium charitatis. Hæc eſt, quæ ſimultates tollit, bella compeſcit, comprimit iras, ſuperbos calcat, humiles amat, diſcordes ſedat, inimicos concordat, cunctis eſt placida: non quærit alienum, nihil reputat ſuum: docet amare, quæ odiſſe non nouit: neſcit extolli, neſcit inflari. Hæc ille.

Viceſimumſextum inſtrumentum eſt: *Charitatem non relinquere.* Omnia antè poſita, in hoc vno inſtrumento ſanctus pater includit: quia, vt dicit Apoſtolus primę Corin. decimotertio, Charitas patiens eſt, benigna eſt: charitas non æmulatur, nõ agit perperàm, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt: non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: nõ irritatur, nõ cogitat malum: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia

Charitatis bona.

ſuſtinet. Hæc Apoſtolus. & Auguſtinus: Charitas inter opprobria ſecura eſt, inter odia benefica, inter iras placida, inter inſidias innocens, in iniquitate gemẽs, in veritate reſpirans. Propter quod dicit Apoſtolus Paulus: Super omnia charitatem habete, quæ eſt vinculũ perfectionis, ad Coloſſenſes tertio. Et beatus Petrus: Ante omnia mutuam in vobiſmetipſis charitatẽ continuam habentes: primæ Petri quarto. Glo. Etſi non ſemper in actu exteriùs, ſemper tamen in voluntate interiùs.

TRACTATVS XXVI.

De xxvij. & xxviij. inſtrumentis: vbì de vitanda frequentatione iurandi, & amanda ſemper veritate.

Quæ ex ira procedunt.

QVoniam ex ira, vt ait Gregorius, procedũt, rixa, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, & blaſphemiæ: rectò ordine ſanctus pater iam ſubiungit inſtrumenta, quibus prohibetur iuramentum & mendacium, quæ ſæpè iram concomitantur. Sequitur igitur viceſimum ſeptimum inſtrumentum: *Non iurare, nè fortè periures.* De quo Dominus noſter ait Matthæi quinto: Sit ſermo veſter, Eſt, eſt: Non, non. Circa quod notandum, quòd non ait ſanctus pater, quòd iurare ſemper ſit illicitum aut inhoneſtũ, cùm dicatur Deut. 8. Dñm Deum tuum timebis, & per nomẽ illius iurabis: ſed quia imminet periculũ periurij. Vndè ait, *Nè fortè periures.* Nihil enim prohibet, vt dicit ſanctus Thomas in ſecunda ſecundæ, aliquod eſſe, ſecundùm ſe, bonum: quod tamen cedit in malum eius, qui non vtitur eo conuenienter. Sicut ſumere Euchariſtiam, eſt bonum: tamen qui indignè ſumit, iudicium ſibi manducat & bibit, primæ Corinth. vndecimo. Sic

Aliquid ſecundùm ſe bonũ, quomodò in malũ cedat.

eſt in propoſito: iuramentum licitum eſt & honeſtum, quod patet ex origine & fine. Ex origine quidem, quia iuramentum eſt introductum ex fide, qua credunt Deum habere infallibilem veritatem, & vniuerſalem omnium cognitionem & prouiſionem. Ex fine antem, quia iuramentum introducitur ad iuſtificandum homines, & ad finiendum controuerſias, vt habetur ad Hebræos ſexto. Sed iuramentum cedit in malum alicui, ex eo quòd malè vtitur eo, id eſt, ſine neceſſitate & cautela debita. Videtur enim paruam reuerentiam habere ad Deum, qui eum ex leui cauſa teſtem inducit, quod non præſumeret etiam de aliquo viro honeſto. Imminet etiã periculum periurij, quia de facili homo in verbo delinquit, ſecundùm illud Iacobi tertio: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Vndè Chryſoſtomus ſuper Matthæum de opere imperfecto: Niſi iuramentũ interdicatur, non poſſunt amputari periuria. Nemo enim eſt, qui frequenter iurat, qui non aliquandò periuret: ſicut qui facit conſuetudinem multa loqui, neceſſè eſt vt aliquandò impura loquatur. Secundò notandum, quòd ſex ſunt diſſuadenda circa iuramentum. Primum, appetitus iurandi. Iacobi quinto: Ante omnia, fratres mei, nolite iurare. Iſi-

Iuramentũ licitum eſt & honeſtũ, & quò malum fiat.

Sex diſſuadenda ſunt circa iuramentum.

dorus de ſummo bono: Dum vſum iuran- 1.
di facimus, periurij crimẽ incurrimus. Mat.
5. Ego autem dico vobis, Non iurare omninò. Auguſtin. de ſermone Domini in mõte:Ità pręcepiſſe Dominũ intelligitur, nè iuretur omninò: nè quis, tanquàm bonum, appetat iuramentum, & aſſiduitate iurandi, ad periurium dilabatur. Quapropter qui intelligit, non in bonis, ſed in neceſſarijs iurationem habẽdam, refrenet ſe, quãtùm poteſt, vt non vtatur niſi in neceſſarijs: cùm videt pigros eſſe homines ad credendum, quod vtile eſt credere, niſi iura-
tione firmetur. Secundum, eſt aſſiduitas. 2.
Eccleſiaſtici 23. Iurationi nõ aſſueſcas cor tuum. Multi enim caſus in illa. Iſidorus de ſummo bono: Dum vſum iurãdi facimus,
periurij crimen incurrimus. Tertium, eſt 3.
falſitas. Quartum, eſt indiſcretio. Quin- 4.
tum, eſt iniuſtitia, quæ ſumuntur per op- 5.
poſi-

positum ad ea, quæ tanguntur Iere. 4. Iurabis, viuit Domin', in veritate, in iudicio, & in iustitia. Quod exponēs Hiero. dicit: Animaduertendum est, quòd iusiurandū hos habet comites, scilicet, veritatem: iudicium, scilicet discretionis, & iustitiam. Iuramentum autē carens veritate, dicitur iuramentum mēdax: Carens iudicio, dicitur incautum: Carens autem iustitia, dicitur iuramentum illicitum siue iniquum. Sextum est, quòd non iuretur pro nihilo. Exodi vigesimo: Non assumes nomen Dei tui in vanū. Sequitur: Nec habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomē Dei sui frustrà: id est, pro nihilo, dicit Gl.

Boni comites iuramēti.

6.

Vicesimumoctauum instrumentum est: *Veritatem ex corde & ore proferre.* Vndè de viro iusto dicitur Psal. 14. Qui loquitur veritatem in corde suo, & qui non egit dolū in lingua sua. Glo. Dolus est in lingua, cū aliud dicitur, & aliud in pectore est: quod est hypocritarum. De quibus Isa. 29. Populus hic labijs me honorat, cor autē eorum longè est à me. Quarè Apostolus ad Ephesios 4. exhortatur, dicens: Deponētes mendacium, loquimini veritatem vnusquisq; cum proximo. Augustinus de vera religione, dicit, quòd veritas est forma omnium quæ sunt. Nā neq; fides, neq; spes, neq; charitas, valent sine veritate: vera autem fides, vera spes, & vera charitas & non ficta, valent coram Deo. Et ideò 1. Ioan. 4. Filioli, non diligamus lingua, sed opere & veritate. Isido. Omne genus mendacij summoperè fuge: nec casu, nec studio loquaris falsum. Os enim quod mentitur, occidit animam: Sapient. 1. Refuge ergò fallaciam, declina mendacium: caue falsum, esto in verbo verax. Neminem mentiendo fallas, neminem mentiendo in errorem deducas. Non aliud loquaris, & aliud facias: non aliud dicas, & aliud in animo teneas. Legitur in Vitis Patrum, quòd quidam visitatus ab alijs fratribus, & quæretibus de conuersatiōe eius, dixit: Hoc custodiui ex quo conuersus sum, quòd de ore meo mendacium non processit. & infra triduum mortuus est, & anima eius ab angelis, ipsis videntibus, est recepta in cælum. Circa hoc instrumentum duo notanda veniunt: Primò rationes aliquæ, quę faciunt ad detestationem mendacij. Secundò, quandò mendacium est peccatum mortale. Circa primum notandum, quòd multa sunt, quæ mouere debēt discipulū ad veritatis amorem, & detestationem mēdacij. Primò, quia mendacium est vitium diabolicum: inter alia enim vitia mendaciū appropriatur diabolo, sicut veritas Deo. Ioan. 8. ipsa veritas, de diabolo loquēs, ait: Ille homicida est ab initio, & in veritate non stetit: cùm loquitur, mendaciū, ex ꝓprijs loquitur, quia

Veritas est omnium forma.

Cap. 36.

Exemplum

Ad detestationē mendacij multa faciunt.

1.

mēdax est, & pater eius. Secūdò, quia mendacium est odiosum Deo, qui veritas est. Prou. 6. Proferentē mendacia odit Deus. Eccle. 25. Tres species odiuit anima mea. Pauperē superbum, & diuitem mendacem, & senem fatuū. Tertiò, quia mendaciū est ignominiosum vitium. Eccl. 20. Opprobriū nequā in homine mendaciū. Glo. Inter maxima vitia mendacium enumeratur. Quartò, mēdacium est nociuum: animam enim occidit. Sap. 1. Os quod mētitur, occidit animam. Glo. Mucrone peccati mētientis. Quintò, perducit ad damnationem. Psal. Perdes omnes qui loquuntur mēdacium. Circa secundum notandū, quòd nō omne mendacium, est peccatum mortale, & per consequens, non omne mendacium damnationem meretur. Vndè Aug. in lib. Psal. dicit: Duo sunt genera mendaciorū, in quibus non est magna culpa, sed tamen non sunt sine culpa: cùm aut iocamur, aut vt proximis prosimus, mentimur. Circa secundum, videlicet, quādò mendacium est peccatum mortale, est considerandū cum S. Thoma secūda secūdę, q. 110. ar. 4. quòd peccatū mortale est, quod repugnat charitati, per quā anima viuit Deo coniuncta. Potest aūt mendaciū cōtrariari charitati tripliciter, vt ait idē doctor sanctus ibid. Vno modo, secundū se: Alio modo, secundùm finem intentū: Tertio modo, per accidens. Secūdùm se quidē, cōtrariatur charitati ex ipsa falsa significatione: quæ quidem si fit circa res diuinas, cōtrariatur charitati Dei, cuius veritatē aliquis tali mendacio occultat vel corrūpit. vndè huiusmodi mendacium nō solùm opponitur virtuti veritatis, sed etiā virtuti fidei & religiōis: & ideò hoc mendaciū est grauissimū & mortale. Si verò falsa significatio fit circa aliquid, cui' cognitio pertineat ad hominis bonū, putà, quæ pertinet ad perfectionem sciētiæ & informationē morū, tale mendacium, inquātùm infert damnū falsæ opinionis ꝓximo, cōtrariatur charitati quātùm ad dilectionē ꝓximi, vndè est peccatum mortale. Si verò falsa opinio, ex mendacio generata circa aliquid, de quo nō referat, vtrū sic vel aliter cognoscatur: tūc ex tali mendacio nō damnificatur proximus, sicut si aliquis fallitur, in aliquibus particularibus cōtingentib', ad se nō pertinentibus. vndè tale mendaciū secundùm se, non est peccatum mortale. Ratione verò finis intenti, quoddā mendaciū contrariatur charitati, putà quod dicitur ad iniuriam Dei, quod semper est peccatū mortale, vtpotè religiōi contrariū, aut in nocumentū ꝓximi, quātùm ad personā, diuitias, vel famā: & hoc est etiā peccatū mortale, cū nocere ꝓximo, sit peccatū mortale. Ex sola autem intentione peccati mortalis, aliquis mortaliter

2.

3.

4.

5.

Psal. 5.

Non omne mēdacium est mortale peccatum.

In psal. 5.

Decisio, qū mēdacium sit mortale, & qū contrarietur charitati.

peccat. Si verò finis intentus, non sit con-
trarius charitati: nec mendacium, secun-
dùm hanc rationem, erit peccatum morta-
le, sicut appáret in mẽdacio iocoso, in quo
intenditur aliqua leuis delectatio: & in
mendacio officioso, in quo intenditur etiã
vtilitas proximi. Per accidens autem, po-
test contrariari charitati ratione scandali,
vel cuiuscunque damni consequentis: &
sic erit etiam peccatum mortale, dum scili-
cet aliquis non veretur propter scãdalum
publicè mentiri.

TRACTATVS XXVII.

De xxix. & xxx. instrumentis: vbi de mansuetudine, & de decem rationibus, propter quas inter religiosos maximè innocẽtia seruanda est.

Vicesimumnonum instrumentũ
est: *Malum pro malo non reddere*.
quod sumptum est ab Apósto-
lo, 1. Thessalonic. 5. Videte, nè
quis malum pro malo alicui reddat: sed
quod bonum est, sectamini inuicèm & in
oẽs. Et Leuitici decimonono dicitur: Non
quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ
Mãsuetudo amanda, & quis sit mãsuetus.
ciuium tuorum. In hoc loco virtus præ-
clarissima mansuetudinis, discipulo huius
scholæ amanda monstratur: quæ dicitur
modestia animi, siue tranquillitas, quę nul
la incurrentium rerum tribulatione agita-
tur: Vel mansuetudo est animi dulcedo,
quam non vincit amaritudo. vndè Glo.
Matth. quinto dicit: Mitis est, quem non
rancor vel ira afficit, sed omnia æquani-
miter sustinet. Et Chrysostom. super Mat-
thæum: Mansuetus est, qui cùm prouoca-
tus fuerit, nec malum cogitat facere, nec fa-
cit. Item Augustinus in sermone Domini
in monte: Mites sunt, qui cedunt impro-
Octo nos p. cipuè inducũt ad amorem mãsuetudinis.
bitatibus, & non resistunt malo, sed vin-
cunt in bono malum. Vbi notandum ve-
nit, quòd ad huius virtutis amorem octo
sunt, quæ huius scholæ discipulum maxi-
mè debent incitare. Primum est, quia hæc
1. virtus est ornamentum, multùm decẽs ser-
uos DEI, 2. Timoth. 2. Seruum DEI non
oportet litigare, sed mansuetum esse ad
omnes. Item ad Ephesios quinto: Obsecro
vos, vt dignè ambuletis vocatione, qua vo-
cati estis, cum omni mansuetudine & hu-
2. militate. Secundum est, quia magisterium
huius virtutis, pro eius magnitudine excel
lentiæ, Christus sibi ascribit, Matthæi vn-
decimo dicens: Discite à me, quia mitis
sum & humilis corde. Glo. autem Matthęi
quinto: Huius virtutis quasi magnæ, ma-
gistrum se facit Dominus: quod non fa-
ceret, nisi via summæ perfectionis ista vir-
tus esset. Tertium est, quia hæc virtus vi- 3.
tam conseruat. Prouerb. vndecimo: Cle-
mentia præparabit vitam, & sectatio ma-
lorum mortem. Item eiusdem duodecimo:
Qui suauis est, viuit in moderationibus.
Quartum est, quia hominem exaltat ad ho 4.
nores. Ecclesiastici decimo: Sedes ducum
superborum destruxit Deus, & sedére fe-
cit mites pro eis. Quintum est, quòd homi- 5.
nem reddit dilectum & gratum homini-
bus. Ecclesiastici secundo: Fili, in mansue-
tudine opera tua perfice, & super gloriam
hominum diligéris. Sextum est, quòd ho 6.
minem reddit fama clarissimum. Grego-
rius: Imitatione Dei, gloriosius est, iniuri-
am tacendo sustinere, quàm reddendo su-
perare. Seneca libro de Ira: Illud quoquè
occurrat, quid nobis commendationis al-
latura est clementiæ fama: quàm multos ve
nia amicos vtiles fecit? Et sequitur: Quid
est gloriosius, quàm iram amicitia mutare?
quos populus Romanus fideliores habet
socios, quàm quos habuit pertinacissimos
hostes? Septimum est, quòd Deo homi- 7.
nem gratissimũ facit. Ecclesiastici primo:
Beneplacitum est ei, fides & mansuetudo.
& Iudith nono: Humilium & mansueto-
rum tibi semper placuit deprecatio. Octa- 8.
uum est, quòd hominem beatificat. Psal-
mo trigesimosexto: Mansueti hæredita-
bunt terram. Et Matthęi quinto: Beati mi-
tes, quoniam ipsi possidebunt terram: il-
lam scilicet, vt dicit Glo. de qua in Psalm. Psal. 141.
dicitur: Portio mea, Domine, in terra vi-
uentium. Significat enim quandam sta-
bilitatem hæreditatis perpetuæ. Trice-
simum instrumentum est: *Iniuriam non fa-
cere*. De quo Ecclesiastici decimo: Nihil
agas in operibus iniuriæ. Vbi notandum,
quòd sic ab omnibus hominibus sustinen-
da sit innocentia, vt nullus alteri iniuri-
am faciat. Hoc tamen maximè à fratribus
est obseruandum, qui sunt in eádem reli- Decem maximè rationibus debẽt religiosi sectari innocentiam.
gione, vt scilicet vnus alteri non noceat.
Et possumus ad hoc decem rationes pone-
re: Primò, requirit hoc DEI familiaritas.
Religiosorum autẽ cura præcipua esse de- 1.
bet, Deo maximè adhęrere, pro quo omnia
reliquerunt. Si enim Deũ amittunt, omnia
amiserũt. Ad hoc verò, quòd perfectè Deo
adhæreant, multùm valet innocẽtia. Psal.
24. Innocentes & recti adhæserunt mihi.
Quia enim vnitate voluntatis, maximè ad-
hęret quis Deo: voluntatem verò nostram
diuinæ voluntati conformem habemus, si
irascibilis sit sine peruersitate, & concupi-
scibilis sine curuitate: duo posuit Pro-
pheta, scilicet innocentiam & rectitudi-
nem. Primum enim facit innocẽtia, secun-
dum facit rectitudo. Innocẽtia aduersatur
maligni-

malignitati, quæ est appetitus alieni mali: rectitudo, curuitati, quę est inordinatus appetitus trãsitorij boni. Hæ duæ gratiæ reddunt hominem conformem Deo, & sic faciũt eum ipsi adhærere. Psal. 91. Rectus est Dominus Deus noster, & non est iniquitas
2. in eo. Secundò, requirit hoc loci immúnitas. homines etiã scelerati, refugiẽtes ad domum religiosam, securi sunt ibi, vt eis non noceatur. Etiam tyranni nolũt nocere, vel ibi habitantibus, vel ad locum talem cõfugiẽtibus: vt in cap. Miror. & in ca. Rerũ. & in ca. Diffiniuit. 17. q. 4. habetur. Quãto magis ipsi habitatores loci sacri, cauere debẽt,
3. ne sibi adinuicẽ noceant? Tertiò requirit hoc societatis sanctitas. multũ enim cauendũ est, ne innocentia inter innocẽtes amittatur: quæ inter nocentes à bonis in seculo seruatur. Si amissa erat in seculo, in claustro est restauranda, non amittẽda. in Psal. 25. Lauabo inter innocentes manus meas.
4. Quartò, requirit hoc fraternitas. Triplex fraternitas est inter eos, qui sunt in congregatione religiosa. Prima est naturalis, quæ est cõmunis omnibus hominibus. Secũda, est cõmunis omnibus fidelibus. Tertia verò spiritualis est religiosorũ. De prima dicit Aug. in lib. de doctrina Christiana: Si putamus non esse proximos, nisi qui de eisdẽ parentibus nascuntur: Adam & Euam intendamus, & omnes fratres sumus. Item, in libro de ciui. Dei: Nihil tam discordiosum vitio, tam sociale natura, quàm genus humanum: propterea Deus voluit creare parẽtem vnum, de quo multitudo propagaretur, vt hac admonitione etiam in multis concors vnitas seruetur. De secundo dicit idem in libro de doct. Christ. Omnes quidem fratres, secundùm quod homines sumus: quanto magis, secundùm quod Christiani sumus? Ad id quòd homo est, vnus pater fuit Adam, vna mater fuit Eua. Ad id quòd Christianus, vnus pater est Deus, vna mater ecclesia. Tertia perfectissima est, quæ omnia bona facit communia, & temporalia & spiritualia: de qua potest accipi illud Psal. 132. Ecce quàm bonum, & quàm iocũ-
5. dum, habitare fratres in vnũ. Quintò, requirit hoc societas maxima, quæ est inter eos, qui sunt vnius religionis, qui simul iacent, comedunt, & bibunt: qui nõ solùm accedunt ad eandem mensam corporis, sed etiam ad eandem mẽsam doctrinæ cælestis, & ad mensam sacri altaris. Vndè proditiose agit frater, si fratri eiusdem cõgregationis nocet. qui in religione à fratre suo persecutionem patitur, dicere potest: Manus
6. proditoris mecum est in mensa. Sextò requirit hoc, quòd in religione sunt mundo mortui. Magna verò impietas est, in mortuum desæuire: cùm claui qui corpus Dominicum læserunt, dulces dicantur: lancea, quæ corpus eius mortuum perforauit, dira dicatur. Septimò requirit hoc, quòd 7.
ipsi sunt de patria vna in terra aliena, incolis illius terræ exosi: quæ multùm solẽt facere ad amorem. Viri religiosi, non sunt de mundo isto. cælum, eorum patria est, & à mundo odiuntur, & persecutionem patiuntur. Ioãnis decimoquinto: Si de mundo essetis, mundus quod suum erat, diligeret: quia verò de mundo non estis, propterea odit vos mundus. Si religiosi non amant se inuicèm, quasi sine amicis erunt
in mundo isto. Octauò requirit hoc, quòd 8.
ipsi patrem & matrem, & omnes alios sibi attinentes, pro societate religionis reliquerunt. Vnde magna peruersitas & iniquitas est, si societatem prauam sibi inuicèm faciunt. Nonò requirit hoc similitudo, quę 9.
inter eos est in multis: in natura speciei, in cultu vnius religionis, in habitu, in conuersatione & in obseruantia vnius vitæ & morum. Ecclesiastici decimotertio: Omne animal diligit sibi simile: etiam animalia irrationalia immitia, illam ferocitatem non exercẽt in animalia suæ speciei, quam in alia animalia exercent: quod patet in lupo & leone. Lupus enim lupum non lędit, leo leoni non nocet. Ipsa aqua, quæ naturaliter habet pugnam cum igne, pacem habet cum aliqua aqua alia, quæ est eiusdem speciei cum ea: sic vnus religiosus alij religioso non debet nocere. Decimò requirit 10.
hoc abundantia bonorum spiritualium, quam habent viri religiosi. Quanto enim plura bona habent, tanto magis soliciti debent esse de eorum cõseruatione, & ipsorum amissione tenere. Augustinus de religiosis: Quanto frequentiores orationes habetis, tanto sanctiores habere debetis. Idem intelligendum est de alijs operibus eorum, ad quæ multùm valet innocentia, vt priùs ostensum est. Innocentia multùm grata est Deo, & multùm vtilis homini. Augustinus: Nihil Deo dignius vel charius ei esse potest, quàm vt innocentia tota obseruatione teneatur. Licèt enim quis in alijs operibus deuotus appareat, si illam non habuerit, frustrà sibi blanditur. Anselmus: Si hic peccati pudorem, & illic cernerem inferni horrorem, & necessariò haberem vni eorum immergi: priùs me in infernum immergerem, quàm peccatum in me immitterem. Mallem enim & purus à peccato, & innocens gehennam intrare, quàm sorde pollutus, cælorum regna tenere: cùm constet, solos malos in inferno torqueri, & solos bonos in cæli beatitudine foueri.

Triplex fraternitas.

Religiosi mũdo sunt mortui.

Religiosi non sunt de hoc mũdo.

Innocentia grata Deo, & vtilis homini.

TRA-

TRACTATVS XXVIII.

De instrumento xxxj. vbi de patientia & duodecim gradibus eius.

TRicesimumprimum instrumentum est: *Iniurias patienter sufferre.* Quoniam, vt ait beatus Gregorius, Miles Dei, scutum patientiæ debet anteferre, nè pereat: & ad præliandũ promptus amoris inferre iacula, vt vincat: beatus pater Benedictus optimè post instrumẽta, quibus probibetur, nè proximo inferatur iniuria: instrumentum patientię subiungit, quo illata mala doceat ęquanimiter sustinere. Est autem vera patiẽtia,

Patientiæ definitio.

vt dicit Gregor. & habet Glo. Matt. 21. aliena ęquanimiter perpeti, & contra eum qui irrogat mala, nullo animi dolore morderi. Patientia verò describitur à Tullio sic: Patientia est, honestatis aut vtilitatis causa, rerum arduarum & terribilium volũtaria & diuturna perpessio. Sunt autem, circa hoc instrumentum patientiæ, notãda tria: Primò ponentur aliquæ considerationes, quæ ad patienter iniurias illatas tolerandum, discipulum habent inducere. Secundò, de vtilitatibus virtutis patientiæ. Tertiò, de duodecim gradibus patiẽtię.

Septem nos disponunt ad patientiam.

Circa primum notandum, septem esse cõsiderationes, quæ discipulum ad patientiã iniuriarum, & tolerantiam malorum præparant & disponunt.

1. Prima est, consideratio sacræ scripturæ, quæ nos ad patientiam sæpenumerò hortatur, 1. Tim. 6. Sectare patientiam & mansuetudinem. ad Hebr. 12. Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. & Iaco. 5. Estote patiẽtes, fra-

2. tres, vsque ad aduẽtum Domini. Secunda, est consideratio diuinæ ordinationis. Nullum enim malum potest alicui inferri aut contingere, nisi dispositione diuina. Eccl.

De omnia disponit.

11. Bona & mala, prospera & aduersa, vita & mors, paupertas & honestas, à Deo sunt. Seneca ad Lucillum: Vir bonus, quicquid ei acciderit, æquo animo sustinebit. Sciet enim accidisse lege diuina, qua vniuersa procedunt. Cæterùm tribulatio cùm sit à summo bono, bona existimãda est & amanda, vtpotè munus datũ à Deo, qui amicissimus est: vndè chara habẽda est. Quarè dicebat Iesus Petro Ioan. 18. Calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum? quasi dicat, inquit Glo. Lyræ: Nõ est locus defensionis, sed patientiæ. Toleranda est ergò tribulatio, cùm sit à sapiẽtissimo & clementissimo medico: eo maximè attento, quod ait Apostolus 1. Cor. 10. Fidelis Deus, qui non patietur vos tẽtari supra id quod potestis: sed faciet cum tẽtatione prouen-

3. tum, vt possitis sustinere. Tertia consideratio est patientiæ & tolerantię Iesu Christi. ad Hebr. 12. Recogitate eum, qui talem sustinuit pro peccatoribus aduersùs semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes. Exemplum enim Christi, est quasi scutum quoddã cordium nostrorum, secundùm illud Thre. 3. Dabis ei scutum cordis laborem tuum. 1. Petri 3. Christo in cruce passo, & vos eãdẽ cogitatione armamini. Bernard. super Canti. Vtrunque es mihi, Domine Iesu, & speculum patiendi, & præmium patiẽtis: vtrunque fortiter prouocat, & vehemẽter accendit. Ambrosius super Lucam: Christus voluit ab Apostolo suo tradi, vt tu à socio desertus, à socio proditus, moderatè feras. Item Bernardus super illud Canticorũ 1. quod spõsa de Christo ait: Fasciculus myrrhæ inter vbera mea commorabitur. dicit, Habete istum semper, non retrò in humeris, sed antè præ oculis: nè portantes, & nõ odorantes, & onus premat, & odor nõ erigat. Videntes angustias Domini, vestras leuiùs portabitis. Passio Christi, lignum est, aquas dulcorans tribulationum, significatum ligno, quod à Domino ostensum est Moysi, vndè aquæ amarissimæ dulcoratæ sunt, Exod. 15. Grego. Si passio Domini ad memoriam reuocetur, nihil adeò durum, quod non ęquo animo toleretur. Isidorus: Disce à Christo modestiam: Christum attẽde, & nõ dolebis. Iniurias pro nobis nanque passus, reliquit exemplum: palmis percussus, flagellis cæsus, sputis derisus, clauis cõfixus, spinis coronatus, cruci damnatus, semper conticuit. Quarta consideratio, 4.

Exemplum Christi est quasi scutũ.

Serm. 47.

Serm. 43.

Figura.

est exemplorum sanctorum: quorum nullus, vt ait Hieronymus, coronatus est sine certamine. Abel iustus occiditur: Abraam propter vxorem vita periclitatur: quære, & inuenies singulos fideles aduersa perpessos. Solus Salomon in delicijs fuit, & ideò forsitan corruit. Gregorius: Si facta pręcedentium Patrum consideremus, non erunt grauia, quæ toleramus. Et ideò beatus Iacob⁹ inquit: Exemplũ accipite, fratres, exitũs mali & longanimitatis, laboris & patientiæ, Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos. Sufferẽtiam Iob audistis, & finẽ Domini vidistis. Hieronymus: Graue tibi videtur esse quod sustines? lege Pauli Apostoli ad Corint. secundam epistolam: In laboribus plurimis, & carceribus abundanter, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, &c.

Nullus sanctus coronatus est sine certamine.

Iacob. 5.

2. Cor. 11.

Quinta consideratio, quæ inuitat ad patientiam, est propriorum defectuum & malorum, quę commisimus: ad quod pertinẽt verba sacræ scripturæ, quæ sequuntur, Gene. 42. Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrẽ nostrũ. Micheæ 7. Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei. Quarè, 5.

vt di-

vt dicit Ouidius: Leuiter, ex merito quicquid patiare, ferendum est: Quæ venit indignè pœna, dolenda venit. Gregorius in Moralibus: Tunc illata vitia benè toleramus, cùm in secreto mentis, ad malè perpetrata recurrimus. Idem: Leue quidem videtur, quòd iniuria percutimur: dum in actione nostra conspicimus, quòd peius est quod meremur. Isidorus: Quicquid tibi contingit aduersum, pro tuo peccato crede euenire. Consideratione ergò iustitiæ, dolorem tempera: & leuius portabis, si, pro quibus infertur, intenderis. Sexta
6. consideratio, est status persecutoris siue iniuriantis, qui est quasi insanus, vel phreneticus, in seipsum manum inijciens, in cor suum primò gladium mittens. Fratri aût insano vel phrenetico debetur compassio, non odium vel indignatio. Hanc considerationem innuit Glo. Bedæ super illud Lucæ sexto: Benedicite maledicentibus vobis: dicens, Medicus animarum, quos ad curandum proximos instruit, omnia quæ ad salutem proximorum valere possunt, tolerare præcipit, vt tanquàm à filijs ægrotantibus & phreneticis, si salus illorum exigat, multa patiantur, do-
7. nèc infirmitas transeat. Septima consideratio, est magnitudinis præmij patientiæ. Isidorus de summo bono: Qui vitæ futuræ præmia diligenter cogitat, mala omnia præsentis vitæ æquanimiter portat: quia ex illius dulcedine, huius amaritudinem: & ex æternitate illius, breuitatem huius despicit transitoriam. Richardus super Apocalypsin: Quicquid mali ingruit, patienter sustine. Tolerantia nanque transitoria est, corona æterna: pugna modica, merces magna: pœna leuis, gloria inæstimabilis. Hieronymus: Libens verò tormenta patiar, vt futuram mihi gloria feruetur. Circa secundum notandum, quòd virtus patien-
1. tiæ valet ad multa. Primò, patientia facit plurimùm ad ornatum & perfectionem seruorum Dei. Vndè super illud Iob 4. Perfectio viarum tuarum, dicit Glo. De patientia perfectio nascitur. Iacob. 1. Patientia opus perfectum habet. Bernardus super Psalm. Qui habitat. Nullus perfectus est, qui inter proximorum mala patiens non est. Item Prouerb. 19. Doctrina viri per patientiam noscitur. Glo. Tanto quisque minùs ostenditur doctus,
2. quanto minus patiens inuenitur. Secundò, tolerabilia reddit præsentis vitæ incommoda: quia aduersitas cum impatientia, triplex infert incommodum. Extrinsecùs enim homo affligitur: & intrinsecùs per impatientiam amaricatur. Et insupèr conscientia rodit mētem pro culpę reatu. Prouerb. 19. Qui impatiens est, sustinet damnum. Augustinus in libro de dono patientiæ: Impatientes, dum pati nolunt, non efficiunt vt à malis eruantur, sed vt mala grauiora patiantur. Patientes aût, qui mala mâlunt non committendo ferre, quàm non ferendo committere, & leuiora faciunt, quàm quæ per patientiam patiuntur: & peiora euadunt, q̃ quæ per impatiētiam mererentur. Tertiò, patientia facit ad re- 3.
fectionem mentis: Sicut enim corpus pascitur conuiuio, ità mens dapibus virtutum. Prou. 5. Secura mens quasi iuge conuiuium. Glo. super illud Lucæ 21. In patientia vestra possidebitis animas vestras, dicit: Patientia est custos & radix omnium virtutum. Quartò, facit ad ædificationem 4.
proximorum. Est enim patientia, velut rosa benè redolens. Vndè Gregorius in Moralibus: Sicut aromata odorem suum, cùm incenduntur, expandunt: ità viri sancti omne quod de virtutibus redolet, in tribulationibus innotescunt. Quintò, 5.
patientia iram Dei & proximi mitigat. Prouerb. 25. Patientia lenietur princeps. Bernardus: Vapulē sanè & malè operans. Si mihi flagella immerita computentur, forsitan miserebitur flagellato: qui in me non inuenit meritum, quod remoneret. Prouerb. 15. Vir iracundus prouocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas. Sextò, 6.
patientia facit hominem gloriosè triumphare de hoste. Nō quidem ictu aut persecutione vincit, sed animi magnitudine. Poëta: Maxima virtutū patiētia pugnat inermis, Armatosq; solet vincere sępè viros. Chrysostomus super epistolam ad Hebręos: Nihil ità confusionem facit ingerenti mala, sicut fortis tolerantia patientis. Vndè beatus Vincētius dicebat ad Dacianum: Videbis me plus posse dū torqueor, quàm possis ipse qui torques. Prouerb. 15. Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbiū. vbi Glo. quæ est Greg. in Pastorali, assignans rationem, dicit: Minor est victoria vrbiū, quia extrà sunt, quæ subiugantur: valdè aût maius est, quod per patiētiā vincitur: quia ipse à se animus superatur, & is semetipsum sibimet subijcit, quandò eum patientia intra se frenari compellit. Hoc quippe vincendi genus tanto nobilius, quanto rarius est. Seneca in lib. de naturalib. quæstionib. Innumerabiles sunt, qui populos, qui vrbes habeurunt in potestate: paucissimi, qui se. Hinc sancti maximè gloriari videntur in his, quæ sunt patientiæ. Galat. 6. Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Et 2. Corint. 12. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis. Et ad Rom. 5. Gloriamur in tribulationibus. Septimo, 7.
patientia gloriam magnam meretur in cælo. Lucæ 6. postquàm Christus ait discipu-

Qui iniuriatur fratri, phrenetico comparatur.

Vtilitas & virtus patientiæ.

Triplex damnum impatientiæ.

Cap. 2.

Parte 1. admo. 10.

Gloriantur sancti maximè in tribulationibus.

N lis:

lis: Beati eritis, cùm vos oderint homines, & cùm separauerint vos, & eiecerint nomẽ vestrum tanquàm malum, propter filium hominis. sequitur, Gaudete in illa die & exultate: ecce enim merces vestra multa est in cælo. Hierony. Non nisi per patientiam impletur, quod dicit Dominus Matth. 11. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Vndè cùm in alijs beatitudinibus fiat promissio de futuro: patientibus, regnum cælorum datur de præsenti. Matth. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Circa tertium notandum, quòd duodecim assignãtur patientiæ gradus. Primus est, malo non resi-

Duodecim patientiæ gradus.

1. stere, de quo Matth. 5. Ego autem dico vo-
2. bis, non resistere malo. Secundus est, malum pro malo non reddere. Rom. 12. Nulli
3. malum pro malo reddentes. Tertius est, malis non respondere. Prouerb. 26. Non respondeas stulto iuxta stultitiã suam, nè
4. efficiaris similis ei. Quartus est, inimicos diligere: de quo in instrumento sequenti.
5. Quintus est, malè facienti benefacere. Matthæi 5. Diligite inimicos vestros: benefaci-
6. te eis qui vos oderunt. Sextus est, contra flagella nõ murmurare. 1. Corinth. 10. Non murmuraueritis, sicut quidã ex ipsis murmurauerunt, & perièrunt ab exterminato-
7. re. Septimus est, flagella quælibet aduersa
8. libenter sustinere. Octauus est, de flagellis gaudere. De istis duobus 2. Corinth. 12. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Nonus
9. est, tribulationem dulcem reputare. Deuteron. 31. Inundationes maris quasi lac sugent: mare amarum est valdè. Inundationes maris quasi lac sugent: qui excrescente amaritudine cuiuslibet aduersitatis, quasi
10. lacte consolationis hilarescunt. Decimus, de tribulatione gratias agere & referre. 1. ad Thessal. 3. In omnibus gratias agi-
11. te. Vndecimus, promptum se reddere ad talia sustinenda. Matth. 5. Si quis te percusserit in vnam maxillam, præbe ei & ali-
12. am. Duodecimus est, in flagellis dolorem non sentire. Pro. 23. Verberauerunt me, & non dolui: traxerunt me, & ego non sensi.

TRACTATVS XXVIII.

De instrumentis, xxxij. xxxiij. & xxxiiij. vbi potissimè de dilectione inimicorum.

TRicesimumsecũdum instrumentum est: *Inimicos diligere.* Quoniam, vt parùm antè dictum est, inter gradus descriptos patientiæ, diligere inimicos annumeratur: prudenter sanctus pater instrumento patiẽtiæ adiungit immediatè instrumentum dilectionis inimicorum. Vbi primò notandũ, quòd discipulus huius scholæ, si auidus amator est consequendi perfectionẽ sui spiritus, maximè conari debet, vt inimicos amet, & ad amandũ se prouocet. Præceptum est enim Domini saluatoris, vt etiã inimici diligantur. Matth. 5. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Dicit Aug. quòd in mãdatis Dei nihil est mirabilius, q̃ quòd præcipimur diligere inimicos. & quibusdã videtur impossibile, quòd eos: diligãt: quod ex defectu sapientiæ accidit. Ad lumen enim sapientiæ satis apparere potest inimicos diligẽdos esse, nõ odiendos. Octo verò sunt, quæ si diligenter attendãtur, nõ tanta difficultas in dilectione inimicorũ esse creditur. Primum est, status ipsius inimici, qui tibi iniuriatus est, & nõ vult satisfacere. Est enim spiritualiter mortuus: ipse enim quasi insanus, manus in se iecit, quando tibi iniuriã intulit. 1.

Maximè adniti debemus, vt inimicos diligamus.

Mirabilius in mandatis Dei.

Dilectio inimicorũ ex octo cõueniens & facilis inuenitur.

Sap. 16. Homo per malitiã occidit animam suã. Magna crudelitas est, insanire in fratrem suũ mortuum, cui cõpassio debetur. Crudeliores fuerunt, qui Christo mortuo nõ pepercerũt, quàm qui viuentẽ læserũt. Dedecus est, velle se vindicare de mortuo. Secundũ est, vtilitas iniuriæ illatę. Persecutores nostri, iuxta verbum Psalmistæ, circundant nos sicut apes: quia ad modum apum nos molestant tribulationibus: sed in futurũ fauum æternæ beatitudinis nobis præparant. Ecclesiast. 1. Vsque in tempus sustinebit patiens, & posteà redditio iocunditatis. Tertium est, quòd dilectio inimicorum nobis est vtilior, quàm amicorum: ipsa multùm valet ad spiritualiũ vulnerũ sanationẽ. Aug. Ad dilectionem inimicorũ vos moneo, quia ad sanãda peccatorũ vulnera, nullũ medicamentũ vtilius esse cognosco: ipsa etiã multũ facit ad perfectionem & cumulũ bonitatis. Vndè Matth. 5. post illud, Diligite inimicos vestros: subditur, Estote perfecti &c. Aug. Magnificentissimę bonitatis est, vt tuum quoq; inimicũ diligas: & qui tibi malum vult, &, si potest, facit, tu semper bonũ velis, atq; facias, cùm possis. Item magnã mercedem meretur. Lucæ 6. Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis gratia? Diligite inimicos vestros, & erit merces vestra magna. Quartum est, quòd nos Deo non solùm amicos, sed filios facit, vnde post illud Matth. 5. & Lucæ 6. Diligite inimicos vestros, scribitur: Et eritis filij altissimi. Item Augustinus: Quanta gratia? per nos serui digni non sumus, & inimicorum dilectione filij Dei efficimur. Quintum est, quòd nos similes Deo efficit. Chrysostomus super Matthæum: Nihil est quod sic similem Deo efficiat, vt malignis atque læden-

2.

3.

4.

5.

Magna dilectionis inimicorũ commendatio.

lædentibus esse placabilem. Quanto enim hæc dilectio diabolo est molestior, tanto magis elongat ab eius similitudine, qui odio obstinato hominem persequitur. Gregorius: Stultum est, seruire diabolo offenso: qui nullo placatur obsequio.
6. Sextum est, quòd dilectio id quod odiendũ est in inimico magis destruit, quàm aliquid aliud. Ipsa enim est ignis, inimicitias annihilans. Romanorum duodecimo: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, &c. Sic enim carbones congeres super caput eius. Ipsa est gladius interficiens inimicum, inquantùm est inimicus. Chrysostomus: Sustine ad tempus inimicum tuum, & benefac ei: postmodùm autem, victum tuum. Item, omnis inimicitia beneficiorum assiduitate compescitur. Gregorius: Miles Dei, scutum patientiæ debet anteferre, nè pereat: & ad præliandum promptus, amoris iacula inferre, vt vincat: cuius armaturæ summam breuiter Paulus insinuat, dicens: Charitas patiens est, benigna est. Cùm verò vnum ex vtroque defuerit, charitas non est: videlicet, malos absque benignitate tolerans, non amat. Aut rursùs, si se sine patientia exhibens, negligit tolerare quos amat.

Modus egregius inimicum superandi.

1. Cor. 13.

Septi-
7. mum est, quòd non potes ex proposito nocere proximo tuo, quin tibi noceas. Augustinus: Malitia procedit ex te: & quẽ priùs vastat nisi te? quò profudit ramum, lędit: vbi radicem habet, non lædit? Non est dedecus alicui, si non vult inquinare manus suas, se vindicando: vel si non vult inquinare os suum, conuicium pro conuicio reddendo: immò honor est, & signum nobilitatis animi. Prouerbiorum vigesimo: Honor est homini, qui separat se à contentionibus. Verum est, quòd ille qui tibi iniuriatur, magis DEO iniuriatur, quàm tibi, qui hoc ei prohibuit, qui maius ius habet in te, quàm tuipse. Si ergò Deus differt vindicare iniuriam suam, & non est ei dedecus: non erit tibi dedecus, immò honor, si exemplo Domini, non vis vindicare teipsum. Ecclesiastici vicesimotertio: Gloria magna est, sequi Dominum.

Qui nocet inimico, ipse sibi priùs nocet

Secundò notandum est, qualiter hoc præceptũ, de dilectione inimicorum, intelligendum sit. Pro quo sciendum, vt ait sanctus Thomas in secunda secundæ, quæstione vigesimaquinta, articu. octauo: Dilectio inimicorũ tripliciter potest considerari. Vno quidem modo, vt inimici di-
1. ligantur, inquantùm sunt inimici: & hoc peruersum est, & charitati repugnans: quia hoc est diligere malum alterius. Alio modo potest accipi dilectio inimicorũ, quantùm ad naturam, sed in vniuersali: & sic dilectio inimicorũ, est de necessitate cha-
2. ritatis: vt scilicet aliquis diligens Deum & proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi, inimicos suos non excludat.
Tertio modo potest considerari dilectio 3.
inimicorum in speciali, vt scilicet aliquis in speciali moueatur motu dilectionis ad inimicum: & istud non est de necessitate charitatis absolutè, quia nec etiam moueri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter est de necessitate charitatis, quia hoc esset impossibile. Est tamen de necessitate charitatis secundùm præparationem animi, vt scilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quòd in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret: sed quòd absque articulo necessitatis, homo etiam actu impleat vt diligat inimicum propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis. Cùm enim ex charitate diligatur proximus propter Deum, quãto aliquis magis diligit Deum, tanto etiam magis ad proximum dilectionem ostendit, nulla inimicitia impediente. Sicut si aliquis multùm diligeret aliquẽ hominem, amore ipsius, filios eius amaret, immò etiã sibi amicos.

Quomodò intelligendũ sit præceptum de inimicis diligendis.

Tricesimumtertium instrumentum est: *Maledicentes se, non remaledicere, sed magis benedicere.* Rectè sanctus pater subiungit hoc instrumentum, post instrumentum dilectionis inimicorum. Quia, vt ait beatus Augustinus libro de vera innocentia, homini religioso parùm debet esse, inimicitias aliorum non excitare, vel non augere malè loquendo, nisi eas extinguere etiam benè loquendo studuerit. Hortatur nos ad hoc Apostolus ad Roman. 12. dicens: Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere. Debet prætereà discipulum ad hoc mouere exemplum magistri & saluatoris nostri Iesu Christi. qui, teste beatissimo Petro, cũ malediceretur, non maledicebat: & cùm pateretur, non cõminabatur, 1. Pet. 2. Erit autem vtile in hoc loco pro intelligentia huius instrumenti, vtrùm maledicere semper sit illicitũ: Secundò, vtrùm maledicere semper sit peccatum mortale. Pro primo, capiendo maledictionem, prout hic in instrumento isto capitur, videlicet per quam pronunciatur malum cõtra aliquem vel imprecando, vel optando: est notandum cum sancto Thoma, in secunda secundæ, quæstione 76. articu. 1. quòd potest esse licitum, & illicitum, diuersa consideratione habita. Si enim aliquis imprecetur vel optet malũ alterius, inquantùm est malum, quasi ipsum malum intendens, sic maledicere, vtroque modo erit illicitum: & hoc est maledicere, per se loquendo. Si autem aliquis imprecetur vel optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum: nec erit maledictio, per se loquendo, sed per accidens: quia principa-

Debemus inimicitias non solùm non excitare, sed etiã extinguere.

Quandò maledicere sit licitum vel illicitũ.

lis intentio dicentis, non fertur ad malum, sed ad bonum. Cōtingit aūt malū aliquod dici imprecando vel optando, sub ratione duplicis boni. Quandoq; quidē sub ratione iusti: & sic iudex iuste maledicit illum, cui præcipit iustam pœnam inferri: & sic etiam Ecclesia maledicit anathematizādo, sicut & Prophetæ in scripturis quandoq; imprecantur mala peccatoribus, quasi conformantes voluntatē suā diuinæ iustitiæ: licèt huiusmodi imprecationes possēt per modū prænunciationis intelligi. Quandoquè verò dicitur aliquod malū sub ratione vtilis, putà cùm aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem vel aliquod impedimentum, vt ipse melior efficiatur, vel vt saltem ab aliorum nocumento cesset.

Virū maledicere semper sit mortale. Circa secundum dicit sanctus Thomas, vbi suprà, articulo tertio: quòd cùm velle, vel imperio mouere ad malum alterius, quod importatur nomine maledictionis, prout de ea nunc loquimur, secundùm se repugnat charitati, qua diligimus proximum, volentes bonum ipsius, maledicere secundùm suum genus, est peccatum mortale: & tanto grauius, quanto personam, cui maledicimus, magis amare & revereri tenemur. Vndè dicitur Leuit. vigesimo: Qui maledixerit patri suo & matri, morte moriatur. Contingit tamen, verbum maledictionis prolatum, esse peccatum veniale, vel propter paruitatem mali, quod quis alteri maledicendo imprecatur: vel etiam propter affectum eius, qui profert maledictionis verba, dum ex leui motu, vel ex ludo, aut ex surreptione aliqua talia verba profert: quia peccata verborum, maximè ex affectu pensantur. *Peccata verborum.*

Tricesimumquartum instrumentū est: *Persecutionem pro iustitia sustinere.* De quo Matthæi quinto Saluator noster ait: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Chrysostomus: Propter iustitiam, hoc est, propter defensionem aliorum propter pietatem. Iustitiam enim consueuit pro omni virtute animi ponere. Dicuntur autem, qui patiuntur persecutionem propter iustitiam, beati: non qui patiuntur propter scelera. primæ Petri quarto: Nemo vestrûm patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus. secūdæ eiusdem tertio: Si quid patimur propter iustitiam, beati. Causam autem, quarè tales dicuntur beati, tangit idem Dominus, cùm dicit: quoniam ipsorum est regnum cælorum. *Matth. 5.* Bernardus in sermone quodam: Pauperibus & martyribus regnum cælorum promittitur, quia paupertate emitur: sed in passione pro Christo, sine omni dilatione percipitur. *Ser. 1. in festo omniū Sanctorū.* Est autem hic notandum, quòd eorum qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, regnum cælorum esse dicitur propter quinque causas. *Regnum cælorum est eorum, qui persecutionem patiuntur, propter quinque.*

Primò, quia iustitia pro eis erit in futuro: sicut ipsi modò sunt pro iustitia: vndè obtinebit eis regnum cælorum. Non enim poterit aliquid fieri in iudicio extremo contra iustitiam. Ecclesiastici quarto: Vsque ad mortem certa pro iustitia, & Dominus expugnabit inimicos tuos. 1.

Secundò, quia regnum cælorum expositum est vim inferentibus. Matthæi vndecimo: Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. quasi publicè de illo clamatum est: Qui potest capere, capiat, Matthæi decimonono. Vndè patientes persecutionem, quasi quadam vi illud rapiunt. Hieronymus: Non nisi per patientiam impletur, quod Dominus ait: Regnum cælorum vim patitur. 2.

Tertiò, quia precium habent, pro quo regnum cælorum expositum venale est. Augustinus in persona Domini: Venale habeo: quid Domine? regnum cælorum: quo emitur? paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita. 3.

Quartò, quia tales Christo societatem faciunt in vigilia præsentis afflictionis, in pane doloris & aqua tribulationis: meritò futuri dicuntur socij illius in festo æternæ iocunditatis. ad Romanos octauo: Cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, vt simul & glorificemur. secūdæ ad Timotheum secundo: Si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinemus, & conregnabimus. Et secundæ ad Corinthios primo: Sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationum. 4.

Quintò, quia ipsi habent onus cælestis hæreditatis in præsenti, & ideò meritò in futuro emolumentum hæreditatis ad eos pertinebit. Pressuræ autem præsentes, sunt debita, quibus primi parentes nostri cælestem hæreditatem obligauerunt. quod significatur Ecclesiast. vigesimo: Est qui multa redimat modico precio. Illud modicum precium, est sustinentia præsentis tribulationis. 5. *Sustinentia præsēs modica est.*

TRACTATVS XXIX.

De superbia, de quatuor speciebus, & de duodecim gradibus eius.

TRicesimumquintum instrumentum est: *Non esse superbum.* De quo Tobiæ quarto: Superbiam nunquàm in tuo sensu aut tuo verbo dominari permittas. Quoniam, vt ait Gregorius in Moralibus, quantalibet sit iustitia operis, apud æternum iudicem nulla est, si hanc eleuat tumor mentis: meritò sanctus pater inter instrumenta bonorum

Superbiæ diffinitio. operum ponit, nõ esse superbũ. Vbi consi-
derandũ, quòd superbia nominatur ex eo,
quòd aliquis per voluntatem tendit supra
id quod est. Vndè dicit Isidorus in lib. ety-
mol. Superbus dict⁹ est, quia supèr vult vi-
deri, q̃ est. Qui enim vult supergredi quod
est, superbus est. Anselmus libro de simi-
litudinibus, dicit: Superbia vocatur eô,
quòd supèr, quàm debeat, graditur. Vn-
dè superbia, communi diffinitione, à
sanctis patribus diffinitur, quòd est inor-
dinatus appetitus propriæ excellẽtiæ. Au-
gustinus libro decimotertio de Trinitate
Dei: Superbia peruersus celsitudinis appe-
titus. & vndecimo super Genes. Superbia
est amor propriæ excellentiæ. Et eodem
modo describit eam beatus Bernardus de
gradibus humilitatis. Cùm autem habeat
ratio recta, vt voluntas vniuscuiusque fe-
ratur in id, quod est proportionatum sibi,
manifestum est, quòd superbia importat
aliquid, quod aduersatur rationi rectæ.
Hoc autem facit rationem peccati, quia
secundùm Dionysium cap. viij. de diui-
nis nominibus, malum animæ est, præter
Tractandorũ diuisio. rationem esse. Circa hanc partem plu-
ra veniunt notanda. Primò, de multi-
plici genere superbiæ. Secundò, de speci-
ebus siue gradibus superbiæ. Tertiò, de
causis euitandi superbiam. Quartò, de
remedijs contra morbum superbiæ. Cir-
ca primum notandum, quòd, vt ait beatus
Superbia quadruplex Bernardus in quodam sermone: quadru-
plex est superbia, scilicet cordis, oris, ope-
1. ris, & habitûs. Superbia cordis est, quandò
homo in oculis suis magnus est: contra
Ecclef. 23. quam sapiens orat, dicens: Extollentiam
Isa. 5. oculorum nè dederis mihi. Et alibi: Væ
2. qui sapientes estis in oculis vestris. Super-
bia oris vel linguæ, quæ iactantia dicitur,
est, quandò homo de se magna loquitur.
psalmo vndecimo: Disperdat Dominus
vniuersa labia dolosa, & linguam magni-
3. loquam. Superbia operis, est, quandò ho-
mo, vt appareat magnus, exteriùs laborat.
De qua Psalmus 110. ait: Non habitabit in
medio domûs meæ, qui facit superbiam.
4. Superbia habitûs, est, quandò homo, vt
gloriosus videatur, preciosis se ornat ve-
stibus. vndè Matthæi vndecimo: Qui mol-
libus vestiuntur, in domibus regum sunt,
vbi videlicet superbia abundat. Cir-
ca secundum, videlicet de multiplicitate
specierum & graduum superbiæ: Primò
assignabuntur quatuor species superbiæ,
quas ponit Gregorius. Secundò, quatu-
or species superbiæ, quæ maximè in reli-
giosis claustralibus reperiuntur. Tertiò
assignabũtur duodecim gradus superbiæ,
quos ponit beatus Bernardus. Circa
primum notandum, quòd beatus Grego-
rius, vigesimotertio libro Moralium, assi- cap. 7.
gnat quatuor species superbiæ, quibus di- Quatuor superbiæ species.
cit omnem tumorem arrogãtium demon-
strari. Prima est, cùm bonum quod ha-
bent, à semetipsis habere se æstimant: con- 1.
tra quos dicitur primæ Corinthiorum
quarto: Quid habes quod non accepisti?
Secunda, cùm, si sibi datum desuper cre-
dunt, pro suis nihilominùs accepisse me- 2.
ritis putant: contra quos dicitur ad Epho-
sios secundo: Gratia saluati estis. Tertia,
cùm se iactant habere quod non habent: 3.
de quibus dicitur Isaiæ decimosexto: Su-
perbiam Moab & arrogantiam ego nóui, Iere. 48.
& quòd non sit iuxta eam virtus eius.
Quarta, cùm, despectis cæteris, singula-
riter videri appetunt habere, quod ha- 4.
bent: vt fuit de Pharisæo, extollente se su-
pra publicanum, Lucę decimooctauo. Hæ
sunt species superbiæ, secundùm Grego-
rium. Circa secundum notãdum, quòd Quadruplex superbia in religiosis.
quadruplex in religiosis claustralibus so-
let superbia reperiri. Prima est eorum,
qui sapientes se credunt, & ideò suo sensu
se regere volunt, & sunt suæ voluntatis. 1.
Bernardus: Superbia, quantumuis pru-
dens videtur esse, dimittenda est & abijci-
enda. Si enim admittitur superbus, prima
die qua incipit habitare, incipit leges dare.
Prouerbiorum vigesimosexto: Vidisti ho-
minem sapientem sibi videri? magis illo
spem habet insipiens. Tales enim non fa-
ciunt quod eis dicitur, etsi priùs volebant,
quàm eis diceretur. Gregorius: Superba
mens ad ea quæ non appetit, nullis exhor-
tationibus flectitur: ad ea verò, quæ appe-
tit, spontè quærit cogi: & hæc species prę-
cipuè periculosa est nouitijs. Bernardus:
Nouitium prudentem, insipientem sapi- Notate nouitij.
entem, diù in cella consistere posse, impos-
sibile est. Stultus fiat, vt sit sapiens: & hæc
omnis sit eius discretio, vt in hoc nulla sit
eius discretio: hæc eius omnis sapientia
sit, vt in hac parte nulla sit. Secunda est 2.
eorum, qui despiciunt seculares & pecca-
tores, credentes se inquinari ex consortio
eorum, similes Iudæis, de quibus Ioannis
decimooctauo, qui non introiérunt in
prætorium. timebãt enim inquinari coha-
bitatione gentilium, & non timebant in-
quinari sanguine Christi. De talibus Isaiæ
sexagesimoquinto dicitur: Recede à me,
non appropinques, quia immundus es. Isti
non attendunt, quòd sæpè aliquis ducit
vitam religiosam in mundo, & in claustro
vitam secularem. Et quòd aliqui secula-
res, quo ad meritum, sunt claustrales: & Meliores quandoquè sunt seculares claustralibus.
econtrà. Gregorius in hexameron: Recti
iudicis mutat merita ordinum qualitas
actionum. Et quidam, etiam in meliori
ordine, deteriores sunt: quia & isti for-

tem extremi habitûs, benè viuendo tran-
scendunt, & illi superioris loci meritum,
3. non exequendo diminuunt. Tertia
est eorum, qui volunt habere in claustro,
quod non habebant in seculo, vt deli-
cias vel magnum nomen. De quibus Ber-
nardus in homilia super Missus est, ità di-
Magna abusio in religiosis. cit: Qui anteà in suo oppido vel vico vix
cogniti fuerunt, modò circumeuntes pro-
uincias, curias frequentantes, regum noti-
tias & principum familiaritates assecuti
sunt. Contra hoc est, quod dicit Augusti-
nus in regula: Qui autem non habebant,
non ea quærant in monasterio, quæ nec
foris habere potuerunt. Idem: Nec erigant
ceruicem, si socientur eis, ad quos foris ac-
cedere non audebant: sed sursùm cor ha-
beant, & terrena vana non quærant, nec
incipiant monasteria diuitibus esse vtilia,
non pauperibus: dum diuites illic humi-
liantur, & pauperes illic inflantur. Quar-
4. ta est eorum, qui in claustro gloriantur,
vel superbiũt de diuitijs, quas habuerunt,
vel de hoc quòd eas in claustro contule-
runt: vel de aliquibus, quæ in seculo fece-
runt. Contra hoc Augusti. in regula lo-
quitur: Non extollantur, si communi vi-
tæ aliquid de suis facultatibus contule-
rint: nec suis diuitijs magis superbiant, si
eas in monasterio partiuntur, quàm si eis
in seculo fruerentur. Quid prodest disper-
gendo dare pauperibus, cùm anima mise-
ra superbior efficitur diuitias cõtemnen-
do, quàm fuerat possidendo? Et vt ait
Bernardus: Secularis adhuc animi indici-
um est hoc: vndè & humilis habitus, qui
gestatur à talibus, non sanctæ nouitatis est
meritum, sed priscæ vetustatis operculum.

Duodecim gradus superbiæ. Circa tertium notandum, quòd secun-
dùm beatum Bernardum duodecim sunt
gradus superbiæ. Primus, curiositas: quę
1. his indicijs agnoscitur secundùm eundem
Bernardum, sic dicentem: Si videris mo-
nachum oculis vagari, caput erectum ha-
bere, aures habere suspensas: ex motibus
exterioris hominis, interiorem hominem
2. esse mutatum cognoscas. Secundus gra-
dus, leuitas. De quo sic dicit Bernardus:
Monachus enim, qui suî negligens, alios
curiosè circunspicit: dum quosdam suspi-
cit superiores, quosdam despicit inferio-
res: in alijs quidem videt quod inuidet, in
alijs quod irridet. Indè fit, quòd mobi-
litate oculorum lęuigâtus animus, nulla
vtiquè cura suî aggrauatus, modò per su-
perbiam ad alta se erigit, modò per inui-
diam ad ima demergit: in altero nequam,
in altero vanus, in vtroque superbus.
3. Tertius gradus, est inepta lætitia: cuius in-
dicia, vt ait beatus Bernardus, sunt, insi-
gnis scurrilitas, in frõte hilaritas, in incessu
vanitas, in ioco facilitas, & in risu proni-
tas. Quartus, est iactantia, de hoc Bernar- 4.
dus sic loquitur: Esurit & sitit auditores, Signa iactãtiæ, præclarè describuntur.
quibus suas iactet vanitates: inuenta autem
occasione loquendi, si sermo de literis ex-
oritur, vetera proferuntur & noua: vo-
lant sententiæ, verba resonant ampullo-
sa: præuenit interrogantem, non quæren-
ti respondet: ipse quærit, ipse soluit: &
verba collocutoris imperfecta præscindit.
Si de religione agitur, statim visiones &
somnia proferũtur. Laudat ieiunia, com-
mendat vigilias: super omnia orationes
exaltat. De patientia, de humilitate, de cæ-
teris virtutibus plenissimè disputat: vt si
audieris, dicas: Ex abundantia cordis os Matth. 12.
loquitur. Si ad lubrica sermo conuertitur,
in his quanto assuetior, tanto loquacior
inuenitur: vt dicas, si audias, os eius, ri-
uum esse vanitatis, fluuium scurrilitatis:
vt seueros quosque & graues animos, in
leuitatem concitet risus. Quintus, est sin- 5.
gularitas, de quo Bernardus sic inquit: Singularitas, superbiæ filia.
Turpe enim est ei, qui se supra cæteros ia-
ctat, si non plùs cæteris aliquid agat, per
quod vltra cæteros appareat; vt dicere va-
leat, Non sum sicut cæteri hominum: non Luc. 18.
tamen melior esse studet, sed videri: plùs
sibi blanditur de vno ieiunio, quod cæte-
ris prandentibus facit, quàm si cum cæte-
ris septem dies ieiunauerit: commodior
sibi videtur vna oratiuncula peculiaris,
quàm tota psalmodia vni⁹ noctis. Sextus, 6.
est arrogantia, de quo Bernardus sic lo- Arrogantię signa.
quitur: Cùm autem ex his quæ singulari-
ter, sed inaniter, agit, apud simpliciores
eius opinio excreuerit, qui profectò ope-
ra probant quæ cernunt, sed vndè prode-
ant, non discernunt, dum miserum beati-
ficant, ipsum in errorem inducunt. Cre-
dit quod audit, laudat quod agit, & quod
intendat, non attendit: obliuiscitur inten-
tionem, dum amplectitur opinionem.
qui licèt de omni alia re plùs credat sibi,
quàm alijs: tamen de se solo plus alijs,
quàm sibi, vt iam non verbotenùs, aut so-
la operum ostentatione suam præferat re-
ligionem, sed intimo cordis credat affectu
omnibus se sanctiorem: & quicquid de se
laudatum agnouerit, non ignorantiæ aut
beneuolentiæ laudatoris, sed suis meritis
arroganter asscribit. Septimus, est præ- 7.
sumptio: quæ in hoc gradu est, vt dicit Indicia præsumptionis
Bernardus, quòd plus de se, quàm de alijs
præsumit: primus in conuentibus residet,
in consilijs primus respondet: nõ vocatus,
accedit, non missus, se intromittit: reordi-
nat ordinata, reficit facta: quicquid ipse
non fecerit aut ordinauerit, non ritè fa-
ctũ, nõ rectè existimat ordinatũ: iudicãtes
iudicat, iudicaturis præiudicat: si, cũ tẽpus
adue-

aduenerit, non promoueatur ad Prioratum: abbatem suum aut inuidum iudicat, aut deceptum. Si autem aliqua mediocris obedientia ei iniungatur, indignatur, aspernatur, arbitrans se nō esse minoribus occupandum, qui se ad maiora sentit ido-
8. neum. Octauus, est defensio peccati. De quo Bernard. Si cùm argutus fuerit, declinare cor eius videris in verba malitiæ, in octauum gradū, qui dicitur defensio peccatorum, nóueris incurrisse. Multis verò modis fiunt excusationes à peccatis. aut enim dicit, qui se excusat, non feci: aut feci quidem, sed benè feci: aut si malè, nō multùm malè feci: aut si multùm malè feci, nō mala intentione. Si autem & de illa, sicut Adam vel Eua, cōuincitur, aliena suasione excusare se nititur.

Mala excusatio.

9. Nonus, est simulata confessio, quæ vtique multo periculosior est, fallax & superba confessio, quàm etiam obstinata defensio. de quo Bernard⁹ ità dicit: Nōnulli, cùm de apertioribus arguuntur, scientes quòd si se defenderent, non sibi crederetur: subtilius inueniunt argumentum defensionis, verba respondentes dolosæ cōfessionis. Est quippe qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo. Vultus demittitur, corpus prosternitur: aliquas sibi lachrymulas extorquēt, si possunt: verba gemitibus, vocem suspirijs interrumpunt: sed simulatio ista citò depræhenditur. Vasa enim figuli probat fornax, & tribulatio verè pœnitentes discernit. Nam qui veraciter pœnitet, laborē pœnitentiæ non exhorret: sed quicquid sibi pro culpa, quam odit, iniungitur, tacita conscientia patienter amplectitur. Cuius verò simulata confessio est, vna vel leui cōtumelia aut exigua pœna interrogatus, iam humilitatem simulare, iam simulationem dissimulare non potest: murmurat, frendet, & irascitur: ac per hoc in nonum gradum superbiæ corruisse probatur.

Periculosa confessio.

Eccle. 19.

Probatio veræ cōfessionis & pœnitētiæ.

10. Decimus, est rebellio. de quo Bernard⁹ ità loquitur: Frontosus mox & impudēs factus, tanto deteriùs, quāto desperatiùs, in decimum gradum per rebellionem corruit: quiq; priùs latenter arrogans, fratres contempserat, iam patenter inobediens, etiam
11. magistrum contemnit. Vndecimus gradus, est libertas peccandi, per quam monachus nec magistrum, nec prælatū, nec fratres timet, nec reueretur: quanto securiùs, tanto liberiùs sua desideria implere de-
12. lectatur. Duodecimus gradus, est consuetudo peccandi. Bernardus: At postquàm terribili Dei iudicio, prima flagitia impúnitas sequitur, experta voluptas libenter repetitur, repetita, blanditur: eo ne cupiscētia reuiuiscente, sopitur ratio, ligat consuetudo, trahitur captiuus in profundum malorum: ità vt carnalium desideriorum voragine absorptus, suæ rationis & diuini amoris oblitus, dicat insipiens in corde suo, Non est Deus: iam indifferenter libitis pro licitis vtitur: iam ab illicitis cogitādis, patrādis, inuestigādis animus, manus, vel pedes nō prohibetur: sed quicquid in cor, buccam, ad manum venerit, machinatur, garrit, & operatur maleuolus, vaniloquus, facinorosus.

Quomodò irrepat prauę consuetudinis malum.

Psal. 13.

TRACTATVS XXX.

De causis, quibus superbia fugienda est: & de remedijs, quibus vtendum est contra morbum.

Circa tertium principale notandum, duodecim causas esse inter alias, propter quas superbia detestanda est, & potissimè à religiosis, quos maximè conuenit ab hoc diabolico vitio esse alienos. Prima est, quia superbia est caput & initiū omnium peccatorum. Ecclesiastici 11. Initium omnis peccati, superbia. Chrysostomus: Superbia, principiū & mater, radix & fons omnium malorum. Quam ob causam dicit Augustinus super Ioannem: Cura superbiam, & nulla erit iniquitas. Bernardus in sermone de sancto Andrea: Initium omnis peccati, & causa totius perditionis, superbia est. Propterea quisquis es, qui salutem tuam operari studes, aduersùs hanc super caput tuum signum sanctæ crucis habere memento, vt non eleueris in superbiā, nō exaltetur cor tuum. Secunda causa, quia superbia est maximum peccatorum, quod enim est primum in quolibet genere, vt testatur Philosophus, est maximum omnium in illo genere contentorum. Vndè super illud psalmi 18. Emundabor à delicto maximo: dicit Glo. Vitiū superbiæ, quod est vltimum redeuntibus, & primum recedentibus, verè est maximum. Item Glo. super illud psalmi 118. Iniquè agebant vsquequaquè: dicit, Maximum peccatum est superbia in homine. Vbi notandum, quòd maximum potest dici quintupliciter. Primò, origine, quia Ecclesiastici 10. dicitur: Initium omnis peccati, superbia. Secundò, genere: quia, vt dicitur in Glo. Superbia natione cælestis, sublimium mentes inhabitat. Tertiò, numerositate: quia ferè omnes superbi sunt. Vndè Glo. addit, sub cinere latitans & cilicio. Quartò, temporis antiquitate: quia & hoc fuit primum peccatum in diabolo. Isaiæ 14. Ascēdam in cælum, & ero similis altissimo. & in homine. Gene. 3. Eritis sicut dij, scientes bonum & malum, inquit diabolus. Quin-

Duodecim de causis detestanda est superbia maximè religiosis.

1.

Serm. 2.

2.

Regula & probatio, quod superbia est maximum peccatum.

Superbia dicitur maximum peccatū quintupliciter.

Quintò, magnitudine malitiæ & iniquitatis. Augustinus super Psal. 112. Quid superbiæ malitia deterius, quæ præpositum habere non vult nec Deum? Hieronymus super Psal. 118. Superbia nihil potest esse deterius. Superbia enim à Dei incipit iniuria, quæ natio nec cælestis sublimium mentes inhabitat. Bernardus: Quæ maior iniquitas, quàm vt indè creator à te contemnatur, vndè plùs amari merebatur? quæ maior iniquitas, quàm cùm de potentia Dei non dubitas, quin te destruere possit, qui condere potuit: confisus tamen de multa eius dulcedine, qua speras eum nolle vindicare cùm possit, malũ pro bono, odium tribuas pro dilectione: quanto magis ad alta festinas, tãto magis ad occasum declinas. Tertia ratio, quia ex superbia oriun-
3. tur & propagantur multa mala. Ait enim Augustinus in epistola ad quendam mili-
Ex superbia quæ mala oriantur. tem: De superbia nascuntur hæreses, schismata, detractiones, inuidiæ, rixæ, dissensiones, contentiones, elationes, præsumptiones, iactantia, verbositas, vanitas, inquietudo, mendacium, periurium, & cætera huiusmodi, quæ dinumerare per singula longum esset. Vndè Apostolus 2. Timoth. 3. Erunt homines amantes seipsos, eccè superbia. Sequitur: cupidi, elati, &c. In hoc tangitur turba vitiorum, quæ ex illa oriuntur. Quarta ratio, quia superbia
4. est generatiua multorum vitiorũ & scandalorum. Spiritus enim superbiæ est quasi
Terræmotus causa assimilatur superbiæ. ventus inclusus in terra, qui agitatus generat terræ motum, vt Aristoteles docet tertio Meteorologicorum, & sæpè absorbet domos & montes. Sic superbia concitat bella & terræmotus magnos in orbe. Pro. 13. Inter superbos semper iurgia sunt. Prouerb. 14. Qui se iactat & dilatat, iurgia concitat. Et Prouerb. 22. Arma & gladij in
5. via superbiæ. Quinta ratio, quia superbia facit hominem inhabilem, & incapacem ad diuinam gratiam. Iaco. 4. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Bernardus: Elatũ cor, expers est pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiritualis. Scimus autem, superbis nõ esse partem vel societatem in sorte san-
6. ctorũ. Sexta ratio, quia superbia perimit & destruit germina omniũ virtutum. Vn-
lib. 12. ca. 3. dè Cassian⁹ libro de institutionibus: Nullum aliud vitium est, quod ità omnes virtutes exhauriat, cunctaque iustitia & sanctitate hominem expoliet atque denudet,
Superbia omnia bona destruit. vt superbiæ malũ: tanquàm generalis quidam atq; pestifer morbus, non vnũ membrorum, partémve eius debilitare contentus, sed solidum corpus lethali corrumpit
Lib. 2. de summo bono, cap. 38. exitio: & in virtutum iam fastigio collocatos, grauissima ruina deijcere ac trucidare conatur. Isidorus: Superbia sicut est origo omnium criminũ, ità & ruina cunctarum virtutum. Gregorius: Sicut humilitas omnia vitia eneruat, omnesque virtutes colligit & roborat: sic superbia omnes virtutes desiccat & eneruat. Hinc Iob 20. superbia ventus vrens dicitur, quia omnia destruit, sicut ventus vrens germina arborum desiccat & adurit. Septima ratio: Su- 7.
perbia excæcat rationis oculos. Gregorius in Moralibus: Obstaculum veritatis, tu- lib. 23. ca. 16.
mor mentis. Idem: Lumẽ intelligẽtiæ humilitas aperit, superbia abscõdit. Matth. 11. Abscondisti hæc à superbientibus, & reuelâsti ea paruulis. Item in Registro: Quisquis superbiæ tyrannidem captiua mente susceperit, hoc primùm damnum patitur, quòd clauso cordis oculo, iudicij æquitatem perdit. Nam cuncta quæ ab alijs vel benè geruntur, displicent: & sola, quæ ipse vel praua egerit, placent. hinc dicitur Prouerb. 21. Superbus & arrogans, vocabitur indoctus. Vndè omnes hæreses & omnes Vndè hæreses.
alij errores periculosi, ex superbia prouenerunt. Vndè super illud Iere. 49. Arrogantia & superbia cordis tui decipit te: Glo. Omnis hæreticus, arrogans: quia superbia facit hæreticum, non ignorantia. Bernard. Trabes in oculo grandis & gros- De gradibus humilitatis
sa, superbia in mẽte est, quæ quadã corpulentia sui vana, nõ sana, tumida, non solida: oculum mentis obscurat, veritatem obumbrat ità, vt si tuam occupauerit mentẽ, iam tu te videre, iam te talem, qualis es, vel qualis esse potes, non possis sentire. Octa- 8.
ua ratio: Superbia hominem immundum reddit. Chrysostomus super Ioannem: Superbia intùs existente, omnis nostra vita immunda fit: etiam si sobrietatem, virginitatem, & si ieiunium, orationes, & eleemosynam, & quæcunque alia fecerimus. Poeta:

Si tibi gratia, si sapientia, formaq; detur:
Inquinat egregios adiũcta superbia mores.

Nona ratio: Superbia hominem deformat. 9.
Vndè quidam describens superbũ, & quasi Superbi hominis descriptio.
depingens, ait, quòd superbus est intolerabilis: habitu, superfluus: incessu, pompo-
sus: ceruix erecta, facies elata, truces oculi, verba & facta sua iactat, reuerentiã in obsequio non seruat. De quo Prouerb. 6. dicitur: Homo apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat. Item Gregor. in Moralib. Cunctis apud se superba cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, incongruentia in imaginatione, erectio in incessu, rancor in responsione. Horum mens semper est ad irrogandas contumelias valida,

da, ad tolerandas infirmitates & ad obediendum pigra: ad lacessendum verò alios, importuna: ad ea quæ facere debet & præualet, ignaua: ad ea quæ facere nec debet, nec præualet, parata. Vndè de superbo dicitur Isaiæ 2. Quiescite ab homine, cuius
10. spiritus est in naribus eius. Decima ratio: Superbia est multùm odibilis & displicibilis Deo. Nihil sic odit Deus, teste beatissimo Augustino, quomodò superbiam. Prouerb. 6. Sex sunt quæ odit Deus: Oculos sublimes. Glo. id est, superbiam. Item Prouerb. 8. Arrogantiam & superbiam detestor. Meritò Deus superbiam odit & detestatur: Tum quia, vt dicit beatus Bernardus in sermone de vigilia natiuitatis Christi, Omnis superbus extollitur supra Deū. vult enim Deus fieri voluntatem suam, & superbus vult fieri suam. Deus quidem in his tantùm, quæ ratio approbat: superbus verò & cum ratione, & contra rationem. ideò dicit Gregorius: Cùm omnia vitia fugiant à Deo, sola superbia Deo se opponit. Tum quia, vt idem dicit in sermone natiuitatis Christi, Elatus, quantùm in se est, Deum inhonorat non colit Deum, sed aduersùs Deum extollitur, impius planè & infidelis. Quæ enim pietas, nisi cultus Dei? Quis verò Deum colit, nisi qui volūtariè ei subiectus est? Quarè clamat Bernardus in sermone quodā: Fugite superbiam, fratres mei, quę tam velociter ipsum quoquè, cunctis sideribus clariùs emicantem, æterna caligine obtenebrauit Luciferum: quæ non solùm angelum, sed angelorum primum, in diabolum commutauit. Certi estote, eum qui superbis non pepercit angelis, nec hominibus parciturum. Vnde-

Quòd meritò displiceat Deo superbia.

11. cima ratio: Superbia est odibilis hominibus. Ecclesiast. 10. Odibilis coram hominibus superbia. Augustinus assignans rationem, dicit 19. de ciuitate Dei: Superbia odit pacem cum alijs, & vult imponere dominationem. Et Innocentius: Superbia, inquit, cunctis importabilis, omnibus odiosa: tu es semper prima, tu es semper vltima: Nam omne peccatum, te accedente, accedit: & te recedente, recedit. Bernardus in quibusdam sentētijs: Solos sese putant esse superbi, solos appetunt reputari. Literatus est, odit socium: astutus in negocijs secularibus, neminem vellet similem inueniri.

Quarè superbia odibilis sit hominibus.

12. Duodecima ratio: Superbia multiplici pœna punitur. Punitur enim superbus pœna multiplici. Prima, est ignominiosa confusio. Iob 40. Disperge superbos in
1. furore tuo. Sequitur: Respice cunctos su-
2. perbos, & confunde eos. Secunda, est illorū deiectio & depressio ab honore. Ecclesiast. 10. Sedes ducum superborum destruxit Dominus. Et infrà: Radices gentium superbarum arefecit Dominus, & perdidit memoriam superborum. Luc. 1. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Innocentius lib. de miseria conditionis humanæ: Superbia turrim euertit, linguas confudit, Goliam prostrauit, Aman suspēdit, interfecit Nicanorem, peremit Antiochum, Pharaonem submersit, & Senacherib interemit. Tertia, est æterna dānatio. Psal. 2. Dies Domini super omnem superbum. Isaiæ 18. Væ coronæ superbiæ. Quarè beatus Ioan. Chrysost. super Ioannem ait: Supprimamus hanc inflationem, si volumus esse puri, & ab eo, quod diabolo adiacet, erui supplicio: quoniam hominem elatū eadem cum illo, scilicet diabolo, pati necesse est. Circa secundum notandū, quòd aduersùs superbiæ morbum plurima dantur à sanctis remedia. Primū, est consideratio humanæ vilitatis tam in ortu, quàm in progressu & quàm in finali recessu. Ecclesiastici 10. Quid superbis terra & cinis? Bernardus: Vide vndè veneris, & erubesce: vbi es, & ingemisce: quò vadis, & contremisce. Item Bernardus in sermone quodam: Quid tu superbis, terra & cinis? Superbientibus angelis Deus non pepercit: quanto magis tibi, putredo & vermis. Secundum, est consideratio propriorum defectuum, quibus subiacet. Gregorius in homilia: Sancti viri vt humilitatis in se virtutem custodiant, cùm quædam mirabiliter sciunt, ante mētis oculos student reuocare quod nesciunt: vt dum ex parte infirmitatem suā considerant, & ex ea parte qua perfectus est eorum animus, se non extollant. Vndè in Vitis Patrum dicit quidam senex: Quandò cogitatio elationis interuenerit, scrutare conscientiam tuam: si Domini mandata custodiuisti, si inimicos diligis, si gaudes in aduersarij glorificatione, si contristaris in minoratione eius, si cognoscis te seruum inutilē, si recognoscis te plùs omnibus peccatorem. Sic faciebat abbas Moyses, qui in seculo fuit magnus peccator, & posteà magnæ pœnitentiæ. Cùm enim tentabatur de elatione, recurrebat ad peccata sua cogitanda: vndè facta est ad eum vox dęmonum, dicentium: Vicisti nos, quia dum te exaltamus, tu te humilias. & ideò dicitur Ecclesiast. 11. In die bonorum nè immemor sis malorum. Tertium, est cōsideratio meliorū. Nulla enim restat superbiendi occasio, si cōsideramus quàm parua sunt bona nostra in comparatione ad illa, quæ alij innumerabiles fecerūt. Gregorius: Non quibus iam superiores, sed quibus adhuc inferiores estis, adspicite. Sicut incentiuum superbiæ est respectus deteriorum, ità cautela humilitatis, est cōsideratio meliorum. Augustinus: Ad domandam superbiam cogitare debemus, nullum esse hominem, qui non pos-

Multiplex superborū pœna.

Diuersa exempla de superborū deiectione.

3.

Remedia contra superbiam.

1.

2.

Doctrina optima cuiusdā senis.

Exemplū.

3.

set

set habere aliquod bonum, quod tu nondùm habes, etsi lateat, in quo sine dubio
4. possit te esse superior. Quartum, est consideratio incertitudinis valoris operũ nostrorum: & quòd quãdoque, quod reputamus magnũ, nihil est in oculis Dei. Gregorius: Sordet interdùm in oculis iudicis, quod fulget in oculis actoris. Quis ergò audet superbire de aliquibus bonis operibus, cùm non secundùm suum iudicium, sed secundùm Dei iudicium, veniãt ponderanda. Prætereà nescit homo, an odio, an amore dignus sit, Ecclesiastis 9. sed omnia in futurũ reseruantur incerta. Gregorius: Adhuc cũcta nobis de meritis nostris incerta sunt, vt vnam certam gratiam teneamus humilitatem.
Incertitudinis meritorũ causa.
5. Quintũ, est consideratio paupertatis nostræ, quia nihil habet homo proprium, nisi mendaciũ & peccatum. Ait Gregorius super Ioannem: Si quæ autem bona habet, à Deo accepit. Vnde ergò homo superbit? Hac consideratione retundit elationem superbiæ Apostolus, dicens: Quid habes quod non accepisti? Si accepisti, quid gloriaris?
1. Cor. 4.
6. Sextum, est consideratio breuitatis gloriæ huius seculi. Psal. 36. Vidi impium superexaltatum, & eleuatum quasi &c. Et sequitur: Trãsiui, & eccè non erat. Iob 2. Laus impiorum breuis, & gaudium hypocritę ad instar puncti. Si ascenderit in cælum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur.
Egregium arg. de superbi miseria.
7. Septimum, est consideratio grauitatis curarum & anxietatum, quibus superbus premitur & supponitur. Ait enim Gregori⁹ in Moralibus: Quanto quisque hic altiùs erigitur, tanto curis grauioribus oneratur: eisq; ipsis populis mente & cogitatione supponitur. Vndè omnis superbia eo ipso in imo iacet, quo in alta se erigit, vt indè magis supposita sit, vndè cunctis præesse appetit. homo quippe in sublimibus eleuatus, tantos suprà sustinet, quantos suppositos regit.
8. Octauum remedium, est consideratio cõuersationis & passionis Christi. Nam vt ait Augustinus lib. 3. de verbis Domini: Medicina tumentis hominis, est humilitas Christi. Non enim homo perisset, nisi superbia tumuisset: initium enim omnis peccati, superbia. Contra initium peccati, initium iustitiæ necessarium fuit. Si ergò initiũ omnis peccati superbia, vndè sanaretur tumor superbiæ, nisi Deus dignatus esset humilis fieri? Erubescat homo esse superbus, quoniam factus est humilis Deus. Item idem Augustinus super Ioan. Vt causa omnium morborũ curaretur, id est, superbia: descendit, & humilis factus est filius Dei. Quid superbis homo? Deus propter te humilis factus est. Puderet te fortasse imitari humilem hominẽ: saltem
Serm. 41. de verbis Domini.
Efficax ad humilitatẽ inductio.

imitare humilem Deum. Quarè in Glosa ad Philippen. 2. exclamat Augustinus, dicẽs: Quid intumescis, ô homo pellis morticina? Quid tenderis, ô sanies fœda? Quid inflaris? Princeps tuus humilis est, & tu superbus: caput humile est, & membrum superbum? absit. Et Bernardus in sermone de natiuitate Domini: Ad quid, fratres, & quæ necessitas fuit, vt exinaniret se, humiliaret se, abbreuiaret se Dominus maiestatis, nisi vt vos similiter faciatis? Obsecro ꝓindè, studete humilitati, quæ fundamentum est custosque virtutum: sectamini illã, quæ sola potest saluare animas vestras: quid enim magis dignum? Nonum, est 9.
consideratio diuinæ cõminationis. Isa. 28. Væ coronæ superbiæ, flori decidenti. Et Augustinus super canonicam Ioannis: Vę homini, cuius auriga superbia est: necesse enim est, vt præceps eat. Decimum, est 10.
consideratio casus eorum, qui propter superbiæ vitium deiecti & damnati sunt, & maximè angelorum. Vndè de Lucifero, capite & supremo eorum, qui ceciderunt, dicitur Isa. 14. Quomodò cecidisti lucifer de cælo? Et Luc. 10. Videbam satanam tãquàm fulgur de cælo cadentem. Vndè dicit Gregorius in Moralibus: Cõsideret homo, qd elatus in terra mereatur: si etiam prælatus angelus in cælo, prosternitur. Bernardus super Cantica: Si Deus sic egit cum angelo superbiente, quid de me fiet terra & cinere? ille in cælo intumuit, ego in sterquilinio. Quis enim tolerabiliorem in diuite superbiam, quàm in paupere dicat? Væ mihi: si tam durè in potente illo animaduersum est, pro eo quòd eleuatũ est cor illius, nec ei profuit, quòd cognata potẽtibus superbia esse cognoscatur: quid de me exigendũ est, & misero, & superbo?
Quàm grauis in homine superbia.

TRACTATVS XXXI.

De tricesimosexto & tricesimoseptimo instrumentis: vbi de vitanda ebrietate, & immoderata ciborum auiditate.

TRicesimumsextũ instrumentum est: *Non esse vinolentum*, id est, amatorem vini, siue cum auiditate multùm & excessiuè vino vtentem. Quoniam verò plurimùm se concomitantur saturitas & superbia ac rebellionis temeritas, secundùm illud Oseæ 13. Saturati sunt, & eleuauerunt cor suum: Et illud Deuteron. 32. Impinguatus, dilatatus recalcitrauit: meritò post instrumentum de superbia vitanda, adiungit sanctus pater instrumenta de fugienda ebrietate & crapulositate. De vino excessiuè nõ vtendo,

do, dicitur Pro. 23. Cui vę nisi his qui com-
morantur in vino, & studēt calicibus epo-
tandis? Glo. Non vetat bibere vinū ad ne-
cessitatem, sed morari extra tempus & vti-
litatem in vino, & euacuandis certare cali-
cibus. Vnde Isa. 5. Væ qui potentes estis ad
bibendum vinum, & fortes viri ad miscen-
Ebrietatis mala.
dam ebrietatem. Vbi notādum, quòd ex-
cessiuus vini vsus vitandus est, quia indu-
1. cit multa mala. Primò, quia bona omnia
dissipat in homine: bona maximè gratiæ
vsque ad fundamentū eorum, scilicet vsq;
ad fidem. Ecclesiasti. 20. Vinum & muli-
eres apostatare faciunt sapientes à Deo.
sicut mater fidei, continentia est: ità perfi-
diæ mater, ebrietas. Bona etiam naturæ ex-
Vinum immoderatè sumptum, omnia bona exterminat tā gratiæ quàm naturæ.
terminat. Augustinus: Ebrietas aufert me-
moriam, dissipat sensum, cōfundit intel-
lectum, concitat libidinem, inuoluit lin-
guam, corrumpit sanguinē, omnia mem-
bra debilitat, vitam diminuit, & omnem
salutem exterminat. Ambrosius: Ebriosus
confundit naturam, amittit gratiam, per-
dit gloriam, incurrit damnationem æter-
2. nam. Secundò, turpissimum hominem
reddit. Innocentius libro de miseria homi-
nis: Quid turpi⁹ ebrioso? cui fœtor in ore,
tremor in corpore: qui promit stulta, pro-
dit occulta: cui mens alienatur, & facies
Exempla de ebrietatis turpitudine.
trāsformatur. Et sequitur: Ebrietas veren-
da nudauit, scilicet in Noe: incestum com-
misit, scilicet in Loth: filium regis, scilicet
Amnon, occidit: & principem exercitûs,
3. scilicet Holofernem, iugulauit. Tertiò
quidem, prouocādo ad iram & contume-
lias, dissipat fraternalem concordiā & pa-
cem. Ecclesiastici 31. Vinum multum pota-
tum, iritationem & iram & ruinas multas
facit. Petrus Rauennas in sermone: Ebrie-
tas cædis magister, parēs litium, furoris ge-
4. nitrix, petulantiæ est magistra. Quartò,
inflammat libidinem. Ex ebrietate enim,
quasi primogenita filia, generatur luxu-
ria. Prouerb. 20. Luxuriosa quidem res est
vinū, & tumultuosa ebrietas. Et ideò Apo-
stolus ad Ephe. 5. inquit: Nolite inebriari
5. vino, in quo est luxuria. Quintò subuer-
Magnum damnum ebrietatis.
tit sensum. Oseæ 4. Vinum & ebrietas au-
ferunt cor. Petrus Rauennas: Vbi regnat
ebrietas, ratio exulat: intellectus obtundi-
tur, consilia deuiant, iudicia subuertūtur.
Et ideò dicit sapiēs Salomon Ecclesiast. 2.
Cogitaui in corde meo abstrahere à vino
carnem meam, vt animum meum transfer-
rem ad sapientiam, deuitaremque stultiti-
am. vnde Glo. Ecclesia. 31. dicit: Ebrietas
multos subuertit, quæ sensum minuit, irā
excitat, libidinem inflammat, animi secre-
ta reuelat. Ideò Ambrosius ait: Fugiamus
ebrietatē, per quam cætera vitia vitare non
possumus. Tricesimumseptimū instru-
mētum est: *Non esse multùm edacem*, id est, non
esse crapulosum aut gulosum. De quo Ec-
clesiast. 31. Vtere quasi homo frugi, his quę
tibi apponuntur: vt non cùm manducaue-
ris multum, odio habearis. Glosa: Sobrie-
tatem dilige, temperanter age. Nè quid ni-
mis, nè in scandalum confusionis incidas.
Multa præclara ad cōmendationē sobrietatis describuntur.
Vbi notandum, quòd sobrietas cibi aman-
da est ab omnibus, & maximè à discipulo
huius scholæ. Primò, quia sobrietas cibi
plurimùm valet ad vitam naturæ conser-
uandam. Ecclesiastici 37. Noli esse auidus 1.
in omni epulatione, & non te effundas su-
per omnem escam. In multis enim escis erit
infirmitas, & auiditas appropinquabit v-
que ad choleram. Propter crapulam multi
perierunt: qui autem abstinens est, adijciet
vitam. Seneca: Potest nostra prouidentia
huic corpusculo longiorem prolongare
moram, si voluptates, quibus maior pars
perijt, poterimus regere & coërcere. Se-
cundò valet ad custodiam vitæ gratiæ. So- 2.
brietas enim mater est omnium virtutum,
sicut econuersò ebrietas omniū vitiorum,
ait Origenes super Leuit. 7. Isidorus libro
de summo bono: Sicut carnales cupiditates
resecantur abstinentia, ità omnes animæ
virtutes, edacitatis vitio destruuntur: indè
est, quòd princeps cocorum, muros Ieru-
salem subuertit: quia venter, cui multitu-
do cocorum deseruit, ędificia virtutum ad
solum redigit. Tertiò, quia sobrietatem 3.
concomitatur animæ & corporis puritas:
quemadmodùm enim, teste beato Isidoro,
escis libido crescit, & ciborum saturitas lu-
xuriam suscitat: ità ieiunio libido restrin-
gitur, ieiunio & abstinentia luxuria supe-
ratur. Sequestrata autem saturitate, nō do-
minatur luxuria. Quocircà, vt ait Gl. Mat.
4. Diabolus victus de gula, non tentat de
luxuria. Hieronym. In omnibus exhibe te
sobrium, vt te sobrietas exhibeat purum.
Quartò sobrietas diligenda est, quia gu- 4.
la inter alia mala quæ facit, de templo spi-
ritûs sancti, quod est homo, (secundùm il-
lud 2. Corinth. 6. Vos estis templum Dei)
sterquilinium facit. Hieronymus: Quan-
to studio fugiēda est gula, quæ corpus do-
mesticum spiritûs receptaculū, reducit in
sterquiliniū, carnis nostræ gloriam redu-
cit in lutum. Quintò, quia gula aggrauat 5.
& diminuit lumen rationis. Luc. 21. ait Sal-
uator: Attēdite autem vobis, nè fortè gra-
uentur corda vestra crapula & ebrietate,
quasi diceret, vt ait quædam Glo. Nè lumi-
na mentis vestræ grauentur. Cura nanque
præsentis vitæ, & crapula, & ebrietas fugāt
prudentiam, cassant fidem, operātur nau-
fragia. Hieronymus: Gula est rationis se-
pulcrum. Hinc dicit sanctus vir Iob: Sapi-
entia nō inuenitur in terra suauiter viuen-
tium. Seneca: In copia ciborum, subtilitas
impeditur: venter pinguis tenuem sensum

Intemperātia est vitiū exprobrabile, & quarè.

6. non gignit. Sextò, quia intemperātia est
vitium maximè exprobrabile, vt dicit Ari-
stoteles tertio Ethicorum. Cuius ratio est,
secundùm sanctum Thomam: quia expro-
bratio opponi videtur honori & gloriæ.
Honor autem debetur excellentiæ: gloria
autem claritatem importat. Est igitur in-
temperātia maximè exprobrabilis propter
duo: Primò, quia maximè repugnat ex-
cellentiæ hominis. Est enim circa delecta-
tiones communes nobis & brutis. vndè &
in Psalm. 48. dicitur: Homo cùm in hono-
re esset, non intellexit: comparatus est iu-
mentis insipientibus, & similis factus est il-
lis. Secundò, quia maximè repugnat eius
claritati vel pulchritudini, inquātùm sci-
licet in delectationibus, circa quas est in-
temperantia, minus appáret de lumine ra-
tionis: ex qua est tota claritas & pulchri-
tudo virtutis. Hinc dicit Hieron. Qui post
carnem ambulāt, in ventrem & libidinem
proni, quasi irrationabilia animalia repu-
tantur. Et Seneca: Quosdam ventri obedi-
entes, loco numeremus animalium, nō ho-
7. minum. Septimò, quia gula generatiua
est multæ dissolutionis. Grego. in Pasto-
rali: Gulæ deditos sequitur superfluitas
locutionis, leuitas operis, atque luxuria,
Exod. 32. secundùm illud: Sedit populus manduca-
re & bibere, & surrexerunt ludere.

TRACTATVS XXXII.

De xxxviij & xxxix. instrumentis: vbì de somnolentia & pigritia euitandis.

INstrumentum tricesimumoctauum
est: *Non esse somnolentum.* Quoniam cra-
pula reddit hominem somnolentum
& pigrum, (dicit enim Basilius, Mo-
nachus impeditur à vigilijs, cùm escarum
largitate torpescit) rationabiliter sanctus
pater post instrumenta vitandę gulæ, sub-
iungit instrumenta de somno & pigritia
fugiendis. Est autem somnolentia, torpor
mentis & corporis, qua quis ad laborem ef-
ficitur acediosus. Vndè notandum, quòd
multiplici de causa debet discipulus cohi-
bere se à somnolentia siue amœnitate so-

Somnolentia quid sit, & quòd multiplici de causa cohibenda.

mni. Primò, quia turpe & indecēs est, esse
1. somnolētum. Vndè dicit Augustinus: In-
decens est Christiano, si radius solis eū sa-
num in lecto inueniat. Item Ambros. Gra-
ue est, si te ociosum in stratu sol oriens in-
uerecundo pudore inueniat, & lux clara
feriat oculos somnolento adhuc corpore.
Secūdò, quia somnum nimium conco-
2. mitatur egestas bonorum spiritualium.
Prouer. 24. Vsquequò piger dormis? quan-
dò de somno consurges? Et sequitur, Veni-
et tibi quasi cursor egestas, & mendicitas
quasi vir armatus. Hinc, vt dicit Glo. Gen.
28. Sancti laboriosiùs dormiunt, quàm vi-
gilant: quia in eo quòd actiones seculi de-
serentes superant, quotidiè contra semet-
ipsos pugnant: ne mens per negligentiam
torpeat, nè subacto ocio ad desideria su-
perna frigescat: nè sub discretionis specie
sibi parcēdo à perfectione languescat. Vn-
dè legitur in Vitas patrum de abbate Dani- Exemplū.
niele: qui tota nocte vigilabat, & quandò
volebat circa manè propter naturam dor-
mire, dicebat somno: Veni serue male: &
subripiebat pauxillum somni sedendo, &
statim surgebat. Tertiò, desiderium lucri 3.
& profectùs spiritualis. Ambro. super Be-
ati immaculati: Si studentes doctrinis se-
cularibus, parùm somno indulgent: quan-
to magis, qui Deum cupiunt cognoscere,
somno corporis, nisi quantum naturę satis
est, impéndere non debent? Non dormia-
mus ergò totis noctib⁹, sed maximā partem
lectioni & orationi deputemus. Quartò, 4.
quia somnolētia est nutrix vitiorū. Cato:
Plùs vigila semper, nè somno deditus esto.
Nā diuturna quies vitijs alimēta ministrat.
Quintò, quia per somnū non necessarium 5.
naturæ, fit tēporis amissio. Bernard. Quan-
tùm ad debitum continui profectûs, nihil
ità deperit de vita nostra, quàm quod so-
mnò deputatur. Ouidius:

Infelix tota quicunque quiescere nocte
Sustinet, & somnos pręmia magna vocat!
Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis
imago? Sextò, quia diabolus maximè il- 6.
ludit tentationibus multùm dormientes.
Hinc dicit Hieron. super Naum prophe-
tam: Semper diaboli studium est, vigilātes
animas consopire. Vndè in passione Do-
mini, Apostolorum oculos graui sopore
depressit: quos Saluator suscitās, ait: Vigi- Matt. 26.
late & orate, &c. Et 1. Pet. 5. Fratres, sobrij
estote, & vigilate: quia aduersarius vester
diabolus circuit, quęrēs quem deuoret: cui
resistite fortes in fide. Septimò, quia vigi- 7.
lantibus promittitur à Deo benedictio.
Luc. 12. Beatus ille seruus, quē, cùm venerit
dominus, inuenerit vigilantem. Bernard.
super Cantica: Anima quæ amat, vigilat &
obseruat: & beata, quam Dominus inuene-
rit vigilantem: non transibit eam absque
benedictione, neque recedet ab ea, non re-
licta consolatione. Aliqua alia pertinētia
ad istam materiā, dicentur infrà circa cap.
regulæ 22. Tricesimumnonum instru- Pigritia.
mentum est: *Non esse pigrum.* Pigritia autem
est tarditas cordis metu consequentis la-
boris. Sanè pigritia, vt dicit Tullius, est
animi inertia vel fatigatio, qua quis bo-
num inchoatum fastidit cōsummare. Vbi
notandum, quòd summa vigilātia à disci-
pulo huius scholæ pigritia hæc cauenda
est: sequuntur enim illam plurima mala.

Damna pigritiæ. Et ſpecialiter inter alia, octo. Primum,
eſt diſtractio cordis per vana deſideria.
1. Prou.21. Deſideria occidunt pigrum. Et ſe-
quitur: Tota die concupiſcit & deſiderat.
2. Secundum, eſt nociuorũ germinatio ſiue
productio. Sicut enim terra quæ nõ coli-
tur, ſpinas, tribulos, aliasq; inutiles herbas
generat: ità terra cordis hominis pigri eſt.
Prou.24. Per agrũ hominis pigri tranſiui,
& per vineã ſtulti viri: & eccè totũ reple-
uerant vrticę: operuerant faciẽ eius ſpinæ.
Glo. quia in corde negligentiũ, prudentia
terrena, deſideria & punctiones pullulant
3. vitiorũ. Tertium, eſt deſtructio ædificij
virtutũ. Eccleſ.5. In pigritijs humiliabitur
contignatio. Glo. id eſt, ędificium virtutũ.
4. Quartum, eſt ſterilitas bonorum operum.
Pro.21. Omnis piger in egeſtate eſt. Et Pro.
24. Vſquequò piger dormis? Sequitur, Ve-
niet tibi quaſi curſor egeſtas tua, & mendi-
5. citas tua quaſi vir armatus. Quintum, eſt
cõfuſio & improperiũ. Eccle.19. In lapide
luteo lapidatur piger, & oẽs loquentur ſu-
per aſpernationẽ illius. De ſtercore boũ la-
pidandus eſt piger, & omnis qui tetigerit
eũ. Glo. cõmunicando negligẽtiæ eius, ex-
cutiet manus ſuas. Glo. Pigritia malorũ in
bono opere torpentiũ, per apertã ſtultitiæ
operationẽ, à prædicatoribus impropera-
6. bitur. Sextũ, eſt diſplicẽtia Dei. Prou.10.
Sicut acetũ dẽtibus, & fumus oculis: ſic pi-
ger his, qui miſerũt eũ. Senſus eſt: ſic ſeruus
piger moleſtat dominũ. Item Apoc.3. Vti-
nàm frigidus eſſes aut calidus: ſed quia te-
Calidus, frigidus, aut tepidus quis dicatur. pidus es, incipiã te euomere ex ore meo. Ca-
lidus eſt, qui feruens eſt ad bonũ: frigidus,
qui ſimpliciter deſiſtit: tepidus, qui medio
modo ſe habet & remiſse. Et dicit Glo. in-
terli. quòd maior ſpes eſt de frigidis, quàm
de tepidis. cuius rei hæc eſt cauſa, quia te-
pidi quandã fiduciã accipiũt de hoc, quòd
aliquid boni faciunt, & ideò non ſe cor-
rigũt. Hieron. in epiſtola: Sicut Dominus
nõ vult mortẽ peccatoris, ſed vt conuerta-
tur, & viuat: ità tepidos odit, & citò ei nau-
ſeam faciunt. Et ideò e conuersò de gratia,
quam habet apud dominum ſeruus velo-
citer & ſtrenuè ſeruiens, dicitur Prou.22.
Vidiſti hominẽ velocẽ in opere ſuo? corã
7. regibus ſtabit. Septimũ, remiſſio cæleſtiũ
deſideriorũ. Prou.26. Abſcõdit piger ma-
nus ſub aſcella ſua, & laborat, ſi ad os ſuũ
eas conuerterit. Bernardus in ſermone: Te-
peſcimus proceſſu temporis à feruore no-
ſtræ conuerſationis: paulatim refrigeſcit
Lugubre negocium. charitas, abundat iniquitas. Et heu cõſum-
mamur in carne, qui ſpiritu cœperamus.
8. Octauum, eſt priuatio æternæ gratiæ.
Prou.20. Propter frigus piger arare nolu-
it, mendicabit ergò in æſtate. Glo. interli.
in die iudicij. Gregor. Nemo in huius vi-
tæ itinere torpeat, nè in patria locũ perdat.

TRACTATVS XXXIII.

De xl. & xlj. inſtrumentis: vbì de murmuratione & detractione vitandis.

QVadrageſimum inſtrumentum
eſt: *Non eſſe murmuroſum.* Rectè
ſanctus pater poſt inſtrumen-
tũ de vitanda pigritia, ſubiũgit
inſtrumentũ de murmuratione fugienda:
quia pigritiã præſumptio diſcretionis co-
mitatur. vndè ſæpè oritur murmur & de-
tractio, ſecundùm illud Prou.26. Sapien-
tior ſibi piger videtur ſeptẽ viris loquen-
tibus ſententias. Glo. id eſt, viris ſeptifor-
mi gratia imbutis. Murmuratio aũt vide- Murmuratio quid ſit, & murmurationis genus multiplex.
tur eſſe oblocutio indebita, contra factum
vel dictum alicuius facta. Vbi notandum
primò, quòd multiplex eſt genus murmu-
ris. Eſt enim quoddam genus malignitatis,
ſicut cũ quis murmurat cõtra dicta vel fa-
cta bonorũ, vilipẽdendo, & ſiniſtra inter-
pretatione dãnando. Sicut de Phariſæis &
ſcribis legitur, Luc.5. quòd murmurabãt de
Chriſto, ꝙ comedebat & bibebat cũ pecca-
toribus. Aliud eſt impatiẽtię in aduerſis: &
ſunt, qui nõ poſsũt ſuſtinere aliquid tribu-
lationis vel laboris, quin ſtatim murmurẽt.
De quo Num.11. Ortũ eſt murmur populi,
quaſi dolentiũ pro labore cõtra Dominũ.
Aliud eſt elationis & inuidẽtię: & eſt eorũ,
qui eò quòd nõ aſſumuntur ad honores &
officia, murmurãt. De quibus Num.17. lo-
quitur Dominus ad Moyſen: Cohibebo à
me querimonias filiorũ Iſrael, quib⁹ cõtra
vos murmurãt. Aliud eſt gulę: & eſt eorũ
qui murmurãt, eò ꝙ nõ reficiũtur ad ſatu-
ritatẽ ſeu ad voluptatẽ eorũ, de qb⁹ in pſal. Pſal. 58.
Si verò nõ fuerint ſaturati, murmurabunt.
Vtrũq; genus horũ eſt malũ & deteſtabile.
Sap.1. Cuſtodite vos à murmuratione, quæ
nihil ꝓdeſt, ſed plurimũ nocet. Circa hoc
inſtrumentũ, dimiſſis multis alijs, quæ dici
poſsẽt, de duob⁹ fiet ſermo. Primò ponẽtur Quinque habent nos reprimere à murmure impatientiæ.
qnq; conſiderationes, quæ diſcipulũ huius
ſcholę debẽt cõpeſcere à murmure impati-
entię in aduerſitatib⁹ cõtra Deũ. Secũdò po-
nẽtur alię qnq; conſiderationes, quæ diſci-
pulũ huius ſcholæ retrahũt à murmurati-
one cõtra prælatos, locũ Dei in cõgregatio-
ne tenẽtes. Prima cõſideratio eſt patientię 1.
Chriſti & ſanctorũ. De Chriſto dicitur Iſa.
53. Quaſi agnus corã tondente ſe obmute-
ſcet, & nõ aperiet os ſuum. Auguſt. Omnia
terrena contempſit homo Deus, vt ab ho-
minibus cõtemnenda mõſtraret: & omnia
aduerſa ſuſtinuit, vt ſuſtinenda doceret:
vt nec in illis quæreretur felicitas, nec in
iſtis timeretur aduerſitas. De Sanctis
verò cantat Eccleſia: Non murmur re-
ſonat, non querimonia: Sed corde taci-
to mens benè conſcia, Conſeruat patien-

2. tia. Secunda consideratio est, quòd mur-
mur de pœna aut tribulatione, est mur-
mur contra Deum; quod est grauissimum
peccatum: quia secundùm quod dicitur
Amos 3. Non est malum in ciuitate, quod
Deus non fecerit. De grauitate huius pec-
cati dicit August. super psalm. 93. Murmu-
ras aduersùs Deum, quia fur non moritur:
appende in statera æquitatis furem & bla-
sphemum. Iam dicis quia fur non es: sed
murmurãdo aduersùs Deum, blasphemus
es. Tertia consideratio est, quia nihil ni-
3. si rectum & iustum, potest Deo placere.
Lib. 2. c. 18. Gregorius in Moralibus: Si iusta Deo pla-
cere scimus, pati autem nulla, nisi quæ Deo
placuerint, possumus: iusta sunt cuncta
quæ patimur. Et valde iniustum est, si
4. de iusta passione murmuramus. Quar-
ta consideratio est diuinæ sapientiæ & no-
stræ insipientiæ. Nos autem nescimus,
quid nobis expediat, an aduersitas, an pro-
speritas. Scit autem cælestis medicus, in-
quit Augustinus, quid nobis daturus sit
ad consolationem, & quid subtracturus
5. ad emendationem. Isaiæ 49. Væ qui con-
tradicit factori suo. Quinta considera-
tio est diuinæ beneuolentiæ: quia Deus
quos amat, corripit & castigat. Prouerbio-
rum tertio: Disciplinam Domini nè abij-
cias: nè deficias, cùm ab eo corriperis. Quem
enim diligit Deus, corripit, & quasi pater
in filio, complacet sibi. vbi Glosa ait: Tan-
to ergò minùs de flagello, quo castigamur,
murmurare debemus, quanto certiùs in eo
paternæ Dei dilectionis pignus tenemus.
vndè ipse ait: Ego, quos amo, corrigo & ca-
stigo. Quarè Greg. ait: Ille solus de flagello
murmuret, qui animũ percussoris ignorat.

Quinq; itẽ quæ nos compescere debent à murmure contra Prælatos.

Circa secundum, videlicet circa murmur
religiosorum aduersùs prælatos suos, po-
nuntur etiam aliæ quinque considera-
tiones, quæ habent discipulum compesce-
re ab huiusmodi murmure. Prima est,
1. quòd murmurare contra prælatum, Chri-
sti locum tenentem, est murmurare contra
Deum. Cùm enim omnis potestas sit à Deo,
manifestum est, quòd qui potestati resistit,
Dei ordinationi resistit, vt dicit Aposto-
lus ad Roma. 13. Et ità qui murmurat con-
tra potestatem, contra Deum dicitur mur-
murare. Vndè Gregorius: Qui enim con-
tra suprapositam sibi potestatem murmu-
rat, liquet quòd eum redarguit, qui eãdem
potestatem homini dedit. Et ideò dicit
Moyses Exod. 16. Nõ est murmur vestrum
contra nos, sed contra Dominum Deum.
2. Secunda consideratio est, quia hoc pecca-
tum excludit à regno cælorum. Sicut enim
vitium murmuris, filios Israel, transeun-
tes per desertum, exclusit à terra promissi-
onis, licèt fuerit eis promissa multotiès,
Numer. 14. Omnes qui murmurãstis con-
tra me, non intrabitis in terram, super
quam leuaui manum meam; vt habitare
vos facerem: sic etiam nunc excludit à re-
gno cælorum. Gregorius: Regnum cælo-
rum nullus qui murmurat, accipit: & nul-
lus qui accipit, murmurat. Tertia est, quia 3.
hoc peccatum grauissimè & horribiliter
punitur à Deo, tam in præsenti, quàm in
futuro. Propter hoc enim peccatum mur-
muris, Maria soror Moysi percussa est le-
pra, Num. 12. Propter hoc peccatum ignis
diuinus accensus, deuorauit extremã par-
tem castrorum, Nume. 9. Propter hoc pec-
catum Dathan & Abiron absorpti sunt à
terra viuentes, Num. 16. Propter hoc pecca-
tum misit Deus serpentes ignitos in popu-
lum, qui eos subitò comedebant, Num. 21.

Quòd Deus multùm puniat murmurantes.

Quarta consideratio est, quia vitium mur- 4.
muris, est plurimùm perturbatiuum &
corruptiuum societatis bonorum: adula-
tio enim & mendacium, & alia multa si-
milia, non sunt ità sui diffusiua & contagi-
osa aliorũ, sicut murmur. Sicut enim vno
porco grunniente, alij idem incipiunt: ità
murmuratio vnius, facilè inducit alios ad
murmurandum: & ità tota congregatio
conturbatur: sicut dicitur Numer. 14. de
illis, quos miserat Moyses ad consideran-
dum terram: qui reuersi, murmurare fece-
runt contra Moysem omnem multitudi-
nem, detrahentes terræ, quòd esset mala. Et
ideò dicit beatus Bernardus: Nihil sic hor-
rendum, vt murmur & dissensio in con-
gregatione. Quinta consideratio est, 5.
quia hoc peccatum mutat hominem de
statu religioso, ad statum non religiosum.
Vndè Pastor abbas, dicit in Vitis patrum:
Qui querulosus est, monachus non est.

Cui comparentur murmurantes.

Quadragesimumprimum instrumentũ
est: *Non esse detractorem.* De quo instrumen-
to dicitur Prouerb. 4. Remoue à te os pra-
uum, & detrahentia labia sint procùl à te.
Et Sapient. 1. A detractione parcite lin-
guæ: quia sermo obscurus, id est, occultus,
in vacuum non ibit. Detractio autem, vt
ait Hugo de sancto Victore, est locutio ex
inuidia procedens, bona aliorum deni-
grans. Et Anselmus in libro de similitu-
dinibus: Detractio est, quotiescunquè ali-
quis de aliquo ea intentione aliquid dicit,
vt ipse minùs amari, vel minùs appreciari
possit. Et Bernardus: Omnis qui detrahit,
ostendit primùm ipsum vacuum charita-
te. deindè intendit, vt is cui detrahitur,
veniat in odium & cõtemptum illis, apud
quos detrahit. Vbi notandæ sunt quinq;
considerationes, quæ discipulum habent
compescere ab hoc detractionis vitio. Pri-
ma, quia est graue peccatũ detractio, cùm
ex iam dictis repugnet charitati: manifestũ
est, quod secundũ suã rationẽ sit peccatũ mor- 1.
tale. August. in sermone quodam Quadra-
gesi-

Detractionis diffinitio.

Quinque considerationes debent nos à detractione retrahere.

gesimæ: Omninò abscinde à lingua tua vitium detractionis: alienam vitam non laceres. Detractio enim graue peccatum est,& grauis damnatio est. Et ideò Apostolus Iacobus hortatur, dicens: Nolite detrahere,fratres mei. Qui detrahit fratri, detrahit legi. Glo. Ne leue peccatum putetur,detrahere: addit, legi detrahit, quæ scilicet detractionem prohibuit. Secunda consideratio est, quia hoc vitium est odibile singulariter Deo. ad Romanos 1. Susurrones,detractores, Deo odibiles. vbi Glo.ait: Ne leuia putentur susurratio & detractio, quia in verbis sunt: addit Apostolus de eis, Deo odibiles. Tertia consideratio, quia hoc vitiũ est multùm odibile hominibus. Prouerbiorum vigesimoquarto: Cogitatio stulti, peccatum est: & abominatio,homo detractor. Ratio: Detractor enim lædere nititur famam, & inficere honorem hominis: in hoc, peior quocunque fure. Nam vt dicitur Prouerbiorum vigesimosecundo: Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. Vndè detractor comparatur serpẽti, Ecclesiastis decimo: Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit. Serpens est animal venenosum, proditiosum, in silentio mordẽs, tortuosè incedẽs, terram comedens: sic detractor linguã venenosam habet. Itẽ proditor retrò incedit: illos enim retrò, quos p̃sens amare simulat, in silentio mordet. Nec enim detrahit, nisi vbi de silentio cõfidit. Terrã comedit,quia quod terrenum & infirmum in homine est, hoc in ore suo versat. Nam vt ait Hieronymus, Callidi detractores, rumores pessimos ferunt. Quarta consideratio est,quòd hoc vitium plurimùm nocet ipsi detrahenti. Est enim detractio tanquàm ignis, in corde torquens & molestans suum possessorem. Detractor enim nunquàm caret inuidia. Vndè detractio dicitur esse sicut vipera, quæ antequàm quemquam alium lædat, propriam matrem in vtero existens corrodit, vulnerat & occidit. Quinta consideratio est, quòd hoc vitium non modò detrahentem, sed etiam auditores inficit. Hieronymus: Tanta est distantia inter fornicantem & detrahentem, quòd ille qui fornicatur, se tantùm interficit: ille qui detrahit, se & auditores. Bernardus super Cantica: Vnus est qui loquitur, & vnum tantùm verbum profert: & tamen illud vnum verbum, vno in momento multitudinis audientium, dum aures transfigit, animas interficit. Eccle. 21. Dentes leonis, dentes eius, interficiẽtes animas hominum. Cassiodorus in Glo. Dentes dicti sunt à demendo: ideò pulchrè linguæ detrahentium, dentes vocantur: quia sicut illi ciborum partes demunt, itá & isti opiniones hominum corrodunt.

Cap. 4. — 2. — 3. — Quarè detractor odibilis sit. — Detractor rectè serpẽti comparatus. — 4. — Detractio est velut vipera. — 5. — Peior fornicante detractor. — Linguæ detrahentium, dentes vocantur.

TRACTATVS XXXIIII.

De xlij. & xliij. instrumentis: vbi de spe semper Deo committenda, & de gratiarum actione Deo semper facienda.

Quadragesimumsecundum instrumentum est: *Spem suam Deo committere.* Quoniam ad vincendum diaboli tentamenta, plurimùm valet spes vel fiducia in Deo, secundùm illud Psalmi: Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion non commouebitur: cõgruè sanctus pater post instrumenta, quibus discipulus admonitus est vitare peccata, subiungit instrumentum de spe & fiducia habenda in Domino, qui saluos facit sperantes in eum. Vbi notandũ primò, quòd discipulus meritò docetur spem suam Deo cõmittere, quoniam est potentissimus in adiuuando. Eccl. 2. Nullus sperauit in Domino, & cõfusus est. Psal. In te cõfido, nõ erubescã. Et ideò Dominus ait: Ioan. 16. Confidite: ego vici mundum. Secundò, quia est sapientissimus in conducendo. Sap. 4. Qui confidũt in illũ, intelligent veritatem. Et ideò dicitur Iere. 17. Beatus vir qui sperat in Domino: & erit Dominus fiducia eius. Erit quasi lignũ quod plantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & nõ timebit cùm venerit æstus. Et erit foliũ eius viride, in tẽpore siccitatis nõ erit solicitũ: nec aliquandò desinet facere fructũ. Tertiò, quia est liberalissimus in condonando. Thren. 3. Bonus est sperãtibus in eũ. Matth. 9. Confide, fili: remittũtur tibi peccata tua. Secundò notandũ, quòd dicit cõmittendã spem Deo: quia in eo solùm virtus & omnis salus nostra cõsistit, dicẽte propheta: In Deo salutare meũ, & gloria mea Deus auxilij mei: & spes mea in Deo est. August. super psal. 70. Tota spes nostra in Deo sit. Nihil quidẽ de nobis, tanquã de nostris viribus præsumamus: nẽ nostrũ faciẽtes, quod ab illo est, etiã quod accepimus, amittamus. Quidam ponũt spẽ siue confidentiã suã in virtute sua: & hi faciliter mouentur, vt passer. De quibus dicitur in Psal. Qui confidũt in virtute sua, & in multitudine diuitiarũ suarũ gloriantur. Aug. super psal. 90. Nè quisquam spẽ in se suã ponat: sed in illo, in quo sunt oẽs vires nostræ. Ex adiutorio enim illius vincimus, non ex nostra præsumptione. Quidã cõfidunt in diuitijs: & hi citò corruunt. De quibus Prou. 11. Qui confidit in diuitijs, corruet. Alij confidunt in parentibus: & hi sunt maledicti. Ieremiæ 17. Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Alij confidunt in princi-

Psal. 124. — Meritò spẽ nostrã Deo committimus, propter multa. — 1. — Psal. 24. — 2. — 3. — Psal. 61. — Spes diuersorum falsa. — Psal. 48.

principibus: & his non est salus. Psal. 145. Nolite confidere in principibus, in quibus non est salus. Alij in promissionibus hominum: & hi frequenter fallũtur. De quibus Iere. 7. Nolite confidere in verbis mendacij. Quadragesimumtertiũ instrumentum est: *Bonum aliquod in se cùm viderit, Deo applicet*, id est, tribuat, *non sibi: malum verò semper à se factum sciat, & sibi imputet* Sensus est: Bona quæ agit discipulus, non à seipso, sed à Deo illa cognoscat habere: à quo omne datum optimum est, & omne donum perfectum descendit, Iacob. 1. De quo dicitur Isa. 26. Omnia opera nostra operatus est in nobis. Vndè, vt dicit Augustinus de gratia

Cap. 6.
& libero arbitrio: Dona sua coronat Deus, non merita tua: si tibi à teipso, non ab illo sunt merita tua. Agat ergò gratias Deo, à quo est, quicquid boni est. Optima enim custos beneficiorum, est ipsa memoria, & perpetua confessio gratiarum. Malum verò à se factum sciat, dicente Domino per prophetam: Perditio tua ex te Israel. Glo. Tu ipse es causa tuæ perditionis: tantummodò ex me auxilium tuũ, Osee 13. Agendæ sunt gratiæ omninò Deo: quia, vt ait

Serm. 2. in Euang. de septem panib. Et ser. 51. in Cant.
Bernardus, Peremptoria res est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus vrens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ,

Damna ingratitudinis.
fluenta gratiæ: dico ego, quoniã pro meo sapere nihil ità displicet Deo, præsertim in filijs gratiæ, in hominibus conuersionis, quemadmodùm ingratitudo: vias enim obstruit gratiæ, & vbi fuerit illa, iam gratia accessum non inuenit, nec locum habet. Verùm quia de materia huius in-

Quadrupliciter debemus Deo gratias agere.
strumẽti, satis dictũ est in procemio huius, parùm hic loquendum est. Notandum autem, quòd discipulus, de bonis susceptis à Deo, debet gratias agere quadrupliciter. Primò, deuotè & iocundè, quia Dominus

1. liberaliter & sine meritis tribuit. Isa. 46. Gaudium & lætitia inuenitur in ea, gratiarum actio & vox laudis. Bernardus in ser-

Serm. 1.
mone de capite ieiunij: Siquidem fluminis aqua si stare cœperit, putrescet. Sic planè, sic gratiæ cessat decursus, vbi recursus non fuerit: nec modò nihil augetur ingrato, sed & quod acceperat, ei vertitur in

Matth. 25.
perniciem. Fidelis autem in modico, censetur dignus munere ampliori. Refunde igitur in eum qui supra te est, quicquid in te est deuotionis, quicquid delectationis, quicquid affectionis: vt si qua est in te gratia, referatur ad ipsum, nec tuam quæ-

Ser. 2. de septem panibus.
ras gloriam, sed ipsius. Idem alibi: Oportet gratum esse hominem & deuotum, qui percepta gratiæ munera non modò mane-

2. re sibi desiderat, sed & multiplicari. Secundò magnificè, quia magna dantur nobis à Deo. Non ergò tantùm verbo & lingua, sed opere & veritate exhibeamus nos gratos. Non enim gratiarum dationem, sed gratiarum actionem exigit à nobis Dominus Deus noster. Magnificè ergò Deo, qui magna tribuit, gratiarum actiones sunt exhibendæ. 2. Machab. 1. De magnis periculis à Deo liberati, magnificè gratias agimus.

Tertiò assiduè, quia continuè discipulus 3.
beneficia à Deo suscipit. Psalm. Benedicam Psal. 33.
Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Et ad Ephesios quinto: Gratias agens semper Deo. Chrysostomus: Admoneo vos, vt Dominum semper benedicatis. Si venerint mala, benedicite, & dissoluentur mala: si prospera venerint, benedicite, & perseuerabunt. Cassiodorus super Psalm. Iugiter sibi conuenire facit, cui collatum beneficium, ante oculos

semper assistit. Quartò integrè, quia 4.
omnia bona nostra à Deo sunt: & omnia quæ nobis à Deo donantur, bona sunt. 1. Thessalonic. 5. In omnibus gratias agite. Bernardus: Disce in referendo gratias non esse tardus aut segnis. Disce, ad singula dona gratias agere. Diligenter, inquam, considera, quæ tibi apponuntur, vt nulla videlicet Dei dona, debita gratiarum actione frustrentur: non grandia, non mediocria, non pusilla: vndè debemus colligere fragmenta, nè pereant.

In omnibus gratias agemus.

TRACTATVS XXXV.

De xliiij. & xlv. instrumentis: vbi dctim ore diei iudicij, & pauore gehennæ.

QVadragesimumquartũ instrumentum est: *Diem iudicij timere.* Cùm spes & timor se concomitantur in iustis, secundùm il-

lud Psal. Beneplacitum est Domino su- Psal. 146.
per timentes eum, & in eis qui sperant in misericordia eius: Timor iudicij, & spes diuinę misericordiæ sunt duo pedes Christi, vt ait Bernardus super Cantic. quorum vnum sine altero osculari non expedit: quia recordatio solius iudicij, in baratrum desperationis præcipitat: & misericordiæ fallax assentatio, pessimam generat securitatem. Meritò ergò sanctus pater post instrumentum spei habendæ de misericordia Dei, subdit instrumenta de timore iudicij, & pauore gehennæ. Timendus est autem dies iudicij, & præparandus est animus ad operandum iustitiam, secundùm illud Ecclesiastici decimooctauo: Ante iudiciũ para iustitiam. Glo. Monet, vt semper parati simus: nec stulta securitate nobis blandiamur: sed in seruitute Dei laboremus vsque ad finem vitæ. De quo

Serm. 6. Duo pedes Domini.

Lucæ

Luc.12. Et vos estote parati, quia qua hora
Hora extrema, quarè sit ignota nobis.
nō putatis, filius hominis veniet. vbi Glo.
Gregorij: Horam verò vltimā Dominus
noster idcircò voluit nobis esse incognitā,
vt semper possit esse suspecta: vt dum prę-
uidere non possumus, ad illam sine inter-
missione præparemur. Est autē hîc notan-
Decem terribilia circa iudiciū.
dum, quòd decem terribilia leguntur ven-
tura circa iudicium, ratione quorum, me-
ritò dies iudicij venit timēda & formidan-
1. da. Primum est, quindecim signorum prę-
cessio. Sicut enim cùm paterfamiliâs mori-
tur, tota familia deponit consuetum orna-
tum, & induit se veste lugubri, in signum
doloris: sic secūdùm Chrysostomum, ap-
propinquante mūdi termino, omnes crea-
turæ ostēdent signa doloris, iuxta dictum
Saluatoris Luc. 21. Erunt signa in sole &
luna & stellis: & in terris pressura gētium,
præ confusione sonitûs maris & fluctuū.
2. Secundum terribile, est mundi conflagra-
tio, quæ, sicut dicit August. vētura credi-
tur ante iudicium. Sicut enim Imperator
procedens cōtra hostes suos, præmittit in-
cendiarios, qui terras eorum cōburant: itá
ignis iudicis aduentum præcedet, mūdum
comburens. 2. Pet. 3. Adueniet dies Domi-
ni, in quo elementa calore soluentur: terra
autem, & quæ in ipsa sunt, exurētur. Si au-
tem incenso igne in parte ciuitatis, omnes
terrentur: quantum terrorē inducere cre-
dendus est tantus ignis? Gregor. O quàm
angustæ erunt reproborum viæ, cùm an-
te se viderint mundum ardentem, secun-
Psal. 69. dùm illud Psal. Ignis ante ipsum pręcedet,
3. & inflammabit inimicos eius. Tertium
terribile, est angelicæ tubæ clangor &
aduocatio. Matthæi vigesimoquarto: Mit-
tet angelos suos cum tuba & voce magna.
& hoc more imperatoris seu magni prin-
cipis, cuius aduentum cum exercitu suo
tuba præcedit. Vndè Hieronymus: Ec-
cè de cælo tuba canit: Eccè de cælo cum
militibus, debellaturus orbem, imperator
Exemplum de timore iudicij.
summus armatus egreditur. O quantùm ti-
mebat hanc vocem Hieronymus, qui dice-
bat: Siue comedam, siue bibam, siue quic-
quam aliud faciam, semper in aure mea vi-
detur sonare illa vox: O vos mortui, sur-
4. gite, & cōcurrite ad iudicium. Quartum,
est mortuorum resurrectio, quæ futura est
secundùm catholicam fidem. Si autem nūc
aliquo resurgente de sepulcro, omnes fu-
gerent præ timore: quantùm erit terribilis
illa vniuersalis omniū resurrectio, quādò
omnes qui in monumētis sunt, cuiuscunq;
conditionis fuerint, resurgere oportebit?
In cuius figura, de resurrectione Domini-
5. ca exterriti sunt custodes, Matt. 28. Quin-
tum terribile, est iudicantis conditio. Non
enim flectetur timore, quia omnipotēs est:
nec misericordia, quia iustissimus est: nec
rancore, quia optimus est: nec errore, quia
sapientissimus. Nec valebunt ibi allegatio-
nes aduocatorum, nec sophismata philo-
sophorum, nec eloquia oratorū, nec astu-
tiæ versutorum, secundùm Bernardum.
Sextum terribile, est accusantium multi- 6.
Accusatores nostri in iudicio.
tudo, s. vrens conscientia, peccata propria,
cuncta dæmonia. Omnis creatura tunc ar-
mabitur ad vltionem inimicorum. Chry-
sost. super Matth. In illo die nihil est quod
respōdeamus, vbi cælum & terra, aqua, sol
& luna, dies & noctes, & mundus totus sta-
bit aduersùs nos in testimonium peccato-
rum. Et beatus Bernardus in Meditationi-
bus suis: Væ mihi, cùm venerit dies illa iu-
dicij, & aperti fuerint libri, in quibus oēs
mei conatus & cogitationes, præsente Do-
mino, recitabuntur. Quadam enim vi di-
Quō simul omnes & singuli iudicabuntur.
uina fiet, vt vnusquisq; opera sua, bona &
mala, cūcta in memoriam reducat, & men-
tis intuitu mira celeritate arguat, & accu-
set vel excuset suam conscientiam, atq; itá
simul & omnes & singuli iudicentur.
Septimum, est sententiæ stabilitas, quæ 7.
reuocari non poterit: tum propter iudi-
cantis efficaciā, tum propter facti euiden-
tiam: quia cuilibet alterius consciētia no-
ta erit. Vndè Augustin' in epistola quadā:
Cùm venerit Dominus, & illuminauerit
abscondita tenebrarum, & manifestauerit
cogitationes cordium: tunc nihil latebit
proximo, nec erit quod suum quisq; ape-
riat, & abscondat alienis. Octauum terri- 8.
bile, est redditio rationis. Pōnet enim Do-
Valdè tremēdum de die iudicij.
minus rationem cum seruis suis, sicut dici-
tur Matth. 18. in parabola. Quis hunc diem
non timeat, in quo de toto tempore vitæ
nostræ, immò de quolibet momento, red-
dituri sumus rationem? Nam, vt dicit Ber-
nard. sicut non peribit capillus de capite,
itá nec momentum de tempore, de quo ra-
tio non quæratur. Quarè B. Anselmus in
Meditationibus exclamat, dicens: O lignū
aridum & inutile, ęternis ignibus dignum,
quid respondebis in illa die, cùm exigetur
à te vsque ad ictum oculi, omne tempus vi-
uendi, tibi impēsum, qualiter sit expēsum?
quot peccata tibi prorumpent ex improui-
so, velut ex insidijs, quæ modò nō cernis?
Nonum terribile, est sententiæ expecta- 9.
tio. Exemplum: In Vitas patrum dicit qui-
Tria timenda.
dam senex: Ego tres timeo res. Vnā, quan-
dò anima mea egressura est à corpore. Ali-
am, quandò occursura est Deo. Tertiam,
quandò aduersùm me ferenda est senten-
tia. Et verè si omnis expectatio sententiæ
incussiua est timoris, illius tamē super oēs
est formidanda sententia, qui potest cor-
pus & animam mittere in gehēnam, Matt.
10. Gregorius: Quæ mens erit hominis,
æterni iudicis sententiam non formidan-
tis? ibi enim tunc cuncta simul peccata an-

te oculos redeunt: ibi omnia quæ cum de-
lectatione acta sunt, ad memoriam cum
pauore reuocantur. Et ideò dicitur Sapi-
entiæ duodecimo: Quis stabit contra iu-
10. dicium tuum? quasi diceret, nullus. De-
cimum terribile illius diei, est diffidentia
omnis auxilij: quia secundùm quod ait
beatus Chrysostomus: Ibi non erit resi-
stendi virtus, nec pœnitentiæ locus, nec
defensionis tempus, nec fugiendi facul-
tas, nec latendi possibilitas, nec apparen-
di securitas, nec satisfaciendi vtilitas. Ibi
Psal. 57. prætereà nulla sanctorũ orationibus suf-
fragia expectabuntur: quia nullus eorum
compatietur miseriæ damnatorum. Psal.
Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam.
Glo. Lucæ 6. super illud, Inter vos & nos
magnum chaos firmatum est, dicit: Iusto-
rum animæ etsi in naturę suæ bonitate mi-
sericordiam habeant, iam tunc creatoris
sui iustitiæ coniunctæ, tanta rectitudine
constringũtur, vt nulla ad reprobos com-
passione moueantur. Hæc sunt, quæ me-
ritò nos inducere debent ad timorem di-
uini iudicij. Vnde beatus Hieronymus in
de lapsu Susannæ: Certè, si mente tenerẽt
homines, quale iudicium imminet mun-
do: sensus humanus vanitate non disper-
gerẽtur, si non infidelitate grauaretur,
quemuis & qualemuis cruciatum ad præ-
sens libenter sufferrent, dummodò illum
ignis æterni non sustinerent. Quadra-
gesimumquintum instrumẽtum est: *Gehen-
nam expauescere.* Meritò sanctus pater gehen-
nam dicit expauescendam, quia (vt ait Au-
gustinus) sicut nullum gaudium rerum
temporalium ex aliqua parte potest inue-
niri simile gaudio vitæ æternæ: ità nullus
cruciatus pœnarum temporalium potest
sempiternis cruciatibus comparari. Vbi
Sex considerationes circa pœnas gehennæ. notandum, quòd sex sunt consideratio-
nes circa qualitatem pœnarum gehennæ,
quæ discipulum inducere meritò debẽt ad
1. expauescendam illam. Prima est, pœna-
rum acerbitas. Augustinus de igne Purga-
torij ità dicit: Miro modo ignis ille, etsi
æternus non sit, grauis est. Exuperat enim
omnem pœnam, quam aliquis in hac vita
perpessus est. Et Gregorius: Tanta est vis
doloris, quòd mens ad aliud dirigi non
poterit, nisi ad quod vis doloris impellit.
Et Isidorus: Intende animo quascunq; se-
culi pœnas, quoscunque tormentorũ do-
lores, quascunque dolorum acerbitates: &
compara hoc totum gehennæ, & leue est
2. quod pateris. Secunda est, pœnarum mul-
titudo, quæ tanta est, quòd numerari non
potest. Deuteronomij vigesimosecundo:
Congregabo super eos mala, & sagittas
Pœnarum varietates in inferno. meas implebo in eis. De quarum multitu-
dine & varietate beatus Gregorius: Erit
in inferno frigus insuperabile, ignis inex-
tinguibilis, vermis immortalis, fœtor into-
lerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædẽ-
tium, horrenda visio dæmonum, confu-
sio peccatorum, desperatio omnium bo-
norum. Quarè beatus Bernardus in sermo-
ne de negociatione spirituali, ità dicit: O
gehennalis regio fugienda: ibi ignis ardẽs,
frigus rigens, vermis immortalis, fœtor in-
tolerabilis, mallei percutientes, tenebræ
palpabiles, confusio peccatorum, innoda-
tio vinculorum, horribiles facies dæmo-
num: totus tremo ad huius memoriam re-
gionis. Item beatus Augustinus: Væ illis,
quibus præparabitur dolor vermium, ar-
dor flammæ, sitis sine potu, fletus & stri-
dor dentium, oculorum lachrymæ, tene-
bræ exteriores sine luce, pœna inextingui-
bilis: vbi nullus est amor seu cognitio Chri-
sti siue proximi, sed continuus dolor & ge-
mitus: vbi mors optabitur, sed non dabi-
tur: vbi non est honor senioris & regis, nec
dominus super seruum, nec mater diligit
filium, nec filius honorat patrẽ: ibi omne
malum, omnis indignatio & fœtor & ama-
ritudo abũdat. Tertia est, pœnarum diu- 3.
turnitas: quia sine fine duraturę sunt. Mat-
thæi vigesimoquinto: Ite in ignem æter-
num. Et Augustinus: Timet homo cruci-
atum temporalem, & non timet pœnam
ignis æterni: postremò timet ad modicum
mori, & non timet in æternum mori. Isa.
trigesimotertio: Quis poterit habitare cũ
ardoribus sempiternis? Quarta est, pœna- 4.
rum contrarietas, quæ nõ ad consolationẽ,
sed ad maiorẽ punitionẽ operabitur. Iob
24. Transibũt ab aquis niuiũ ad calorẽ ni-
mium. Discordabũt ipsis qualitatibus malo-
rum tormẽta, inquit Greg. quia ipsi à con-
ditoris voluntate, dum viuerent, discor-
dârunt. Quinta est, pœnarum vniuersali- 5.
tas. Punitur enim ibi homo non tantùm in Vniuersaliter puniuntur in inferno.
parte vna corporis, sed in omnibus: non
modò in corpore, sed in anima: nõ solùm
in vna virtute animæ, sed in vniuersis sen-
sibus & potẽtijs experietur homo suæ da-
mnationis tormenta. Sexta est pœnarum 6.
inutilitas. Pœnæ enim præsentis seculi,
sunt meritoriæ & purgatoriæ. Pœnæ verò
Purgatorij, sunt purgatoriæ, sed non me-
ritoriæ. Illæ verò nec purgatoriæ, nec me-
ritorię, sed afflictiuę tantùm. Augustin. In
inferno etsi erit tumultus pœnitudinis,
nulla erit correctio voluntatis: à quibus
ità culpatur iniquitas, vt nullatenùs possit
desiderari iustitia. Et ideò dicit Arsenius
fratribus petentibus verbum: Ploremus
hic fratres, antequàm eamus ad locum, vbi
lachrymæ corpora nostra consumant. Ibi
enim nõ est locus pœnitentiæ fructuosæ.
Bernar. in sermone quodam: Frustrà flebũt
peccatores, quia nũquàm à tali separabun-
tur consortio. Væ væ, cui hæc experienda

sunt,

sunt, priusquàm credenda: cuius vita mortua fugit in culpa, & mors viuet in pœna. Væ qui hæc ridenda nunc deputant, in posterum lugenda.

TRACTATVS XXXVI.
De quadragesimosexto instrumento: vbi de desiderio æternæ vitæ.

Qvadragesimumsextum instrumentum est: *Vitam æternam omni cōcupiscentia spirituali desiderare* Rectè post timorem extremi iudicij & gehennę, sanctus pater subdit instrumenta de amore vitæ æternæ: quia (vt ait Bernar.) sicut initium sapien-
Initium, profectus, & cōsummatio sapientiæ.
tiæ est timor Domini, & spes profectus: itá consummationem sibi charitas vendicat. Est ergò vita æterna omni concupiscentia spirituali desideranda: vt valeat cum ve-
Psal. 41.
ritate discipulus dicere cū propheta: Quémadmodùm desiderat ceruus ad fontes aquarum, itá desiderat anima mea ad te, Deus. Sitiuit anima mea ad Deū fontem viuum: quandò veniam & apparebo ante faciem Domini? Et cum Apostolo ad Philip. 1. Cupio dissolui & esse cum Christo. Et Augustin. super prima canonica Ioan. Tota
Duodecim considerationes de æterna vita.
vita boni Christiani, sanctum desiderium est. Circa quod notandum, quòd duodecim considerationes sunt vitæ æternæ, quę discipulum mouere ad concupiscentiam
1. illius maximè debent. Prima est, quòd illa sola est vera vita, cùm sit æterna. August. super psal. 118. sermone 19. Tunc verè viuam, quandò nihil potero timere nè moriar. Ipsa enim & sine vllo additamēto dicitur vita, nec intelligitur nisi æterna & beata, tāquàm sola dicēda sit vita, in cuius comparatione, ista quā ducimus, mors est potius appellanda, quàm vita. Item in cōmunibus sermonibus, sermone 6. Vita
Quæ sit vita dicenda.
æterna, sola vita dicenda est. Nam ista vita mortalis, in qua nunc sumus, ex illius vitæ comparatione, mors esse conuincetur: quę tanta mutabilitate variatur, & nulla stabilitate firmatur, & cursu breuissimo terminatur: & ideò vera vita dicenda non est, nisi ęterna, quę sola, vita est beata. Non ergò est vita beata, nisi vera: & non est vita, nisi vera vita: nec vera vita est, nisi æterna
2. vita. Secunda consideratio est, quia in illa æterna vita possidetur sanitas sine quacunque infirmitate, molestia aut passione.
Psal. 102.
De ea propheta in Psal. ait: Qui sanat oēs infirmitates tuas. Glo. Omnipotēti medico nullus insanabilis lāguor occurrit. Maximè autem in fine sanabit, quandò hoc
1. Cor. 15.
corruptum induet incorruptionem. quarè Apocal. 21. dicitur: Absterget Deus omnē lachrymam ab oculis sanctorum, & mors non erit vltrà, nec luctus, nec clamor: sed neq; vllus dolor erit vltrà, quoniam priora transierunt. Glo. Ibi erit gloria, & nulla tristitia: quoniam vtraq; simul esse non possunt. Et Augustinus in sermone quodam de die iudicij: Vitam æternā ex omni-
Paradisi bona.
bus præcordijs, fratres, amate: vbi iam nulla erit tristitia, nullus ibi labor, nullus dolor, nullus timor, nulla mors, sed perpetua semper sanitas perseuerat: nulla ibi consurgit malitia, nulla carnis miseria, nulla ægritudo, nulla necessitas. Non erit ibi fames, non sitis, non frigus, non æstus, non lassitudo ieiunij, nulla tētatio inimici, nec peccandi voluntas, nec delinquendi possibilitas: sed totum lætitia, totum exultatio possidebit: hominesq; sociati angelis, sine vlla carnis infirmitate vernabunt. Hæc il-
le. Tertia consideratio est, quòd in illa vi- 3.
ta est pulchritudo sine quacunque deformitate. Fulgebunt enim iusti, sicut sol in regno patris mei, dicit Christus Matth. 13. vbi Chrysost. dicit: Nō quia itá solùm sicut sol, sed quia hoc sidere aliud maius luculentum non noscimus, cognitis nobis vtitur exēplis. Et ad Philip. 3. scribit Apostolus: Expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suę. Qualis, putatis, inquit Augu. tunc erit splendor animarum, quandò so-
lis claritatem habebit lux corporū? Quar- 4.
ta consideratio est, quòd in illa vita est copia omnium bonorum. Deuteron. 8. Rerum omnium abundantia perfrueris. Hæc autem est conditio beatitudinis, vt sit sta-
Beatitudinis proprietas.
tus omnium bonorū aggregatione perfectus. Augustinus in lib. Soliloquiorū: In illa æterna vita, in illo seculo, & in illo regno erit bonum summum, & nullum malum, quādò erit, & vbi erit sapientiæ amor summus, & cōtinentiæ labor nullus. Et in eodē lib. Soliloquiorum: In regno beatitudinis omne bonum sine omni malo: ibi iuuentus nunq̄ senescit, ibi vita terminū nescit, ibi decor nunquam pallescit, ibi amor nunq̄ tepescit: ibi sanitas nūquàm marcescit, ibi gaudiū nunquàm decrescit, ibi dolor nunquàm sentitur, ibi gemitus nunq̄ auditur, ibi triste nihil videtur, ibi lætitia semper habetur, ibi nullū malum timetur, quoniā ibi summū bonū possidetur: quod est, semper videre faciē Domini virtutum. Felices igitur, qui de naufragio vitæ p̄sentis, ad tanta gaudia iā peruenire meruerūt.
Quinta cōsideratio, q in vita illa est satie- 5.
tas & adimpletio desideriorum sine quocunq; defectu. De quo inquit Psal. psal. 16. Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Et primæ Corin. secundo: Oculus nō vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non ascendit, quæ præparauit DEVS diligenti-

Præmium nostrum. bus se. Augusti. libro de ciuitate Dei: Præmium virtutis ipse erit, qui virtutē dedit: eis; seipsum, quo melius & maius excogitari nihil potest, & promisit, & dabit: ipse finis erit desideriorum nostrorū, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Bernardus super Cantica: Qui replet in bonis desideriū animæ, ipse rationi futurus est plenitudo lucis: volūntati, plenitudo pacis: memoriæ continuatio æternitatis. Et ideò Isa. 60. dicitur:

6. Tunc videbis, & afflues, & dilatabitur cor tuum. Sexta consideratio, quia in illa vita est securitas & pacis trāquillitas sine timore quocunq;. Isa. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulēta. De quo Augusti. in lib. Soliloquiorū: Vita vitalis, dulcis & amabilis, semperque memorialis: vbi non erit hostis impugnans, nec vlla illecebra, sed summa & certa securitas, & secura tranquillitas, & iocunda felicitas, & felix æternitas. Item Aug. in quodam sermone: O caro, omni infirmitate depressa: illam vitam debuisti amplecti, quę in æternitate consistit: vbi vita sine morte, vbi iuuentus sine senectute, vbi lux sine tenebris, vbi gaudium sine tristitia, vbi pax sine discordia, vbi voluntas sine iniuria, vbi re-

7. gnum sine commutatione. Septima consideratio est, quòd in vita illa habebitur visio beata clarissima & iocundissima diuinitatis. De qua Ioā. 17. Hęc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deū, & quem misisti Iesum Christum. Si enim, vt dicit Sapiens Eccl. 41. delectabile est oculis videre solem: quanta iocūditas, videre solem iustitiæ? Iob 33. Videbis faciem eius in iubilo.

Psal. 20. Et Psal. Lætificabis eos in gaudio cum vultu tuo. Et ideò bene dicitur 3. Reg. 10. Beati serui tui, qui stant coram te, & semper audiunt sapientiam tuam. Aug. in libro Soliloquiorum: O regnum beatitudinis, vbi tu Domine spes sanctorū & diadema gloriæ faciead faciem videris à sanctis, lætificans eos vndiq; in pace tua, quæ exuperat omnem sensum, vbi gaudium infinitum, lætitia sine tristitia. Et idem in lib. de contemplatione Iesu Christi: O vita sempiterna & vita beata, vbi à bonis Deitas cernitur, & lumen illuminans à sanctis glorificatur: vbi præsens Dei maiestas cōspicitur: & hoc vitæ cibo mens intuētium satiatur, & desideratur sine anxietate, & sine fastidio satiatur: vbi verus sol iustitiæ, mira suę pulchritudinis visione patriæ ciues illuminat. De cuius visionis iocunditate idem beatus Augusti. libro de libero arbitrio, ità dicit: Tanta est pulchritudo iustitiæ, tan-

Magna cōmendatio diuinæ vi[sionis] ta iocunditas lucis æternæ, hoc est, incommutabilis veritatis atq; sapientiæ, vt etiam si non liceret in ea ampliùs viuere, quàm vnius diei hora: propter hoc solùm innumerabiles anni huius vitæ pleni delicijs & circunfluentia temporaliū bonorū, rectè meritoq; contemnerentur. Item Aug. Beata vita, est amor & perfecta notitia Trinitatis. Ipsa enim summum bonū, ineffabile gaudium, serena lætitia, purum, perfectū, & infinitum oblectamētum. Octaua cō- 8.

sideratio est, quod in illa vita est delectatio summa. Si enim amplexus sponsi delectant sponsam, summè putandus est delectabilis amplexus Dei, qui est summū bonum, fons dulcedinis & totius suauitatis. Ideò Apoc. 19. dicitur: Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam Deo: quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se: Glo. i. fecit se idoneā. Et Psal. 20. dicit propheta de iusto: Lętificabis eum in gaudio cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vsq; in finem. Felix anima, quæ poterit dicere illud Cantic. 2. Læua eius sub capite meo, & dextera eius amplexabitur me. Inæstimabilis planè erit delectatio vitę beatę, quæ in suo fonte bibitur. Cùm enī Dei bonitas in infinitum inæstimabiliter excedit omnē bonitatem creatam, delectatio, quæ ex perceptione immediata illius summæ bonitatis percipitur, melior in infinitum erit perceptione cuiuscunq; suauitatis bonitatis creatæ. De quo Anselmus ad propositum nostrum sic loquitur: Excita nūc, anima mea, & erige totum intellectū tuum, & cogita quantùm potes, quale & quantum sit illud bonum. Si enim singula bona delectabilia sunt, cogita intentè, quantùm delectabile sit illud bonum & quale, quod cōtinet iocunditatem omnium bonorum. Non quale in creaturis bonis sumus experti, sed tanto differenter, quanto differt creator à creatura. Si enim bona est vita creata, quàm bona est vita creatrix? si iocunda est salus facta, quàm iocunda est salus, quæ facit omnem salutem? Si amabilis est sapientia in cognitione rerum conditarum, quàm amabilis est sapientia, quæ omnia cōdidit ex nihilo? Deniq; si multæ & magnæ sunt delectationes in rebus delectabilibus: qualis & quāta delectatio in illo, qui fecit ipsa delectabilia? Hæc Anselmus. Nona con- 9.

sideratio, quòd in illa vita est sapientia & plenissima cognitio absq; ignorātia. 1. Cor. 13. Videmus nunc per speculū in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nūc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Augusti. lib. 12. super Genesim: Cùm ad illam regionē venitur, vbi sine vlla corporis similitudine perspicua veritas cernitur, nullis opinionum falsarum nebulis offuscantur. Item in lib. confessionum: Rerum omnium ibi quanta, quàm speciosa, quàm certa erit scientia, sine errore vel labore, vbi Dei sapientia de ipso

[Margin notes, right column: "[Visi]onis in æterna vita." beside line 1; "Arg. de inæstimabili delectatiōe beatæ vitæ." beside "fonte bibitur"; "Cognitio nostra in patria." beside "nesim"]

ipso fonte potabitur cum summa felicitate sine aliqua calamitate? Prosper dicit lib. de vita contemplatiua itá: Singulis tunc patebunt singulorum mentes, sicut nunc oculis corporalibus subiacēt facies corporales. Ipsos etiam oculos corporales nihil latebit creaturæ visibilis. Gregorius: Quid non videbit, qui videntem omnia videt?

10. Decima consideratio, quòd in illa vita viuentes, summo honore & gloria ibi sublimantur. Ioan. 12. Qui mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus qui est in cælis. Et Apocalyp. 1. Fecit nos regnum:
lib. 22. cap. 30. id est, reges & sacerdotes Deo patri. De veritate gloriæ vitæ æternæ, beatus August. lib. de ciuitate Dei, itá loquitur: Vera ibi gloria erit, vbi laudantis nec errore quisquam nec adulatione laudabitur: ibi verus honor nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno: sed nec eum ambiet vllus
11. indignus. Vndecima consideratio, quòd in illa vita æterna est iocunditas ineffabilis. Isaiæ 51. Lætitia sempiterna super capita eorum: gaudium & lætitiam obtinebūt.
Commendatio de immēsitate iocunditatis vitæ æternæ.
De qua beatus Augustinus in quodam sermone de die iudicij itá loquitur: Est in illa vita iocunditas infinita, beatitudo sempiterna: quam qui semel adipiscitur, semper tenet. Nihil illo loco magnificentius, nihil gloriosius, nihil clarius, nihil pulchrius, nihil verius: nihil illa beatitudine
hom. 17. in Euang. sincerius, nihil illa abundantia copiosius. Item Gregorius in homilia, Si quis venit ad me: Quæ lingua dicere, aut quis intellectus capere sufficit, illa supernæ ciuitatis quanta sint gaudia, angelorum choris interesse, cum beatis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircunscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis per-
12. petuæ munere lætari? Duodecima consideratio est, quòd in illa vita est laus interminabilis. De quo propheta ait in psal. Ex-
Psal. 149. ultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Gregorius super illud Iob 8. Donec repleatur os tuum: dicit, Sicut in illa æterna patria iustorum mens in exultatione rapitur, itá lingua in canticū laudis eleuatur. August. in quodam sermone: In illa vita gaudium sempiternum, vbi incorruptibilis & incomparabilis delectatio, vbi chorus Apostolorum & prophetarum & sanctorum omnium, cum iocunditate æternæ lætitiæ incessabiles laudes cum sanctis angelis canunt. Beatus Effren in lib. de resurrectione: Illic cātabimus & dicemus:
Psal. 67. Mirabilis es Domine in sanctis tuis. Illic
Psal. 89. etiam confitebimur, quoniam repleti sumus manè misericordia tua: & exultauimus, & delectati sumus. Et Bernardus: Ci-
ca. 4. Medi.
Epilogatio bonorum uitas cælestis, mansio secura, patria totum cōtinens quod delectat, populus sine murmure, incolæ quieti, quàm gloriosa dicta
ciuitatis supernæ. Psal. 86. sunt de te, ciuitas Dei? sicut lætantium omnium habitatio est in te. Est ibi pax, bonitas, pietas, lux, virtus, honestas, Gaudia, lætitiæ dulcedo, vita perennis: Gloria, laus, requies, amor, & concordia dulcis. Et subdit, quòd attentissimis animis aduertendum est. Quæ ergò nos angit vesania, vitiorum sitire absynthium, huius mundi sequi naufragium, vitæ labentis pati infortunium, impiæ tyrannidis ferre dominium, & non magis conuolare, ad angelorum societatem, sanctorum felicitatē, splendorem regis, potentis honorem, supernæ gloriæ decorem. Sed ad hæc omnia quis idoneus? Profectò verus pœnitens, bonus obediens, amabilis socius, fidelis seruus. Hæc Bernardus. Quis sit idoneus regno Dei.

TRACTATVS XXXVIII.

De xlvij. xlviij. & xlix. instrumentis: vbi de vtilitate memoriæ mortis, & præparatione animi ad illam.

Qvadragesimum septimum instrumentum est: *Mortem continuè ante oculos suspectam habere.* De quo Dominus in Euangelio: Vigilate, quia nescitis horā, nec diem, quandò dominus vester venturus sit, Matt. 24. Postquàm sanctus pater instrumenta posuit, pertinentia ad timorem gehennæ & amorem vitæ æternę: rationabiliter subdit instrumēta de memoria mortis habenda, quæ est introitus ad illa: & de optima animi præparatione ad benè moriendum.

Circa hoc autem instrumentum considerandum, quòd memoria mortis, valdè vtilis est homini. Hieronym. in epistola: Platonis est sententia, omnem sapientum vitam, meditationem esse mortis. Item sapiens ait: Summa philosophia est, assidua mortis meditatio. Spiritualiter memoria mortis est vtilis ad nouē. Primò ad cogni- Memoria mortis ad nouem est vtilis. 1.
tionem humilē sui. Thren. 4. post illud, Bonum est viro cùm portauerit iugū Domini ab adolescentia sua: subditur, Ponet in puluere os suum. Os in puluere ponit, qui cogitat quòd puluis sit. Bernard. Cogita, ô homo, vndè venis, & erubesce: vbì sis, & ingemisce: quò vadis, & contremisce. Hinc orat Propheta: Sciant gētes quoniam Psal. 9.
homines sunt, i. de humo. August. de verbis Domini: Agnoscat se homo mortalem, & frangat elationem. Cætera nostra, & bona & mala, incerta sunt: sola mors, certa est. Secundò valet ad hoc, vt homo rectè 2.
se regat in via præsentis vitæ, sicut aues re- Exēplum.
gunt se cauda volando, & pisces natando. Iob 12. Interroga iumenta, & docebunt te:

Comparatio. & volatilia cæli, & indicabunt tibi. Præ-
tereà nauta si vult nauem regere, in fine na-
uis se locat: sic sapiens, consideratione fi-
nis regit se in his, quæ sunt ad suum finem.
3. Homi. 13. in Euang. Tertiò valet ad euigilationē animi ad mor
tem. Gregorius in Moralibus: Deus noster
Hora mortis nobis incognita, quarè. horam vltimam voluit nobis esse incogni-
tam, vt semper possit esse suspecta: vt dum
illam præuidere non possumus, ad illam si-
ne intermissione præparemur: quod à no-
bis faciēdum est: quia beati serui illi, quos,
cùm venerit, dominus inuenerit vigilan-
4. tes, Lucæ 12. Quartò valet ad contemptū
mundi. Hieron. Facilè contemnit omnia,
qui se semper cogitat esse moriturum. Ec-
clesi. 11. Si annis multis vixerit homo, & in
his omnibus lætus fuerit: meminisse debet
tenebrosi temporis & dierum multorum,
Quòd in morte omnia vana mōstrētur. qui cùm venerint, vanitatis arguentur præ-
terita. In morte arguitur vanitas esse omne
quod est in mundo, scilicet concupiscen-
tia oculorum, cōcupiscentia carnis, super-
bia vitæ. Concupiscētia oculorum in hoc,
quòd homo nudus reuertitur in terram.
Iob 1. Nudus egressus sum de ventre matris
meæ, & nudus reuertar illuc. Cōcupiscen-
tia carnis in hoc, quòd corpus in delicijs
nutritum, vermibus datur. Superbia vitæ
in hoc, quòd ille qui volebat esse super ho-
mines, ponitur sub terra, quæ est infimum
5. elemeutum. Quintò valet ad repressionē
Præcipuum remedium contra carnis desideria. carnalium desideriorum. Gregorius: Ni-
hil sic ad domandum desideriorum carna-
lium appetitū valet, quàm vt vnusquisq;
hoc, quod diligit viuum, quale sit mortu-
6. um, pēset. Sextò valet ad temperandā præ-
sentem lætitiam, sicut & alia mala pœnæ.
Seneca: Nihil æquè tibi proficiet ad tempe-
rantiam omnium rerum, quàm frequens
meditatio breuis æui, & hoc incerti. Quic-
quid facis, respice ad mortē. Et ideò opti-
me dicitur Ecclesiast. 11. In die bonorū nè
7. immemor sis malorum. Septimò valet ad
cauendū à peccatis. Ecclesiastici 7. In omi-
bus operib⁹ tuis memorare nouissima tua,
& in æternum non peccabis. August. Nihil
sic reuocat à peccato, quàm frequens mor-
8. tis meditatio. Octauò valet ad bona opera
facienda. Ecclesiastici 14. Fili, si habes, be-
nefac tecum: & Deo dignas offer oblatio-
nes. Memor esto, quoniam mors nō tarda-
bit. vbi Glo. inquit: Hortatur, vt contem-
pta mundi luxuria, bonorum operum ob-
lationes offeramus: quia breue est spatium
vitæ, in quo operari possumus. Post mor-
tem enim quæ festinat, nō est tempus ope-
randi, sed mercedē recipiendi. Vndè: Ope-
ramini dum dies est: venit enim nox, quā-
dò non licet operari, Ioā. 9. Gregorius su-
Adhuc, quarè incertus sit dies mortis. per Eze. Ideò nobis conditor noster diem
mortis incognitū esse voluit, vt dum sem-
per ignoratur, semper proximus esse cre-
datur: & tanto quisque sit feruentior in
opere, quanto incertior de vocatione.

Nonò valet ad perseuerandum in pœ- 9. Exēplum notatu dignissimum.
nitētia, & in religionis austeritate. De quo
narratur exemplum, quòd cùm filius cui-
usdam nobilis & vnicus intrâsset religio-
nem, vt Deo seruiret, venissetq; pater, vt
eum extraheret vi: cùm nō possent illi re-
ligiosi eum tenere, petijt iuuenis, vt posset
loqui cum patre: quod cùm ei esset conces-
sum, ait puer ad patrē, quòd si auferret vnā
consuetudinem, quæ fuit in patria sua, re-
diret ad seculum: annuitq; pater quòd li-
benter auferret, petijtq; vt illam exprime-
ret. Cui filius, quòd in terra sua fuit cōsue-
tudo, vt iuuenes morerētur sicut & senes:
& si illam auferret, ipse rediret: quod si nō
faceret, nec ipse rediret: licèt enim esset iu-
uenis, timebat mortem. quod audiēs pater,
videns ipsum esse constantem in proposi-
to, ait: Nec volo quòd ad seculum redeas,
sed hîc seruias Deo. conuersusque pater
cum filio, seruiērunt ambo fideliter Deo.

Quadragesimumoctauum instrumen-
tum est: *Actus vitæ suæ omni hora custodire.* Hoc
instrumentum, est quasi conclusio & finis
præcedentis. Ad hoc quippe mortis medi-
tatio nobis proponitur, vt vigiles simus
super custodia nostra, nè impræparati in-
ueniamur. De qua custodia inquit Salua-
tor noster Lucæ 12. Sint lumbi vestri præ-
cincti, & lucernæ ardentes in manibus ve-
stris: & vos similes hominibus expectanti-
bus dominum suum, quandò reuertatur à
nuptijs. Et sequitur: Beati sunt serui illi,
quos, cùm venerit, dominus inuenerit vi-
gilantes. De hac custodia dicitur Deutero.
4. Custodi temetipsum & animam tuā so-
licitè. Prouerb. 4. Omni custodia serua cor Figura de eo, q vigiles esse debemus.
tuum. Custodia huiusmodi, figuratur
Apoc. 4. vbi legitur, quòd animalia erant
plena oculis ante & retrò: per quod plena
vigilātia & custodia designatur. Viri enim
sancti timent semper, & vbiquè: ideò sem-
per vigilant super custodia eorum. Et ideò
dicitur Ecclesiastici 18. Homo sapiens in
omnibus metuit. Et Prouerbiorum 18. Be-
atus homo, qui semper est pauidus.

Quadragesimūnonū instrumētum est:
In omni loco Deū se respicere, pro certo scire. De quo
instrumento sacra scriptura manifestè te-
statur: Prouerb. 15. In omni loco oculi Do-
mini contemplantur bonos & malos. Item
eiusdem 16. Omnes viæ hominum patent
oculis eius. Et ad Hebræos quarto inquit
Apostol. Omnia nuda & aperta sunt ocu-
lis eius. Hæc autem consideratio diuini in- Consideratio quæ nos maximè mouere debet ad custodiam.
tuitûs, multùm mouere debet discipulum
ad custodiam actuum suorum, ne aliqua
immunditia aut inhonestas in eo appare-
at, quæ valeat offendere oculos Dei cun-
cta cernentis. Hinc dicit Boethius: Magna
nobis

8 nobis est indicta probitatis necessitas, nisi dissimulare velimus: cùm cuncta agamus ante oculos iudicis cuncta cernentis. Et Seneca in epist. Sic certè viuendũ est, tãquàm in conspectu viuamus: sic cogitandũ, tanquàm aliquis in pectus intimum prospicere possit, & potest. Quid enim prodest ab homine esse secretum? nihil Deo clausum est. Vbi notandum, quòd quinque sunt circunstantiæ ex parte videntis, propter quas solet quis magis timere facere aliquid mali coram eo: quæ omnes concurrunt in Deo. Vna est, si sit persona magna. Alia, si sit honesta. Alia, si malum quod sic fit, fiat contra eum. Alia, si ipse videns habeat de illo malo accusare. Alia, si de illo malo debeat iudicare. Ipse autem Dominus est tam magna persona, quòd magnitudinis eius nõ est finis, Psal. tam honesta, quòd oculi eius ad iniquitatem respicere non possunt, Abacuc 2. Ipse est, contra quem solum est peccatum. Psal. Tibi soli peccaui. Ipse est, qui habet accusare de peccato testificãdo, & qui iudicare habet de eo. Iere. 29. Ego sum iudex & testis. Meritò ergò discipulus, cõsiderans Deũ se semper respicere, debet timere, nè aliquid agat, quod tãtæ maiestatis offendat oculos. Ambrosius super Beati immaculati: Hominem vereris præsentem: Dei patris & filij & spiritus sancti non vereris præsentiam? Legitur in Vitas Patrum, quòd Abbas Macarius dixit: Si erubescis homines, nè te videãt peccãtem: quarè non magis vereri debes Deum, qui secreta cordis considerat?

Epist. 54. — *Quinq. circunstantiæ nos mouēt nè peccemus coram aliquo.* — *Psal. 144.* — *Psal. 50.* — *Exemplum*

TRACTATVS XXXVIII.

De L. & LI. instrumentis: vbi de malis cogitationibus citò effugandis.

Qvinquagesimum instrumentum est: *Cogitatiões malas cordi suo aduenientes, mox ad Christum allidere.* Quoniã, vt ait Glo. Num. 21. maxima pars diabolici regni & potestas eius plurima in cogitationibus consistit: quia de corde prodeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, & huiusmodi, quæ coinquinant hominem: meritò sanctus pater Benedictus inter instrumenta bonorum operum posuit hoc, vt nascentes cogitationes mox de corde eradicarentur. Sicut enim à radice amara amari progrediuntur fructus, sic à mala cogitatione non nisi mala operatio progredi potest. Mala enim arbor non potest fructus bonos facere, vt testatur veritas Matt. 7. Quarè Sapientiæ primo dicitur: Cogitationes peruersæ separãt à Deo. Circa hoc instrumẽtum licèt plura dicta sint in prologo, de allisione cogitationum malarũ ad Christum, nihilominùs quatuor notabuntur. Primò, quàm conuenientissimum sit discipulo, militi monasticæ disciplinæ, nõ sinere crescere cogitationes malas. Secundò, de multiplici genere cogitationum, à quibus cauendum est. Tertiò, de causalitate malarum cogitationũ. Quartò, de remedijs contra malas cogitationes.

Maxima pars regni diabolici. — *Similitudo* — *Dicendorũ distinctio.*

Circa primum considerandum, quòd conuenientissimus modus repugnãdi hosti humani generis, serpenti antiquo, est per contritionem capitis eius, quemadmodùm docet Dominus, Gen. 3. loquens ad serpentem de muliere, quæ figuram tenet Ecclesiæ: Ipsa conteret caput tuum. Serpẽs caput præ cæteris membris custodit, & nõ est caput nequius super caput colubri, Ecclesiast. 25. Ideò totis viribus debemus conari ad eius contritionem. Caput verò eius intellige, vel superbiam, vel principium tentationis, vel peccatum cordis, antequàm per locutionem vel operationem exiērit extrà. Contritio capitis primo modo, scilicet destructio superbiæ, multùm valet ad repugnandum ei: & hanc facit humilitas, quæ multùm valet ad triumphandum de diabolo: humilitas gloriam victoriæ totam Deo attribuit: & propter hoc, totum pondus prælij eidem imponit. Cuius enim est victoriæ gloria, & pugna: humilibus à Deo adiutorium gratiæ, de quo resistitur superbis. Ideò non est mirum, si humiles triumphent, & superbi vincantur. Iacobi tertio: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Item caput serpentis infernalis est conterendum: quia in principio tentationis est resistendum ei, secundùm illud:

Cōueniens modus repugnandi diabolo. — *Physicum de serpēte.* — *Spiritualiter caput serpētis, & eius contritio.* — *Quarè humilitas præcipuè vincat inimicũ* — *Principio tentationis est resistendum.*

Principijs obsta. Serò medicina paratur,
Cùm mala per longas conualuère moras.

Et Gregorius in Moralibus: Si tentationi in corde nascenti, festinè non resistitur: hac eadem, qua nutritur, mora roboratur. in Psal. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram. Diabolus, quasi paruulus est in principio tentationis: vndè tunc faciliùs occidi potest in homine. In morte primogenitorum, liberati sunt filij Israel de seruitute Pharaonis, Exodi vndecimo. Primogenita Pharaonis infernalis, sunt principia tentationum, quibus si viriliter resistitur, ei liberatur homo à diabolo: qui verò ei in principio non resistit, vix ab eo se expedit. Hieronymus: Lubricus est antiquus serpens, & nisi capite teneatur, totus statim illabitur. Conterendum est ergò caput serpentis infernalis, vt peccatum cordis antè destruatur, quàm per locutionem vel operationem extrà egrediatur. Summoperè debebat homo custodire cor, sicut caput suum, iuxta

Psal. 136. — *Primogenita spiritualiter.*

Diabolus præcipuè cor nostrũ nititur obtinere.

iuxta monitionem illam Matt. 10. Estote prudentes sicut serpentes. Diabolus tanq̃ superbus & ambitiosus, supremam partẽ nostri, s. cor, obtinere nititur, tãquàm arcem in castro nostro, vt in nobis perfectè dominetur: vndè cordi cogitationes immittit, & affectum ad malũ incendit. Greg. super illud Iob 25. Simul venerũt latrones eius, & fecerunt sibi viã per me: dicit: Maligni spiritus, qui exquirendis hominum mortibus occupantur, qui viam sibi in afflictorum cordibus faciunt, inter aduersa quæ exteriùs tolerantur, cogitationes prauas immittere non desistunt. Item Gregor. super illud Iob 41. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur. Quid prunas, nisi succẽsas in terrenis concupiscentijs reproborum mentes appellat? Tanto igitur leuiathan halitu in prunas flat, quanto anhisu suggestionis occultæ humanas mentes ad illicita inflãmat. Flamma oris eius, est instigatio occultæ locutionis. Damascenus: Potens est diabolus facere immissiones nobis: in nobis autem est, eas suscipere vel non suscipere. Augu. Diabolus plenus est incentiuis vitiorum.

Halitus diaboli.

Diuersa cogitationũ genera.

Circa secundum sciendũ, quòd Bernard⁹ distinguit diuersa genera cogitationum, à quibus multa solicitudine cauere necesse est eos, qui conuertuntur ad cor, & dignũ Deo in semetipsis templum exhibere festinant. Sunt enim nonnullæ cogitationes penitùs ociosæ, quas tam facilè abijcere q̃ *repellere potest anima secum habitans in corde suo, & assistens dominatori vniuersæ terræ. Sunt & aliæ violẽtæ magis & fortiùs adhærentes, quæ ad necessitatem naturæ pertinent, & quasi ex eodem assumptæ limo, de quo & nos: quæ si paululùm inciderint, auelli nequeunt sine læsione & difficultate. Sæpè enim sic afficit nos cogitatio carnalis de necessarijs corporis, vt vix eradicari possit à nobis: quia limosa cùm sit & viscosa, limosam similiter inuenit terram. Non sine causa dictum est, hominem non plasmatum de terra qualibet, sed de limo: oportet reprimere, quẽ extinguere non possumus appetitum: quàm citò mentem ingreditur, crescere non sinatur: sed sicut dicit scriptura, sub nobis sit, & nos dominemur illius. Est tertium cogitandi genus, immundum nimis ac fœtidum, quod nec admittere quidem vlla ratione debemus, sed à longè præsentire fœtorem, & tota virtute repellere, cõuersi ad gemitus, lachrymis & suspirijs inuocantes spiritum, qui adiuuat infirmitatẽ nostrã. Dico autem cogitationes illas, immundas penitùs ac fœtidas, quæ ad luxuriam, ad inuidiam, & vanam gloriam pertinent, cæteraq; vana detestanda. Circa tertium notandum, quòd cogitationes malæ diuersis

*for. & admittere.

Pulchra speculatio, quarè homo de limo terræ formatus dicatur.

Vanagloria inter immunda & penitùs detestanda numeratur.

Cogitationes diuersis de causis oriuntur.

de causis in corde surgunt: Vna causa, est corruptio, quæ est ex peccato primorũ parentũ. Illud enim, Spinas & tribulos germinabit tibi, Gen. 3. intelligitur & de terra quam calcamus, & de terra quam gestamus. In vtraque enim, inutilia vel noxia, gratis nascuntur: vtilia verò, cum labore. Aliquandò verò surgunt occasione rerum visarum, vel auditarũ, vel alio sensu corporeo perceptarum. Cùm enim aliquis ad mentem redit, volens intendere orationi vel meditationi, vix potest se expedire ab his, quibus videndo, vel loquendo, vel audiendo, paulò antè intentus fuit: limosa enim est substantia animæ, sicut & corporis, & quicquid contrectat, facilè ei adhæret, iuxta verbum Bernardi: Aliquãdò surgunt instinctu diaboli, vt priùs ostensum est benè in libro. Non omnes cogitationes nostræ malæ, semper diaboli instinctu excitantur, sed aliquandò ex nostri arbitrij motu emergunt. Concupiscentia etiam, causa est malarum cogitationum in nobis. Vndè legitur in Vitis patrum, quòd quidã frater dixit Abbati Sisoy: Quarè non recedunt à me cogitationes? Et dixit ei senex, quia vasa earũdem passionũ intra se sunt. Hæc vasa intelliguntur concupiscentiæ, vndè cogitatiões oriũtur: vbi enim amor, ibi oculus. In libro de vita solitaria dicitur: Qui redit ad conscientiam, si nondùm vicit concupiscentiam suam, inueniet ibi de concupiscentia sua vel suaues delectationes, vel graues corrosiones, & indè multiplicat cogitationes. Qui verò iam cõcupiscentiam vicit, quandiù tamen maioris boni concupiscentia, vel maior delectatio mentem non obtinuerit: cũ exosa quadam voluptate, gestorum, visorum, auditorum patitur imaginationes. Vnde in vtroque lumbi implẽtur illusionibus delectationum: & ad cogitanda spiritualia vel diuina, lumẽ oculorum suorum ipsum nõ est secum: vna cogitatio, causa est aliarum. Quidã frater interrogauit quẽdam senem: Quid faciam, quia multæ cogitationes solicitant me, & nescio quomodò repugnẽ eis? Qui respondit: Non repugnes contra omnes: sed contra vnam, quæ caput est aliarum. Contra cogitationes malas luctari nos oportet. In Vitis patrum dicit quidam senex de antiquis patribus: Non sumus eradicatores cogitationum, sed luctatores. In eodem dicit quidã Abbas: Si cogitationes non habes, spem non habes: quoniam si cogitationes non habes, opera non habes.

Exemplũ.

Exemplum.

Non debemus desperare ꝑpter cogitationes, sed luctari.

Circa quartum notandum, quòd octo remedia sunt contra malas cogitationes. Vnum est, non permittere illas exire extrà per locutionẽ vel operationem. In Vitas patrum dixit Abbas Pastor cuidam Abbati: Sicut capsa plena vestibus si dimissa fuerit

Octo remedia contra malas cogitationes.

1.

fuerit longo tempore, putreſiunt veſtes in
ea: ità ſunt cogitationes in cordibus no-
ſtris, ſi non fecerimus eas corporaliter tem-
pore longo, exterminantur aut putreſiũt.
Similitudo Idem ad abbatẽ Ioſeph: Sicut ſi quis clau-
dit ſerpentem vel ſcorpionem in vaſe, &
obturet illud, procedente tempore ſerpẽs
moritur: ità malæ cogitationes, quæ ſtudio
dæmonum pullulant, patiẽtia eius cui im-
mittuntur, paulatim deficiunt. Et ſpecia-
liter expedit, quòd cogitationes iracundię
ad verba non procedunt, ſicut ſuprà circa
2. inſtrumentum 22. ſatis dictum eſt. Secun-
dum remediũ, eſt boni tranſitorij contem-
Amor mundi, turbulẽtus: cõtemptus, eſt quietus. ptus. Amorem boni tranſitorij, comita-
tur turba cogitationum tumultuoſarum.
Econtrariò contemptus boni tranſitorij
habet ſolitudinem. Gregorius ſuper illud
Iob 3. Qui ædificant ſibi ſolitudines. Omis
terrenus denſis tumultibus premitur, & fre
quentia deſideriorum quaſi turbarum cal-
catur. Item ſancti viri, quia nihil huius
mundi appetunt, nullis proculdubiò in
3. corde tumultibus premuntur. Tertium,
eſt ſenſuum exteriorum cuſtodia. ſicut cu-
ſtodia portæ ad hoc valet, vt non intret,
qui intrare non debet: ſic cuſtodia ſenſuũ
ad hoc valet, vt cogitatio mala ad cor non
4. intret. Iſa. 26. Claude oſtia ſuper te. Quar-
tum, eſt vigilantia, qua cogitationes ma-
læ quæ oriuntur, & cauſæ earum, depræ-
5. hendũtur. Quintum, eſt virilitas ad ope-
randum, qua cogitationes malæ in corde
naſci prohibentur: & ſi natæ fuerint, ex-
pelluntur. Hæc duo commendantur nobis
1. Cor. 16. Vigilate, inquit Glo. mentis ocu-
lis contra aſtutias diaboli, & ſtate in fide:
Glo. quia ſtanti non obrepit ſomnus. vi-
riliter agite. Qui enim cogitationibus ma-
lis carere deſiderat, cogitationibus bonis
6. cor occupare ſtudeat. Sextum remedium,
eſt meditatio ſacræ ſcripturæ. In libro de
Vtilitas diuinæ lectionis. vita ſolitaria dicitur: De quotidiana lecti-
one aliquid in ventrem memoriæ dimit-
tendum eſt, quod fideliùs digeratur: & ſur-
sùm reuocatum, crebriùs ruminetur, quod
propoſito cõueniat, quod intentioni pro-
ficiat, quod detineat animã, vt aliena co-
gitare non libeat. Vndè de viro iuſto dici-
Pſalm. 1. tur in pſal. In lege eius meditabitur die ac
nocte. In Vitas patrum dicit abbas Eua-
Tria mentem ſolidãt grius: Mentem errantem vel nutantem ſo-
lidat lectio diuina, & vigilię, & oratio. In
Vitas patrum: Vidit quidam ſenex in cœ-
Exemplum nobio aliquandò meditantem fratrem in
cella, & ecce dæmon veniens, ſtabat foris
cellam. Et dum frater ille meditaretur, nõ
potuit ingredi. Cùm autem ceſſaſſet à co-
gitatione, tunc ingrediebatur dæmon.
7. Septimum remediũ, eſt meditatio mor-
tis & tormentorum gehennæ. In Vitas pa-
trum frater dixit ſeni: Quid facio, quia oc-
cidit me ſordida cogitatio? Reſpondit ſe-
nex: Mulier quandò vult ablactare infan- Exemplum
tem, amarum aliquid ſuperũgit vberibus,
vt puer amaritudine amareſcat. Mitte ergò
& tu in cogitationem tuam amaritudinẽ,
id eſt, cogitationem mortis & tormen-
torum, quæ peccatoribus præparantur.
Octauum remedium eſt, reuelare eas ſan- 8.
ctis patribus. Et de hoc, in inſtrumento
quod ſequitur. Quinquageſimum pri-
mum inſtrumentum eſt: *Senori ſpirituali ipſas*
ſ. cogitationes malas, *patefacere.* De vtilita- Vtilitas reuelationis.
te reuelationis & patefactionis cogitatio-
num ſpiritualibus patribus, abbas Serapio
collatione ſecunda patrum, ca. 11. narrata
difficultate continui conflictûs & ſpiritu-
alis certaminis, quem habemus aduerſùs
principes tenebrarum, dicit: Semper ſeni-
orum ſumma cautione ſunt ſectãda veſti-
gia, atq; ad eos cuncta quæ in noſtris cordi-
bus oriuntur, ſublato confuſionis velami-
ne, ſunt deferenda. Item in Vitas patrum Exẽplum.
legitur, quòd impugnabatur quidam fra-
ter vehementer ſpiritu fornicationis: qui
tamen frequenter pergebat ad quendam ſe-
niorem probatum, & confitebatur ei: tan-
dẽm dixit ſenior: Nè pertimeſcas fili. Nihil
enim ſic allidit virtutem dæmonum, ſicut
reuelare cogitationes immũdas beatiſſimis
patribus.

TRACTATVS XXXIX.

De inſtrumento lij. vbi multa de diſciplina & cuſtodia linguæ habenda.

Qvinquageſimum ſecundum in-
ſtrumentum eſt: *Os ſuum à malo
vel prauo eloquio cuſtodire.* vt dicat
cum ꝓpheta: Poſui ori meo Pſal. 38.
cuſtodiam: quoniã cuſtodia oris, pro ma-
gna parte eſt cuſtodia cordis. Os enim eſt
quaſi porta in homine. Et ſicut cuſtodia Porta in homine.
caſtri pendet ex cuſtodia portæ: ſic cuſto-
dia oris, eſt cuſtodia animæ. Vndè Prouer.
13. Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam
ſuam. Meritò ſanctus pater poſt inſtrumẽ-
ta de depellendis malis cogitationibus, in-
ſtrumenta ponit de cuſtodia linguæ. Por-
rò quia maximè ad religioſum pertinet
linguæ cuſtodia: pro pleniori diſciplina
cuſtodiæ linguæ, tria principaliter hoc lo-
co notanda ſunt. Primò, de cauſis quatu-
or, quarè diligentia eſt adhibenda circa cu-
ſtodiam linguæ. Secũdò, de his quæ atten-
dẽda ſunt in locutione. Tertiò, de his quæ
valent ad cuſtodiam linguæ. Circa pri- Maximè cuſtodiẽda eſt lingua, ratione quadruplici.
mum notandum eſt, quòd quadruplici ra-
tione magna diligentia adhibẽda eſt circa
cuſtodiam linguæ. Primò, quia eius cuſto-
dia eſt valdè difficilis. Secundò, quia val-
dè vtilis. Tertiò, qa valdè indecẽs eſt circa

eius custodiā negligētia. Quartò, quia hæc negligentia valdè est periculosa. Difficultatem custodiendi linguam, primò indicat nobis natura, quæ linguam includit, sicut solent includi crudelia animalia & indomita, né noceant. August. super canonica prima Io. Lingua facilitatem habet. Motus enim in humido positus, facilè in lubrico labitur. Quanto enim illa citiùs & faciliùs mouetur, tanto tu aduersùs illam fixiùs esto. Secūdò, scriptura in Psal. 140. Pone Domine custodiā ori meo. Glo. nè incongrua verba exeant. Propter difficultatem custodiendi linguam, rogat Propheta Dominum pro eius custodia: quia, vt habetur Prouerb. 16. Domini est gubernare linguam. Non enim sufficit ad hoc virtus vel discretio humana. Ecclesiastici 22. Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, vt non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me. Et Iacobi tertio: Omnis enim natura bestiarum & volucrum & serpentum & cæterorū domatur, & domita est à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest. Et subditur: Est enim inquietum malum. Augusti. de verbis Domini, sermone 4. Si linguam nullus hominum domare potest, ad Dominum confugiendū est. Exemplum de hoc imponit: Si bestia debet domari, quæritur homo: sic & si lingua debeat domari, quæratur Deus: imago Dei domat feram, & non domat Deus imaginem suam? Vtilis est valdè custodia linguæ. Si enim lingua modo debito regatur, de fructu eius potest homo ditari. Prouer. 12. De fructu oris vnusquisq; replebitur bonis. Preciosi fructus linguæ, quā spiritus sanctus regit, qui in specie columbæ apparére voluit, sunt modestia in loquēdo, oratio, Dei laudatio, gratiarum actio, peccatorum cōfessio, proximorum eruditio & consolatio. Secundò, magna diligentia ad hibēda est circa custodiā linguæ: quia eius custodia est valdè vtilis. cuius custodiæ vtilitatē ostendit Salomon Prouer. 14. dicens: Mors & vita in manibus linguæ: qui diligunt eam, comedunt fructus eius. Glo. bonos vel malos, mortē vel vitā. Et Iaco. Apost. inquit: Qui in lingua non offendit, hic perfectus est vir, Iaco. 3. Et Ecclesiast. 25. Beatus qui lingua sua non est lapsus. Tertiò est diligētia magna adhibenda circa custodiam linguæ: quia valdè indecens est linguæ custodiam negligere: Tum quia lingua est membrum nobile: indecens autem valdè est in eo immunditia. Qui enim ori suo ab inquinatione nō parcit, ab homine quasi degenerauit, & in porcum transijt. Porcus quidem non plùs parcit ori, quàm pedi: vbi posuit pedem, ponit & os. Tum secūdò, quia lingua, quātùm ad vsum loquelæ, est organum rationis. Vndè à ratiōe debet regi, & ad eius imperium, in actum suum exire: valdè indecens est, vt quis ratione linguam suam non regat & moderetur. Vndè Prouerb. 10. dicitur: Os stulti, Glo. qui inordinatè bona, vel apertè mala loquitur, confusioni proximum est: qui autē moderatur labia sua, sapientissimus est. Tum tertiò, quia in hoc membro homo specialiter præ omnibus creaturis honoratus est à Deo: valdè indecens est, vt homo in eo Deum offendat, in quo Deus maximè honorari debet. Tum quartò, quia lingua deputata est diuino seruitio, vtputà orationi, diuinis laudib9, & doctrinæ, quæ sanctitatem magnam requirunt: indecentissimū planè est, vt lingua, qua Deus oratur, laudatur, & prædicatur, peccatorum sordibus sit polluta. Nō est enim speciosa laus in ore peccatoris, Eccle. 15. Item quartò diligentia magna adhibenda est circa custodiam linguæ, est valdè negligentia circa custodiam linguæ est valdè periculosa: multùm enim nocet, si nō seruetur. Qui enim os non custodit, ipse est quasi ciuitas sine muro. Prouerb. 25. Sicut vrbs patens & absq; murorū ambitu, ità vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. vb. Glo. ità dicit: Si enim murum silentij non habet, patet inimici iaculis ciuitas mentis. In Vitis patrum quidā senex cum quibusdam fratribus ibat ad beatum Antonium: qui multa locuti sunt in via de sacra scriptura, & de operibus manuum suarum: & senex semper tacebat. Cui ait beatus Antonius: Bonos fratres habuisti in itinere? At ille: Boni quidē sunt, sed habitatio eorum non habet ianuam: qui vult, intrat in stabulum eorum, & soluit asinum. Item præterea est, sicut equus sine freno, & sicut nauis sine gubernaculo. Iacobi 3. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Potest enim in freno circunducere totum corpus &c. Sequitur: Ità & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat, id est, ad magna præmia vel tormenta ducit. Et infrà: Lingua nostra ignis est, vniuersitas iniquitatis. Glo. vniuersitas, quia per eam fere cuncta facinora aut concinnantur, vt latrocinia, stupra: aut patrātur, vt periuria & falsa testimonia: aut defenduntur, vt cùm quilibet impurus excusando scelus, quod commisit, simulat bonum quod non fecit. Vbi considerandum, quòd lingua nocet ei qui loquitur, gratiam Dei ei auferendo. Prouerb. 13. Qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Bernard. Leuis res sermo: sed grauiter vulnerat aptissimum euacuandis cordibus instrumentum. Et ideò dicitur Ecclesiastici 28. Multi ceciderunt in ore gladij: sed non sic, quasi qui interi-

Marginalia: 1. — Difficultas edomandi linguam. — Dictū optimum. — Vtile est linguā custodire. — 2. — 3. — Turpe est linguā non custodire. — 4. — Periculosū est, linguā non custodire. — Exēplum. — Lingua vniuersitas iniquitatis dicitur. — Lingua nocet loquēti.

Nocet audienti. interierũt per linguam suam. Nocet etiã audienti. Bernardus: Vnus est qui loquitur, & tantùm vnum verbum profert: & tamen in vno mométo multitudinem audientium, dum aures inficit, animas interficit. Et Gregorius super Ezechielem: Sicut malus aër assiduo flatu tractus inficit corpus, ità peruersa locutio assidua infirmantium inficit animas. Nocet etiam his Nocet absenti. de quibus loquitur, etiam valdè remotis. Lingua enim quæ est in Gallia, nocet ei qui est vltra mare vel in Hispania, dum eũ infamat. Et ideò Hiere. 9. dicitur: Sagitta Septem circa linguæ disciplinã. vulnerans lingua eorum. Circa secundum sciendum, quod circa disciplinã linguæ septem sunt attendenda: videlicet, quis loquatur, & cui, & de quo. Itẽ quid di-
1. cendũ, vbi, & quãdò, & quomodò. Circa Loquentiũ qualitas. primum instruit nos venerabilis Hugo de sancto Victore, his verbis: Qualitas personarum, quatuor modis consideratur, scilicet, secundùm ætatem, secundùm scientiã, secundùm officium, & secundùm conditionem. Secundùm ætatẽ: quia aliud conuenit locutionibus senum, aliud locutionibus iuuenum. Secundùm sciẽtiam: quia aliud conuenit locutionibus sapientum, aliud locutionibus simplicium. Secũdùm officium: quia aliud conuenit locutionibus eorum, qui negocia terrena tractãt: aliud locutionibus eorum, qui secretioris vitæ quieti, & studio contemplationis inuigilant. Secundùm conditionem: quia aliud cõuenit locutionibus eorum, qui sunt prælati: aliud locutionibus eorũ, qui sunt subditi. Senes debent loqui de discretione benè consulendi: iuuenes, de instantia benè faciendi: sapientes, de mysterijs bonorum operum: hi qui exteriora tractant negocia, de solertia acquirendi: hi qui quietam vitam ducunt, de disciplina viuendi: prælati, de prouisione vel diuisione rerũ: subiecti, de obedientia præceptorum.

2. Cum quibus loquendũ, quarè & quandò. Circa secundum, scilicet personam cui loquimur, instruit nos iterum Hugo de sancto Victore, his verbis: Boni prauorũ eloquia aliquandò appetere, aliquãdò vitare debent. Appetere, quandò sua exhortatione illos sperant corrigi: & tamen de sua stabilitate confidunt, vt non timeant de illorũ praua suggestione corrũpi: quandò verò & illorum duritiam, & suam infirmitatem considerant, expedit eis vt fugiant: nè, dum illos nõ valent suis admonitionibus corrigere, paulatim incipiant ipsi ad prauitatem illorũ declinare. Cùm ergò propter nostram ædificationem loquimur, cum illis loquamur, quorum doctrina possumus ad virtutem instrui. Cùm autem loquimur propter ædificationem proximi, cum illis loquamur, quos speramus per nostram exhortationem à prauitate sua posse emẽdari. Alioquin & sapientes velle docere, superbia est: & obstinatos corripere, insipientia. Vndè Prouerb. 23. In auribus insipientium nè loquaris, quia despicient doctrinam tuam. Item Ecclesiastici 22. Cum stulto nè multa loquaris. Et Matth. 7. Nolite sanctum dare canibus, & margaritas nolite spargere ante porcos. Canes, sunt detractores: porci, sunt cõtemptores. Canes & porci. Circa tertium, scilicet circa id, de 3. Quid dicẽdum. quo loquendum est: cum illo, quem speramus exhortatione nostra posse corrigi, aduertenda est doctrina Hugonis de sancto Victore, his verbis nos instruentis: Id profectò dici magis cõuenit, quod ad illud, in quo plùs ipse laborat, malum sanandum consilio commodiori occurrit. verbi gratia: quandò constãtiam laudare volumus, ad pusillanimes, non ad superbos, sermonem nostrum dirigere debemus: quia cùm vitium superbiæ nõnunquàm sub prætextu constantiæ se contegat, si cœperimus in superbis laudare constantiam, dum eos ad virtutem hortari credimus, ampliùs eos in suo vitio confirmamus. Exhortemur ergò ad constãtiam timidos, ad timorem superbos, ad frugalitatem prodigos, ad liberalitatem auaros. Itẽ beatus Grego. in Moralibus: Lingua nostra bonis in fomẽtum sit, prauis aculeus: tumidos retundat, & iratos mitiget: pigros exacuet, desides hortatus incendat: refugiẽtibus suadeat, asperis blandiatur, desperatos consoletur: vt semper quia ductores dicimur, viam salutis gradientibus effundamus. Aduertendũ etiam circa hunc locum, quòd admonitio non tantùm debet esse secundùm defectũ gratiæ, quem habet ille, quẽ exhortari proponimus: verumetiam secundùm capacitatem auditorum, sermo formandus est, vt ait beatus Gregorius: & hoc nõ solum, quantùm ad sublimitatem, vel subtilitatẽ doctrinæ, sed etiam quantùm ad prolixitatem. Aliqui enim minùs capacibus tot & tanta dicere volunt, quòd nihil retinent. Attendere prætereà circa hoc debet, qui loquitur, vt sermo eius materiæ cõgruat. Seneca: Vitiosum est, in re sæua delicatum inferre sermonem. Non decet etiam cùm de diuinis loquimur, vt exemplis vilibus vtamur. Repræhensibilis est etiam, contra paruam negligentiam nimium zelum ostẽdere. Aliqui quærũt ensem ad muscam occidendam, & securim ad ouum frangẽdum: qui contra modicam negligentiam ità mouentur, acsi esset magnum peccatum: quod non debet fieri, præcipuè cùm facilè potest corrigi. Circa quartum, s. circa id de quo 4. non dicendum est, instruimur ab Apostolo ad Ephes. 4. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus est ad ædificationem fidei, vt det gratiam au-

dientibus. Itèm instruimur in hoc, à malo
Mali vel praui eloquij diffinitio. & prauo eloquio custodire. Malum colloquium, dicitur quodcunque verbum ociosum, aut indecens ipsi loco, aut materiæ non conueniens. Prauum verò colloquiũ, dicitur nociuum verbum, sicut colloquium detractionis, murmuris, & similia. De istis duabus differentijs dicitur Psal. 34. Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua nè loquantur dolum. & Prouerbiorũ quarto: Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procùl à te. Glo. Hoc duobus modis faciẽdum est. Primo, os tuum, nè prauum loquatur aliquid: tua labia, ne detractionibus assuescant, custodias. Secundo, alios quos huic vitio subditos nôsti, nè te corrumpant, fugias. Præterea beatus Benedictus infrà in ca. sexto regulæ de taciturnitate, prohibet tria genera colloquiorum, scilicet, scurrilia, verba ociosa, & risum mouentia: de quibus suo loco
5. agemus. Circa quintum, scilicet circa lo-
Vbi loquẽdum. cum, vbi loqui debemus, instruit nos Hugo de sancto Victore, his verbis: Cùm aliquid dicere volumus, priùs, vbi dicere illud conueniat, consideremus. Nam quædam loca sunt, in quibus silentium seruandum est. Quædam verò, in quibus humanos sermones, id est, confabulationes ad alterum, edere nõ licet, exceptis his verbis, quibus homo cum Deo, vel ad Deum loquitur: quandò in orationibus vel locutionibus, siue in hymnis & canticis, manifestè vel occultè prolatis, Deo famula-
Obseruantia circa oratorium. tur. Vndè beatus Augustinus, in oratorio nihil agendũ esse dicit, præter id, ad quod factum est: quod non solùm de opere, sed etiam de locutione, accipiendũ est. Ità non debemus ea, quæ sunt pluribus dicenda, in occulto edere: nec ea, quæ sunt paucis reuelanda, in manifesto propalare. Sapiens: Quidam ea quæ solis amicis cõmittenda essent, his quos habuerint obuiàm, narrant. Non possunt aliqui retinere verbum auditum. Ecclesiast. 19. Sagitta infixa femori canis, sic verbum in ore stulti. In eodem: A facie verbi parturit fatuus. Parturiens non quiescit, donèc partum emiserit: nec fatuus, donèc verbum protulerit.
6. Quandò loquendum. Circa sextũ, scilicet circa tempus loquẽdi, attendendum est primò illud Prouerb. 15. Sermo opportunus est. Et eiusdem 25. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Ecclesiastici 20. Homo sapiens tacebit vsque ad tempus. Et eiusdem 28. Ex ore fatui reprobabitur parabola, quia non dicit illam in tempore suo. Ambrosius libro de officijs: Sapiens vt eloquatur, multa priùs considerat: quid dicat, cui dicat, quo in loco & tempore. Isidorus: Tempore congruo loquere, tempore congruo tace. Non loquaris, nisi interrogatus fueris. Non dicas, priusquàm audias. Ecclesiastes tertio: Tempus tacendi, & tempus loquendi. Hugo de sancto Victore: Tempus tacendi, tempus loquendi præcedere debet: quia priùs per silentiũ tempore tacendi discitur, quod posteà per verbum tempore loquendi proferatur. Priùs tacere, posteà loqui.

Est autem notandum, quòd in quinq; temporibus supersedendum est à loquendo, ex sententia eiusdem Hugonis: Primo, quandò alter prior loqui cœpit: nè, si sermonem eius verborum nostrorum prolatione interruperimus, & eũ qui loquitur, & eos qui audiunt, pariter offendamus. Et ideò dicebat Iob 39. ca. Qui me audiebant, expectabant sententiam meam: & intendebant ad consilium meum. Secundo tacendum est, quãdò ad id, ad quod inducere volumus animos auditorum, præparatos adhuc non esse consideramus. De hoc habemus exemplum Domini, qui cùm Apostolos suos adhuc imbecilles & ad sublimioris doctrinæ eruditionem imparatos adspiceret, ait: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò, Ioannis 16. Tertio tacendum est, propter multiloquium vitandum: quia, vt dicit Salomon, In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est, Prouerbiorum decimo. Quinq; distinctiones temporis, quo tacendum est. 1. 2. Exemplũ. 3.

4. Maximè obseruandũ Quarta ratio, quandò ipsi cui locuturi sumus, nondùm apud nosmetipsos congruam loquẽdi formam inuenimus: quia profectò animi auditorum magis offenduntur, si sermo qui ædificare debet, confusus & inordinatus proferatur. Et ideò dicitur Ecclesiastici quinto: Si est tibi intellectus, responde proximo tuo: sin autẽ, sit manus tua super os tuum, nè capiaris in verbo indisciplinato. Quinto tacendum
5. est, quandò hi qui præsentes habentur, nequaquàm tales sunt, ad quos verbum debeamus facere: vtpotè quãdò præsentes sunt magnæ authoritatis aut sapientiæ, secundùm illud Ecclesiastici vndecimo: In medio seniorum nè adijcias loqui. Circa se-
7. ptimum, s. modum loquẽdi, instruit nos Hugo de sancto Victore, his verbis: Modus
Modus loquendi in tribus constat. loquendi, in tribus constat: hoc est, quo gestu, quo sono, & qua significatiõe quid dicatur. Disciplina iubet, vt loquentis sit modestus gestus & humilis, sonus demissus & suauis, significatio verax & dulcis. Modestiam debet habere gestus loquentis, vt nec inordinatè, nec impudicè, nec turbulentè interloquendo membra moueat, aut aliqua indecenti cõformatione aut transmutatione vultûs, prolationem sui sermonis imminuat. Humilis debet esse gestus loquentis, vt apud auditores gratiam sermo eius inueniat. Sonus loquentis debet esse demissus, nè strepitu & immoderata clamosi-

mositate sua auditores suos aut iniustè terreat, aut iniustè offendat. Vndè de Christo loquitur Isaias 24. Non clamabit, nec accipiet personam, nec audietur vox eius foris. Seneca: Vox sit sine clamore. Suauis debet esse, nè prolationis asperitate, tanto fiat animus audientiū onerosior, quanto ad aures durior venit & iniocūdior. Significatio, id est, sententia sermonis, debet esse vera & dulcis. Hugo de sancto Victore: Cum veritate necesse est vt sermo loquentis dulcedinem habeat: quia sæpè etiam veritas auditori amara efficitur: vt si sine ratione, aut fine dilectione, vel importunè, vel impiè contra eum proferatur. Ecclesiast. 6. Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Et eiusdem 16. Qui sapiens est corde, appellabitur prudens: & qui dulcis est eloquio, maiora reperiet. Magis enim proficiūt, qui habent dulcedinem linguę, quàm qui habēt sapiētiam magnam in corde. Et notandū, quòd sermo noster debet esse purus. Prouerb. 15. Sermo purus pulcherrimus. Purus esse debet à falsitate, purus à noxietate proximi & contumelia Dei. Circa tertium principale notādum, quòd quatuor sunt, quæ multùm valent ad custodiam linguæ. Primum est, quòd ante portam oris, barræ ponantur. Secundum est, quòd porta oris rarò aperiatur. Tertium est, vt porta citò claudatur. Quartum, vt in ea clauis habeatur. Quasi barræ ante portam oris, sunt firma proposita declinandi illas personas, cum quibus per linguam peccare solemus: vel loca, in quibus habemus occasionem peccandi per linguam: vel tenendi silentium in illis horis, in quibus homo faciliùs per linguam labitur, vt est hora post sumptionem cibi & potūs: & alia similia proposita salubria, valentia ad custodiam linguæ. De his barris siue vectibus habetur Prouer. 18. Frater qui iuuatur à fratre, quasi ciuitas firma, & iudicia quasi vectes vrbium. Proposita, ex iudicio rationis facta, sunt quasi vectes vel quasi barræ. Rarò etiam aperienda est porta oris, & citò claudenda. Sapiens: Ad summam perfectionē volo te esse breuiloquum, rariloquum, & submissa voce loquentem. Iacobi primo: Sit omnis homo tardus ad loquēdum, velox ad audiendum. Seneca: Tardiloquum te esse iubeo, & propè erit tibi Deus. Idem: Aurem frequētiùs quàm linguam accommoda. Sicut enim multiloquiū frequenter habet peccatum, sic breuiloquium valet ad hoc, vt caueatur peccatum. Triplicē clauem debet habere porta oris. Prima seruatur in arca cordis. Secūda, in manu prælati. Tertia, in manu Dei. Clauis cordis est necessaria, quia locutionem viri religiosi debet præcedere mentis deliberatio. Hieronymus: Priùs veniat sermo ad limam, quàm ad linguam. Ecclesiastici 5. Nè temerè loquaris. Ecclesiastici 4. Noli citus esse in lingua tua. Item eiusdem 21. Verba prudentium, statera ponderabuntur. Sapiens habet os in corde, id est, in cordis potestate & dispositione: stultus, cor in ore. In eodem: In ore fatuorum, cor illorum: & in corde sapientum, os illorum. Secunda clauis, in manu prælati est. Vndè religiosus antequàm loquatur, à prælato suo licentiam debet petere. Qui enim nesciēte aut nolente prælato, ad loquendum portam oris aperit, postquàm clauē ei tradidit, fractor templi spiritualis esse videtur, & quasi fur, faciendo clauē cōtra clauem. Tertia clauis in manu Dei esse dicitur. Quocircà religiosus antequàm loquatur, orationem debet ad Deum pręmittere, cuius est linguam gubernare, vt linguā regat, nè in ea offendat, orans cum propheta: Domine, labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam, psal. 50.

[Margin notes: Q̄ñ ex defectu loquentis fiat etiam veritas importuna. — Puritas sermonis. — Quatuor valent ad linguæ custodiam. — Vectes moraliter. — Porta oris debet habere triplicem clauem. — 1. — 2. Religiosus quum aliquid facit vel dicit, ne sciente aut nolēte prælato, fur est. — 3.]

TRACTATVS XL.

De liij. liiij. & lv. instrumentis: vbi de multiloquio, & vanis sermonibus ac risu fugiendis.

Qvinquagesimumtertiū instrumentum est: *Multum loqui nō amare.* De quo Saluator noster ait Matt. 6. Nolite multū loqui. Et Seneca, vt superiùs inductum est, ait: Tardiloquum te esse iubeo, & propè erit tibi Deus. Vbi notandum, quod à multiloquio cauendum est, multiplici ratione. Primò, quia hominē reddit odiosum: Pauciloquium verò amabilem. Vndè philosophus quæsitus, quomodò quis hominibus posset placere, respondit: Si gesseris optima, & locutus fueris pauca. Eccle. 9. Terribilis est in ciuitate sua homo linguosus: & temerarius in verbo suo, odibilis erit. Secundò, quia impedit conuersionē hominis. Iob 11. Nunquid vir verbosus iustificabitur? Tertiò, quia dicitur Prouerb. 10. In multiloquio non deerit peccatū. Et Eccle. 20. dicitur: Qui multis vtitur verbis, lædit animam suā. Quartò, quia signum est stultitiæ. Eccle. 10. Stultus verba multiplicat. Quintò, quia vbi est multiloquium, ibi est frequenter egestas: sicut vbi multùm est de palea, ibi parùm est de grano. Prou. 19. Qui tantū verba sectatur, nihil habebit. Sextò, quia magna vtilitas est in cauēdo à multiloquio. Eccle. 19. Qui odit loquacitatē, extinguit malitiā. Quinquagesimūquartum instrumentum est: *Verba vana aut risui apta, nō loqui.* De quo Apostol⁹ inqt 2. Tim 2. Prophana & vaniloquia deuita. Vbi nota, q̄ sunt

[Margin notes: Cauendum est à multiloquio, multiplici ratione. — 1. Dictum notabile. — 2. — 3. — 4. — 5. — 6.]

Vana verba quę sint.

sunt vana verba, quæ sunt inutilia. Iob 27. Vt quid sine causa vana loquimini? Secundò vana dicuntur, quæ sunt superflua. ad Titum primo: Sunt multi inobedientes, vaniloqui, & seductores. Tertiò vana dicuntur, sine ratione prolata. primæ ad Timotheum primo: A quibus quidam aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium. Verba verò risui apta dicũtur, quæ risum mo-

Verba risui apta.

uent siue prouocant, sicut sunt stultiloquia, cachinnationes, scurrilitates, & huiusmodi, quę ab ore religiosi omninò debẽt esse aliena. Vndè Apostolus ad Ephesios quinto inquit: Non nominetur in vobis (sicut decet sanctos) turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem, id est, vtilitatem, non pertinet, sed magis gratiarum actio. Quinquagesimumquintũ instrumentum est: *Risum multum aut excussum non amare.* Nota, quòd non prohibetur

Quòd non prohibetur risus moderatus.

risus moderatus: Tum, quia homo naturaliter est risibilis: Tum, quia religiosus debet esse vultu serenus, non turbulentus vel indignabundus: sed prohibetur immoderatus siue excessiuus. Vbi notandum, quòd virum religiosum multùm decet, vt disciplinam in risu seruet. Quis risus sit repræhensibilis, ostendit Seneca

Risus repræhensibilis.

his verbis: Miscebis interdùm serijs iocos, sed temperatos, & sine detrimento dignationis & verecundiæ. Nam repræhensibilis risus est, si immoderatus, si pueriliter effusus, si muliebriter fractus. Item risus sit sine cachinno. Notandum hic, quòd lu-

Triplici ratione magis debemus hîc flere quàm ridere.

ctus in hac valle lachrymarum debet esse discipulo frequens & multus: risus verò, rarus & modicus. Et hoc triplici ratione: Primò, exẽplo Christi. De cuius luctu ha-
1. betur in multis locis sacræ scripturæ, scilicet, Lucæ 19. Ioannis 11. & ad Hebræos 5. De risu verò eius in hac vita præsenti, nũquàm legimus. Secundò, quia risus habet
2. maledictionem eius. Lucæ 6. Væ vobis qui ridetis. Luctus verò habet eius benedictionem. Matth. 5. Beati qui lugent. Hieron. in episto. ad Heliodorum: Non est transitus de delicijs ad delicias. Lõgus risus perpetuo compensandus est fletu. Delicatus es, si vis hic gaudere in seculo, & posteà re-
3. gnare cum Christo. Tertiò, quia risus im-

Risus vel ioci malus effectus.

moderatus vacuam reddit animam bonis omnibus. Basilius in hexameron: Iocus siue risus remissam efficit animã, siue negligentem erga Dei præcepta: nec delicta sua potest ad memoriam reuocare, sed obliuiscitur, nec se instigat ad pœnitentiam, & ità paulatim omnibus bonis priuatur. Item Chrysost. super Matth. Nullum habebit accessum compunctionis gemitus, vbi fue-
4. rit immoderatus risus ac iocus. Quartò, quia vbi risus immoderatus, ibi nulla grauitas & disciplina esse potest. ideò Hieronymus vbi suprà ait: Ridere & ludere, secularibus derelinque: grauitas tuã personã decet. Quintò, quia risus excessiuus odi- 5.
bilem facit hominem. Seneca: Odibilem facit hominem risus aut superbus, aut elatus, aut malignus, aut furtiuus, aut alijs malis enotatus. Secundò notandum, quòd

Differentia boni risus & mali.

inter risum disciplinatum & indisciplinatum differentia est. Ecclesiastici 21. Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacitè ridebit. Risus indisciplinatus, est velut ebullitio stultitiæ. Prouer. 15. Os fatuorum ebullit stultitiam. Est etiam velut sonitus spinarum in igne. Ecclesiast. 7. Sicut sonitus spinarum crepitantium sub olla, sic risus stulti. Risus indisciplinatus aliquandò est inuidiæ, aliquandò perfidiæ, aliquandò insaniæ. De primo dicit Poeta:

Risus abest, nisi quẽ visi fecére dolores.

De secundo dicitur Prouerb. 10. Quasi per risum stultus operatur scelus. De tertio dicit Augustinus: Mâlunt sapientes se habere sanos lugentes, quàm phreneticos ridentes.

TRACTATVS XLI.

De instrumento lvj. vbì de vtilitate audiendi lectiones sanctas.

Qvinquagesimumsextum instrumentum est: *Lectiones sanctas libenter audire.* De quo Hierony. Scripturas diuinas sæpiùs lege, immò lectio sacra de manu tua nunquàm deponatur. Dicit autem sanctus pater, *lectiones sanctas* audiendas esse, vt excludat vanas & noxias & inutiles siue damnosas: *libenter* dicit, s. cum attentione & desiderio proficiendi, secundùm illud Ecclesiastici 3. Auris bona audit cum omni concupi-

Duodecim vtilitates sanctæ lectionis.

scentia sapientiam. Vbi notandum, quòd lectio sacra plurimas habet vtilitates: & potissimè duodecim, quæ discipulũ multùm mouere debent ad libẽter cum magna cordis concupiscentia ad lectiones sanctas audiendas. Primò quidem valet ad bo- 1.
norum fructuum productionem. Nam viri deuoti, qui iuxta aquas sapientiæ, quæ per libros decurrunt, plantati sunt, ferũt multum fructum, quia quandoquè bonorum operum, quandoquè prædicationis, quandoquè doctrinæ. Vnde de viro bono dicitur psal. 1. In lege eius meditabitur die ac nocte: & erit tanquàm lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructũ suum dabit in tempore suo.
Secundò valet ad cælestis desiderij in- 2.

Diuini libri sunt quasi quoddam calefactorium.

flammationem. Cùm enim verba diuina sint quasi ignis, sicut dicitur Hieremiæ quinto, cõstat, libros qui sunt pleni diuinis verbis, esse quasi calefactorium huma-

narum mentium. Sicut ergò in hyeme dura monachi libenter vadunt ad calefactorium, ità viri sancti, frigore huius mundi durante, stant libenter iuxta libros, vt illos legendo & audiendo calefiant in amore cælesti. Grego. Stude, quæso, & quotidiè verba creatoris tui meditare, vt mens tua ad cælestia gaudia maioribus desideri-
3. js accedatur. Tertiò, valet ad animandum & confirmandum debiles & infirmos, cõtra tentationum bella, per hoc quòd in libris sacris narrantur gesta virorum fortiũ.
Cõparatio. Et ideò sicut milites mundi audiunt & legunt libenter libros historiarum, in quibus inueniuntur probitates antiquorũ militum: ità & milites Christi libenter legũt & audiunt libros sacros, vt ex gestis probatissimorum patrum, quæ narrantur in eis, animentur & roborentur. Gregorius: Scriptura narrat gesta sanctorum, & ad imitationem prouocat corda infirmorũ, dumque illorum victricia commemorat, contra vitiorũ prælia, debilia nostra con-
4. fortat. Quartò, valet ad cauẽdum dæmo-
Sacra lectio est quasi alueus. num insidias. Est enim sacra lectio sicut alueus, per quem fluit aqua, in qua solent resultare imagines auium rapaciũ: & ideò viri sancti libenter legunt in libris sanctis, vt intuentes in eis fallacias dæmonum meliùs caueant. Cantic. quinto: Oculi eius, scilicet viri sancti, sicut columbæ super riuos aquarum, quæ resident super fluenta plenissima. Glo. Solent columbæ iuxta fluenta residere, vt volantium auium in aqua vmbram videant, & sic vngues vitant: sic sancti in scripturis fraudes dæmonũ prospiciunt, & ex deceptione quam attendũt, quasi ex vmbra hostem cognoscunt & fu-
5. giunt. Quintò, valet ad sui cognitionem.
Scriptura est speculũ. Est enim scriptura sacra quasi speculum, in quo cognoscit quis semetipsum. Et ideò sicut dominæ magnæ quotidiè se respiciunt in speculis, sic & sancti in scripturis. Gregorius: Scriptura sancta oculis mentis quasi speculum quoddam opponitur, & interior nostra facies in ipsa videtur. Ibi fœda nostra & pulchra nostra cognoscimus: ibi sentimus, quantùm proficimus, & à profectu quantùm longe distamus.

Sextò, valet ad commorãdum cum Deo.
6. Nam in lectione auditur Deus loquens.
Quã Deum audiamus vel alloquamur. Ambrosius: Christum alloquimur, dum oramus: ipsum audimus, cùm diuina oracula legimus: & videtur, quia videmus nunc ipsum per speculum scripturarum, primæ Corinthiorum decimotertio. Et Isidorus: Qui vult cum DEO esse, frequenter oret & legat. Nam cùm oramus, ipsi cum Deo loquimur: cùm verò legi-
Exemplum mus, nobiscum loquitur. Et in Vitis patrum legitur de fratre, qui ait: Surgite, osculamini monachos. sancta enim sunt ora eorum, & sæpè loquuntur cum Deo. Et ideò viri sancti libenter morantur iuxta libros, vbi sunt cum Deo. Septimò, valet ad animæ refectionem. Sunt enim di- 7. Libri, sunt
uini libri, quasi loca pascualia vberrima. pascua.
Psal. In loco pascuæ ibi me collocauit. Psal. 22.
Glo. Intelligẽtia diuini sermonis. Et ideò deuotæ animæ libenter in eis morantur, sicut animalia in locis pascualibus. Isidorus: Scripturarum altitudo mõtes pascuæ sunt, ad quos cùm quisque iustorum conscenderit, pascuæ indeficientis refectioné
inueniſſe se gaudet. Octauò, valet ad salu- 8. Scriptura
taria remedia. Diuina enim scriptura, est est quasi
quasi apotheca specierum salutarium & apotheca.
odoriferarum. Et ideò sapientes libenter ad eam recurrunt pro salute & recreatione. Ambrosius: Sacra scriptura salutem suggerit: vitæ odorem fragrat, vt suauitatem legens capiat, non præcipitij crimen
incurrat. Nonò, valet ad consolationem 9.
in tribulatione. Sunt enim in libris sanctis multę consolationes pro bonis. 1. Machab. 12. Habentes solatio libros sanctos in manibus nostris. Et ideò sancti viri, cùm frequenter tribulationes in hoc mundo patiuntur, recurrunt ad libros freqũter quasi ad solatium. Gregorius: Ad consolationem vestram sacra scriptura præparata est. Tanto ergò debemus magis legere, quanto nos conspicimus sub tribulationũ
fasce lassari. Decimò, valet ad vires animę 10.
replendas. Libri enim aliarum sciẽtiarum, Diuinorum
licèt illuminent intellectum, non tamen librorum
accendunt affectum. Diuini verò libri v- ad alios
trunque faciunt. Isidorus: Geminum con- commen-
fert donum lectio scripturarum sacrarum: datio.
siue quòd intellectum mentis erudit, siue quòd à mundi vanitatibus abstractum ho-
minem, ad amorem Dei perducit. Vnde- 11.
cimò, valet ad necessaria in vita præsentis peregrinationis cognoscenda, & prudenter prosequenda. Omnia enim hæc docet lectio sancta. Isidorus: Lectio docet, quid caueas: lectio ostendit, quò tendas: lectione sensus augetur & intellectus. Duode- 12.
cimò, valet ad carnalia desideria refrenanda. Hieronymus: Ama sacras lectiones, & carnis delicias non amabis. Præterea notandum, quòd ex hoc, quòd sanctus pater ait, lectiones sanctas libenter esse audiendas, non est intelligẽdum, voluisse omninò excludere, quin monachi possint alias
artes siue scientias ad intelligentiam sacræ Quõ lectio
scripturæ conducentes siue manuducentes exterarum
legere: sicut sunt Grammatica, Logica, sciẽtiarum
Rhetorica, & Philosophia. Omnes sancta dica-
enim huiusmodi scientiæ, ex ordi- tur.
ne & intentione huiusmodi, possunt dici sanctæ.

TRA-

TRACTATVS XLII.

De instrumento lvij. in quo de vtilitate orationis.

QVinquagesimum septimum in-
strumentum est: *Orationi frequẽter incumbere.* Post exhortationẽ
lectionis sacrarũ literarum,
subdit exhortationem orationis. Et meri-
tò: quia cùm, teste Ioanne Damasceno, ora-
tio sit ascensus mentis in Deũ: oratio pro-
culdubiò dispositio maxima est ad lectio-
nem. debet enim oratio lectionem præue-
nire. Iaco. 1. Si quis indiget sapientia, po-
stulet à Deo. Augustinus: Oratione sol-
uuntur dubia meliùs, quàm inquisitione.
Hortatur ergò meritò sanctus pater disci-
Assidua debet esse oratio. pulum suum frequenter orare. Vndè ad-
dit, *frequenter*: Tum, quia multũ valet de-
precatio iusti assidua, Iaco. vltimo. Tum,
quia miles non debet scutum orationis de-
ponere, dum bellum durat. Bellum autem
durat, dũ durat vita præsens. Militia enim
est vita hominis super terram, Iob septi-
mo. Item dum durat periculum, necessa-
rium est Dei adiutorium: & ideò in orati-
one est inuocandum. Dum durat miseria,
inuocãda est Dei misericordia. Vndè Apo-
stolus 1. ad Thess. 5. Sine intermissiõe ora-
Oratio valet ad multa. te. Circa orationem in præsenti loco no-
tandum, quòd oratio ad multa valet, pro-
pter quæ meritò frequenter est incumben-
1. dum illi, vt ait sanctus pater. Primò enim
placat Deum. Exodi 32. Moyses orabat, di-
cens, &c. sequitur: Placatusq; est Domin⁹.
Augustinus: Magna est virtus puræ ora-
tionis, quæ quasi quædam persona ad De-
um intrat, & mandatum peragit: quò caro
peruenire nequit. Item Hieronymus: Ora-
tio Deum lenit, lachrymas cogit: hæc mi-
tigat, illa pungit. Item super Ezechielem
libro 10. Sicut hosti murus opponitur, &
aduersario exaduersò venienti occurritur,
ità Dei sententia sanctorum precibus fran-
gitur. Vndè Moysi dicitur: Dimitte me, vt
Exod. 32. irascatur furor meus cõtra populum istũ.
2. Secundò, peccatorum veniam impetrat.
2. Reg. 12. Dauid postquàm orauit, audi-
uit: Dominus abstulit peccatũ tuum à te.
Et Matt. 18. Serue nequã, omne debitum di-
3. misi tibi, quoniam rogâsti me. Tertiò, ten-
Figura de virtute orationis. tationis impetum sedat. In cuius figurã di-
citur Num. 2. Orauit Moyses, & absorptus
est ignis. Et Lucæ 22. Vigilate & orate, nè
intretis in tentationem. Isidor. Hoc est re-
medium ei qui vitiorum tentamentis æstu-
at, vt quotiès quolibet tangitur vitio, toti-
ès se ad orationem subdat: quia frequens
oratio, vitiorum pugnationem extinguit.
4. Quartò, oratio sanat morbos spirituales
animæ. Iacobi vltimo: Infirmatur quis ex
vobis? Inducat presbyteros ecclesię, & orẽt
super eum: & si in peccatis fuerit, dimittẽ-
tur ei. Hierony. Ieiunio sanantur pestes
corporis, oratione pestes mentis. Quintò, 5.
valet ad curationem infirmitatum corpo-
ralium. Ecclesiastici 18. Fili, in tua infirmi-
tate nè despicias teipsum, sed ora Deum, &
ipse curabit te. Iacobi vltimo: Oratio fidei
sanabit infirmum. Sextò, vitam prolon- 6.
gat. Isa. 38. dictum est regi Ezechiæ: Audi-
ui orationem tuam, & vidi lachrymas tu-
as: & eccè ego adijciã super dies tuos quin-
decim annos. Septimò, valet ad effugan- 7.
dum dæmones. Tobiæ sexto legitur, quòd
per orationem fugatus est dæmon ab vxo-
re Tobiæ iunioris. Item Matthæi 17. &
Mar. 9. Hoc genus dæmoniorum non eij-
citur, nisi oratione & ieiunio. Legitur in
Vitis patrum, quòd per orationem vnius, Exemplum
impeditus est vnus dęmon per magnũ tem-
pus, (quem Iulianus in Persidem mittebat)
nè transiret. Octauò, valet ad victoriam
habendã de hostib⁹. Exo. decimoseptimo: 8.
Cùm leuaret manus Moyses, vincebat Isra-
el. Iudith 4. Memores estote Moysis serui
Dei, qui Amalech non ferro pugnando,
sed precibus sanctis deiecit. Glo. super lib.
Num. Plus valet vnus sanctus orãdo, quàm
innumeri peccatores præliãdo. Oratio san-
cti cælum penetrat: quomodò in terris ho-
stes non vincat? August. super Apoca. ho-
mil. 10. Quotiès persecutiones irrogantur
Ecclesiæ, sanctorum orationibus aut mo-
uentur, aut temperantur. Nonò, oratio li- 9.
berat in periculis tribulationum. Psalm.
Ad Dominum, cùm tribularer, clamaui, &
exaudiuit me. Et Ambros. Bonum scutũ
oratio, quo omnia aduersarij spicula repel
luntur. Vndè Psal. Inimici mei detrahebãt
mihi, ego autem orabam. Chrysost. de re-
paratione lapsi: Oratio Ecclesiastica & cõ-
tinua soluit Petrum à vinculis, & Pauli di-
latauit prædicationis fidutiam. Oratio ca-
minum ignis extinxit, Oratio cõclusit ora
leonum, Oratio sterilem fœcũdauit, Ora-
tio Cornelij cælos penetrauit, Oratio pu-
blicanum iustificauit. Hæc Chrysostom.
Vndè vltimum refugium in omni necessi- Vltimum in necessitate refugium.
tate, cùm alia remedia desunt, est oratio
ipsa. 2. Paral. 20. Cùm ignoramus quid age-
re debeamus, hoc solum habemus residui,
vt oculos nostros ad te dirigamus. Deci- 10.
mò, valet oratio ad impetrandum bona.
Matth. 21. Omnia quæcunque petiẽritis in
oratione, credẽtes accipietis. Et Luc. 11. Pe-
tite, & dabitur vobis. Vndecimò, oratio 11.
familiaritatem Dei confert. Psal. 144. Pro-
pè est Dominus omnibus inuocantibus eũ.
Et Bernardus in epistola quadam: Oratio
est hominis Deo adhærentis affectio, & fa- Pulchra orationis definitio.
miliaris quædam & pia allocutio, & statio
illu-

illuminatæ mentis ad seruiendum Deo, quandiù licet. Item Effrem in libro de luctaminibus seculi: Orationes sanctæ & puræ, confabulationes & colloquia Dei sunt: & magna exultatione ad Dominum in cælum ascendunt. Angeli & archangeli cum gaudio eis occurrunt, & suscipientes eas, vsque ad thronum gloriæ Dei sancti
12. perducunt. Duodecimò, oratio totam curiam cælestem quasi quadam redolentia delectat. Apoc. 5. Habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Chrysostomus super Matthæum: Sicut thymiama benè confectum, delectat hominem odorantem: sic oratio iusti suauis est ante Deum. Vis autem scire dignitatem eius? mox vt de ore processerit, suscipiunt eam angeli manibus suis, & offerunt ante Deum.

Magna orationis commendatio.

TRACTATVS XLIII.

De lviij. instrumento: vbì de pœnitentia.

QVinquagesimumoctauum instrumentum est: *Mala sua præterita cum lachrymis vel gemitu quotidiè in oratione Deo confiteri, & de ipsis malis decætero emendare.* Meritò sanctus pater inter instrumenta bonorum operum, pœnitentiam annumerat. Tum quia post lapsum est vnica via perueniendi ad Deum. Augustinus in homilia de Pœnitentia: Nullus hominum transit ad Christum, vt incipiat esse quod non erat, nisi per pœnitentiam. Vndè secunda tabula est post naufragium in mari magno huius seculi, vt dicit Hieronymus. Quarè Lucæ 13. dicit Saluator: Si pœnitentiam non egeritis, simul omnes peribitis. Tum secundò, quia pœnitentia ad regnum conducit cælorũ. Matth. 3. Pœnitentiam agite: appropinquabit regnum cælorum. Chrysost. in sermone de Pœnitentia: O pœnitentia, quæ peccata, Deo miserante, relaxas: paradisum reseras, contritum sanas, tristem exhilaras, vitam de interitu reuocas, statum restauras, honorem renouas, fidutiam reformas, & gratiam abundantiorẽ recuperas. Est autem hic notandum, quòd sanctus pater Benedictus septem conditiones tangit in hoc instrumento, quas necessariò pœnitentia vtilis & fructuosa debet habere. Prima est, quòd sit integra, quod notatur, cùm
1. ait, *mala*. In hac enim generalitate cunctæ includuntur species peccatorum: de quibus omnibus pœnitere necessè est. Impossibile quidem est, vnum remitti sine alio. Augustinus lib. de Pœnitentia: Sunt plures, quos pœnitet peccâsse, sed non omninò: reseruantes sibi quædam, in quibus delectentur; non animaduertentes Dominum simul mutum & surdum à dæmonibus liberâsse: per hoc docens, nunquàm nos nisi de omnibus sanari. Et ideò Ezech. 18. dicitur: Conuertimini, & pœnitentiam agite ab omnibus iniquitatibus vestris.

Pœnitentia meritò annumeratur inter bonorũ operum instrumenta.

Pœnitentiæ laus.

Sanctus pater Benedictus septem pœnitentiæ necessarias conditiones ponit.

Secunda est, quòd sit humilis & accusa- 2.
toria: quod notatur, cùm dicitur, *sua*. Debet enim penitùs propria peccata, non aliena, confiteri: & sibijpsi, & non alteri, illa ascribendo, secundùm illud psal. 31. Dixi, confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino. Et 2. Reg. 24. Ego sum qui peccaui, ego sum qui iniquè egi. Et Pro. 18.
Iustus prior accusator est sui. Tertia est, 3.
quòd sit dolorosa: quod notatur, cùm dicitur: *cum lachrymis vel gemitu*. Pœnitentia autẽ vera, vt ait Ambrosius, est dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis quæ quisque cõmisit. Hinc propheta ait Psal. 6. Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum meum rigabo. Meritò habendus est magnus dolor & gemitus cordis de peccato commisso: Tum, propter offensæ diuinæ maiestatis celsitudinem: Tum, ob diuinæ legis transgressionem: Tum, ob impiam abusionem beneficiorum Dei: Tum, ob damnosam separationem à Deo: Tum, ob ignominiosam captiuitatem sub dæmonibus: Tum, propter peccatorum vilitatem: quæ omnia concurrunt in peccato mortali. Quarè Hiere. 6. dicitur: Filia populi mei, accingere cilicio, & conspergere cinere. Glo. Docet vt conuertantur ad pœnitentiam. luctum fac tibi vnigeniti: hoc dicit ad designandum magnitudinem doloris, qui habendus est pro peccato cõmisso: quia (vt ait Glo.) nihil ampliùs dolemus, quàm vnigenitum vel solum perdere filium. Considerandum, quòd notanter inquit sanctus pater, *cum lachrymis vel gemitu* confessionem faciendam esse peccatorum: quia non semper excuti possunt lachrymæ corporales. Sufficit autem ad pœnitentiam ipse gemitus cordis. Augustinus in lib. de Pœnitentia: Rectè pœnitens, quicquid post purificationem cõtraxit sordium, oportet vt abluat saltem la-
chrymis mentis. Quarta est, vt sit conti- 4.
nua: quod notatur, cũ dicitur, *quotidiè*. De quo August. lib. de Pœnitentia: Dolor in pœnitentia quotidiè custodiatur. Item: Quid restat nobis, nisi dolere in vita? Vbi enim dolor finitur, deficit pœnitentia. Bernar. in serm. de Pœnitent. Verus pœnitens, semper est in labore & dolore: dolet de præteritis, laborat de futuris cauendis. Vera siquidẽ pœnitentia est, sine intermissione temporis de peccatis dolere: sic plangere commissa, nè cõmittat plangenda. Vndè dicebat abbas Felix, vt habetur in Vitis patrũ: Sicut vmbrã corporũ circũferimus,

Pœnitentia vera.

Meritò dolendum est de peccato, propter multa.

Necessariæ sunt ad pœnitentiam lachrymæ saltem cordis.

Exemplum de cõtinuo dolore pœnitentiæ.

sic compunctionem debemus circunferre. Hinc, vt beatus Greg. testatur in Moralibus, mentes fidelium sine amaritudine esse nesciunt. Est tamen notandũ, quòd pœniture contingit dupliciter: vt dicit sanctus Thomas in tertia parte, q. lxxxiiij. art. 9. videlicet, secũdùm actum, & secundùm habitum. Actu quidem impossibile est, quòd homo continuè pœniteat: quia necesse est, quòd actus pœnitẽtis, siue interior, siue exterior, interpoletur, ad minùs somno & alijs, quæ ad necessitatem corporis pertinent. Alio modo dicitur pœnitere, secundùm habitum. Et sic oportet, quòd homo continuè pœniteat. Et quantùm ad hoc, quòd homo nunquã aliquid contrarium faciat pœnitentiæ, per quod habitualis dispositio pœnitentis tollatur: & quantùm ad hoc, quòd debet in proposito gerere, quòd semper peccata præterita

Pœnitere contingit dupliciter.

5. displiceant. Quinta cõditio est, vt sit satisfactoria: quod notatur, cùm dicitur, *in oratione*. Oratio aũt, vna est pars satisfactionis. Ait enim B. August. super psal. 42. Hęc est enim, inquit, iustitia hominis in hac vita: oratio, ieiuniũ, & obedientia. Vis orationem volare ad cælum? Fac ei duas alas, ieiunium & eleemosynam. Debet aũt pœnitens satisfacere de commissis. Nam, vt ait Isidorus libro etymologiarũ: Pœnitentia est appellata, quasi punientia: eò quòd homo in se pœnitendo punit, quod malè admisit. Et Augustinus in quadam epistola: Hoc est opus pœnitentis, vt id mali quod fecit, impunitũ esse nõ sinat. Ioelis 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro. Et sequitur: Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Lucæ 3. Facite dignos fructus pœnitentiæ. vbi Glo. interlinearis dicit, id est, vindictam pro qualitate culpæ.

Etymologia pœnitentiæ.

6. Sexta est, quòd sit rectè ordinata: quod tunc fit, quandò non propter imminentia supplicia aut incommoda temporalia, sed propter offensionem diuinæ maiestatis & culpæ vilitatem, peccâsse pœnitet: quod notatur, cùm dicitur, *Domino*, Psal. 31. Dixi, confitebor iniustitiã meã Domino, id est, ad iustitiam Dei. Iosue 7. Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere.

Pœnitentia rectè ordinata.

7. Septima est, vt vera, & nõ simulata, sit: quod tangitur, cùm dicitur: *Et de ipsis malis decaterò emendare*, id est, in posterũ ipsa mala non reiterare, siue iterùm nõ committere. Hoc quippe vera peccatorum confessio requirit. Greg. Vera pœnitentia est, anteacta deflere, & deflẽda iterùm nõ cõmittere. Nam qui sic alia deplorat, vt tamẽ alia cõmittat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat. Et Amb. Pœnitentia est, & mala prętérita plangere: & plangẽda, iterũ nõ cõmittere. Isidorus de summo bono: Multa lachrymas indesinenter fundunt, & tamen peccare non desinunt. Sed irrisor est, non pœnitens, qui adhuc agit, propter quod pœnitet: nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus. Canis reuersus ad vomitum, est peccator rediens ad peccatum. Bernardus in sermone de Pœnitentia: Si ergò vis verus pœnitens esse, cessa à peccato. Noli amplius peccare, quia inanis est pœnitentia, quam sequens coinquinat culpa.

Homil. 34. in Euange.

Greg. ibid. & libro 9. epist. 39. lib. 2. ca. 16.

Inanis pœnitentia.

TRACTATVS XLIIII.

De lviij. & lix. instrumentis: vbì de non perficiendis desiderijs carnalibus, & de odienda propria voluntate.

QVinquagesimumnonũ instrumentum est: *Desideria carnis non perficere*. Vt ait Cassiodorus, desideria carnis, sunt delectationes, quas caro suggerit. Augustin. libro de Symbolo: Ad desideria carnis pertinent illecebræ voluptates. Talia non sunt perficienda, vt ait sanctus pater, id est, consensu voluntatis opere adimplenda: quod hortatur Apostolus ad Roman. 13. dicens: Curã carnis nè feceritis in desiderijs: Glo. illicitis. Et ad Galat. 5. inquit: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.

Desideria carnis.

Vbi notandum, vt ait Glo. quòd non ait, non habueritis: quia non habere desideria carnis, non poterant: sed inquit, non perficietis, id est, non opera eorum consensu voluntatis implebitis. Vndè Augustinus de verbis Apostoli super illud, Non regnet peccatum &c. inquit, Non dicit, Noli habere desideria mala. Quomodò enim in hac carne mortali, vbi caro concupiscit aduersùs spiritum, & spiritus aduersùs carnem, non habes desideria mala? Illud ergò fac, vt non regnet peccatum in tuo mortali corpore ad obediendum desiderijs eius: &, si sunt desideria, non eis obediatur, nè iniquitas dominetur. Causam autem, quarè desideria carnis perficienda nõ sunt, Apostolus Petrus assignat, dicens: Charissimi, obsecro, vos tanquàm aduenas & peregrinos abstinere à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersùs animam, id est, continuè pugnant. Quia caro concupiscit aduersùs spiritum, & spiritus aduersùs carnem, ad Gal. 5. Vbi notandum, quòd desideria carnis militant aduersùs animam multipliciter.

Impossibile est non habere desideria mala, sed perficienda non sunt.

Rom. 6.

1. Pet. 2.

Desideria carnis militant aduersùs animam multipliciter.

Primò, contra bonum naturæ: & hoc, quãtùm ad intellectũ, quia venter pinguis sensum hebetẽ facit. Eccl. 2. Proposui à vino abstrahere carnem meam, vt animum transferam ad sapientiam. Glo. Ebrietas 1.
animi vigorẽ mutat. Secundò, quantùm 2.
ad

ad effectum, quia quasi in naturã pecoris, hominem vertunt per assimilationem. Psalm. 48. Comparatus est iumentis insipi-
3. entibus, & similis factus est illis. Tertiò militant contra bonum gratiæ: quia qui in carne sunt, Deo placere non possunt, ad Romanos 8. id est, Qui post concupiscentias carnis eunt, & carnis voluptatibus delectantur, Deo placere non possunt.
4. Quartò militant contra bonum gloriæ, quia ducunt ad æternam mortem. Isa. vigesimoquarto: Amara est potio bibentibus illam. Ducit enim potio desideriorum carnalium, ad sempiternam amaritudinem. Dicit beatus Gregorius: Quid insanius, quàm pro momentanea delectatione æternis se pœnis obligare? Optimè ergò consulit sanctus pater discipulo suo, vt carnis desideria non perficiat. Quinquagesimumnonum instrumentum est: *Voluntatem propriam odire*. Propria volũtas odio habenda, dicitur singularis aut priuata, quam nec lex Dei approbat, nec patrum authoritate firmatur. Vndè Bernardus in sermone de lepra: Voluntatem dico propriam, quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantùm, quandò quod volumus, non ad honorem Dei, non ad vtilitatem fratrũ, sed propter nosipsos facimus, non intendentes placere Deo, & prodesse fratribus, sed satisfacere proprijs motibus animorum. Talem propriam voluntatem odire meritò sanctus pater discipulum suum docet. Vbi notandum est, quòd quatuor rationibus propria voluntas est odienda. Prima est, quia est inimica Deo. Bernardus in sermone prædicto:
1. Hæc enim aduersùs Deum inimicitias exercet, & guerram crudelissimam. Et paulò pòst: Porrò voluntas propria, quæ furore Dominum maiestatis impugnet, audiant & timeant serui propriæ voluntatis: Primò subtrahit semetipsum, & subducit eius dominatui, cui tanquàm authori seruire iure debuerat, dum efficitur sua. Sed addit adhuc: Et quantùm in se est, omnia quoq; quæ Dei sunt, tollit & diripit. Quem enim modum imponit sibi humana cupiditas? Dico fidutialiter: nemini qui sit in propria voluntate, posset mundus vniuersus sufficere. Ipsum aũt etiam, quantùm in ipsa est, Deum perimit voluntas propria. Omninò enim vellet Deũ peccata sua aut vindicare nõ posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergò eum non esse Deum: quæ, quantùm in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut iniustũ esse, aut insipientem. Hæc Bernardus. Hierony. in epistola: Tantùm virtutũ adijcies, quantũ propriæ voluntati subtraxeris. Propria voluntas Deũ impugnat, & aduersùs eũ extollitur. Ipsa est, quæ paradi-
2. sum expoliat, infernũ ditat. Secũda ratio, quia omnia bona opera priuat precio & virtute sua, & meritum euacuat. Bern. super Cant. Grande malũ propria voluntas, Serm. 71. qua fit, vt bona tua, tibi bona non sint. Etenim si in die ieiunij mei inueniatur volũtas mea, non tale ieiuniũ elegit spõsus, nec sapit illi ieiuniũ meũ, quod non liliũ obedientiæ, sed vitiũ propriæ volũtatis sapit. Ego aũt nõ solùm de ieiunio, sed de silentio, de vigilijs, de oratione, de lectione, de opere manuũ, postremò de omni obseruãtia monachi, vbi inuenitur voluntas sua in eo, & non obediẽtia magistri sui, idipsum sentio: minimè prorsùs obseruantias illas, (etsi bonas in se) tamen inter virtutes censuerim deputandas. Tertia ratio, quia est contraria perfectioni religionis. Eusebius 3.
in epistola: Illum diem tantùm te benè vixisse puta, in quo voluntatẽ propriam abnegâsti, & desiderijs tuis restitisti. Quarta 4.
ratio, quia sicut ex cõmuni voluntate multa bona sequũtur, ità ex propria vniuersa mala & scãdala oriũtur. Bernar. in sermone Paschæ: Volũtatẽ qdem propriã dimittẽtes, nihil amittimus, immò & lucramur plurimùm, commutantes illã in melius, vt cõmunis fiat, quę propria fuit. Porrò communis voluntas, charitas est. Via peccatorũ est propria voluntas, quæ est superbia, ex qua omnia mala, sicut ex cõmuni sunt bona. Vndè enim sunt scãdala, nisi ꝙ propriã sequimur voluntatẽ? Bernar. super Cant. Sicut propria voluntas Dei, fons & origo est totius boni: ità propria volũtas hominis, totius mali est exordiũ. Anselmus libro de similitudinibus: Propria voluntas, est velut regina adultera, quæ se cuidam regi adultero coniunxit, id est, diabolo, ex quo tres filios genuit, scilicet delectationẽ, curiositatẽ, & exaltationẽ. Ex his verò tot alij filij & nepotes sunt geniti, vt numerari nõ possit eorũ exercitus. Ex delectatione nãq; nascitur luxuria, adulteriũ, fornicatio, ventris ingluuies, immunditia, ebrietas, & alia huiusmodi: Ex curiositate, inquietudo, susurratio, detractio, & huiusmodi: Ex exaltatione verò, inanis gloria, inuidia, tristitia, auaritia, & alia huiusmodi. Quinta 5.
ratio est, quia est crudelis & duræ conditionis. Bernardus: Nullum aliud onus grauius ipsi homini, quàm propria voluntas. Quis enim tam nequã dominus, quis adeò crudelis tyrannus, qui non multo ampliùs subiecto sibi seruulo parcat, quàm hominis ipsius propria volũtas? Nunquàm quiescere, nunquàm sub ea pausare licet. Quo te ampliùs ad obediendum sibi nouerit fatigari, eo ampliùs vrget: quo magis instigat, eo grauiùs onerat, tanquàm crudelis absque pietate & sine misericordia.

Quæ sit propria voluntas odio habenda.

Serm. 5. de resurrect. Domini.

Quatuor rationibus odienda est propria voluntas.

Magna proprię voluntatis execratio.

In omni etiam bono opere ascribitur non inter virtutes, quod propria voluntate monachus facit.

Serm. 2. de resurrect. Domini.

Similitudo de propria voluntate, & eius fructibus.

Nihil durius propria voluntate.

TRACTATVS XLV.

De lx. & lxj. instrumentis: vbi, quòd obediendum sit etiam malis Prelatis: & de iactantia fugienda.

Sexagesimum instrumentum artis spiritualis, est: *Preceptis abbatis in omnibus obedire: etiam si ipse aliter (quod absit) agat: memor illius Dominici precepti: Quæ dicunt, facite: quæ aūt faciunt, facere nolite.* Quia per obedientiam propria volūtas mactatur, vt ait B. Greg. rectè sanctus pater post odium propriæ voluntatis, de obedientia subiungit, dicens, Obediendum esse præceptis abbatis in omnibus. ad Col. 3. Filij, obedite parentibus per omnia. hoc enim placitum est Domino. Glosa: Placet Deo, si per omnia obeditis: ita tamen, si in Domino obeditis. Vbi notandum, quòd sicut actiones naturales procedunt ex potentijs naturalibus, ità etiam operationes humanæ procedunt ex humana voluntate. Oportuit autem in rebus naturalibus, vt superiora mouerent inferiora ad suas actiones, per excellentiam naturalis virtutis collatæ diuinitùs. Vnde etiam oportet in rebus humanis, quòd superiores moueant inferiores per suam voluntatem ex vi authoritatis diuinitùs ordinatæ. Mouere aūt per rationem & voluntatem, est præcipere. Et ideò, sicut ex ipso ordine naturali diuinitùs instituto, inferiora in rebus naturalibus necesse habent subdi motioni superiorum: ità etiam in rebus humanis, ex ordine iuris naturalis & diuini, tenentur inferiores suis superioribus obedire. Quarè dicit Apostolus ad Heb. 13. Obedite prælatis vestris, & subiacete illis. Sunt autem circa hoc instrumentum notanda tria. Primò, de his, quæ obedientiæ iuuant. Secundò, de his quę aduersantur obedientię. Tertiò, de partibus obedientiæ. Circa primum notandum, quòd quinque sunt quæ solent valere ad hoc, quòd aliquid sit magis tractabile vel flexibile: & similia his, valent ad hoc, quòd cor alicuius sit magis obediens.

1. Primum est, separatio rei ab aliqua re minùs flexibili, cui adhærebit: vt patet in corio adhærenti ligno, quod flecti nō potest, nisi à ligno separetur. sic oportet ad hoc, quòd aliquis perfectè obediens fiat, vt voluntatem suam separet ab omni re temporali, & etiam recolligat, vt habeat eam paratam, quandò mandatum superioris venerit, secundùm illud Prophetæ in psalm. Paratus sum, & non sum turbatus. Item: Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Bernardus: Paratum ad sublimia, paratum ad vniuersa quęcunque præceperis. Augustinus: Verus obediens mandatum non procrastinat, sed parat aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri: & sic totum intra se colligit, vt mandatum peragat imperantis. Vt Abraam magis obediens esset Deo, Dominus voluit eum separari ab omni re tēporali, dans ei tria præcepta. Quorum primo voluit eum separare ab his, à quibus ortum duxerat. Genesis 12. Egredere de terra & de cognatione tua, & de domo patris tui. Secundo, à seipso, quantùm ad carnalia desideria. Genesis 17. Circuncidetur ex vobis omne masculinum. Circuncisio in carne facta, monebat ad resecationem desideriorum superfluorum carnalium: ideò fiebat in membro, in quo maximè concupiscentia sæuit. Tertio, ab eo, quod ortum duxerat ab ipso. Genesis 22. Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, &c.

2. Secundum, valens ad tractabilitatem, est exilitas, vt patet in virga, quæ propter exilitatem flexibilis est: etiam ferrum si fit tenue vel exile, flecti potest: sic exilitas humilitatis, multùm valet ad obedientiam. Ideò Apostolus loquens de obedientia Christi, præmittit de eius humilitate, dicens: Humiliauit semetipsum, & cætera, Philip. 2. August. 13. lib. de ciuitate Dei: Obedientia nisi humiliū esse nō potest. Cū humilitas sit sensus propriæ vacuitatis, humilis habet vnde sensum alienū recipiat, tanquàm qui vacuus est à suo. Et qui sensum alienum recipit, nisi sit apertè malus, recipit alienam voluntatem, & sic fit obediens. Superbus priùs exibit de sensu suo, quàm recipiat sensum alienum, vel alienam voluntatem, & fiat verè obediens. Prou. 26. Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens. Cibus, in quo nimis est de sale, quasi perditus est: faciliùs sal cibo additur, quàm subtrahitur: sic ille, in quo proprius sensus nimis abundat, non est aptus religioni. Vndè faciliùs homo simplex religiosus efficitur, quàm homo stultus.

3. Tertium, est alicuius liquoris admixtio: vt pellis dura vngitur, vt sit tractabilior, & terræ durę aqua misceatur. Similiter vnctio gratiæ necessaria est, vt eo magis tractabile fiat: ideò qui in religione est, frequenter Deo debet supplicare in oratione, vt obediendi ei gratiam tribuat: & prælato suo gratiam iniungendi ei id, quod magis Deo placet, inspiret. Augustinus libro Confessionum: Domine, continentiam iubes? da quod iubes, & iube quod vis. A simili debet dicere religiosus Deo: Obedientiam iubes? da quod iubes, & iube quod vis.

4. Quartū, est calefactio, vt patet in cera, quæ calefacta, tractabilior est; & in metallis quæ ad ignem liquefacta formā rei, cui infunduntur, faciliùs

Matth. 23.

Pulchra ratio, quòd superiores sint, quibus obedire debemus.

Quinque faciunt aliquid tractabile: & similiter obedientem.

Psal. 118.

Psal. 56.

Veri obedientis conditiones.

Tangit rationem de circuncisione.

Humilitas multùm valet ad obedientiam.

Nimis sapiens, non est aptus religioni.

Accendendum est cor ad obedientiam: & ex quibus.

lius recipiunt: sic accendendum est cor hominis ad obediendum, ostensione beneficiorum iam acceptorũ, generalium & specialium. Item ostensione beneficiorũ promissorum. Accendendus est insupèr ignis diuini amoris in corde viri religiosi, maximè à cõsideratione diuini amoris, quem

Phil. 2.

Christus habuit ad nos, quandò pro nobis factus est obediens vsq; ad mortem crucis, qui dicit Luc. 12. Ignẽ veni mittere in terram: & quid volo nisi vt ardeat? Cogitãda autem sæpenumerò hæc dignatio summa: dignatio, qua Dei filius pro nobis obedire voluit patri vsque ad mortẽ crucis: vt confundatur omnis arrogans & rebellis, qui etiam in leuibus, quæ ei ex parte Dei iniunguntur, obedire recusat. Valet etiam ad hanc obedientiæ accensionem consideratio culparum commissarum & pœnarum, quæ ex his debentur. Bernardus: O si cognouisses, quàm multa & quàm multis debes, videres quòd nihil est, quod facis.

Quomodò nihil sit, quicquid facimus.

Primò debes Christo totam vitam tuam, quia ipse pro tua posuit suam. Secundò exigũt peccata mea totam vitam meam, vt faciam fructus dignos pœnitẽtiæ, & recogitẽ omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Quòd si tertiũ debitorem ostendam, qui eum vendicet sibi: puto quòd desideres gloriã, quam oculus non vidit &c. Nónne ad hoc emendum totum te, & quicquid poteris, dare oportebit? Et cũ omnia compleueris, non sunt condignæ passiones huius temporis ad futurã gloriã, quæ reuelabitur in nobis.

Rom. 8.

Quartò conditori debes quod es, à quo totum habes: qui te fecit, & benè fecit: & cũcta ministrat. cui horum proponis reddere quod debes? Itẽ valet ad accendendum cor ad obediendum, misera seruitꝰ, in qua remanet qui nõ proficit: & libertas atque consolatio, ad quæ peruenit qui proficit. Prouerb. 12. Manus fortium dominabitur: quæ autem remissa est, tributis seruiet. Hostes hominis remissi, quotidiè aliquid acquirunt super eum, & sic in duram seruitutem eum ponunt. Homo remissus semper habet pugnam, & nunquàm victoriam, nec promissam vincenti lætitiam. Apocal. 2. Vincenti dabo manna abscõditum.

5.

Quintum, est assuefactio: exemplo equi durioris, qui assuefactionibus freni & circunuolutionibus eius flexibilis efficitur ad voluntatem sessoris. Prouerb. 21. Equus paratur ad diem belli: Dominus autẽ tribuet salutẽ.

Religiosus equo comparatur.

Equus, est religiosus: cui nisi obedientiæ frenum impositum sit, factus indomitus, in præcipitium damnationis iturus est.

Exemplũ.

Quarè in Vitis Patrum Antonius præcipiebat Paulo Simplici eremitę suere & dissuere vestes, & sportulas texere & posteà frangere, volens voluntatem ipsius flexibilem & obedientem facere. Circa secundum notandum, quòd obedientiæ, proprius sensus & propria voluntas, specialiter aduersantur.

Sensus proprius quis sit.

Sensus proprius est, qui non est communis. circa quem repræhensibile est, si à socijs non sit suasibilis: repræhensibilius verò est, si non sit subiectus ei qui tenet locum Dei: maximè repræhẽsibile est, si Deo non sit subiectus. Determinãdus est sensus proprius potiùs respectu superioris, quàm respectu inferioris. Sicut enim non dicitur prælatus proprietarius, quantùm ad bona temporalia, si non disponat de illis ad volũtatem eius, qui inferior est: sic nec dicendus est proprietarius, quãtùm ad sensum, si sensus eius non sit subiectus sensui inferioris.

Proprius sensus periculosus est in religioso.

Proprius sensus, valdè periculosus est ei, qui in religione est. Bernardus in sermone: Lepra proprij consilij eo perniciosior, quo occulta: & quanto plùs abundat in homine, tanto sibi sanior esse videtur. Hæc illorum est, qui zelũ Dei habent, sed non secundùm scientiam: sequentes errorem suum, & obstinati in eo, ità vt nullis velint consilijs acquiescere. Hi sunt vnitatis diuisores, inimici pacis, charitatis expertes, vnitate tumentes, placentes sibi, & magni in oculis suis: ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes statuere.

Magna superbia.

Et quæ maior superbia, quàm vt vnus homo toti congregationi consilium suum præferat, tanquàm ipse solus habeat spiritum Dei? Idolatriæ scelus est, non acquiescere, & quasi peccatum ariolandi.

1. Reg. 15.

Eccè nunc qui se faciunt religiosiores, qui non sunt sicut cæteri hominum, idolatræ & arioli facti sunt. Non debet hominem regere in claustro proprius sensus, qui eum rexit in mundo. Non debet habere eũ pro duce, qui in tot foueas eum præcipitauit. Deuteronomij 12. Non facietis ibi, quod nos hîc facimus hodiè, singuli quod sibi rectum videtur.

Oculus eruendus.

Proprius sensus, est oculus veteris hominis: oculus, inquam, caligans: sic oculi solent in senibus caligare. Oculus iste est destruendus, sicut & cætera membra veteris hominis. Colos. 3. Mortificate mẽbra vestra quæ sunt super terram. Item proprius sensus, est oculus scandalizans, & ideò eruendus. Matth. 5. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum.

Similitudo

Sicut equus videns, non est idoneus circuire ad molam: sic qui in religione est, non est aptus volubilitati obediẽtiæ, nisi oculus proprij sensûs ei erutus fuerit. Proprius sensus, est consiliarius infidelis, de quo non est confidendum, eò quòd nimis coniunctus sit carni. Ecclesiastici 37. Noli consiliari cum socero tuo. Item iudex est, qui meritò suspectus habetur, eò quòd inordinato amore vel timore peruertitur. Bernardus in lib. de consideratione: Amor vel odium

Præcipua causa ingressus ad religionē.

veritatis iudiciū impedit. Et notandum, quòd vna ratio, quarè aliquis religionem ingreditur, est hæc, vt Deus ei pleniùs dominetur. Cùm aliquis vult recuperare castrum amissum, vbi sunt multæ portæ, per quas oportet eū intrare, primò oportet eū habere ingressum primę portę: quia si non habet eius ingressum, nō habet ingressum secundæ. Prima porta, est sensus: si nō habet Deus sensum hominis, non habet eius volūtatē, nec perfectè ei dominatur. Obedientiæ multùm aduersatur propria voluntas. De qua Bernardus: Voluntatem dico propriam, quæ non est communis cum DEO & hominibus, sed nostra tantùm, quandò quod volumus, non ad honorem Dei, vel profectum proximi, sed propter nosipsos facimus, proprijs satisfaciendo affectibus. hoc in viro religioso, Deo multùm displicet, diabolo multùm placet. Non est mirum, si Deo multùm displiceat, cùm dominium suum ei auferat. Gregor. de superbo: Quasi à se iugum dominationis cōditoris excutit, cui per inobedientiam subesse cōtemnit. Bernard. Propriæ voluntati recta fronte contraria est charitas, quæ Deus est, aduersùs eum exercens inimicitias. Quid enim odit Deus vel punit, nisi propriam voluntatē? Cesset voluntas propria, & infernus non erit. Diabolo multùm placet. Ecclesiastici 18. A volūtate tua auertere. Si pstes animę tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. Propria voluntas multùm nocet & ei in quo est, & cæteris qui in congregatione sunt. Cęteris nocet scandalizando eos. Bernardus: Vndè scandala, nisi quòd sequendo voluntatem propriā, quod apud nos temerè diffinim⁹, si quo modo prohiberi cōtingat vel impediri, statim in murmur & scandalū prorumpimus? Et in quo est, multipliciter nocet. Primò, Dei beneficia ei subtrahēdo. Gregorius: Dignum est, vt ab eius beneficijs sit quilibet extraneus, qui eius iussionibus non vult esse subiectus.

Sermo. 3. de resur. Do.

Quarè Deo multùm displicet inobediens.

Conditioni nocet propria voluntas.

Habenti eā nocet multipliciter propria voluntas.

2. Secundò, meritum eius euacuādo. Isa. 58. Quarè ieiunauimus & nō adspexisti? Et subditur: Eccè in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra. Bernard. Grande malum propria voluntas, qua fit, vt bona tua, tibi bona non sint. Item: Non sapit Deo ieiunium, quod non obedientiam sapit, sed vitiū propriæ voluntatis. Ego autem non solùm de ieiunio, sed de silentio, & de omni obseruantia regulari idipsum
3. sentio. Tertiò, idipsum cōfundit. Ose. 10. Confundetur Israel in voluntate sua. Isai. 45. Confundentur omnes qui repugnant ei. In hoc cōfunditur, qui voluntatē propriā in religione sequitur: quia contrariū ei accidit eius quod intendit: quærit alicubi consolationē, & ex hoc posteà maiorem habet desolationē, vel in remorsione conscientiæ, vel in punctione pœnitentię, vel in infirmitate, quæ quandoquè ex hoc sequitur: qui plùs vult facere voluntatem suam in religione, plùs cogitur facere contra eam. Cùm enim talis nō habeat gratiam illam apud Deum vel homines, quam habet verus obediens, multa non conceduntur sibi, quæ conceduntur verò obedienti. Ionas qui effugere voluit, vt Dei voluntatem non impleret, impleuit eam inuitus. Grego. Eccè Ionam fugitiuum Dei tempēstas inuenit, sors ligat, mare suscipit. Et quia authoris voci obedire noluit, remittitur ad locum, quò missus fuerat: suo carcere reus portatur. Quartò, hominem in 4.
afflictione ponit. Vndè Saul inobedientē malignus spiritus exagitat, 1. Reg. 16. Circa tertium aduertendum, quòd cùm dicitur, *in omnibus præceptis*: quòd (vt sanctus Thomas ponit in secunda secundę, q. 104. artic. 5.) triplex distinguitur obedientia. Quædam indiscreta: quædam imperfecta, sed sufficiens ad salutem: quædam autem perfecta. Indiscreta autem est, quandò ali- 1.
quis obedit in illis, quæ diuinę legis regulę contrariantur, quam oportet inuiolabiliter obseruari, vel etiam quæ contrariantur regulæ, quam professus est in his dūtaxàt, quæ dispensationi prælati nō subduntur. Et ad hanc obedientiā nullus tenetur: immò quilibet tenetur eam non habere. Quia (vt dicit Grego.) nullus vnquàm per obedientiam malum facere debet. Sed quid, si ex mādato abbatis tenetur sequi peccatum aliquod aut scādalum? Supersedēdum videtur ab obedientia. Et notificandum esset abbati, siue prælato præcipienti inconuenientia, quæ ex tali obedientia sequerētur. Præsumendum enim est, quòd vbi prælato præcipienti nota fuissent, talia inconuenientia sequi ex mandatis eius, nunquàm 2.
talia fieri præcepisset. Imperfecta autē obedientia, sed sufficiens ad salutem obedientiam profitētibus, est illa, qua aliquis obedit in his, quæ seruare promisit, & non in alijs. Vndè Bernard⁹ postquàm dixerat, de hac obediētia loquens, in libro de præcepto & dispensatione: Nihil ipse prælatus prohibeat horum quę promisi, nec plùs exigat quàm promisi, subiungit: Cæterùm subditus huiusmodi obedientiā, quę voti finibus cohibetur, nouerit imperfectam, & ad hanc obedientiam profitentes ex necessitate coguntur. Obedientia verò perfe- 3.
cta est, secundùm quā subditus simpliciter obedit in omnibus, quę nō sunt contraria legi diuinæ, vel regulæ quam professus est. Vndè Bernard⁹ ibidèm dicit: Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, non continetur professionis angustijs: largiori voluntate fertur in latitu-

Serm. 71. in Cantica.

Quomodò cōfunditur, qui propriā voluntatē sequitur.

Exemplū.

Triplex obedientia.

Obediētia, ad quam nemo tenetur.

Imperfecta obedientia, sufficiēs tamen ad salutem.

Perfecta obedientia.

titudinem charitatis, & ad omne quod iniungitur, spontaneo vigore liberalis alacrisque animi, modum nõ considerans, in infinitam libertatem extenditur. Ad hanc autem obedientiã nullus tenetur ex debito necessitatis, sed solùm ex honestate quadã, sicut tenemur semper æmulari charismata meliora.

Ad regulã aliquid pertinet dupliciter.

Præterea notandũ est, vt idem sanctus Thomas ait, quòd ad regulam pertinet aliquid dupliciter: vel directè, vel indirectè. Directè, sicut ea quæ in statutis regulæ continentur: vt, non comedere carnes, tenere silentium, & huiusmodi. Indirectè, sicut ea quæ pertinent ad iniuncta obsequia, sine quibus status religionis seruari non posset: vel etiam quæ pertinent ad pœnam transgressorum, etiam si de eis nulla specialis mẽtio in regula fiat. Verùm nè aliquis respiciens ad conuersationẽ abbatis, fortasis contemneret authoritatem præcipientis: hanc occasionẽ tollens, subiungit sanctus pater, dicens: *Etiam si ipse aliter (quod absit) agat: memor illius Dominici præcepti: Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite.* quod scribitur Matth. 23. Glo. Doctrinam tenete, nõ vitam.

Accipienda est doctrina etiam mali Prælati.

De quo optimè beatus Chrysostomus in Glosa ità loquitur: Sicut aurum de terra eligitur, & terra relinquitur: sic & auditores doctrinam accipiant, & mores relinquant. Frequenter enim & de homine malo bona doctrina procedit. Sexagesimumprimum instrumentum est: *Non velle dici sanctum antequàm sit: sed priùs esse, vt veriùs dicatur.* Sensus est: Non cupiat discipulus prædicari sanctus, iustus, aut bonus, vt sit inanis gloriæ cupidus, secùndùm illud Apostoli ad Gala. 5. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi. sed tantùm cupiat & studeat bona opera facere, & ità in veritate sanctus esse: vt, supple, si ab alijs contingat eum credi, præsumi, aut prædicari sanctum, non falsè, non mendaciter, sed veraciter talis dicatur. Vndè Augustinus libro de sermone Domini in monte:

lib. 2. cap. 5.
Laus humana nõ debet appeti.

Laus humana appeti non debet à rectè faciente, sed subsequi debet rectè facientem, vt illi proficiant, qui etiam imitari possunt quod laudant: nõ vt hic putet aliquid eos sibi prodesse, * quem laudant.

* for. qui

Et in libro 83. quæstionum: Qui boni sunt, virtute boni sunt: virtus autem non appetit, quod est in hominũ aliorum potestate. Qui ergò imitatur bonos, nullius hominis appetit laudem. Qui malus est, non est dignus laude: immò, vt dicit Gregorius super Ezechielem, Quid prodest quòd omnes laudent, cùm conscientia accuset? De vanitate & stultitia appetitûs humanæ laudis, Bernardus in quadam epistola ità loquitur:

Epist. 18.
Pulchrum de vana hominũ laude.

Vanũ est, quòd nostra plerunq; ignorantia & tacetur quod est, & prædicatur quod non est. Quid ad ista dicemus, nisi quòd vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum?

Psal. 61.

Laudamur mendaciter, delectamur inaniter, vt & vani sint qui laudantur, & mendaces qui laudant. Alij adulantur, & ficti sunt: Alij laudant, quod putant, & falsi sunt? Alij vtrorumq; præconijs gloriantur, & vani sunt. Dicebat abbas Pastor, quòd si duas res oderit monachus, potest liber esse ab hoc mũdo: carnalẽ repausationẽ, & vanam gloriam.

Duo reddũt nos liberos ab hoc mũdo.

Epist. 87.

Bernardus in epistola: Solus qui verè humilis est, parcit animæ suæ, qui nè putetur quod non est, semper quantùm in se est, vult nesciri quod est. Grande reuerà periculum, audire quẽquam de se, suprà quàm sentit in se.

Epist. 42.

Idem in alia epistola: Qui humanas laudes consueuit perfectè contemnere, cũ se laudari percipit de eo, quod in se nouit non esse: nullatenùs acquiescẽs, illud sibi commemorat. Qui te beatificant, in errorem te mittunt: cùm verò laudari se cõperit de bono, quod se fortè habere cognoscit: nihilominùs, quantùm in se est, scuto veritatis curat à se iaculum fauoris repellere, dans Deo gloriam, & dicẽs: Gratia Dei sum id, quod sum.

Dicendum quãdò laudamur: vel falsè vel verè.
Esa. 3.
1. Cor. 15.

TRACTATVS XLVI.

De lxij. instrumento: vbì de ratione multiplici, quarè præcepta Dei factis adimplenda sunt.

SExagesimumsecũdum instrumentum est: *Præcepta Dei factis quotidiè adimplere.* De quo Ecclesiastici 6. Cogitatum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius assiduus esto. Talis, vt tangit Glo. est, qui cogitationes suas temperat secundùm præcepta Dei, & assiduè legem meditatur, & opere exequitur. Factis dicit adimplenda præcepta Domini: quia Iaco. 2. dicitur: Non auditor legis, sed factor operis, hic beatus erit.

Præcepta Dei adimplẽda, multiplici ratione.

Vbi notandum, quòd præcepta Dei sunt adimplenda multiplici ratione. Primò, propter præcipientis dignitatem & reuerentiam. Leuit. 18.
Ego Dominus: leges meas custodite. Eccle- 1.
siastes vltimo: Deũ time, & mandata eius obserua: hoc est omnis homo. Glo. id est, ad hoc factus est omnis homo. Dicit Hieronymus ad Demetriadem: Contemptus cuiuscunq; præcepti, præcipientis iniuria est: quantoq; potẽtiores sunt domini, tanto serui ad obedientiã proniores sunt. Itẽ in epistola ad Celãtiã: Quid enim vnquàm tam superbũ, quid verò tam ingratũ videri potest, q̃ aduersùs eius viuere voluntatẽ, à
quo ipsum viuere acceperis? Secũdò, pro- 2.
pter præcipiẽdi rigorositatẽ: quia sub pœna perdendi corpus & animam. Deute. 28.

Si

Si audire nolueris vocem Domini Dei tui,
vt custodias mandata eius, veniẽt super te
omnes maledictiones istæ, & appræhen-
dent te: Maledictus eris in ciuitate, male-
3. dictus in agro, &c. Tertiò, propter præ-
Signum dilectionis. cipientis dilectionem. Signum enim dile-
ctionis & manifestũ argumentum, est exhi
bitio operis, vt dicit Gregor. Ioan. 14. Si di-
ligitis me, mandata mea seruate. Item Io-
an. 14. Si quis diligit me, sermones meos ser
4. uabit. Quartò, propter præceptorum
ipsorum facilitatem. Deut. 30. Mandatum
quod ego præcipio tibi hodiè, non est su-
pra te. Et Matth. 11. Iugũ meum suaue est,
& onus meum leue. Et 1. Ioan. 5. Mandata
Quomodò præcepta Dei facilia dicantur. eius grauia non sunt. Præcepta autem di-
cuntur facilia, si considerentur secundùm
rationem virtutis. Primò, ex natura ho-
minis, inquantùm homo est: quia sic eum
honestum sua vi trahit, & sua dignitate al-
licit. Secundò, ex natura habitûs virtu-
tis, qui in modum naturæ est rationi con-
sentaneus, vt dicit Tullius. Tertiò, ex na-
tura charitatis: quia vt dicit Augustin. La-
bores amantium non sunt difficiles. Item
Digna ratio de facilitate præceptorum. idem libro sententiarum Prosperi: Omne
præceptum Dei, leue est amanti. Quartò,
ex speciali modo vnionis ad primũ prin-
cipium, scilicet spiritum sanctũ: per quam
vnionem quodammodò efficimur orga-
nũ spiritûs sancti. Apostolus Ro. 8. Qui-
cunque filij Dei sunt, hi spiritu Dei agun-
tur. Virtuti autem diuinæ nihil est diffici-
le. Quarè cùm dicat beatus Ioan. Chrysost.
in homilia: Quãto leuiora sunt præcepta,
tanto maius supplicium his qui non obe-
diunt, omni studio curandum est, vt diui-
5. na adimpleantur pręcepta. Quintò, pro-
pter præceptorum ipsorum nobilitatẽ &
oblectamẽtum suauitatis. Prouer. 6. Man-
datũ, lucerna est: lex, lux: vt Ecclesiast. 33.
Nihil dulcius, quàm respicere in mandatis
Domini. Sextò, propter adimplendi &
obseruandi vtilitatem. Ecclesiastici 8. Qui
custodit præcepta, non experietur quic-
quam mali. Et Matth. 19. Si vis ad vitam
ingredi, serua mandata.

TRACTATVS XLVII.

De lxiij. instrumento: vbì de amore castitatis.

Sexagesimumtertiũ instrumentum
artis spiritualis, est: *Castitatem amare.*
De hoc Apostolus 1. Timo. 5. Te-
ipsum castũ custodi. Meritò aman-
dam proponit castitatem sanctus pater:
Laus castitatis. quoniam, vt ait beatus August. in libro de
singularitate clericorum: Singularis casti-
tas sola est munimen inuictum sanctimo-
niæ, sanctitatis indicium, abolitio scanda-
lorum, exercitium continentiæ, vastatio
tota luxuriæ, claritatis fastigiũ, & dedeco-
ris præcipitium: quæ dum sibi subtrahit
adminicula cõcupiscentiæ, mortua mem-
bra sua cognoscitur baiulare. Sunt autem
hîc duo notanda: Primò, de bonis casti-
tatis. Secundò, de medijs quibus conserua-
tur. Circa primum notandum, quòd ca- Castitas cõfert multa bona.
stitas multa bona confert. Primò quidẽ,
mundũ reddit hominem & decorum: sic- 1.
ut luxuria immundũ & turpem. Quarè de
anima casta dicitur Cantic. 2. Sicut lilium Cant. 2.
inter spinas, sic amica mea inter filias. Ber-
nard. Quid castitate decorius, quæ mũdum Epist. 42.
de immundo conceptum semine, de hoste
domesticum, angelũ deniquè de homine Differentia angeli & hominis pudici.
facit? Differunt quidẽ inter se, homo pu-
dicus & angelus: sed felicitate, non virtu-
te. Secundò, mẽtem liberam reddit & ex-
peditã ab innumeris curis & anxietatibus, 2.
quibus cõiugio ligati impliciti sunt. 1. Co-
rin. 7. Qui sine vxore est, solicitus est quæ
Domini sunt, quomodò placeat Deo. Gl.
interiori pulchritudine. Qui autem cum
vxore est, solicitus est quæ sunt mundi,
quomodò placeat vxori. Tertiò, facit in 3.
homine fundamentum omniũ virtutum. Castitas est omniũ virtutum fundamẽtum.
Quẽadmodũ enim color alb⁹, dicitur hy-
postasis omniũ colorũ: ità castitas omniũ
virtutum & bonorũ operũ: quia, vt Gre-
gorius dicit, Non est bonum sine castitate.
Quartò, amicũ Dei facit. Prouerb. 20. Qui 4.
diligit cordis munditiã, habebit amicum
regem. Isidorus: Continentia hominem
Deo proximum facit: vbi ista manserit, ibi
& Deus manet. Quintò, reddit hominẽ 5.
amabilem angelis: quia cùm omne animal
diligat sibi simile, angeli, qui naturaliter
casti sunt, familiariùs diligunt homines
castos. Sextò, reddit hominem commen- 6.
dabilem & laudabilis opinionis. Sapi. 4. O
quàm pulchra est casta generatio cum cla-
ritate: immortalis est memoria illius. Se-
ptimò, ducit ad vitam beatam. Matt. 5. Be- 7.
ati mundo corde, quoniam ipsi Deum vi-
debunt. Circa secundũ est notandum, Decem quibus castitas conseruatur.
quòd decẽ sunt, quibus castitas conserua-
tur. Primum, est vera humilitas, per quã
nostra fragilitate cognita, ad Deum recur- 1.
rimus. Sapient. 8. Vidi quòd non possum
esse cõtinens, nisi Deus det. Secundũ, est 2.
cibi & potûs sobrietas. Castitas enim, sobri-
etatis est filia, & nutritur ab ea: sicut econ-
uersò luxuria nutritur à ventris ingluuie.
Hierony. Difficilè inter epulas seruatur
pudicitia. Bernardus: Periclitatur castitas
in delicijs. Quarè qui castus esse desiderat,
studeat sobrietati: quoniã sine ea non diù
est secura. Alanus: Vnguentum est casti-
tas, in qua species quasi aromaticæ sunt, Cõditiones hominis casti.
puritas mentis, munditia corporis, mode-
stia in gestu, pudicitia in habitu, abstinen-
tia in cibo, verecundia in verbo. Tertiũ, 3.
est

est vestium asperitas, per quam mollitiem repellimus. Luc. 7. Qui mollibus vestiũtur, in domibus regum sunt. Hugo de sancto Victore: Molles mollia quærunt. Bernardus: Memento quòd asperior cardo pannũ facit leniorem, sic asper habitus carnem facit castiorem. Quartum, est carnis mortificatio, per quam carnales motus restringuntur. 1. Cor. 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Quintum, est custodia sensuum. Bernard. Ascenditur ad montẽ castitatis triplici cõtinentia: membrorum, sensuum, & cogitationũ. In prima prohibetur actus, in secunda vitatur adspectus, in tertia refrenatur affectus. Inter alios sensus maximè custodiendus est visus: quoniam, sicut exempla multa demonstrant, per illum multi passi sunt detrimenta castitatis. Ideò Ecclesiastici 9. dicitur: Noli circunspicere in vicis ciuitatis, nec oberraueris in plateis illius. Auerte faciem tuam à muliere compta, & nè circunspicias mulierem alienã. Propter speciem mulieris multi periêrunt. Sextum, est vitatio & declinatio occasionum, & maximè cauendum est à cohabitatione mulierum, quæ inter alias est castitati valdè periculosa. Hierony. Hospitiolum tuum aut rarò, aut nunquàm mulierum pedes terant: nec sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas: quia nec Dauid sanctior, nec Salomone sapientior esse potes, qui tamen lapsi sunt per mulieres. Item in alia epistola: Fœminarũ cum clericis nullo pacto coniuncta permittitur conuersatio. Ianua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nociuumque genus est fœmina: cùm proximat stipulæ, incendit ignem: flammigero igne percutit fœmina: conscientiam perurit habitantis, exuritque fundamenta montium. Ego iudico: si cum viris fœminæ habitãt, non deerit viscarium diaboli. Septimum, est virilis tentationum resistentia, per quam dæmonum suggestiones repellimus. 1. Pet. 3. Cui resistite fortes in fide. Octauũ, est scripturarum sanctarum meditatio, per quam carnales cogitationes spiritualibus impedimus. Hieron. Ama scientiam diuinarum scripturarum, & carnis vitia non amabis. Quidam in Vitis patrũ ait: Securitas siue confidentia, taciturnitas & deuota meditatio pariũt castitatem. Nonum, est feruens Dei dilectio, per quã in Deo delectamur, & sic voluptates carnis tãquàm amarissimas despicimus: quia gustato spiritu, desipit omnis caro. Psal. 33. Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus. Decimum, est mortis meditatio, & æternarum pœnarum, quę debentur impijs, consideratio: per quam stultum esse cognoscimus, pro breui voluptate æterna sustinere supplicia. Hieronymus: Facilè contemnit omnia, qui se cogitat moriturum.

Pulchrũ de asperitate vestium. — 4. — 5. — *Triplex cõtinentia.* — *Visus præcipuè custodiendus.* — 6. — *Cohabitatio mulierũ vitanda.* — *Epistola 2. ad Nepotianum.* — *Fœmina malum genus.* — 7. — 8. — *Tria pariũt castitatem.* — 9. — 10.

TRACTATVS XLVIII.

De lxiiij. & lxv. instrumentis: vbi de odio & inuidia fugiendis.

Sexagesimumquartum instrumentum est: *Nullum odire*. De quo Dominus Leuit. 19. præcepit, dicens: Non oderis fratrem tuum in corde tuo. Glo. interli. i. quemlibet hominem. Vbi notandum, quòd ad detestationem huius vitij, scilicet odij fraterni, debet discipulus moueri potissimè quinque rationibus. *Quinq; rationes ad odij detestationem.*

1. Primò, quia odium ad hominem, est vitium diabolicum & serpentinum. Sicut enim Deus à natura posuit inter equos & griffos, canes & lupos odium: sic inter diabolum serpentẽ & animam. Genes. 3. Inimicitias ponam inter te & mulierem. Secundò, quia odiũ fraternum contrarium est diuinæ dilectioni. 1. Ioan. 4. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suũ oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suũ, quem videt: Deũ, quem non videt, quomodò potest diligere? Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Glo. Frater tuus, imago Dei est. Si nõ diligit imaginẽ, nec eum diligit cuius est imago. Augustin. in epistola: Quid tam contrarium, tam execrabile est Deo, quàm aliquem odisse vel lædere. Tertiò, quia odium fraternũ necat animã odientis. 1. Ioan. 3. Qui odit fratrem suum, homicida est. August. lib. homiliarum, homilia 5. Qui odit fratrem suum, homicida est: nondùm manus armata est, nondùm fratrẽ obsedit, nondùm insidias præparauit, nondùm venena quæsiuit: & reus in cõspectu Domini, concepto odio, iam tenetur. Adhuc viuit, quẽ quærit occidere: & occidisse iam iudicatur. Quartò, quia fraternum odium excæcat & obtenebrat animum. 1. Ioan. 2. Qui odit fratrẽ suum, in tenebris ambulat, & nescit quò vadat, & tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Glo. In tenebris ignorantiæ, & per ipsam ignorantiã ambulat de vitio in vitium, & nescit, id est, non prouidet quò eat, id est, ad quã pœnã rapiendus sit. August. de verbis Domini: Qui odit fratrẽ suum, in tenebris est: Odium tenebræ sunt. Non potest autẽ fieri, vt qui odit alterũ, non priùs sibi noceat: illum enim lædere conatur extrinsecùs, se vastat intrinsecùs. Quintò, quia odium fraternũ est causa multorum malorũ & scandalorũ. Sicut enim ignis in stuppis diù latere non potest, quin exeat fumus, flãma, & scintilla: ità odium non potest diù latère in corde, quin ex eo exeant rixæ, conuicia & scandala oriantur.

2. — 3. — 4. — *Serm. 6.* — *Qui alium odit, se prius lædit.* — 5.

Prouerb. 10. Odium ſuſcitat rixas, & vni-
6. uerſa delicta operit charitas. Sextò, in-
ducit ad mortem æternã. 1. Ioan. 3. Qui odit
fratrem ſuum, manet in morte. Omnis qui
odit fratrem ſuum, homicida eſt: & ſcitis
quoniam omnis homicida non habet vi-
tam æternam in ſe manentem. Iſidorus:
Odium à regno Dei ſeparat, à cęlo ſubtra-
hit, à paradiſo eijcit. Odium nec paſſione
amittitur, nec martyrio expiatur. Augu-
ſtinus libro de conflictu vitiorum, excla-
mat: Omnem ergò amaritudinem fellis
euome: & quo pacto valueris charitatis
dulcedinem ſume. Nihil enim ea ſuauius,
1. Ioan. 4. nihil ea beatius: Deus (inquit Ioãnes) cha-
ritas eſt. Sexageſimumquintum inſtru-
mentum eſt: *Zelum & inuidiam non habere*. Ze-
lum, in bono & in malo legimus dictum:
Zelus malus.
ſed in hoc loco, in malo ponitur, videlicet
pro ęmulatione mala ſeu inuidia, qua quis
contra proximum excitatus, de illius feli-
citate contriſtatur, de quo 1. Corin. 3. Cùm
enim inter vos ſit zelus & contentio, nón-
ne carnales eſtis? Glo. ſuper verbo, zelus,
dicit, id eſt, inuidia. idẽ ergò eſt zelus hic,
Inuidia.
& inuidia. Eſt ergò ſenſus, quòd diſcipu-
lus inuidiam, quę eſt triſtitia de bono pro-
ximi, ſiue, vt dicit Auguſt. dolor alienæ fe-
licitatis, nec animo tenere, nec in aliquo
opere exercere contra proximũ ſuũ debet.
De quo etiã Apoſtolus adhortatur ad Ga-
lat. 5. dicens: Nõ efficiamini inuicèm pro-
uocantes, inuicèm inuidentes. Hic notan-
da ſunt tria: Primò enim oſtẽdetur, quan-
dò inuidia ſit peccatum mortale, & quãdò
veniale. Secundò, de his quæ faciunt ad de-
teſtationem huius vitij, propter quę diſci-
pulus debet ſummo ſtudio illud vitare.
Tertiò, de remedijs contra hoc vitium.
Triſtitia de alienis bonis, contingit quatuor modis.
Circa primum notandum, quòd, ſicut
dictũ eſt, inuidia eſt triſtitia de alienis bo-
nis. Sed hæc triſtitia poteſt cõtingere qua-
tuor modis, vt notat ſanctus Thom. in ſe-
cunda ſecũdæ, quæſt. 36. Vno quidẽ mo-
1. do, quãdò aliquis dolet de bono alicuius,
inquantùm ex eo timetur nocumentum
vel ſibijpſi, vel etiam alijs bonis: & talis
triſtitia non eſt inuidia, & poteſt eſſe ſi-
ne peccato. Vndè Gregorius vigeſimo-
ſecundo Moralium: Euenire plurimùm
ſolet, vt non amiſſa charitate, & inimi-
ci nos ruina lętificet, & rurſùm eius glo-
ria ſine inuidiæ culpa cõtriſtet: cùm & ru-
ente eo quoſdã benè erigi credimus, & pro-
ficiente illo, pleroſque iniuſtè opprimi
2. formidamus. Alio modo poteſt quis tri-
Bon⁹ zelus.
ſtari de bono alterius, non ex eo, quòd ipſe
habet bonum: ſed eô, quòd nobis deeſt bo-
nũ illud quod ipſe habet: & hoc propriè
eſt zelus, vt dicit Ariſtoteles ſecũdo Rhe-
thoricę. Et ſi iſte zelus ſit circa bona hone-
ſta, eſt laudabilis, ſecũdùm illud 1. Cor. 14.
Aemulamini ſpiritualia. Si autẽ ſit de bo-
nis temporalibus, poteſt eſſe cum peccato,
& ſine peccato. Tertio modo aliquis tri- 3.
ſtatur de bono alterius, inquãtùm ille, cui
Zelus ſecũdùm ſeculũ, non laboꝛ oſtus, tamen probl. biu⁹ à ſcri-ptura.
accidit bonũ, eſt eo indignus: quæ quidem
triſtitia nõ poteſt oriri de bonis honeſtis,
ex quibus aliquis iuſtus efficitur: ſed, ſicut
dicit Philoſophus ſecundo Rhetoricæ, de
diuitijs & temporalibus. Et quia ipſa bona
temporalia, quæ indignis proueniunt, ſe-
cundùm doctrinam fidei, ex iuſta Dei or-
dinatione diſponuntur vel ad eorum cor-
reptionem, vel ad eorum damnationem:
talis triſtitia prohibetur in ſcriptura ſa-
cra, ſecundùm illud Pſalmi trigeſimi-
ſexti: Noli æmulari in malignantibus, ne-
que zelaueris facientes iniquitatẽ. Quar- 4.
tò, aliquis triſtatur de bonis alicuius, in-
quantùm alter excedit ipſum in bonis: &
Inuidia, ex ſuo genere eſt mortale.
hæc propriè eſt inuidia, & iſtud ſemper eſt
peccatũ, & ex genere ſuo eſt peccatũ mor-
tale. Genus enim peccati, ex obiecto conſi-
deratur: inuidia enim, ſecũdùm rationem
ſui obiecti, contrariatur charitati: per quã
eſt vita animæ ſpiritualis, ſecundùm illud
1. Ioan. 3. Nos ſcimus, quoniam tranſlati
ſumus de morte ad vitam, quoniam diligi-
mus fratres. Vtriuſque autem obiectum,
charitatis ſcilicet & inuidiæ, eſt bonũ pro-
ximi, ſed ſecundùm contrariũ motũ. Nam
charitas gaudet de bono proximi, inuidia
autem de eodẽ triſtatur. vndè manifeſtum
eſt, quòd inuidia ex ſuo genere eſt pecca-
tum mortale. Eſt tamen conſiderandum,
quòd (vt dicit idẽ ſanctus Tho.) in quoli-
Primi mot⁹ in omi peccato, qui non ſunt mortales.
bet genere peccati mortalis, inueniuntur
aliqui imperfecti mot⁹, in ſenſualitate ex-
iſtentes, qui ſunt peccata venialia: ſicut in
genere adulterij primus motus concupi-
ſcẽtiæ, in genere homicidij primus motus
iræ: ità etiam in genere inuidiæ inueniun-
tur aliqui primi motus, quandoquè etiam
in viris perfectis, qui ſunt peccata venialia.
Ratio, quarè inuidia quandoquè nõ ſit mortale.
Ratio, quia motus inuidię, ſecũdùm quod
eſt paſſio ſenſualitatis, eſt quid imperfe-
ctum in genere actuũ humanorũ, quorum
principiũ eſt ratio. vndè talis inuidia non
eſt peccatũ mortale. Et ſimilis ratio eſt de
inuidia paruulorum, in quibus nõ eſt vſus
Octo ad deteſtationẽ inuidiæ.
rationis. Circa ſecundum notandum,
quòd ſpecialia ſunt octo, quæ faciunt ad
deteſtationem huius vitij. Primum eſt,
quia eſt vitium diabolicum, & aſſimilatur 1.
diabolo. Sapi. 2. Inuidia diaboli, mors in-
trauit in orbem terrarũ. Imitantur autem
eum, qui ſunt ex parte eius. Iſido. Inuidus
Lib. 3. de ſummo bono, cap. 25.
membrum diaboli eſt: cuius inuidia mors
introiuit in orbem terrarum. Inuidia à di-
abolo eſt, quia diabolus inuidẽdo cecidit.
Item Auguſtinus libro de diſciplina Chri-
Cap. 1.
ſtiana: Vitium diabolicum eſt inuidia, quo
ſolùm reus eſt, & inexpiabiliter reus. Non
enim

enim dicetur diabolo vt damnetur, Adul-
terium commisisti, furtum fecisti, villam
alienam rapuisti: sed homini stanti, lapsus
inuidisti. Inuidia, diaboli conuicium est:
Superbia mater inuidiæ. sed habet matrem suam. Superbia vocatur
mater inuidiæ: superbia inuidos facit. Suf-
2. foca matrem, & non erit filia. Secundò,
quia vitium est venenatissimum: vndè to-
tum hominē inuenenat, siue veneno per-
fundit. Vndè in psona inuidi dicitur Iob.
30. Frater fui draconum, & socius scorpi-
onum. August. super illud ad Gala. 6. Per
omne vitium, antiqui hostis virus hu-
mano cordi infunditur. In zelo autem in-
uidiæ, tota viscera sua concutit, & in hac
imprimenda malitia quasi pestem vomit.
Item idem libro homiliarum, homilia 15.
Qui inuidet, sic est, quomodò tabes, quo-
modò vulnus, quomodò apostema. Con-
siderādum, quòd huiusmodi venenū non
modò animum occupat, verumetiā se ex-
Descriptio inuidi ab extrà. teriùs diffundit. Vndè in Glo. præcedenti
ità sequitur: Huic vultus minax, toruus
adspectus, pallor in facie, in labijs tremor
est, stridor in dentibus, verba rabida, & ef-
frenata conuicia, & manus ad violentiam
prompta. Et si gladio interim vacua, odio
3. tamen furiosæ mentis est armata. Tertiò,
hoc vitium est crudelissimum & immanis-
simum. Cùm enim hoc vitium cor alicuius
occupat, iam nullum scelus abhorret. Non
Inuidia nemini parcit parcit innocenti, non timet homicidium,
immò nec fratricidium. Non pepercit dia-
bolus parentibus nostris, qui innocentes
erant, quin mortem eorū procuraret. Non
pepercit Cain Abel fratri suo, quin ex sola
inuidia occideret eum, Genes. 3. Nō peper-
cerunt filij Iacob Ioseph fratri suo inno-
centi, quin eum venderent: quia inuidebāt
ei, Genes. 37. Nolebat etiā parcere Saul Da-
uid, qui ei valdè vtilis erat: quia inuidebat
ei, sicut liber primus Regum ostendit. No-
luerunt Iudæi parcere Christo, quin eum
occidi facerent, sola inuidia cōcitati. Matt.
27. Sciebat Pilatus quòd per inuidiam tra-
didissent eum. Quartò, est difficilimū ad
4. Ser. de zelo & liuore. curandū. Vndè Cyprianus, & ponitur in
Glo. ad Gala. 6. Zelus iste terminū non ha-
Inuidia difficilè curatur. bet, permanens iugiter sine fine, cùm alia
scelera finiantur: quantoq; ille, cui inuide-
tur, successu meliore profecerit, tanto in-
uidus in maius incendium liuoris ignibus
inardescit. Præterea non est mirum, si hoc
Homil. 11. quæ est de inuidia. vitiū difficulter curatur: quia inuidia est
rubigo, quæ vix à ferro recedit. Basili⁹: Sic-
Cōparatio. ut rubigo ferrū, sic inuidia animam, in qua
Homi. 1. in psal. 50. nascitur, corrūpit. Et Chrys. in sermone:
Zelus & inuidia, omni malitia cumulata.
Cōparatio. Inuidia ignis est inextinguibilis. Etenim
sicut tinea comedit vestimenta: sic inuidia
eum, qui zelatur, cōsumit: eum autem cui
5. inuidetur, reddit clariorem. Quintò, est
vitiū infelicissimū: quia inuidus de omni
bono proximi sui affligitur, & excæcatur
vndè illuminari debet. Iob 5. Per diem in-
currerunt tenebras. vbi Greg. Mens inuidi Parte 3. curæ pasto. admon. 11.
cùm de alieno bono affligitur, de radio lu-
cis obcęcatur. Item inuidi perpēdere non
possunt, quantæ cæcitatis sunt, qui profe-
ctu aliorū deficiunt, & aliena exaltatione
contabescūt. Quantæ infelicitatis sunt in-
uidi, qui de melioratione deteriores fiunt:
de sanitate aliorum infirmantur, & de vita
moriuntur, & de bono odore, de quo alij
viuunt, putrescūt: & breuiter, quāta sunt
feliciū hominum gaudia, tanti sunt, vt di-
cit Socrates, inuidorū gemitus. Quarè bea- Cap. 14.
tus August. lib. 9. de ciui. Dei, dicit: Qui be-
ati sunt, inuident nemini. Nam quid mise- Magna inuidi infelicitas.
rius inuidentia? Sextò, est vitium detesta-
bilissimum. Cùm enim bonū in commune 6.
deductum, clariùs elucescat secundū Boe-
thiū & Senecā, Nulla rei possessio iocunda
sit sine socio: nihilominùs inuidus potiùs
vult carere bono, quàm habere socium in
eo: & potiùs vult habere socium in pœna,
quàm in felicitate. Hinc specialiter oculus Oculus inuidi.
inuidi dicitur nequam. Matth. 20. An ocu-
lus tuus nequā est. Glo. id est, inuidia ple-
nus. Vndè legitur de quodam rege, qui ha- Exēplum.
bebat in obsequio suo vnū auarū, & vnum
inuidū: & solerter experiri voluit, quod
vitium prauius esset, an auaritia, vel inui-
dia. & vocatis ambobus, dixit: Petat quili-
bet vestrū, quod voluerit: & petat alter pri
mò, & habebit quod petet: & alius qui se-
cūdo loco petet, habebit duplum. Noluit
primò petere auarus, vt posset duplum ha-
bere. Noluit etiā inuidus aliquid quod es-
set bonū, petere: nè auarus, cui inuidebat,
duplicatū bonum reciperet: sed petiuit, vt
sibi erueretur vnus oculus, vt postmodùm
auaro eruerētur duo: & in hoc potuit co-
gnoscere rex, quantū malū sit inuidia. De
cuius malignitate August. super Ioānem, Tract. 5.
dicit: Quid est inuidere? horrendum malū: Malū horrendum inuidia.
ipso malo diabolus deiectus est, ipso deie-
cto deiecit multos: maligna pestis est. Se- 7.
ptimò, est periculosum: corrumpit enim
& deuastat vniuersa bona hominis. Est
enim sicut vermis in ligno nascens, qui vn-
dè priùs natus est, consumit. Isido. Inuidus Effectus inuidiæ.
medullitùs animo æstuans, à semetipso li-
uoris proprij exigit pœnas. Chrysost. In-
uidia cunctabona ardore pestifero deuo-
rat. Inuidia tinea animi, sensum comedit,
pectus vrit, mentem affligit, cor hominis
quasi quędā pestis depascit. Pro. 14. Putre-
do ossium, inuidia. Glo. ossiū, i. bonorum
operum. Octauò, est damnosum valdè. 8.
Aufert enim homini societatem ecclesiæ.
Psal. 118. Particeps ego sum omniū timen- Adhuc damna inuidiæ.
tium te. August. Pensent illi, quantū bonū
sit charitas, quę aliena bona sine labore no-

ſtro facit noſtra. Item idē: Tolle inuidiam,
& tuum eſt quod ago, & meum eſt quod
agis. vbi eſt inuidia, fructus eſſe nō poteſt.
Ab hac autē ſanctæ cōmunionis ſocietate
præciſi ſunt inuidi. Vndè Auguſt. lib. ho-
miliarum, homilia 15. Videt in te inuidiæ
morbum cæleſtis medicus, & præſcindet te
de ſuo corpore. Noli ergò inuidere de do-
no Dei, & virtutibus quas non habes, nè
præſcindaris à corpore. Et infrà: Cogno-
ſcūt inuidi omnes, q de aliorū, etſi inimici
eorum ſint, tribulationibus gaudent, quia
membra ſunt putrefacta, abſciſſa & mor-
9. tua. Nonò, eſt vitiū ignominioſum. Ec-
cleſ. 6. Improperium enim & cōtumeliam
malus hęreditabit, & omnis peccator inui-
10. dus & bilinguis. Decimò, tollit ſpem di-
uinæ miſericordiæ. Ambro. ſuper Lucam:
Fruſtrà opem cæleſtis miſericordiæ expe-
ctas, ſi alienis fructibus virtutis inuideas.
Aſpernator inuidorum eſt, & ab his qui di-
uina beneficia in alijs perſequuntur, mira-

Remedia contra inuidiam.

cula ſuæ poteſtatis auertit. Circa tertium
notādum, quòd plura ſunt remedia cōtra
inuidiam. Primum, eſt amor ſupernę hę-
1. reditatis. Grego. Qui facibus inuidię care-
re deſiderat, illam hæreditatem appetat,
quam numerus poſſidentium non angu-
ſtat. Item vir iuſtus per hoc quòd in terris
nihil appetit, alienis profectibus inuidere
2. neſcit. Secundum, eſt cōſideratio eorum
quæ ſuadent nobis fraternā dilectionem:
quia vt ait Auguſt. ſuper prima cano Ioan.
Vbi eſt inuidia, amor fraternus eſſe nō po-

Quatuor faciūt ad fraternam dilectionem.

teſt: qui inuidet, non amat. Sunt autē qua-
tuor, quæ perſuadent maximè fraternam
dilectionem, ſcilicet fraternitas naturalis,
quæ eſt inter omnes homines ab vno parē-
te & vna matre. Secundum, eſt fraternitas
dilectionis ſpiritualis, quę eſt inter omnes
Chriſtianos: quia nati ex vno patre Deo, &
vna matre Eccleſia, & eādem hęreditatem
cæleſtem habituri ſunt. Tertium, eſt ſoci-
etas ſpiritualis, quæ eſt inter fideles. Socij
enim ſunt in lucro & damno. Quartū eſt,
quòd ipſi ſunt mēbra vnius corporis. Ro.
12. Vnum corpus ſumus in Chriſto, ſingu-
li autem alter alterius membra. Tertium
3. remedium contra inuidiam, eſt conſidera-
tiō multipliciū damnorum, quæ facit in-
uidia: de quibus iam dictum eſt parùm an-
tè in hoc capitulo.

TRACTATVS XLIX.

De lxvj. inſtrumento: vbi de contentionibus non habendis.

SExageſimumſextum inſtrumētum eſt: *Contentiones non amare.* De quo ſic loquitur Auguſt. Summoperè iurgia fuge. Nam contra parem cōtendere, anceps eſt: cum ſuperiore, furioſum: & cum inferiore, ſordidum. Et Apoſtolus 2. Tim. 2. Noli verbis contendere. Circa quod quinq; veniunt notanda: Primū eſt, quandò contentio eſt mala & vituperabilis, & quandò non.

Diſtinguit dicenda.

Secundò, quarè non ſit contendendum. Tertiò, de eis quæ occaſio ſolent eſſe contentionū. Quartò, de diuerſis generibus cōtentionum & litiū. Quintò, de remedijs, per quæ diſcipulus valet contentiones cauere. Circa primum notandum, ſecundùm ſanctum Thomam in ſecunda ſecundæ, q. 39. arti. 1. quòd cōtendere, eſt contra aliquid tendere.

Contendere quid ſit.

Vndè ſicut diſcordia cōtrarietatem quandam importat in voluntate, ità contentio contrarietatem quandam importat in locutione: & propter hoc etiam cùm oratio alicuius per contraria ſe diffundit, vocatur contentio, quæ ponitur vnꝰ color Rhetoricus à Tullio, qui dicit: Contentio eſt, cū ex cōtrarijs verbis oratio cōficitur, hoc pacto: Habet aſſentatio iucūda principia, eadē exitꝰ amariſſimos affert.

Contentio in oratione

Contrarietas autem locutionis poteſt attēdi dupliciter. Vno modo, quantùm ad intentionem contendentis. Alio modo, quātùm ad modum.

Contrarietas locutionis dupliciter conſideratur.

In intentione quidem cōſiderandū eſt, vtrùm aliquis contrariari nititur veritati, quod eſt vituperabile: vel falſitati, quod eſt laudabile. In modo autē conſiderandum, vtrùm talis modus contrariandi, cōueniat & perſonis, & negocijs: quia hoc eſt laudabile, vnde etiā Tullius dicit ſecundo Rhetoricæ, quòd contentio eſt oratio acris ad confirmandū vel confutandum accommodata. Vel exceat conuenientiam perſonarū & negociorū: & ſic cōtētio eſt vituperabilis.

Contentio quandò eſt mortale.

Si ergò accipiatur cōtentio, ſecūdùm quod importat impugnationē veritatis, & inordinato modo, ſic eſt peccatum mortale, & hoc modò diffinit Amb. cōtentionē: Contentio eſt impugnatio veritatis cū cōfidentia clamoris.

Contentio laudabilis.

Si aūt contētio dicatur impugnatio falſitatis cū debito modo acrimoniæ, ſic contentio eſt laudabilis. Si aūt accipiatur cōtentio ſecundùm quod importat impugnationē falſitatis cū inordinato modo, ſic poteſt eſſe peccatū veniale: niſi fortè tanta inordinatio fiat in cōtendēdo, quòd ex hoc generetur ſcandalū aliorū.

Contentio veniale.

Vndè & Apoſtolꝰ dicit 2. ad Tim. 2. Noli verbis cōtēdere: ſubdit: Ad nihil enim eſt vtile, niſi ad ſubuerſionē audiētium.

Plura, quarè non ſit cōtēdendum.

Circa ſecundum, quarè nō ſit cōtendendum, ſunt plures rationes.
1. Prima, quia cōtendere & litigare, eſt ignominioſum. Non eſt enim res quæ deceat viros. Seneca: Litigare, muliebre eſt. Item eſt ribaldorum commorantiū in tabernis. Prouer. 23. Cui rixæ? & cætera. Sequitur: Nónne his qui morantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis? Item eſt dęmoniacum. Auguſtinus: Nihil eſt ſimilius actibus dæmonum, quàm litigare.

re. Vndè seruos diaboli se ostendunt, qui litigant. Quàm indecens ergò sit discipulo, qui debet vir esse, amator virtutum, honestatis conuersatione angelus, quòd ad modum mulierum, immò ribaldorum, immò dæmonum, litigare non erubescat.

Exemplum. Legitur in Vitis patrum, quòd duo monachi habitabant in eâdem cella, & cùm nunquàm vel modicã contentionem inter se habuissent, dixit alter ad alterum: Faciamus & nos litẽ, sicut faciunt homines: dixit alter, Nescio quomodò fit. dixit alter, Ego pono istum låterem in medio, & dico quòd meus est: & tu dic, non est tuus, sed meus: & hoc modo fit rixa. Et fecerunt sic. Et dixit vnus, Meus est: respondit alter, Spero ego illum esse meum: respondit alter, immò meus est: tunc dixit alter, Si tuus est, tolle eum: & nescièrunt facere

2. litem. Secundò, quia separare se à contentione, est honorabile. Prouerbiorum 20. Honor est homini, qui separat se à cõ-

3. tentionibus. Tertiò, quia est signum superbiæ, stultiæ, peruersitatis, & malitiæ. De primo, Prouerbiorum 18. Labia stulti miscent se rixis, & os eius iurgia prouocat. De secundo, Prouerbiorum 13. Homo peruersus suscitat rixas, id est, lites. De tertio, Prouerbiorum 17. Semper iurgia quærit malus: angelus autem crudelis, Glo. id est, di-

Contentio vndè proueniat.

4. abolus, mittetur contra eum. Quartò, quia est signum apertũ carnalitatis. 1. Corinth. 6. Cùm enim sint in vobis zelus &

5. contentio, nónne carnales estis? Quintò, quia aufert hominibus signum seruitutis diuinæ. 2. Timoth. 2. Seruum Dei non oportet litigare, sed modestum esse ad

6. omnes. Sextò, aufert fructũ bonorum operum. Isa. 57. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis. quasi diceret: Quid prodest tale ieiunium? Origenes super Isaiam: Nec enim accepta possunt esse bona opera, nisi in pace peragantur.

7. Septimò, inducit multa mala, vtpotè conuicia, maledictiones, improperia, & huiusmodi. Et ideò dicitur Ecclesiastici vigesimo octauo: Abstine te à lite, & minues peccata. Isidorus: Contentio faces odiorum accendit, pacem cordis contentio extinguit, con-

Mala contentionis.

8. cordiam contẽtio rumpit. Octauò, quia abstinere à contentione, est magni meriti. Vndè in Vitis patrum legitur, quòd oranti Macario, qui fuit excellentis vitæ, vox insonuit, ad eum dicens: Nondùm ad mensuram duarum mulierum peruenisti, quæ habitant in proxima ciuitate. Cùm Macarius intrans ciuitatem, quæsiuisset conuersationes earum, inuénit quòd erant vxores duorum fratrũ: & cùm quindecim annis simul moratæ fuissent, nunquàm litigâssent inter se, nec vna aliam vnquàm facto aut dicto contristauerit.

Exemplum de merito non contẽdendi.

Circa tertium notandũ, quòd sex solent esse occasiones contentionis & litis. Vnum est rerum proprietas: quia enim vnus dicit, hoc est meum: alter, immò est meum: surgit indè contentio & lis. Propter quod 1.
dicit Seneca: Quietissimè viuerent homines, si tollerentur ista duo pronomina, Meum & Tuum. Aliud, est carnis neces- 2.
sitas, vt cùm non prouidetur alicui, sicut caro sua requirit. Iaco. primo: Vndè lites in vobis? nónne ex concupiscentijs, quæ militant in membris vestris? Tertium, 3.
est superbia: quia, vt frequenter, duo superbi non possunt pacificè simul cohabitare. Prouerbiorum decimotertio: Inter superbos semper iurgia sunt. Hinc patet, quàm longè lites & contentiones debent esse à schola disciplinæ sanctæ religionis, in qua discipuli nihil debent habere proprium, qui debent esse ex toto secundùm carnem mortificati, & summè humiles.

Sex, quæ sunt occasio litis & contentionis.

Quartum, est honoris inuidia. Prouer- 4.
biorum tertio: Non contendas aduersùs hominem frustrà, cùm ipse tibi nihil mali fecerit. Quintum, est contrarietas sensu- 5.
um, sicut elementa propter contrarietates qualitatum. Psal. Effusa est contentio super principes, & errare fecit eos in inuio, & non in via. quod exponit Glo. de hominibus diuersi cultûs. Vndè exemplificat de hæreticis, qui contendunt contra catholicos. Sextum, cupiditas temporali- 6.
um. Matth. 5. Qui vult aduersùm te contendere, & tollere tunicam, dimitte ei & pallium. Glo. id est, antequàm contendas: sic enim canes contendunt propter cadauera. Circa quartum attendendum, quòd lis solet interdùm oriri inter minores, sicut inter familiã domûs: contra quod 2. Tim. 2. hortatur Apostolus: Admone seruos, nõ litigiosos esse. Interdùm verò sunt aliqui maiores, qui tanquam leo in domo sua loqui nesciũt minoribus, nisi litigiosè. Isti sunt similes Nabal viro rusticano, de quo dicunt serui eius 1. Reg. 25. Et ipse est filius Belial, ità vt nemo possit ei loqui. Interdũ verò aliqui minores non verentur litigare cũ maioribus suis, more populi Iudaici: de quo dicitur Exodi 17. Iurgatus est contra Moysen. Primũ, est malũ: secũdum, peius: tertium, pessimum. Et ideò reputatur magna culpa, quandò quis in religione cõtendit siue lites habet cũ prælato. Item notandũ, quòd grauius est religioso litigare & contendere cũ extraneo, quàm cum fratre, propter scandalũ maius. Ideò dicitur Isa. 42. in laudẽ serui Dei: Nõ audietur vox eius foris. Item stultius est, litigare cũ homine iracũdo, q̃ cum homine trãquillo, & hoc propter maius periculũ peccati in eo, quia plùs inflãmatur ad malum propter talem dispositionem. Ideò dicitur Ecclesiast. 8.

Psalm. 106.

Diuersa genera contẽdentium.

Grauius est religioso contendere cum extraneo.

Cum iracundo non facies rixam. Item damnosius est litigare cũ magnatibus, quàm cum minoribus: quia plùs possunt nocere. Ecclesiastici 8. Non litiges cum homine potente, nè incidas in manus illius. Meritò ergò sanctus pater exhortatur discipulum, vt non amet contentiones. Circa

Plura remedia ad vitandas contentiones.

quintum notandum, quòd ad cauendum
lites & contentiones, plura sunt remedia. Primum, est refrenatio interioris
commotionis per silentium. Sicut enim
1. qui dimittit aquam, fit caput iurgiorum, sicut dicitur Prouerbiorum decimoseptimo, quia (vt ait Glosa) qui linguam non refrenat, concordiam dissipat: ità econtrariò, qui continet huiusmodi impetum, causa est quietis & pacis. Et ideò benè dicitur Ecclesiastici vigesimooctauo: Abstine te à lite, quasi dicat, facias tibi vim, nè
2. prorumpas in litem. Secundum, est declinatio à colloquio cum viro litigioso. Ecclesiastici octauo: Non struas ligna in ignem linguati. quod fit, cùm habentur
3. verba cum eo. Tertium, est declinatio verborum habentium materiam litigiosam. 2. Timoth. 2. Stultas & sine disciplina quæstiones deuita, sciens quòd generant li-
4. tes. Quartum, est cauere ab illis, quæ sunt occasio litis, quæ sunt, iactantia. Prouerbiorum vigesimooctauo: Qui se iactat & dilatat, iurgia concitat. Item derisio. Pro-
uerbiorum 22. Eijce derisorem, & exibit cum eo iurgium. Item iracundia. Ecclesi. 28. Homo iracundus accendit litem. Item peruersitas. Prouerb. 16. Homo peruersus
5. excitat lites.

Concitātia litem.

TRACTATVS L.

De lxvij. lxviij. & lxix. instrumentis: vbi de elatione fugienda, & de veneratione senum, & dilectione omnium.

SExagesimumseptimum instrumentum est: *Elationem & iactantiam fugere.* vt possit discipulus scholæ religionis, cum sancto viro Dauid dicere: Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Elatio, cùm videatur esse quædam extra siue supra vires latio, nihil aliud in hoc loco significare videtur, nisi mentis superbiam, siue præsumptuosam elationem, quæ radix est omnis peccati. Vndè sanctus pater iubendo elationem fugere, docere visus est omnia vitia resecare. Nam, vt dicit Policrato lib. secundo, A rescunt riuuli, si fontis vena præscinditur: nec rami conualescunt, radice succisa: deficiunt vitia, si elatio iuguletur. Et Bernard. in sermone sancti Andreæ: Initiũ omnis peccati, & causa totius perditionis, superbia. Propterea quisquis es, qui salutē tuā operari studes, aduersùs hanc super caput tuum signũ sanctæ crucis habere memento, & non eleueris in superbiā, nec extoltetur cor tuum. Quia de hoc plurima dicta sunt circa instrumentum 35. solùm hîc notanda veniunt octo remedia, quibus discipulus vti debet contra elationem siue superbiam insurgentē. Primum est &c. Vide suprà circa instrumentũ 35. Sexagesimumoctauum instrumentum est: *Seniores venerari.* De quo Dominus Leuit. 19. mandatum tribuit, dicens: Coram cano capite consurge, & honora personam senis. Senes autem in hoc loco appellantur omnes superiores, statu, gradu, officio, dignitate, ordine, meritis, & sanctitate. Omnes isti, seniores intelligi & appellari possunt. Quia de honoris mutua exhibitione, suprà circa octauũ instrumētum plurima dicta sunt, dicendum tantùm hîc venit de decē modis honorandi seniores. Primus modus est,

Psal. 130.

Elationis etymologia.

Octo remedia contra insurgentem elationem.

Senum nomine qui intelligantur.

Decē modi honorandi seniores.

diligentem & humilem præstare audien- 1.
tiam loquenti. Vndè Sapient. 8. loquens sapiens de honore, quem propter sapiētiam habiturus est, dicit: Tacentem me sustinebunt, Glosa: non audebunt loqui, & loquentem me respicient, Glo. attenti ad sermones, & sermocinantē me plura, manus
ori suo imponent. Secundus est, assurge- 2.
re venienti. Leuit. 19. Coram cano capite
consurge. Tertius est, assistere sedēti mo- 3.
re angelico. Isa. 6. Vidi Dominum sedentem. & pòst, Seraphin stabant super illud, scilicet solium sedentis. Danielis 7. Deciès milliès centena millia assistebant ei, scili-
cet, sedenti. Quartus est, comitari ince- 4.
dentem. 2. Regum 15. Vniuersi serui regis ibant iuxta eum, scilicet, regem Dauid, quasi comitantes illum, cùm egrederetur
de Ierusalem, fugiens Absalonem. Quin- 5.
tus consistit in signis humiliationis, vt sunt inclinatio, genuflexio, prostratio, & huiusmodi. Ecclesiastici tertio: Et ab humilibus honoratur. quod si verum est de Deo, eâdem ratione de quocunque coram
quo nos humiliamus. Sextus est in serui- 6.
tij exhibitione, vt est lotio pedum, administratio aquæ ad manus, &c. Ecclesiast. 3. Qui timet Deum, honorat parentes: & quasi dominis seruiet his, qui se genue-
runt. Septimus est in munerum honora- 7.
bilium collatione, vt est honorabilius ferculum, vel vestis, vel huiusmodi. Vndè Nume. 24. dixit Balac ad Balaam: Decreueram quidem magnificè te honorare, scilicet, muneribus: sed Deus priuauit te ho-
nore disposito. Octauus est, in propriæ 8.
magnificentiæ depositione, vt fit, cùm quis fertum vel caputium deponit coram magnate. Apoc. 4. Cùm darēt illa quatuor anima-

animalia honoré ſedenti ſuper thronum,
viginti quatuor ſeniores mittebant coro-
nas ſuas ante thronum. Et hoc, pro hono-
9. re & reuerentia ſedentis in throno. No-
nus, in alterius præpoſitione: vt fit, cùm
præponitur in ſede, vel in via, vel in
actu quocunq; honeſtior, iuxta illud Ec-
cleſiaſt. 21. Loquere maior natu: decet enim
Nomen præpoſiti.
te. Et ideò prælati dicuntur præpoſiti, ad
Heb. 32. Mementote præpoſitorum veſtro-
rum. videlicet, quia præponuntur in hu-
10. iuſmodi. Decimus, in benedictionis peti-
tione: quod fit, cùm petitur, vt benedicat
ſe. Vnde Gen. 27. dixit Iacob patri ſuo Iſa-
ac: Benedicat mihi anima tua. Item Eſau:
Benedic & mihi pater mi. Sunt & alij mul-
ti, quos ratio & vnctio ſecundùm perſo-
narum qualitatem pro tempore docet ex-
hibere, ſecũdùm quos poterit diſcipulus,
iuxta ſancti patris doctrinam, venerari ſe-
niores. Sexageſimumnonum inſtrumen-
tum eſt: *Iuniores diligere.* Hoc poteſt legi ſin-
gulariter, vt maiores reſpiciat, ſicut præce-
dens inſtrumentum minores: àc ſi diceret,
Sicut reuerentia debetur maiori à iuniore,
Quomodò debent ſeniores iuniores diligere.
ſic dilectio debetur minori à ſeniore. Seni-
ores ergò minores diligere debent, quem-
admodùm patres filios prouidentia pieta-
tis, nutriendo paruulos, doctrina veritatis
erudiendo ignaros, exemplo ſanctitatis di-
rigendo deuios, vbere conſolationis robo-
rando infirmos, virga correctionis corri-
gendo inquietos, ſtimulo exhortationis
incitando pigros. Et ideò Leuiti. 19. dici-
tur: Honora perſonam ſenis. & 1. ad Ti-
moth. 5. Seniorem nè increpaueris, ſed ob-
ſecra vt patrem. Secundò poteſt hic textus
extendi indifferenter ad omnes, vt ſit ſen-
ſus: Diſcipulus ità debet diſcretione vti
circa perſonarum varietatem, vt ſeniores
veneretur, & diligat iuniores. Hugo de
Diſcretio perſonarũ dupliciter.
ſancto Victore: Diſcretio perſonarũ quan-
tùm quidem ad dilectionem, ſecundùm
meritum: quãtùm verò ad venerationem,
ſecundùm ætatem vel officium habẽda eſt.
Iuniores diligere, ſuperiores honorare de-
bemus: quia par contumacia eſt, ſiue in eo
qui propter gradum inferiorem hominis
virtutem deſpicit, ſiue in eo qui propter
vitam inferiorem gradum ſuperioré con-
temnit. Iſtis ergò honor, illis amor impen-
datur. Hæc ille.

TRACTATVS L.

De lxx. inſtrumento: vbi de ſignis charitatis inimicis exhibendis.

SEptuageſimum inſtrumentum eſt:
In Chriſti amore pro inimicis orare. Hoc eſt
quod Deus admonet Matth. 5. Ora-
te pro perſequentibus & calumni-
antibus vos, vt ſitis filij patris veſtri, qui in
cælis eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper
bonos & malos, ſuper iuſtos & iniuſtos.
Quia ſuperiùs circa inſtrumentum 31. habi-
ta eſt doctrina copioſa de dilectione ini-
micorum, tantùm duo hoc in loco notan-
da veniunt. Primò, de beneficijs, in qui-
bus ſcriptura ſancta perſuadet nobis erga
inimicos beneuolos eſſe. Secundò, an
de neceſſitate charitatis diſcipulus oblige-
tur, talia ſigna ſiue effectus dilectionis ini-
micis exhibere. Circa primum notandũ,
In quibus debeamus erga inimicos eſſe beneuoli.
quòd multa ſunt, in quibus ſcriptura ſan-
cta nos perſuadet erga inimicos eſſe bene-
uolos. Primò, in diligendo, Matth. 5. Di-
ligite inimicos veſtros. Secundò, pro eis 1.
orando. Lucæ 6. Orate pro perſequenti- 2.
bus & calumniantibus vos. Tertiò, eis be- 3.
nedicendo. ad Romanos 12. Benedicite per-
ſequentibus vos: benedicite, & nolite ma-
ledicere. Quartò, eis benefaciendo. Lucæ 4.
ſexto: Benefacite eis qui vos oderunt.
Quintò, eis neceſſaria vitæ miniſtrando. 5.
Prouerbiorum vigeſimoquinto: Si eſurie-
rit inimicus tuus, ciba illum. Sextò, in ne- 6.
ceſſitatibus adiuuando. Exodi vigeſimo-
tertio: Si videris aſinum odientis te iacere
ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis
eum. Septimò, malis eorum condolẽdo. 7.
Prouerbiorum vigeſimotertio: Cùm ceci-
derit inimicus, nè gaudeas. Octauò, pœ- 8.
nitentibus indulgendo. Lucæ 17. Si reuer-
ſus fuerit, dicens, Pœnitet me: dimitte illi.
Circa ſecundum notandum, quòd, vt ſan-
ctus Thomas docet in ſecunda ſecundæ, q.
25. effectus & ſigna charitatis, ex interio-
ri dilectione procedunt, & ideò proporti-
onãtur. Dilectio autem interior ad inimi-
Quandò diligere inimicos ſit de neceſſitate.
cum, in communi quidem eſt de neceſſita-
te præcepti, abſolutè: in ſpeciali aũt, non
abſolute, ſed ſecundùm præparationé ani-
mi, vt ſuprà circa inſtrumentũ 31. dictũ eſt.
Sic igitur dicendũ eſt de effectu vel ſigno
dilectionis exteriùs exhibendo. Sunt enim
quædã beneficia, vel ſigna dilectionis, quæ
exhibẽtur proximis in cõmuni: putà, cùm
aliquis orat, pro omnibus fidelibus, vel
pro toto populo: aut cùm aliquod benefi-
cium impendit aliquis toti cómunitati. Et
Qualia debeamus inimicis de neceſſitate præcepti.
talia beneficia vel dilectionis ſigna inimicis
exhibere, eſt de neceſſitate præcepti: quia ſi
non exhiberentur inimicis, hoc pertineret
ad liuorem vindictæ, contra id quod dici-
tur Leuitici 19. Non quæres vltionem, &
non eris memor iniuriarum ciuium tuo-
rum. Alia verò ſunt beneficia vel dilectio-
nis ſigna, quæ quis exhibet particulari-
ter aliquibus perſonis: & talia beneficia
vel dilectionis ſigna inimicis exhibere,
non eſt de neceſſitate ſalutis, niſi ſecun-
dùm præparationem animi, vt ſ. ſubueni-
atur ei in articulo neceſſitatis, ſecũdũ illud
Prou. 25. Si eſurierit inimicus tuus, ciba il-
lum:

Inimicis benefacere quandò sit perfectionis. lum: si sitit, potum da illi. Sed quòd præter
articulum necessitatis huiusmodi, benefi-
cia aliquis exhibeat inimicis, pertinet ad
perfectionem charitatis, per quam aliquis
non solùm cauet vinci à malo, quod ne-
cessitatis est: sed etiam vult in bono vince-
re malum, quod est etiã perfectionis: dum
scilicet non solùm cauet propter iniuriam
illatam detrahi ad odium, sed etiam pro-
pter sua beneficia inimicum intendit per-
trahere ad suum amorem. Et hoc modo ac-
cipienda est Glo. super illud Matth. 5. Be-
nefacite his qui oderunt vos: quæ dicit,
quòd benefacere inimicis, est cumulus per-
fectionis.

TRACTATVS LII.

De lxxj. instrumento: vbi de bono pacis & discordijs citò terminandis, & de causis huiusmodi.

SEptuagesimumprimũ instrumen-
tum est: *Cum discordantibus ante solis oc-
casum in pacem redire.* De quo Aposto-
Ira non debet diù teneri & quarè. lus ad Ephes. 4. Sol non occidat su-
per iracundiam vestram. Glo. Ipsa ira non
duret vsque ad occasum solis: quia si ex
ipsa infirmitate qua peccamus, surrepit ira
Christiano, non debet diù teneri & fieri
pridiana. Eijcienda est de corde, antequàm
occidat lux ista visibilis, nec deserat lux in-
uisibilis. Vult ergò Apostolus, quòd ira
non duret: quia si durat, datur diabolo oc-
casio. Iratus enim, malè cogitat: & sic se di-
abolus ingerit, vt mala peragat. Exemplũ
Exẽplum. in Vitis patrum: Abbas Agathon solebat
dicere, nunquàm cum ira dormiui, nec li-
tem habentem mecum dormire permisi,
quantùm ad virtutem meam pertinuit, ni-
si priùs reuerterer in pacẽ cum eò. Vbi no-
tanda tria sunt. Primò, de bono multi-
plici pacis, ratione cuius amanda est à di-
scipulo scholæ spiritualis. Secundò, de
his, quæ ad discordias & lites exortas ex-
tinguendas valent. Tertiò, de causis, qua-
Pax est amanda propter multa. rè discordiæ ilicò sunt sedandæ. Circa
primum notandum, quòd pax est amanda
propter multa. Primò, quia est naturale
1. desiderium eius in omnibus. Augustinus
Cap. 12. lib. 19. de ciuita. Dei: Sicut nemo est, qui
gaudere nolit: ità nemo est, qui pacem ha-
Et bellãtes pacem volunt. bere nolit: quandoquidem & ipsi qui
bella volunt, nihil aliud, quàm vincere,
volunt. Ad gloriosam ergò pacem bellan-
do volunt peruenire. Nam quid est aliud
victoria, nisi subiectio repugnantiũ? quod
2. cùm factum fuerit, pax erit. Secundum,
quia pax est verum bonum amicorũ Dei.
Psal. 124. Vnde super illud Psalmistæ, Pax super Is-
rael, dicit Glo. Vno verbo omnia bona di-
cit. Qui pacem non habet, infelix est. in
psalmo: Contritio & infelicitas in vijs eo- Psal. 13.
rum, & viam pacis non cognouerunt.
Tertium, est maximum bonum inter 3.
omnia bona terrena. Augustinus de ciuit.
Dei: Tantum est pacis bonũ inter omnia,
vt etiam in rebus terrenis atque mortalibus
nihil gratius, nihil desiderabilius concu-
pisci, nihil postremò possit melius inue-
niri. Quartum est, Dei filium constitui. 4.
Matth. 5. Beati pacifici, quoniam filij Dei
vocabuntur. Gregorius in Pastorali: Si vo-
cantur filij Dei, qui pacem faciunt: pro-
culdubiò satanæ sunt, qui confundunt.
Quintum, Deo in nobis habitaculum fa- 5.
cit. Psalm. 75. In pace factus est locus eius. Argumẽta quod Deus in nobis per pacem habitet.
Ad hoc significandum, templum Salomo-
nis in pacis tempore factum est, 3. Reg. 5.
Item ad idem ostendendum Deus nasci
voluit de virgine, cùm vniuersus orbis pa-
cem haberet. Hinc dicitur 2. Cor. 13. Pacem
habete, & Deus pacis & dilectionis erit vo-
biscum. Sextum, oculos mentis disponit 6.
ad visionem Dei. ad Hebr. 12. Pacem sequi-
mini cum omnibus & sanctimoniam, sine
qua nemo videbit Deum. A qua enim tur- Similitudo.
bata, non reddit imagines, vt ait Gregori-
us: sic cor turbatum, non clarè videt. Se- 7.
ptimum, spiritum nostrum Deo coniun-
git. ad Ephe. 4. Soliciti seruare vnitatem in
vinculo pacis. Octauum, bonorum spi- 8.
ritualium abundantiam acquirit. Psalmi-
sta: Fiat pax in virtute tua, & abundantia Psal. 121.
in turribus tuis. Chrysostomus de cõpun-
ctione cordis: Vbi pax est, ibi omnia pro-
sperabuntur, ibi sobrietas lucet, ibi vnani-
mitas regnat, ibi abstinentia coronatur.
Nonum, Deo amabilem reddit. Vndè Sa- 9.
lomon, quia pacificus vocatus est, vocatus
est amabilis Domino, 2. Reg. 12. Isidorus
libro de summo bono: Pax Deo hominem,
& homini Deum proximum reddit. De- 10.
cimum, ad æternam quietem perducit. ad
Roma. 14. Non est regnum Dei esca & po-
tus, sed iustitia & pax. Circa secundũ sci- Multa ad sedandas lites.
endum, quòd multa sunt huiusmodi, quæ
ad extinguendas lites & discordias, sanctos
viros legimus practicâsse. Primum est, re- 1.
cedere à loco, in quo lis aut discordia est.
Vndè in Vitis patrum legitur, quòd abbas De hoc habe exemplum notabile de beatissimo Benedicto.
monachis dimisit locum, in quo erat, pro-
pter quendam fratrem, qui semper habe-
bat iram cum eo, & transtulit se alibi ad
manendum. Ambrosius: Melius est migra-
re cum gratia, quàm habitare cum discor-
dia. Melius est sine lite abire, quàm cũ iur-
gio residere. Secundum est, silere, secun- 2.
dùm illud psalm. Posui ori meo custodi- Psal. 38.
am, cùm cõsisteret peccator aduersùm me.
Et Prou. 26. dicitur: Qui imponit stulto
silentium, iras mitigat. Tertium est, habe- 3.
re patientiam, ità vt nec verbo, nec signo,
nec

nec facto moueatur. Prouerbiorũ 16. Qui
patiens est, mitigat rixas suscitatas. Gregorius
in Moralibus: Nunquàm seruari concordiam,
nisi per solam patientiam solet.
4. Quartum est, si respõdere aliquid contingat,
quòd non respondeatur verbo duro,
quod prouocet: sed dulci, quod leniat.
Prou. 15. Responsio mollis frangit irã: ser-
5. mo durus suscitat furorem. Quintum est,
cedere causæ litis. Exemplum de Abraam,
Exẽplum. qui dicit Genes. 13. Loth fratri suo: Nè,
quæso, sit iurgium inter me & te. Ecce vniuersa
terra coram te est: recede à me, obsecro.
si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo:
si dexteram elegeris, ego ad sinistram
pergo. Et hanc viam commendat
Apostolus 1. Corinth. 6. Quarè non magis
iniuriam patimini? scilicet, quàm conten-
6. datis. Sextum est, non inniti iustificationi
causæ suæ. Ex quo enim quilibet laborat
in lite, ad ostendendum se rationem habere,
prolongatur lis: & per cessationem ab
istis, terminatur. Et ideò dicit Apostolus
ad Romanos 13. Non vos defendentes, cha-
7. rissimi, sed date locum iræ. Septimum,
humiliare se erga iniuriantem. Exemplum
Exẽplum. in Vitis patrum: Cùm duo germani commorarentur
in cella, diabolus volens eos
prouocare ad iurgium, extinxit lucernam,
quam minor posuerat super candelabrum:
propter quod senior percussit minorem
cum furore: minor verò prostratus in terram,
clamauit, dicens: Magnanimus esto,
Domine: & ego rursùs accendo eam. Et
statim propter humilitatem illius iunioris,
non potuit diabolus præualere. Quod
audiens quidam sacerdos idolorum, factus
est Christianus. Circa tertium notandum,
quòd multa sunt, quæ debent discipulum
mouere ad sedãdam ortam discordiam,
& pacem reparandam. Primum est,
quia Deus est amator pacis & concordiæ:
& per contrarium, odit discordiam. Ecclesiast.
25. In tribus beneplacitum est spiritui
meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus.
Concordia fratrum, &c. Secundum
est, quia ex discordia, si non citò terminatur,
oriuntur multa mala, sicut de
igne quandò est accensus, si non citò extinguitur.
Primum malum, est in corde
1. odium. Augustinus: Odium est ira inueterata.
Item Augustinus in epistola quadam:
Sicut acetum corrumpit vas, si diù
ibi fuerit: sic ira corrumpit cor, si in alium
diem durauerit. Hinc idem Augustinus
in regula: Lites aut nullas habeatis, aut
quàm celerrimè finiatis: ne ira crescat in
odium, & trabem faciat de festuca, & animam
faciat homicidam. Quantum autem
malum sit odium, suprà est ostensum cir-
2. ca instrumentum 64. Secundum malum,
quod sequitur, est malum in ore, quo

Multa mouere nos debent ad reparãdam pacem.

Multa mala ex discordia oriuntur.

læditur proximus, scilicet contumeliæ,
clamor, indignatio, blasphemiæ. Et ideò
dicitur Prouerbiorum 25. Quæ viderunt
oculi tui, nè proferas in iurgio citò: nè
posteà emendare non possis, cùm dehonestaueris
amicum tuum. In quo innuitur,
quòd discordia & iurgia generant verba
deturpantia & dehonestantia proximum.
Tertium malum, est malum in manu, 3.
quo ad percussionem. Isa. 57. Ecce ad lites
& contentiones ieiunatis, & percutitis pugno.
Hinc dicit Gregorius in Registro,
quòd discordia consueuit scandala generare.
Quartum, quia discordia & diuisio 4.
desolatiua est communitatis & societatis.
Matth. 12. Omne regnum in seipsum diuisum,
desolabitur. Glo. Ecclesiast. 21. Concordia
minimæ res crescunt, discordia maximæ
dilabuntur. Quintum est, quia dis- 5.
cordia reddit inutilia sacrificia nostra.
Discordes enim (vt ait Gregorius) tandiù
nullum boni operis sacrificium Deo immolant,
quandiù à proximorum charitate
discordant. Hinc Dominus ait Matth. 5.
Si frater tuus habet aliquid aduersùm te:
vade, & reconciliare fratri tuo. Sextum, 6.
discordia reddit hominem discordem à
Deo. Augustinus de verbis Domini: Non Ser. 57.
poterit habere concordiam cum Christo,
qui discors voluerit esse cum Christiano.
Idem: In scissura mentium Deus non habitat.
Septimum, discordia ducit ad per- 7.
ditionem. Glo. super Ioan. tertio: In
perpetuũ cum Cain damnabitur, qui hoc
genere homicidij tenetur, vt discordet à
fratribus.

Deus discordes non exaudit. Curæ past. part. 3. admon. 21.

TRACTATVS LIIII.

De lxxij. instrumento: vbi de multiplici ratione, quarè nunquàm desperandum sit de misericordia Dei.

SEptuagesimumsecundum instrumentum est: *De misericordia Dei nunquàm desperare.* sed semper sperãdum
est, de misericordia Dei, secundùm
illud Psal. Ego autem semper sperabo. Et
Oseæ 12. Spera in Deo semper tuo. Vbi notanda
sunt duo à discipulo. Primò, de causis,
quarè desperandum nullo modo sit de
misericordia Dei. Secũdò, de remedio contra
tentationem insurgentem desperationis.
Circa primum notandum, quòd quatuor
sunt causæ præcipuæ, propter quas
quantumcunq; quis angustiarum pressura
aut peccatorum pondere fuerit grauatus,
non sit desperandum de misericordia Dei.
Prima, quia misericordia Dei siue eius bonitas
incõparabiliter maior est omni mali- 1.
tia & iniquitate, cuiuscunq; grauitatis sit.

Propter quatuor nunquàm desperandũ est de misericordia Dei.

Aug. tanquàm ſcintilla ignis in medio maris, ſic omnis malitia ad miſericordiã Dei. Quarè idẽ lib. de differẽtia ſpiritûs & animæ: Nemo de Dei miſericordia diffidat, qa maior eſt miſericordia eius, q̃ noſtra iniquitas. Tardiùs ſiquidẽ videtur, peccatori veniã dare, quàm ipſi peccatori ipſam accipere. Sic enim feſtinat reũ abſoluere à tormẽto ſuæ cõſcientiæ, quaſi plùs cruciet eũ cõpaſſio miſeri, q̃ ipſum miſerum cõpaſ-

Cap. 5.

ſio ſui. Hæc Aug. Ille ergò ſolus (inquit idẽ Aug. lib. de vera & falſa pœnitentia) diffidat, qui tantũ peccare poteſt, quãtùm Deus bonus eſt: cùm ſit nullus qui hoc poſſit. Grego. ſuper Ezech. Nec vos veſtrorũ vulnerũ multitudo in deſperationẽ deprimat, quia maior eſt potentia medici, q̃ magnitudo languoris veſtri. Quarè dicit B. Amb. ſuper Lucã: Nemo diffidat, nemo veterum cõſcius delictorũ, de venia deſperet: nouit enim Deus mutare ſententiã, ſi tu nóueris

2. mutare delictũ. Secũdò, quia eſt grauiſſi-

Grauiſſimũ peccatorũ deſperatio.

mũ peccatorũ. 2. Reg. 2. An ignoras, quòd periculoſa ſit deſperatio? Et meritò. Eſt enim plaga inſanabilis, ſecũdùm illud Hierem. 30. Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua. Iſidor. in Glo. ſuper Gen. 4. Maior eſt iniquitas mea, q̃ vt veniã merear: dicit ſic: Peccata peccatis adijciens, deſperat, nec credit ſe veniã poſſe adipiſci: quod eſt blaſphemia in ſpiritũ ſanctum, quæ nõ remittitur in hoc ſeculo, nec in futuro: quia putat Deũ aut nolle dimittere, aut nõ poſſe, tanqàum omnia aut nõ poſſit, aut inuideat ſaluti. Iſidor. de ſummo bono: Qui enim de venia deſperat, plùs ſe deſperatione, quàm cõmiſſo ſcelere dãnat. Deſperatio auget peccatũ. Deſperatio eſt peior omni

3. peccato. Tertiò, eſt peccatũ plurimùm iniurioſum diuinæ maieſtatis. Chryſ. Vnuſquiſq; poſitus in peccato, ſi de venia deſperauerit, miſericordiã funditùs perdit. Nihil enim ſic offendit Deũ, quemadmodùm deſperatio. Auguſt. Qui deſperat de venia peccatorũ, Deum negat eſſe miſericordem. Magnã iniuriã Deo facit, qui de eius miſericordia diffidit: quantùm in ſe eſt, negat Deũ habere charitatẽ, veritatẽ, & poteſtatẽ, in quibus cõſiſtit tota ſpes mea. Hieron.

Epiſt. 46. ad Ruſtic.

in epiſtola quadã: Nihil ità offendit Deũ, ſicut deſperatione meliorũ hærere prioribus. Et ideò idẽ Hiero. ait, ꝙ Iudas plùs offendit Deũ, quãdò ſe ſuſpẽdit, quàm quã-

4. dò eũ tradidit. Quartò, quia eſt multùm grata diabolo aduerſario noſtro. Cũ enim quis deſperat, manifeſtè oſtẽdit ſe iã deuictũ eſſe à diabolo, quod illi gratiſſimũ eſt. Ambr. Ideò diabolus deſperationẽ ſubijcit in peccato, vt ſpẽ à nobis Dei abſcindat, quę eſt ſalutis noſtrę ancora, vitę noſtrę fundamentũ, dux itineris, quo itur ad cælum.

5. Quintò, eſt multùm noxia. Aufert enim omne robur & fortitudinem ab homine. Prou. 24. Si deſperaueris lapſus, in die anguſtię imminuetur fortitudo tua. Glo. Nihil execrabilius deſperatione, quã qui habuerit, & in generalibus huius vitæ laboribus, &, quod peius eſt, in fidei certamine, conſtantiã perdit. Circa ſecundũ notandum, ꝙ quinq; remedia poſſunt aſſignari cõtra deſperationis vitiũ. Primũ, eſt conſideratio infinitatis diuinæ miſerationis.

Quioque remedia contra deſperationẽ.

1. Bernar. Cùm ſentio te iratũ, tunc maxime confido propitium: quia cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Aug. Erubeſcat humana pigritia: plus vult ille dare, quàm nos nos accipere: plus vult ille miſereri, quàm nos à miſeria liberari. Secun- 2.

Serm. 42. in Cantica.

dum, eſt memoria Dominicæ paſſionis. Bernar. Peccaui peccatũ grande: conſcientia mea turbatur, ſed nõ perturbatur: vulnerum recordabor: quid tam ad mortem, quod non Chriſti morte ſoluatur? Si in mentẽ venerit tam potens, tam efficax medicamentum, nulla iam poſſum morbi malignitate terreri. Tertium, eſt conſide- 3.

ratio magnæ virtutis ipſius pœnitentiæ, quæ ità virtuoſa eſt medicina, vt contra eam nulla ſpiritualis infirmitas præualeat. Eccleſiaſt. 10. Curatio (Glo. pœnitentiæ) ceſſare faciet peccata maxima. Vnde beatus Martinus legitur dixiſſe diabolo: Si veram pœnitentiam poſſes habere, adhuc veniam conſequi poſſes. Quartum, eſt conſidera- 4.

Pœnitentiæ potentia.

tio illarum perſonarum, cum quibus Dominus legitur miſericorditer egiſſe. Bernardus: Omninò propter mãſuetudinem quæ in te prædicatur, currimus poſt te, Domine Ieſu, audientes quòd non ſpernas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruiſti confitentem latronem, non lachrymantem peccatricem, non Chananæam ſupplicantẽ, nõ depręhenſam in adulterio, non ſedentem in telonio, non ſupplicantem publicanum, non negantem diſcipulum, non perſecutorẽ diſcipulorum, nõ ipſos crucifixores tuos: in odore horũ currimus. Quintũ, eſt efficacia deprecati- 5.

Serm. 22. in Cantica. Exempla benignitatis Chriſti.

onis glorioſiſſimæ virginis Dei genitricis Mariæ, quę mater eſt miſericordiæ. Bernardus in ſermone quodam: Si criminum immanitate turbatus, ſi conſcientiæ fœditate confuſus, ſi iudicij horrore perterritus, ſi barathro incipias abſorberi triſtitię, deſperationis abyſſo: Mariam cogita, Mariã inuoca: non recedat à corde, non recedat ab ore. Nam ipſam cogitans, non erras: ipſam rogans, non deſperas: ipſam ſequens, non deuias. Ipſa tenente, non corruis: ipſa protegente, non metuis: ipſa duce, non fatigaris: ipſa propitia, peruenis: & ſic in temetipſo experiri poteris, quàm meritò dictum ſit, Et nomen virginis Maria, id eſt, ſtella maris.

Efficacia deprecationis beatiſſimę virginis.

Ho. 2. ſuper Miſſus eſt.

TRA-

TRACTATVS LIIII.

De mercede danda discipulis, prædicta instrumenta artis spiritualis adimplentibus: & de idoneitate loci, vbi hæc adimplenda sunt.

E*Ccè hæc sunt instrumenta artis spiritualis: quæ cùm fuerint à nobis die noctúque incessabiliter adimpleta, & in die iudicij reconsignata, illa merces nobis à Domino recompensabitur, quam ipse promisit: quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum.* Enumeratis bonorum operum artis spiritualis instrumētis, subiungit sanctus pater de mercede, quæ danda est operantibus & adimplentibus illa, dicens: quòd si hæc instrumenta artis spiritualis fuerint à nobis adimpleta, *& in die iudicij,* tanquàm instrumenta veritatis, *reconsignata,* id est, cognita & approbata, merces illa retributione recompensabitur sempiterna. De qua dicit sapiens Ecclesiastici 2. Qui timetis Deum, seruite illi, & non euacuabitur merces vestra. Fidelis enim, fideliter ei seruienti mercedem retribuet iuxta opera sua. Sapient. 16. Reddidit iustus mercedem laborum suorum, & deduxit illos in via mirabili.

Quomodò dicimur die ac nocte operari Dei mandata.

Circa hunc articulum sunt duo parua notabilia: Primò, quomodò est intelligendū, quòd sanctus pater dicit: *Si has instrumenta fuerint à nobis die noctúque incessabiliter adimpleta.* Secundò, de incompræhensibilitate mercedis beatorum. Circa primum notandum, quòd tunc *nocte diéque instrumenta illa incessabiliter dicuntur adimpleri,* quandò nihil illis contrarium fit, quemadmodùm accipitur illud psalmi 1. Qui in lege Domini meditabitur nocte dieque. Et illud Lucæ 18. Oportet semper orare, & non deficere. Item illud 1. Thessalon. 5. Sine intermissione orate. Quippe non desinit meditari in lege Domini, qui nihil facit meditationi contrarium. Et sine intermissione orat, qui nihil facit orationi contrarium.

Incompræhensibilis est sanctorū merces.

Circa secundum notandum, quòd Apostolus volens ostendere incompræhensibilē esse mercedem dandam adimplentibus præfata sancta opera, inquit 1. ad Corint. 2. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum. August. Quod Deus præparauit diligentibus se, fide non capitur, spe non attingitur, charitate non compræhenditur, desideria & vota transgreditur: acquiri potest, existimari non potest.

Hom. 17. in Euang.

Gregorius in homilia: Quæ enim lingua dicere potest, aut quis intellectus capere sufficit, supernæ felicitatis quanta sint gaudia, angelorum choris interesse, cum beatis spiritibus in gloria semper consistere, præsentem vultum Dei cernere, incircunscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuo munere lætari. Hinc Dominus Lucæ sexto ait ad discipulos: Gaudete, & exultate: eccè enim merces vestra multa est in cælo.

Merces sanctorum habet tres proprietates excellētes.

Vbi merces sanctorum designatur tres
proprietates habere excellentissimas. Ha-
bent enim primò indefectibilem firmita-
tem, cùm dicitur, vestra, id est, vobis irre-
uocabiliter danda. Ecclesiast. 2. Qui time- 1.
tis Deum, credite illi, & non euacuabitur
merces vestra. Et Ecclesiastici 18. Non ve-
rearis iustificari vsque ad mortem: quia
merces tua viuet in æternum. Secundò, 2.
habet bonitatem inexhauribilem, cùm di-
citur, multa. Genes. 15. inquit Dominus ad
Abraam: Noli timere, Abraam: ego prote-
ctor tuus, & merces tua magna nimis.

Immēsitas æternæ mercedis, diuersis vocabulis rectè exprimitur.

Vbi
considerandum, quòd merces sanctorum
dicitur multa, dicitur magna, dicitur pre-
ciosa, & dicitur perpetua: vt ait Bernard.
Tam multa dicitur esse, quòd non potest
numerari: tam magna, quòd non potest
æstimari: tam preciosa, quòd non potest
comparari: tam diuturna, quòd non po-
test terminari. Vide de hoc suprà circa in-
strumentum 46. vbi de æterna vita plura
dicta sunt. Tertiò habet dignitatem in- 3.
comparabilem, cùm dicitur, in cælo. Res
enim excellentior reputatur & nobilior,
quæ datur in loco nobiliori. Felicitas enim
sanctorum, non cōsistit in caducis & cor-
ruptibilibus, sed in bonis optimis & diui-
nis, incorruptibilibus ac dignissimis. Se-
quitur: *Officina verò,* (id est, loca) *vbi hæc omnia
diligenter operemur, claustra sunt monasterij & sta-
bilitas in congregatione.* Descriptis instrumen-
tis artis spiritualis, & mercede adimpletio-
nis eorum: hîc sanctus pater describit ido-
neitatē loci, in quo hæc adimplenda sunt.
Sensus est: Loca, in quibus hæc sancta ope-
ra descripta, & infrà describenda, diligen-
ter à nobis sunt exercenda, *claustra sunt,* id
est, loca sub claustris existentia: *& stabilitas
in congregatione,* id est, in quibus stabiliter vi-
uatur. quasi diceret: Duo sunt necessaria in

Duo necessaria in monasterio.

monasterio, in quibus operemur prædicta:
scilicet, Clausura, vt nullus exeat, nemo
intret, sine licentia maioris. Secundum, est
stabilitas conuersationis in congregatio-
ne. Bernardus in epistola ad fratres de mō-
te Dei: Omnium bonorum horum offi-
cina, cella est, & stabilis perseuerantia in
ipsa. Et paulò pòst subdit: Impossibile

Contra frequentes mutationes locorū.

est, hominem fideliter figere in vno ani-
mum suum, qui non priùs in aliquo loco
perseueranter affixerit corpus suum. Nam
qui ægritudinem animi, migrando de lo-
co ad locum, effugere nititur: sic est, sicut

qui fugit vmbrã corporis ſui: ſeipſum fugit, ſeipſum circũfert: locum mutat, non animũ: eũdemq; ſe inuenit: niſi, ꝙ deteriorem facit ipſum mobilitas, ſicut lædere ſolet ægrum, qui circunferendo concutitur.

Vbi notandum, quòd in verbis iſtis ſanctus pater hoc genus monachorum contra alia tria genera diſtinxiſſe videtur. Per primum, ſcilicet per clauſuram loci, genus videtur excludi monachorum, ſcilicet eremitarum, qui loca deſerta inhabitant. Per ſtabilitatem verò in congregatione, alia duo genera, ſcilicet, Sarabaitarum, qui ſine paſtore, ſine regula viuunt: & Gyrouagorum, qui vagi & nunquàm ſtabiles ſunt. Vel ſenſus huius literæ eſt: Nullus ad operandum aliqua eorum, quæ dicta ſun, loca extra monaſterium quærere præſumat. Nullus ſub occaſione viſitandi infirmos, ſepeliendi mortuos, vel aliquid aliud huiuſmodi, procedat in publicum: quia officina, vbi hæc operantur, clauſtra ſunt: quæ ità apta debent eſſe, vt eis poſſit eſſe ſtabilitas in congregatione. Sed nunquid extra huiuſmodi clauſtra, hæc quæ tradũtur in regula, ſunt obſeruanda? Reſpondetur, quòd quędam ſunt, quæ dependent à loco, ſicut illud, vt mihi videtur, de capitulo regulæ, Omni tempore ſilentio debent ſtudere monachi, & ſimilia: & ad hoc non videtur teneri quis extra monaſterium. Quædam verò ſunt, quæ non pendent à loco, vt habitûs honeſtas, & huiuſmodi: & hæc ſunt vbiquè ſeruanda &c.

Notanda deciſio.

IN CAPVT V.

TRACTATVS LV.

Vbi de obedientia diſcipulorum, qualis eſſe debeat.



PRimus humilitatis gradus eſt, obedientia ſine mora. Superiùs ſanctus pater Benedictus in quadam generalitate deſcripſit inſtrumenta artis ſpiritualis conquirendi vitam æternam. Nũc in ſpeciali proſequitur ea, quæ maximè componunt monaſticam vitam, & incipit ab obedientia, quæ potiſſima pars religionis eſt, dicens: *Primus gradus religionis, eſt obedientia ſine mora.* Quæritur, cur beatus Benedictus hoc loco primum humilitatis gradum dixerit obedientiam, cùm ſecundus ibi non ſuccedat: immò in capitulo ſeptimo regulæ, timorem, primum humilitatis gradum deſcribit. Ad hoc reſpondetur, quòd primum, hoc loco poſitum, non ordinem dicit: vt primus dicatur, quia ſecũdus ſequitur: ſed potiùs magnitudinem aut excellentiam dicit, veluti eſt illud Lucæ 12. Primùm quærite regnum Dei. vt ſit ſenſus, Obedientia eſt præcipuum, quo humilitatis virtus cuſtoditur, fouetur, & roboratur. Nullus quippe per ſe gradus humilitatis ſubſiſtit, ſi obedientiæ viribus fulciri deſit. Nam vera humilitas ipſa eſt, quam obedientia comes non deſerit. Gregorius in Moralibus: Sola obedientia virtus eſt, quæ cæteras virtutes menti inſerit, inſertaſque cuſtodit. Hinc Apoſtolus de CHRISTO loquens, has duas virtutes ſimul coniungit, dicens: Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, ad Philippen. ſecundo. Vel reſpondetur, quòd humilitas in hoc loco dicitur vita monaſtica ſiue ſtatus religionis: quem beatus Bernardus ſuper Miſſus eſt, vocat ſcholam humilitatis. Et vij. quæſt. j. in c. hoc nequaquàm. Monachorum vita ſubiectionis habet verbum & diſcipulatũs. Huius autem *humilitatis* id eſt, religionis, *primus gradus*, id eſt, potior, *eſt obedientia*, quæ eſt ſpontanea intuitu Dei propriæ voluntatis abnegatio. Circa obedientiam tria notanda occurrunt, iuxta tres partes huius capituli.

Quomodò obedientia dicatur primus humilitatis gradus.

Vera humilitas.

lib. 35. c. 12.

Hom. 4.

Primò, de commendatione excellentiæ huius virtutis. Secundò, de cauſis obediendi. Tertiò, de conditione & qualitate, quam debet habere obedientia diſcipuli. Circa primum notandum, quòd ſtatus quo ſub obedientia viuitur, valdè eſt laudabilis, multiplici ratione. Primò quidem, quia per obedientiam virtuti multum adijcitur. Cùm enim ſapiens dicat, Hoc ſolum virtuti adijcies, quod propriæ voluntati detraxeris: multum virtuti adijcitur, cùm per obedientiam propria voluntas omninò amputatur. Eſt enim obedientia ſubiectio, qua homo ſpontaneè intuitu Dei alterius hominis ſubditur voluntati. Additionem verò ad virtutem, ſequitur additio ad premium. Ideò præmium viuentium ſub obedientia, valdè eſt magnum, ſicut oſtenſum eſt cuidam patri in ecſtaſi poſito, qui vidit quatuor ordines ante Deum. Primus, erat hominum infirmantium, & gratias DEO agentium. Secundus, hoſpitalitatem ſectantium, & inſtanter miniſtrantium eis. Tertius, ſolitudinem ſectantium, & non videntium homines. Quartus eſt eorum, qui ad obediendum patribus ſpiritualibus ſe ſubijciunt propter DEVM. Erat autem illis tribus, ordo ſub obedientia viuentium ſuperior: vtebaturque torque aurea, & maiorem gloriam præ cæteris poſſidebat. Et cùm quæreret ſenex, quarè hoc? reſponſum eſt ei: Quia omnes alij habent aliquam requiem in adimplendo proprias voluntates, quanuis in bonis operibus. Obediẽs autem, omnes voluntates ſuas relinquens, totus pendet in voluntate patris ſpiritualis.

Status obedientiæ eſt valdè laudabilis multiplici ratione.

I.

Obedientię diffinitio.

Exemplum de præmio obedientię.

Ratio maioris meriti obedientię.

Secun-

2. Secundò, per obedientiã triumphus nobilissimus acquiritur. Nobilissimum genus triumphi est, vincere seipsum: quod facit obediens. Prouerbior. 21. Vir obediens loquetur victorias. Et super illud primi Regum 15. Melior est obedientia, quàm victimæ, dicit beatus Gregorius: Vir obediens loquitur victorias. Dum enim alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Prouerb. 16. Melior est qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium. Multi vrbes & regna sibi subiugauerunt, qui tamen ad hunc triumphum nobilem non peruenerunt. Hic triumphus proprius est hominis. Vincit leo vel aliud animal cætera animalia: seipsum autem vincere non potest. Seneca: Qui seipsum vincit, contra omnia fortis est. Tertiò,
3. per obedientiam meritorum abundantia cumulatur. Aliæ enim virtutes multa lucrantur circa vnam materiam: obedientia verò, circa omnia, & quasi continuè. Sicut ergò mercator, qui circa omne genus negociationis & omni tempore & in preciosis mercibus negociatur, facilè ditatur: ità & huiusmodi. Et ideò potest benè dici Prouerbiorum vltimo: Obedientiæ multę filiæ, id est, virtutes filiæ spiritûs sancti, congregauerunt diuitias: tu verò supergressa es vniuersas. Vndè obedientia, vt ait beatus Gregorius, nõ tam virtus est, quàm mater virtutum. Quartò, obedientia ho-
4. minem de Dei placito certificat: nisi enim sit malum, quod à superiore præcipitur, sic accipiendum est, àc si à Deo præciperetur. Lucæ decimo: Qui vos audit, me audit. Bernardus: Quicquid vice Dei præcipit homo, quod non sit certũ displicere Deo, haud secùs omninò accipiendum est, àc si præceperit Deus. Quintò, obedientia ho-
5. minem à solicitudine suipsius exonerat. Alij enim incumbit solicitudo, & spiritualiter & temporaliter, pro illo, qui in religione est. Vndè cùm alleuiatus sit etiam à seipso, valdè repræhensibile est in eo, si pigritia torpet, & non proficit. Valdè fatuus est, si onus iterùm resumit. Bernardus super Cantica: Qui vestri curam semel nobis credidistis, quid rursùs de vobis vos ite-
6. rùm intromittitis? Sextò, obedientia hominem à periculo conseruat. Prouerb. 19. Qui custodit mandatum, custodit & animam suam. Et Ecclesiastes 8. Qui custodit præceptum, nõ experietur quicquam mali. Obedientia enim quasi eques vadit. Alieno enim sensui & alienæ voluntati quasi alienis pedibus innititur: ideò nõ maculatur nec læditur. Inquinatio enim & læsio, imperantis est, & non obedientis, nisi ma-
7. nifestè sit malum, quod imperatur. Septimò, obedientia mentem castigat à libidine propriæ voluntatis, secundùm illud

Lib. 42. Moral. cap. 12.

Proprius hominis triumphus.

Cõparatio.

Simile habet Aug. li. 14. de Ciuit. Dei, cap. 12.

Singularis obedientiæ effectus.

De præcepto & dispensat. c. 12.

Magnus defectus religiosi.

Obedientia facit homi. castũ.

1. Pet. 1. Animas vestras castificantes in obedientia charitatis. Sicut ramus nobilis arboris, arborem siluestrem reddit domesticam, sic obedientia mentem libidinosam reddit castam. Gregorius in Moralibus: Sola obedientia, virtus est quæ cæteras virtutes menti inserit, insertasque custodit.

Octauò, obedientia hominem supra se leuat. Thren. 3. Leuauit se supra se. Cùm enim per obedientiam homo propria exuatur voluntate, & formam quodammodò ac dignitatem induat superiorũ, quorum imperio & sapientia viuit & regitur: rectè dicitur, quòd discipulus obediendo supra se ascendit & eleuatur. Vndè Ambrosius super Lucam: Disce esse cum Christo, vt possis esse supra mundum. Et Apostolus ad Gala. 2. Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus. Nonò, obedientia 9.
statui cęlestium assimilatur. ipsa est imago hominis cælestis, sicut inobedientia imago hominis terreni. 1. Corinth. 15. Sicut portauimus imaginem terreni, sic portemus & imaginem cælestis. Obedientia facit, vt Dei voluntas sic fiat in terra, sicut fit in cælo. Vndè obedientia, sicut dicitur in Vitis patrum, est salus omnium fidelium, genitrix virtutum, cælos aperiens, homines de terra eleuans, cohabitatrix angelorum, cibus omnium sanctorũ. Decimò, 10.
per obedientiam acceptissimum Deo sacrificium offertur. Per pietatẽ enim offeruntur Deo res temporales: per abstinentiam, propria caro: per obedientiam verò, propria voluntas. 1. Regum 15. Melior est obedientia, quàm victimæ: & auscultare, magis quàm offerre adipẽ arietum. Gregorius: Quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò propria volũtas mactatur: obediẽtia quasi quoddam martyrium est. Obediẽs enim, quasi proprium caput, pro Christo sibi amputat: & caput sibi constituit Christũ, vel illũ qui loco Christi est. Gregorius: Tanto Deum quisq; citiùs placat, quanto, ante eius oculos repressa arbitrij sui superbia, gladio præcepti se immolat. Vndecimò, per obediẽtiam Deus ho- 11.
mini perfectè dominatur. Qui obedientiam promittit, dominio sui se exuit: & illum, qui locum Dei tenet, in possessionem sui ponit. Matth. 16. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & sequatur me. Felix qui potest dicere prælato suo aut Deo illud psal. Vt iumentum factus sum apud te. Glo. mãsuetus, ferendo onera. Et tamen propter hoc nõ recedo à te: sed ego semper tecum. Duodecimò, per obedien- 12.
tiam Deus multùm glorificatur. Isa. 58. Si glorificaueris eum, dum nõ facis vias tuas: & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonẽ: tũc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudinem terræ, &c.

Lib. 35. ca. 12.

Laus obedientiæ.

li. 15. Moral. cap. 12.

Obedientia martyrio cõparatur.

Ibidem.

Psal. 72.

Per obediẽtiam præcipuè Deus glorificat.

&c. Glo. interli. In æterna beatitudine.
&c. Multùm glorificat Deum verus obedi-
ens, qui paratus est facere eius beneplaci-
tum, etiam si mandetur ei per vilem per-
sonam: ideò meritò ab eo glorificatur. 1.
Regum 2. Quicunq; honorificauerit me,
glorificabo eum: qui autē me contemnit,
13. erit ignobilis. Item decimotertiò, facit
preces apud Deum efficaces. Gregorius: Si
obedientes fuerimus præpositis nostris,
obediet Deus orationibus nostris. & hoc
iustum est. Qui enim huiusmodi præpo-
sitos audit, Deum audit, iuxta illud Lu-
cæ 10. Qui vos audit, me audit. Et ideò
tales ipse libenter audit. Augustinus lib.
Cap. 14. de opere monachorum: Citius exauditur
vna oratio obedientis, quàm decem millia
14. contemptoris. Quartodecimò, obedien-
tia homini pacem dat. Prouerbiorum de-
cimotertio: Qui timet præceptum, in pace
versabitur. Psal. 118. Pax multa diligenti-
bus legem tuam. Dicitur primi Macha-
bæorum 14. Siluit terra Iuda in diebus Si-
monis, qui interpretatur obediens. Et Isa.
Præclara obedientiæ laus. 48. Vtinàm attendisses ad mandata mea:
fuisset quasi flumen pax tua. Alanus: O
quàm efficax est regula obedientiæ, quæ
concordiam seruat in angelis, quæ pacem
nutrit in claustris, sine qua respublica sta-
re non valet, sine qua nec minima fami-
lia regi potest, quam etiam brutis vis natu-
ræ suggerit, quam pro prole sua res inani-
mata custodit: hac ligātur cęlestibus terre-
na, humanis diuina. Hæc est scala, per quā
ascensus fit in cælū: hæc est quadriga, qua
Helias vectus est in paradisum. Item obe-
dientia humilitatem nutrit, patientiam
probat, mansuetudinem examinat. Stude-
at hac claustralis vinis charitatis amplecti:
vt, quod est Dei, soluat Deo: quod est pro-
15. ximi, proximo. Quintodecimò, facit ho-
minem beatum. Prouerbiorum vigesimo-
nono: Qui custodit legem, beatus. Et Mat-
thæi 19. Si vis ad vitam ingredi, serua man-
Quatuor rationes, quòd sit obediendum. data. Circa secundum notandum, quòd
sanctus pater Benedictus ponit in litera
quatuor rationes, propter quas obedien-
dum sit Deo, & locū eius tenentibus. Pri-
1. ma est, debitum diuinæ dilectionis, quod
nemo adimplere potest sine obedientia
mandatorum Dei. Et hanc causam tangit
sanctus pater, cùm ait: *Hæc conuenit his, qui nihil sibi Christo charius aliquid existimant:* id est,
qui Christum diligunt super omnia. Deu-
teron. 30. Diligas Dominum Deum tuum,
atque obedias voci eius. Præmittit dilecti-
onem obedientiæ, innuens, quòd obedi-
entia ex dilectione debet oriri. Hinc Sal-
uator noster dicit discipulis suis: Si diligi-
tis me, mādata mea seruate, Ioānis decimo-
quarto. Item ibidèm: Si quis diligit me, ser-
2. monem meum seruabit. Secunda ratio,

est vinculum professionis, quo discipulus
se ligauit ad seruiendum Deo sub obedi-
entia. Et hanc causam tangit sanctus pa-
ter, cùm ait: *propter seruitium sanctum, quod professi sunt,* id est, propter professionem san-
ctam de seruiendo Deo sub obedientia
sanctæ religionis. Ecclesiastes 5. Si quid
vouisti Deo, non moreris reddere. Displi-
cet enim Deo infidelis & stulta promissio.
& Glo. super illud psal. 75. Vouete, & Necessaria
reddite Deo vota vestra: dicit, Vouere vo- post votum
luntati consulitur: sed post voti emissio- redditio.
nem redditio necessariò exigitur. Tertia 3.
est, comminatio æternæ damnationis, quę
maximè timenda est. Deuterono. octauo:
Peribitis, si inobedientes fueritis. Psal. 118.
Maledicti, qui declinant à mandatis tuis.
Et hanc rationem tangit sanctus pater,
cùm ait: *seu propter gehennæ metum.* Quarta 4.
est, merces beatæ retributionis, quæ sum-
mè est desideranda, de qua Prouerbiorum
vigesimonono: Qui custodit legem, bea-
tus est. Item Matthæi decimonono: Si vis
ad vitam ingredi, serua mandata. Et hanc
tangit sanctus pater, cùm subdit: *& vitam æternam,* quæ timentibus Deum præparata
est. Circa tertium notandum, quòd obe- Mulię conditiones
dientia discipuli ad hoc, quòd sit grata & obedientiæ,
meritoria, debet habere plures conditio- vt sit grata
nes, quas pro maiori parte ponit sanctus & meritoria.
pater in pręsenti capitulo. Primò, vt obe- 1.
diatur velociter, sine mora, nō procrasti- Psal. 118.
nando. Viam, inquit Propheta, mandato-
rum tuorum cucurri. Lucæ decimonono
dictum est Zachæo, Festinans descende.
Matth. quarto dicitur de Petro & Andrea,
à Domino vocatis: Illi continuò, relictis
retibus, secuti sunt eum. Et similiter de Ia-
cobo & Ioanne: Illi statim, relictis retibus Matth. 4.
& patre, secuti sunt eum. Hieronymus:
Perfecta obedientia est, sua imperfecta re- Ser. de vir-
linquere. Bernardus: Fidelis obediens mo- tute & gra-
ras nescit, fugit crastinum, ignorat tardi- dibus obed.
tatem, præcipientem * præuenit, oculos * præcipi,
parat visui, aures auditui, linguam voci,
manus operi, pedes itineri, & totum se col-
ligit, vt imperantis impleat voluntatem.
Quem obedientiæ gradum tangit sanctus
pater Benedictus, cùm dicit: *Mox vt aliquid imperatum à maiore fuerit, ac si diuinitùs imperetur, moram pati nesciant in faciendo. De quibus Dominus dicit: Obauditu auris obediuit mihi,* id est, quàm Psal. 17.
citò audiunt imperium mandantis, ilicò
sine aliqua dilatione obediunt. *Et iterùm dicit doctoribus: Qui vos audit, me audit.* Lucę de-
cimo. In quo videtur assignare rationem,
quare itá celeriter, & sine mora, obedien- Ratio velociter obediendi.
dum sit mandatis maiorum: quia sicut in
ministro DEVS loquitur, itá in eo ipse
auditur. quasi diceret, Sicut sine mora
obediendum est præceptis DEI, itá eti-
am præceptis sui vicarij. Bernardus: ibidèm.

Non

Non te moueat magister imperitus, indiscreta potestas: sed memento quia non est potestas nisi à Deo: & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, ad Rom.13. Consequenter sanctus pater specificans & declarans illud, quod de celeriter obediendo dixerat, describit eos qui hunc gradum adimplent, dicens: *Ergò hi tales*, supple, sunt celeriter obedientes, qui *relinquentes statim* id est, in ipsa voce imperantis, *quæ sua sunt*, scilicet personali administrationi deputata, *& voluntatem propriam deserentes, mox ex occupatis manibus & quod agebant, imperfectum relinquentes, vicino* id est, proximo, *obedientiæ pede iubentis vocem factis sequuntur: & veluti vno momento prædicta magistri iussio, & perfecta discipuli opera, in velocitate* id est, celeritate, *timoris Dei ambæ res communiter* id est, simul, *citiùs explicantur*, id est, adimplentur siue perficiuntur, *quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit*. De hoc obedientiæ gradu legitur in Vitis patrum, quòd abbas Siluanus habebat duodecim discipulos: vnum eorum nomine Marcum, quem præ ceteris diligebat, propter bonum obedientiæ, quod erat in eo. Cumque quidam dicerent ei, quòd alij discipuli contristarentur ex hoc: ipse eos duxit per cellas fratrum, & pulsans ad ostiũ vniuscuiusque, vocauit eos, & nullus exiuit: tandèm vocauit Marcum, qui, relicta litera imperfecta, quam scribebat, statim exiuit: quo viso, dixit Siluanus illis: Eccè quarè diligo eum. At illi dixerũt: Verè plùs diligendus est à te, eò quòd magis diligitur à Deo. Valdè gratum solet esse principibus, cùm præcepta eorum velociter adimplentur. Prouerb. 20. Hominem velocem vidisti in opere suo? coram regibus stabit. Sequitur: *Ideò angustam viam arripiunt. vndè Dominus dicit: Angusta via est, quæ ducit ad vitam*. Matth. 7. Hìc sanctus pater, considerata altitudine perfectionis huius gradûs obedientiæ, quam obseruare student, qui cælestis patriæ desiderio feruent: dicit quòd angusta est via, quam tales arripiunt. Et assignans causam, dicit: *vt* id est, quia, *non suo arbitrio viuentes, vel desiderijs suis & voluptatibus obedientes, sed ambulantes alieno iudicio & imperio in cænobio degentes, abbatem sibi præesse desiderant*: cui scilicet tanquàm locum Dei tenenti, obediant: suam voluntatem communicent, arbitrium suum & iudiciũ derelinquant. *Sine dubio hi tales illam Domini imitantur sententiam, qua dicit: Non veni voluntatem meam facere, sed eius qui misit me.* Secunda

2. conditio acceptabilis obedientiæ est, vt obediatur viriliter & strenuè. Bernardus: Manum misisti ad fortia: agendum est instanter, & cõstanter obediendum. Nec inter asperitatem verborum tam regalis est semita relinquenda. & loquitur de semita obedientiæ. Et hanc obedientiæ conditionem tangit sanctus pater, cùm ait: *Sed hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo & dulcis hominibus, si quod iubetur, non trepide*, id est, timidè, *non tardè*, id est, pigrè, *non tepidè*, id est, mollè: sed, supple, viriliter & strenuè fiat, secundùm illud psal. 26. Viriliter agite, & confortetur cor vestrum. quasi diceret: Et si tribulatio intonat, si persecutio insultat, si peccatores laqueum imponunt, si maligni spiritus iter impediunt: nolite pauere, aut dissolui, sed confortetur cor vestrum, & viriliter & strenuè agite. Isaiæ trigesimoquinto: Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate: dicite, Pusillanimes cõfortamini. Et ad Hebræos 12. Remissas manus & dissoluta genua erigite. Augustinus: Nolite lassas manus in tribulationibus dimittere, nec nutent genua vestra. Tertia conditio gra- 3.

dûs obediẽtiæ est, simpliciter obedire sine querela, sine discussione. Et hanc tangit sanctus pater, cùm ait: *aut cum murmure, vel cum responsione nolentis*, videlicet cordis vel linguæ fiat, quod iubetur, sicut dicitur ad Ephes. 5. Omnia facite sine murmurationibus. Multos enim videmus, iuxta verbũ Bernardi, post præcipientis imperiũ multas facere quæstiones, cur, quarè, quamobrem, sæpiùs interrogare: crebras ingeminare querelas: quærere, quarè hoc præcipit, vndè hoc venit, & quis inuenit hoc consilium? indè murmuratio, excusatio, simulatio impossibilitatis, aduocatio amicorũ: tales sanè non faciunt obedientiam Deo acceptam, nec hominibus gratam. Bernardus in sermone: Quid si obediat simulatoriè & ad oculum, murmuret autem in abscondito? falsa est obedientia. sola est charitas, quæ obedientiam gratiorem facit, & acceptabilem Deo commendat. Simpliciter ergò obediendum est, & adimplendum quod iubetur, si obedientiam nostram acceptabilem Deo esse optamus. Bernardus libro de consideratione: Omnibus nobis in conuersionis initio nulla magis virtus est necessaria, quàm simplicitas humilis, & grauitas venerãda. Item ad fratres de monte Dei: Perfecta obedientia, maximè in incipiente, est indiscreta, hoc est, non discernere quid, vel quarè præcipiatur, sed ad hoc tantùm niti, vt fideliter & humiliter fiat, quod à maiore præcipitur. Cæsarius ad monachos homilia 8. Quicquid tibi à senioribus fuerit imperatum, accipe tanquàm de cælo, sicut de ore Dei prolatum: nihil repręhendas, nihil dissentias, in nullo penitùs murmurare pręsumas: quia in monasterio seruire venisti, non imperare: potiùs obedire, quàm iubere: totũ sanctũ, totũ iustum, vtile iudica, quicquid tibi à pręlato videris imperari. Hãc simplicitatẽ obedientiæ multùm amant sancti patres

in

Velociter obedientes.

Exemplum de veloci obedientia.

Ioan. 5.

Viriliter obediendũ.

Psal. 26.

Ser. citato.

Ingratæ obedientiæ descriptio.

Ser. 2. de S. Andrea.

Obedientia falsa.

Obedientia incipientibus necessaria.

Probatio Patrum circa obedientiam.

in discipulis suis: ideò in principio nō præcipiebant eis recta. Vndè in Vitis patrū dicit quidam abbati Pastori: Patres seniores non loquuntur ab initio fratribus recta, sed magis distorta: & si viderint quia ea quæ distorta sunt, faciunt, iam eis non loquentur, nisi quod expedit: agnoscentes, quoniam in omnibus obedientes sunt.

Ser. de virtute obedientiæ.

4. Quarta conditio acceptabilis obedientiæ, siue quartus gradus est, humiliter obedire. Bernardus: Magna virtus humilitatis, sine cuius obtentu virtus fortitudinis non solùm virtus non fit, sed etiam in superbiam erumpit. Hinc dictum est Sauli: Cùm esses humilis in oculis tuis, factus es caput in populis, 1. Reg. 15. Et Dominus ad discipulos Luc. 17. ait: Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quod facere debuimus, fecimus. Et hoc maximè militat cōtra eos, qui in obediendo magna se fecisse existimant. Hunc obedientiæ gradum tangit sanctus pater, cùm dicit: *Obedientia tunc erit acceptabilis, si non cum responsione nolentis efficiatur*: id est, cum verbis superbis, dicendo se nolle parére mandatis iubentis. Quarè autem humiliter, sine murmure, sine verbo alicuius notæ superbiæ, obediendum sit superiorum præceptis, subiungit: *Quia obedientia, quæ maioribus præbetur, Deo exhibetur: ipse enim dicit: Qui vos audit, me audit.* Vndè sicut non disceptarent, si aliquid à Deo præciperetur, sed illud humiliter implerent: sic non disceptare debent de mādatis prælati.

Quarè humiliter sit obediendū.

5. Quinta conditio, aut quintus gradus obedientiæ est, gratáter & hilariter obedire: quem gradum tangit sanctus pater, cùm ait: *Et cum bono animo à discipulis præberi oportet, quia hilarem datorem diligit Deus. Nam si cum malo animo obediat discipulus, & non solùm ore, sed etiam corde si murmurauerit, etsi impleat iussionem, tamen acceptum iam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam, immò pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendauerit.* De pœna autem murmurantium, quàm grauis sit, supradictum est in capi. 34. Hilariter ergò implenda est obedientia, secundùm illud Ecclesiastici: In omni dato tuo hilarem fac vultum tuum. Bernardus: Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus, multùm colorant obedientiam obsequentis. Nubilosa corporis compositio, & facies tristitiæ tenebris obfuscata, deuotionem ab animo recessisse significant. Quis enim imperat libenter homini tristitiam efflanti? Est autem hic considerandū, quòd beatus Bernardus septem gradus obedientiæ describens, addit supra quinque positos à beato Benedicto, alios duos.

Eccles. 35.

In eodem sermone. Ornantia vel detrū pantia obedientiam.

Ibidèm.

6. Quorū vnus est, qui hoc in loco notari potest, scilicet libenter obedire: requirit enim Dominus oblationes volūtarias. Exo. 35. Iste est sermo, quem præcepit Dominus: Omnis voluntarius & prono animo offerat primitias Domino. Itèm David: Voluntariè sacrificabo tibi. Coacta seruitia Deo non placent. Hunc obedientiæ gradum, vt ipse Bernardus ait, non potest ascendere, qui voluntatem præcipientis suam non fecerit. Libenter obediebat, quū dicebat, Meus cibus est, vt faciā voluntatem eius qui misit me, Ioan. 4. Augustinus libro 10. Confessionum: Optimus minister tuus talis est, qui non magis intuetur hoc à te audire quod ipse voluerit, sed potiùs hoc velle, quod à te audierit. Bernardus: Quisquis vel occultè vel apertè satagit, vt quod habet in voluntate, hoc ei spiritualis pater iniungat: ipse se seducit, si fortè sibi quasi de obediētia blandiatur: nec enim in ea re ipse prælato, sed magis ei prælatus obedit. Paratum ad Dei voluntatem se ostendit Paulus, dicens: Act. 9. Domine, quid me vis facere? Bernardus in sermonibus: Non dubium, quin ampliorem gratiam mereatur, qui paratum se exhibet ante mandatum, quàm qui obedire satagit post mandatum. Vbi notandum, quòd libenter obedire, præcipuè laudabile est, cùm grauia iniunguntur. Vndè super illud 1. Regum 15. Melior est obedientia &c. dicit Glo. Gregorij in Moralibus: Obedientia aliquādò si de suo aliquid habeat, nulla est: aliquandò autem, si de suo aliquid non habeat, minima est. Nam cùm huius mundi successus præcipitur, cùm locus superior imperatur: is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem euacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat. Non enim se sub obedientia dirigit, qui ad accipienda huius vitæ prospera, libidini propriæ ambitionis seruit. Rursùm cùm mundi despectus præcipitur, cùm probra adipisci & contumeliæ iubentur, nisi hæc & ex semetipso animus appetat, obedientiæ sibi meritum minuit: quia ad ea, quæ in hac vita despecta sunt, inuitus nolensq; descendit. Ad detrimentum quippe obedientia adducitur, cùm mentem ad suscipienda probra huius seculi, nequaquàm ex parte aliqua etiā sua vota comitātur. Hæc Gregorius. Hinc Moyses principatum populi humiliter recusat, Paulus verò audacter dicit: Ego non solùm ligari in Hierusalem, sed etiā mori paratus sum.

Libenter obedire.

Psal. 53.

Cap. 26.

Ser. de tribus ordinibus Ecclesiæ.

lib. 15 ca. 13. Obedientia aliquādò de suo debet habere, aliquandò nō.

Exod 14. Act. 21.

Septima conditio siue septimus gradus obedientiæ est, indesinenter siue perseueranter obedire. Bernardus: Manum tuā misisti ad fortia: agendum est instanter, & constanter obediendum: nec inter verborum seu verberum asperitatem, tam regalis est semita relinquenda. Et loquitur de semita obedientiæ. Christus hanc semitam pro morte 7.

te ignominiosa relinquere noluit. Philippens. 2. Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Itèm Bernardus: Mementote, fratres: Christus, nè perderet obedientiã, perdidit vitam. Obediendum ergò est perseueranter, quia nihil prodest currere, & ante cursûs metã deficere. Quarè dicit Apostolus: Sic currite, vt comprehendatis, 1. Corinth. 9. Et Matth. 10. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Glo. Non enim cœpisse vel facere, virtus est, sed perficere.

TRACTATVS LVI.

De viginti modis, quibus solet bonum obedientiæ minui.

Multa minuũt bonũ obediẽtiæ.

ATtendendum verò pro pleniori doctrina bonæ & salutaris obedientiæ, quòd multa sunt, quæ minuunt bonum obedientiæ, à quibus discipulus huius scholæ omni studio & vigilantia debet cauere.
1. Primus modus est eorum, qui etsi obediant in quibusdam, tamen in alijs sunt minùs obedientes. Cõtra quod dixit Apostolus, secundæ ad Corinthios 2. Ideò scripsi vobis, vt cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis.
2. Secundus est eorum, qui etsi faciant rem iniunctam, tamen minùs plenè faciunt. Contra quos dicitur ad Philemonem: Confidens de obedientia tua, scripsi tibi, sciens quòd & super id, quod dico, facies.
3. Tertius est eorum, qui etsi faciant quod dicitur, tamen alio modo, & interdùm peruerso. Contra quod dicitur Matth. 21. Euntes discipuli, fecerunt sicut præceperat eis Iesus.
4. Quartus est eorum, qui adeò se reddunt difficiles ad obediendum, quòd cum multo labore & afflictione moueri possunt à præpositis suis ad aliquid faciendum, sicut affligitur, qui transferre nititur lapides magnos ad altum locum. Contra quod dicitur ad Hæbræos 13. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationẽ reddituri pro animabus vestris, vt cum gaudio hoc faciant, & nõ gementes. quasi diceret: Ità scilicet obedite, vt non faciatis eos gemere ex difficultate obediẽdi, sed ex facilitate gaudere.

Nota cõtra difficilè obediẽtes.

5. Quintus est eorum, qui ad simplex verbum nolunt obedire, nisi præcipiatur eis. Contra quod dicitur Tit. 3. Admone seruos obedire domino: scilicet, ad simplex verbum. Et si debent hoc facere serui mundi, quanto magis serui Dei? Bernardus: In obedientia valdè vtile est, si id quod disciplinæ rigor imponit, nullo cogẽte, humilitas seruauerit.
6. Sextus est eorum, qui non amore, sed timore pœnæ interdùm obediũt. Contra quod dicit Gregorius: Obedientia non timore pœnæ, sed amore iustitiæ facienda est.
Septimus est eorum, qui nũquàm obediunt, sed solẽt multùm discutere de mandato. 7.
Cõtra quod dicit Hieronymus: Præpositum monasterij timeas vt Dominum, diligas vt parentem: credas tibi salutare, quicquid ille præceperit: nec de maioris sententia iudices tu, cuius officiũ est, obedire & implere quæ iussa sunt.
Octauus est eorũ, qui etsi facere velint quod mandatur, tamen morosi sunt in aggrediendo. 8.
Contra quod dicitur in Psalmo: In auditu auris obediuit mihi. Psal. 17.
Nonus est eorum, qui semper inueniuntur imparati, allegantes se in illa hora illa non posse facere. 9.
Contra quod dicit Dauid: Paratus sum, & nõ sum turbatus. Psal. 118.
Decimus est eorũ, qui nũquàm se disponunt præmeditando ad benè obediendum. 10.
Contra quod Bernardus: Perfectus obediens, aures parat auditui, oculos visui, manus operi, linguam voci, pedes itineri, & sic totum se colligit, vt ex toto mandatum impleat imperantis. Ser. de virtute obediẽtiæ.
Propter quod dicitur Prouer. 5. Mens iusti meditabitur obedientiam, quia cogitat frequenter, quomodò ipse benè obediens inueniatur.
Vndecimus est eorum, qui obediunt quidẽ, sed cum murmure exequũtur mandatum, similes obedientiæ dæmonum, qui ad mandatum Domini exibant de corporibus, sed clamantes. 11.
Contra quos dictum est à sancto patre Benedicto in superiori loco, quòd obedientia acceptabilis tunc erit Deo & dulcis hominibus, si quod iubetur, non cum murmure efficiatur. Murmurãtes quandò obediant, dęmonibus cõparantur.
Duodecimus est eorum, qui etsi non murmurant, tamen cum tristitia eam exequuntur obedientiam. 12.
Contra quod beatus pater Benedictus dicit in capitulo præcedenti: Obedientia quæ maioribus præbetur, Deo exhibetur. ipse enim dicit: Qui vos audit, me audit. Et cum bono animo à discipulis præberi oportet, quia hilarem datorem diligit Deus &c. Luc. 10.
Tertiusdecimus est eorum, qui in magnis obediunt, tamen minora contemnunt. 13.
Contra quod Bernardus: O monachum obedientissimum, cui ex quibuslibet verbulis seniorũ nec vnum præteruolat. In minoribus etiam obediendũ.
Quartusdecimus est eorũ, qui interdùm non curant de implenda intentione mandantis, dummodò mandati substantiam impleant: cùm econtrariò apud fideles & pias mentes magis respectus habendus sit ad intentionem mandantis, quàm ad verba. 14.
Hinc est, quòd illi liberati à Domino (quibus præcipiebat, nè cui dicerent) cùm ipsum prædicabant, laudabiliùs fecisse putantur, quàm si tacuissent: quia Dominus hoc præcipiẽdo, potiùs intendebat dare exemplum vanæ gloriæ fu- Intentio mandantis, magis implẽda quàm mãdatum.

15. giendæ, quàm ipsos obligare. Quintus-
decimus est eorũ, qui, cùm eis aliquid dis-
plicens iniungitur, peruertunt intentio-
nẽ mandantis, iudicantes quòd aliqua ma-
Aduerte obediendi modum.
la ratione hoc faciat. Cõtra quod Bernar-
dus: Nõ sufficit, exteriùs obtemperare ma-
ioribus nostris, nisi ex intimo cordis affe-
16. ctu sublimiter sentiamus de eis. Sextusde-
cimus est eorum, qui ad excusandum se ab
obedientia, impotentiam allegant. Cõtra
quod dicit beatus Benedictus capitulo 68.
huius regulæ, quòd si prælatus impossibi-
le pręcipiat, tamen tentandum est discipu-
lo id implere: ad quod confortat exem-
plum Pauli, dicentis Philippen. 4. Omnia
17. possum in eo qui me cõfortat. Septimus-
decimus est eorum, qui tales se exhibent,
quòd prælati non audent eis aliquid im-
ponere: sicut equo indomito, qui mordet
& percutit, non audent homines impone-
re onus. Contra quod est consilium sancti
senis, qui cuidam intrare volenti religio-
nem, & quærenti quomodò se haberet, re-
Documentum de proprietate obedientiæ.
spondit: Tu & asinus vnum estote: sicut
asinus indifferenter quodlibet onus susci-
pit & pacificè, ità debet vir religiosus se in
religione habere. Iaco. 1. In mansuetũdine
suscipite insitum verbum. Verbum obedi-
entię potest dici insitũ, quia trahit suscipi-
entem ad sui naturam, sicut surculus inser-
18. tus trunco. Octauusdecimus est eorum,
qui ex quadam pręsumptione de sapientia
sua confidentes, dedignantur ab alijs regi,
& ideò minùs obediẽtes sunt. Cõtra quod
Epist. 8. ad Demetria.
Hieronymus: Bonum est obedire maiori-
bus, parere pręfectis, & post scientiam scri-
Pessimus præceptor.
pturarum vitæ suæ tramitem ab alijs disce-
re: nec pręceptore vti pessimo, scilicet prę-
19. sumptione sua. Nonusdecimus est eorũ,
qui malunt sibi obediri à maioribus, quàm
eis obedire, dum ad suam voluntatem per-
Ser. 1. de cõuer. S. Pauli.
trahunt faciẽdam. Bernardus: Multorum
peruersitas hodiè exigit, vt dicatur eis,
Tangit nostra tempora hoc verbum.
Quid vis vt faciam tibi? Non ipsi quærunt:
Domine, quid me vis facere? O breue ver-
bum, sed plenum, sed viuũ, sed efficax, sed
dignũ omni acceptione. Sic enim dignum
est omninò, Domine, non meam à te, sed
tuam à me & quæri, & fieri voluntatem.
Vicesimus est eorum, qui interdùm rem
20. iniunctam etsi faciant, tamen scienter fa-
ciunt malè in fraudem, nè scilicet aliâs
imponatur eis: sicut equus fictus eductus
de stabulo, malè ambulat, nè de stabulo
aliâs educatur. Contra quod dicitur Hie-
remię 48. Maledictus qui opus Domini fa-
cit fraudulenter. Cauendum est discipu-
lo religioso, degenti sub obedientia, ab
omnibus istis, nè sic faciendo, laborem
obediẽtiæ & mercedem perdat in toto, vel
Epist. 42.
in parte. Bernardus: Mementote, fratres:
Christus, nè perderet obedientiam, perdidit vitam: si autem Christus sic fecit, quantùm cauendum est nobis, nè obedientiæ bonum perdamus?

IN CAPVT VI.
TRACTATVS LVII.
De taciturnitate & silentio.

DEscripta obedientia monasticæ disciplinæ: nunc beatus Benedictus admonet discipulum ad taciturnitatis grauitatẽ & amorem, sciens quòd silentium custos virtutum est. Et diuiditur hoc capitulum in tres partes. Primò quidem exhortatur ad taciturnitatem, ex authoritatibus sacræ scripturæ. Secundò inducit rationes ad hoc. Tertiò ponit specialiter aliqua, à quibus ità abstinendum est, vt nunquàm illis os nostrum accommodare debeamus.

Circa primum sanctus pater dicit sic: *Faciamus quod ait Propheta*, scilicet psal. 38. *Dixi*, id est, in corde deliberaui, (sapientes enim priùs deliberant, quàm loquantur) siue firmiter ꝓposui, *custodiam vias meas*, quæ multæ sunt, scilicet cogitationes, locutiones, operationes. (Vię nostræ.) De quibus Hiere. 7. Bonas facite vias vestras & studia vestra. *vt non delinquam in lingua mea*, quia nisi homo solicitè custodiat vias suas, citò labitur lingua. Vndè petebat Propheta: Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labijs meis. (Psal. 38.) *Posui ori meo custodiam: obmutui*, Glo. quasi diceret: Posui ori meo custodiam vsque eò, quòd obmutui, id est, penitùs tacui, *& humiliatus sum*, Glo. Hoc dicit, vt purum intelligas silentium, non dolosum. *& silui à bonis. Hic ostendit propheta*, inquit sanctus pater Benedictus, *si à bonis eloquijs interdùm propter taciturnitatem debet taceri: quanto magis à malis verbis, propter pœnam peccati, debet cessari? Ergò discipulis, quamuis perfectis, de bonis & sanctis ædificationum eloquijs, propter taciturnitatis grauitatem, rara loquendi concedatur licentia.* Sequitur: *Quia scriptum est:* Hæc est pars secunda huius capituli, in qua sanctus pater aliquas inducit causas, quarè taciturnitas amanda sit. Vbi notandùm, quòd decem assignari possunt, propter quæ grauitas taciturnitatis amanda sit. (Propter decem amãda est taciturnitas.) Primò, quia per illam homo euitat multa peccata, quæ ex loquacitate oriri solent. (1.) Et hanc causam inducit sanctus pater Benedictus, cum ait: *Quia scriptum est:* scilicet Prouer. 10. *In multiloquio non effugies peccatum.* Climachus in lib. de scala spirituali, in capitulo de loquacitate: (Gradu 12.) Loquacitas est ignorantiæ certum argumentum, detractionis ianua, scurrilitatis dux, mendacij opifex, compunctionis (Loquacitatis mala.) desolatio, acediæ auctor, siue euocatrix, somni præcursor, intentæ fixæque cogitationis

tionis dissipatio, custodiæ exterminatio.
Et ideò benè dicitur Ecclesiastici 20. Qui
multis vtitur verbis, lædit animam suam.
2. Secunda causa est, quia per taciturnita-
tem vitâtur multa scādala dissensionum,
guerrarum pericula, & etiam mortis, quæ
ex loquacitate sæpè contingunt. Et hanc
causam tangit beatus Benedictus, cùm ait:
Et alibi: scilicet scriptum est, videlicet Pro-
uerbiorum 14. *Mors & vita in manibus linguæ.*
Ecclesiastici 28. Multi ceciderunt in ore
gladij, sed non sic, quasi qui interiērunt
per linguam suam. Item Prouerb. 13. dicit
sapientissimus Salomon: Qui inconside-
ratus est ad loquendum, sentiet mala. Qua-
rè optimè sanctus pater ad taciturnitatem
discipulum exhortatur: quia qui odit lo-
quacitatem, extinguit malitiam, Ecclesia-
3. stici 19. Tertia causa est, quia taciturni-
tas multùm conuenit statui & conditi-
oni discipulorum, cuiusmodi sunt viri re-
ligiosi, qui in schola virtutum continuè
se exercent. Nam, vt dicit Sidonius in epi-
Exempla gentiliū de silentio. stola 21. Pythagoras aduenientibus disci-
pulis priùs legitur tacēdi patientiā, quàm
loquendi monstrâsse doctrinam. Et vt ait
Hieronymus in epistola ad Nepotianum:
Hippocrates adiurauit discipulos, ante-
quàm eos doceret, & in verbis suis iurare
compulit, & iuramēti extorsit silentium.
Et hanc rationem inducit beatus pater Be-
nedictus: *Nam loqui & docere, magistrū condecet: tacere & audire, discipulo conuenit. Et ideò, si qua requirenda sunt à Priore, cum omni humilitate & subiectione & summa reuerentia requirantur, nè videantur plus loqui quàm expedit.* Est autem cō-
siderandum pro eo, quòd magistros dicit
docere & loqui, & tacere discipulos: quòd
Taciturnitas aliquandò vitiosa & in quib⁹. taciturnitas etiam quandoquè reperitur
vitiosa, sicut & ipsa loquacitas. Ecclesia-
stes 3. Tempus tacendi, & tempus loquen-
di. Seruanda est lingua, non insolubiliter
liganda. Taciturnitas maximè repræhen-
sibilis est in prælatis, quibus ex officio in-
cumbit docere populum. Illos enim tace-
re à verbo prędicationis, mors est. Vndè sa-
cerdos solebat habere tintinnabula in ora
vestimentorum, ingrediens & egrediens
sanctuarium, sonum faciens, vt non mo-
li. 1. epist. 24 reretur, Exod. 28. vbi Gregorius: Sacerdos
Figura & expositio de silentio prælatorū. ingrediens & egrediens moritur, si de eo
sonitus non audiatur, quia iram contra se
occulti indicis prouocat, si sine sonitu præ-
dicationis incedit. Vndè Ezech. 33. Si spe-
culator viderit gladium veniētem, & non
insonuerit buccina, & populus nō custo-
dierit se, & venerit gladius & tulerit de eis
animam: ille quidem in iniquitate sua ca-
ptus est, sanguinem autē eius de manibus
speculatoris requiram. Et 1. Corinth. 9.
Concludit, quādò, qui- Væ mihi, si non euangelizauero. Vbi er-
gò ex officio incumbit loqui personæ,
sicut magistro & prælato dinoscitur con- bus, & vbi tacere sit periculum.
uenire: aut vbi veritas periclitaretur, aut
periculum magnum immineret ex taciturnitate,
nitate, taciturnitas esset vitiosa. Vndè Isa-
ias missus à Deo ad prophetandum, qui
etiam inter peccatores habitans, inter quos
veritas periclitabatur, dicit: Væ mihi, quia
tacui, Isaiæ sexto. Et ideò beatus Grego-
rius in Moralibus dicit: Discretè vicissitu- lib. 7. ca. 26.
dinum pēsanda sunt tempora, ne aut, cùm
restringi debet lingua, per verba se inutili-
ter soluat: aut cùm loqui vtiliter potest,
semetipsam pigrè restringat. Idem in Pa-
storali: Sicut indiscreta locutio in erro- Parte 2. c. 4.
rem pertrahit, ità indiscretum silentium
eos, qui erudiri poterant, in errore dere-
linquit. Quarta causa, quia taciturnitas 4.
siue silentium facit ad perfectionem ho- Silentiū facit ad perfectionem hominis.
minis. Philosophus: Ad summam perfe-
ctionis volo te esse breuiloquum, rarilo-
quum, & submissa voce loquentem. Sene-
ca: Auribus frequentiùs, quàm lingua, vte- Libro de moribus.
re. Item: Tardiloquum te esse iubeo, & pro-
pè erit tibi Deus. Hinc est, quòd Arsenio
descendente à palatio, vt monachus fie-
ret, & per consequēs ad perfectionem ten-
dens, facta est vox dicens: Arseni, fuge, & Radices nō peccandi.
tace, & quiesce: hæ enim sunt radices non
peccandi. Ambrosius libro de officijs: Si- lib. 1. cap. 7.
lendi patientia, opportunitas loquendi, &
contemptus diuitiarū, sunt maxima fun-
damenta virtutum. Quinta, quia taci- 5.
turnitas siue silentium, operatur ad veri-
tatem religionis. Nam absque freno silen-
tij, vana est putanda religio. Iacobi 3. Si
quis putat se religiosum esse, non refre-
nans linguam suam à malo, sed seducens
cor suum, huius vana est religio. Religio Religio sine silentio cui cōparetur.
absque silentio, est quasi castrum, habens
guerram absque porta & absque muro. Ec-
clesiastici vigesimooctauo: Ori tuo fac
ostia. Prouerbio. 25. Sicut vrbs patens &
absque murorum ambitu, ità vir qui non
potest in loquendo spiritum suum cohi-
bere. Sextò, quia taciturnitas hominē ro- 6.
borat siue fortem facit. Isa. 20. In silentio Silentium multū valet ad fortitudinem spiritualem.
& spe erit fortitudo vestra. Sicut enim ad
fortitudinem obsessorum in castro, valet
plurimùm bona clausura cum forti adiu-
torio: sic ad fortitudinem spiritualē plu-
rimū vtilitatis confert silentium, cum spe
& cælesti adiutorio. Abbas Pastor: Omnis
labor qni euenerit tibi, taciturnitate ser-
monis superabitur. Sicut vix vel nūquàm
pugil vincitur, nisi malum verbū dixerit:
sic vix vincitur à diabolo, qui à malis ver-
bis sibi cauerit. Ambrosius super psal. 38. In titulum.
O validum scutum, circunspectæ muniti-
onis silentium. O fidelissimum stabilita-
tis fundamentum, in quo si quis stare po-
tuerit, lubricum verbi timere non poterit.
Septima, quia taciturnitas operatur ad 7.

pacem

Taciturnitas propter bonum pacis necessaria est.

pacem societatis. Isa. 32. Erit opus iustitiæ, pax: & cultus iustitiæ, silētium. Sicut enim ex vno verbo sæpè sequitur iniuria tā Dei, quàm proximi: sic ex silentio iustitia nutritur, ex qua veluti ex propria arbore pacis fructus colligitur. Vndè cùm claustralibus religiosis pax summè necessaria sit, maximè necessaria est illis obseruantia silentij & taciturnitatis custodia, vndè pax oritur. Eô asit, quòd lites, dissēsiones & rixę, taciturnitatis obseruatione vitātur, dicitur Pro. 26. Qui imponit stulto silentiū, iras mitigat.
8. Octaua, quia taciturnitas pręparat ad contemplationem & collocutionem cum Deo. Climachus vbi suprà: Studiosus silentij, appropiat Deo, ipsique iugiter in abscondito cordis assistens, illustratur ab eo. Thren. 3. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. Et sequitur: Sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit se supra se: scilicet supra conditionem humanam, ad quærendam angelicæ vitæ communionem. Deus enim non reuelat mysteria sua in tumultu & turba: sed separatis à mundi tumultu, & tacitis: quippe auditum & auscultationem requirit, secundùm illud Ecclesiastici 32. Vbi non est auditus, non effundas sermonem. Et 1. Regū 3. Loquere, Domine, quia audit seruus tuus. Et Dan. 4. dicitur: Daniel cœpit intra se cogitare. Quarè Dominus dicit Ose. 2. Ducam eam, id est, animam, in solitudinem: & ibi loquar ad cor eius. Religiosus igitur, qui totus contemplatione debet esse suspensus, silentij grauitaté studeat obseruare.

Gradu 11.

Reuelationes diuinæ non proueniūt in turba.

9. Nona est, quia silentium conseruat feruorem deuotionis. Sicut enim solet obstrui vas, in quo seruantur aromata siue vnguenta preciosa, nè odor exhaletur: ità oportet quòd discipulus seruet silentium, vt feruor deuotionis in eo præseruetur. Nam si os eius ad loquacitaté dissoluitur, quicquid deuotionis est in eo, exhalatur. Ecclesiastici 20. Gratiæ fatuorū effundentur. Seneca: Nihil æquè ꝓderit, quàm quiescere, & minimùm cum alijs loqui, & plurimùm sequi. Decima est, quia taciturnitas signum est siue argumentum sapientis & prudentis viri. Seneca: Taciturnitas, homini stulto pro sapientia est. Et quidam philosophus cuidam rustico in conuiuio tacenti: Ex doctis, inquit, hoc solū habes. Prouerb. 17. Stultus, si tacuerit, sapiens reputabitur. Et Iob 4. Vtinā taceretis, vt reputaremini sapientes. Omnes autem huiusmodi vtilitates silētij, Climachus in suo opere de schola spirituali, in capitulo de loquacitate, cum multis alijs compræhendens, ità dicit: Taciturnitas in cogitatione, mater orationis est, captiuitatis reuocatio, ignis diuini amoris obseruatio, cogitationum diligens inspectio, specula hostium, carcer luctûs, lachrymarū amica, memorię mortis operatrix, suppliciorum pictor, iudicij indagatrix, sagax mœroris subministratrix, inimica fidutiæ, ambitiosę doctrinæ aduersatrix, scientiæ adiectio, speculationis opifex, secretus in Deum profectus, occultus ascensus. qui peccata cognoscit, continet linguam suam: qui vero loquax est, nōdùm seipsum, vt oportet, agnouit. Hæc ille. *Scurrilitates verò, vel verba ociosa & risum mouentia, æterna clausura in omnibus locis damnamus, & ad tale eloquium discipulum aperire os nō permittimus.* Hîc ponitur tertia pars huius capituli, in qua sanctus pater describit ea, quæ æterna clausura in omnibus locis in viris religiosis damnanda venisit. Et ponit tria genera horum, videlicet scurrilitates, verba ociosa, & risum mouentia. Scurrilitas dicitur à scurra, qui est ioculator, & idē est quod verbum ioculare vel turpe, ad lasciuiam pertinens, à quo genere abstinendū est, & maximè viris religiosis. Apostolus ad Ephe. 5. dicit: Nō nominetur in vobis, sicut decet sanctos, turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ, vt ait Glo. à stultis curialitas dicitur, id est, iocularitas. Hierony. Qui scurrilitatem replicat, & cachinnis ora dissoluit, & aliquid profert turpitudinis, non ociosi sermonis, sed criminosi, reus tenetur. Et Bernardus lib. de consideratione: Inter seculares nugæ, nugæ sunt: in ore sacerdotis, blasphemiæ. Interdùm tamen si incidant, ferendæ fortassis, referendę nunquàm. Consecrâsti os tuum euangelio, talibus iam aperire, illicitū: assuescere, sacrilegium est. Idem: Verbum scurrile, quod faceti vrbaniue nomine colorant, nō sufficit peregrinari ab ore, procùl & ab aure relegandum est? Fœdè ad cachinnos moueris, fœdiùs moues. Secundū genus, est verborum ociosorum. Verbum autē ociosum, vt dicit Bernardus, est, quod sine vtilitate loquentis dicitur & audientis. Vitanda quidem sunt ociosa verba, & maximè à religiosis. Tum propter periculum, quia teste eodem Bernardo in epistola: Quicquid non ędificat audiētes, in periculum vertitur audientium. Ambrosius super Beati immaculati: Non mediocre periculū est, cùm habeas tam eloquia Dei & opera quæ fecit: si, prætermissis illis, loquaris quę seculi sunt, vel audias. Tum secundò, ne tempus preciosum, quo nihil preciosius habemus, inutiliter amittatur. Bernardus libro de consideratione: Nemo, inquit, parui æstimet tēpus, quod in verbis consumitur ociosis: volat tempus irreuocabile, volat verbum irreuocabile: nec aduertit insipiens quid amittat. Et infrà: Cur perdis illud, quo diuinam tibi repropitiare debueras pietatem, properare ad angelicam societatem, suspirare ad

Egregia similitudo, quod per silentiū seruetur deuotio.

Exemplū.

Gradu 11.

Digna laus silentij.

Tria genera semper damnanda.

1. Scurrilitas.

lib. 2. cap. 13.

Digna & pauenda sententia cōtra verba inania.

Ibidèm.

2. Ociosum verbum, & tria contra illud.

Hieron. in Matth. cap. 12. habet.

Ser. 22. versu 14.

Habetur in serm. 17. de triplici custodia, manûs, linguæ & cordis.

Aduerte, in quibus debet tempus expendi.

ad amissam hæreditatem, aspirare ad promissam felicitatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem.

Lib. 2. de summo bono, cap. 29.

Quarè dicit beatus Isidorus: Sicut falsitatis crimina à pficientibus pertimescũtur, ità ociosa verba à perfectis viris vitantur. Tum tertiò, propter discussionem extremi iudicij. Teste enim ipsa veritate Matth. 12. De omni verbo ocioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem Deo in

3. die iudicij. Tertium verò, quod vitare debemus, est verborum ad risum mouentium siue excitantium. Vanus enim sermo,

Habet Hugo lib. 3. de anima, c. 26

vt ait Isidorus, vanæ conscientiæ est index: mores hominis, lingua pandit, & qualis sermo ostenditur, talis animus comprobatur. Pro. 15. Os stulti ebullit stultitia.

Risus abesse debet à monachis.

Multùm autem monachis conuenit, ab huiusmodi sermonibus vanis & risum prouocantibus, abstinere: quia, vt ait Hieronymus in epistola, Monachus plangentis habet officium, qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini pauidus præstoletur aduentum.

Contra Vigilantium, in fine.

IN CAPVT VII.

TRACTATVS LVIII.

De multiplici humilitatis commendatione.

CLamat nobis scriptura diuina, fratres, dicens: Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Posita doctrina de obseruanda taciturnitate, subiungit sanctus pater humilitatis doctrinam. Et diuiditur hoc capitulum septimum regulæ in duas partes. In prima quidem ponuntur ea, quę ad exhortationem humilitatis faciunt. In secunda, describuntur duodecim gradus humilitatis. Circa primum notandum, quòd sanctus pater ex tribus ad humilitatis virtutem suum discipulum exhortatur. Primò quidem ex eo, quòd omnis elatio humilitati contraria, genus videtur esse superbiæ, quæ ruina est omnium virtutum, & totius perditionis initium. Et hoc est quod dicit: *Cùm hæc ergò dicit, ostendit nobis omnem exaltationem genus esse superbiæ*: quæ scilicet radix est omnium malorum. quasi vellet arguere: Cùm omnis elatio, eò quòd ad superbiam pertineat, detestabilissimũ vitium sit, vtpotè quòd radix initiumq; existit omnium malorum, fugienda sit.

Prosequitur explanationem textûs.

Introduxit ad hoc, exemplum prophetæ sanctissimi Dauid, dicens, *quod* scilicet vitium elationis, *se cauere indicat, dicens*: scilicet psalm. 130. *Domine, non est exaltatũ cor meum*. sed, supple, humiliatum est cor meum: quod est verum sacrificium Deo, secundùm illud psalm: Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum, Deus, non despicies. *neq; elati sunt oculi mei*. quia signum superbiæ externis non ostendit. quasi diceret, interiorem & exteriorem superbiam repuli à me.

Psal. 50.

Nec ambulaui in magnis, id est, non superbiui de magnis factis, vel dictis, vel virtutibus: *nec in mirabilibus super me*. id est, non affectaui quasi in mirabilibus innotescere hominibus, non quæsiui aliquid supra vires meas, vndè apud imperitos iactarem me, sicut multi, qui ex factis & dictis magis quærunt gignere in populo admirationem, quàm ędificationem: sicut Simon Magus voluit in mirabilibus supra se ire. delectatus potentia Apostolorum, nõ iustitia: voluit facere talia, qualia Apostoli, sed talis non esse.

Exẽplum.

Sequitur: *Si non humiliter* &c. Hîc propheta adstringit se maledicto, si ità non sit. Sensus est: *Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam*: superbiendo, iactando, vel gloriando, vel de me mirabilia præsumendo, *ità fiat retributio in animam meam*, id est, ità peream ego: *sicut ablactatus super matrem suam*. id est, sicut aliquis incumbens super matrem suam, indigens foueri sinu matris, perit si sit ablactatus, id est, à lacte matris separatꝰ. Adstringit se maledicto hîc propheta, & (vt dicit Glo.) ità solemus dicere, quandò de causa benè confidimus. Circa hanc partem, in qua sanctus pater ad humilitatem discipulum admonet: notandum, quòd decem sunt, quæ hanc humilitatis virtutem commendatissimam faciunt & amabilem.

Decem faciunt humilitatem commendabilem.

Primum est, quòd ipsa est gratissima DEO. 1.
Miro nempe modo humilitas DEO redolet, & cætera bona hominis ei redolere facit. Cantic. primo: Cùm esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Nardus, propter suí paruitatem, humilitatem designat: & quemadmodùm species aromaticæ, cùm in puluerem rediguntur, vehementiùs redolent: sic bona hominis, cùm per humilitatem quasi comminuta fuerint, sunt gratiora. Hieronymus: Nihil est quod nos ità & hominibus gratos, & DEO faciat, quàm si vitæ merito magni, humilitate infimi simus.

Epist. 14. ad Celantiam.

Et ideò beatus Isidorus hortatur ad hoc, dicens: Esto paruus in oculis tuis, vt sis magnus in oculis DEI: tanto eris apud DEVM preciosior, quanto fueris inter oculos tuos despectior. Hæc virtus, vt ait beatus Dionysius in epistola ad Demophilum monachum, fecit Dauid regem, Dei amicum. De quo dicit: Inuéni virum iuxta cor meum. & ideò Ecclesiastici 3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram DEO inuenies gratiam.

Epist. 8.

Secundum est, quòd humilitas est fundamentum ædificij spiritualis. Bernardus: Bonus 2.

Lib. 2. de consid. c. 6.

fun-

Virtutum fundamentum humilitas. fundus eſt humilitas, in qua omne ædificium ſpirituale conſtructum creſcit in templum ſanctum in Domino. Item ibidèm libro de conſideratione : Virtutum bonum
lib. 5. c. vlt. quoddam ac ſtabile fundamentum, humilitas. Nempe ſi nutet illa, virtutum aggregatio non niſi ruina eſt. Ideò Auguſti-
Serm. 10. de verb. Dom. nus inquit : Cogitas magnam fabricã conſtruere celſitudinis, de fundamento priùs
3. cogita humilitatis. Tertium eſt, quòd humilitas eſt radix & origo virtutum.
lib. 27 c. 26. Gregorius in Moralibus : Origo virtutis, humilitas eſt. Illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id eſt, in humilitate perdurat : à qua nimirùm ſi abſcinditur, areſcit, quia viuificantem ſe hu-
4. morem charitatis perdit. Quartum eſt, quòd humilitas ſingulariter nutrix diuinæ dilectionis eſt. Chryſoſtomus ſuper
Ho 9. oper. imperfe. Matthæum : Nutrix dilectionis, humilitas eſt : & totius mali odij mater, ſuperbia. Igitur totius boni initium, humilitas eſt : & totius mali, ſuperbia. Deniquè & perditionis initium, à ſuperbia cœpit per diabolum : & initium ſalutis, ab humilitate per Chriſtum. Proptereà conuenienter & omnium beatitudinum humilitatem fecit initium, Matth. 5. dicens : Beati pauperes
5. ſpiritu, id eſt, humiles. Quintum eſt, humilitas eſt aquæductus, per quem diuina
Ser. de Nati. B. Mariæ. gratia venit ad homines. Bernardus : Fluenta gratiæ tanto tempore defuerunt, quia
Mariæ humilitas. nondũ interuenerat aquæductus. Et aquæductum iſtum, intelligit humilitatẽ Ma-
Ho. 4. ſuper Miſſus eſt. riæ. Bernardus ſuper Magnificat : Solet eſſe diuinæ gratiæ familiaris virtus humilitas.
Iaco. 4. 1. Pet. 5. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autẽ dat gratiam. Vndè & beatã virginem propter humilitatem eius, ad quam reſpexit, repleuit gratia. Aue, inquit Gabriel, gratia ple-
6. na. Sextum, humilitas eſt cuſtos omnium
Bern. ſer. 1. in natali Domini. virtutum. Ambroſius : Cuſtos virtutum, humilitas. Gregorius : Perit omne quod agitur, ſi non in humilitate ſolicitè cuſto-
Hom. 7. in Euang. ditur. Itèm : Qui ſine humilitate virtutes congregat, quaſi qui puluerem in ventum
Epiſt. 56. portat. Auguſtinus : Niſi humilitas omnia quæcunque benè facimus, & præceſſerit, & comitetur, & conſecuta fuerit, iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum
7. extorquet de manu ſuperbia. Septimum, humilitas eſt turris fortitudinis, contra
Nota de humilitate & præſumptione. omnes tentationes diaboli. Aug. Solus vincitur, qui de ſe præſumit. Solus vincit, qui de ſe non præſumit. Et Glo. ad Roman. 7. Eſto humilis, non de te præſumas, & poteris vincere. Bernard. in epiſtola quadam :
Epiſt. 42. Humilitas inimicã omnis gratiæ, omniſq; initium peccati, debellat ſuperbiã, & tam à ſe, quàm à cæteris virtutibus ſuperbã illius propulſat tyrannidem. Nam ſola eſt propugnaculũ quoddã omniũ turriſq; virtutum : fortiter reſiſtit eius malitiæ, obuiat præſumptioni. Sola deniq; eſt, de qua beata virgo, omnium vtiq; plena virtutũ, ſibi gloriandum putauit. Vndè diabolus dixit
Macario : Humilitas tua ſola me vincit. Interrogatus quidam ſenex, quarè inquieta- Exẽplum.
remur à dæmonibus? dixit, quia abiecimus Arma noſtra.
arma noſtra, quæ ſunt contumeliæ, paupertas, humilitas, & patientia. Octauum 8.
eſt, quòd humilitas eſt clauis ſapientiæ. Bernardus : Humilitas clauis eſt ſcientiæ. Matth. 11. Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelâſti ea paruulis. Ptolemæus : Inter ſapientes ſapientior eſt, qui
humilior exiſtit. Beatus Gregorius : Lumen Lib. 25. c. 17.
intelligentiæ humilitas aperit, ſuperbia abſcondit. Vndè beatus Dionyſius in epi-
ſtola ad Demophilum monachũ, in prin- Epiſt. 8.
cipio dicit, quòd Moyſes propter ſuam Moyſi humilitas.
manſuetudinem, Dei apparitione dignus habitus eſt : & propter hoc famulus Dei appellatus eſt, & vniuerſis Prophetis di-
gnior. Nonũ eſt, quòd humilitas eſt ſcala 9.
paradiſi. Vndè beatus pater Benedictus ait: *Vndè, fratres, ſi ſummæ humilitatis volumus culmen attingere, & ad exaltationẽ illam cæleſtem, ad quam per præſentis vitæ humilitatem aſcenditur, volumus velociter peruenire : actibus noſtris aſcendentibus, ſcala illa erigenda eſt, quæ in ſomnis Iacob apparuit, per quam ei aſcendentes & deſcendẽtes angeli monſtrabantur. Non aliud, ſine dubio, deſcenſus ille, & aſcenſus, à nobis intelligitur, niſi exaltatione deſcendere, & humilitate aſcendere. Scala verò ipſa erecta, noſtra eſt vita in ſeculo, quæ humiliato corde à Domino erigitur ad cælum. Latera enim eiuſdem ſcalæ, dicimus noſtrum eſſe corpus & animam : inter quæ latera diuerſos gradus humilitatis vel diſciplinæ euocatio diuina aſcendendos inſeruit.* Circa hanc partem notandum, quòd humanæ ſcripturæ de ſcala Iacob, de qua Gen. 28. habetur, & doctores ſancti aliam intelligentiam pro-
ſequuntur, quàm beatus Benedictus. Glo. Diuerſæ expoſitiones de ſcala Iacob.
enim ordinaria illius textûs Geneſis vigeſimooctauo, per ſcalam in terra ſtantem, & in cælum erectam, CHRISTVM intelligit. Vndè Glo. interli. ſuper verbum, ſcalam, dicit : id eſt, CHRISTVM qui eſt via. Et Ambroſius de Iacob, libro ſe-
cundo : Iacob vidit angelos Dei aſcen- cap. 4.
dentes & deſcendentes, hoc eſt, CHRISTVM præuidit in terris, ad quem angelorum cateruа deſcendit atque aſcendit, obſequium proprio Domino pio præbitura ſeruitio. Alij verò exponentes etiam de CHRISTO, per angelos
intelligunt Doctores, qui (vt dicit B. Iſi- In Gen. c. 24.
dorus) aſcendunt, intelligentes diuinita- Doctores angeli appellantur.
tem Chriſti, omnem creaturam excedentẽ, vt eũ inueniant, qui in principio erat verbũ apud Deũ, per quẽ omnia facta ſunt : deſcendentes, ad ea, quæ ſunt humanitatis, vt inueniant, eum natum ex muliere, factum ſub

ſub lege. Alij per ſcalam, ſcalam contem-
plationis accipiunt, vt Gregorius: per
quam angeli, id eſt, prædicatores aſcende-
re & deſcendere, Chriſtum contemplan-
do, intelliguntur: quia non ſolùm Chri-
ſtum contemplando appetunt, ſed etiam
ad membra illius miſerando deſcendunt.

Cõmendat expoſitionẽ ſancti Benedicti de ſcala prædicta.

Beatus aũt Benedictus moraliter hũc locũ
ſcripturę exponẽs, & ſapiẽtiſſimè ſcalã ere-
ctã in cælũ, vitã dicit humanã, quæ ad cælũ
erecta eſt: in cuius ſignum, corporis ſtatura
erecta eſt versùs cælum. Bernar. ſuper Can-

Serm. 24.

tica: Corporis ſtaturã dedit Deus homini
rectã: forſan, vt iſta corporea exterioris vi-
liorisq; rectitudo figmenti, hominẽ interi-
orem illũ, qui ad imaginẽ Dei factus eſt, ſpi
ritualis ſuæ ſeruãdæ rectitudiuis admone-
ret. Rectitudo aũt huius voluntatis, maxi-
mè obſeruãda eſt ab his, qui viã humilita-
tis ſunt aggreſſi, quorum cõuerſatio in cæ-
lis eſſe debet, ſecũdũ illud ad Philip. 3. No-

Latera ſcalæ ſpiritualis.

ſtra conuerſatio in cælis eſt. Latera huius
ſcalæ, corpus & anima eſſe dicuntur: quæ
ſunt duæ naturæ, ex quibus homo dino-
ſcitur eſſe cõpoſitus: & ſecũdùm quas duæ
in homine accipiũtur operationes, corpo-
ralis ſ. & ſpiritualis, quarũ vtraq; diſcipli-
næ magiſterio cõplananda & adaptãda eſt
ad virtutẽ. Duodecim huius ſcalæ humili-
tatis gradus eſſe dicũtur, *quos diuina euocatio*
ſiue electio, qua per gratiã elegit, quos per
boni operis fructum perducit ad gloriam,
ſecundùm illud ad Rom. 8. Quos prędeſti-
nauit, hos & vocauit, *infuruit*, id eſt, docuit
vel immiſit in animas iuſtorũ: quia vt ait
Apoſtolus 2. ad Cor. 3. Nõ ſumus ſufficiẽ-
tes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex no-
bis: ſed ſufficiẽtia noſtra ex Deo eſt. Euo-
catio etiã diuina (vt Caſſiodor. ſuper pſal.
5. ait) omne meritũ præcedit, nec inuenit,
ſed facit angelos aſcẽdentes & deſcenden-
tes. Per hanc ſcalã, viros religioſos intelli-

Vita obedientiæ cõmendatur, & dicitur ſcala.

gimus. Vita enim obedientiæ, vita angelica
eſt. Deſcendũt quidẽ, humiliter de ſe ſenti-
endo, ſuperioribus parendo, & fratribus
miſericorditer miniſtrãdo. Aſcendũt aũt,
Deo aſſiſtẽdo, oratione, lectione, medita-
tione, adimplentes in omnibus inſtar ſan-
ctorũ angelorũ diuinã voluntatem. Vndè

Pſal. 83.

de iuſto dicitur in pſal. Aſcẽſiones in cor-
de ſuo diſpoſuit, id eſt, gradus per quos ad
10. cæleſtẽ manſionẽ aſcendit. Decimũ eſt, quę
eſt promotrix ad gloriam. Lucæ 14. Qui ſe
humiliat, exaltabitur. Et Iob 22. Qui hu-
miliatus fuerit, erit in gloria: & qui incli-
nauerit oculos ſuos, ipſe ſaluabitur. Et
Prou. 16. Gloriã præcedit humilitas. Itèm
eiuſdem 19. Humilẽ ſpiritu ſuſcipiet glo-

De pœnit. medic. c. 2.

ria. Aug. lib. de Pœnitentia: Qui noluerit
humiliari, vt exaltetur: cùm voluerit ex-
altari, deijcietur. Hoc patuit in primo an-
gelo, qui voluerat exaltari, & humiliatus
eſt. E conuersò beata Maria voluit humili-

Exempla de humilitate & ſuperbia.

ari, & exaltata eſt ſuper omnes angelos.
Ezech. 17. Ego Dominus humiliaui lignũ
ſublime, & exaltaui lignum humile. Itèm
dictum eſt Sauli 1. Reg. 15. Nónne cùm eſſes
paruulus in oculis tuis, caput in tribubus
Iſrael factus es? Greg. Quiſquis nũc ſe non
humiliat, nequaquàm hunc ſequẽs gloria
exaltat. Et ideò beatus Iſidorus exhorta-
tur, dicens: Deſcende, vt aſcendas: humi-
liare, vt exalteris: nè exaltatus, humilieris.
Qui enim extollitur, humiliatur: qui ex-
altatur, deijcitur: qui eleuatur, proſterni-
tur: qui inflatur, alliditur.

TRACTATVS LIX.

De primo gradu humilitatis: vbì de timore Dei, & multiplici eius commendatione.

Humilitas in quo cõſiſtat, & quæ ſit radix eius.

DIſpoſita ſcala & erecta, ſanctus
pater deſcribit 12. gradus. Pro
quorum diſcretione & ſuffici-
entia eſt notandum, quòd hu-
militas cõſiſtit in appetitu, ſecũdùm quod
aliquis refrenat impetũ animi ſui, nè inor-
dinatè tendat in magna: ſed regulam habet
in cognitione, vt ſ. aliquis non ſe exiſtimet
eſſe ſupra id quod eſt: & vtriuſq; principi-
um & radix, eſt reuerentia quam habet ad
Deũ. Ex interiori aũt diſpoſitione humi-
litatis, procedũt quædã exteriora ſigna in
verbis & factis & geſtibus, quibus id quod
interiùs eſt, manifeſtatur: ſicut in cæteris
virtutibus accidit. Nã ex viſu cognoſcitur
vir, & ab occurſu faciei ſenſatus, vt dicitur
Eccl. 19. Et ideò in aſſignatis gradibus hu-
militatis per ſanctũ patrem Benedictum,
ponitur aliquid, quod ad humilitatis radi-
cẽ pertinet, ſ. gradus primus, qui eſt, vt ho-
mo Deũ timeat, & memor ſit omnium quæ
præcepit. Ponitur etiã aliquid, pertinẽs ad
appetitũ: nè ſ. in ꝓpriã excellẽtiã inordi-

Triplici modo aliquis inordinatè non tendit in ſe.

natè tẽdat. quod quidẽ fit tripliciter. Vno
modo, vt nõ ſequatur homo ꝓpriã volũ-
tatẽ: quod pertinet ad gradũ ſecundũ, qui
eſt, propriã nõ habere volũtatẽ. Alio mo-
do, vt reguletẽ eã ſecũdùm ſuperioris arbi-
triũ: quod pertinet ad tertiũ gradũ, qui eſt,
omni obediẽtia ſubdi maioribus. Tertio mo-
do, vt ab hoc nõ deſiſtat ꝓpter dura vel a-
ſpera, quę occurrũt: & hoc pertinet ad quar-
tũ gradũ, qui eſt, pro obedientia in duris &

Tria pertinentia ad æſtimationẽ recognoſcentis ſuum defectum.

aſperis patientiã amplecti. Ponũtur etiam
quædã, pertinẽtia ad æſtimationẽ hominis
recognoſcẽtis ſuũ defectũ. Et hoc triplici-
ter. Vno quidem modo per hoc, quòd pro-
prios defectus cognoſcat & confiteatur:
quod pertinet ad quintũ gradum, qui eſt
puriſſima confeſſio malorum ſuorũ. Se 2.
cundò, vt ex conſideratione ſui defectûs,
aliquis inſufficientem ſe exiſtimet ad
maiora: quod pertinet ad ſextum gra-

dum, qui est, ad omnia se indignũ cõfiteri,
3. & credere. Tertiò, vt quãtùm ad hoc, sibi
alios prẹferat: quod pertinet ad septimum
gradũ, qui est, credere & pronunciare se
Pertinẽtia ad exteriora signa humilitatis. omnibus viliorẽ. Ponuntur etiã quẹdam,
quæ pertinent ad exteriora signa. quorum
vnum est in factis, vt s. homo nõ recedat in
suis operibus à via cõmuni: quod pertinet
ad octauũ gradũ, qui est, tenere quod com-
munis regula monasterij tenet. Alia duo
sunt in verbis, vt s. homo nõ præripiat tẽ-
pus loquẽdi: quod pertinet ad gradũ no-
nũ, qui est, taciturnitas vsq; ad interrogati-
onẽ: Nec excedat modũ in loquẽdo, quod
pertinet ad decimũ gradũ, vt nõ facilis sit
& prõptus in risu. Alia verò consistunt in
exterioribus gestibus: putà, cohibendo ex-
teriùs risum, & alia ineptæ lætitiæ signa:
quod pertinet ad vndecimũ gradũ, qui est,
pauca & rationabilia sine risu & cum gra-
uitate loqui: Et in reprimend xtollen-
tiam oculorum, quod pertinet ad duode-
cimum gradũ, qui est, corde & opere hu-
militatem ostendere, defixis in terrã adspe-
ctibus. Qui omnes gradus breuiter notari
Versus de gradibus humilitatis. possũt his versibus: Qui timet, & nil vult,
parens, patiensque, fatetur, Cõtemnit, prẹ-
fert alios, nil singulus audet, Absq; loqui,
risuq; grauis stat, pronus vbiquẽ. Primũ
autem horum graduũ sanctus pater dicit
esse timorem Dei sub his verbis: *Primus itaq; humilitatis gradus est, si timorem Dei sibi ante oculos semper ponens, obliuionem omninò fugiat, & semper sit memor omnium quæ præcepit Deus.* Radix pro-
fectò humilitatis, timor Dei est, quem in-
separabiliter concomitatur memoria præ-
ceptorum Dei: ità vt dicat Gregor. super
Lib. Moral. cap. 2. Iob: Timere Deum, est nulla quæ facienda
sunt bona, præterire. Quarè dicitur Eccle.
Commendatio timoris & memoriæ mãdatorum. 2. Qui timent Deum, inquirent quæ bene-
placita sunt ei. Itèm in eodem: Qui timẽt
Dominum, custodiunt mandatum illius.
Psal. 111. Et in Psal. Beatus vir qui timet Dominum,
in mãdatis eius cupit nimis. De tali memo-
ria mandatorũ Dei habenda, dicitur Deu-
tero. 6. Erunt verba mea hæc, quæ prẹcipio
tibi hodiè, in corde tuo: & narrabis ea filijs
tuis, & meditaberis sedens in domo tua, &
ambulans in itinere, dormiens atque con-
surgens. Iosue 1. Non recedat volumen le-
gis huius ab ore tuo, sed meditaberis die-
bus atque noctibus. Eccles. 3. Quæ præcipit
Distinguit tractanda. tibi Deus, hæc cogita semper. Sunt autem
hîc quatuor notanda pro intelligentia
præsentis capituli, quæ etiam sanctus pa-
ter considerâsse videtur. Primò, quarè
primus gradus humilitatis, positus est ti-
mor. Secundò, de speciebus timoris. Ter-
tiò, de causis inducentibus timorem. Quar-
Sex rationes ad cõmendationem timoris, & quarè dicatur primus gradus humilitatis. tò, de effectibus aliquibus illius. Circa
primum notandum, quòd sanctus pater
primum gradum posuit timorem Dei, sex

rationibus, quæ plurimùm faciunt ad cõ-
mendationem eius. Primò quidem, pro-
pter excellentiam, quam timor Dei habet
respectu cæterarum gratiarum. Ecclesiast.
25. Quàm magnus, qui inuenit sapientiam 1.
& scientiam: sed non est super timentem
Deũ. Timor Dei super omnia se superpo-
suit. Beatus, cui donatum est habere timo-
rem Dei. Glo. Sicut nouenarius est imper-
fectus, nisi denario suppleatur: sic omnis
operatio virtutũ, sine timore. Timor enim
Domini sanctus permanens in seculum se-
culi: ipse est fidei fundamentum, charita-
tis origo: per ipsum fit bonum, & perueni-
tur ad præmium. Secundò, quia timor 2.
Dei est initium sapientiæ. Prou. 1. Principi-
um sapientiæ, timor Domini. Et psal. 110.
Initium sapientiæ timor Domini. Glo. Ti-
mor Domini, initiũ sapientiæ est, quia est
ianua conuersionis. Item Cassiodorus in
Glo. Timor Domini est initiũ sapiẽtiæ. Per Timor Domini initiũ sapientiæ, quarè.
hunc enim ad Deum velut quibusdã ianu-
is introitio. Nam si metus eius iudicij nesci-
atur, conuersionis medicina negligitur.
Bernardus super Cantica: Instructio do- Serm. 23.
ctos facit, affectio sapiẽtes. Aliud est, mul-
tas diuitias scire: aliud, & possidere: nec no-
titia diuitẽ facit, sed possessio. Sic aliud est,
nôsse Deũ: & aliud, timere: nec cognitio sa-
pientem, sed timor facit, qui & afficit. Tu
nè sapientẽ dixeris, quẽ sua scientia inflat.
Initiũ sapiẽtiæ, timor Domini: quia tunc
primò Deus animæ sapit, cùm eã afficit ad
timendũ, nõ cùm instruit ad sciẽdũ. Ter- 3.
tiò, quia timor Dei est nostræ salutis prin-
cipiũ. Vndè Cassianus lib. 4. institutionũ, Cap. vlt.
inquit: Principiũ nostræ salutis, eiusdẽq;
custodia, timor est. Per hũc enim & initiũ
conuersionis, & vitiorum purgatio, & vir-
tutum custodia his, qui imbuũtur ad viam
perfectionis, acquiritur: qui cùm penetra-
uerit hominis mentẽ, contemptũ omnium
rerum parit: obliuionem parentum, mun-
diq; ipsius gignit horrorem. Contemptu
autem ac priuatione omnium facultatum,
humilitas acquiritur. Quartò, timor Do- 4.
mini est principiũ religionis. Hic enim est Timor est causa religionis.
qui seculum spoliat, & claustra ac deserta
monachis implet: quia, vt dicitur Eccl. 21.
Qui timet Deum cõuertetur ad cor suum.
Et eiusdem 2. Qui timent Dominum, præ-
parabũt corda sua, & in cõspectu illius san-
ctificabunt animas suas. Isa. 26. A timore
tuo, Domine, concepimus, & quasi partu-
riuimus, & peperimus spiritum salutis.
Bernardus de donis Spiritûs sancti: Con- Cap. 1.
nexa sunt quidem timor & religio, nec
manere potest alterum sine altero. Vn-
dè Cornelius dictus est vir religiosus ac Act. 10.
timens DEVM, & Simeon vir iustus Luc. 2.
& timoratus. Propter hoc Salomon dicit:
Deum time, & mandata eius obserua. Per Eccle. 12.
hunc

hunc timorem vniuersa deserimus, mundo abrenunciamus, nosq; ipsos negamus,
Lucæ 9. sicut Dominus ait: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & sequatur me.
5. Quintò, quia timor Domini est sustentaculum primum totius ædificij spiritualis. Ecclesiastici 27. Si non in timore instanter te tenueris, citò subuertetur domus tua. Quam authoritatem tractans beatus Ber-
Cap. 1. nardus de donis spiritûs sancti, subdit: Omne nanque virtutum ædificium vergit in præcipitium, si huius gratiæ amise-
6. rit præsidium. Sextò, quia timor Domini, bonorum abundantiam introducit. Ecclesiastici 15. Qui timet Deum, faciet bona. Bernardus de donis spiritûs sancti: Sicut securitas vel desidia, causa est & mater omnium delictorum: sic timor Domini, radix est & custos omnium bonorum. ideò Ecclesiastici 7. dicitur: Timor Domini sicut paradisus benedictionis. Patet clarissimè, quàm rationabiliter sanctus pater primum humilitatis gradum posuit timo-
Quatuor species timoris. rem. Secundò notandum, quòd loquendo de timore secundùm quod per ipsum ad Deum aliquo modo conuertimur, vel
Bernardus sermo. 4. de modis benè viuendi. ab eo auertimur: quatuor sunt eius species, vt ait magister Sententiarum in iij. dist. 34. videlicet, timor mundanus siue humanus, seruilis, initialis, castus vel filialis. Huma-
1. Timor humanus. nus timor est, vt ait Cassiodorus, quandò timemus aut pati pericula carnis, vel per-
In titulum psal. 127. dere bona mundi, propter quod delinquimus: hic timor malus est. Et, vt idem Cas-
In psal. 127. siodorus dicit, miseros efficit, & ascẽsum nescit, sed ruinam: quem prohibet Dominus, Mat. 10. dicens: Nolite timere eos qui occidũt corpus. Procedit autem timor iste malus ex nimio amore præsentis vitæ. De quo amore inordinato dicitur Ioannis 12. Qui amat animam suam, perdet eam. Ille autem dicitur animam suam in hoc mũdo
Hom. 65. in Ioannẽ. amare, dicit Chrysostomus, qui desideria eius incõuenientia facit. Odit autem eam, qui credit ei noxia concupiscenti. Et ideò
Tract. 51. in Ioannẽ. dicit August. in Glo. Qui amat animã suam, perdet eam. Noli amare in hac vita, nè
2. perdas in æterna vita. Secundus timor,
Timor seruilis. seruilis est, vt dicit August. Cùm propter
In psal. 127. timorem gehennæ aut alicuius temporalis incommodi seu mali, continet se homo à peccato. Iste autem seruilis timor cùm peccandi voluntatem non auferat, nõ est cum charitate: immò illa adueniente, propelli-
Serm. 13. tur. August. de verbis Apostoli: Qui adhuc ideò benè agit, quia & pœnam timet, Deum non amat, nondùm est inter filios.
Serm. 18. Et infrà: Quid magnum est, timere pœnã? quis eam non timet? quis latro, quis sceleratus, quis nefarius? Vbi considerandum tamen, quòd licèt timor seruilis cum cha-
Timor est ritate non simul stet, nihilominùs via est
ad illam. Ecclesiastici 25. Timor Domini, via ad charitatem.
initiũ dilectionis. August. super 1. canonica Ioan. homil. 9. Timor Dei locũ præpa- Tract. 9.
rat charitati. cùm aũt cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparauit locum: quantũ illa crescit, tantum ille decrescit: quantũ illa fit interior, timor pellitur foràs: maior charitas, minor timor: si nullus timor, perfecta charitas. Quia, vt dicitur 1. Ioan. 4. Perfecta charitas foràs mittit
timorẽ. Tertius timor, filialis siue cast⁹ est, 3.
quo timem⁹, nè spõsum offendam⁹, nè spõsus tardet, nè discedat, nè eo careamus. Timor iste, de vero Dei amore nascitur: de Timor filialis vel castus.
quo Psal. Timor Dñi sanctus permanet in Psal. 18.
seculũ seculi. De differentia aũt istorũ duorũ timorũ, videlicet seruilis & filialis, siue casti, August. super 1. canon. vbi suprà, De eius differentia cũ seruili.
sic loquitur: Est timor, quẽ charitas foràs Tract. 9.
mittit: & est timor castus, permanẽs in seculum seculi: sicut sunt homines qui timent Deum, nè mittantur in gehennã. Iste timor introducit charitatẽ: sed sic venit, vt exeat. Si enim propter pœnas times Deũ, non amas. non bona desideras, sed mala caues: corrigis te, & incipis bona desiderare. Et cùm incipis bona desiderare, est in te timor cast⁹, qui est nè amittas ipsa bona. Sicut si ponas duas mulieres maritatas, quarũ vna velit adulterium facere, sed timet maritum, nè veniat. Hęc diligit nequitiam, & Apta similitudo.
onerosa est ei pręsentia mariti: altera amat virũ, & nulla se adulterij immunditia vult maculare: optat pręsentiam viri. Timet illa, timet ista: illa timet virum, nè veniat: ista timet virum, nè discedat. Illa dicit, timeo nè damnet: ista dicit, timeo nè deserat. Pone hoc in animo Christianorũ, & inuenisti timorẽ quẽ foràs mittit charitas: & alium timorem castum, permanentẽ in se-
culũ seculi. Hæc August. Quartus timor, 4. Timor initialis.
initialis dicitur, quasi medius inter duos supradictos, s. seruilẽ & filialem. Nam seruilis timor est, vt dictum est, quo homo continet se à peccato timore pœnę. Timor filialis est, quo homo continet se à peccato timore offensæ: filiorum enim est, timere patris offensam. Timor verò initialis dicitur, quo homo, propter vtrunque, s. pœnã & offensam, se à peccato abstinet. Et ideò dicitur à beato Bernardo, habere duos ocu- Duo oculi timoris.
los: dextrũ quidẽ, quo respiciẽs sursùm, timet à Deo separari: sinistrũ, quo respiciẽs deorsùm, timet incurrere pœnas. Timor iste, initialis dicitur, quia est incipiẽtium: cõuenit enim statui incipientiũ, in quibus inchoatur quidẽ filialis timor per inchoationem charitatis, nõ est tamẽ in eis timor filialis perfectè: quia nondũ peruenerunt ad perfectionem charitatis. Et ideò timor initialis, vt dicit S. Thomas, hoc modo se habet ad filialẽ, sicut charitas imperfecta

Tres consi- ad perfectam, quæ non differunt secundū
derationes essentiam, sed secundùm statum. Tertiò
debent nos notandum, q tres maximè inter alias con-
inducere siderationes debēt timorem Domini incu-
ad timorē. tere discipulo huius scholæ, quas B. Bene-
1. dictus tangit in præsenti capitulo. Prima
est, consideratio acerbitatis pœnarum ge-
hennæ: & hanc tangit, cùm dicit: *qualiter
contemnentes Deū*, siue in se, cuiusmodi sunt,
qui peccatis continuè eum offendunt: siue
in suis, cuiusmodi sunt, qui Prælatis, Chri-
sti vices in terra agentibus, sunt rebelles, *in
gehennā pro peccatis incidūt, animo semper reuoluāt.*
De quo Iob 14. Quis mihi tribuat, vt in in-
ferno protegas me, & abscondas me, donec
pertrāseat furor tuus? De timore autem &
acerbitate pœnarum gehēnæ, suprà instru-
mento 45. satis dictū est: quare ad præsens
sufficiat id, quod in Vitis patrū habetur,
Exemplum quod Abbas Amo cuidam fratri, interro-
& doctrina gāti aliquē sermonē, dixit: Vade, & fac tibi
optima. talem cogitationem, qualem faciunt illi,
qui sunt in carcere. Illi tantū interrogāt ho
mines, vbi est iudex, & quādo veniet? & in
ipsa expectatione pœnarū suarū plorant:
sic & monachus debet animā suam obiur-
gare, dicens: Væ mihi, quō habeo adstare
ante tribunal Christi, & actuū meorū red-
dere rationē? si sic semper meditatus fue-
2. ris, poteris saluus esse. Secunda cōsidera-
tio, quæ discipulum debet inducere ad ti-
mendum Deum, est immēsitas gloriæ, quę
timentibus Deū præparata est, secundū il-
Psal. 30. lud psal. Quàm magna multitudo dulce-
dinis tuæ, Domine, quā abscōdisti timenti-
bus te. Hac considerationem tangit sanctus
pater ib', cùm subdit: *& vitam æternam, quæ ti-
mentibus Deu præparata est, animo suo semper reuol-
uat.* De excellētia autē vitæ æternæ, satis no-
3. tatum est instrumento 46. Tertia consi-
deratio incutiens timorē, est consideratio
inflexibilis diuinæ iustitiæ, quæ nullū ma-
lum impunitū relinquit. Iob 34. Deus in-
ultum abire nō patitur, & ideo maximè ti-
mendus est Deus. Ideò Iob 9. dicebat: Vere-
bar omnia opera mea, sciens quòd nō par-
ceres delinquenti. Hanc considerationem
tangere videtur sanctus pater, cùm subdit:
*Et custodiens se omni hora à peccatis & vitijs, id est,
cogitationum, linguæ, oculoru, manuū, pedum, vel vo-
luntatis propriæ*: quod fit per timorē, iuxta il-
lud Ecclesiastici 1. Timor Domini expellit
peccatū. *Sed & desideria carnis amputare festinet.*
Benè dicit, *festinet*, Ecclesiastici 5. Non tar-
des conuerti ad Dominum, & nè differas
de die in diem. Subitò enim venit ira illius,
& in tempore vindictæ disperdet te. De de-
siderijs nō perficiendis, satis dictum est su-
4. prà circa instrumentum 58. Quarta consi-
deratio est claritatis diuinæ sapientiæ, cui
nihil potest abscōdi. 1. Regum 17. Deus in-
tuetur cor. Et hanc considerationem tāgit

sanctus pater, cùm subdit: *Existimet se ho-
mo de cælo à Deo semper respici omni hora, & facta
sua in omni loco ab adspectu diuinitatis videri, & ab
angelis* s. custodiæ hominum deputatis, *omni
hora Deo renunciari.* Ad quam consideratio-
nem confirmandā, inducit plures autho-
ritates sacræ scripturæ, dicens: *Demonstrat
nobis hoc Propheta, cum in cogitationibus nostris ità
Dominū semper præsentem ostendit, dicens: Scrutans
corda & renes Deus*, psal. 7. i. cogitationes &
delectationes, quas in occulto scrutatur,
vbi nullus videt, nisi qui prospicit corda,
s. Deus ipse solus scrutatur corda, i. quod
quisq; cogitet: & renes, i. quid quenq; de-
lectet. Glo. *Et item*: s. psal. 93. *Dominus scit
cogitationes hominum. Et item dicit*: s. psal. 138.
Intellexisti cogitationes meas à longè. A longè di- A longè
citur intelligere cogitatiōes hominū: quo- De' cogno-
niam anteq̃ mente formētur, ab æterno il- scit.
las nouit. Itē illud psal. 75. *Et quoniā cogitatio
hominis cōfitebitur tibi*, i. nota erit tibi. His au-
thoritatibus manifestum fecit sanctus pa-
ter, oculis diuinitatis notas esse hominum
cogitationes, & ità oīa opera nostra nu-
da & aperta esse oculis eius: atq; ex eo timē-
dum esse, nè aliquid à nobis cogitatum aut
effectum sit, quod tantæ maiestatis oculos
offendat. Ambro. lib. de officijs: Nihil est,
quod magis ꝓficiat ad vitā honestā, quàm
vt credamus eum iudicē futurū, quē occul-
ta nō fallūt, & indecora offendat, & hone-
sta delectēt. Quartò, notandū, q inter ali- Tres effect'
os effect', quos timor facit in animo disci- timoris.
puli præter eos qui suprà circa primū nota-
bile assignati sunt, tres describuntur hìc à
sancto patre Benedicto. Primus est, quòd 1.
cogitationes malas & peruersas fugat. Est
enim quas flabellū, quo muscæ malarum
cogitationū à mēte fugantur. Eccle. 1. Ti-
mor Domini expellit peccatū. & Eccle. 2.
Qui timent Dominū, præparabunt corda
sua, & in cōspectu illius sanctificabit ani-
mas suas. Hunc tangit sanctus pater, dicēs:
*Nam vt sollicitus sit circa cogitationes suas peruersas,
dicat semper humilis frater in corde suo: Tūc ero im-
maculatus coram eo, si obseruauero me ab iniquitate
mea.* quod scribitur psal. 18. Sensus est: Im-
maculātus ero corā Deo, si obseruauero me
ab iniquitate mea, i. custodiero me, nè cadā
iterū per peccatū, quod habet animam ma-
culare. Eccle. 21. Fili, peccāsti? nè adijcias
iterùm. vt dicas cum beato Iob: Donec de-
ficiam, non recedam ab innocentia mea,
Iob 27. Psal. Beati immaculati in via, qui Psal. 118.
ambulant in lege Domini. Hoc operatur
timor Dñi. Vndè Glo. super illud Eccle. 1.
Timor Domini expellit peccatū: dicit, Ex-
pellit peccatū, quia per pœnitentiā mūdat
à preteritis, vel ꝓhibet à cōmittēdis. Et ideò
dicit B. Bern. sup Cāt. Qui timorē Dei sem-
per habet p oculis, eius vię sunt pulchrę, &
oēs semitę eius pacificæ. Secundus effectus 2.
timo-

timoris, est, quòd propriã voluntatẽ abnegare facit, & illã subijcit, & submittit voluntati superioris. Hinc dicitur Eccle. 2. Qui timent Dominum, inquirunt quæ beneplacita sunt illi. Item in eodem: Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius. Gen. 22. dictum est Abrææ obedienti: Nunc cognoui quòd timeas Dominum.

lib. 1. cap. 2. Timere Deum.

Gregor. in prima parte Moralium: Deum timere, est, nulla quæ facienda sunt bona præterire. Et hunc effectum tangit sanctus pater, cùm subdit: *Voluntatem verò propriam ità facere prohibemur, cùm dicit scriptura nobis*: s. Ecclesiastici 28. *Et à volũtatibus tuis auertere. Et idem rogamus Dominum*, s. in oratione Dominica, *vt fiat illius voluntas in nobis*. Orantes enim

Matt. 6.

De oratiõe Dominica.

dicimus, Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. vbi dicit Cyprianus: Nõ petimus vt Deus faciat quod vult, sed vt nos facere possimus quod Deus vult: quod vt fiat in nobis, opùs est Dei voluntate, id est, ope eius & protectione: quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei misericordia tutus est.

Consequenter ostendens sanctus pater rationabilitatem huius documẽti ex ipsa sacra scriptura, subdit, dicens: *Docemur ergò, meritò nostram non facere voluntatem, cùm cauemus* i. obseruamus, *illud, quod dicit sacra scriptura: Sunt viæ, quæ putantur ab hominibus rectæ, quarũ finis vsque in profundum inferni demergit*. Prouer.

Magna securitas obedientiæ.

16. habetur: Sic est via quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem. Ex hoc loco apertè colligitur, quàm maxima securitas sit, superiorum suorũ & patrum voluntatem sequi, & obedientiam in omnibus dubijs inuiolatam seruare. De qua materia circa instrumentum 60. plura notata sunt. *Et cum iterùm cauemus* id est, obseruamus, *illud, quod de negligentibus dictum est*: psal. 51. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in voluptatibus suis*. Textus translationis nostræ habet: In iniquitatibus suis, s. in peccatis

3. tam carnis quàm spiritûs. Tertius effectus timoris Domini, est carnalium desideriorum compressio. Psal. 118. Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui. Glo. id est, Comprime carnalia desideria & carnales concupiscentias. Hunc timoris effectum tangit sanctus pater, cùm subiungit: *In desiderijs verò carnis ità nobis Deum credamus semper esse præsentem, cùm dicit Propheta Domino*: psal. 37. *Domine, ante te est omne desideriũ meum. Cauendum ergò est ideò malum desiderium, quia*

hom. 16. in Euãg. & li. 4. Moral. cap. 27. Tribus modis culpa perpetratur

mors secus introitum delectationis posita est. Vbi notandum, quòd, vt ait Gregor. in Moralib. & ponitur in Glo. Gen. 3. Tribus modis culpa perpetratur: suggestione, delectatione, & consensu. Primò, per hostem. Secundò, per carnem. Tertiò per spiritum. Hostis enim praua suggerit, caro subijcit se delectationi, tandem spiritus delectationi consentit. Vndè & serpens praua suggessit: Eua, quasi caro, delectationi se subdidit: Adam verò, velut spiritus, suggestione & delectatiõe superatus, assensit. Suggestione ergò peccatum cognoscimus, delectatione vincimur, consensu ligamur. Cùm ergò malignus spiritus peccatũ suggerit, in mente si nulla peccati delectatio sequatur, omnimodè peccatum perpetratum non est. Cùm autẽ delectari caro cœperit, tunc peccatum incipit nasci. Si autẽ ad cõsensum iam ex deliberatione descendit, tunc peccatum cognoscitur perfici.

Subreptio peccati rectè describitur.

In suggestione ergò peccati semen est, in delectatione fit instrumentum, in consensu expletio. Nihil enim aliud est dicere, *mors secus introitum delectationis posita est*: nisi quasi diceret: Noli consentire concupiscentiæ tuæ: secundùm illud, quod *scriptura præcepit, dicens*: Ecclesiast. 8. *Post concupiscentias tuas non eas*. quia si cõcupiscentia vsque ad consensum peruenerit, mors est, id est, mortale peccatũ, quod animam occidit: secundùm illud Ezechielis 18. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. De desiderijs aut concupiscentijs non perficiendis, suprà circa instrumentum 58. plura dicta sunt. Sequitur: *Ergò si* &c. Hîc sanctus pater ex dictis colligit conclusionem, dicens: *Ergò si* ꝓ, quia, id est, cùm ergò ità sit, quòd *oculi Domini speculantur bonos & malos, & Dominus de cælo semper respicit super filios hominum, vt videat, si est intelligens aut requirens Deum*. Vbi notãdum,

Duo libenter in nobis adspicit Deus.

quòd ista duo libẽter adspicit Deus in nobis, intellectũ scilicet, intelligentẽ ipsum, & affectum requirentem. Hieremiæ 5. Oculi tui, Domine, respiciunt fidem. Et benè coniungit hæc duo: quia vnum sine altero parùm valet. Multi enim literati videntur intelligere, sed pauci requirunt: hæretici econuersò videntur requirere, sed non intelligunt. Sequitur: *& si ab angelis nobis deputatis, quotidiè die noctúque Domino factori nostro opera nostra nunciantur: cauendum est ergò omni hora, fratres, sicut dicit in psalmo* scilicet 52. *propheta: nè nos declinãtes in malum*, per auersionem

Ratio peccati in quo consistat.

scilicet ab incommutabili bono, & conuersionem ad bonũ commutabile, in quo compræhenditur tota ratio peccati, *& inutiles factos*, scilicet sibi & alijs per inutilem remissionem. Prouerb. 18. Homo remissus in operibus suis, frater est sua opera dissipantis. Ecclesiasti. 4. Noli esse remissus & inutilis in operibus tuis. *aliqua hora adspiciat Deus, & parcendo nobis in hoc tempore, quia pius est, & expectat nos conuerti in melius, nè dicat nobis in futuro*: grauiter improperando, & de ingratitudine redarguendo: *Hæc fecisti, & tacui*.

Tacere Dei

Tacere Dei, in hoc loco accipitur pro eo, quod est, non puniui, non damnaui, non vindictam intuli. Vbi notandum est illud,

Similia habet homil. 11. in Ezech.

quod beatus Gregorius ait in homilia quadam: Tanto districtiorem iustitiam in iu-

dicio exiget, quanto longiorem patientiã
ante iudicium prçrogauit. De qua expecta-
tione & patiẽtia Saluatoris nostri erga pec
catores, plura circa Prologum huius regu-
læ notata sunt. Hæc sufficiant de primo
gradu humilitatis.

TRACTATVS LX.

De secundo & tertio gradibus humilitatis: vbì de propria voluntate nõ habenda, & de duplici obedientia, abundanti, & perfecta.

S*Ecundus humilitatis gradus est, si propriam
quis non amans voluntatem, desideria sua nõ
delectetur implere.* Cùm autem timor
Dei, vtpotè qui initium est sapien-
tiæ, principiũ sit ad religionis ingressum.
De donis Spiritus sancti, ca. 1.
Vndè vt ait Bernardus: Connexa sunt ti-
mor & religio. Cumq; propriç voluntatis
& propriorum desideriorum abrenuncia-
tio prim⁹ religionis lapis dicatur esse: opti-
mo ordine sanctus pater post timorẽ Dñi,
ascendendo in scala humilitatis, proximũ
gradum abrenũciationem posuit propriæ
Ex tribus hortamur ad propriã voluntatẽ non amandam.
voluntatis. Vbi notandum, quòd sanctus
pater ex tribus nititur admonere discipulũ
ad propriam voluntatem non amandam.
Primò, exemplo Christi, ibi cùm subdit:
sed vocem illam Domini factis imitetur, dicentis: Nõ
1. *véni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me.*
Ioan. 6. Non quæro voluntatem meam, in-
quit Christus, sed eius qui misit me, patris.
August. in Glo. Non quæro voluntatẽ me-
am propriam, id est, filij hominis, quæ re-
sistat Deo: faciunt enim homines volun-
Qñ faciunt hoies volũtatem suã, & quandò non.
tatem suam, non Dei, quãdò faciunt quod
volunt, nõ quod iubet Deus. Quandò au-
tem ità faciunt quod volunt, vt tamen se-
quantur voluntatem Dei, non faciunt vo-
luntatem suam. Item idem August. Filius
Tract. 22. in Ioannem.
vnicus dicit, Non quçro voluntatem meã:
& homines volunt facere voluntatem suã.
Faciamus ergò volũtatem patris, volunta-
tem filij, voluntatem spiritussancti: quia
Trinitatis huius vna voluntas, vna pote-
stas, vna maiestas est. Secundò, ex damno
2. quod sequitur ex propria voluntate: ibi,
cùm subdit: *Item dicit scriptura: Voluntas habet
pœnam.* Sensus est: Voluntas propria, mul-
ta damna & pœnam multiplicem inducit.
Licèt autem scripturam nõ legerimus, quæ
talem authoritatem formaliter secundùm
literã ponat, secundũ sensum tamẽ ex mul-
tis passibus eã apertè colligimus. Scribitur
Luc. 12. Ille aũt seruus, qui cognouit volũ-
Propria voluntas habet multiplicem pœnam.
tatem dñi sui, & nõ fecit secũdùm volũta-
tem eius, vapulabit plagis multis. Vbi no-
tandum, ꝙ propria volũtas multiplicẽ ha-
bet pœnã, per quam homini multipliciter
nocet. Primò aufert ei Deũ. Bern. sup. Cãti. *Serm. 46.*
Non d. bit inobedienti copiam sui, tantus 1.
obedietię amator, vt mori, q̃ non obedire,
maluerit. Secundò, beneficia Dei, homini 2.
subtrahit. Greg. Dignum est, vt ab eius be-
neficijs sit quilibet extrane⁹, qui eius nimi-
rùm iussionibus nõ vult esse subiect⁹. Ter- 3.
tiò, meritũ euacuat. Isaiæ 58. Quarè ieiuna-
uimus, & nõ adspexisti? Et subditur: Eccè,
in die ieiunij vestri inuenitur volũtas ve-
stra. Bernard. sup. Canti. Grande malum, *Serm. 71.*
propria voluntas: qua fit, vt bona tua tibi
bona nõ sint. Quartò, hominẽ excõmuni- 4.
cat. 2. Thess. 3. Si quis non obedierit verbo
nostro per epistolã, hunc notate, & nè cõ-
misceamini cum illo. Quintò, reddit ho- 5.
minem maledictũ. Deut. 28. Si audire no-
lueris vocẽ Domini Dei tui, vt custodias &
facias omnia mãdata eius, venient super te
maledictiones istæ &c. Sextò, hominem à 6.
dignitate deijcit, vt patet in Saule: cui dixit
Samuel 1. Reg. 15. Quia proiecisti sermonẽ
Domini, proiecit te Deus, nè sis rex Israel.
Septimò, hominẽ cõfundit. Ose. 10. Cõfun 7.
detur Israel in volũtate sua. Octauò, ho- 8.
minem morte tẽporali & æterna dignũ ef-
ficit. Deut. 17. Qui superbierit, nolens obe-
dire sacerdotis imperio, morietur. Bernar.
Serm. 3 de resurr. dñi. Nihil punit Deus nisi propriã voluntatem.
Quid odit, aut punit Deus, præter propriã
voluntatem? Cesset volũtas propria, & in-
fernus non erit. De ista materia, s. propria
voluntate non amanda, sed odiẽda, plura
notata sunt circa instrumẽtum 59. Item de
desiderijs non adimplẽdis, plura notata re-
peries circa instrumentum 58. ideò non est
opùs in hoc loco ampliore sermone. Ter- 3.
tiò, hoc idem sanctus pater inducit ex prç-
mio, quod cõsequitur propriæ voluntatis
abrenũciator, cùm subdit: *& necessitas*, s. obe-
diendi & parendi Deo, nostrisq; superio-
ribus locũ vicesq; eius gerẽtibus, *parit coronã*.
Isa. 58. Si glorificaueris eũ, dum nõ facis vi-
as tuas, & nõ inuenitur volũtas tua, vt lo-
quaris sermonẽ: tũc delectaberis super Do-
mino, sustollã te super altitudinem terræ.
Glo. interlinearis: In æterna beatitudine.
Matt. 7. Non omnis qui dicit mihi, Domi-
ne Domine, intrabit in regnum cælorum:
sed qui facit voluntatẽ patris mei, qui in cç
lis est. De vtilitatibus autẽ obediẽtiæ, plura
notata sunt circa quintũ capitulũ regulæ.

T*Ertius humilitatis gradus est, vt quis pro Dei
amore omni* s. perfecta, *obedientia se subdat
maiori: imitans Dominũ, de quo dicit Apostolus*: s. ad
Obedientia commẽdabilis duplex.
Philip. 2. *Factus est obediẽs vsq; ad mortẽ.* Est aũt
hic notandũ primò, ꝙ obedientia cõmen-
dabilis est duplex: quædã est sufficiẽs, quç-
dam abundans. Sufficiens est, voluntas im- 1.
plendi præceptũ vel mandatũ superioris,
iuxta modũ professionis. Et intellige præ-
ceptum, vbi est coactio imperij: mãdatum
verò, vbi nõ est. Bernar. Modus obeditio-
nis, *De præcep. & disp. c. 8.*

nis,est tenor professionis, nec se valet extẽdere potestas imperantis, nisi quatenùs attingit votum profitẽtis. Item: Nil me prælatus prohibeat eorum quæ promisi, nec plus exigat, quàm promisi. Vota mea, nec augeat sine mea voluntate, nec minuat sine necessitate. Abundans obedientia est,cũ aliquis obedit in his, ad quæ ex voto professionis non tenetur. Bern. Subiectus huiusce modi obedientiam, quæ voti finibus cohibetur, nouerit imperfectã. Nam perfecta obedientia legem nescit, terminis nõ arctatur. Secundò notandum circa exemplum positum obedientiæ Christi, quòd dicitur factus obediẽs vsq; ad mortem: dupliciter potest intelligi, & ità dupliciter indui in exemplum nostrum obedientia Christi. Primo modo sic,quòd talis ac tanta fuit eius obedientia, quòd etiam mortẽ ex obedientia sustinuit. Et iste intellectus exprimitur in Glo. vbi sic dicitur: Factus obediens patri, nõ solùm sustinendo conuicia & opprobria, sed etiam vsq; ad mortem: quãta humilitate humiliauit se Christus? vsque ad incarnationem, vsq; ad mortalitatis humanæ participationem, vsq; ad diabolicam tentationem, vsq; ad populi irrisionem, vsq; ad sputa & vincula & alapas & flagella, vsq; ad mortem: & si parùm est hoc,aliquid de genere mortis addendũ est: mortẽ aũt non quãlibet, sed crucis,quę ignominiosior est. Ecce habemus humilitatis exemplũ: superbiæ medicamentum. quid ergò intumescis homo? ò pellis morticina, quid tenderis? ô sanies fœda, quid inflaris? princeps tuus humilis est,& tu superbis? caput est humile, & membrum superbum? absit. Hæc Glo. Hoc modo discipulus exemplo Christi debet omni, id est, perfecta obedientia subdi suis maioribus. Perfecta autem obedientia, vt dicit Bernar. lib. de præcepto & dispensatione, legẽ nescit, terminis non arctatur, neq; contenta angustijs professionis, largiori voluntate fertur in latitudinẽ charitatis, & ad omne quod iniungitur, spontanea, vigore liberalis alacrisq; animi, modum non cõfiderans, in infinitam libertatẽ extẽditur, vt etiam impossibilia si insigantur, cõfidens de Dei adiutorio, obediat ex charitate. Legitur in Vitis patrum, quòd quidam senex perfectus virtutib⁹, orauit Dominũ: Ostẽde mihi, Domine, quid sit perfectio animæ,& faciam. Et cùm requireret cõsilium à quodam alio sene, ille respõdit ei de hoc per reuelationem: Vis facere quicquid dico tibi? At ille, Volo. Et dixit: Vade, pasce porcos,& fecit sic. Et cùm alij viderẽt quòd pasceret porcos, dixerũt,ꝙ factus esset stultus: & visa humilitate sua, reuocatus est ad locũ suũ. Secũdo modo intelligitur obedientia Christi vsq; ad mortẽ, quia f.perse-

Ibidem.

2\. Ibid. cap. 9.

Obedientia Christi dupliciter potest intelligi & adduci ad nostrum exemplum.

1\.

Contra superbientem hominem.

Perfecta obedientia.

Cap. 9.

Exemplum

2\.

uerauerit vsque ad mortem inclusiuè: talis debet esse obedientia discipuli. Bernard. Obedientiæ limes secundùm tempus, est ipsa temporis extremitas, vt is sit terminus obedientiæ,qui & vitæ. Hunc nobis maximè vnigeniti Dei commendat exemplum, qui factus est patri obediens vsq; ad mortẽ.

De præcep. & disp. c. 9. Obedientiæ terminus.

TRACTATVS LXI.

De quarto gradu humilitatis: vbi de multiplici vtilitate tribulationis patienter toleratæ.

Q*Vartus humilitatis gradus est, si in ipsa obedientia duris*, i. grauibus & difficilibus ad exequendum, *& contrarijs rebus*, i. displicibilibus & aduersis voluntati suæ, *vel etiam in quibuslibet irrogatis iniurijs, tacita conscientia patiẽtiam amplectatur: & sustinens, non lassescat vel discedat.* Quia tertius gradus humilitatis est, vt discipul⁹ omni obedĩẽtia se subdat maiori: nẽ fortè aliqua occasione, vtpotè ꝓpter grauitatem iniũcti oneris, aut ꝓpter repugnantiã animi, ad id quod agendũ præcipitur, respicere velit: cõgruẽti ordine quart⁹ gradus humilitatis subiũgitur, qui est, vt discipulus in ipsa obedientia cõtra aspera patientiam amplectatur. Dicit Greg. Qui gloriam non quærit, contumeliã nõ sentit. Item: Nõ timet cõfundi in cõspectu hominũ, qui solã gloriam quærit apud Deũ. Dicitur etiã de Apostolis, Act. 5. ꝙ ibant gaudẽtes à cõspectu cõcilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliã pati. *dicẽte Scriptura:* Inducit aũt in hoc loco sanctus pater plures de fonte scripturarũ authoritates, quæ discipulũ habeat ad hũc humilitatis gradũ inducere. Prima est illa Matt. 10. *Qui perseuerauerit vsq; in finẽ, hic saluus erit.* Nõ enim cœpisse, vt ait Hieron. in Glo. sed perfecisse, virtus est. Nec inchoantibus, vt ait Remigius, sed perseuerantibus præmium tribuitur. Secũda est illa psal. 26. *Confortetur cor tuum,& sustine Dominũ.* Cõfortetur cor tuũ consideratione præmij. Grego. Consideratio præmij, minuit vim flagelli: & si differatur præmium, sustine patienter Dominum, qui promisit, quia verax est in promissis: & sic confortetur cor tuum, scilicet nẽ lasseris. Et si mala eueniant, si ingruerint persecutiones, sustine per patiẽtiam Dominum, qui eas immittit tibi ad vtilitatem tuãm. Prouerb. 3. Disciplinã Domini, fili mi, nẽ abijcias: nec deficias, cùm ab eo corriperis. Quẽ enim diligit Dñs, corripit. Tertia authoritas, in qua sanctorũ exemplum inducitur, est ꝗ sequitur, cùm ait: *Et ostendens s. sancta scriptura, fidelem pro Domino vniuersa etiam cõtraria sustinere debere, dicit ex persona sufferentium:* id est, sanctorum martyrum: *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus*

Multæ authoritates scripturæ inducuntur ad perseuerantiã tolerantiæ.

In cap. 10. Matthæi.

mus vt oues occisionis. Hæc vox est iustorum,
Quid est, propter te mortificamur. siue sanctorum martyrum ad Dominum,
psal. 43. & Roma. 8. *Propter te,* non pro cri-
minibus nostris, sicut latrones & malefa-
ctores, sed *propter te,* id est, pro nomine san-
cto tuo: Vel *propter te,* vt notetur puritas
intentionis, id est, amore tuo, non huma-
næ gloriæ: contra hypocritas, qui, sicut di-
citur Matth. 6. exterminantes facies suas,
vt appareant hominibus ieiunantes. *mor-
tificamur,* id est, morte afficimur, *tota die.* No-
ta perseuerantiam, quæ necessaria est in pa-
tientia, vt dictum est. *æstimati sumus vt oues
occisionis.* id est, sine aliqua reluctatione aut
contradictione sumus passi, id est, sumus
occisi. Ista est vera humilitas, quam disci-
pulus huius scholæ habere debet. De qua
mira sanctorum patrum humilitate, mul-
Exemplum ta in Vitispatrum leguntur exempla. Vbi
de quodam abbate legitur, quòd cùm ab eo
esset quæsitum, quomodò acquisiuisset hãc
virtutem, vt cùm emergeret aliqua tribu-
latio in monasterio, non loqueretur: re-
spondit, Quandò intraui, inquit, dixi ani-
mo meo: Tu & asinus vnum estote. Sicut
ergò ille vapulat, & nõ loquitur: iniuriam
patitur, & non respondet: sic & tu facias,
Psal. 72. vt ait psal. Vt iumentũ factus sum apud
te. Sequitur: *Et securi de spe retributionis diuinæ,
subsequuntur gaudentes, & dicentes: Sed in his
omnibus* s. tribulationibus tormentisq; posi-
ti, *superamus,* id est, superiores efficimur, &
hoc nõ propter nos, sed *propter eum qui dile-
xit nos,* cuius beneficio superamus in omni-
bus prædictis. Sequitur: *Item alio loco Scriptu-
ra:* s. psal. 65. *Probâsti nos, Deus, inquit: igne nos
examinâsti, sicut examinatur argentũ. Induxisti nos
in laqueũ: posuisti tribulationes in dorso nostro.* Vox
iustorum est, quos Deus probat per tenta-
tiones. Vbi notandum, quòd Deus, cui omnia
nota sunt, antequàm fiant, vt dicitur Ec-
clesiasti. 23. & ad Heb. 4. Omnia nuda &
Deum aliquid probare quomodò intelligatur. aperta sunt oculis eius: sibi nihil probat,
quia probare est aliquid occultum per ma-
nifestum ostendere, sed nobis probat ad
imitandum, & ad ipsum glorificandũ, qui
tales habet milites, & ad virtutes eorũ de-
monstrãdum. Solet autem probare bonos
milites in quatuor, quæ specialiter bonos
milites faciunt: in fide, in fortitudine, in
prudentia, in perseuerantia: hæc sunt ar-
ma spiritualis militiæ, de quibus Aposto-
1. lus 2. ad Cor. 10. De probatione fidei ad
Hebræos 11. Hi omnes testimonio fidei pro-
bati inuenti sunt. Et prima ad Corint. 11.
Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt,
manifesti fiant. De fidei victoria dicitur
1. Ioan. 5. Hæc est victoria, quæ vincit mũ-
dum, fides nostra. Et ad Hebræos 11. Sancti
2. per fidem vicerunt regna &c. Secundò
probat Deus milites suos de fortitudine, &
maximè ad tolerandum & patiendum ad-
uersa. De qua Iaco. 1. Beatus vir qui suffert
tentationem, quoniam cùm probatus fue-
rit, accipiet coronam vitæ. Et ad Hæbræos
vndecimo: Fortes facti sunt in bello, lapi-
dati sunt, secti sunt, tentati sunt. Tertiò 3.
probat Deus milites suos de prudentia. De
qua Ecclesiastici 31. Beatus vir qui inuen-
tus est sine macula, & qui post aurum non
abijt. Et sequitur: qui probatus est in illo,
& perfectus inuentus est. Quartò probat 4.
Deus milites suos de perseuerantia, quæ sum- Perseuerãtia est summè necessaria.
mè necessaria est: nam vt dicit Chrysosto.
Tolle perseuerãtiam, nec obsequium mer-
cedem habet, nec beneficium gratiam, nec Bernardus epist. 29.
laudem fortitudo: deniq; nõ qui cœperit,
sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic
saluus erit. De qua Tobiæ 3. Hoc habet pro
certo omnis, qui colit te: quia si vita eius
in probatione fuerit, coronabitur. Sequi-
tur: *Igne* scilicet tribulationis, *nos examinasti,* A daptatio probatiõis argenti ad hominem patientem.
sicut examinatur argentum. Cùm argentum vel
aurum examinatur vel cõflatur, purius fit,
& de suo pondere nil perdit: sic homo, cũ
subijcit se tribulationibus vel pœnitentiæ,
vilior est hominibus, sed Deo lucidior ac
splendidior. Quidam tamen conflãtur, nõ
sicut argentum aut aurum, sed sicut plum-
bum, quod in igne cõsumitur. De quibus
beatus Benedictus dicit suprà in primo ca-
pitulo, quòd in plumbi natura molliti ad-
huc operibus seruãtes seculo fidem, men-
tiri Deo per tonsuram noscuntur. Bonus
autem & deuotus discipulus, tribulationi-
bus & tentationibus, aduersitatibus & re-
gularibus disciplinis probatur, meliora-
tur, & splendidior redditur. Malus verò,
reprobus magis efficitur & inutilis plane:
vndè aurũ rutilat, palea fumat. Sequitur:
Induxisti nos in laqueũ, s. pœnalitatis, sicut est
infirmitas, paupertas, mortalitas, & huius-
modi. Psal. 17. Præoccupauerunt me laquei
mortis. In persona verò bonorum mona-
chorum exponitur sic: *Induxisti nos in laque-* Induxisti nos in laqueum, de religiosis.
um, id est, custodiam & clausurã monaste-
rij, vbi vinculis voti obedientiæ ligamur,
(secundùm illud Prouerb. 6. Illaqueatus es
verbis oris tui, & captus proprijs sermoni-
bus) & regularibus adstringimur obseruã-
tijs. Sequitur: *posuisti tribulationes in dorso no-
stro.* i. flagellis & castigationibus tuis nos,
malè erectos per superbiam, incuruâsti ad
humilitatem. Boni viri quanto plùs fla-
gellationibus atteruntur, tãto plùs in hu-
militatis virtute proficiunt. Sequitur: *Et vt
ostendat sub Priore debere nos esse, sequitur, dicens:* Congruè dicuntur prælati impositi super capita.
Imposuisti homines id est, Prælatos, *super capita
nostra.* Et notanter dicitur, *super capita nostra:*
quia in capite coniunguntur omnes vires
& omnes sensus, quæ omes sub Prælati im-
perio captiuandæ sunt, & illius dispositi-
one mouendæ. Sequitur: *sed etiam præcepta
Domini in aduersis & in iniurijs, per patientiam ad-
implen-*

implentes: &c. Hic inducit, qualiter qui hûc quartum gradum humilitatis ascendunt, adimplẽt ea quæ Dominus dicit Matt. 5. & Lucæ 6. videlicet, *Qui percusserit in maxillã, præbent & aliam.* Istud autem præceptum patientiæ, non est intelligendum, accipiendo semper, quantùm ad actum exteriorē. Vndè & Christus, qui humilimus fuit & patientissimus, in maxilla percussus, vt habetur Ioan. 18. non obtulit aliam, sed magis percutiētem se, charitatiuè correxit, dicens: Si malè locutus sum, perhibe testimonium de malo: si autem benè, quid me cædis? sed est intelligendum secundùm præparationem animi, secūdùm quod dicit Aug. lib. de sermone Domini in monte: quia homo debet habere animum præparatum ad sustinendum percussionem in alia maxilla, antequàm sustineret scandalum, vel aliquid aliud contra charitatem. Sequitur: *Auferenti tunicam, dimittunt & pallium:* Eodem modo est accipiendum hoc, secundùm s. præparationem animi in casu consimili: non autem in tali casu, in quo ex tali permissione nutriretur rapiens in malitia sua: immò in tali casu non esset bonum sustinere, nisi propter scandalum, vel aliquod aliud maius malum euitãdum. *& angarianti* i. iniustè trahenti siue compellenti, *milliario vno, vadunt & duo:* hoc pariter adimplendum venit, videlicet in illo casu, in quo ex resistentia sequeretur maius malum. Tunc enim, sicut dictum est, debet homo habere animum præparatum ad sustinendum maius malum sibi illatum, quàm quòd ex resistentia sua suscitaret maius scandalum & maius malũ. Vndè Glo. Aug. Hoc vtiq; monet, non tam vt pedibus agas, quàm vt animo sis paratus. Sequitur: *cum Paulo Apostolo falsos fratres sustinēt, & persecutionem:* i. tolerant. Falsos fratres nominat eos, qui etsi fratres sint natura, aut vni religionis professione, opera tamē fraternitatis, siue amicitiæ mores non obseruant, sed inimicitię aut hostilitatis, vtputà murmuratores & detractores, conspiratores, persecutores: *& maledicentes se, benedicunt,* humiliter respondendo, pro eis orando, & exempla patientiæ eis demonstrando. Circa hoc capitulum de patienti tolerantia ãduersitatum & tribulationum, sermo factus est plenus circa instrumentum 31. quarè ad præsens, solùm superest parùm dicere de vtilitate tribulationis patienter toleratæ. Circa quod est notandum, quòd multæ sunt vtilitates tribulationis. De quibus tantùm ponemus septem, secundùm septem proprietates ignis. Tribulatio enim in scriptura per ignem consueuit significari, vtpatet in illa authoritate prophetæ, parùm antè inducta in hoc capitulo de psal. 65. Igne me examinâsti, sicut examinatur argentum.

[Margin: De obijciēda maxilla percutienti, & similia, quomodò intelligēda sint. — lib. 1. cap. 35. & seq. — De ser. Dñi in monte, lib. 1. cap. 36. — Falsi fratres qui dicantur. — Septē vtilitates tribulationis secundùm septem proprietates ignis.]

Notandum ergò, quòd tribulatio primò ad modum ignis illuminat. Thren. 3. Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius. Grego. Oculos, quos culpa claudit, pœna aperit. Prouerb. 29. Virga atq; correctio tribuit sapientiam. Hæc illuminatio figurata est in illuminatione Tobiæ, qui, felle posito super oculos eius, visum recepit, Tob. 11. In amaritudine fellis, amaritudinem intellige tribulationis. 1.

Secūdò, tribulatio emollit, vt ignis cerã, vel omninò vt ignis metalla dura. Iob 22. Deus emollit cor meum. Et in psalmo: Liquefacta est terra. Sicut cera igne modico emollitur, & veterem imaginem deponit, & nouam recipit: sic corda non indurata, modica tribulatione molliuntur, & vetustatem vitiorum deponunt, & nouitatem assumunt virtutum. Corda verò dura non liquefiunt ad ignem tribulationis, nisi fit tribulatio magna, mortē inferens vel comminans: tunc vetustas vitiorum deponitur, & corda parata sunt fluere in omnem modulum & formam rectè viuendi, per omnia parata stare superioris imperio: tūc fit tibi felix cōmutatio dexteræ excelsi. Vas enim ignominiæ, commutatur in vas gloriæ: & serui diaboli, efficiuntur filij Dei. Prouerb. 12. Verte impios, & non erunt. Et Iob 28. Auro locus est in quo conflatur. Hic locus, est ignis tribulationis. 2.

Tertiò, tribulatio hominem roborat, sicut ignis roborat laterem, quem tamē videtur comburere. Rom. 5. Tribulatio patientiã operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem. Glo. Quia per exercitium tribulationis, docetur aliquis esse strenuus, dum fortiter tolerat tormenta, per quod sancti martyres vincunt sæuitiam tyrannorũ. Et ideò dicit Glo. super Matt. Nũquàm formides tētationem, si animam paratam habes. Nam non nocebit tribulatio, quia tolerantiam operabitur: sicut aurum in camino non læditur, sic nec paratam animam tribulatio nocebit. Quid operatur caminus? aurum mundat. Quid operatur tribulatio? tolerantiam, ampliorem que patientiam: abscindit desidiam, & coadiuuat animã, & sobriorem reddit. Vnde Marcus & Marcellianus martyres, quorum festũ agimus, in ligno vno confixi, psallentes dicebant iudici Fabiano: Nunquàm tam benè epulati fumus. modò enim cœpimus esse fixi in amore Christi. 3.

Quartò, tribulatio destruit, & quasi annihilat vincula amoris, quibus homo alligatus est mundo. Vnde Daniel 3. tres pueri, qui ligati missi fuerāt in fornacem, inuenti sunt soluti. Chrysostomus super Matthæum, loquens de tribulatione, dicit: Verè optabilis res sapientibus. Per hanc enim sapiens à mundi vinculis liberatur: 4.

[Margin: Figura. — Psal. 74. — Pulchrum de immutatione hominis per tribulationem. — Non nocet tribulatio, sed magis prodest.]

per

per hanc in cæleſti horreo collocatur. Nec eſt modica vtilitas, ſeparatio ab amore mundi, vt dicit Auguſtinus. Gregor. Ipſe mundus, dum tot amaritudinibus cruciatur, dum tot calamitates ingeminat: quid aliud, niſi vt non ametur, clamat? Profectò niſi tribulationes eſſent, homines Deũ obliuiſcerentur, bonis temporalibus contenti. Gregorius: Electis ſuis ad ſe pergentibus, Dominus huius mundi iter aſperum facit: nè, dum oblectantur in via, obliuiſcãtur, quod deſiderabãt in patria.

lib. 3. Dialog. cap. 38.
Singularis tribulationis vtilitas.
lib. 23. Mor. cap. 24.

5. Quintò, tribulatio hominẽ probat. Eccleſiaſtici 27. Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis. Eiuſdem 2. In igne probatur aurum & argẽtum. Tob. 12. Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret te. Gregorius: Nemo vires ſuas in pace cognoſcit. Si enim bella deſunt, virtutum experimenta non prodeunt.

lib. 31. Moral. cap. 27.

6. Sextò, tribulatio hominem purgat. Ioannis 15. Omnem palmitem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plùs afferat. Mala. 3. Sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui. Gregor. Quod flagellum grano, quod fornax auro, hoc tribulatio viro iuſto. Sed de quibuſdam poteſt dici illud Ieremiæ 6. Fruſtrà conflauit conflator: malitiæ eorum non ſunt conſumptæ. Argẽtum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit eos. Maledictum ferrum, quod ex lima contrahit æruginem. Non aurum, ſed paleã ſe oſtendit, quod in igne tribulationis non purgatur, ſed per impatientiam conſumitur. Matth. 3. Paleas comburet igne inextinguibili.

Contra eos qui nõ corriguntur per flagella.

7. Septimò, tribulatio ad modum ignis deſiccat ab aquis deliciarum, & ſic conſeruat, nè in ſuperbiam euaneſcat. Gregorius in Paſtorali: Cor Salomonis idcirco ſapientia funditùs deſeruit, quòd ipſum nulla vel minima diſciplina tribulationis cuſtodiuit, nè ſuperbiret. Tribulatio eſt quaſi myrrha, à putrefactione cuſtodiẽs: hæc Paulum cuſtodiuit, nè ſuperbiret. 2. Cor. 12. Nè magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſatanę, qui me colaphizet. Hinc dicit Origenes ſuper librum Nume. homil. 27. Sicut caro, ſi ſale non aſſpergitur, corrumpitur: ità anima, ſi tentatione non ſalitur, continuò reſoluitur: & ideò dictum eſt, quòd omne ſacrificium ſale ſalietur.

Parte 3. admo. 27.
Tribulatio myrrhæ aſſimilatur.
Sacrificiũ ſale cõdire moraliter. Leu. 2.

TRACTATVS LXII.

De quinto gradu humilitatis: vbi de decem conditionibus confeſſionis, & eius vtilitate multiplici.

Quintus humilitatis gradus eſt, ſi omnes cogitationes malas cordi ſuo ſuperaduenientes, vel mala à ſe abſconsè commiſſa, per humilem confeſſionem Abbati non celauerit ſuo. Magnum profectò eſt humilitatis argumentum, non tegere aliquid Abbati ſuo in corde cogitatũ, aut abſconsè commiſſum. Vndè Glo. ſuper Matth. dicit: Confeſſio peccatorum, teſtimonium eſt conſcientiæ timentis Deum. Qui enim timet iudicium Dei, non erubeſcit confiteri. Perfectus enim timor ſoluit omnem pudorem. Item Gregorius in Moralibus: Hæc ſunt veræ humilitatis teſtimonia, & iniquitatem ſuam quenque cognoſcere, & cognitã, voce cõfeſſionis aperire. Conſequenter ſanctus pater inducit ad hunc humilitatis gradũ confirmandum, plures authoritates ſacræ ſcripturæ: in quibus tangũtur duo in generali. Primò, conditiones decem, quas debet habere confeſſio. Secundò, fructus ſiue vtilitas, quam ex humili confeſſione peccatorum, diſcipulus à Domino conſequitur. Dicit ergò: *Hortans nos de hac re ſcriptura, dicit:* ſ. pſal. 36. *Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eum. Reuela* ſ. per confeſſionem, *Domino* id eſt, vicario eius, vt prælato tuo ſacerdoti. Matth. 8. Vade, oſtende te ſacerdoti. Vndè ſacerdos non ſcit peccata confitentis, inquantùm homo, ſed inquantùm eſt in loco Dei. *viam tuam*, ſ. quà ibas ad mortem. Et econtrà ponas in via pedem, quæ ducit ad vitam. Prou. 12. In ſemita iuſtitiæ, vita. In hac authoritate datur intelligi, quòd confeſſio primò debet eſſe nuda & aperta, 1. cùm dicitur, *Reuela*. Hoc enim dicitur reuelari, quod apertè dicitur, quod ſine aliquo velamine manifeſtatur. Proue. 16. Reuela Domino opera tua, vt ſ. reuelãdo cognoſcas, cognoſcendo erubeſcas, & erubeſcendo deteſteris. Auguſtinus ſuper Ioannem: Hoc eſt confiteri, dicere quod habes in corde: ſi aliud habes in corde, aliud dicis: loqueris, non confiteris. Et quædam Glo. ſuper illud Iacobi 5. Confitemini alterutrùm peccata veſtra: dicit, Confeſſio, peccati reuelatio & manifeſtatio eſt. Et Bernardus: Execranda nanque fictio eſt, peccatum diuidere, & ſuperficietenùs radere, non intrinſecùs eradicare. Ad hanc confeſſionis nuditatem & apertionẽ hortatur idem Bernardus ſuper Cantica, dicens: Quod remordet cõſcientiam, confitere humiliter, purè & fideliter. Secundò, 2. in authoritate prædicta datur intelligi, quòd confeſſio debet eſſe recta & pura, quia recta debet eſſe confitentis intentio: quod notatur, cùm dicitur, *Domino*: quia ſcilicet ad gloriam Dei. Pſal. Confitebor Domino Pſal. 7. ſecundùm iuſtitiam eius. Ioſue 7. Fili, da glo-

Magnum humilitatis argumentũ
lib. 22. ca. 13.
Decem cõditiones cõfeſſionis.
Reuelare quid.
Tracta. 26.
Confiteri propriè.
Meditat. cap. 9.
Serm. 16.

gloriam Deo Israel, & confitere, & indica mihi, quid feceris.

Tertia.

Tertiò confessio debet esse propria, nô aliena. Ecclesiastici 4. Non confundaris confiteri peccata tua. Homo enim propria peccata reuelare debet, non aliena: sicut multi faciunt, qui aliorũ peccata directè vel obliquè dicũt, cùm sua deberent dicere.

Contra cõfitentes aliena peccata.

Directè quidem, vt qui dicũt ità: Malus est ille, vel ille. Obliquè, vt qui dicunt: Ille me fecit peccare. sicũt Adã dixit Gen. 3. Mulier quã dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. quasi diceret: Ipsa me fecit peccare, & tu ipse, qui dedisti mihi eam. Debet ergò esse propria: quod notatur, cùm dicitur, *tuam*. Pro. 18. Iustus priùs accusator est sui.

Quarta.

Quartò, confessio debet esse cum spe & fiducia diuinæ pietatis. Augustinus: Confessio est, per quam morbus latens spe veniæ aperitur: quod notatur, cùm dicitur, *& spera in eum*, quòd s. det tibi satisfaciendi possibilitatem, & quòd misereatur tui, veniam tribnens peccatorum.

Citat S. Thomas in 4. d. 17. q. 3. art. 2.

Iudas enim pœnitentiam habuit, & confessus est, Matth. 27. sed quia desperauit, perijt. Similiter Cain confitens, sed tamen desperans, dixit Gene. 4. Maior est iniquitas mea, quàm vt veniã merear. Sed dementitur eum sacra scriptura, quæ sequitur: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.* quasi diceret: Confitemini audacter, quoniam bonus in se est naturaliter: hoc enim est proprium Deo, ꝙ per se & ex se bonus est, sicut ipse ait: Nemo bonus, nisi solus Deus. & ità ad condonandum liberalissimus.

Proprium Dei.
Marci 10.

quoniam in seculum misericordia eius. id est, vsque in finem seculi miserebitur confitentibus peccata, quantumcunquè magna fuerint. Bernardus in epistola: Maior est Dei misericordia, quàm quæuis iniquitas. Sicut enim scintilla in medio maris, ità omnis malitia ad misericordiam Dei. Sequitur: *Item Propheta:* psal. 31. *Delictum meum cognitum tibi feci,* s. per confessionem reuelando, *& iniustitias meas non operui. Ego dixi: Pronunciabo aduersùm me iniustitiam meam Domino.* Ex quibus verbis colliguntur aliquæ aliæ conditiones, quas confessio debet habere.

Quinta.

Quintò, confessio debet esse integra, generalis, & plena, vt non subtrahatur aliquid de eis, quę manifestãda sunt. Psal. Confitebor tibi in toto corde meo.

Psalm. 110.

Prouer. 28. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Sunt ergò omnia criminalia reuelanda in confessione, nô solùm actiones, sed omissiones: non solùm opera, sed circunstantiæ: id est, locus, tempus, persona, numerus. Et in persona, sexus, ætas, & scientia, conditio, necessitudo & ordo pensanda.

Circũstantiæ in confessione attendendæ.

Augustinus libro de vera & falsa pœnitentia: Ponat se omninò in potestate iudi-

cap. 15.

cis, in iudicio sacerdotis, nihil sibi reseruans suî, vt omnia eo iubente paratus sit facere, pro reparanda animæ vita, quęcunque faceret pro euitanda corporis morte, quia vitam recuperat infinitam, vt Deus. Cum gaudio enim debet facere immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus. Hæc ille. Isidorus: Plenissima dicitur esse confessio, vt plenissimam indulgentiam consequatur. Hæc a sit integritas confessionis, notatur in verbis prædictis Prophetæ, in quibus omne genus peccati exprimitur. Nam cùm dicitur, *Delictum meum cognitum tibi feci*: peccatũ omissionis intelligitur. Cùm verò, *& iniustitias meas non operui*, siue non abscondi: accipitur peccatum commissionis.

Sexta.

Sexta conditio confessionis est, vt sit præmeditata. Difficile nanque est subitò recolere omnia peccata tam omissionis, quàm commissionis. Ideò debet præmeditari. quod notatur, cùm sequitur: *Dixi*, id est, ex præhabita deliberatione accessi ad confessionem. Isa. 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

Septima.

Septima conditio confessionis est, quòd sit vera: quod notatur, cùm dicitur, *pronunciabo* siue confitebor, vt textus translationis nostræ habet, id est, simul ore & corde fatebor. Non est enim mentiendum in confessione, siue accusando, siue excusando. Vnde Ecclesiastici 4. Pro anima tua nô confundaris verum dicere. Item Ecclesi. 37. Ante omnia verbum verax præcedat te. Contra quod fecit Cain, qui interrogatus, Vbi est Abel frater tuus? mentitus est Domino, dicens, Nescio. Gen. 4.

Octaua.

Octaua conditio confessionis est, vt sit accusatoria. quod notatur, cùm dicitur, *aduersùm me*: non aduersùs Deum, vt Adam: nô aduersùs fatum, vt Astronomus: non aduersùs diabolum, vt populus stultus, sed aduersùm me.

Diuersæ excusationes.

Augustinus super illud psal. Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi: dicit, Ego, non fatum, non fortuna, non diabolus. Talis fuit confessio Dauid, 2. Reg. 24. Ego sum qui peccaui, & ego iniquè egi.

In psal. 40.

Nona.

Nona conditio est, quòd confessio sit humilis: quod notatur, cùm ait, *iniustitias*. Verus humilis, iniustitias & peccata confitetur, non iustitias, si quas fecit, vt Pharisæus, qui dicebat Lucæ decimo octauo: Gratias tibi ago, Domine, quia non sum sicut cæteri hominum &c. Sic etiam soliti sunt facere hypocritæ. Celant enim peccata sua & iniustitias suas, & bona sua patefaciunt. Bernardus in sermone quodam natiuitatis Domini: Tunc confessores eritis, si omnis vita vestra confiteatur vos peccatores, & dignos multo maioribus pœnis.

Decima.

Decima conditio cõfessionis est, quòd sit satisfactoria & cum proposi-

to emendandi: quod notatur, cùm dicitur, *Domino*: cui scilicet decæterò seruire propono, qui antè obsecutus sum diabolo. Augustinus lib. sententiarum Prosperi: Bona est peccati cõfessio, si & curatio consequatur. Nam quid prodest detegere plagam, & non adhibere medicinam? Hinc Ioelis 2. dicitur: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu & planctu: & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, ait Dominus omnipotens. Secundum autem, videlicet vtilitas & fructus confessionis, notatur in verbis sequentibus, cùm dicitur: *Et tu remisisti impietatem cordis mei.* Vbi notandum, quòd confessio peccatorum, præfatis conditionibus conditionata, est vtilis ad multa. Primò, ad remissionem peccatorum, vt patet ex hoc loco, cùm dicitur: *Et tu remisisti impietatem peccati mei.* Et 2. Reg. 12. dixit Dauid ad Nathan prophetam: Peccaui Domino. & statim respondit Nathan: Dominus transtulit peccatũ tuum à te. Augustinus: Nullum tam magnum peccatum, quod non confessione deleatur, vel eleemosynarum largitate emundetur. Secundò valet ad purgationem animi. Est enim confessio quidam vomitus veneni diabolici. Ecclesiastici 31. Si coactus fueris in comedendo multum, surge è medio, & vome: & refrigerabit te. Chrysostomus: Confessionem puta esse digestionem impuritatis & spurcitiæ, quæ intùs erant inclusæ. Et sicut in corpore sanguis frequenter excrescens, frequenter exquirit minutionem ad salutem: sic sanguis peccati continuè excrescens, frequenter requirit confessionem. Tertiò valet ad ornamentum & decorem animæ. Vndè Propheta: Confessionem & decorem induisti. Bernardus in epistola: Ama confessionem, si affectas decorem: Confessioni iungitur decor, iungitur pulchritudo. Reuerà vbi confessio, ibi pulchritudo, ibi decor. Si peccata sunt, in confessione lauantur: si bona opera, confessione commendantur: cùm mala tua confiteris, sacrificiũ est Deo spiritus contribulatus: cùm Dei beneficia, immolas Deo sacrificium laudis. Bonũ animæ ornamentum confessio, quæ & peccatorem purgat, & iustum reddit purgatiorem. Quartò valet ad euitandum confusionem futuræ damnationis: quia nisi homo per confessionem peccata sua ad salutem detegat, Deus peccata illius reuelabit in futuro ad damnationem. Vndè 2. Reg. 12. dixit Dominus per Nathan ad Dauid: Tu fecisti abscondité, ego verò faciam verbũ istud in conspectu Israel, & in conspectu solis. Et ideò Glo. super psal. 31. Quandò homo peccatũ detegit, Deus tegit: quãdò homo tegit, Deus detegit. Si homo

[Left margin notes: Sentẽt. 101. — Confessio vtilis est ad multa. — 1. — 2. — Confessio quidam bonus vomitus. — Similitudo de phlebotomia. — 3. — Psal. 103. — Epist. 113. — Psal. 50. — Psal. 49. — 4.]

agnoscit, Deus ignoscit. Et Glo. super psal. 66. Illis non iudex, sed aduocatus est Christus, qui se propria confessione dãnãrunt. Quintò valet ad placãdum Deum, & defendit contra diabolum. Vndè Propheta: Præoccupemus faciem eius in confessione. Figura ad hoc Gen. 44. Iudas qui interpretatur confessio, primus cum fratribus suis ingressus est ad Ioseph, quia confessio primò ingreditur ad Deum. Et Iudicum 1. quærentibus filijs Israel post mortem Moysi: Quis ascendet ante nos, & erit dux belli? Respondit Dominus, Iudas ascendet. Item 1. Machab. 2. Iudas Machabæus factus est princeps ad bellandum pro fratribus suis: quia confessio principaliter diabolum debellat. Vndè Glo. super Tobiam: Veram confessionem diabolus pertimescit, & ante faciem eius non subsistit. Bernardus: Humiliter confitenti remittit Deus peccatum: & diabolus eum, quem in hominis corde inuaserat, amittit principatum. Vbi nempe peccatum remittitur, ibi proculdubiò diabolus de corde peccatoris expellitur. Sextò, regnum cælorum promeretur. Figura ad hoc, Exodi decimoquarto: Iudas primò ingressus est mare rubrum in egressu filiorum Israel de Aegypto, propter quod regnum promeruit: sicut dicit Magister in historia. In eius tribu Christus natus est: sic in confessione promeretur regnum cælorum, quia ipsa ponit hominem in via pœnitentiæ & salutis, & facit Christum nasci in ipsa per gratiam. Ambrosius: Confessio à morte liberat: aperit paradisum. Confessio spem salutis tribuit: quia non meretur iustificari, qui in vita sua non vult confiteri.

[Right margin notes: Quibus sit Christus aduocatus. — 5. Psal. 94. — Figura de excellentia confessionis. — Ser. 6. super Cant. — 6. Figura de merito cõfessionis.]

TRACTATVS LXIII.

De vj. & vij. & viij. gradibus humilitatis.

Sextus humilitatis gradus est, si omni vilitate vel extremitate contentus sit monachus, & ad omnia, quæ sibi iniunguntur, velut operarium malum se iudicet & indignum. Vilitas attinet ad cibum, vel potum, vestitum, calceamentum & lectum. Extremitas verò attinet ad locum, gradum & statum tenendum, & ad opus agendum. Est ergò sextus humilitatis gradus, si monachus omni vilitate cibi, aut potûs, aut vestimenti, seu lecti sibi dati & administrati, contentus sit, id est, quantumcunquè abiectus, incultus, & inutilis iudicetur, sit contentus. Præterea etiam de quacunque extremitate gradûs aut statûs tenendi, aut officium exercendi: vtpotè si deputetur vili arti, sicut lotioni pannorum immundorum, aut purgationi coquinæ aut cloacæ, siue seruitio

[Right margin note: Vilitas & extremitas differunt.]

uitio fratrum infirmorum, maximè leprosorum, *contentus sit.* id est, debet existimare sibi sufficere, quòd etiam in tali vilitate & extremitate maneat & viuat. Bernardus: Verus humilis, vilis vult reputari, non humilis prędicari. Gaudet cõtemptu suî, hoc solo sanè superbus, quòd laudes cõtemnit.

Ser. 16. super Cant.

Nota plura de vera humilitate.

Notandum, quòd *omni* dicit *vilitate*: quia quidam sunt contenti vilitate vestium, qui non sunt vilitate ciborum contenti. Et econtrà quidam sunt contenti vilitate & parcitate ciborum, qui tamen non sunt contenti de vilitate vestium. Præterea nota, quòd duo posuit simul, scilicet & vilitatem, & extremitatem: quia plures contenti sunt sustinere vilitatem tam vestium, quàm ciborum, qui in extremo loco aut gradu, aut in humili artificio, aut obsequio, aut vili obedientia esse non patiuntur: vel etiam si exteriùs sustinent, interiùs tamen murmurant. Isti sunt velut hypocritæ, quia aliud esse ostendunt, & aliud existunt. Nulli istorum contenti sunt omni vilitate & extremitate: & per consequens, hunc sextum humilitatis gradum non ascendunt. Item nota, quòd beatus Benedictus non dicit, omnem vilitatem aut extremitatem habeat: sed prudentissimè loquens, ait: *omni vilitate vel extremitate contentus sit.* quo modo loquendi videbitur pertinere hic humilitatis gradus etiam ad eos, qui nec vilibus semper vtuntur, nec extrema loca in congregationibus tenent. Cæterùm notandum, quòd hic humilitatis gradus, ortum de proximo habere videtur ex cognitione suî. Nam humilitas, vt ait Bernardus, dicitur virtus, qua homo verissima suî cognitione vilescit. Vndè idem Bernardus super Cantica: De ignorantia tuî, venit tibi superbia. Sic autem superbiam parit tibi ignorantia tuî, cùm meliorem, quàm sis, decepta & deceptrix tua cogitatio te esse mentitur. Hoc quippe est superbia, hoc initium omnis peccati, cũ maior es in tuis oculis, quàm apud Deum, quàm in veritate. Quarè idem Bernardus dicit: Volo proindè animam primò omnium scire seipsam, quia scientia talis non inflat, sed humiliat, & est quædam præparatio ad ædificandum. Nisi enim super humilitatis stabile fundamentum, spirituale ædificium stare minimè potest. Porrò ad se humiliandam, nihil anima inuenire viuacius, vel accommodatius potest, quàm si se in in veritate inuenerit, tantùm non dissimulet, non sit in spiritu eius dolus: statuat se ante faciem suam, nec se à se auertere abducatur. Nam quomodò non verè humiliabitur in hac vera cognitione suî, cùm se perceperit oneratam peccatis, mole huius mortalis corporis aggrauatam, terrenis intricatam curis, carnalium desideriorum fæce infectam, cæcam, curuam, infirmam, implicitam multis erroribus, expositam mille periculis, mille difficultatibus anxiam, mille suspicionibus obnoxiam, mille necessitatibus ærumnosam, procliuem ad vitia, inualidam ad virtutes. Vndè huic iam extollentia oculorum, vndè leuare caput? Ergò de suî cognitione, mater salutis, humilitas oritur. Sequitur: *Et ad omnia quæ sibi iniunguntur, velut operarium se malum iudicet & indignum.* Debet enim monachus, huius gradûs ascensor, se indicare malum & indignum operarium, ad agendam quamcunque obedientiam sibi iniunctam, etiamsi vilissimum sit opus, quod exercere imperatur. Hoc autem intelligendum est, vt sanctus Thomas dicit, secundùm vires proprias, vt sufficientiam suam totam in Deum referat, secundùm illud 2. Corinth. 3. Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Inducit autem sanctus pater ad hunc sextum humilitatis gradum, sancti Prophetæ exemplum: *dicens cum Propheta: Ad nihilum redactus sum, & nesciui: vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Ad nihilum redactus sum,* scilicet per humilitatem, nè de sanctitate aut quibuscunque bonis operibus eleuetur cor. Iob 30. Redactus sum ad nihilum. abstulit quasi ventus desiderium meum. De hac annihilatione Prouerb. 12. dicitur: Verte impios, & non erunt. Per contrarium dicitur Galat. 6. Si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. *& nesciui:* id est, abscõdi, quia vera humilitas bona sua sibi abscondit. Gregorius: Soli sancti bona sua non vident, quæ alijs videnda præbent. *vt iumentum factus sum apud te,* per perfectam obedientiam, sine murmure portans iugum mihi iniunctum. Matth. 11. Tollite iugum meum super vos: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. *& ego semper tecum* per conformitatem voluntatis, & per infatigabilem constantiam. Hoc ad differentiã eorum, qui, cùm eis dura præcipiuntur, obedire resiliunt: qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, Lucæ 8. De quibus Osee 7. Væ eis qui recesserunt à me: vastabuntur, quia prænaricati sunt in me. Sed boni semper sunt cum Domino, secundùm illud psal. Non discedimus à te. Roma. 8. Certus sum, quia nec mors, neque vita poterunt nos separare à charitate Dei.

Serm. 37. Ignorantia sui, origo superbiæ.

Serm. 36. in Cantica.

Cognitio sui, mater humilitatis.

Serm. 37.

Quomodò existimemus nos ad omne opus indignos.

2. secundæ, q. 161. art. 6.

Psal. 72.

Boni sunt semper cũ Domino.

Psal. 79.

SEptimus humilitatis gradus est, si omnibus se inferiorem & viliorem, non solùm sua lingua pronunciet, sed etiam intimo cordis credat affectu. Textus planus est. De intelligentia videamus. Dubium enim est, quomodò cum veritate potest monachus omnibus se inferiorem

 &vi-

& viliorem credere & pronunciare. Sanctus Thomas in secunda secundæ, q. 161.

Art. 6. Quomodò potest aliquis omnibus se viliorem credere.

de gradibus humilitatis loquens, ad hoc respondens, ità dicit: Aliquis absque falsitate potest se credere & pronunciare omnibus viliorem, secundùm defectus occultos, quos in se recognoscit, & dona Dei, quæ in alijs latent. Vndè Augustinus libro de virginitate, dicit: Existimate aliquos in occulto superiores, quibus estis in manifesto meliores.

Cap. 52.

Prætereà hoc idem arguit Bernardus super Cantica, ex ignorantia quam habemus statûs nostri apud Deum, dicens: Si enim, in quonam statu vnumquenque nostrûm habeat Deus, liquidò cognosceremus: nec suprà sane, nec infrà secedere deberemus, veritati in omnibus acquiescentes.

Serm. 37.

Quarè nos debeamus extremos putare.

Nunc autem quia hoc absconditum est à nobis, ità vt nemo sciat, si dignus sit amore vel odio, iustiùs tutiusq; profectò, iuxta ipsius veritatis consilium, nouissimum nobis locum eligimus, de quo postmodùm cum honore superiùs educamur, quàm præsumimus altiorem, vndè cedere mox oporteat cum rubore. Non est periculum, quantumcunquè te reputes minorem, quàm sis, hoc est, quàm te veritas habeat. Est autem grande malum, horrendumque periculum, si vel modicè plùs vero te extollas, si vel vni videlicet in tua cogitatione te præferas, quem fortè parem tibi veritas iudicat, aut etiam superiorem. Quamobrèm noli te, homo, comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni.

Notanda Gregorij verba.

Lib. 18. Moral. cap. 22.

Notandum est hoc loco illud præclarissimum dictum Gregorij: Tanto vnaquæq; anima fit preciosior ante oculos Dei, quanto præ amore veritatis despectior fuerit ante oculos suos. Hinc ad Saul dicitur: Nónne cùm paruulus esses in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel? àc si apertè dicat: Magnus mihi fuisti, quia despectus tibi: sed nunc, quia magnus tibi es, factus es despectus mihi. Tanto ergò fit quisque vilior Deo, quanto preciosior sibi: tanto preciosior Deo, quanto propter eum vilior sibi.

1. Reg. 15.

Sequitur: *humilians se, & dicens cum Propheta:* psal. 21. *Ego autem sum vermis*, scilicet per fragilitatem & vilitatem. Iob 25. Homo putredo, & filius hominis vermis. Monachus enim quasi vermem, quo nihil in creaturis vilius est, se existimat, cùm omnibus se viliorem & inferiorem ex animo credit. *& non homo*: id est, alicuius honoris, sicut homo. quasi diceret: Vilior & inferior sum omnibus, sicut vermis, & non sum alicuius honoris vel dignitatis sicut homo: quia per peccatum amisi dignitatem, quam habui, ad imaginē & similitudinē Dei factus. Psal. 48. Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. *opprobrium hominum, & abiectio plebis.* id est, tam à maioribus, quàm à minoribus dignus vilipendi & conculcari, & nullo honore dignus haberi. Item inducit illud psal. 87. *Exaltatus autē, humiliatus sum, & confusus.* Continuando ad præcedentia, sensus est: Exaltatus autem, siue priùs in seculo apud homines per honores mundanos: siue exaltatus in hoc, quòd ad discipulatū Christi & sublimem religionis statum sum vocatus: siue exaltatus, quia in religione ipsa ad prælationis dignitatem sum assumptus: Nihilominùs humiliatus sum in animo meo, attendens quod dicitur Ecclesi. 3. Quanto magnus es, humilitatem omnibus. Vndè de Prælato, cui locus iste cōpetere videtur, dicit beatus Aug. in regula subditis loquens: Honore corā Deo prælatus sit vobis: timore coram Deo substratus sit pedibus vestris.

Pulchrum de prælato.

Cap. 43.

& confusus. id est, nō modò humiliatus sum, sed me cōfusibilē omnibusq; viliorem existimaui, sciens illud quod beatus Hiero. dicit super Matth. q nihil ità gratū Deo faciat & hominibus, q̄ si vitæ merito magni, sed humilitate infimi videamur. Isido. Tūc se quisq; monachū iudicet, quādò se minimum existimauerit, etiā cùm maiora virtutū opera gesserit.

Quid nos Deo & hominibus gratos faciat.

Lib. 3. de summo bono, cap. 20.

Itē tertiò inducit illud psal. 118. *Bonum mihi, quòd humiliâsti me, vt discam mandata tua.* Vox ista quæ Dauid est, diuersis tentationibus eruditi, ad discipulū optimè pertinet, cui nō solùm gratissimū est, sed gratias refert Deo, q ad hunc humilitatis statum siue gradū diuino munere venerit, in quo legē Dei frequētiùs meditādo, eruditionem maiorū audiendo, ac intuendo bonorū conuersationē, abūdantiùs q̄ in seculo factus illuminatus, pleniùs addiscit mādata Dei, quo scilicet ardore, qua synceritate ac diligentia adimplenda sunt.

Gratias agere Deo debemus de humilitate nostra.

O*ctauus humilitatis gradus est, si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterij regula, vel maiorum cohortantur exempla.* Sensus clarus est: Octauum gradū humilitatis cōscendit, qui nihil ad propriū arbitriū, ad propriam voluntatem proprio sensu agit, nisi quod communis monasterij regula facit, vel exempla maiorū suorū cohortantur. Nō videtur mihi in hoc loco per Maiores intelligi, vt aliqui voluerunt, patres antiquos eremitas, qui maximę fuerunt abstinentiæ & laboris, in vigilijs, orationibus, & huiusmodi obseruantijs religionis: quia imitari tales, sine expresso abbatis cōsensu, fortassè pareret turbationē & scandala in congregatione, & varietatē plurimam inter fratres: sed per Maiores, intelligi vidētur Maiores ipsius monasterij, qui non solùm doctrina verbi, sed exēplo sanctæ conuersationis subditos suos exhortantur ad religionis perfectionem. Circa hunc humilita-

Maiores quos vocet.

militatis gradum vtile erit repetere illud verbum beati Bernardi super Canti. Grande malum, propria volũtas: qua fit, vt bona tua tibi bona non sint. Etenim si in die ieiunij mei inuenitur voluntas mea, nõ tale ieiunium elegit Dominus: nec sapit illi ieiunium meum, quod non obedientiam, sed iudicium volũtatis propriæ sapit. Ego autem non solùm de ieiunio meo, sed de silẽtio, de vigilijs, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremò de omni obseruantia monachi, vbi inuenitur volũtas sua in eo, & non obedientia magistri sui, idipsum sentio: minimè prorsus obseruãtias illas, etsi bona in se, tamen inter virtutes censuerin deputãdas. De odienda propria volũtate, plura in superioribus notata sunt, tam circa instrumentum 58. quàm circa secundum gradum humilitatis.

Sermo. 71.

TRACTATVS LXIIII.

De ix. x. xj. & xij. humilitatis gradib.

Nonus humilitatis gradus est, si linguam ad colloquendum prohibeat monachus, & taciturnitatem habens vsque ad interrogationem, non loquatur: Interrogatio, hoc loco, iudicio nostro dicitur opportunitas siue congruitas necessitatis temporis. Qui enim humilis est, antequàm congruum & opportunũ tempus habeat loquẽdi, taciturnitatem seruat: quia vt dicitur Prouerb. 15. Sermo opportunus optimus est. Et Pro. 25. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Et ideò Ecclesiastici 20. dicitur: Homo sapiens tacebit vsq; ad tempus. August. Loquela sit in necessitate, taciturnitas in iocunditate. Quarè autem nõ loquendum sit ante tempus debitũ, sanctus pater ostendit duabus authoritatibus. Primò ibi, cùm dicit, *monstrante scriptura:* scilicet Prouer. 10. *Quia in multiloquio non effugietur peccatũ.* Quanta autem mala ex multiloquio sequuntur, notatum est circa instrumentum 55. Sequitur secunda authoritas: *Et quia vir linguosus non dirigetur super terram.* i. in hac vita. psal. 139. vbi dicit Glo. Vir nanque linguosus amat mendacia, nõ cauens quid loquitur. Ideoq; non potest fieri vt dirigatur. Quisquis ergò vult dirigi, oportet audire antequàm loqui, sicut Iacob⁹ ait: Sit omnis homo velox ad audiendũ, & tardus ad loquẽdum. Nam si quis vera dicat, sed præter necessitatem, vir linguosus est.

Interrogatio quomodò hic accipiatur.

Simile quid habet in psal. 140.

Non loquẽdum ante tempus.

Vir linguosus quis sit.

Iacobi 1.

Decimus humilitatis gradus est, si non sit facilis & promptus in risu: quod non de risu moderato, aut disciplinato accipiendum est, cùm homo natura risibilis sit: sed de risu indisciplinato, qui cũ exaltatione vocis aut cachinnis fit. quod ostendit, cũ subdit, *quia scriptum est:* s. Ecclesiastici 21. *Stultus in risu exaltat vocem suam.* vir autẽ sapiens, vix tacitè ridebit. De hac materia plura notata sunt circa instrumẽtum 55. & ideò hîc non extendimus sermonem.

Vndecimus humilitatis gradus est, si cũ loquitur monachus leniter & sine risu, humiliter et cum grauitate pauca verba & rationabilia loquatur, & non sit clamosus in voce, sicut scriptum est: Sapiens verbis innotescit paucis. Litera plana est. Vbi nota, quòd sanctus pater describit in his verbis septẽ conditiones, quibus sermo discipuli debet esse adornatus. Primò, vt sit lenis, siue suauis, & dulcis. Pro. 15. Responsio mollis frangit irã, sermo durus suscitat furorẽ. Eccle. 6. Verbum dulce multiplicat amicos. Et eiusdem 16. Qui sapiens est corde, appellabitur prudens; & qui dulcis est eloquio, maiora reperiet. Secundò, quòd sit sobrius & modestus ac honestus, vt non sit risu cachinnoso dissolut⁹. Fatuus enim in risu exaltat vocẽ suã: vir aũt sapiens vix tacitè ridebit, Ecclesiastici 21. Tertiò, quòd sit humilis, non superbus, verborũ ampullositate elatus. Psal. Nolite loqui sublimia gloriãtes. Quartò, quòd sit grauis. Ecclesiastici 5. Nè temerè quid loquaris. Itẽ eiusdem 21. Verba prudẽtum, statera ponderabũtur. Quintò, quòd sit tardiloquus siue rarus. Ecclesiastici 5. Sint pauci sermones tui. In multis sermonibus inuenitur stultitia. Sextò, quòd sit rationabilis, ab omni falsitate & prauitate alienus. Hoc enim est veritatẽ loqui, rationabiliter loqui, vt dicit Rabanus super Exo. Zacha. 8. Loquimini veritatẽ vnusquisq; cum proximo suo. vt possit dicere discipulus illud Pro. 8. Iusti sunt omnes sermones mei: non est in eis prauum quid, nec peruersum. Septimò, vt sit demissus, nõ immoderata clamositate prolatus. Seneca: Vox sit sine clamore. De hac materia, plura notata sunt circa instrumentum quinquagesimum secundum.

Septem cõditiones habere debet sermo religiosi.
1.
2.
3.
1. Reg. 2.
4.
5.
6.
Veritatem loqui.
7.

Duodecimus humilitatis gradus est, si non solùm corde monachus, sed etiam corpore humilitatẽ videntibus se semper indicet, i. in opere, in oratorio, in monasterio, in horto, in via, in agro, vel vbicunq; sedens, aut stans, vel ambulans, inclinato sit semper capite, defixis in terram adspectibus. Textus planus est. Iste gradus humilitatis respondet primo gradui, quem beatus Bernar. ponit inter duodecim gradus superbiæ, qui dicitur curiositas: quę est, quandò monachus, vbicunq; stat, ambulat, sedet, oculis vagatur, caput erectum, & aures suspensas portans. Consequenter sanctus pater Benedict⁹ inducit quatuor, quę discipulũ debẽt moueread hoc, vt inclinato capite, & oculis in terrã defixis semper ambulet: nisi necessitas aliqua aut officij conditio illud impediat. Primum, est memoria peccatorũ, cùm ait: *reum se omni hora de peccatis suis existimans,* secũdùm illud Manassę: Peccaui super numerũ arenæ maris, & multiplicata sunt peccata

Curiositas damnatur.

Quatuor, quibus debemus semper inclinati & humiles esse.
1.

mea, & non ſum dignus videre altitudinẽ
cęli prę multitudine iniquitatis meæ:quo-
niam iritaui iram tuam, & malum coram
In Apolog. Dauid. c. 9. te feci. Ambroſius: Sapiẽs ſi epuletur, ſi co-
gitet, ſi oret ac deprecetur, ante oculos eius
ſemper eſt error proprius, & momentis
omnibus culpa pulſat conſcientiam, nec
2. quieſcere, nec obliuiſci ſinit. Secundum
Memoria iudicij. eſt, memoria futuri iudicij, cũ ſubdit: *iam
ſe iudicio tremendo Dei præſentari exiſtimet.* Hiero-
nymus: Certè ſi mente cernerent homines,
quale iudicium imminet mundo, ſenſus
humanus non vanitate diſpergeretur, &
nõ infidelitate grauaretur. Filioli, memo-
remur nouiſſima noſtra, nè peccemus. Hęc
enim recordatio, maximè facit timoratũ.
timor enim peccatum expellit, negligen-
3. tiam non admittit. Tertiũ eſt, exemplum
euangelici publicani, cùm ſequitur: *dicens
ſibi in corde ſemper illud, quod publicanus ille euãge-
licus, fixis in terram oculis, dixit: Domine, non ſum
dignus ego peccator leuare oculos meos ad cælum.*
Quarè non leuabat oculos ad cælũ publicanus. Luc. 18. Publicanus hic, qui nobis in exem-
plum proponitur, oculos ad cęlum leuare
non præſumebat. Sciebat enim ibi eſſe pa-
trem ſuum, à cuius dulcedine receſſerat, &
ideò erubeſcebat ſurſùm adſpicere. Itèm
conſiderabat, quòd cælum & gloriam eius
perdiderat propter peccatum, & illud ad-
ſpicere, ſibi dolor erat. Itèm, quia peccator
erat, videre cælũ, vbi eſt Dei præſentia, pa-
radiſi gloria, ſanctorum curia, indignũ ſe
reputabat: ſed adſpiciebat terram, quã cæ-
Theophylact. in 18. Lucæ. lo prætulerat. Theophil⁹: Verebatur ocu-
los leuare, cẽſens indignos viſionis ſuper-
næ eos, qui maluerũt bona terrena ſpecta-
re & quærere. Quartum eſt, exemplũ Pro-
4. phetæ, cùm ſequitur: *Et item cum propheta: In-
curuatus ſum, & humiliatus ſum vſquequaquè.* par-
tim hoc dicit propheta pſal. 118. Et humi-
liatus ſum vſquequaquè. Curuitas, refer-
tur ad corpus: humilitas verò, ad animam.
Verus pœnitens. Verus enim pœnitens, corpore & animo
humilitatem debet ſeruare. Sequitur: *Ergò
his omnibus humilitatis gradibus aſſcenſis, monachus
ad charitatem Dei perueniet.* Diſpoſita ſcala per
duodecim gradus humilitatis, ponit ſan-
ctus pater concluſionem, fructum ſcilicet
& vtilitatem aſſcenſûs, dicens: Monachus
quidem, qui antè poſitos aſſcendit gradus,
mox ad charitatẽ peruenit, quę vinculũ eſt
perfectionis. Dicit enim Aug. de verbis Do
mini: Fode in te fundamentũ humilitatis,
Sermo. 10. & peruenies ad faſtigiũ charitatis. Conſe-
Duo effectus charitatis. quẽter ſanct⁹ pater attribuit duos effectus
ipſi charitati. Primus eſt, *quæ perfecta, foràs
1. mittit timorem.* 1. Ioan. 4. Perfecta charitas fo-
ràs mittit timorẽ. Glo. interli. i. ſeruilem.
Ser. 9. in pſal. 118. Ambro. Charitas excludit timorẽ, vt miles
qui imperatorem diligit, bella pro impera-
tore ſuſcepta non metuit: vt ſeruus amans
dominum, quanuis per dubia & prærupta
mittatur, tamen omnia pericula domini
amore contemnit, ac ſi quis dominũ petat,
ſeipſum offerre non trepidat. Secundus ef- 2.
fectus eſt, quòd onus & iugũ diſciplinę re-
ligionis leue, dulce reddit ac ſuaue, cũ ſub-
dit: *per quam* ſ. charitatẽ, *vniuerſa, quæ priùs non
ſine formidine obſeruabat, abſq; vllo labore velut na-
turaliter* i. faciliter & promptè, *ex cõſuetudine*
quæ eſt altera natura, vt dicit philoſoph⁹,
*incipiet cuſtodire: non iam timore gehennæ, ſed amore
Chriſti, & cõſuetudine ipſa bona, & delectatione vir-
tutum.* De iſtis duobus effectibus charitatis
Aug. ſimul loquitur, lib. de perfectione iu- Poſt ratiocinationes.
ſtitiæ, ſic: Perfecta charitas foràs mittit ti-
morẽ, (eccè primũ) & facit præcepti ſarci-
nam leuem, nõ ſolùm nõ prementem one-
re ponderum, verùm etiã ſubleuantẽ vice
pennarũ, (eccè ſecũdum.) Item idem in eo-
dẽ: Nullo modo ſunt oneroſi labores amã-
tiũ: ſed etiam delectabiles, ſicut venãtium,
& aucupantiũ, & piſcantiũ. Item Bernard.
ſuper Canti. Vbi amor eſt, labor nõ eſt, ſed Sermo. 85.
ſapor. Sequitur: *quæ Dominus* ſ. amorẽ Chriſti
iam ſ. aſſcenſis omnibus gradibus, *in operariũ
ſuum*, i. diſcipulũ, qui in horto religionis
laborat, eradicando vitia, & plãtando vir-
tutes, vt tandèm fructũ dulciſſimum colli-
gat æternę beatitudinis, *mundum à vitijs & à
peccatis, ſpiritu ſancto dignabitur demonſtrare.* Me-
ritò ſpirituiſancto attribuit mundationẽ Mũdatio à peccatis meritò attribuitur ſpiritui ſancto
à peccatis, quoniã ipſe totius ſanctificatio-
nis & mundationis animorũ noſtrorum,
author eſt. Vndè Prouerb. 8. dicitur, quòd
vniuerſa delicta operit charitas, quę, Apo-
ſtolo teſte ad Roma. 5. diffuſa eſt in cordi-
bus noſtris per ſpiritũ ſanctũ, qui datus eſt
nobis. Item in ſignũ huius, Ioan. 20. dici-
tur: Accipite ſpiritum ſanctũ. quorum re-
miſeritis peccata, remittẽtur eis. & pſal. ait:
Emitte ſpiritũ tuũ &c. ſequitur, Et reno-
uabis faciem terræ. Et Iſa. 4. Si abluerit Do-
minus ſordem filiarũ Sion, & ſanguinem
lauerit de medio eius in ſpiritu iudicij &
ſpiritu ardoris.

IN CAPVT VIII.

TRACTATVS LXV.

De officijs diuinis: vbì quòd Dei laudibus inſiſtendum ſit, & quarè maximè nocturnis horis.

H*Temis tẽpore*, &c. Poſtquàm beatus
pater Benedictus ſub figura ſcalę
duodecim graduũ, integrã per-
fectamq; humilitatẽ deſcripſit,
quam diſcipulus amplecti debet, tanquàm
perfectionis magiſtram: conſequenter
nunc de officijs diuinis ſubiungit, quæ
ſunt, laudare & benedicere Deum. Illud Qui dignè Deum laudant.
enim officium Deo acceptum eſt, quod ab
illis agitur, qui per humilitatis ſcalã aſſcẽ-
dentes, ad perfectionis magiſterium feſti-
nant

nant conſcendere. Alioquin propheta dicente, Non eſt digna laus in ore peccatoris.

Eccl 15.

Daturus igitur ſanctus pater regulam de officijs diuinis dicẽdis, à nocturnis inchoat, dicens: *Hyemis tempore, i. à Calendis Nouembris vſque ad Paſcha, iuxta conſiderationẽ rationis, octaua hora noctis ſurgendum eſt, vt modicè amplius de media nocte pauſetur, & iam digeſti ſurgãt.* Sed quęritur, quomodò accipienda ſit iſta octaua hora, cùm omnes noctes non ſint æquales? Vnde in Calendis Nouembris & Ianuarij, octaua hora videtur eſſe in media nocte: in menſe verò Decembris eſt ante mediam noctem. Ad hoc videtur nobis dicendum, quòd cùm ſanctus Benedictus dicat, quòd hora octaua ſurgẽdum ſit, vt modicè amplius de media nocte pauſetur, apertè deſignat, quòd octaua hora ſit poſt mediam noctem, & per conſequens, quòd non veniat accipienda ſecundùm ordinem horarum noctis cuiuslibet menſis, ſed ſecũdùm proportionem ad tempus Calendarũ Nouembris. Et hoc eſt, quod ſanctus pater dicit, *iuxta conſiderationem rationis*, ſumptæ ſcilicet à Calendis Nouembris. Et cauſam aſſignans, quarè tantum tempus detur pauſationi & quieti, dicit: *vt iam digeſti*, id eſt, iam decoctis cibis atq; depoſitis, leuiores facti à grauitate ciborum, *ſurgant* peruigiles ad officium diuinum deuotè peragendum. Vndè Hieron. Ad orationẽ tibi nocte ſurgenti, non indigeſtio ructum faciat, ſed inanitas. homo autem ſobrius, ſatis poteſt per mediam noctem hyemali tempore digeſtionem celebràſſe. Sequitur: *Quod verò* ſcilicet temporis ſpatium, *poſt vigilias* quas nocturnale officium vocat, quod immediatè dicitur, cùm ſurgitur ad vigilias, cum pſalmis, lectionibus & reſponſorijs, *reſtat à fratribus, qui pſalterij vel lectionum aliquid indigent*, ante laudes, quæ matutini dicuntur, *inſeruiatur* id eſt, occupetur, *meditationi*. Nota, quòd nõ dicit, quieti aut dormitioni: ſed meditationi à fratribus, *qui indigent*, id eſt, neceſſe habent aliquid pſalterij vel lectionum legere, perſcrutari aut prouidere. Quãtùm verò ad continentiæ puritatem vigiliæ nocturnæ faciant, oſtendit Caſſianus, ſic dicens: Ante omnia verò, peruigil neceſſaria eſt ſolicitudo nocturna. Nam ſicut puritas & cuſtodia diei nocturnam præparant caſtitatem: ità nocturnæ vigiliæ cordi pariter & obſeruationi diurnæ ſtatum ſolidiſſimum roburque promittunt. Sequitur: *A Paſcha autem vſque ad ſupradictas Calendas Nouembris, ſic temperetur hora vigiliarum agenda, vt paruiſſimo interuallo, quo fratres ad neceſſaria naturæ exeant, cuſtodito, mox matutini, qui incipiẽte luce agendi ſunt, ſubſequantur.* Senſus planus eſt. Eccè quòd de agendis vigilijs beatus pater Benedictus duplicem diſtribuit rationem, ſecundùm duas partes, in quas totum annum diuiſit: videlicet, à Calendis Nouembris vſque ad Paſcha, & à Paſcha vſque ad Calendas Nouembris. De laudibus verò dicendis vnam ſolùm diſponit rationem, videlicet vt *incipiente luce*, id eſt, tenui aurora: tunc enim lux incipere noſcitur: regulariter agãtur, tam ſcilicet in hyeme, quàm in æſtate.

Octaua hora, qua ſurgendũ eſt, quomodò accipitur.

Nõ eſt dormiendum, poſt vigilias.

Vigiliæ multùm faciunt ad cõtinẽtiæ puritatem.

Circa hoc autem capitulum, dimiſſis multis, quæ dici poſſent, conſiderationis noſtræ oculos ſolùm ad ea, quę diſcipulum huius ſcholę diuini ſeruitij ędificare poſſent, extendentes, notanda ducemus duo. Primò, rationes, quibus diuinis laudibus inſiſtendum ſit. Officium enim in hoc loco pro diuina laude accipiẽdum eſt. Vndè Baſilius in regula: Officium bonorum eſt, Deum iugiter laudare & amare. Studeat igitur Deum laudare & amare, qui concupiſcit ad eius conſortium peruenire. Secũdò, quàm laudabile ſit, ſurgere ad officium ſiue laudes nocturnas.

Multa nos incitant ad perſoluendas Deo laudes.

1. Circa primum notandum, quòd ad laudes Deo perſoluendas, multa nos incitant. Primò, ſacra ſcriptura. Pſal. 49. Immola Deo ſacrificium laudis. Item: Pſallite Deo noſtro, pſallite. Et Eccleſiaſtici 39. In omni corde & ore collaudate & benedicite nomẽ Domini. Et ad Hebræos 13. Offeramus hoſtiã laudis ſemper Deo. Et pſalmo vltimo: Omnis ſpiritus laudet Dominũ.

2. Secundò, altitudo magnificentiæ diuinæ. Pſalmo 144. Per ſingulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſeculũ ſeculi. Et cauſam ſubiungit, dicens: Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius nõ eſt finis. Hugo de ſancto Victore: Laudemus in Deo potentiam, magnificemus pietatem, miremur ſapientiam, extollamus generoſitatẽ, approbemus æquitatem.

3. Omnis creatura nos inuitat ad laudẽ Dei.

Tertiò, incitat omnis creatura. Gregorius: Mirum eſt, quòd homo ſemper Deum non laudat, quia quælibet creatura ad eum laudandum ſemper inuitat. Opera laudabilia, artificem laudabilem oſtendunt. Eccleſiaſtici 9. In manu artificum opera laudabuntur. Auguſtinus: Cęterùm arbores & omnia terrena Deum laudant: quia cùm iſta videmus, & creatorem, qui fecit ea, conſideramus, de illis naſcitur in nobis laus Dei.

In pſal. 148.

4. Quartò incitat beneficium creationis. Pſal. 99. Iubilate DEO omnis terra &c. Et addens cauſam, dicit: Quoniam ipſe eſt Deus, ipſe fecit nos, & nõ ipſi nos. Auguſtinus libro Confeſſionũ: Tu Deus excitas nos, vt laudare te nos delectet, quia feciſti nos, & inquietum eſt cor noſtrum, donèc quieſcat in te.

5. Quintò maximè beneficiũ redemptionis. Vndè nato Saluatore noſtro, facta eſt multitudo militię cæleſtis laudantiũ Deũ, &c. Lucę 2. ad prouocandum homines ad Dei laudem. Et pſal. 66. Confiteãtur tibi populi, Deus, con-

confiteantur tibi populi omnes, & addi-
Terra fructifera dicitur beata virgo.
tur cauſa, Terra dedit fructum ſuum. Ter-
ra dicitur beatiſſima virgo, quæ nobis fru-
ctum protulit ſalutis. Et pſalm. 143. Deus,
canticum nouum cantabo tibi. & cauſam
ſubdens, ait: Qui das ſalutem regibus: qui
redemiſti Dauid ſeruum tuum de gladio
6. maligno. Sextò, quia homini ipſa loque-
la data eſt ad laudandum Deum. Vndè qui
Deum non laudat, mutus reputandus eſt.
Auguſtinus: Væ tacentibus de te, quoniam
loquaces muti ſunt. Idem: Qui hic incipit
tacere, in futuro mutus erit: quarè laudan-
dus eſt Deus, ſiue blandiatur in proſperis,
ſiue caſtiget in aduerſis. Pſal. 33. Semper laus
eius in ore meo. Hieron. Felix lingua, quæ
nō nouit niſi de diuinis texere ſermonem.
7. Septimò incitat ad laudem Dei, nobilitas
Laudatio Dei, eſt valdè nobilis operatio.
operationis. Laudatio enim Dei, eſt opera-
tio valdè nobilis, cùm angeli & animę iam
beatæ huic operationi intendant. Pſal. 83.
Beati qui habitant in domo tua, Domine:
in ſecula ſeculorum laudabūt te. Multùm
quidem gaudere deberet, qui in terris con-
ſtitutus, ad hanc cæleſtem operationē ad-
mittitur exercendam. Auguſti. in libro de
doctrina Chriſtiana: Deus, cùm de illo ni-
hil dignè poſſit dici, admiſit humanæ vo-
cis obſequiū, & verbis noſtris in laude ſua
nos gaudere voluit. Bernardus ſuper Can-
Sermo. 11.
tica: Nihil ità propriè quendā à terris reprę
ſentat cæleſtis habitationis ſtatum, ſicut
alacritas laudantium Deum. Quare dicit
Hieron. ſuper Iſaiam: Inueniatur in Ec-
cleſia vox laudis: vt quod in cælis facturi
ſumus cum angelis, hoc etiā iugiter in Dei
8. laude meditemur in terris. Octauò inci-
tat, quia hoc officiū eſt Deo gratiſſimum.
Pſal. 49. Sacrificium laudis honorificabit
me. Caſſiodor⁹ ſuper pſal. 118. Laudes Deo
in ocio exhibere, gratiſſimū eſt: ſed in tri-
bulatione, amplius probatur eximium.
9. Nonò incitat nos ad diuinas laudes hoc:
quia officium iſtud, eſt dæmoni valdè in-
Laus Dei infeſta eſt dæmoni.
feſtum. Fugat enim malignum ſpiritum. 1.
Reg. 16. Eccè ſpiritus Domini malus exa-
gitat te. Iubeat dominus noſter rex, & ſerui
tui qui coram te ſunt, quęrent hominē ſci-
entem pſallere in cithara: vt, quandò arri-
puerit te ſpiritus Domini malus, pſallat
manu ſua, & leuiùs feras. Et ſubditur in
eodem capitulo: Dauid tollebat citharam,
&c. & leuiùs ferebat Saul. Pſal. 17. Laudans
inuocabo Dominum: & ab inimicis meis
lib. 2. cap. 2.
ſaluus ero. Effræm lib. de compunctione:
Quemadmodùm enim puluis à vehemen-
tia venti ſpargitur, & impugnatur: ſic ad-
uerſarius noſter ad nihilū redigetur, quā-
dò vox noſtra in Dei laudibus perſonat.
10. Decimò incitat nos ad hoc vtilitas maxi-
Vtilitas laudandi Deum.
ma huius officij. Præparat enim laus diui-
na viam ſpiritui ſancto. Vndè Gregorius
ſuper Ezechielem: Cùm vox pſalmodiæ
per intentionem cordis agitur, per hanc
omnipotenti Domino iter ad cor præpa-
ratur. 4. Reg. 3. Cùm caneret pſaltes, facta
eſt ſuper Heliſeum manus Domini. Item
hominem lætificat. Pſal. 70. Exultabūt la-
bia mea, cùm cantauero tibi. Iaco. 5. Triſta-
tur quis in vobis? oret. ęquo animo eſt? pſal
lat. Glo. Crebra pſalmodiæ dulcedine, no-
ciuam triſtitiæ peſtem de corde expellas.
Item Glo. ſuper pſal. 143. Laus diuina, bo-
norum eſt refectio, vt nulla videatur ei ſi-
milis delectatio: ipſa eſt remuneratio, quæ
& operatio. Circa ſecūdum notandum,
quòd valdè laudabile eſt, ad matutinas li-
benter ſurgere, & de nocte diuinæ laudi
intendere. Ad hoc mouemur Primò, ſa-
Laudabile eſt libenter ſurgere ad vigilias, propter multa.
cra ſcriptura incitante. Vndè Thren. 3. di- 1.
citur: Conſurge, id eſt, ſimul cum alijs ſur-
ge, lauda in nocte. Item Danielis 3. Benedi-
cite noctes & dies Domino. Secundò, ex- 2.
emplis multis. Et primò, ſanctorum ani-
Multa exēpla ad ſtudium vigiliarum.
malium, quæ requiem non habent, die ac
nocte dicentia: Sanctus, ſanctus, ſanctus
Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui
eſt, & qui venturus eſt, Apo. 4. Item Iſa. 64.
dicitur, de cuſtodibus Eccleſiæ: Tota die
& tota nocte non tacebūt laudare nomen
Domini. Item exemplo ſanctiſſimi regis &
prophetę Dauid, qui nec occupationibus
regijs vxoris nec diurnis nec nocturnis re-
trahebatur, quin de nocte ſurgeret, & val-
dè citò, ad laudes diuinas. Vndè ſcriptum
eſt in pſal. 118. Media nocte ſurgebam ad
confitendum tibi. Item exemplo Chriſti,
qui interdùm non ſolùm partem noctis,
ſed etiam totam noctem expendebat oran-
do. Luc. 6. Et erat pernoctans in oratione.
Item exemplo beatorum Pauli & Silæ, qui
non impediebātur anguſtia carceris, quin
in media nocte orantes laudarent Deum,
Act. 16. Infelices planè religioſi ſomnolē-
ti, qui talium & tantorū exemplo non ex-
citantur ad ſurgendum nocte ad laudes
matutinas Deo perſoluendas. Prætereà 3.
tertiò, mulieres ſolēt ſurgere de nocte pro
ſolicitudine domûs ſuæ. Prouerbio. 31. De
nocte ſurrexit, deditque prædam domeſti-
cis ſuis, & cibaria ancillis ſuis. Item artifices
magna parte noctis vigilant pro lucro. Ec-
cleſiaſtici 38. Omnis faber & architectus
qui noctem tanquàm diem tranſigit. Item
ſtudentes ſapientiæ, citiùs artificibus ſur-
Contra Ruffin. apolo. 1.
gunt de nocte. Refert Hieron. Demoſthe-
nem dixiſſe, ſe omnes artifices nocturnis
ſemper vigilijs præueniſſe. Si ergò ſtudioſi
pro ſapientia acquirenda, artifices pro lu-
cro, mulieres pro cura domûs ſuæ, ſic ſur-
gunt de nocte: quanto magis decet ſeruos
Dei pro ſeruitio regis æterni ſurgere de
nocte? Indè eſt, quod dicit Paulus ſecun-
dæ Corinth. 6. In omnibus exhibeamus
noſ-

nosmetipsos sicut Dei ministros. Et sub-
iungit, in vigilijs: innuens, quòd nó sit ve-
rus Dei minister, qui refugit sacras vigili-
4. as. Item quartò, Tempus nocturnũ apti-
Apta est cõtemplatiõni nocturni temporis hora.
us est actibus contemplatiuę vitæ, & quie-
tius est & liberius ab occupationibus mun-
di. Et ideò dicitur in psal. 41. In die mãda-
uit Dominus misericordiam suam, scilicet
opera actiuæ vitæ: & nocte canticum eius,
5. quod est vitę contemplatiuæ. Item quin-
tò, conueniens est valdè, vt nocturno tem-
pore, quandò mali Deum inhonorant, bo-
6. ni Deum glorificent & laudent. Sextò,
quia hostis Ecclesiæ, scilicet diabolus, non
solùm impugnat de die, sed etiã de nocte.
Gregorius: Non dormitabit, neque dormi-
et, qui impugnat Israel. cui resistitur per
7. sacras vigilias. Septimò, vt tempora ten-
tationis carnis euadamus, cuiusmodi est
Somnolentiam comitatur carnalis tentatio.
tẽpus nocturnũ. Somnolentos enim con-
comitantur frequenter carnales tentatio-
nes. propter quod hęc duo tangit Aposto-
lus Rom. 13. Non in cubilibus & impudici-
tijs. Has autem reprimũt honestæ vigiliæ,
iuxta illud Ecclesiasti. 13. Vigilia honesta-
8. tis calefaciet carnes. Octauò, quia surgere
ad matutinas, cũ valdè pœnosum sit: vndè
Paulus inter labores suos 2. Corin. 11. enu-
Vigiliæ sunt magni meriti.
merat vigilias, dicens: In vigilijs multis.
multùm meritorium esse videtur, surgere
de nocte ad laudes diuinas. Quarè sanctus
Psal. 133.
Dauid inquit: In noctibus extollite manus
vestras in sancta, & benedicite Dominum.
9. Nonò, quia frequẽter in nocte, vtpotè in
silẽtij tempore, Dominus visitat animam,
& emittit consolationes internas. Iob 35.
Qui dedit carmina in nocte, id est, conso-
10. lationes gaudiosas. Decimò, quia non
Vigiliæ salubres sunt corpori.
modò est animæ salutare multipliciter, vt
dictum est, sed & corpori salubre. Surgen-
tes enim ad matutinas, multis modis cor-
poraliter purgantur, quod multùm con-
fert sanitati corporali. Patet ergò, quòd
libenter debeat surgere discipulus ad ma-
tutinas. Et hoc pro præsenti capitulo.

IN CAPVT IX.

TRACTATVS LXVI.

Vbì de vario modo inchoandi diuinas laudes, & quarè in omnibus horis dicitur: Deus, in adiutorium &c.

DEterminata hora surgendi ad vigilias nocturnas, sanctus pater Benedictus incipit tractare, qualiter Deo in nocturnis horis seruiendum sit: exprimens numerum psalmorum, qui decantandi sunt, dicens: *Hyemis tempore, præmisso in primis versu: Deus, in adiutorium meum intẽde: Domine, ad adiuuandũ me festina.* Quia enim, vt Dominus ait in Euangelio Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere: merito sanctus pater officium diuinum à deuota oratione inchoandum disponit, quæ secũdùm doctrinam in collationibus à patribus traditam, in omni articulo incessabili iugitate fundenda est in prosperis & in aduersis. In prosperis, vt seruemur nè extollamur: in aduersis, vt eruamur. Prætereà cùm secundùm Apostolum, 1. Corin. 10. Omnia in Dei nominè facienda sunt: meritò est ab eo inchoandum. Item Glo. super illud Psal. 69. Deus, in adiutorium meum intende: dicit, Nota quòd versiculus iste ante omnes horas in initio prędicitur: quia cùm orare debemus, maximè tunc tentare nititur diabolus, vt muscæ morientes perdant suauitatem vnguenti. Cõtra ergò illius insultus, auxilium à Domino postulamus ante omnia. Circa hoc autem notandum est, quòd conuenit tribus modis peccare: videlicet corde, ore, & opere. Ideoque tribus modis, vt dicitur in Rationali diuinorum officiorũ, horæ inchoantur: videlicet Completorium per, Conuerte nos, Deus salutaris noster: contra peccatum cordis: nocturnæ horæ per, Domine, labia mea aperies: contra peccatũ oris. Aliæ verò Horæ per, Deus, in adiutorium meum intende: contra peccatũ operis. Et quoniam in peccato cordis & oris, est aliquid operis: ideò in omnibus horis, tam nocturnis quàm diurnis, dicitur: Deus, in adiutorium meum intẽde. Monachi verò, ex institutiõe sancti patris Benedicti in hoc capitulo, dicũt primò in nocturnis horis, Deus in adiutorium. & posteà, Domine labia: quia sine Dei adiutorio nec cor, nec labia ad ipsius laudem aperiri valent. Prætereà notandum, quòd sacerdos dum dicit: Deus, in adiutorium meum intende: signo crucis se munit, & ità singuli in choro psallentes, ad effugãdum illius virtute quamlibet diaboli versutiã & potestatẽ. Valdè enim timet diabolus signum crucis. Vndè Chrysostomus: Vbicunquè dęmones signum crucis viderint, fugiunt, timentes baculũ, quo plagam acceperunt. Sequitur: *& Gloria.* Post, Deus in adiutoriũ, in singulis horis subijcitur, Gloria patri. Sicut erat &c. quos duos versus, beatus Hieron. scripsit in opuscula quę Papę Damaso misit: & ipsius rogatu ipsa Damasus in fine psalmorum cãtari instituit. Ipsum tamen versum, Gloria patri, Nicena synodus, vt legitur in Rationali diuinorũ officiorum, dicitur edidisse. Quia verò Dominus dixit Isa. 65. Ad huc te loquẽte, eccè adsum: ideò post orationem, Deus, in adiutorium meum intẽde: quasi iam nos intellexerimus exauditos, gratiarũ actiones tribuimus Trinitati, dicentes: Gloria patri, &c.

Cassia. collat. 10. c. 10.

Triplici modo inchoãtur horę canonicę, & quarè.
Lib. 5. ca. 2. §. 1.

Quarè monachi nocturnis horis præmittãt, Deus in adiutoriũ.

Hom. 55. in Matth.

De inuctione versus, Gloria patri, & quarè dicatur.
To. 4. in epi. ad Dama.

Ibid. §. 17.

&c. *Deindè ter dicendū est, Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam*, quasi dicat: Tu Domine aperi, & non ego. Nam si tu labia mea aperueris, securè laudē tuam annunciabit os meum. Ter autem instituit sanctus pater dicendū, Domine labia mea &c. propter reuerentiam vnitatis & Trinitatis. Sequitur: *Cui subiungendus est tertius psalmus:* scilicet, Domine, qd multiplicati sunt. Ideò iste tertius psalmus, qui de resurrectione Domini digestus est, vt ibi: Ego dormiui & soporatus sum &c. præmittitur, vt dum monach⁹ in eo de resurrectione Domini audit, peruigilem se & deuotū in tota vigilia custodiat: & ad reddendas laudes creatori suo, depulsa somnolentia, se purissimum reddat. Sequitur: *& Gloria.* Post vnumquenq; psalmū dicitur, Gloria patri &c. Quia versus iste totius Trinitatis simplex laus est. Psalmus nanq; bonā operationē significat: qua finita, meritò Deo gloria danda est, qui pro omni bono opere laudandus est nunc & semper. *Post hunc, psalmus nonagesimusquartus*, q vulgato sermone dicitur Inuitatorium, *cum Antiphona, aut certe decantandus. Indè sequatur Ambrosianum*: id est, hymnus. In nouo testamento Hilarius Pictauensis episcopus, eloquentia conspicuus, primus hymnorum carmine floruit. Et post eū Ambrosius Mediolanensis episcopus. Ideoq; hymni Ambrosiani dicuntur, quia eius tempore plurimùm in ecclesia Mediolanēsi cantari cœperunt: posteà verò in ecclesijs occidentalibus. *deindè sex psalmi cùm Antiphonis.* Hic sex psalmi iubētur dici, & post lectiones alij sex psalmi: quos duodecim psalmos canēdos ad vigilias, ab Angelo tradita cōsuetudo obtinuit. Narrat enim Cassianus libro institutionū monachorū, quasi in principio, quòd cū magna esset varietas apud patres Aegypti in numero psalmorum, qui cantantur ad vigilias, quibusdam plures, quibusdam pauciores psallentibus: conuenerunt, vt diffinirent de numero, & quātitate psalmorū. Et cùm diù super hac diffinitione consulerent, orātibus ipsis, Angelus Domini adstitit inter eos, qui vndecim psalmos orationum interiectione distinctos, cōtiguis versibus parili pronunciatione decantans, & duodecimum sub alleluia responsione consummans, ab vniuersorū oculis repentè subtractus, quæstioni pariter & cæremonijs finē imposuit. Et hinc venerabilis patrum senatus intelligens, Angeli magisterio congregationibus fratrum generalem canonem non sine dispensatione Domini constitutum, decreuit hunc duodenarium numerum psalmorum celebrari. Sequitur: *Quibus dictis, dicto versu, benedicat abbas, & sedentibus omnibus in scānis, legantur vicissim* i. per vices, siue alternatim, *à fratribus in codice super analogium*, i. lectorium, siue locum vbi recitātur lectiones. Vbi nota, quòd lecturus lectionem, ad librum accedēs, supra gradum ascendit: quia doctor perfectiori vita vulgus transcēdere debet: & ab abbate vel presbytero in eius absentia benedictionē tanquàm legendi licentiam postulat, dicens: Domne, iube benedicere: per quod principatus Ecclesiæ, quodq; null⁹, nisi à maiore iussus, in ecclesia debeat legere, designatur. Et dicit, Domne: & nō Domine. quia solus Deus verè Dominus est. *tres lectiones, inter quas tria responsoria cantantur.* Respōsoria queq; post lectiones subijciūtur. Cùm enim per lectiones, doctrina: per responsoria verò, bona opera significātur: ritè post lectiōes, responsoria subijciuntur: quia per bona opera, doctrinæ respondere debemus: nè cum seruo pigro, qui pecuniā Domini sui abscōdit, in tenebras exteriores mittamur. Dicitur nanq; Respōsorium, quia lectioni respondere, i. consonare debet, vt si fortè sunt lectiones de libris Genesis, aut Regū, aut Actuum Apostolorū, Respōsoria sint regulariter similiter de eisdem. Vel dicitur Responsorium, quia vni cantanti siue inchoanti, chorus concorditer cantando respondet. Sequitur: *Duo Responsoria, sine Gloria, dicantur. Post tertiā verò lectionē, qui cantant, dicāt Gloria: quam dum incipit cātor dicere, mox omnes de sedibus suis surgant ob honorem & reuerētiam sanctæ Trinitatis. Codices autem legantur in vigilijs diuinæ authoritatis, tam veteris Testamenti, quàm noui: sed & expositiones earum, quæ à nominatissimis doctoribus orthodoxis & catholicis patribus factæ sunt.* Expositiones verò siue veteris & noui Testamēti legendas dicit nominatissimorū patrum, i. probatissimorū. Cuiusmodi sunt: Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, Chrysostomus, Gregorius Nazanzenus, Cyprianus, Hilarius, Leo Papa: qui in his, quæ de fide catholica dixerunt, sunt ab vniuersali Ecclesia approbati: sicut patet in cap. Sancta Romana ecclesia. dist. 15. Qui dicti sunt orthodoxi, i. rectam fidem habentes, aut gloriosa vita & doctrina clarissimi: dicuntur catholici, i. vniuersales: quia in fide & doctrina vniuersalis & Apostolicæ Ecclesiæ persistētes, nunquàm per hæresim aut schisma ab eadem fuerunt separati. Si quæratur de expositionib⁹ Origenis, qui cùm in pluribus errâsse legatur, nec orthodoxus, nec catholicus censendus est. Respondendum, vt ait Gelasius in decreto suo, quòd Origenis opuscula, quæ B. Hieron. non repudiat, legenda suscipimus. Reliqua autem omnia cum authore suo dicimus esse renuenda. Sequitur: *Post has verò tres lectiones cum Responsorijs suis, sequantur reliqui sex psalmi, cum alleluia canendi.* Nota, quòd in hoc, quòd psalmi sunt cum alleluia decantandi, expressè ostendit, quòd noctur-

Quarè dicant monachi ter, Domine labia.

Hymnorū præcipui inuentores.

lib. 2. cap. 5. Vndè habuerit originem dicendi 12. psal. consuetudo.

Ibid. cap. 6.

Analogiū. Ratio, quarè lecturus benedictionem petat, ascendat gradum, & dicat, Domne.

Matth. 25.

Quarè dicatur Responsoriū.

Doctores irrefragabiles, & approbatissimi.

De libris Origenis.

Dist. 15. cap. Sancta Ro.

Quarè nocturnalis psalmodia

cum Alleluia terminetur.

nocturnalis psalmodia in laudẽ Dei clau-
datur. Et hoc idem in spe futuræ beatitu-
dinis sancta fecit Ecclesia, significans post
annunciationem regni cælorum, quæ in
hac vita per vtrunq; testamentum mundo
prædicatur, actionẽ nostram non esse pro-
futuram, nisi in laudẽ Dei, sicut scriptum

Psal. 83.

est: Beati qui habitãt in domo tua, Domi-
ne, in secula seculorum laudabunt te. Se-
quitur: *Post hos lectio Apostoli sequatur, ex corde*
recitãda, & versus, & supplicatio litania, i. Kyrie elei-
son. sic finiantur vigiliæ nocturnæ. Ista, explanati-
one non egent.

IN CAPVT X.

TRACTATVS LXVII.

De ordinatione officij æstatis tempore.

Consequenter sanctus pater sub-
iungit seruandum ordinem in
quantitate psalmodiæ in tẽpore
æstiuali, dicens: *A Pascha autem vsq;*
ad Calendas Nouembris, omnis (vt suprà dictum est)
psalmodiæ quantitas teneatur: excepto, quòd lectio-
nes in codice, propter breuitatem noctium, minimè le-
gãtur: sed pro ipsis tribus lectionibus, vna de veteri Te-
stamento memoriter dicatur: quam breue Responsori-
um subsequatur, & reliqua omnia, vt dictum est, im-
pleantur, i. vt nunquàm minùs à duodecim psalmorũ
quantitate ad vigilias nocturnas dicantur: exceptis
tertio & nonagesimoquarto psalmo. Hæc omnia,

Quarè September & October nõ sunt cũ tempore hyemali ęquales quãtum ad officiũ.

plana sunt. Solummodò hîc videndũ oc-
currit, quarè cùm September & October
æquales noctes habeant cũ Martio & Apri-
li, officium istis mensibus nõ æqualiter est
ordinatum. Respondetur primò, quòd
ideò, quia in præfatis mensibus magnus la-
bor occurrit vindemiarum & collectionis
1. frugum, circa collecturas seminum & po-
morum & aliarum rerum, quę ad vsus mo-
nasterij necessariæ sunt. In quib⁹ omnibus
exercendis, si necessarium fuerit, oportet
monachum esse impigrũ: Quia, sicut idem
pater asserit capitulo 48. regulæ, tunc veri
monachi sunt, si de labore manuũ suarum
viuunt, sicut & patres nostri & Apostoli:
& hoc fortassis sanctus pater considerans,
nè fortè monachus velit esse desidiosus,
aut ab opere agrorũ excusatus, dat potiùs
licentiã, vt æstatis tempore in vigilijs no-
cturnis vna sit lectione monachus côten-
tus, quàm vt labor agrorũ per desidiam sit
aliquatenùs neglectus. Secunda ratio, est
2. breuitas noctiũ. Et hęc assignatur à sancto
patre in textu, cùm subdit, *propter breuitatem*
noctium: maximè autẽ illis fiunt breues no-
ctes in dormitorio, qui in die labores exer-
cent in agro. Præterea considerandũ, quòd

Nota singularẽ decisionem.

hæc clausula, de vna lectione tãtùm dicen-
da, non sic accipiẽda est ad literã, vt trans-
gressor regulæ constituatur, qui tres lecti-
ones in præfatis mensibus in codice legerit
in vigilijs nocturnis. Vndè si congregatio
voluerit, propter maiorem deuotionem
Deo exhibendam, legere tres lectiones, ma-
ximè vbi monachi laboribus manuũ non
exercentur, nõ dubium, quin salua inten-
tione patris legere possit.

IN CAPVT XI.

TRACTATVS LXVIII.

De conuenienti dispositione officij in Dominica die, & de eiusdem diei excellentia.

Postquàm priuatis diebus vtroque
tempore, s. tam hyemali quàm &
æstiuo, sanctus pater posuit ordi-
nem agendarũ vigiliarũ, nè fortè
crederetur, quòd idẽ modus per omnia in
Dominicis diebus obseruandus esset, sub-
iunxit hîc rubricã de die Dominico. Dies

Excellentia diei Dominicæ.

ęnim Dominicus primatum obtinet, &
maior est inter alios dies: quia in illa Chri-
stus fuit annunciatus, & resurrexit, & in
Apostolos spiritum sanctũ misit, & Deus
mundum, i. cælum & terram, in illo fecit:
in eodẽ quoq; die, vt dicitur, dissoluetur.
Dicit ergò sanctus pater: *Dominica die tempe-*
riùs surgatur ad vigilias, & vt quidam codices
habent, temporiùs, (vnum, idemq; signifi-
cat) i. maturiùs, altiùs, i. plùs alta hora no-
ctis, i. citiùs solito surgant in Dominicis,
quàm in quotidianis diebus, & hoc tãtùm
tempore æstatis. Nam hyemis tempore suf-
ficit satis, surgere octaua hora, secundùm
dispositionẽ octaui capituli, nisi fortè no-
cte natalis Dominici, propter ꝓlixitatem
officij, in quo iuxta consideratiónẽ ratio-
nis, præuenire oportet. In æstate verò non
sufficeret surgere præfata hora. Et si quę-

Quãto anticipãdum videatur ad vigilias Dominicas.

ratur, quanto citiùs surgendum est Domi-
nicis diebus in tẽpore æstiuo? Respondet,
quòd tãto citiùs surgendũ est, quòd possit
impleri quod in octauo capitulo dictum
est, videlicet quòd laudes incipiente luce
possint inchoari: quod planè non fieret, si
ità tardè surgeretur, sicut quandò noctes
sunt grandes. Sequitur: *In quibus vigilijs tenea-*
tur mensura, i. modulatio (vt suprà disposuimus) sex
psalmis & versu, residentibus cunctis dispositè & per
ordinem in subsellijs, legantur in codice, vt suprà dixi-
mus, quatuor lectiones cum responsorijs suis: vbi tan-
tùm in quarto responsorio dicatur à cantante, Gloria:
quam dum incipit, mox omnes cum reuerentia sur-
gant, inclinantes scilicet se profundè, quo-
usquè cantor compleuerit. qui modus ob-
seruãdus est, quotiès dicitur, Gloria patri.

Vniformitas obseruãda in omnibus.

Est autem hic aduertendũ, vt ità huius re-
uerẽtiæ disciplina obseruetur ab omnibus
vniformiter, vt omnes simul surgãt, ęqua-
liter inclinent: vt nè, minùs inclinando,
irreuerẽtia notari possit, & plùs inclinan-

do, singularitas vendicet sibi locum. Est autem inclinandum itâ profundè ab vnoquoq;, vt manus super genua ponere possit. Sequitur: *Post quas lectiones sequantur ex ordine sex psalmi cum antiphonis, sicut anteriores, & versu. Post quos iterùm legantur aliæ quatuor lectiones cum responsorijs suis ordine quo suprà, post quas dicantur tria cantica de prophetis, quæ instituerit abbas*: id est, ordinauerit competenda, secundũ quod congruit officio quod agitur, aut solennitati quæ celebratur. *quæ cãtica cum alleluia psallantur. Dicto etiam versu, & benedicente abbate, legantur alia quatuor lectiones de nouo testamento ordine quo suprà. Post quartum autem responsorium incipiat abbas hymnũ, Te Deum laudamus. quo perdicto, legat abbas lectionẽ de euangelio, cum honore & timore stãtibus omnibus: qua perlecta, respondeant omnes, Amen. Et subsequatur mox abbas hymnum, Te decet laus. Et data benedictione*, id est, oratione quæ post euangelium dici consueuit, *incipiant matutinos*. Circa hanc dispositionem beatissimi patris notãdum, quòd in primo nocturno sex psalmos & quatuor lectiones cum totidem responsorijs cantari instituit, & totidem in secundo, per hoc vitam contemplatiuam innuens & actiuam. Senarius enim psalmorum numerus vitam designat actiuam: in qua sex opera misericordiæ conuenit exercere, si quis ad contẽplatiuæ vitæ perfectionem voluerit peruenire, quæ per quatuor lectiones figuratur. Quaternarius numerus quidem apud monachos quadratam & euangelicam in sanctis exprimit stabilitatem. In tertio verò nocturno tria cantica cantari instituit in laudem Trinitatis, à qua nobis vitæ perfectionẽ dari cum charitate credimus & speramus. Cantantur autem illa cantica cum alleluia, quod est canticum cælestis lætitiæ: vt per hoc, totam Trinitatem esse dignam cælesti laude, ostendatur: ad quam plenè laudandã non sufficit vox humana. Quatuor verò lectiones de Euangelio, quæ sequuntur, significant quòd laudatores Dei per quatuor Euangeliorum doctrinã debent esse quatuor virtutibus insigniti. Quatuor etiam responsoria, laudãtium alacritas designare. Sed nè hoc bonum, agentes illud sibi ascribant: sed totum Dei laudi attribuãt, & se illius seruos esse ostendant, subiungitur: Te Deum laudamus. Posteà legitur Euangelium, quod significat denarium, id est, vitam æternam, quæ dignè Deum laudantibus in fine reddetur. Cùm autem Euangeliũ legitur, sanctus pater iubet omnes stare cum honore & timore, vt ad prælium pro fide Christi seruãda promptitudo, & deuotio notetur. Vndè Anastasius, de cõsecra. dist. prima, cap. Apostolica. ità dicit: Apostolica authoritate mandamus, dum sancta Euangelia in Ecclesia leguntur, vt sacerdotes & cæteri omnes non sedentes, sed venerabiliter curui & in conspectu Euangelij stantes, Dominica verba intentè audiant, & fideliter adorent. Post Euangeliũ sequitur, *Amen*, id est, fiat nobis quod ex Euangelio credimus & speramus. Hymnus verò qui sequitur, scilicet, *Te decet laus* &c. gaudiũ, quod sancti post laborem habent de remuneratione denarij, significat. Sequitur: *Qui ordo vigiliarum omni tempore, tam æstatis quàm hyemis, æqualiter in die Dominico teneatur: nisi fortè (quod absit) tardiùs surgatur, & aliquid de lectionibus breuiandum est*: Nõ quidem in numero, quia semper duodecim dicendæ sunt: sed in quantitate, vt breuiores dicantur quàm deberent: *aut responsorijs*. Breuitas responsoriorum non est accipienda in numero, vt dicantur pauciora, quàm duodecim: aut in quantitate, vt dicantur breuiora: sed quo ad notam, accipienda est, vt cantentur expeditiùs nota breuiori. Sequitur: *Quod tamen omninò caueatur, nè proueniat*. scilicet negligentia surgendi pro debito tempore. *Quod si contigerit, dignè indè satisfaciat Deo in oratorio, per cuius venerit delictum seu neglectum*. Benè dicit, *dignè*: est enim consideranda quantitas culpæ siue negligentiæ: causa etiam, propter quam hoc acciderit: conditio etiã personæ, quæ peccauit: & tunc fiat digna satisfactio.

Pulcherrima interpretatio totius ordinis diuini officij iuxta dispositionẽ sanctissimi Benedicti.

Reuerentia cùm legitur Euãgelium

Quomodò intelligatur quod dicitur, breuianda esse responsoria.

IN CAPVT XII.

TRACTATVS LXIX.

De officio laudum matutinarum.

POstquàm superiùs sanctus pater disposuit ordinem seruãdum in horis nocturnis: nunc dat ordinem tenendum in horis sequentibus: & inchoat à laudibus, quæ (vt in superioribus dictum est) matutini dicuntur: quia incipiente luce matutina, aguntur. Dicit ergò: *In matutinis Dominico die dicatur sexagesimus sextus psalmus* scilicet, Deus misereatur nostri, *sine antiphona in directum*. Psalmũ istũ, Deus misereatur nostri, primò absq; antiphona decantari instituit: Tum, quia tenebris fatiscentibus diluculo matutino laudes canuntur. Et ideò dicitur, Illuminet vultum suum super nos. Tum secundò, quia hoc officium ad Domini pertinet resurrectionem, per quam accepimus misericordiam & benedictionem. Sequitur: *Post quem dicatur quinquagesimus cum alleluia*. Psalmus iste, licèt sit pœnitẽtialis, iubetur dici cum alleluia: quia licèt habeat lamentum, nihilominùs habet annexum iubilum interioris conscientiæ de remissione peccati. Vndè in eodem psalmo sequitur: Auditui meo dabis gaudium & lætitiam. Glosa: Gaudium, de absolutione peccati: dicen-

De dispositione psal. in laudibus.

2. Reg. 12. dicendo, Dimissum est tibi peccatum tuum: & lætitiam de æternis, quæ promittis mihi. Sequitur: *Post quem dicatur centesimus decimusseptimus*, videlicet, Confitemini Domino. Qui, eô quòd de resurrectione Domini loquitur, meritò in die Dominica, in qua Domini resurrectio commemoratur, præcipitur decantari. *& sexagesimussecundus*, videlicet, Deus Deus meus, ad te de luce vigilo: qui, vt de se patet, maximè conuenit horæ matutinali. *Indè benedictiones*, id est, canticum trium puerorum, Benedicite omnia opera Domini Domino, *& laudes*, id est, psalmus, Laudate Dominum de cælis, *lectio* id est, capitulum, *de Apoc. vna ex corde, & responsorium Ambrosianũ*, id est, hymnus, *versus, canticum de Euangelio*, id est, canticum Zachariæ patris Ioannis Baptistæ, quod sumptum est de Euangelio beati Lucæ, Benedictus Dominus Deus Israel. *Litania*: Quid autem sit Litania, in fine noni capituli regulæ expositum est. *& completum est*. supple, matutinum.

IN CAPVT XIII.

TRACTATVS LXX.

De modo dicendi laudes priuatis diebus: & de recitanda oratione Dominica.

DAto ordine, quo in die Dominico explendæ sunt laudes matutinæ: nunc subdit ordinem, quo diebus priuatis agẽdæ sunt. Dicit ergò: *Diebus autem priuatis matutinorum solẽnitas ità agatur*: id est, vt *sexagesimussextus psalmus dicatur sine antiphona, subtrahendo modicè*, sub, id est, minùs altè, quàm cæteri psalmi, dicatur, *sicut in Dominica*. Quarè aũt dixerit, *subtrahendo*, seqtur, cũ dicit: *vt omnes occurrant ad quinquagesimum* psalmũ, scilicet Miserere mei Deus: *qui cũ antiphona dicatur*, qa qui post Gloria istius psalmi, videlicet sexagesimisexti, scilicet, Deus misereatur nostri: occurrerit, debet satisfacere, & vltimus stare in suo ordine: sicut inferiùs dicitur in quadragesimotertio capitulo regulæ. *Post quem alij duo psalmi dicantur secundùm consuetudinem*: id est, *Secunda feria quintus & tricesimusquintus: Tertia feria, quadragesimussecundus & quinquagesimussextus: Quarta feria, sexagesimustertius & sexagesimusquartus: Quinta feria, octuagesimusseptimus & octuagesimusnonus: Sexta feria, septuagesimusquintus, & nonagesimusprimus. Sabbato autem, centesimus quadragesimussecundus*. In quibus psalmis, si benè respiciantur, reperietur quòd in singulis ponitur hoc nomen, manè, vel ei æquiualens. Vndè, pertinere ad horam matutinalem, apertissimè dinoscuntur: & ità non absque ratione, matutinorum officio sunt deputati. *& canticum Deuteronomij, quod diuidatur in duo Gloria. Nam cæteris diebus canticum vnumquodque die suo ex Prophetis, sicut psallit Ecclesia Romana, dicatur. Post hæc sequantur laudes, deindè lectio vna Apostoli, memoriter recitanda: responsorium Ambrosianum, versus, canticum de Euangelio, litania: & completum est*. Sequitur: *Planè agenda matutina, vel vespertina*, scilicet laus, *non transeat aliquandò, nisi in vltimo ordine oratio Dominica, omnibus audientibus, dicatur à Priore, propter scandalorum spinas, quæ oriri solent: & vt conuenti* id est, admoniti, *per ipsius orationis sponsionem, qua dicunt, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: purgent se ab huiusmodi vitio. Cæteris verò* scilicet laudibus, *agendis, vltima pars eius orationis dicatur, vt ab omnibus respondeatur, Sed libera nos à malo*. Sanctus pater sanctissimè instituit in hoc loco, vt in vltima parte matutinorum & vesperarum dicatur à Priore, seu ab eo, qui primum locum tenet illis horis in ecclesia, Dominica oratio, videlicet Pater noster, alta voce: & hoc *propter scandalorum spinas*, id est, dissensiones ac lites aut iniurias seu contentiones, quæ sunt scandalorum causa, & tanquàm spinæ mentem per iram & odium pungentes & lacerantes, *vt conuenti* id est, admoniti, vel victi, vel superati, *per ipsius orationis sponsionem* ac conditionem, *qua dicunt, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus: purgent se ab hoc vitio* odij vel iræ, seu cuiuscunque alterius passionis. In alijs autem horis, oratio Dominica non ità alta voce dicatur. Sed cur tam variè? Respondetur, quòd vesperum est finis diei, & principium noctis: Matutinum verò econuersò, principium diei & finis noctis: voluit præcipuè istis duabus horis dici alta voce orationem Dominicam, vt illa frater commonitus, non transeat diem ac noctem sine reconciliatione fratris sui. In alijs autem horis non sic dici præcipitur: quia sæpè contingit fratrem fratri irasci, & quodam furoris impetu commoueri: qui licèt statim animum non cohibeat, expectandus tamen ad veniam, sufficere visum est sancto patri, si sol non occidat super iracundiam eius.

Ratio de psal. qui dicuntur in laudibus.

Ratio de recitanda oratione Dominica cunctis audientibus.

Spinæ pungentes.

IN CAPVT XIIII.

TRACTATVS LXXI.

De agendis vigilijs in Sanctorum festiuitatibus: & quibus de causis Ecclesia celebrat eorundem festa Sanctorum.

Postquàm sanctus pater Benedictus ordinem instituit agendarum vigiliarum diebus Dominicis, & ferialibus siue priuatis, nūc dat ordinem tenendum in festiuitatibus Sanctorum. Vbi in primis notandum venit, quòd Ecclesia multis de causis celebrat Sanctorum festa. Primò, vt eis vicem rependamus. Quia ipsi iam celebrant festum de nobis: quoniam gaudium est in cælo Angelis Dei & animabus sanctis super vno peccatore pœnitentiam agente. Secundò, quia eos honorando, rem nostram agimus. Nam eorum festiuitas, nostra est. Vnde Apostolus: Omnia nostra sunt, nos autem Christi. Charitas enim omnia facit communia. Tertiò, vt habeamus eos intercessores pro nobis. Vnde legitur 3. Regum 1. quòd Bersabee, quæ interpretatur puteus satietatis, id est, per quam Ecclesia triumphans designatur, impetrauit filio suo regnum. Quartò, vt eos imitemur. Commemorando enim eorum vitæ conuersationem, faciliùs ad eorum imitationem prouocamur. Quintò, propter augmentum nostræ securitatis ad spei nostræ subleuationem. Si enim homines mortales nobis similes, potuerunt ità per sua merita sublimari, ità nos similiter poterimus, si eorum vitæ sanctitatem imitari voluerimus. Sextò, propter honorem diuinæ maiestatis. Quia illos honorando, Deum honoramus in eis: & prædicamus mirabilem, qui sanctos suos ità mirificauit. Septimò, vt intellecta Sanctorū pulchritudine & munditia, confundatur homo de peccatis & immunditijs suis, & illorum imitatione discat terrena bona contemnere, & amare cælestia. Meritò ergò sanctus pater dat ordinem, qualiter in natalibus Sanctorum vigiliæ agendæ sint, dicens: *In Sanctorum verò festiuitatibus, vel omnibus solennitatibus, sicut diximus Dominico die agendum, ità agatur.* Aduertendum, quòd dicit, *festiuitatibus*, & non omnibus: & quòd dicit, *solennitatibus*, & addit, *omnibus*, vt intelligas, quòd non de omnibus festis Sanctorum, quæ occurrunt, sed de præcipuis, siue solennibus, loquatur. Nam si de omnibus Sanctis, qui occurrunt, solenniter celebrandum esset, tanta est Sanctorum multitudo, vt penè nihil aliud faciendum esset: & ità nunquàm de feria ageretur. Quod ergò dicit, *In Sanctorum festiuitatibus*, supplendum est, quorundam, siue eorum de quibus statutum est fieri duodecim lectiones. Quod verò dicit, *omnibus solennitatibus*, vel ad idem referendum est, cùm præcipuæ festiuitates, dicantur solennitates: vel solennitates referuntur ad festiuitates Christi, quæ omnibus festiuitatibus prę ferūtur: quę sunt, Natiuitas, Circuncisio, Apparitio, Præsentatio in templo, Cœna Domini, Parasceue, Sabbatum sanctum, Pascha, Ascensio, & Pentecoste. Festiuitates verò, referuntur ad solennitates Sanctorum, quæ maximè & vniuersaliter coluntur in Ecclesia Dei: sicut sunt festa beatæ Virginis, duodecim Apostolorum, sancti Ioannis Euangelistæ, sancti Ioannis Baptistæ, sancti Stephani, sancti Laurentij, & aliorum, de quibus in cap. Pronunciandum. de consecrat. dist. iij. *ità agatur:* videlicet quantùm ad numerū psalmorum, lectionum, responsoriorum, & canticorum. Sequitur: *excepto, quòd psalmi aut antiphonæ vel lectiones, ad ipsum diem pertinentes, dicantur.* Et hoc rationabiliter, quoniam non ijdem psalmi aut antiphonæ, siue lectiones congruunt omnibus solennitatibus. Obseruata ergò hac consonantia, *Modus autem suprascriptus teneatur.*

Marginalia: Multis de causis celebrantur Sanctorum festa. — 1. Luc. 15. — 2. — 3. Figura. — 4. — 5. — Nota hanc rationem. — 6. — 7. — Quòd non omnia festa Sanctorum possibile sit celebrare. — Solennitates præcipuę Domini nostri. — Festiuitates Sanctorum celebres.

IN CAPVT XV.

TRACTATVS LXXII.

Quandò dicatur alleluia, & de diuersis eiusdem verbi interpretationibus.

Sanctus pater Benedictus plenè volens disponere de diuinis officijs, docet in hoc capitulo, quibus temporibus canticum lætitiæ, videlicet alleluia, in Ecclesia dicendum sit, nè contingeret dici, quandò non expedit: aut taceri, quandò dicendum esset. Dicit ergò: *A sancto Pascha vsque ad Pentecosten, sine intermissione dicatur alleluia, tam in psalmis, quàm in responsorijs.* Vbi notandum, quòd Alleluia est lætitiæ canticum, & auditū ab Angelis decantari, Apo. 19. Habet autem varias expositiones. Nā primò, vt habetur psal. 112. Alleluia interpretatur, Laudate pueri Dominū. Allelu, i. laudate. ia, nomen Domini. Hieron. sic: Alle, id est, cātate. lu, id est, laudé. ia, i. ad Dominū. Aug. sic: Al, id est, saluū. le, id est, me. lu, id est, fac. ia, id est, Domine. Amb. sic: Alle, id est, lux. lu, id est, virtus. ia, id est, vita. Greg. Alle, pater. lu, filius. ia, spiritus sanctus. Petrus Manducator dicit super Apocal. & Augustin. in glosa psalterij, quòd Alleluia, est verbū imperatiui modi, & sonat Allelu, id est, laudate. ia, id est, vniuersalē. vel ia, id est, inuisibilē, s. Deū: quasi laus inuisibilis Dei. Decantari aūt instituit sanctus pater hoc lætitiæ canticū, à sancto Pascha vsq; ad Pentecosten. Tum primò, quia hoc tēpus signat statum æternæ felicitatis, quē post hanc vitam expectamus, in quo ab omni labore quiescētes, vacabimus Dei laudibus. Tum secundò, vt libertatē, quā nobis Christus resurgēdo acquisiuit, profiteremur. Tū tertiò, quia hoc tempus paschale signat octauam resur-

Marginalia: Diuersæ expositiones vocabuli Alleluia. — Lyra in psal. 104. — Quare dicatur alleluia post Pascha vsq; ad Pentecosten. — 1. — 2. — 3.

resurrectionis, in qua verum, perfectum gaudium, & perpetuum erit. Augustinus super Ioannem sermone 18. Post Quadragesimam, Pascha resurrectionis celebramus, signantes resurrectionem nostram. Et ideò per quinquaginta dies celebratur, quia in quinquagenario merces denarij figuratur: & ideò tunc non vacabit, nisi laudare Deum: ideò per illos dies alleluia dicimus. Alleluia, laus Dei est in ista mortalitatis fragilitate. Tum quartò meritò hoc tempore paschali frequentatur alleluia, quia hoc tempore Christus resurgens ex mortuis, æternæ beatitudinis spem nobis dedit & promissum. *Sine intermissione* dicit cantandum, quia in omnibus psalmis, & omnibus versibus, & in omnibus antiphonis & responsorijs vult dici alleluia. Et hoc ideò, quia hoc toto tempore figurantur dies sempiternæ lætitiæ, in quibus sine intermissione in omnibus lætandum erit. Sequitur: *A Pentecoste autem vsque ad caput Quadragesimæ*, id est, vsque ad Septuagesimam, in qua, more antiquorum, erat principium & caput ieiunij, *omnibus nocturnis cum sex posterioribus psalmis tantùm ad nocturnos dicatur.* Nota hic, quòd in Septuagesima vsque ad Pascha, alleluia non dicitur. Tum, quia hoc tempore recolitur & commemoratur status miseriæ, in quem cecidit humanum genus propter peccatum primorum parentum: vndè meritò canticum lætitiæ subticetur. Vndè officium Missæ inchoamus: Circundederunt me gemitus mortis.

Diuersæ significationes quinquagesimæ post Pascha.

4.

Quarè intermittatur alleluia adueniente Quadragesima.

Secundò, quia hoc tempore commemoratur tempus pœnitentiæ & peregrinationis ac exilij à patria cælesti. Quod quidem exilium vitæ præsentis sub reuolutione septem dierum agitur. Vndè Leo papa: Ideò hymnos, scilicet Alleluia, Gloria in excelsis, quos Angeli cantauerunt, intermittimus in Septuagesima, quia peccato hominis veteris à conuentu angelicæ iubilationis expulsi, in huiusmodi miseræ vitæ Babylone super flumina eius sedemus & flemus, dum recordamur illius Sion, in qua Deum decet hymnus. A Septuagesima ergò, quandò protoplasti lapsus in Ecclesia recitatur, Alleluia & Gloria in excelsis, vsque ad Pascha intermittamus, vbi CHRISTVS resurgens à mortuis, tristitiam nostram vertit in gaudium, & alleluia nobis reddit. Hęc ille. Sequitur: *Omni verò Dominica extra Quadragesimam cantica matutini, prima, tertia, sexta, nonaque, cum alleluia dicantur: Vespera verò, cum antiphona cantatur. Responsoria verò nunquàm dicantur cum alleluia, nisi à Pascha vsque ad Pentecosten.* Plana sunt omnia.

De consec. dist. 1. cap. Hi duo.

Psal. 136.

IN CAPVT XVI.

TRACTATVS LXXIII.

De horis canonicis, & earum ratione.

ASsignato ordine officiorum in horis nocturnis & laudibus matutinalibus, tam diebus priuatis, quàm Dominicis & festiuis: & ordinato etiam, quibus temporibus quibusq; horis angelica laus, scilicet alleluia, dicenda sit: Nunc agens de horis diurnis, subiungit numerum earum & nomina, & institutionis causam assignando. Satisfaciendo ergò sanctus pater rubricæ, scilicet qualiter diuina opera per diem agenda sint, dicit sic: *Vt ait Propheta, Septiès in die laudem dixi tibi. Qui septenarius numerus à nobis sic implebitur, si matutini, prima, tertia, sexta, nona, vespera, completorijq́; tempore, nostra seruitutis officia persoluamus, quia de his horis dicit: Septiès in die laudem dixi tibi. Nā de nocturnis vigilijs idem ipse Propheta ait: Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Vbi notandum, quòd cùm corpus quod corrumpitur, aggrauet animam, vt dicitur Sapient. 9. nequimus, infirmitate nostra præpediente, in singulis horis duodecim diei iugiter diuinis insistere laudibus, quoniam necessè habet homo aliquandò necessarijs corporis intendere. Et ideò institutum est, vt certis horis, illis vacetur. Et vocantur istæ horæ canonicæ: id est, regulares, quia à sanctis patribus regulariter obseruatę. Sed aduertendū, q hæ horæ secūdū vsum antiquū, sunt octo: videlicet vigiliæ nocturnæ, matutini, s. laudes, & aliæ sex horæ diurnæ, videlicet prima, tertia, sexta, nona, vesperę & cōpletoriū: secūdū quem vsum matutinæ primæ, siue vigiliæ, dicuntur diuisim à matutinis, q dicūtur in principio auroræ. Et sic octies laudatur Deus in die naturali ab Ecclesia in nouo testamēto, sicut & octiès laudatur in veteri, sicut habetur Neemiæ 9. Hūc vsum orandi quo ad numerū horarū, obseruandū instituit B. Benedictus, licèt secūdùm aliū modū distinctiouis. In veteri enim testamēto orabatur quater in nocte, & quater in die: B. verò Benedict⁹ voluit semel in nocte, & septiès in die, exēplo optimi oratoris Dauid, dicentis psal. 118. Media nocte surgebam ad confitendum tibi, s. confessione laudis, & hoc quo ad matutinas primas, siue vigilias. Et iterùm: Septies in die laudem dixi tibi, & hoc quo ad alios septem horas, quarum prima est laus matutina, dicenda in aurora. Aliæ sex sunt, prima, tertia, sexta, nona, vesperæ, & completorium. Et hic modus approbatus est per concilium Agathense, vt patet extrà de celebratione Missarum, in cap. Presbyter.

Psal. 118.

Quarè certis horis insistamus Dei laudibus.

Quarè dicitur horæ canonicæ.

Mos orandi antiquitùs.

Verba huius sanctæ regulæ habentur in corpore tertiis.

ter. Cuius capituli verba sunt quæ in hoc loco sanctus Benedictus pònit ab illo loco vbi dicit: *Vt ait propheta, Septiès in die* &c. Secundùm autem vsum communem ambę matutinæ iam simul dicuntur, & computantur pro vna hora, cùm etiam per vnam orationem terminentur: secundùm quem modum omnes horæ canonicæ reducuntur ad numerum septenarium, qui est numerus sacratus. Et sic illud Dauidicũ, Septiès in die laudem dixi tibi, intelligitur de die naturali: & vna laus fit in nocte artificiali. Et aliæ sex in die noctis eiusdem, scilicet prima, tertia, sexta, nona, vndecima, quæ est vespera: & duodecima, quæ est completorium. Sequitur: *Ergò his temporibus referamus laudes creatori nostro super iudicia iustitiæ suæ*: id est, confitendo & laudando omnia opera sua iusta esse, *id est, matutinis, prima, tertia, sexta, nona, vespera, completorio: & noctè surgamus ad confitendùm ei.* Vbi notandum, quòd potiùs istæ horæ ad laudandum & confitendum Domino, sunt institutæ tribus de causis.

Tales præcipuè horæ constitutæ sunt ad laudandũ Deum tribus de causis.

1\. Primò, quia istis horis sancti leguntur orationibus & laudibus diuinis specialiùs vacâsse. Vndè Dauid: Media nocte surgebam ad confitendum tibi: eccè vna hora. Et iterùm: Vesperè & manè & meridie narrabo & annunciabo: eccè aliæ tres: scilicet vespera, prima, & sexta. Tertia verò hora orabant Apostoli cùm receperunt spiritum sanctum, Actuum 2. Petrus verò & Ioannes ascendebant in templum, vt orarent ad horam orationis nonam, vt dicitur Actuum 3. Circa duodecimam verò horam, qua dicitur Completorium, dicitur Christus orâsse, cùm post cœnam fudit orationem ad patrem, sicut habetur Ioannis 17.

Psal. 118.
Psal. 54.

Quomodò consecratæ sunt Horæ canonicæ quibusdam nostræ redemptionis operibus.

2\. Secunda causa est, quia horæ istæ sunt insignitæ quibusdam operibus insignibus, ad nostram pertinentibus redemptionem. Nocte enim natus est nobis Saluator, circa horam primam resurrexit, circa tertiam spiritum sanctum dedit, circa sextam ascendit, circa nonam mortuus est in cruce, circa vndecimam, id est, vesperæ, corpus suum & sanguinem discipulis in sacramento distribuit in cœna, circa duodecimam sepultus est. Iustè ergò istæ deputatæ sunt laudibus diuinis & orationibus plusquàm aliæ, in quibus non legitur aliquod factum huiusmodi contigisse.

3\. Tertia ratio, quia tales horæ diuinis operarijs leguntur deputatæ: vt habetur Matthæi 20. vbi legitur, patrêfamiliâs misisse operarios primo manè, quod est prima: similiter tertia, similiter sexta, similiter nona, & vndecima, quæ est vespera: & serò, quod est duodecima hora siue cõpletoriũ, ad mercedẽ vocasse. Cùm ergò diuinũ officiũ dicatur opus diei, iustè horæ istæ competunt diuino officio. Quòd autem addi-

Congruentia laudis Dei in nocte.

tur, supra sex horas diei, opus diuinum in nocte, non est inconueniens: quia opus cõtemplatiuæ vitæ non solùm diei, sed etiam nocti competit. Vnde Iacob dicitur nocte luctatus fuisse cum angelo, Gen. 32. Quod exponens Gregorius, dicit luctam huiusmodi contemplationẽ. Item notandum, quòd istæ causæ deputãdi huiusmodi horas diuinis laudibus, sunt etiam causæ instantiùs & libentiùs orandi in eis. Illis profectò libentiùs orandum est horis, quibus sancti orâsse dicuntur: horis priuilegiatis, horis operibus redemptionis insignitis: vt eorum simus participes, horis diuinis operarijs attributis. Vltimò restat soluenda quædam obiectio: Videtur illud, quod dicitur, *Media nocte surgebam* &c. contradicere ei, quod dictum est in capitulo octauo, quòd hyemis tempore surgendum est ad vigilias octaua hora, vt modicè amplius de media nocte pausetur. Respondetur, quòd medium inter aliqua, dicitur duobus modis. Aut per æqualem distantiam terminorum, aut interpositionem inter terminos. Medietas noctis in dicto Prophetæ, dicitur medietas per interpositionem inter partes extremas noctis, secundùm quam medij rationem, cùm octaua hora surgitur, media nocte surgitur.

Hom. 14. in Ezechielẽ.

Solutio cuiusdam dubij circa textum regulæ, & diffinitio quid sit mediũ.

IN CAPVT XVII.

TRACTATVS LXXIIII.

De quantitate psalmorũ circa horas canonicas.

APtum ordinem obseruauit sanctus pater Benedictus in eo, quòd superiùs distinxerat tempora, quibus officia diuina agẽda sunt. Et nunc subiungit, quanti psalmi per easdem horas canendi sunt, dicens: *Quia de nocturnis vel matutinis digessimus ordinem psalmodiæ: nunc de sequentibus horis videamus. Prima horà diei dicãtur psalmi tres sigillatim, & nõ sub vno Gloria.* sed, supple, sub triplici, vt Trinitas iñ nostris operibus glorificetur. *Hymnus eiusdẽ horæ, post versum, Deus in adiutorium, antequàm psalmi incipiantur. Post expletionem verò trium psalmorum, recitetur lectio vna*, quæ apud alios capitulum nominatur, *versus, & Kyrie eleison, & missæ sint*, id est, dicantur orationes, quę missæ dicuntur hic à sancto patre: eò quòd in illis ad Deum expresse preces mittamus, dicentes: Oremus, Omnipotens sempiterne Deus. vel, Deus, qui. vel huiusmodi. *Tertia verò, sexta, & nona, eodem ordine celebretur: oratio, id est, versus, hymni earundem horarum, terni psalmi, lectio, & versus, & Kyrie eleison: & missæ sint. Si maior congregatio fuerit, cum antiphonis dicãtur: si verò minor, in directum psallantur.* Congregatio regularis, dicitur congregatio duodecim monachorum, iuxta numerum duodecim

Congregatio regularis, maior, & minor quæ dicatur.

Apo-

Congregatio regularis, maior, & minor, quæ dicatur.

Apostolorum principalium discipulorũ Christi. Maior congregatio dicitur ab aliquibus, à triginta & supra. Minor verò cõgregatio, si minus à triginta fuerint fratres, descendendo vsq; ad duodecim. Nam minus à duodecim, nõ videtur congregatio regularis. Alij volunt dicere, quòd si plures sint quàm duodecim monachi, i. tredecim, vel quatuordecim, aut vltra, maior congregatio dicenda sit, sed primum magis nobis placet. Est tamen aduertendũ, quòd hoc quod dicitur, non est accipiendum præceptiuè, ità quòd regulæ transgressor habendus sit conuentus minoris congregationis, qui cum antiphonis, i. modulando officium diceret, sed accipiendum est per modum indulgẽtiæ. Concedit enim minori congregationi propter paucitatem monachorum, ne nimio labore fatigentur, *quòd in directum*, i. sine modulatione, officium dicat, si voluerit. Sequitur: *Vespertina autem synaxis* id est, solennitas vel cursus vesperarum, *quatuor psalmis cum antiphonis terminetur. Post quos psalmos lectio recitanda est: indè responsorium Ambrosianum, versus, canticũ de Euangelio*, s. Magnificat anima mea Dominum. *Litania*, i. Kyrie eleison, *& oratio Dominica: & fiant missæ*. i. orationes. *Completorium autem trium psalmorum dictione terminetur. qui psalmi directanei sine antiphonis dicẽdi sunt. Post quos hymnus eiusdem Horæ, lectio vna, versus, Kyrie eleison, benedictio: & missæ fiant*. Plana sunt omnia.

Musta concessiuè, dicuntur præceptiuè.

IN CAPVT XVIII.

TRACTATVS LXXV.

De ordine dicendorum psalmorũ: vbi quarè Ecclesia vtitur Psalterio in officio Ecclesiastico magìs quàm alijs scripturis.

POstquàm sanctus pater Benedictus de numero psalmorum egit, iam de ipsorum ordine disponit, dicens: *In primis semper diurnis horis dicatur versus: Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandũ me festina. & Gloria. Indè hymnus vniuscuiusq; horæ. Deinde prima hora Dominica: dicenda quatuor capitula psalmi centesimi octauidecimi. Reliquis verò horis, id est, tertia, sexta, vel nona: terna capitula suprascripti psalmi centesimi octauidecimi dicantur. Ad primam autem secunda feria, dicantur tres psalmi, id est, primus, secundus, & sextus. Et ità per singulos dies ad primam, vsque ad Dominicam, dicantur per ordinem terni psalmi, vsq; ad nonumdecimum psalmum. Ità sanè, vt nonus psalmus & septimusdecimus, partiantur in binas Glorias. Et sic fiat, vt ad vigilias Dominica semper à vicesimo incipiatur. Ad tertiam verò sextam, & nonam secunda feria, nouem capitula, quæ residua sunt de centesimo octauodecimo psalmo, ipsa terna per easdem horas dicantur. Expenso ergò psalmo centesimo octauodecimo duobus diebus, id est, Dominica, & secũda feria: tertia verò feria iam ad tertiam, sextam, vel nonam psallantur terni psalmi, à centesimo nonodecimo, vsq; ad centesimum tricesimumseptimum, id est, psalmi nouem. Qui psalmi semper vsque ad Dominicam per easdem horas itidem repetantur. Hymnorum nihilominus, lectionum, vel versuum dispositione vniformi, cunctis diebus seruata. Et ità scilicet, vt Dominica semper à centesimo octauodecimo incipiatur. Vespera autem quotidiè quatuor psalmorum modulatione canatur. Qui psalmi incipiantur à centesimo nono, vsq; ad centesimum quadragesimumseptimum: exceptis his, qui diuersis horis ex eis sequestrantur: id est, à centesimo septimodecimo, vsque ad centesimum vicesimumseptimum, & centesimo tricesimotertio, & centesimo quadragesimosecundo: reliqui omnes in vespera dicendi sunt. Et quia minus tres psalmi veniunt, ideò diuidendi sunt, qui ex numero suprascripto fortiores inueniuntur, id est, cẽtesimus tricesimusoctauus, & centesimus quadragesimustertius, & centesimus quadragesimusquartus. Centesimus verò sextusdecimus, quia paruus est, cum centesimo quintodecimo coniungatur. Digesto ergo ordine psalmodia vespertinorum, reliqua, id est, lectiones, responsoria, hymni, versus, vel cantica, sicut suprà taxauimus, impleantur. Ad completorium verò quotidiè ijdem psalmi repetãtur, id est, quartus, & nonagesimus, & centesimus tricesimustertius. Disposito ordine psalmodia diurna, reliqui omnes psalmi, qui supersunt, æqualiter diuidantur in septem noctium vigilijs, partiendo scilicet, qui inter eos prolixiores sunt psalmi: & duodecim per vnamquanque constituantur noctem. Hoc præcipuè commonentes, vt si cui fortè hæc distributio psalmorum displicuerit, ordinet, si melius aliter iudicauerit:* Hæc vltima verba siue causa humilitatis, siue concessionis sanctus pater Benedictus dixerit, tutius est seruare ordinẽ datum per eum. Nullus planè Abbas, vel monachus illam sibi præsumptionem debet assumere, vt aliter disponat ordinem psalmodiæ, quàm ipsius sancti viri discretionis studio & laboribus extitit ordinatum. Sequitur: *dummodò omnibus modis id attẽdatur, vt omni hebdomada Psalterium ex integro numero centum quinquaginta psalmorum psallatur. Et Dominico die semper à capite repetatur ad vigilias: quia nimis iners deuotionis suæ seruitium ostendunt monachi, qui minus psalterio, cum canticis consuetudinarijs, per septimana circulum psallunt: dum legimus sanctos patres nostros, vno die hoc strenuè impleuisse, quod nos tepidi vtinàm septimana integra persoluamus.* Hæc omnia planissima sunt, quarè nõ est opùs, vt aliquid aliud addamus. Verùm est circa hoc notandum, quòd Ecclesia nulla scriptura tantùm vtitur in officijs diuinis, sicut psalmis: quod & beatus Benedictus obseruauit. Et hoc propter multas rationes ostenditur iustum & rationabile. Primò, quia canticum psalmorũ confortat pœnitentes. Conuenientes enim

Seruãda est ordinatio facta à beatissimo Benedicto circa diuinum officium.

Vtitur Ecclesia psalmis Dauid multis de causis.

1.

ad officium diuinum, attendentes Dauid
tantum peccatorem, per pœnitentiā ad sta-
tum prophetiæ peruenisse, quòd vbiq; ter-
rarum eius prophetia præfertur alijs in di-
uinis laudibus, ex hoc plurimùm in Do-
mino confortantur, confidentes de eius
2. clementia, si voluerint pœnitere. Secun-
dò, quia nulla scriptura est Deo ità specia-
lis. In quolibet enim versu ferè loquitur de
Deo, Et in multis, præcipuè in illis, quæ
magis frequentantur in horis diuinis, cum
Deo, quasi ante oculos constituto, loqui-
tur, quod valdè mentem eleuat ad super-
3. na. Item tertiò, hæc scriptura innumera-
biles habet salutares effectus. De quibus au-
thoritas, quæ dicitur esse Augustini, ità
habet: Canticum psalmorum effugat dæ-
mones, efficit sanctitatem, refectio men-
tis est: sicut sol illuminat, sicut oleum de-
fluit, voluntatem illicitam extinguit, ira-
cundiam frangit, omnia penetrat, omnia
implet, hominem deificat, sensum aperit,
desiderium regni cælestis tribuit, ignem
spiritualem in corde succendit, radices
omnium malorum expellit, cōsolatio do-
loris est, notitia veri luminis est, tædium
animi detrahit: qui canticum diligit psal-
morum assiduum, non potest facere pecca-
tum. Talia multa inferuntur in eadem au-
4. thoritate. Quartò, ista scriptura commu-
nior est alijs. Omnia enim ferè, quæ hîc di-
cuntur, referuntur ad statum iusti vel im-
pij generalem, in quorum altero est quili-
5. bet. Quintò, hæc scriptura est, quæ plenè
continet illa, quæ sunt necessaria ad homi-
nis instructionem. Vndè in Glo. in procœ-
mio psalterij: Consummatio est totius the-
ologicæ paginæ: hîc enim describuntur
præmia bonorum, supplicia malorum, ru-
dimenta insipientium, progressus profici-
entium, vita actiuorum, speculatio con-
templatiuorum. Hîc docetur, quid pecca-
tum auferat, quid pœnitentia restituat,
quid pœnitens peccatorum conscius dicat,
6. quid per pœnitentiam assequatur. Sextò,
hæc scriptura alias excellit in claritate, ma-
ximè prophetiæ: sicut dicitur in Glo. psal-
terij supradicta. Alij enim authores æni-
gmaticè loquuntur, iste autem propheta
apertiùs, & sine figuris, pro magna parte.
7. Septimò, quia nihil est in psalmis, quod
non sit vel Dei laus, vel oratio, quæ duo
8. maximè competunt officio diuino. Octa-
uò, quia psalmi sic sunt compôsiti, quòd
magis competunt iubilationi vocali, quam
requirit officium diuinum, quàm aliæ scri-
pturæ, propter distinctionem versuum.
Vndè & Dauid cantabat eos coram Domi-
no. Et sic dicit Isidorus in libro Etymolo.
Ideò dictum est psalterium, quòd vno pro-
pheta canente ad psalterium, chorus con-
sona voce respondebat.

Singulare psalmorū.

Diuersi effectus psalmorum.

Psalterium est cōsummatio theologiæ.

Psalterij etymolo. lib. 6. ca. 2.

IN CAPVT XIX.

TRACTATVS LXXVI.

De reuerentia in psallendo, & quòd in ea præcipuè consistat disciplina psallendi.

SAnctus pater Benedictus, postquàm distinxit numerū & ordinem psalmorum, iam aptissimè subiungit in hoc capitulo, de disciplina, siue doctrina psallendi. Primò præmittit causam, propter quam erudita & disciplinata laude psallendum sit omnipotenti Deo, videlicet præsentiam indeficientem maiestatis diuinæ, dicens: *Vbiquè credimus diuinam esse præsentiam:* Ieremiæ vigesimosecundo: Cælum & terram ego impleo. Vt autem dicit Secūdus philosophus: Deus est lux indeficiens, manus omnia continens, oculus insopitus, spiritus vbiquè totus: cui peruium est omne solidum, cui obscura clarent, occulta patent, cui muta respondent, cui silentium loquitur, & mens sine voce confitetur. *& oculos Domini in omni loco speculari bonos & malos,* Prouerb. 15. *& maximè tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, cùm ad opus diuinum assistimus.* Quia, vt ait Bernardus, licèt semper à Domino videamur, in oratione tamen etiam præsentamus & ostendimus nos quasi facie ad faciem cum Deo loquentes. Hinc dicit Dominus Salomoni, tertij Regum nono: Sanctificaui domum hanc quam ædificâsti, vt ponerem nomē meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus. Sequitur: *Ideò,* id est, attento quòd oculi diuinæ maiestatis semper nos contemplantur, *semper memores simus, adimplentes quod ait Propheta:* psal. 2. *Seruite Domino in timore.* Glo. id est, diligenter. *Et iterùm:* scilicet quod ait idem propheta, psal. 46. *Psallite sapienter.* Glo. id est, intelligenter. *Et illud,* scilicet supple, memoremur, quod dicit idem propheta psal. 37. *In conspectu angelorum psallam tibi. Ergò cōsideremus, qualiter* id est, quàm decenter, quàm honestè, quàm disciplinatè, *oporteat nos in conspectu diuinitatis & angelorum esse: & sic stemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostræ.* Pro pleniori eruditione discipuli notandum, quòd disciplina psallendi, secūdùm quod pater sanctus Benedictus innuit, & ex dictis authoritatibus per eum colligi potest, consistit in tribus, quæ sunt: statûs reuerentia, attentionis vigilantia, cantûs disciplina. Pertinet autem ad disciplinam psallendi statûs reuerentia, quæ designatur per primam authoritatē inductam à sancto patre ex psal. 2. *Seruite Domino in timore.* Timor enim reuerentiam parit. Planè rationabiliter frater debet habere reuerentiam psallendo in Ecclesia,

Pulchrum de Deo.

Ser. de quatuor modis orandi.

Disciplina psallēdi in tribus consistit.

Propter multa reuerentiam

debemus habere dũ psallimus.

clesia: Primò, quia locus, in quo stat, locus sanctus est. Secundò, quia altaria, cruces, imagines, reliquiæ, & alia huiusmodi, inter quæ stat, magnæ sunt dignitatis. Tertiò, quia multitudo fratrum, qui etiam honorandi sunt, adstat. Quartò, quia angeli, in quorum conspectu psallit, respiciunt. Bernardus super Cant. Attendite principes vestros, cùm statis ad orandum vel psallendum, & state cum reuerentia & disciplina. Quintò, quia ille, cui adstat discipulus psallendo, est summa maiestas. Consideret ergò discipulus sanctitatẽ loci in quo stat, dignitatem rerum inter quas stat, conuentum fratrum cum quibus stat, angelorum præsentiam coram quibus stat, summæ maiestatis excellentiam cui adstat, & stet disciplinatè & reuerenter. Caueat autem, nè in choro, cùm ad psallendum stat, sit de eorum numero, de quibus dicit Hugo de sancto Victore: Sunt mente vagi, attoniti oculis, habitu dissoluti, plana, parietum prospicientes perlustrant: aliud cantant, & aliud cogitant. In choro sunt corpore, sed in foro mente. Studeat ergò discipulus, vt in choro non sit incompositus habitu, non vagus oculis, non molestus aut fastidiosus alijs, non corpore mobilis, sed quietus: vt stabilitatem mentis, stabilitate corporis ostendat, non leuitatem dissolutionis cuiuscunque in aliquo, sed maturitatem & grauitatem in omnibus præferat. Ait enim Propheta: In populo graui laudabo te. Cyprianus libro de oratione Dominica: Sit igitur orantibus sermo & precatio cum disciplina, quietem continens & pudorem. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare: placendum est diuinis oculis, & habitu corporis, & modo vocis.

Serm.7.

Libro 1. de claustro animæ, cap.12.

Indisciplinati in choro, describuntur.

Psal. 34.

Circa initium.

TRACTATVS LXXVII.

De cordis attentione habenda, in qua secundariò consistit disciplina psallendi.

Deindè secundum, quod pertinet ad disciplinam psallẽdi, est cordis attentio, siue attentionis vigilantia, quæ designatur in secunda authoritate inducta à sancto Patre, de psal. 46. *Psallite sapienter.* Glo. Nemo sapienter facit, quod non intelligit. De quo dicit Apostolus ad Ephes. quinto: Psallentes in cordibus vestris Domino. Sic & ipse Apostolus faciebat, qui dicit primæ Corin. 14. Psallam spiritu, reuoluens s. in spiritu quod psallo: psallã & mente, scilicet nihil aliud tunc in mente reuoluens. Et ad hoc inuitat beatus Petrus, dicens: Vigilate in orationibus. Glo. nè animus cogitet aliud, præter id solum, quod precatur. Et Augustinus in Regula: Psalmis & hymnis cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Pro intelligentia pleniori huius partis, est notandum, quòd cùm cor euagationem patitur in orationibus, aliquandò accidit ex infirmitate humana, aliquandò ex negligentia, aliquãdò ex proposito. Licèt autem totum sit repræhensibile, tamen tertium magis, quàm secũdum, & secundum magis, quàm primum. Item sunt quædam cogitationes, de quibusdam necessarijs, sicut cùm incumbit alicui, de quo oportet eum cogitare. De quibus habetur Sapientiæ nono: Terrena cogitatio deprimit sensum multa cogitantem. Aliæ sunt vanitatis. De quibus Psal. Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Sunt aliæ iniquitatis. Sapientiæ 1. Peruersæ cogitationes separant à Deo. In orationibus cauẽdum est à primis, sed plùs à secundis, plùs à tertijs. Item quædam cogitationes oriuntur ex immissione dæmonum: quædam ex culpa præcedẽti, vt cùm quis ante orationem adeò vagus est, quòd illa occasione occurrunt ei orando, sicut & somniando, quæ eum impediunt: quædam ex culpa præsenti, vt cùm dicẽdo diuinum officium, se occupat in alijs. Primum malum, secundum peius, tertium pessimum.

1.Pet.4.

Cap. 9.

Diuersis de causis euenit mẽtis euagatio.

Diuersa cogitationũ genera, & à quibus maximè cauendum sit.

Psal.93.

Item orando occurrunt quandoq; cogitationes vtiles, & de pertinentibus ad orationem, vt cùm occasione alicuius verbi occurrentis in oratione, cogitat quis aliquid vtile ad sermonem faciendum, vel ad orationem conficiendam: quandoquè occurrunt vtiles, sed de impertinentibus: quandoquè quædam impertinentes & inutiles, immò quandoquè nociuæ. Primæ habent aliquam excusationem, secundę minorem, tertiæ minimæ. Secundùm ergò præcedentes differentias cogitationũ, potest aduerti, quandò plùs debet timere quis conscientiæ suæ, cùm patitur euagationem cogitationum in orando. De hac parte disciplinæ psallendi, videlicet de puritate & attentione mentis habenda in oratione, beatus Bernardus super Cantica,ità nos hortatur: Vos moneo, dilectissimi, purè semper ac strenuè diuinis interesse laudibus. purè, vt nihil aliud, dum psallitis, quàm quod psallitis, cogitetis. Nec solas dico vitandas cogitationes vanas & ociosas: vitãdæ sunt & illæ, illa dũtaxàt hora, & illo loco, quas officiales fratres pro cõmuni necessitate, quasi necessariò, frequenter ad mittere compelluntur. Sed ne illa quidem profectò recipere tunc consuluerim, quæ fortè paulò antè in claustro sedentes in codicibus legeratis. Salubria sunt, sed minimè illa salubriter inter psallendum reuoluitis. Spiritus enim sanctus illa hora gratum non recipit, quicquid aliud, quàm debes, neglecto eo quod debes, obtuleris. Hæc Bernar. Secundò hic

Serm. 47. Nota de attentione ad diuinũ officium.

Debemus psallentes attenti esse propter plures causas.

hic notandum, quòd multùm debent Deo psallentes, & maximè religiosi, operá dare ad hanc mentis intentionem habendam, vt orando hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Et hoc propter plures causas.

1. Primò, quia oratio sine attentione nó videtur esse vera oratio, sed simiatica. Simia enim interdùm labia mouet ad modú orátis, licèt nesciat quid dicat: itá faciút multi, de quibus Dominus per Isaiā dicit: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.

Isa. 29.

Si enim in docendo, in disputando, in fabricando, & in actione etiam corporali, fatuus reputatur, qui nó cogitat in eo quod facit, (secundùm Glo. superiùs inductam super illud psal. Psallite sapienter: Nemo sapienter agit, qui non intelligit) quantò magis reputandus fatuus venit, qui non attendit orationi? Ecclesiastici 21. Os sapientum in corde ipsorú. quod ideò dicitur, quia quæ dicút, versantur in corde ipso.

2. Secundò, propter reuerentiam Dei, cui psallimus. Etenim cùm quis loquitur proximo, cogitat in eo quod dicit: & tanto magis, quanto maior est cui loquitur. Cùm ergò psallendo loquamur summo Deo, multa attentione & cogitatione intendendú est orationi.

Arg. pro attentione dum oramus.

Meditat. cap. 6.

Bernar. Cùm ad orandum siue ad psallendum ecclesiam intraueris, fluctuantium cogitationú tumultus exteriùs relinque, vt soli Deo possis vacare. Fieri enim nó potest, vt aliquandò cum Deo loquatur, qui cum toto mundo etiam tacés fabulatur.

3. Tertiò, propter suauitatem degustádam spiritualium orationú. Oratio enim cibus est cordis. Quemadmodùm enim dulcedinem & suauitaté amittit boni morselli, qui nó masticat eú: sic dulcedinem spiritualium orationum, qui dentibus intelligentiæ non conterit orationem. Bernar. Cibus in ore, psalmus in corde sapit. Non negligat anima illum terere dentibus intelligentiæ suæ, nè si fortè integrum glutiat, & non mansum, frustretur palatum sapore dulciori super mel & fauum.

Serm. 7. in Cantica.

4. Quartò, propter diuinam exauditionem. Cùm enim psallimus, petimus vt Deus nobis intendat: iuxta illud, Intende mihi, Domine, & exaudi me. Vndè etiam in exordio diuinarum laudú petimus, Deus in adiutoriú meum intéde, &c. Quomodò autem est probabile, quòd hoc faciat Deus, si nos nobis non intendimus? Bernardus: Quomodò mihi intendet, qui mihi non intendo? Quarè beatus Cyprianus super orationem Dominicam, nos itá hortatur: Quandò stamus ad orationem, vigilare & incúbere ad preces toto corde debemus: nec quicquam tunc animus, quàm id solum cogitet, quod precatur. Quæ eñ segnitia est alienari, & rapi ineptis cogitationibus & prophanis, cùm Deum deprecaris, quasi sit aliud quod magis debeas cogitare, quàm cum Deo quid loqueris? Quomodò te audiri à Deo postulas, cùm te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui, cùm rogas: quandò tu ipse memor tuî non sis?

Psal. 54.

Cap. 8. Meditat.

circa finē.

Contra vagantes corde.

5. Quintò, propter efficaciam orationis, cuius efficacia principaliter attenditur ex parte cordis. Augustinus: Potiùs ad vocem cordis, quàm corporis, aures intendunt. Et Isidorus: Oratio, cordis est, non labiorum. Neque enim verba deprecantis Deus intendit, sed orantis cor adspicit. Qui ergò cor non habet in oratione, subtrahit quod melius est in oratione. Vndè beatus Basilius dicit: Diuinum auxilium implorádum est, non remissè, nec mente huc illucq; vagante, eô quòd talis non solùm non impetrabit quod petit, sed etiam magis Deú iritabit. Item Bernardus: Parùm prodest sola voce cantare, sine cordis intentione. Deus enim, cui non absconditur quicquid licitú perpetratur, non quærit vocis leuitaté, sed cordis puritatem.

Efficacia orationis in quo cósistat.

De catech. rudib. c. 9.

Lib. 3. de summo bono, cap. 7.

Medit. c. 8.

Secundò, ad videndum qualiter attétio necessaria sit orationi, notandum est, vt sanctus Thomas notat in secunda secundæ, q. 83. scilicet, quòd necessariú dicitur aliquid dupliciter. Vno modo, per quod meliùs peruenitur ad finé: & sic attentio absolute orationi est necessaria. Alio modo dicitur necessariú, sine quo res nó potest consequi effectum suum. Est auté triplex effectus orationis.

Artic. 3.

Necessariũ dicitur dupliciter.

Triplex effectus orationis.

1. Primus quidem communis omnibus actibus charitate informatis, quod est mereri: & ad hunc effectum non ex necessitate requiritur, quòd attentio adsit orationi per totum, sed vis primæ intentionis, qua aliquis ad orádum accedit, reddit totam orationem meritoriam, sicut in alijs meritorijs actibus accidit.

2. Secundus autem effectus orationis est ei proprius, quod est impetrare: & ad hunc etiam effectum sufficit prima intentio, quá Deus principaliter attendit Si autem prima intentio desit, oratio nec meritoria est, nec impetratiua. Illam enim orationem Deus non audit, cui ille, qui orat, non intendit: vt dicit Gregorius.

3. Tertius autem effectus orationis est, quem præsentialiter efficit, s. quædam spiritualis refectio: & ad hunc de necessitate requiritur in oratione attentio. Vndè primę ad Corint. 14. Si orem lingua, mens mea sine fructu est. Sciendum tamen est, quòd triplex est attentio, quæ orationi vocali potest adhiberi.

Triplex attentio.

1. Vna quidem, qua attenditur ad verba, nè quis in eis erret.
2. Secunda, qua attenditur ad sensum verborum.
3. Tertia, qua attenditur ad finem orationis, s. ad Deum, & ad rem pro qua oratur, quæ quidem est maximè necessaria: & hanc etiam possunt habere idiotæ: & quádoquè intantùm abundat hæc attentio, qua mens fertur in Deum, vt etiam omnium

um aliorum mens obliuiſcatur, ſicut dicit Hugo de ſancto Victore, his verbis: Pura

De modo orãdi, ca. 2.

eſt oratio, quandò ex abundantia deuotionis mens ità accenditur, vt cùm ſe ad Deũ poſtulatura conuerterit, præ amoris eius magnitudine, etiam petitionis ſuæ obliuiſcatur. Tertiò videndum eſt, an euagatio mentis in oratione, ſit peccatum. Pro quo notandum, quod dicit ſanctus Thomas in ſecunda ſecundæ, vbi ſuprà, quòd ſi quis ex propoſito mente euagetur, peccatum eſt, & impedit orationis fructum. Et addit in 4. diſtin. 15. præcipuè, ſi in alijs ſe occupat, quæ menté diſtrahunt, ſicut ſunt exteriora opera. Et ſi ad contrarium mens euagetur, etiam culpa mortalis erit. quod intelligendum eſt duobus modis, ſicut dominus Petrus de Palude, ponit in 4. diſtin.

Qñ vagatio mentis ſit peccatũ.

quæſt. 5.

Qñ vagatio ſit mortale.

15. Vno modo, de oratione, vt ſuo præcepto humano cadit: & tũc contingit, quandò aliquis ſcienter ſe occupat in actu exteriori, qui ſecum non compatitur attentionem orationis, tũc videtur eſſe culpa mortalis, & directè contra præceptum Eccleſiæ, quod habetur extrà de celeb. Miſſarũ, cap. Dolentes. vbi ità dicit Innocẽtius tertius, in Concilio generali: Diſtricte præcipimus in virtute obedientiæ, vt Diuinum officium, nocturnum pariter & diurnum, quantũ eis Deus dederit, ſtudioſè celebrẽt pariter & deuotè. Hoc autem præceptũ nõ obſeruant, qui occupantes ſe in actu exteriori, ſcienter ſibi attentionem ſubtrahũt. Tale opus quidem etiam ſi ſit bonum, cùm ſit incompaſſibile attentioni, dicitur contrarium non orationi, ſed attentioni. Secundo modo poteſt intelligi de oratione, vt cadit quodam modo ſub præcepto diuino, ſic quòd vbi etiam non eſt cõſenſus in opus, nec in delectationem, quia tunc etiam extra orationem eſſet peccatum mortale: ſed quandò ſolùm conſentit in cogitationem. Euagatio autem quæ fit præter propoſitum, orationis fructum non tollit. Vndè Baſilius dicit: Si verò debellatus à peccato, fixè nequis orare, quãtuncunq; potes, ipſum cohibeas, & Deus ignoſcet, eò quòd non ex negligentia, ſed ex fragilitate non potes, vt oportet, aſſiſtere coram eo. Verba autem iſta ſunt ſancti Thomæ in ſecunda ſecundæ vbi ſuprà. In quarto verò Sententiarum loquitur ſic: Si autem ſine hoc quòd percipiamus, mens ad alia euagetur, vel culpa caret, vel paruiſſima culpa eſt, niſi præcedens cogitatio, ex qua cõtingit euagatio talis, in culpa eſſe dicatur.

Quędã euagatio non tollit fructum orationis.

2. ſecundæ, q. 83. ar. 13. diſt. 15. q. 4. art. 2. q. 4.

Quarto notandum eſt, quòd licet ex infirmitate humana non poſſit quis habere cor multùm attentum orationibus, non tamẽ propter hoc tepeſcendum eſt ab oratione. Et hoc propter tria.

Propter tria non eſt ceſſandum ab oratiõe, etiam ſi nõ ſic poſſum⁹ eſſe intẽti.

1\. Primò, quia pauper licet non ſemper clamet, tamẽ ſola inſtantia corporis, diù ſedendo ad portam, mouet ad miſericordiam Dominum. Multò autem magis confidẽdum eſt de miſericordia altiſſimi, cuius miſericordiæ nõ eſt numerus.

2\. Secundò, quia ipſæ voces orationum, vt piè creditur, multam habent efficaciam, vt verba quæ incantant ſerpentes.

3\. Tertiò, quia, vt ſuprà dictum eſt, intentio, quę à principio adeſt ipſi orationi, reddit totam orationem meritoriam. Si verò quæratur, vtrùm teneatur repetere horas debitas ille, qui nõ cogitat in his quæ dicit? Poteſt reſponderi, vt dicit magiſter Humbertus ſuper regulam beati Auguſtini, quòd tanta poſſet eſſe cogitatio, & tam culpabilis ſecũdùm ſuprà notata, quòd teneretur, aliàs nõ, ſed ſufficeret de huiuſmodi confiteri. Iudicium verò iſtorum relinquendũ eſt intentioni, & rationi. Vel poteſt dici, quòd in nullo caſu, cùm quis dicit horas ore, teneretur repetere: quia obligatio non cadit niſi ſuper actum exteriorem.

Si quis teneatur horas repetere.

TRACTATVS LXXVIII.

De diſciplina obſeruanda in cantu, in qua tertiò conſiſtit doctrina pſallendi.

TErtium, quod pertinet ad doctrinam pſallendi, eſt cantũs diſciplina, quæ notatur in tertia authoritate inducta à ſancto patre de pſalmo centeſimo triceſimo ſeptimo: *In cõſpectu angelorum pſallam tibi.* Diſciplina autem cantũs conſiſtit in ſeptem.

Diſciplina cantũs in ſeptem.

1\. Primò, vt cantetur cum lætitia lætanter, cõtra eos qui ex quadã neceſſitate conuenientes ad pſallendũ, illic triſtitiã ſecum ferũt: & ideò minùs accepta eſt eorũ muſica Deo. Non enim concordat muſica cum luctu, nec benè ſedet cantus in triſti perſona. Pſallendum eſt ergò Domino cum lætitia, prout nos hortatur Propheta dicens: Et in pſalmis iubilemus ei. Eſt enim iubilus lætitia ſe exteriùs repræſentans.

Pſal. 94. Iubilus.

2\. Secũdò, pſallendum eſt diligenter, contra eos qui nõ ex religionis maturitate, ſed ex ſegnitie, pigrè & moroſè pronunciant pſalmodiam: cùm tamen dicatur cuilibet illud Eccleſiaſt. 31. In omnibus operibus tuis eſto velox, i. non piger. Si autẽ nõ ſunt digni ſtare corã regibus terrenis in aliquo ſeruitio, qui pigri ſunt, (quẽadmodum ex illo colligitur, quod dicitur Prou. 22. Vidiſti virũ velocẽ in opere ſuo? coram regibus ſtabit) quanto magis indigni ſunt ſtare corã rege cæli, & ſanctis angelis eius: quarè vt excitetur pigritia in pſallẽtibus, dicitur frequenter in Pſal. Pſallite Deo noſtro, pſallite, pſallite: ſicut aſin⁹ pigrè incedens, frequẽter pungitur, & ſæpenumerò ei dicitur: Vade, vade, vade: ad excitandum eius pigritiam.

Contra pſallẽtium ſegnitiem.

Pſal. 46.

3\. Tertiò, pſallendũ eſt vigilanter,

lanter, contra eos quidem, qui somnolenti siue graui depressi somno sunt in psallendo, quemadmodùm Bernardus de peruerso monacho dicit: Peruigil es ad fabulas, (Serm. 7.) somnolentus ad vigilias. Et super Cantica idem sic ait: Psallentibus dignanter admi- (Contra somnolẽtos.) sceri sancti angeli solent. Doleo proinde aliquos vestrûm graui in sacris vigilijs deprimi somno, nec cæli ciues revereri, sed in præsentia principum, tanquàm mortuos apparére, cùm vestra ipsi alacritate permoti, vestris interesse solennijs delectetur. Vereor ne vestram desidiam quandoq; abominantes, cum indignatione recedant, & incipiat vnusquisq; vestrûm serò cum gemitu (Psal. 87.) dicere Deo: Longè fecisti notos meos à me. &c. Eapropter attendite principes vestros, cùm statis ad orandum & psallendũ, & state cum reuerentia & disciplina. De qua vigilantia habenda in psalmodia dicitur in (Psal. 32.) psal. Benè psallite ei in vociferatione. Ille (Benè facere aliquam rem.) enim benè facit rem, qui diligenter facit eã: vociferare autem, non dormientis est, sed expergefacti. Ille ergò vociferando psallit, qui peruigil & diligens est in psallendo.

4. Quartò, psallendum est plene, contra fingentes se infirmos. Sunt enim quidam, qui quasi febres habentes, extendentes se, oscitãt frequẽter in choro, replentes os vento, cùm deberet esse plenum psalmo, iuxta illud (Psal. 70.) psalmi: Repleatur os meum laude. Vndè Bernard. de peruerso monacho dicit, quòd est potens ad potandum, æger ad cantandũ. quo contrà dicitur de Dauid psallenti corã arca 1. Paralip. 13. Porrò Dauid ludebat coram Domino omni virtute, in canticis, & citharis, & psalterijs. Qui enim omni virtute psallebat, non infirmum se simulabat.

5. Quintò, psallendum est altè, contra eos (Vide per totum varios defectus circa modũ psallendi.) qui intantùm timent se grauari in clamando, quòd ità submissè psallunt, quòd à simul stantibus vix audiri possunt: quo cõtrà dicitur in psal. Psallam nomini tuo al- (Psal. 9.) tissime. Et accipe altissimè, adverbialiter.

6. Sextò, psallendum est integrè, contra eos qui tantum de verbis psalmorum transiliunt, vel præscindunt, quòd vix reddunt (Psal. 60.) debitum: contra quod dicitur in psal. Sic psalmum dicam nòmini tuo, Domine, vt

7. reddam vota mea de die in diem. Septimò, psallendum est viriliter, cõtra eos qui adeò remissè confractis vocibus psallunt, quòd multoties videntur plùs mulieres, quàm vi- (Psal. 97.) ri: cõtra quos dicitur in psal. Psallite in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ. Ista autem instrumenta non habent sonum mol- (Dignissima doctrina de modo psallendi.) lem, sed fortè & virilem. Ex quibus omnibus patet, quòd ad cantãdum disciplinatè, siue modò debito, psallendum est cum lætitia, excitanda est pigritia, excutienda somnolentia, non simulanda infirmitas, non est timendum sine causa grauamen, plenè dicenda sunt, & viriliter decantanda. Vndè Dauid dictus est egregius Psalmista, 2. Regum 23. quia, sicut satis patet in prædictis, hæc omnia ad disciplinam cantũs pertinentia, in psalmodia seruanda, verbo docuit vel exemplo. Sic etiã beatus Bernardus docebat psallere filios suos, alloquens eos ità super Cantica: Moneo vos, dilectissimi (Serm. 47.) vt in diuinis laudibus Domino alacriter assistatis. Non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, nõ præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis & remissis vocibus muliebre quiddam balba de nare sonantes, sed virili (vt dignum est) & sonitu, & affectu, voces sancti spiritûs depromentes. De (Magna patrum obseruantia.) disciplina verò mirabili, quam aliqui sancti patres obseruabant, dicit Cassianus lib. 2. institutionum monachorum, sic: quòd (Cap. 10.) cùm prædictas solennitates, quas illi synaxes vocant, celebraturi conueniunt, tantũ à cunctis silentium præbetur, vt cùm in vnũ tam numerosa fratrum multitudo conueniat, præter illum, qui consurgens psalmũ decantat, in medio nullus hominum penitùs adesse credatur, ac præcipuè cùm consummatur oratio.

IN CAPVT XX.

TRACTATVS LXXIX.

De reuerentia orationis, vbi de quibusdam, quæ ad orationem maximè valent.

Data disciplina de doctrina psallendi, quæ maximè in hoc consistere videtur, quòd conformiter mente psallitur & voce: consequenter subdit doctrinam, qualiter orandum sit, dicens: *Si, cùm hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus, nisi cum humilitate & reuerentia: quanto magis Domino Deo vniuersorum, cum omni humilitate & puritatis deuotione, supplicandum est? & non in multiloquio, sed in puritate cordis, & compunctione lachrymarum, nos exaudiri sciamus.* In quibus verbis sanctus pa- (Quinque ad orationem pertinentia.) ter dans doctrinam orandi, ponit quinque pertinere ad orationem. Primum est, quòd (1.) sit humilis oratio: multùm enim valet humilitas ad orationem. Vndè super illud Iob 1. In terram corruit, dicit Gregor. in Mora- (Lib. 1. ca. 4.) libus: Ille veram Deo orationem exhibet, qui semetipsum, quia puluis sit, humiliter videt: qui nihil virtutis sibi tribuit, qui bona, quæ agit, esse de misericordia conditoris cognoscit. Isaiæ vltimo: Ad quem respiciam, nisi ad pauperem & cõtritum spiritu? Item Ecclesiastici 35. Oratio humilitantis se, nubes penetrabit. Psal. Respexit in (Psal. 101.) orationem humilium: & non spreuit precem eorũ. Iudith nono: Humilium & mansuetorum semper placuit tibi deprecatio.

Hu-

Exempla, quantùm Deo placeat humilitas in oratione.

Humilitate obtinuit Chananæa à Christo quod voluit, catello se cóparans, cùm Christus eam cani comparásset. Matth. 15. & Marci 7. habetur, quód Christus ei dixit: Propter hunc sermonem exiuit dæmoniū de filia tua. Et Matth. 8. post illud humilitatis verbum Centurionis, Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meū: dictum est ei à Christo: Sicut credidisti, fiat tibi. Item Lucæ 15. postquàm filius prodigus dixit, Non sum dignus vocari filius tuus: pater occurrens cecidit super collū eius.

2\. Secundò, valet ad orationem puritas cordis. Augustinus: Mūda cubiculum cordis, intùs est, qui exaudiat. Et super illud psal. Iniquitatem si adspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. dicit Glo. Puritas orationis auditur. Itē Iob 11. Si iniquitatem quæ est in manu tua, abstuleris à te, & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia, tūc leuare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis, & nō timebis. Et econtrariò dicitur Isaię primo: Cùm extēderitis manus vestras, auertā oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiā. manus enim vestræ plenæ sunt sanguine. Gregor. Cùm is qui displicet, ad intercedendum mittitur, animus iudicis ad deteriora prouocatur. Quarè beatus Isidorus ait libro de summo bono: Purgandus est primùm animus, & à temporalium rerum cogitationibus segregādus, vt pura acies cordis ad Deum verè & simpliciter dirigatur. Vbi notandum venit, ꝙ Cassianus colla. 9. ex verbis Abbatis Isaac, dicit: Vt ea puritate qua debet emitti possit oratio, hæc sunt omnimodis obseruanda. Primùm solicitudo rerum carnaliū generaliter abscindenda est. Deindè nullius negocij causæ ve, nō solùm cura, sed ne memoria quidem penitùs admittenda. Detractiones, vaniloquia, seu multiloquia, scurrilitates quoq; similiter amputandæ: iræ præ omnibus, siue tristitiæ, perturbatio funditùs eruenda, cōcupiscentiæ carnales, atq; philargyriæ noxius fomes radicitùs euellendus. Et infrà: Quicquid ante orationis horam anima nostra conceperit, necessè est vt orātibus nobis per ingestionem recordationis occurrat, quamobrèm, quales orātes volumus inueniri, tales nos ante orationis tēpus præparare debemus.

Tract. 10. in Ioannē. Psal. 65. Par. 1. Past. curę. cap. 11. lib. 3. cap. 7. Cap. 3. Quæ faciāt ad puritatē orationis. Ibidèm.

3\. Tertiò, valet ad orationē feruor deuotionis. Multùm enim efficacē reddit orationē, magnitudo desiderij. Vnde Deuter. 4. dicitur: Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum, si tamē toto corde quæsieris. Item Hiere. 29. Cùm quæsieritis me in toto corde vestro, inueniar à vobis. Deuotio, medulla est holocaustorum. Psal. Holocausta medullata offeram tibi. Sine deuotione, holocausta sunt arida. Est autem deuotio feruor bonæ voluntatis, quem mens cohibere non valens, certis manifestat indicijs. Quantę autem efficaciæ & vtilitatis sit deuotionis feruor in oratione, ostendit Augustinus, dicens: Dignior sequitur effectus, quanto feruentior præcedit affectus. Et econtrà dicit Bernardus, tangens super Cātica tria impedimenta orationis: Timida oratio cælum non penetrat, quia restringit animū timor immoderatus, vt oratio non dicam non ascendere, sed nec procedere queat. Dicitur autem nimis timida oratio, cùm homo sic cogitat propriam indignationem, vt non conuertat oculos ad diuinam benignitatē. Oratio autem temeraria ascendit, sed resilit, resistitur enim ei: nec tantùm non obtinet gratiam, sed & meretur offensam. Dicitur autem oratio temeraria, quandò is, in cuius conscientia peccatum adhuc regnat, ambulat in magnis & mirabilibus super se, minùs solicitus pro periculo animæ suæ. Oratio tepida in ascensu languescit, & deficit, eò, quòd non habeat vigorem. Quæ verò fidelis & humilis & ferués fuerit, sine dubio cælum penetrabit.

Psal. 65. Deuotio quid sit. Serm. 4. de Quadrag. Tria impedimenta orationis. Oratio nimis timida. Temeraria. Tepida.

Quartò, valet ad orationem multùm compunctio lachrymarum. 4. 3. Reg. 8. Si quis cognouerit plagam cordis sui, & extenderit manus suas in domo hac, tu exaudies in cælo. Item Propheta sanctus psal. 5. Auribus percipe lachrymas meas. Lachrymæ violentæ sunt in precibus. Isa. 37. Audiui orationem tuam, & lachrymas tuas. Gregori⁹ in Moralibus: Veraciter orare, est amoris in compunctione gemitus, & non composita verba, resonare. Et Augustinus libro de ciuitate Dei: Quanto est quisque sanctior, & desiderij sancti plenior, tanto est eius in orando fletus vberior. De qua compunctionis vtilitate in oratione, beatus Isidorus dicit: Peccatorum recordatio mœrorem gignit: luctus verò mentem puriorem reddit. Et ideò cùm Deo assistimus, gemere, & flere debemus, reminiscentes quàm grauia sunt scelera quæ commisimus, & quàm dira inferni supplicia, quæ timemus. Vndè dicebat quidam, quòd latrones & trutanni docuerant eum orare. Latro quippe attendēs quid fecit, & quod sibi tormentum paratum sit, inter hæc duo cum multis lachrymis misericordiam petit: Trutanni verò, membra quæ in eis sana sunt, abscondunt, & quæ sunt miserabilia, improbissimè ostendunt, vt magnitudo miseriæ ad misericordiam excitet. Item Abbas Pastor videns mulieres in monumentis flentes, ait, quòd sic debet monachus facere, s. iugiter flere pro peccatis suis.

Compunctionis cōmendatio. lib. 33. cap. 27. lib. 3. de summo bono, cap. 7. Instructio ad orandū.

Quintò, oratio debet esse breuis. 5. Dicitur enim Matt. 6. Orātes aūt, nolite multū loq, sicut ethnici faciūt: putāt enim ꝙ in multiloquio suo exaudiantur. Qualiter autē hoc intelligendū sit,

com-

Quò intelligatur quòd oratio sit breuis, & quòd debeamus incessanter orare.

cõparatũ ad illud Lucæ 18. Oportet semper orare, & non deficere. & illud 1. ad Thess. 5. Sine intermissione orate: est notandum, quòd, vt ait sanctus Tho. in secunda secũdæ, q. 83. artic. 14. de oratione dupliciter loqui possumus: vno modo, secũdùm seipsam: alio modo, secundũ causam suam. Causa aũt orationis, est desideriũ charitatis, ex quo procedere debet: quod quidem in nobis debet esse cõtinuum, vel actu, vel virtute. Manet autem virtus huius desiderij in omnibus, quæ ex charitate facimus. Omnia autem debemus in gloriam Dei facere, vt dicitur 1. Cor. 10. & secundùm hoc oratio debet esse continua. Vndè August.

Epist. 121. cap. 9.

dixit ad Probam: In ipsa fide, & spe, & charitate continuato desiderio, semper oramus. Sed ipsa oratio, secundùm se cõsiderata, non potest esse assidua, quia oportet alijs operibus occupari: sed sicut dicit August.

Ibidem.

ibidem: Ideò per certa interualla horarum & temporum, etiã verbis rogamus Deum, vt illis rerum signis nosipsos admoneamus, quantumq; in hoc desiderio profecerimus, nobis ipsis innotescamus, & ad hoc agendum nosipsos acriùs excitemus. Vniuscuiusq; enim rei quantitas debet esse proportionata fini: sicut quantitas potionis sanitati. Vndè conueniens est, vt oratio tantùm duret, quãtùm est vtile ad excitandum interioris desiderij feruorẽ. Cùm verò hanc mẽsuram excedit, ità quòd sine tædio durare non potest, non est vlteriùs oratio protendenda. Vndè Aug. dicit ad Probam:

Quarè debeat breuis esse oratio.

Ibid. ca. 10.

Dicuntur fratres in Aegypto crebras quidẽ habere orationes, sed eas tñ breuissimas, & raptim quodammodò iaculatas: ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimùm necessaria est, per productiores moras euanescat, atq; hebetetur intẽtio. Ac per hoc etiã ipsi satis ostendunt, hanc intentionẽ, sicut non est obtundenda, si perdurare non potest, ità, si perdurauerit, non citò esse rumpendam. Et sicut hoc est attendendum in oratione singulari, per comparationem ad intentionem orantis, ità etiam in oratione communi, per comparationem ad populi deuotionem. Et Cassianus dicit libro secũ-

Cap. 10.

do institutionũ monachorum, quòd ideò sancti patres præcipiunt orationem celeri fine concludi, nè fortè, immorantibus nobis in ea, redundantia quædam sputi vel phlegmatis interrumpat nostræ orationis excessum. Et idcircò, dum adhuc feruet, velut è faucibus inimici velociter rapienda est: qui proculdubiò, cùm sit nobis semper

Orare in multiloquio.

infestus, tũc maximè assistit infestior, cùm contra se offerre nos preces Domino velle præuiderit, cogitationib⁹ seu diuersis humoribus excitatus, abducere mentem nostram à supplicationis intentione festinãs, & per hoc etiam tepefacere à cœpto feruore contendens: quamobrèm vtilius censet, breues quidem orationes, sed creberrimas, fieri: Illud quidem, vt frequentiùs Deum deprecantes, iugiter eidem cohærere possimus: hoc, vt insidiãtis diaboli iacula; quæ infligere nobis tũc præcipuè, cùm oramus, insistit, succincta breuitate vitemus. Sequitur: *Ideò breuis debet esse, & pura oratio, nisi fortè ex affectu inspirationis diuinæ gratiæ protendatur.* quasi diceret, instante tumultu distrahentium cogitationum, oratio debet abbreuiari, nisi ex affectu inspirationis diuinæ gratiæ protẽdatur. Vbi notandum est, quòd August. ad Probam dicit, vt habetur in Glo. Matth. 6. Nõ est hoc orare in multiloquio, si diutiùs oretur. Aliud est enim sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nã & de ipso Domino scriptũ est, quòd pernoctauerit in orãdo: & hoc, vt nobis præberet exemplum. Et posteà subdit August. Absit ab oratiõe multa locutio, sed nõ desit multa precatio, si feruens perseueret intentio: sic enim plùs gemitibus, quàm sermonibus agitur. Sequitur: *In conuentu tamen omninò breuietur oratio, & facto signo à Priore, oẽs pariter surgant.* Hoc autem non est accipiendum de oratione canonica, quæ certa habet capitula, versus, & psalmos: hæc enim nullo pacto abbreuianda est: sed accipiendum de oratione vniuscuiusq;, quã vnusquisque apud se orat cum toto conuentu: sicut in fine officij, religiosi prostrati, aut inclinati, soliti sunt facere orationem aliquam, vsque ad signum quod fit à Prælato. hanc orationem abbreuiandam dicit, vt facto signo omnes pariter surgant.

Cap. 10.

Lucæ 6.

Ibidem.

Oratio in conuentu breuianda, quæ sit.

IN CAPVT XXI.

TRACTATVS LXXX.

De Decanis eligendis, & eorum correctione.

DIsposita Abbatis ordinatione in superioribus; nũc de coadiutoribus eius, s. de Decanis, quales esse debeant, subiungit doctrinam. Et diuiditur hoc capitulum in duas partes. In prima parte ponit, quales eligẽdi sunt Decani. In secunda, qualiter corrigendi, si repræhensibiles, & errare inueniantur. Secunda ibi: *Quòd si quis ex eis* &c. In prima dicit sic: *Si maior fuerit congregatio*, quæ iudicio quorundam, quorum sentẽtia nobis placet, dicitur, quæ ad minus triginta fratrum est, vt etiam ex ipsa serie textûs colligi potest, *eligantur ex ipsis* de gremio. s. cõgregationis, quia de illis habetur plenior notitia, si digni aptiq; sint tali officio, *fratres boni testimonij.* Vnde Actuũ 6. dicũt Apostoli: Considerate, fratres, viros ex vobis boni testimonij, plenos spiritu sancto & sapi-

Maior congregatio.

ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus. *& ſancta conuerſationis*, vt ſanctitatis exemplo alijs luceant, *& conſtituantur Decani.* Decanus autem dicitur, qui præeſt decem hominibus: & dicitur à deca, quod eſt decem. *qui ſolicitudinem gerant ſuper decanias ſuas, in omnibus ſecundum mandata Dei, & præcepta abbatis ſui.* Benè autem vtrunque poſuit. Nè enim præcepta abbatis, Dei mandatis præponat, ait in primis: *ſecundum mandata Dei.* Obedire enim oportet Deo plùs quàm hominibus, Actuum 4. Nè autem Decanus ſibi vſurpet, quaſi propria authoritate vtens prælationis imperio, tanquàm exutus ab abbatis obedientia, ſubiungit, *ſecundum præcepta Abbatis.* Fuit etiam neceſſariò hoc addendum, quia multa diſponenda in monaſterio occurrunt, quorum diſpenſationis doctrina non habetur expreſſè in mandatis Dei, ſed ex Abbatis diſcretione & arbitrio pendet. Sequitur: *Qui Decani tales eligantur, in quibus ſecurus Abbas partiatur onera ſua*: Lucæ 12. Fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam. Benè dicit, *partiatur onera ſua*: & non honores, quia aliorum ſolicitudinem gerere, plus habet oneris, quàm honoris. *& non eligantur per ordinem*, ſecundùm tẽpus ingreſsûs in religionem, *ſed ſecundum vitæ meritum, & ſapientiæ doctrinam.* ſecundùm illud Exod. 18. dictum Moyſi: Prouide autem de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis tribunos & decanos. In cap. etiam Innouamus. diſt. lx. dicitur, vt illis, qui prudentia & merito vitæ clareſcunt, huiuſmodi concedantur honores. Sequitur ſecunda pars capituli, vbi de correctione agitur delinquentium Decanorum. Vbi ſic dicit ſanctus pater Benedictus: *Quòd ſi quis ex eis, aliqua fortè inflatus ſuperbia, repertus fuerit reprehenſibilis.* Textus ſic eſt ordinãdus ſiue legendus: Si quis ex eis repertus fuerit reprehenſibilis, & ſemel ac iterùm, atque tertiò correptus, inflatus ſuperbia, ſe emendare noluerit, deijciatur, & alter in loco eius, qui dignus eſt, ſubrogetur. Et ſequitur: *Et de Præpoſito eadem conſtituimus.* Verùm dicunt aliqui gloſſatores, quòd hoc excepto, ꝙ Præpoſitus antequàm deijciatur, ſi reprehenſibilis inueniatur, quater commonendus, ſiue corrigendus venit, & quinto loco eijciendus venit: Decanus tantùm ter corripitur, & quarto loco eijcitur.

[Margin: Decanus. — Nota prælationis onus. — Quandò Præpoſitus deponẽdus videatur.]

IN CAPVT XXII.

TRACTATVS LXXXI.

Quomodò monachi dormiant: & de his, quæ pertinent ad religioſam dormitionem.

Singuli per ſingula &c. Quoniam de potioribus curis, quæ Abbati & Prælatis religionis incumbunt, eſt cura & ſolicitudo, quibus locis & horis monachi pauſare habeãt: meritò poſt Decanorum inſtitutionẽ, ſanctus pater ſubiungit doctrinam, qualiter fratres habeant dormire. Vbi ſanctus pater in ſumma ſeptem mandata, circa fratrum dormitionem, ad maiorem caſtitatis cuſtodiam, obſeruanda ponit. Primum eſt, *Singuli per ſingula lecta dormiant.* id eſt, quòd ſingulariter monachi dormiant. *Lectiſternia autem* id eſt, loca, vel locellos, in quibus lecti ſternendi ſunt, *pro modo conuerſationis*, id eſt, vitæ, antiquitatis, debilitatis, aut neceſſitatis, ſeu alterius cauſæ, & hoc tamen *ſecundùm diſpoſitionem Abbatis ſui accipiant.* 1.

[Margin: Septẽ circa dormitionem, ad caſtitatis cuſtodiam.]

Secundum mandatũ eſt, *Si poteſt fieri, omnes* id eſt, ſi amplitudo loci permittit, *in vno loco dormiant.* vt omnes ad inuicẽm teſtes & cuſtodes ſint caſtitatis, & honeſtatis. Dicitur enim Eccleſiaſtici 17. Vnicuique mandauit de proximo ſuo, ſcilicet cuſtodiendo. Et beatus Auguſtinus inquit in regula: Inuicèm veſtram pudicitiã cuſtodite. Hinc colligi poteſt, contra regulã beati patris Benedicti eſſe, quòd monachi dormiant per cellas, ſinguli ſeparati. 2.

[Margin: Cap. 12.]

Tertium mandatum eſt, vt inter monachos, in vno loco dormientes, ſint aliqui ſeniores probatæ conuerſationis, qui ſolicitè vigilare habeant ſuper alios. Vndè ait: *Si autem multitudo non ſinit*, ſ. vt omnes in vno loco dormiant, *deni aut viceni cum ſenioribus, qui ſuper eos ſolicitiſint, pauſent.* vt adimpleatur illud Iſa. 43. Super muros tuos, Ieruſalem, conſtitui cuſtodes, ſcilicet prælatos & ſeniores. 3.

Quartum mandatum eſt, *vt candela* ſiue lampas, *iugiter* id eſt, perſeueranter, *in eadem cella ardeat vſq; manè*: aut plures, ſi loci, vbi dormiendum eſt, amplitudo requirat. 4.

Quintum eſt, vt monachi *veſtiti dormiant, & cincti cingulis aut funibus, & cultellos ad latus non habeant, dum dormiunt, ne fortè per ſomnium vulnerentur dormientes*: Cauſam autem, quarè veſtiti debeant, & præcincti dormire, ſubiungit, dicens, *vt ſcilicet parati ſint monachi ſemper, & facto ſigno, abſque mora ſurgentes, feſtinent inuicèm ſe præuenire ad opus Dei, cum omni tamen grauitate & modeſtia.* Vtrùm autem monachi dormire habeant veſtiti ſolis tunicis, aut etiam cucullis, non explicat in hoc loco: in qua re credimus ſtandum eſſe antiquæ conſuetudini patrum Ordinis, vt dicetur infrà circa capitulum quinquageſimumquintum regulæ. 5.

[Margin: Quomodò veſtiti dormiant monachi.]

Sextum mandatum eſt, *vt adoleſcentiores fratres iuxta ſe non habeant lectos, ſed permixtim cum ſenioribus.* Cuiuſmodi ſuprà deſcripti ſunt, videlicet ſenectute maturitatis, diſcretionis, morum, & religionis, vt ab illis adoleſcentes honeſtatem addiſcant & grauitatem, & illorum 6.

reprænsionem timentes, vt vigilantiores sint ad custodiam religionis. Ait enim Bernardus: Securus accedit tentator, vbi
7. non timetur reprehensor. Septimum est, nè propter grauitatem somni aliquis prætendat excusationem de surgendo: *Surgentes verò ad opus Dei, inuicem se moderatè cohortentur, propter somnolentorum excusationes.* hoc tamen honestè faciendum est, aut sonitu oris, aut pedis in terra, aut tactu lecti, absque eo tamen quòd dormiens tangatur. Circa hoc capitulum, pro pleniori doctrina, & informatione discipuli circa ordinationem dormitionis, notandum est, decem

Decem pertinentia ad ordinatè dormiendum.

1. pertinere ad ordinatè dormiendum. Primum est, vt discipulus in statu periculoso, putà in statu peccati mortalis, non obdormiat. Non enim securum est, immò valdè periculosum, dormire sub potestate diaboli, cuiusmodi est, qui dormit in peccato mortali. Vndè super illud psalmi, Immissiones per angelos malos: dicit Augustinus: In malis potest diabolus, sicut in suo pecore, nisi prohibeatur à maiore. Quarè sicut, vbi abundant latrones, homines domos suas scrutantur, antequàm lectum intrent, ne latrones ibi lateant: sic discipulus deuotus, domum conscientiæ suæ perscrutari debet, antequàm dormiat, nè latro infernalis ibi lateat: quem si reperire contingat, statim clamore pœnitentiæ fugere compellat. sic enim faciens, securus dormiet. Prouerbiorum tertio: Custodi legem meam atque consilium. sequitur, Si dormieris, non timebis: quiesces, & somnus tuus erit suauis. Et Iob vndecimo: Securus dormiens requiesces, & non erit

In psal. 77.

Notanda plurimùm doctrina.

2. qui te exterreat. Secundum est, oratione dormitationem præueniat, vt euigilet super eum misericordia Domini, & omnes insidias inimici procul ab eius dormitationis loco repellens, clementer protegat & custodiat. Bernardus: Ruminantem psalmos somnus te occupet. Et in Glo. 1. Esdræ dicitur: Completis diei operibus, non antè debemus somnum oculis capere, quàm locum Domino in nobis orationum instantia confecremus, iuxta illud psalmi: Dirigatur oratio mea, sicut incensum in

Psal. 140.

3. conspectu tuo, Domine. Tertium est, vt signo crucis se primò contra diaboli tentationes muniat. Hieronymus epistola octaua: Crebrò signaculo crucis munias frontem tuam, ne exterminator Aegypti in te locum reperiat, sed primogenita, quæ apud Aegyptios pereunt, in tua mente saluentur.

Ad Demetria.

4. Quartum est, vt bonis meditationibus plenus vadat dormitum. Bernardus ad fratres de monte Dei: Iturus ad somnum, semper aliquid defer tecum in memoria, vel cogitatione, in quo placidè dormias, quod nonnunquã etiam somnia-re iuuet. Et sequitur: Sic tibi nox sicut dies illuminabitur, & nox illuminatio tua erit in delicijs tuis: Placidè obdormies, in pace quiesces, facilè vigilabis: & surgens, facilis & agilis eris ad redeundum in id, vndè non totus discessisti. Vndè de Origene ait Hieronymus in quadam epistola, eidem nunquàm venisse somnum, nisi vnus ex fratribus sacris literis personaret. Et sic dormienti erit somnus delectabilis, quoniam aliquandò fiunt somnia secundùm qualitatem eorum, de quibus cogitauit somnians: prout ait Gregorius in Moralibus, super illud Iob, Terrebis me super somnia. ità dicens: Somnia contingunt vel ventris plenitudine, vel inanitate, vel illusione, vel cogitatione & illusione simul, vel reuelatione, vel cogitatione & reuelatione simul, prout ibidem exemplificat de omnibus. Ad cogitationes autem sanctiores, somnia meliora & placidiora sequuntur: vt Aristoteles ponit primo Ethicorum, quòd meliora phantasmata sunt virtuosorum hominum, quàm aliorum quorumcunque. Quintum est, vt

Psal. 138.

Epist. 11.

Dignum exemplum de Origene.

Lib. 8. c. 12.

De causis somniorũ.

Cap. 14.

5. non quærat lecti mollitiem. Saluator enim in passione sua lectum durum habuit, scilicet lignum crucis. Vndè illi, qui exemplo & amore eius crucem claustralis pœnitentiæ ascendit, durities lecti magis, quàm mollities, congruit. Augustinus: Lectum suum dimisit Christus discipulis suis. Idem: Moriatur in cruce, qui vult crucifixum placatum videre. Sextum est, vt nu-

6. dus non iaceat, sed vestitus, vt parùm antè sanctus pater Benedictus instituit: tum vt paratior sit ac expeditior ad surgendum ad orationem, tum vt surgendo minùs tristetur, & minùs molestè patiatur. Ecclesiastici trigesimo secundo: Hora surgendi non te contristet. tum vt minorem habeat potestatem ac facilitatem circunducendi manus suas, hac & illac in corpore suo nu-

Quarè dormiant vestiti.

7. do. Septimum est, vt membris compositus, & non brutaliter, iaceat. Bernardus: Cùm ad stratũ * lapsus deueneris, te honestissimè iacendo componas. Nec supinus iaceas, nec genua leuando calcaneos iungas ad tibias. Octauum, vt quietus dor-

* lassus

8. miat, nè per eum aliquis inquietetur, siue orans, siue dormiens. Vnde Bernardus, si quem religiosum siue duriùs stertentem, siue minùs compositè iacentem videret, vix patienter ferre poterat, sed seculariter dormire causabatur. Verùm ad habendum somnum tenuem duo iuuant, scilicet sobrietas in sumendo cibum, & custodia sensuum. Nam vt idem Bernardus ait: Sobrium cibum, sobriumque sensum, sobrius somnus sequitur. Nonum est, vt

Exẽplum.

Lib. 4. vitæ D. Bernar. cap. 4.

Duo iuuãt ad leuitatẽ somni.

Ad fratres de monte Dei.

9. non sit somnolentus, id est, nimium somno deditus, sicut suprà beatus Benedi-

ctus

ctus circa instrumentum 38. disposuit. Bernardus ad fratres de monte Dei: Caue serue Dei, quantùm potes, ne totus aliquandò dormias, nè sit somnus tuus, non requies lassi, sed sepultura corporis suffocati: non reparatio, sed extinctio spiritûs tui. Suspecta res est somnus, & ex magna parte ebrietati similis. Nihil temporis tam deperit de vita nostra, quàm quod somno deputatur.

Contra somnolẽtos.

Aduertere debet discipulus, quod dicit Hieronymus super Prophetam Nahum, quòd diaboli studiũ est, vigilantes animas consopire.

In cap. 3.

Vndè in passione Domini Apostolorum oculos graui somno deprimit, quos Saluator suscitans ait, Vigilate & orate.

Matth. 26.
Exẽplum.

In Vitis patrum legitur de abbate Daniele, quòd tota nocte vigilabat, & quandò volebat circa manè propter naturam dormire, dicebat somno: Veni serue male: & surripiebat pauxillum

10. somni sedendo, & statim surgebat. Decimum est, vt non pigrescat in lecto, secundùm quod de pigro dicitur Prouerbiorum vigesimosexto: Sicut ostium vertitur in cardine suo, ità piger in lectulo suo. Sed promptissimus sit ad surgendum, & ad vigilias, & ad persoluendas diuinas laudes, ad custodiam sacrarum literarum, ad vacandum orationi & meditationi.

Ser. 7. ver. 7.
Pulchræ authoritates de vigilijs.

Ambrosius super Beati immaculati: Si studentes doctrinis secularibus, perparùm somno indulgent: quanto magis, qui Deum cupiunt cognoscere, non debent somno corporis impediri, nisi quantùm naturæ satis est? Non ergò totis noctibus dormiamus, sed maximam partem earum lectioni & orationibus deputemus.

Epist. 22. ad Eusto. de seruan. vir.

Item Hieronymus in epistola octuagesima quarta: Noctibus bis terque surgendum, reuoluenda quæ de scripturis memoriter retinemus. Iob 8. Si diluculo surrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus, statim euigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum tuum.

Quid primùm faciamus euigilantes.

Debet autem monachus, quotiescunquè euigilauerit in psal. maximè ilicò Deo gratiarum actiones agere, quia ipse est qui vigilat super nos quandò dormimus, custodiens nos à leonibus rugientibus præparatis ad escam.

IN CAPVT XXIII.

TRACTATVS LXXXII.

De excómunicatione delinquentium, & quòd amanda sit correctio.

POstquàm superiùs beatus pater Benedictus posuit legem, & instituit Prælatos: nunc ordine congruo agit de pœnis & purgatione delinquentium, dicens: *Si quis frater contumax*, &c. Vbi sex casus ponit, in quibus adhibenda est excommunicationis medela.

Sex casus in quibus adhibenda est excommunicatio.

1. Primus est, *Si fuerit contumax*, hic dicitur ab eo, quòd contemnat facere quod ei imperatum fuerit. Et ideò omnis contumax est inobediens, non autem econuersò: quia inobediens potest esse etiam ille, qui suscipit verbum iubentis, sed pro aliqua occasione, aut ex parte non fecit, aut omninò nihil. Contumax verò non suscipit verbum iubentis, sed nè faciat, in ipsa fronte publicè contradicit, & contemnit iubentis imperium.

Inobediens & contumax differunt.

2. Secundus est, si fuerit *aut inobediens*, id est, non adimplens mandatum superioris.

3. Tertius autem, si fuerit *superbus*, id est, elatus, supra seipsum eleuatus, qui elato, & non humili animo suscipit superioris mandata.

4. Quartus est, *aut si fuerit murmurans*.

5. Quintus est, aut si fuerit *vel in aliquo contrarius existens sanctæ regulæ & præceptis* per aliquod scilicet malum opus, quod sanctæ regulæ institutioni repugnet, & aduersetur.

6. Sextus est, si *seniorum suorum* scilicet, salubriter monentium, siue exhortantium ad bonum, *contemptor repertus fuerit*. Sequitur: *hic secundùm Domini nostri præceptum admoneatur semel & secundò secretò à senioribus suis. Si non emendauerit, obiurgetur publicè coram omnibus. Si verò neque sic correxerit, si intelligit qualis pœna sit*, scilicet excommunicato, id est, quanta confusio sit, à consortio fratrum sequestrari, *excommunicationi subiaceat*. id est, sequestrationi à consortio fratrum, secundùm mensuram delicti: prout dicetur in sequenti capitulo. *Si autem improbus est*, id est, inuerecundus, qui nulla increpatione emendatur, nulla verecundia flectitur, sed impetum cordis sui sequitur, *vindictæ corporali* puta, afflictioni ieiuniorum, aut verberum disciplinæ, *subdatur*. Hæc sancti patris doctrina, tracta est ex illa Matthæi decimooctauo, vbi Dominus ait: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum: Si te audierit, lucratus es fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum vnum vel duos. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ &c. vt, sicut dicit Hieronymus in Glo. detestationi eum habeant: & qui non potuit pudore saluari, saluetur opprobrijs: & vt rubore sequestrationis emendetur.

In cap. 18. Matth.

Et Chrysostomus super Matthæum docet, quòd in corrigendo ità procedendum sit: Primò, admonendus per amorem: Secundò, confundendus per pudorem: Tertiò, puniendus per rigorem.

Hom. 61.
Quomodò procedendum sit in corrigendo.

Et eundem ordinem docet Augustinus in regula sua, capitulo vigesimotertio. Est autem circa hoc notandum, quòd maximè ad discipulum huius scholæ pertinet, vt correctionem diligat, vt correctionem liben-

libenter suscipiat, & amplectatur. Multùm quippe amãda est correctio etiã ab eo qui est in seculo, sed multò ampliùs, qui scholam hanc diuini seruitij, siue sacræ religionis, professus est. Quadruplici ratione amanda est à quocunq; homine.

Amanda est correctio quadruplici ratione.

Prima est, quia corrigibilitas distinguit inter hominem malum & diabolum. Homo ma-
1. lus, dum est in hac vita mortali, susceptibilis est correctionis, diabolus non. Vndè incorrigibilitas multùm assimilat hominem diabolo, secundùm illud Ecclesiastici 21, Qui odit correptionem, vestigiũ est peccatoris. Sicut vestigium valdè simile est pedi, sic qui odit correctionẽ, valdè similis diabolo, qui antonomaticè dicitur Peccator.

Diabolus dicitur peccator.

2. Secunda ratio, quia correctio valdè congruit loco in quo sumus. In cęlo enim nõ habet locum correctio, cùm nulla ibi sit peccati corruptio: in inferno verò, nõ est possibilis correctio, licèt sit ibi multa peccati corruptio: sed in hac valle miseriæ, est & peccati corruptio, & possibilis est correctio. Ad hoc posuit Deus hominem in hoc loco, vt sub virga diuinæ disciplinæ viueret, & mala sua ibi corrigeret. Corrigibilitas est maximum bonum præsentis vitæ, vel de maximis: hoc bono amoto, bonum esset peccatori, si natus non fuisset. Melius esset ei, esse canem, vel bufonem,
3. quàm hominem. Tertia ratio est, quia

Figura.

correctio multũ est vtilis. Virga planè correctionis, fructifera est. Vndè significata est per virgam illã, quæ protulit flores & amygdala, Num. 17. Prouer. 27. Melior est manifesta correctio, quàm amor absconditus. Eiusdem 29. Virga atq; correctio, tri-
4. buit sapientiam. Quarta ratio est, quia defectus correctionis valde est noxius & periculosus: vbi deest correctio, abundat peccati corruptio. Vndè qui odit correctionem, amare videtur corruptionem. Prætereà, qui hîc non corrigitur, in futuro damnatur. Exo. 4. Proiecit Moyses virgam, & versa est in colubrum. Coluber occidit, virga non. Prouerbio. 24. Si percusseris eum virga, non morietur. Virga correctionis in colubrum vertitur, quia qui hîc non corrigitur, in futuro spiritibus infernalibus cruciabitur.

Figura, & notanda expositio.

Prouerbiorum 15. Qui increpationem odit, morietur. Ecclesiastici 19. Qui odit correctionem, minuetur vita: & vita naturæ, & vita gratiæ. Prouerbiorum 29. Viro qui corripientem se dura ceruice contemnit, repentinus superueniet interitus. Amor correctionis, signum est sapientiæ. Prouer. 9. Argue sapientem, & diliget te. Eccle. 10. Vir prudens & disciplinatus, non murmurabit correctus. Econtrariò, odium correctionis, signum est insipientiæ. Prou. 12. Qui odit increpationes, insipiens est. Insipiens correctionis gratiam reputat iniuriam & contumeliam: ideò volens ei vicem reddere, si potest, diffamat eum. Eiusdem 9. Qui arguit impium, sibi maculam generat. Specialiter amanda est correctio ab eo, qui est in religione: Religio enim, locus est correctionis. Ad hoc homo ingreditur eam, vt mala sua ibi corrigat.

Præcipuè amanda est correctio à religioso.

Incorrigibilitas est specialis causa, quarè aliquis est à religione expellendus, quandò scilicet culpas non timet committere, & pœnam recusat ferre.

Magna causa non perseuerãdi in religione.

Gratia valdè necessaria est ei, qui est in religione, ad hoc, quòd benè se habeat ad correctionem: quæ gratia si desit, frequenter est in perturbatione, nec in religione proficit, & vix ibi perseuerat. Ad amorem correctionis primò pertinet, vt claustralis ad locum correctionis libenter veniat: locus ille hostibus nostris est terribilis, dæmonibus s. & vitijs. Dæmones locum illum & metuunt, & odiunt. Quandò enim frater ea, quæ diabolus ei suggessit, humiliter ei, qui locũ Dei tenet, ostendit, & disciplinæ humiliter se subdit, diabolus tristatur, àc si ipse flagellaretur. Legitur secundo libro Dialogorum, quòd beatus Benedictus cùm quendam monachum, quem niger puerulus à loco orationis extrahebat, virga percussisset, antiquus hostis non ausus est dominari in eius cogitatione, àcsi ipse percussus fuisset ex verbere.

Cap. 4. Exẽplum.

Et sicut locus correctionis diabolo est exosus, sic spiritui sancto valdè est gratus: peccata enim ibi arguuntur, & remittuntur. Argutio verò, & remissio peccatorũ, ad spiritum pertinent. Ioan. 16. Arguet mundum de peccato. Libenter debet claustralis venire ad iudiciũ Capituli, ꝑ quod euasurus est districtum iudiciũ Dei: quod tamen multi non faciunt. Eccl. 22. Homo peccator, vitabit correctionẽ. Itẽ ad amorẽ correctionis pertinet, vt claustralis accusationem suî libẽs faciat: accusationem verò sui ab alio factam, patienter sustineat, & correctioni eius qui præest, acquiescat.

Maximè pertinens ad amorem correctionis.

Plùs debet odire mala sua, quàm mala alterius, & ampliùs ea persequi. Seruus Dei verè humilis, secundùm Bernardum, non vult humilis prædicari, sed vilis reputari: conscientiam magis amplectitur, quàm famam: plùs diligit bonitatis veritatẽ, quàm nomen.

Serm. 16. in Cant.

Et nõ solùm illum qui præest, sed etiam fratres, qui adsunt, reputat volentes & valentes infirmitatibus suis mederi, ad minus orando: ideò infirmitates suas eis libenter manifestat. Illos verò, qui eum accusant, reputat obsequentes, non persequentes, medicantes, nõ sagittantes: ideò non irascitur contra eos, immò patienter accusationem sustinet, quod valdè laudabile est. Augustinus ad Hieronymũ: Laudabilius est, libenter accipere corrigentem, quàm

Accusationem libenter sustinere, est laudabile.

quàm audacter corrigere deuiantem. Acquiescere corrigenti, signum est discretionis: nõ acquiescere verò, signum est stultitiæ & peruersitatis. Prouer. 17. Plùs proficit correctio apud prudentem, quàm centum plagæ apud stultum. Eiusdem 27. Si contuderis stultum in pila, quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia eius. Ecclesiastici 1. Peruersi difficilè corriguntur. Peruersus est, qui intellectu & affectu est corruptus.

Peruersus.

IN CAPVT XXIIII.

TRACTATVS LXXXIII.

De qualitate & modo excõicatiõis.

QVoniam sicut ad iustitiã pertinet malos punire, ità ad eãdem pertinet, qualitatem & mensurã ponere in punitione culparum delinquentiũ: Ideò sanctus pater Benedictus, designatis delictis pro quib⁹ quis puniendus est, subiungit ordinem, qui in punitione est obseruandus, dicens: *Secũdum modum culpæ excõmunicationis, vel disciplinæ, debet extendi mensura.* secundùm illud Deuter. 25. Pro mensura peccati, erit & plagarum modus. Sunt autem attendenda plura in punitione culparum, videlicet qualitas, i. species delicti, grauitas, causa, & persona. *Qui cul parum modus*, i. mensura, *in Abbatis pendeat iudicio.* Hoc autem pro eo dictũ est, quia mensura pœnarum pendet ex quãtitate culparum: iudicium autem & discretio quantitatis culparũ, cùm ex ipsa rei operatione, & personæ qualitate, alijsq; circunstantijs accipienda sit, non potest ad aliquã artem reduci, relinquitur iudicio Abbatis. vndè secũdùm quod habetur Leuit. 17. Sacerdotis est, iudicare inter lepram & lepram. iudicata autem per eum quãtitate culpæ, videlicet si leuis sit, aut grauis, & si grauis, quantùm grauis: regulam in modo puniendi seruabit, qui pœnas iã determinauit, quæ leuibus & quę grauibus culpis debeãtur: in qua re summè cauere debet Abbas, vt non iudicet leuem culpam grauem, aut ecõuersò, grauem leuem. Scriptũ est enim Isa. 5. Væ, qui dicit amarum dulce, & dulce amarum. Sequitur: *Si quis tamen frater in leuioribus culpis inuenitur, à mẽsa participatione priuetur.* Hic sanctus pater subiungit, quæ pœnæ sunt iniungendæ quibuscunq; culpis. Et primò, quæ pœna iniungenda sit leui culpæ, dicens: *Si quis frater in leuioribus culpis inuenitur*, iudicio s. Abbatis, *à communione mensæ priuetur.* i. cum alijs fratribus non reficiat. Leuiores culpæ, iudicio nostro, dicẽdæ sunt, transgressiones regulę, aut constitutionũ, quo ad ea, quæ nõ sunt de essentia religionis, nec ad actus pertineant virtutum, sed quæ ad cęremonias pertineãt: vt est fractio silẽtij, tardè venire ad chorum & refectorium, & similia. Aut sunt de numero corũ,

Plura attẽdenda circa punitionẽ.

Culpæ leuiores.

quæ de suo genere sunt leuia peccata, sicut est verbum ociosum, vaniloquium, risus immoderatus, & similia. Graues autẽ culpę sunt criminales, quæ sunt transgressiones regulæ, quo ad ea, quæ sunt legis diuinæ, aut de essentia: sicut pleniùs in superioribus, circa capitulum septimum huius operis, expositum est. Qualis autẽ sit excõmunicatio debita illis, qui in leuib⁹ culpis inueniuntur, consequenter exponit dicens: *Priuati* (Alia litera habet, *priuatis*, quę verior esse videtur) *autem à mensa consortio, ista erit ratio*, i. lex, *vt in oratorio psalmum, aut antiphonã non imponat, nec lectionem recitet, vsq; ad satisfactionem.* Vtrùm autem liceat Missam celebrare? Videtur quòd non, quia à maioribus videtur excludi, qui à minoribus prohibetur. *Refectionem autem cibi, post fratrum refectionem solus accipiat: vt si, verbi gratia, fratres reficiunt sexta hora, frater ille nona: si fratres nona, frater ille vespera, vsq; dum satisfactione congrua veniam consequatur.* Litera plana est.

Culpæ graues.

Vtrùm excommunicati pro leuioribus culpis, possint celebrare.

IN CAPVT XXV.

TRACTATVS LXXXIIII.

De grauioribus culpis: vbi de causis, propter quas timenda est excõmunicationis sententia.

POstquàm egit de illa excõmunicatione, quę minor appellatur, quæ in religione culpis leuiorib⁹ debetur: Nũc ordine congruo de pœna excõmunicationis maioris subiungit, quæ culpis grauioribus debetur, dicẽs: *Is autem frater, qui grauioris culpa noxa tenetur, suspendatur à mensa simul & ab oratorio: nullus ei fratrum in vllo iungatur cõsortio, nec in colloquio. Solus sit ad opus sibi iniunctum*, Grauis autẽ culpa hîc dicitur, secundùm quod ex superiori capitulo colligitur, pro criminali siue mortali: tũ quia sola talis, cùm mortẽ animę inferat, propriè dicitur noxa, à nocendo: tum quia pro sola tali, secũdùm canonicas sanctiones, quis maiori excommunicatione feriendus est. Vbi nota, ꝙ hæc doctrina beati Benedicti cõformis est illi Apostolicę, quæ 1. Cor. 5. traditur, dicẽte Apostolo: Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cũ huiusmodi nec cibũ sumere. Glo. nedùm orare: hoc tamẽ intelligendũ est, post iudiciũ Ecclesię. Sequitur: *perfistens in pœnitentia luctu, sciens illã terribilẽ Apostoli sententiam dicẽtis: traditũ huiusmodi hominẽ satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die iudicij*, quasi dicat: Meritò talis excõmunicatus persistere debet in pœnitẽtiæ luctu, & dolore ac timore magno, quoniam terribilis est excommunicationis sentẽtia, qua est innodatus. Vbi notandũ, quòd multæ rationes assignari possunt, propter quas multùm timẽda est discipu-

Grauis culpa.

Propter multas rationes timẽda est excõmunicatio.

1. lo excommunicatio. Prima est, quam hîc sanctus pater Benedictus ex authoritate Apostoli ducit, videlicet, quòd excômunicat' potestati traditur satanę. Sicut enim Ecclesia hæreticos conuictos relinquit seculari potestati, ità excômunicatos potestati satanę tradit. Aug. Omnis Christian', qui à sacerdotibus excommunicatur, satanæ traditur. quomodò? s. quia extra Ecclesiã diabolus est, sicut in Ecclesia Christus. Ac per hoc quasi diabolo traditur, qui ab ecclesiastica cômunione remouetur. Planè priuato homine suffragijs Ecclesiæ, nô dubium quòd datur diabolo maior potestas in ipsum, ad vexandũ eum spiritualiter & etiam corporaliter. Vndè in primitiua Ecclesia, quãdo oportebat per signa homines ad fidem inuitare, (sicut spiritus sanctus signo visibili manifestabatur) excômunicatio corporali dæmonis vexatione innotescebat. Secunda ratio est, quia excômuni-

11. q. 1. cap. omnis Christianus.

Excommunicatus datur diabolo

2. catio est ictus gladij spiritualis, qui multo magis timendus est, q̃ materialis. Vndè Augustin. dicit de illo qui excommunicatur, quòd grauius est illi, quàm si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subi-

lib. 1. contra aduer. legis & Prophet. cap. 17.

3. geretur. Tertia, quia excômunicatus est vt homo valdè infirmus, qui nullam medicinã potest habere. Est enim separatus à sacramẽtis Ecclesię, quę sunt medicamina spiritualia languentiũ animarũ: de quibus Ecclesiastici 38. dicitur: Vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones côficiet

4. sanitatis. Quarta, excommunicatus est vt homo captus ab hostib', omni auxilio destitutus: quia priuatus est à cômunione fidelium, nec habet potestatẽ in bonis, quæ fiunt ab Ecclesia: ipse enim similis illi est, qui cecidit in foueã, vel sub onere, nec habet subleuantẽ. Vndè sibi competit illud

5. Ecclesiastis 4. Væ soli, quia cùm ceciderit, non habet subleuantem. Quinta, quia excômunicatio est morbus contagiosus. Vndè excommunicatus à côsortio hominum eijcitur, queâdmodùm leprosi extra castra iubebantur expelli, Leui. 13. & Num. 5. Vndè queâdmodùm lepra multùm timetur, ità excômunicatio plurimùm timenda est,

Lepra animæ.

6. vtputà lepra animæ. Sexta, quia excômunicatus est sicut membrũ abscissum à corpore, quod nulli' valoris est. Quilibet autem homo Christianus membrum est corporis Christi, quod est Ecclesia, vt habetur 1. ad Cor. 12. Multùm autem timenda est separatio à tali corpore. Vndè Aug. Nihil sic debet formidare Christianus, quàm separari à corpore Christi: quia si separatur à corpore Christi, cùm iam non sit membrũ eius, non vegetatur spiritu eius. Septima,

11. q. 3. cap. Nihil.

7. quia excommunicatio est magna infamiæ & confusionis, quia excômunicatus est sicut infidelis habendus. Matt. 18. inquit Dominus de tali: Si Ecclesiã non audierit, sit tibi tãquàm ethnicus & publicanus. Octaua, quia excommnnicatus excluditur à regno cęlorũ, iuxta illud Matt. 18. Quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis. Vndè excômunicatio figurata est in eiectione primorum parentum de paradiso, secundùm Aug. super Gen. ad literam. 8.

Figura.

lib. 11. c. 40.

Secundò notandũ est, quòd licèt excommunicatio sit pœna grauissima, nihilominùs ad correctionem animæ, tanquàm medicinalis, inferẽda est: sicut Apostolus superioribus verbis manifestat, cùm ait: Iudicaui tradi huiusmodi hominẽ in interitũ carnis, i. in vexationem & afflictionẽ corporalem, vt spiritus saluus fiat in die iudicij. vbi dicit Glo. Nô amaritudine odij debet inferri excommunicationis pœna, sed ea intentione, vt repulsio hæc, ad reuocandum illum valeat in die Domini. i. si quãdò cor illius visitet Dominus, si quando ei luceat in corde Dominus. Et Aug. contra Parmenianũ lib. 3. Excommunicatio non interfectoriè percutit, sed medicinaliter vrit. Quod tamen ità accipiendũ est, prout extrà de sen. excô. in vj. habetur, vbi dicitur, quòd medicinalis est excômunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans: dũ tamẽ is, in quẽ lata fuerit, nô côtemnat.

ord. in 1. Cor. 5.

Quomodò & qualiter inferẽda sit excommunicatio.

Cap. 2.

c. Cùm medicinalis.

IN CAPVT XXVI.

TRACTATVS LXXXV.

De vitandis excommunicatis.

POstquàm de pœna excômunicatorum egit, nunc consequenter subiũgit de pœna communicantium, siue participantium cum excommunicatis, dicens: *Si quis frater præsumpserit, sine iussione Abbatis, fratri excômunicato quolibet modo se iungere, aut loqui cũ eo, vel mandatum ei dirigere: similem sortiatur excommunicationis vindictam.* Vbi notandum, quòd sanctus pater nô loquitur hoc loco de illicita illa participatione, qua quis participat cum excommunicato eodẽ crimine, propter quod est excômunicatus, s. dando ei consiliũ, auxiliũ, vel fauorẽ: quia talis participans, ipso facto, secundũ iura, incurrit eandẽ sententiam, secundùm quod habetur in cap. Nuper. extrà de senten. excom. sed loquitur de participatione in loquẽdo, vel comedendo, vel secũ orando: quę cùm sit contra prohibitionem manifestã superioris, tãquàm peccatũ mortale, inter grauiores culpas cônumeratur, & per côsequens simili vindicta venit ferienda. Ideò sanctus pater ait, quòd *similem sortiatur excommunicationis vindictam.* Est autẽ hîc notandũ, quòd multiplici de causa cauendum est cômunicare cum excômunicatis. Prima est, quia cômunicãs excommunicatis, peccat in se, cùm nô sibi cauet ab eo qui morbũ habet côtagiosum. 1.

Notanda distinctio.

Cauendum est à participatione excommunicatorum, multiplici de causa.

Secun-

2. Secundò, peccat in eum cui communicat, quia ipse cùm infirmus fit ad mortem, aufert ei remedium, vel minùs efficax reddit, dum cõfusionem ipsius minuit, per quam corrigi debuit. Ecclesiastici 4. Est cõfusio adducẽs gloriam. Psal. Imple facies eorum ignominia, & quęrent nomen tuũ, Domine. Psal. 82.
3. Tertiò, peccat in Ecclesiam, siue congregationẽ, quam malo exemplo corrũpit, & cuius societati præponit societatẽ eorũ, qui sunt leprosi habendi, immò qui sunt sicut canes & porci. Ecclesiastici 13. Quæ communicatio sancti ad canem?
4. Quartò, peccat in patrem spiritualem monasterij, cuius sententiã contemnit.
5. Quintò, peccat in Deũ, quem in ministro suo spernit. Luc. 10. Qui vos spernit, me spernit.

IN CAPVT XXVII.

TRACTATVS LXXXVI.

De solicitudine, quam debent habere Prælati circa excommunicatos, & delinquentes, nè pereant.

DAto ordine pœnarum contra transgressores & delinquentes, quia pœnæ, vtpote medicinæ quædam, ad medendũ & sanandum ordinatæ sunt: summa vigilantia curandũ est, nè ægroti talibus pœnis pereãt, sed sanẽtur. Ideò sanctus pater subdit doctrinam, qualiter Abbas circa ipsos delinquentes se debeat habere, dicens: *Omni solicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes fratres:* Sensus est: Etsi Abbas, vtputà pastor & pater totius congregationis, curã debeat habere de omni grege suo, ac vniuersa cõgregatione, potissimè tamẽ omni solicitudine, omni sagacitate, ac prouidentia, debet curam gerere circa delinquentes, qui infirmi sunt moribus. Et ad hoc inducit quinq; rationes. Prima est, quia tales magis indigent: & hoc tangitur cùm ait, *quia nõ est opus sanis medicus, sed malè habẽtibus.* Matth. 9. *Et ideò* inter alias solicitudines siue curas *vti debet omni modo, vt sapiens medicus, immittere quasi occultos consolatores,* quia licèt cum licentia Abbatis vadant visitaturi infirmum, & malè habentẽ, tamen non debent ostẽdere se ab Abbate missos ad hoc, sed quòd illi, cõpassione illius moti, licentiã postulârunt, cupientes illi loqui, videlicet *senipetas, i. seniores sapientes fratres, qui quasi secretè consolentur fratrẽ fluctuantem: secretè* dicit, quia, vt dictum est, ità prudenter erga illum se debent habere, vt non videantur ad hoc specialiter ab Abbate missi: nè fortè frater nimis de misericordia præsumẽs, in sua duritia perseueret. Sequitur: *& prouocent eum ad humilitatis satisfactionem: & consolentur eum, nè abundantiori tristitia absorbeatur:* hoc est, quod hortatur etiam Apostolus 2. Cor. 2. Cõsolamini eũ, s. vt ait Glo. per exemplũ Dauid, qui multùm peccauit, & aliorũ, quibus indulta est venia. Et per verba Domini, per prophetã dicentis: Nolo mortem peccatoris, sed vt magis cõuertatur & viuat. Item quacunq; hora ingemuerit peccator, omniũ iniquitatum eius non recordabor. Sequitur in Apostolo: *Nè fortè abundantiori tristitia.* i. vt dicit Glo. per nimiã asperam pœnitentiam desperans, *absorbeatur:* à diabolo, & velit vti seculo, hoc enim est absorberi, (vt dicit Ambros. in Glo.) s. desperantẽ de se, conuerti ad admittẽda peccata. Vbi notãdum, quòd ex defectu huiusmodi cõsolationis, multa mala solent accidere in subditis. Interdũ enim per hoc ducũt vitã in amaritudine. Thren. 1. Idcircò ego plorãs, & oculus meus deducens aquam, quia longè à me factus est consolator. Interdùm dimittunt bona consueta. Thren. 1. Deposita est vehementer, non habens consolatorem, quod fit, quandò anima propter defectum consolationis cadit à bonis, quæ faciebat antè. Interdùm facit vacillare circa statum suum immutandum. Et ideò econuersò dicitur Act. 15. Iudas & Silas, cùm essent prophetæ, consolati sunt fratres, & confirmauerunt. præponitur consolatio confirmationi, quia consolatio confirmat. Interdùm facit deficere in labore, propter quod Dominus dedit mãna laborãtibus in deserto, nè deficerent. Et ideò dicit Apostolus ad Phil. 4. Omnia possum in eo, qui me cõfortat. Interdùm facit cadere in desperationẽ: sicut patet ex verbo beati patris, quod traxit ex Apostolo, 2. Cor. 2. Cõsolamini eum qui huiusmodi est, nè fortè abundantiori tristitia absorbeatur. Interdùm facit cõcipere cõtra prælatũ rebelliones, & alia huiusmodi. Exemplũ 3. Reg. 12. de Roboam, à quo recessit Israel, quia non est ei locutus leuia iuxta consilia senum, sed dura iuxta consilia iuuenũ. Quia ergò tot mala sequũtur ex defectu cõsolationis subditis, optimè sanctus pater instituit, vt prelatus consolationibus subditorum, & maximè malè habentiũ, operam dare omni solicitudine curet. Sequitur: *Sed & sicut ait idẽ Apostolus, cõfirmetur in eo charitas,* i. cõfirmetis eũ consolando eadẽ charitate, quã habuistis in corrigẽdo, *& oretur pro eo ab omnibus.* i. quilibet apud se charitatis gratia, oret Deum pro illo, nè desperatione pereat, dum se à fratrũ consortio viderit separatum. Sequitur: *Magnoperè enim debet solicitudinem gerere Abbas, & omni sagacitate ac industria curare, nè aliquam de ouibus sibi creditis perdat.* Hic ponitur secunda causa, propter quam Abbas debet multùm solicitus esse circa subditos delinquentes, scilicet propter vitãdum periculũ ouium: quia

Marginalia: Debẽt prælati soliciti esse circa peccatores, propter quinque. — 1. — Consolationes peccatoris, vt cõsolentur eum, nè abundantiori ... — Interl. in 2. Cor. 2. — Ezech. 18. & 33. — Interl. ibid. Absorberi spirituali. ter. — in 2. Cor. 2. — Multa mala ex defectu consolatoris eueniunt cõstituto in peccatis. — Exẽplum. — Notent prælati. — 2.

quia nisi solicitè pastor curā gerat de oui-
bus, oues ipsæ peribunt, & ipse per conse-
quens, qui in die iudicij ipsarum ouium,
quæ sibi creditæ sunt, redditurus est Do-
mino rationem, vt sanctus pater posuit in
superioribus, in capitulo tertio regulæ.
Sequitur: *Nouerit enim se infirmarum curam sus-*
3. *cepisse animarum, non super sanas tyrannidem.* Hic
ponitur tertia ratio, propter quam Abbas
debeat cum omni solicitudine curam pie-
tatis gerere de delinquentibus, quia scilicet
hoc spectat ad officium suum: quia cura
infirmantium ouium est sibi credita, non
super sanas dominium exercere tyranni-
cum, videlicet seueritatem, aut crudelita-
tem. Vndè Bernardus: Onus est animarum
Epist. 71. infirmantium. Nam quæ sanæ sunt, porta-
ri non indigent. Quoscunque ergò de tuis
Ad Prælatos. inueneris tristes, pusillanimes, & murmu-
riosos, ipsorum te patrem, ipsorum te nō-
ueris esse Abbatem: Consolando, exhor-
tando, increpādo, agis opus tuum, & por-
tando sanas, quos seruandos portas. Item
idem Bernardus ad Prælatos loquens, ait:
Sermo. 23. in Canti. Discite subditorum matres vos esse debe-
re, non dominos. Matris autem est, de filio-
rum, & maximè infirmantium, consola-
tione solicitam esse. Sequitur quarta ra-
tio, scilicet comminatio æternæ damnati-
4. onis, cùm ait: *& metuat Prophetæ cōminationem,*
per quem dicit Dominus: scilicet Ezechiel. 34.
Quod crassum est, assumebatis: scilicet ad deuo-
randum, *& quod debile erat, proiciebatis*. id est,
contemnebatis, nullam curam, nullam di-
ligentiam de earum salute, aut valetudine
habentes. Vndè ista comminatio plenior
in textu Bibliæ habetur, scilicet Ezech. 34.
vbi Dominus malis pastoribus ità loqui-
tur: Væ pastoribus Israel, qui pascebant se-
Cōtra malos Prælatos. metipsos. Nōnne greges à pastoribus pa-
scuntur? Lac comedebatis, & lanis operie-
bamini: & quod crassum erat, occidebatis:
gregem autem meum nō pascebatis. Quod
infirmum fuit, non consolidāstis: & quod
ægrotum, nō sanāstis: quod cōfractum est,
non alligāstis: & quod abiectum est, nō re-
duxistis: & quod perierat, non quæsistis:
sed cum austeritate imperabatis eis, & cum
potentia. Sequitur quinta ratio, scilicet
5. exemplum nostri Saluatoris, cùm ait: *Et pa-*
Exemplum optimi pastoris. *storis boni imitetur exemplum, qui, relictis nonagin-*
tanouem ouibus in deserto, abyt vnam ouem, quæ er-
rauerat, quærere: cuius infirmitati intantum compas-
sus est, vt eam in sacris humeris suis dignaretur impo-
nere, & sic reportare ad gregem. Vbi notandum,
quòd pastor iste optimus, de quo sanctus
pater loquitur, & quem Abbatibus ponit
in exemplū, est Saluator noster, filius Dei,
qui, vt dicitur Lucæ 15. centum perhibetur
oues habuisse: oues, angeli sunt & homi-
nes. Ioan. 10. Ego sum pastor bonus. Glo.
Diues est pastor, cuius nos centesima por-
tio sumus. Angeli autē & homines dicun- Quarè angeli & homines, oues dicuntur.
tur oues, propter innocentiam, in qua cre-
ati sunt: sed centum, propter numeri per-
fectionem. Vndè Glo. ait, quòd numerus
centenarius est perfectus. Perfectus Deus Exponitur parabola euangelica.
centum oues, i. perfectum numerum ha-
buit, cùm angelorum & hominū substan-
tiam creauit: sed vna ouis perijt, scilicet
humana natura, quandò homo pascua vi-
tæ peccando reliquit. Omnes enim in Adā
peccauerunt, Rom. 5. Dicitur autem Chri-
stus nonagintanouem reliquisse in deser-
to, siue in montibus, i. nouem ordines an-
gelorum in cælo: quia non angelos appre- Heb. 2.
hendit, sed semen Abrahæ. Vndè humanā
carnem suscipiēs, exinaniuit semetipsum, Phil. 2.
factus obediens vsq; ad mortem: quæsiuit
ouem errantem prædicando, & docendo
viam veritatis, vocando ad pœnitentiam,
& ad confirmationem fidei plurima mira-
cula faciendo. Imposuit autem eam in hu-
meris suis, i. in brachijs crucis, vt ait Glo. ord. in cap. 15. Lucæ.
quandò pœnam peccatorum nostrorū in
corpore suo super lignum crucis clemen-
ter portauit: & tandem reduxit illam ad
gregem, id est, societatem angelorum,
quandò in die ascensionis turbę sanctorū
patrum associatus, in altū, aperuit creden-
tibus regna cælorū. Ità Abbas, pijssimi pa-
storis Christi exemplo, debet maximā cu-
ram gerere de ouibus infirmantibus, illas
præcipua solicitudine quærēdo, & inuen-
tus humeris compassionis portādo, vt tan-
dèm ad gregem benè viuētium monacho-
rum, vndè errauerant, reducat.

IN CAPVT XXVIII.

TRACTATVS LXXXVII.

De his qui nolunt emēdare, quanuìs correpti, & graue sit incorrigibilitas malum.

SVperiùs beatus pater Benedictus cer-
tos modos posuit, quibus culpæ de-
linquētium fratrū sunt corrigēdæ:
Verùm qa nō semper per assignatos
modos corriguntur, vt finaliter emēden-
tur, subiungit pœnam vltimò iniungen-
dam delinquentibus fratribus incorrigibi-
libus, dicens: *Si quis frater frequenter correptus*
pro qualibet culpa, si etiā excommunicatus nō emen-
dauerit, acrior ei accedat correctio, id est, vt verbe-
rum vindicta in eum procedat. Sed videtur hoc Dubium.
contra ea, quæ dicta sunt in superioribus,
de grauitate pœnæ excommunicationis,
vbi Augustinus contra aduersarium legis lib. 1. cap. 17
& prophetarum dixisse allegatus est, quod
grauius est anathemate feriri, quàm si gla-
dio feriretur. Respondetur primò, quòd Solutio.
excommunicatio grauior est rationibus
suprapositis, sed apud non intelligentes
quid sit excommunicatio, cuiusmodi sunt
mun-

mundani ac carnales, seu iudicio rationis
vacui, acrior, i. molestior est afflictio ver-
berum. Secundò respondetur, quòd ista
pœna, cùm, vt patet ex textu, se habeat ad
excommunicationẽ per additionem, meri-
tò dicitur acrior: quicquid enim additur,
acrius iudicatur siue molestius. Sequitur:
*Quòd si nec ità se correxerit, aut fortè (quod absit)
in superbiam elatus, etiam voluerit opera sua defen-
dere, tunc Abbas faciat quod sapiens medicus:* Hic
ponit sanctus pater processum, quem Præ-
latus obseruare debet circa delinquentem
subditum, instàr sapientis medici, qui à le-

Ordo pulcherrimus.

uioribus incipit, sic dicẽs: *Si exhibuit formen-
ta, si vnguenta adhortationum, si medicamina scri-
pturarum diuinarum, si ad vltimum vstionẽ excom-
municationis, vel plagas virgarum: & iam si viderit
nihil suam praeualere industriam, adhibeat etiã, quod
maius est, suam & omnium fratrũ pro eo orationem,
vt Dominus, qui omnipotens est, operetur salutẽ circa
infirmum fratrem. Quòd si nec isto modo sanatus fue-
rit, tunc iam vtatur Abbas ferro abscisionis, vt ait Apo-
stolus: Auferte malum ex vobis. Et iterùm: Infidelis
si discedit, discedat: nè vna ouis morbida omnem gre-
gem contaminet.* Vbi licèt aliorum iudicio se-
ptem gradus designentur, nostro tamen,
non nisi quatuor distincti exprimuntur.

Quatuor gradus circa correctionem.

Primò enim est admonendus, & hoc vn-
1. guentis exhortationũ, i. exhortationibus
suauibus, & mãsuetis, iuxta illud quòd de
medico spirituali dicitur Ecclesiastici 38.
Vnguentarius faciet pigmenta suauitatis,
& vnctiones conficiet sanitatis. vbi Glosa
dicit: Cõtra diuersas infirmitates, diuersa

ord in c. 38. Eccles.

opponunt medici emplastra & vnguenta,
vt morbis conueniant medicamenta: simi-
liter faciunt medici spirituales. Item, adhi-
bendo medicamina diuinarum scriptura-

Vera medicamina.

rum, i. testimonia sacræ scripturæ, quæ ve-
rè medicamina sunt animarum, secundùm
illud Sapientię 16. Nec enim herba, nec ma-
lagma sanauit eos, sed tu' Domine sermo,
qui sanat omnia. Vti debet Abbas erga sub-
ditum delinquentẽ testimonijs sacræ scri-
pturæ, quę mentiri nõ potest, quæ de con-
uersione peccatorũ loquitur, de pœniten-
tia, de spe habenda, de immensa diuina bo-
nitate, de iustitia illius erga pœnitentes, &
2. rebelles, ac superbos. Secundò, si exhorta-
tiones & admonitiones non receperit, ad-
hibẽda est adustio, i. pœna per excõmuni-
cationem, si intelligat quid est excommu-
nicatio: si non intelligit, pœna virgarum
3. adhibenda est. Tertiò, si videat quod nec
sic corrigatur, adhibenda est communis
omnium oratio. Magnæ enim virtutis est
oratio, & maximè, quæ à cõmunitate pro-
cedit. Vnde Ambro. Facilè enim multi im-
petrant, quod desiderãt. Nam multi mini-
mi, dum aggregantur vnanimiter, fiunt
magni. Verùm quia quãdoquè propter in-
dignitatem eius, pro quo oratur, etiã ora-

Magna virtus orationis in communi.
In cap. 5. 1. Thes.

tiones Sanctorum non exaudiũtur, secun-
dùm illud Ierem. 15. vbi Dominus ait pro-
phetæ: Noli orare pro populo isto, nec as-
sumas pro eis laudem & orationem, quia
non exaudiam. Habetur etiam in Vitis pa-
trum de sene quodam, quòd orante pro
quodã fratre tentato à carne, ostẽsum est,
quòd negligentia fratris erat in causa, qua-
rè non exaudiretur. Vnde ipse senex ait
præfato fratri: Frater, impossibile est à te
discedere fornicationis spiritum, alijs pro
tẽ orantibus, nisi tu ipse assumas ieiuniũ &
laborẽ in orationibus. Ideò subiungit san-

Exemplum & doctrina, ꝙ quandoquè non exaudimur ꝓ alijs.

ctus pater quartum gradum, dicens: *Quòd si* 4.
nec isto modo s. per orationem à toto cõuen-
tu effusam, *sanatus fuerit, tunc vtatur ferro ab-
scisionis*, i. sententia separationis à corpore
monasterij: & hoc, vel per inclusionẽ siue
per incarcerationẽ, aut per omnimodam
expulsionem à monasterio. Vndè Augu-
stin. vt habetur 24. q. 3. in ca. Corripiãtur.
Corripiantur à prępositis suis subditi cor-
rectionibus de charitate venientibus, pro
culparum diuersitate diuersis, vel minori-
bus, vel amplioribus. Et infrà: Pastoris ta-
men necessitas habet, nè per plures serpant
dira cõtagia, separare ab ouibus sanis mor-
bidam, ab illo cui nihil est impossibile,
ipsa forsitan separatione sanandam. Item
Gregorius in registro: Dum vnus corripi- li. 12. epl. 31.
tur, plurimi emendantur. Et melius est, vt
pro multorum salute vnus condemnetur,
quàm per vnius licentiã multi pericliten-
tur. Et quòd ità faciendum sit, inducit san-
ctus pater Benedictus duas authoritates
Apostoli. Prima ponitur primæ ad Cor. 5.
Auferte malum i. hominem, *ex vobis ipsis*. Secun-
da ponitur primæ Cor. 7. *Infidelis si discedit,
discedat*. Et subiungẽs causam huius doctri-
næ, de expellendò incorrigibilẽ, ait: *Nè vna
ouis morbida totum gregem contaminet*. Hanc ra-
tionem assignauit Apostolus, cùm exhor-
taretur Corinthios, vt à se expellerent for-
nicatorem quendam, dicens: Nescitis quòd
modicũ fermentũ totam massam corrum-
pit? Glo. i. iste vnus fornicator, alios suo
exemplo ad peccandum trahendo, totam
massam corrumpit, i. omnes qui nõrũt, &
non vitant. Item Hieronymus dicit: Scin-
tilla statim vt apparuerit, extinguenda est:
& fermẽtum à massæ vicinia, semouẽdum:
secandæ putridæ carnes, & scabiosum ani-
mal à caulis ouiũ repellendũ: nè tota do-
mus, massa, corpus, & pecora, ardeat, cor-
rumpatur, putrescat, intereant. Arrius in
Alexãdria vna scintilla fuit, sed quoniam
non statim oppressus est, totum orbẽ eius
flamma populata est, 24. q. 3. cap. Resecan-
dę. Circa hoc nota, quòd aliqui dicũt no-
tari siue designari in hoc loco, septẽ gradus
disciplinæ regularis, vt diximus, per quos
delinquens monachus est deducẽdus. Pri-

Initio habet cõmen. in epist. ad Galat.

Non est vni parcẽdũ, vt pluribus consulatur

Septẽ gradus disciplinæ regularis.

2. mus est, admonitio secreta. Secūdus, correctio, siue obiurgatio publica. Tertius,
3.
4. simplex excōmunicatio. Quartus, nimia
5. ieiunia. Quintus, flagella durā, seu verbera, si persona sit quæ possit flagellari, aut
6. debet, aut alia corporalis pœna. Sextus
7. est, cōmunis omnium ꝓ ipso oratio. Septimus est, expulsio, siue eiectio de mona-

Nota necessarium ordinem correctionis. sterio. Secundò notādum, quòd cùm admonitus semel, aut secundò frater, si non emendauerit, non statim deducēdus est ad secundum, s. publicam obiurgationē, nec, cū semel fuerit obiurgatus, statim deducēdus est ad tertiū gradū, s. ad excōmunicationē, si non emendauerit: & sic de alijs procedendo: quia si ità indiscretè & incautè factum fuerit, citò penè omnes de monasterio possunt expelli, eò quòd, sicut dicit

Iacobi 1. Apostolus, In multis offendimus omnes. Regula enim non dicit, citò duci fratrē per singulos gradus, nec dicit in vnoquoque gradu diù demorari, atq; detineri: sed dicit, vt faciat vt sapiēs medicus, & discretus

Similitudo de medico. doctor. Medicus enim sapiens, cū vno medicamine, vel vna potione, tā diù laborat circa infirmū, quā diù cognouerit ipsum medicamen infirmo non posse proficere, tunc adhibet & aliud, & ità facit cū secun-

Vitij incorrigibilitatis grauitatem per multa ostendit. do &c. Præterea, circa incorrigibilitatē ipsam est notādum, quòd vitiū incorrigibilitatis est grauissimum peccatū, quod ex multis attenditur. Primò enim est diabo-

1. licū. Ipse enim diabolus postquàm peccauit, nūquàm posteà pœnitere voluit. Psal.

Psal. 73. Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. Et ideò Ecclesiastici 21. dicitur: qui odit correctionem, vestigium est peccatoris, i. diaboli: peccator enim dicitur diabolus antonomasticè, cui multùm assimilatur qui incorrigibilis est, & insusceptibilis di-

2. sciplinæ. Secundò, quia est periculosa infirmitas. Nō est infirmitas adeò modica, quin per recusationem medicinæ verti possit in magnum periculum. Et ideò Prou. 15. Qui

3. sine disciplina est, in periculo est. Tertiò, hoc est vitium, quod totam religionē destruit obediētiæ resistēdo, in qua tota vir-

4. tus religionis consistit. Quartò, est summè contagiosum, quasi sicut lepra, quæ nō re-

5. cipit curationem. Quintò, est vitiū, quod

Sola causa dānationis. solum damnat homines. Nullus enim, quicunq; peccator aliter dānatur, nisi quia nō

6. se corrigit. Sextò, quia inter varias species peccati in spiritum sanctum, quod est horribile peccatum, in omni casu videtur grauius illud, quod est finalis impœnitentia, incorrigibilitas autē, est huic annexa. Pro-

Peccatum nullo modo tolerandum in monasterio. pter hoc, peccatū istud incorrigibilitatis, in nullo quantumcunque magno, est tolerandum in monasterio, etsi fortè alia tolerantur interdùm ex causa. Vndè Ambrosi-

Theod. lib. us cùm Imperatorem Theodosium abiecisset ab ecclesia sua, ꝓpter culpas aliquas, nunquàm voluit eū reconciliare, quousq; pœnitentiam publicā egit. Et cùm diceret ei Imperator, quòd Dauid & adulteriū & homicidiū commisit, ilicò dixit ei Ambrosius: Secutus es erranté, sequere & corrigenté. Ad quod verbū cōpunctus Imperator, publicam pœnitentiam fecit. Propter quas causas solent homines maximè insurgere cōtra huiusmodi incorrigibiles, & illos ab eorū societate expellere, dicente Domino Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit, Glo. Chrysostomi. i. Prælatum, sit tibi tāquàm ethnicus & publicanus, quos s. omnes fideles abominātur. Item notandū, quòd quia dictum est, incorrigibilitas vitium est contagiosum, quia tales exēplo manifesto, & verbis quibus se defendere solent, & tolerantia, quę alijs pręstare solet audaciam ad similia, corrumpūt alios: & ideò cùm peccent in societatē, ipsam corrumpendo, puniendi sunt in quo delinquunt, vt de societate expellantur. Et ideò B. August. in regula de incorrigibili: De vestra societate proijciatur, nè cōtagione pestifera plurimos perdat. Nec est hoc ascribendum crudelitati, sed potiùs misericordiæ: quia maioris est pietatis, compati multis super damno spirituali, quàm vni parcere à pœna aliqua, maximè quæ animæ suæ medicinalis esse potest, nisi contempserit, sicut parùm antè dictum est.

5. Eccles. Hist. cap. 17.

Hom. 61. in Matth.

Quomodò incorrigibilis alios cōtaminet.

cap. 23.

IN CAPVT XXIX.

TRACTATVS LXXXVIII.

De recedētibus à monasterio, & de diuersis recedendi causis.

SVprà in proximo capitulo beatus Benedictus instituit, tanquàm vltimum remediū, vt frater incorrigibilis repertus, de monasterio pelleretur. In hac parte satisfacere curauit quæstioni, quæ posset fieri: vtrùm, s. talis frater semel expulsus, valeret iterùm recipi ad monasterium, dicens: *Frater, qui proprio vitio egreditur, aut proijcitur de monasterio, si reuerti voluerit, spondeat prius omnem emendationem vitij, pro quo egressus est: & sic in vltimo gradu recipiatur, vt ex hoc eius humilitas comprobetur.* Sunt autē, qui exeūt de monasterio, quia in eo religio defecit, & ideò ad aliud monasteriū benè ordinatum, zelo propriæ salutis, vadūt. Sunt autem alij, qui exeūt ad vitam eremiticam, zelo amplioris perfectionis. Sunt aūt alij, qui timore forsan disciplinæ, aut inconstantia & leuitate quadā exeūtes, demùm ad cor redeunt, &, vt iterùm recipiantur, debita cum humilitate deposcunt. Sunt alij, qui propter superbiā & contumaciam, vel inobediētiam, aut furtum, aut gulam, aut huiusmodi vitia, proijciuntur, aut etiā exeunt

Diuersis de causis exeunt aliqui de monasterijs. 1. 2. 3. 4.

exeunt ꝓpria temeritate, qui, vt filius prodigus, ad cor reuersi, se recipi postulant ab
5. Abbate. Sunt etiam alij, qui propter vitiũ contagiosum, vt est peccatum carnis, & similia, expelluntur. Primi & secundi sunt, vt reuertantur, rogandi, vt alios exemplo sanctæ conuersationis suæ informent, & exhortentur ad bonũ. Tertij verò & quarti, qui proprio vitio sunt egressi, misericorditer recipiendi sunt, sicut statuit hic B. Benedictus. De contagiosis autem, quia vitium non habent proprium, sed cõmune, videtur beatum Benedictũ non fecisse mentionem in hoc capitulo.

Frater iterũ recipiẽdus, duo spondeat.

Frater autem qui recipi debeat, spondeat duo: primò, emẽdationem vitij, nè s. ampliùs iteret: secundò, satisfactionẽ, vt debitæ disciplinæ, siue pœnitentiæ, per Abbatem imponẽdæ, subiaceat: in quorum sponsione, & adimpletione, vera cõprobabitur humilitas. Et ità sanctus pater respondet illi quæstioni:

De iterùm recipiendis fratribus decisio.

qd, cùm eiecti petũt recipi? Si enim culpæ, propter quas iustè eiecti sunt, adhuc durat, nõ tenentur Prælati, nec debent illos recipere, immò ex eisdem causis, propter quas iustè eiecti sunt, possunt à receptione repelli. Si verò credatur probabiliter, quòd sunt de culpis suis correcti, & quòd cessabunt, tenentur illos recipere, salua tamen disciplina Ordinis.

Quæstio.

Sed hìc surgit vna quęstio, quid si eiectus, de cuius correctione non speratur, offert se ad carcerẽ?

Solutio.

In Regulã Aug. ca. 99.

Respondet magister Himbertus in expositione regulę beati August. quòd si ille, qui sic petit recipi, est talis, quòd faciat scandala, & multiplicet mala, recipiendus est ad carcerem, dũmodò habeatur talis locus, in quo secretè & securè possit custodiri: per hoc enim ei benè prouidebitur, quia à multis malis cessabit, & congregationi non nocebit. Si verò talis est, quòd scandala non facit in seculo, nec peccata noua cõmittit, & creditur quòd ex difficultate receptionis cautior fiat, in anteà potest differri receptio, licèt finaliter non sit neganda. Sequitur: *Quòd si denuò exierit, vsq; tertiò recipiatur. Iam verò postea sciat omnem sibi reuersionis aditum denegari.* Hic sanctus pater non imponit legem Abbati, quòd non possit iterùm recipere exeuntem monachum, aut expulsum, immò lege charitatis, misericordiæ, & pietatis, potest illũ iterùm recipere: sed exprimit, quòd vigore regulæ erga se agendum sciat frater expulsus, & intelligat iniuriam sibi non fieri, si quarta vice non recipiatur.

IN CAPVT XXX.

TRACTATVS LXXXIX.

Vbì multa de correctione & institutione puerorum.

SVperiùs sanctus pater egit de pœnis delinquentiũ, sine discretione personarum: nè quis crederet, ꝙ omnes delinquentes, pari pœna plectendi venirẽt, hìc subdit de modo, quo corrigẽdi veniũt pueri, siue in minori ætate cõstituti, aut minùs intelligentes, dicens: *Omnis ætas, vel intellectus, proprias debet habere mensuras:*

Nota quàm ordinatè & pulchrè procedat sanctus pater in regula.

Stultum enim esset, æqualiter puniter sapientem & stultũ, & infantem & senẽ, aut etiam ipsos minùs intelligentes. Et ideò omnis ætas, vel intellectus, proprias debet habere mensuras: quia iuxta quod vnusquisq; intelligit, & eius ætas permiserit, debet habere mensuram disciplinæ. Ratio sequitur: *ideoq; quotiès pueri, vel adolescentiores ætate, aut qui minus intelligere possunt, quanta pœna sit excommunicationis: hi tales dum delinquunt, aut ieiunijs nimijs affligãtur, aut acribus verberibus coerceantur, vt sanentur.* Cũ verò dicit, *pueri, vel adolescentiores,* duas ætates, s. pueritiã & adolescentiã, comprẹhendit. Distinguũtur aũt sex ætates hominis, vt tangit Isidorus 11. Etymologiarum: videlicet, infantia, quæ vsq; ad septem annos protẽditur.

Cap. 2. Sex ætates distinguuntur.

Secunda, pueritia, quę quartodecimo anno finitur. Tertia, est adolescẽtia, quę à quartodecimo anno vsq; ad vigesimũoctauũ extenditur. Quarta, iuuentus, quę in quinquagesimo anno terminatur. Quinta, est grauitas, quæ est declinatio à iuuentute in senectutem, & septuagesimo anno cõcluditur. Sexta, est senectus, quæ nullo annorũ determinatur numero, sed post quinq; alias ætates, quantumcunque vitę est, senectuti deputatur. Senium autem dicitur vltima pars senectutis.

Senium.

Cùm aũt sanctus pater subiũgit, *aut qui minùs intelligere possunt,* omnẽ compræhendit ætatem. Istos verò, quos hìc dicit minùs intelligẽtes, superiùs nominauit in vigesimotertio cap. improbos, quos vindictæ corporali subiacere decreuit. Et idem in isto loco dicit, cùm ait: *hi tales dum delinquunt, aut ieiunijs* &c. quæ duę pœnæ, s. ieiunia & verbera, ad corporalẽ referũtur vindictam. Verùm quia sæpè, quibus non competunt flagella, ieiunia cõueniunt: & quibus ieiunia non possunt cõuenire, verbera essent minùs conuenientia: ideò inter ista duo posuit disiũctiuam. Si verò expedire viderit Abbas, improbo, & minùs intelligenti quę sit excommunicationis pœna, vtranque pœnam infligere, s. verbera & ieiunia, potest, vt magis lasciuientis carnis superbia dometur, & elationis motus pleniùs comprimantur. Est autem hìc notandũ, quòd circa instructionem puerorum, duo sunt præcipuè attendenda.

Duo in instructione puerorũ attendenda.

Primò quidem, vt exerceantur in bonis laboribus. Secundò, vt corrigantur & castigentur ab excessibus. Est autem specialiter timenda & cauenda ociositas in iuuene. Vn-

dè inter abusiones claustri numeratur iu-
lib.2.de claustro animæ,c.14 uenis ociosus. Vbi secundùm Hugonē de
sancto Victore, largè dicitur iuuenis,non
solùm,qui est in adolescentia,sed etiā, qui
Iuuenes exercēdi sunt laboribus ob quatuor causas. est in ætate matura. Sunt ergò exercitandi
sanctis laborib⁹, quadruplici ratione. Pri-
mò, quia hæc ætas disciplinæ laboribus est
congrua. Thren.3. Bonū est viro,cùm por-
1. tauerit iugum,s.disciplinæ,ab adolescētia
Psal.118. sua. De quo in psal. In quo corrigit ado-
lescentior viam suā? in custodiēdo sermo-
2. nes tuos. Secūdò, quia ætas illa doctrinæ
& assuefactioni est idonea. Vndè in tali iu-
uentute domantur equi,& tunc ambulati-
oni assuescunt: in senectute autē non sunt
ad Demetriadem de virginitate, tom.4. susceptibiles talium. Hieron. in epist. 87.
ait: Cùm in tenera ætate faciliùs sanctę cō-
uersationis vsus inolescat, optimi ad insti-
Elegās Hieronymi sententia. tutionē primi anni sunt: habent enim in se
lētum quiddam & molle, quod facilè for-
mari queat,& ad arbitriū volentis trahi. Et
ponit exemplū de arbusculis, quæ in quā-
libet partē possunt flecti: & tenera primæ
ætatis animalia, sine labore solent domari.
Et sequitur: Idem penitùs solet inhærere
sensibus, quod primitùs sederit in mente:
dum mobilis est ætas, & animus duci faci-
lis, exercenda est boni consuetudo. Consi-
Cap.175. & 177. milia exempla ponit Anselmus in libro de
similitudinibus, ꝙ mollis cera recipit ima-
ginem sigilli,& retinet eandem cùm est in-
durata. Et ideò Prouer.22. dicitur: Adole-
scens iuxta viam suam, cùm senuerit, nō re-
cedet ab ea. Et communiter dicitur: Quod
noua testa capit, inueterata sapit, vt ait Au
gustinus. Tertiò, ætas iuuenilis est exerci-
3. tanda bonis studijs, quia est ætas prona ad
Genes. 8. leuitatē. Sensus & cogitatio hominis, pro-
na est ad malum ab adolescentia sua. Vndè
In psal.118. sermo.16. versu 8. Ambrosius: Iuuentus est ad amorem liberi-
or, ad lapsum incautior, ad infirmitatem
fragilior: & ideò onere virtuosi laboris sta
biliendа est, & nutrienda iuuentus. Matu-
ritatem enim, quam in senibus facit ætas,
in iuuenibus debet facere huiusmodi bo-
4. norum morū & studiorū grauitas. Quar-
tò, quia in iuuenibus corpus est in suo ro-
bore,& sanguis in seruore. Vndè nisi cor-
pus opprimatur onere alicuius sancti la-
boris, dominari vult spiritui, & nō serui-
re. Vndè iuuenibus necessaria est virga cor-
rectionis, & onus laboris. Ecclesiastici 33.
Cibaria,& virga,& onus asino: panis,& di-
sciplina,& opus seruo, corpori s. ad serui-
li.2. de claustro animę, cap.14. endum spiritui dato. Hugo de sancto Vi-
ctore: Iuuenis in ocio, quasi iuuencus sine
iugo. Secundò, pueri, siue iuuenes, debito
Necessaria adolescentibus omninò correctio. modo sunt castigādi, & disciplina cōgrua
corrigendi de excessibus. Pro.23. Noli sub-
trahere à puero disciplinam. Si enim per-
cusseris eum virga, nō morietur. Tu virga
percuties eum,& animā eius de inferno li-
berabis. Item Ecclesiastici 30. Curua cerui-
cem eius in iuuentute, & tunde latera eius
dum infans est, nè fortè induret,& nō cre-
dat tibi,& erit tibi dolor animæ.

IN CAPVT XXXI.

TRACTATVS XC.

De qualitate & bonis conditionibus Cellerarij.

SVperiùs sanctus pater Benedictus
egit, qualis debeat esse Abbas, posteà
de officijs diuinis, deindè de Deca-
nis, & de sentētijs iudiciorū: Nunc Nota multùm referre bonitatem Cellerarij.
verò subiūgit de Cellerario monasterij, eò
quòd si bon⁹ est, multa indè prouenit vti-
litas monasterio: sicut econtrà, si malus sit,
multa nocumenta & damna plurima indè
sperātur. Dicit ergò: *Cellerarius monasterij eligatur de congregatione*, non ad libitū ponatur ab
Abbate, sed cū cōsilio seniorū fratrum ti-
mentiū Deum & discretorū Abbas illū or-
dinet, secundùm illud Act. 6. Considerate
viros ex vobis boni testimonij, plenos spi-
ritu sancto & sapientia, quos cōstituamus
super hoc opus. vbi vide laudabilē modū Mod⁹ optimus eligēdi officiales.
constituendi officiales. Non enim subitò
constituendi sunt, sed cū deliberatione &
consilio. Considerate, inquiūt Apostoli.
quasi dicant, deliberate, habete consilium.
Itē, non cōstituunt ad hoc sexū muliebrē,
sicut permittitur alicubi, ꝙ vetulæ, vel co-
gnatæ seruiunt aliquibus, quod abomina-
bile debet esse apud religiosos: ideò dicūt,
viros. Itē, nō extraneos, sicut fit in quibus-
dam monasterijs, in quibus seculares cōsti-
tuūtur: & ideò dicūt, ex vobis. Itē, nō quos-
cunq; viros, sed famosos: boni, inquiunt,
testimonij, s. sanctos in veritate: vndè ad-
dūt, plenos spiritu sancto, s. sapiētes. vndè Quales oporteat esse bonos officiales.
sequitur, & sapiētia. Officiales enim, q ha-
bēt cū multis facere, ꝓpter alios debent esse
famosi: quia habēt occasiones multas peccā
di, nisi sanctitas eos retrahat, debēt esse san-
cti. Quia verò habēt dispēsare multa, q̄ sine
sapiētia fieri benè nō possunt, requiritur in
eis sapiētia. q̄ omia sanctus pater ꝓsequitur
in ꝓsenti cap. Sequitur: *sapiens*, i. prudēs & in-
telligēs, *maturus*, i. senilis *moribus*, *sobrius*, i. tē-
peratus, *non multū edax*, i. deuorator, *nō elatus*,
i. p superbiā elatus, *nō turbulētus*, veluti enim Turbulētus
aer dicitur turbulētus, cū nō est serenus, &
aqua, cū nō est limpida siue clara, ità & ho-
mo dicitur turbulētus, cui⁹ vultus obscu-
rus est, i. nō hilaris. *non iniuriosus*, Iniuriosus Iniuriosus.
dicitur, qui ad iniurias ꝓnus est irrogādas,
& cōtumelias inferēdas. *nō tardus*, in largien-
do, *nō prodigus*, i. nimis largus rerū profusor,
indiscretus dilapidator, *sed timens Deū*, quia
Beatus vir qui timet Dn̄m, in mādatis eius Psal. 111.
volet nimis. Qui enim in religione mini- Quarè debet esse solicitus dispensator.
strāt, soliciti debēt esse, vt eo modo mini-
strent, vt ministrando Deo placeant, cuius
sunt & bona quę dispensant, & familia cui
ea dispensant. Non debent aūt ea, nec aua-

rè

rè retinere, nec prodigè expendere. Cauere debent à personarum acceptione, distribuentes vnicuique sicut cuique opùs fuerit, sicut dicetur infrà in capitulo 34. Sequitur: *qui omni congregationi sit sicut pater.* omnes diligendo, de omnibus paternalem curam habens. Vndè sequitur: *Curam gerat de omnibus*: Verùm nè ex eo crederet Cellarius sibi potestatem liberè & indistinctè traditam in omnibus, restrictionem subiungit traditæ potestatis, dependentiam illius ab Abbate, dicens: *sine iussione Abbatis nihil faciat*: limites enim & terminos exercendæ potestatis, accipere debet ab Abbate, siue in scriptura, quod securius esset, siue verbo. *& quæ iubentur, custodiat*: id est, adimpleat diligenter, *fratres non contristet. Si quis autem frater fortè ab eo aliqua irrationabiliter postulat, non spernendo eum contristet, sed rationabiliter cum humilitate malè petenti deneget. Animam suam custodiat, memor semper illius Apostolici præcepti: quia qui benè ministrauerit, gradum sibi bonum acquirit.* 1. ad Timoth. 3. *Infirmorum, infantum, hospitum, pauperúmque, cum omni solicitudine curam gerat, sciens sine dubio, quia de his omnibus in die iudicij rationem redditurus est. Omnia vasa monasterij, cunctámque substantiam, ac si altaris vasa sacrata conspiciat.*

Notent Cellerarij.

Non dicit æqualiter, sicut nec accipiendum est, sed proportionaliter: quòd sicut vasa altaris, secundùm merita suæ dignitatis, aut sanctitatis, diligenter tractantur aut custodiuntur: sic alia vasa, secundùm conditionem, & ordinem deputationis ipsorum officiorum suorum, diligenter tractentur, mundentur, conseruentur, & custodiantur. Sequitur: *nihil ducat negligendũ. Nec auaritiæ studeat*, s. retinẽdo, quæ danda sunt & distribuenda. Aug. Maledictus dispensator auarus, cui largus est dominus. *neque prodigus sit, & extirpator substantiæ monasterij*, inutiliter, & absque necessitate, bona monasterij dispergendo, *sed omnia mensuratè faciat, & secundùm iussionem Abbatis sui.* vt illi conueniat, quod dicitur Lucæ duodecimo: Fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, vt det illi in tempore tritici mensuram. *Humilitatem ante omnia habeat*: vt non indignetur, aut ex conditione iubentis Abbatis, vel ex conditione fratrum ministerium suscipientium. Pro quo attẽdere debet iussionem Prælati, iussionem esse Dei, secũdùm illud Lucæ 10. Qui vos audit, me audit. Pro secũdo debet attendere, quòd ministeriũ, quod exhibetur fratri minimo, Christo exhibetur, secũdùm illud Matth. 25. Quod vni ex minimis meis fecistis, & mihi fecistis. Christo autem ministrare, nulli est dedecus, sed honor magnus: cùm ille, quo inter natos mulierum maior non surrexit, dicat se dignum non esse, vt soluat corrigiam calceamenti eius. Attendere etiam debet, quàm humile ministerium Christus exhibuerit Iudæ proditori suo. Item, quòd angeli nõ dedignantur hominibus, quantũcunq; vilibus, ministerium exhibere. Matth. 18. Videte nè contemnatis vnum de pusillis istis. Angeli enim eorum semper vident faciem patris qui in cælis est. *cui non est ex substantia, quod tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus, sicut scriptum est: Sermo bonus super donum optimum. Omnia quæ iniunxerit ei Abbas, ipso habeat sub cura sua. A quibus eum prohibuerit, non præsumat.* Sequitur: *Fratribus constitutam annonam*, id est, victum ordinatum, qui, quia antiquitùs ad nonam ministrari solebat, annona dicta est, à nona, *sine aliquo typo*, id est, sine tristitia, aut tumore verborum, aut murmure, cum indecenti figura verborum. Aug. in regula: Siue qui Cellario, siue qui vestibus, siue qui codicibus præponuntur, sine murmure seruiant fratribus suis. *vel mora offerat, vt non scandalizentur*: id est, sine tarditate notabili. August. in regula: Vestimenta & calceamenta, quãdò indigentibus fuerint necessaria, dare non differant, sub quorum custodia sunt quæ poscuntur. *memor diuini eloquij, quid mereatur, qui scandalizauerit vnum de pusillis.* Benè dicit, *pusillis*, id est, paruis animo: quia qui magnus est, non potest moueri de facili. Quid autem mereatur scandalizator pusillorum, habetur Matth. 18. vbi Dominus ait: Qui scandalizauerit vnũ de pusillis istis, qui in me credunt, expedit, id est, leuius est, ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundũ maris. Glo. Quia multò melius est, pro culpa breuẽ suscipere pœnam, quàm æternis seruari cruciatibus. Nõ enim iudicabit Deus bis in idipsum. Sequitur: *Si congregatio maior fuerit, solatia ei dentur*, id est, adiutoria per aliquos qui iuuent illum, *& à quibus adiutus*, id est, *vt ipse æquo animo*, tranquillo, pacato, & hilari, *impleat officium sibi commissum.* Vbi nota, quòd non est secundùm regulam, vt multi sint principales bona monasterij dispensantes. Vnus sit principalis, quem, si necesse est, aliqui adiuuent. Ille verò, non solùm Conuentûs, sed infirmorum, hospitum, pauperumque curam gerere debet, & omnia vasa monasterij custodire, sicut dictum est. Vndè à puritate regulæ videtur deuiatum esse in multis monasterijs, vbi occasione infirmorum, pauperum, hospitũ, & eorum quæ ad eleemosynam pertinent, multiplicati sunt dispensatores bonorum monasterij, quibus non solùm bonorum temporalium dispensatio, sed etiam quodammodò dominatio data est vel permissa: vt bona illa dispẽsent, nõ secundùm Abbatis iussioné, sed secũdùm suã volũtatem: & vt non solùm de illis officiũ sibi iniunctum adimpleant, sed etiam sibi prouideant,

Quanta diligentia tractandæ sint res monasterij.

Humilitatem maximè debet habere Cellerarius propter duo.

Matth. 11. Mar. 1.

Exempla, nè dedignemur cuilibet ministrare.

Annona.

Cap. 16.

Magni non scandalizantur.

ord. in cap. 18. Matth.

Nahum 1.

Nota contra multitudinem dispensatorum, & corruptelam in monasterijs.

&abundanter vel prodigè alijs procurēt, vel auarè sibi custodiant. In congregatione cui Saluator præfuit, vnus fuit dispensator, & ille latro fuit. Vndè dicitur de eo Ioan. 12. quòd fur erat, & loculos habēs. In multis verò monasterijs, sicut multiplicati sunt bonorum temporalium dispensatores, ità & multiplicati sunt latrones. Sicut enim Iudas ea, quæ danda erant pauperibus, dabat vxori & filijs: sic sæpè tales, quæ danda essent Christi pauperibus, dant attinentibus sibi: & sicut sunt similes Iudæ in culpa, sic frequenter similes fiunt ei in pœna. Sequitur: *horis competentibus dentur, quæ danda sunt: & petantur, quæ petenda sunt, vt nemo perturbetur, nec contristetur in domo Dei.* Sensus est: Horis conuenientibus, congruis, & ad hoc deputatis, dentur, quæ danda sunt ab officialibus, & petantur ab alijs, quæ petenda sunt. Non sunt autem horæ competentes ad petendum necessaria, horæ nocturnæ, horæ silentij, horæ, quibus fratres psalmodiæ vel lectioni vacant. Vndè illis horis, nisi necessitas imminens aliud exigat, supersedendum est ab huiusmodi: nè scilicet officiales contristent monachos, volendo dare, quæ danda sunt, horis incompetentibus: & officiales contristentur à monachis, petendo horis non congruis. Vndè etiam Augustinus ait in regula: Qui extra horam petierit, non accipiat. *Domus* autem *Dei*, appellatur hìc monasteriū: quia in eo, Deo viuitur vno animo, cōsensu, & vna volūtate, secundùm illud psal. 54. In domo Dei ambulauimus cum consensu, id est, concorditer & vnanimiter: sicut de primitiua Ecclesia dicitur Actuum 4. Erat eis cor vnum, & anima vna in Domino. Item Psalmista: Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo. Glo. id est, vnum sentientes, colligit in vnum.

Nota.

Horæ incompetentes.

Cap. 35.

Domus Dei.

Psal. 67.

ordin. in psal. 67.

IN CAPVT XXXII.

TRACTATVS XCI.

De custodia rerum monasterij, & diligentia circa eas.

POstquàm de Cellario, qualis esse debeat, sanctus pater instituit: Nunc de alijs officialibus subiungit, quibus res speciales veniunt committendæ, vtputà de custode ferramentorum, cuiusmodi sunt fossoria, secures, dolatoria, & aliarum rerum similium monasterij. Et diuiditur in duas partes præsens capitulum. In prima ponitur, quòd res monasterij consignentur fratribus, vita & moribus compositis, ad custodiam. In secunda parte ponitur pœna eorum, qui negligenter res assignatas custodire fuerint reperti. Dicit ergò: *Substantia monasterij in ferramentis, vel vestibus, seu quibuslibet rebus*, scilicet mobilibus, vtputà vtensilibus, instrumentis ad vsum cuiuscunque vtilitatis domûs deputatis, *prouideat Abbas fratres, de quorū vita & moribus securus sit: & eis singula, vt vtile iudicauerit, cōsignet custodienda, atque recolligenda. Ex quibus Abbas breuē teneat*, id est, notulam, id est, memoriale, scripturam teneat: *vt dum sibi in ipsa assignata fratres vicissim* id est, per vices, *succedunt*, id est, intrant. Fratres enim per vices debent agere obedientiam, vt omnia possint agere sine murmure. *sciat quid dat, & quid recipit.* Sequitur secunda pars capituli, vbi ponitur pœna negligentium custodum: *Si quis autem sordidè, aut negligenter res monasterij tractauerit, corripiatur: si non emendauerit, disciplinæ regulari subiaceat.* Disciplina autem regularis vocari videtur in hoc loco, deductio per gradus, sicut dictum est in capitulo 28. regulæ. Est autem circa hanc partem notandum, quòd ex hac sancti patris institutione colligitur argumentum manifestum, quòd res communes monasterij, siue ad vestitum, siue ad victum, siue ad alia quæcunque pertinentes, sunt cum magna diligentia conseruandæ, quantumcunquè sint modicæ. Vnde in libro Collationum sanctorum patrum legitur, quòd cùm quidam frater in sua hebdomada lauaret legumina, & tria grana lenticulæ cecidissent in terra, per eius negligentiam collapsa de manibus eius, quidam alius transiens, & videns hoc, denunciauit Abbati, à quo iudicatus quasi sacri peculij neglector, suspensus est ab oratione, nec aliter remissus est ei negligentiæ reatus, nisi eum priùs publica pœnitentia diluisset. Hinc est quòd Ioan. 6. dicit Dominus: Colligite fragmenta, nè pereant. Porrò multiplex est ratio, quarè à religiosis sunt huiusmodi, licèt modica, diligenter seruanda. Primò, quia sunt pauperes, & reparare non possunt perdita sine grauamine aliorum. Si enim diuites huiusmodi malè custodiunt res suas, non oportet alios grauare, alia ab eis quærendo, cùm adhuc abundent: pauperes verò religiosos, his perditis, oportet quærere ab alijs, & quanto plùs quærunt, tanto plùs eos grauant. Paulus, nè grauaret subditos, qui ei tenebantur ad stipendia, laborabat manibus suis, sicut dicitur 1. ad Thessalonicens. 2. quanto magis talia elaborata ab alijs, debent diligenter custodire, nè iterum grauent eos.

Vicissim obediendū.

Disciplina regularis.

Res monasterij diligenter cōseruandæ.

Cassia. lib. 4. institut. cap. 20.

Exēplum.

Res monasterij non sunt negligendę, quāuis minime, ratione multiplici.

1.

Secundò, quia talia sunt pauperum. 2.

Apud seculares enim, vt frequenter, vestes veteres, & residua aliorum bonorum, malè expenduntur: Apud religiosos verò expenduntur in pauperes. Vndè beatus Benedictus in capitulo 55. Regulæ dicit: Accipientes noua vestimenta,

vetera

vetera semper reddant in præsenti, reponenda in vestiario propter pauperes. Si ergò secùdùm illud verbum Apostoli, Operandum est manibus proprijs, vt habeat vndè tribuat necessitatem quis patientibus, ad Ephes. 4. quanto magis talia bona monasterij sunt seruanda diligenter, quæ
3. sunt futura pauperum? Tertiò, quia frequenter, quæ habent isti religiosi, sunt de necessitatibus pauperum, quæ sibi subtrahendo, largiuntur eisdem. Cum qua ergò conscientia possunt hæc negligenter custodiri à seruis Dei, quæ propter eos pau-
4. peres vitæ suæ subtraxerūt? Quartò, quia
De reuerētia rerum monasterij. quæ dantur religiosis pauperibus, dantur pro peccatis, & sunt precium animarum. Curandum ergò diligenter est, de precio animarum, qualiter tractetur, vt custodiatur diligenter, nè inutiliter pereat apud
5. eos. Quintò, sicut personæ religiosę sunt Domino consecratæ, ità & bona, quæ eis dantur, Domino consecrantur: res autem sacræ solent diligentiùs custodiri. Et ideò
Cassia. lib. 4. institut. cap. 10. dicitur in lib. collat. de sanctis patribus: Omnia quæ sua sunt, credūt Domino consecrata: propter quod si quid fuerit in monasterio semel illatum, vt sacrosanctum, cum omni decernunt reuerentia debere tractari. Vndè B. Benedictus dicit suprà in cap. 31. quòd cellerarius omnia vasa monasterij cunctamq; substātiā, ac si altaris vasa
6. sacra conspiciat. Sextò, quia Deus requirit rationem districtam à suis ministris, de rebus custodiæ & dispensationi eorū creditis, & adeò quòd ponit in carceres suos, donec reddant nouissimum minutum, sicut habetur Lucæ 12. Cū ergò religiosi sint, non domini, sed ministri bonorum eius, cum quanta solicitudine debent illa custodire, de quibus exigetur ratio tam districtè? hac ratione vtitur B. Benedictus in cap. 31. Regulæ, cùm ait: Sciat, s. cellerarius, quòd de his omnibus in die iudicij rationē redditurus est. Meritò ergò sanctus pater instituit, vt res monasterij diligenter custodiatur, nè pereant, vel inutiliter cōsumantur, aut ex aliqua negligentia deteriorētur, vel in aliquo lædantur, aut deturpentur.

IN CAPVT XXXIII.

TRACTATVS XCII.

De vitio proprietatis, quàm sit detestabile.

QVia in superiori capitulo sanctus pater instituerat de rebus monasterij diligenter custodiendis, & benè tractandis: nè aliquis aut care, aut dare, seu alienare quicquā tentaret, subiungit, q nullus monachorū audeat habere propriū, sed omnia sint cōmunia, dicens sic: *Præcipuè hoc vitium radicitùs amputandum est de monasterio, nè quis præsumat aliquid dare, aut accipere, sine iussione Abbatis: Nec aliquid habere propriū, nullā omninò rem, nec codicem, nec tabulas, nec graphium, sed nihil omninò.* In quo capitulo duo ponit. Primò, de amputatione vitij proprietatis. Secūdò, de pœna pro-
prietarij. Circa primū dicit, proprietatis vitiū amputandū esse totaliter, & hoc tri- Vitiū proprietaria tripliciter amputandum.
pliciter: videlicet in corde, interiùs nihil omninò cōcupiscendo. Secundò, opere, exteriùs nihil omninò tāquàm proprium possidēdo. Tertiò, in ore, nihil proprium nominādo, aut dicendo. Primum designauit, cū dicit, *radicitùs amputandum* esse de corde, ità vt monachus, nec intētione, nec voluntate, aut affectu, aliquid terrenū proprium possideat. Nihil enim proderit, pecunias nō habere, si volūtas in nobis fuerit possidēdi. Præstereà, necesse est radicitùs proprietatis vitiū amputare de corde discipuli: aliàs nec paupertas spiritūs, nec humilitas, quæ fundamentū videtur cæterarū virtutū, in illius animo locū habitura est. Vn-
dè Cassianus lib. 4. institutionū: Nō potest Cap. 5.
humilitatis, aut obedientiæ appræhendere virtutē, si in cōscientia eius pecuniæ quantulūcunq; latuerit. De secundo dicit: *Nec aliquid habere proprium, nullam omninò rem, nec codicem, nec tabulas, nec graphium, sed nihil omninò.* Quia poterat esse dubiū, an de minimis etiam hoc accipiendū esset, quòd nullus habere deberet quicquam proprium, apertissimè etiā minima exprimendo locutus est. Hæc fuit etiā puritas antiquorū monacho-
rum, de quibus Cassianus lib. 4. institutio- Cap. 13.
nū, ità dicit: Illā sanè virtutē inter cæteras Districta
institutiones eorū cōmemorare vel super- patrum
fluū puto, quòd scilicet nulli cistellā, nul- obseruatio
li peculiarē sportellā liceat possidere, nec circa pro-
tale aliquid, quod velut propriū retinens prietatem.
suo debeat communire sigillo. Prætereà, hoc est districtissimū statutū Papale, extrà de statu monachorū, in cap. Cùm ad monasterium. vbi ità dicit Innocentius: Prohibemus quoq; districtè in virtute obedientiæ, sub obtestatione diuini iudicij, nè qs monachorū propriū aliquo modo possi-
deat. Sequitur: *Quippe quibus nec corpora sua, nec* Ratio &
voluntates licet habere in propria potestate. Hic as- arg. de non
signatur quodammodò ratio amputatio- habendo
nis proprietatis rerum extrinsecarum: proprium.
quia si corpora & voluntates in propria non licet habere potestate, cùm monachus iam sit mundo mortuus, multo minùs debet habere quicquam proprij rerum exteriorum. Et hoc est, quod beatus Augustinus arguit in Sermone de communi vita clericorum, vt habetur in cap. Non dicatis. 12. quæstio. 1. ità dicens: Cùm huius nostræ congregationis fratres, non solùm facultatibus, sed etiam voluntatibus proprijs in ipsa ordinis susceptione renun-

renunciauerint, & se per promissam obedientiam penitùs aliorum potestati, & imperijs in Christo & pro Christo subdiderint, certũ est eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere, sine superioris licentia, debere. Verùm quia posset quæri, vndè ergò monachus sperare debet vitæ necessaria? subdit sanctus pater: *Omnia verò necessaria à patre monasterij sperare*, scilicet debet, *nec quicquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit*. *Dederit* autem dicit, respectu eorum, quę prælatus per seipsum dederit: *aut permiserit*, respectu eorum, quæ monacho ab aliquo alio conceduntur, siue donantur, siue à parentibus, amicis, siue benefactoribus, quæ Abbas, scienter tamen, & expressè permittit monachum retinere, non tamen tanquàm proprium, sed pro aliquibus necessitatibus deputatum. Sequitur: *Omniáque omnibus sint communia*. Vndè nullus debet habere tanquàm proprium equum, aut agrum, librũ, vestem, domum, aut quicquam huiusmodi huius mundi: sed omnia omnibus debet esse communia: sicut scriptũ est in Actibus Apostolorum, vndè sumpta est regula & cõuersatio cœnobitarum, ibi enim capitulo quarto dicitur: Et erant illis omnia communia. Hæc est differentia inter fratres carnales & spirituales in religione: quia illi diuidunt, quod commune est, secundùm quod dictum est Domino à quodam Lucæ 12. Dic fratri meo, vt diuidat mecum possessionem: Isti verò, quod diuisum est, in commune ponũt, iuxta morem primitiuæ Ecclesiæ. Act. 4. dicitur, quòd precia eorum quæ vendebantur ponebant ante pedes Apostolorum. Vbi notandum, quòd status viuendi in communitate, est laudatissimus & commendatissimus. quod patet: quia in statu naturæ ante peccatum erant omnia communia. Vndè Isidorus: Ius naturale est communis omnium possessio: vt habetur dist. prima, in Decreto: & glossatur, in statu ante peccatum: Item primordijs status gratiæ. Act. 4. Erant illis omnia communia. & videtur hoc durâsse vsque ad tempora Constantini: vt habetur 12. q. 1. cap. Futurã. Item in statu gloriæ erunt omnia communia. Beda super prædicto verbo Act. 4. dicit: Qui ità viuunt, vt sint eis omnia communia in domo, cœnobitæ vocantur. quæ vita tanto felicior est, quãto statum futurum imitatur, in quo erunt omnia communia. Cùm ergò non sit recipere meliorem statum naturæ, quàm statum ante peccatum, nec gratiæ meliorem, quàm primitiuum, nec gloriæ, quàm futurum: quàm felix est ille status, qui tales status naturæ, gratiæ, & gloriæ imitatur: rationabiliter ergò sanctus pater hortatur, vt omnia sint inter monachos communia.

Vndè sumpta sit regula cœnobitarum.

Differentia fratrũ carnalium & spiritualiũ.

Status in commune viuendi, est laudabilis.

Lib. 5. Etymol. c. 4.

Retract. in Acta.

Dignissima conclusio de optimo statu religionis.

Sequitur: *Nec quisquam aliquid suum dicat vel præsumat*, supple, credere, aut dicere meum. Hic sanctus pater ponit tertiam amputationem proprietatis, scilicet ab ore monachi, dicens, vt nullus monachus dicere præsumat aliquid suum. Non enim est monachorum dicere, hoc est meũ, vel meus, scilicet equus, aut liber, aut vestis, aut graphium, aut acus, aut quicquam aliud: sed nostrũm, vt ostendat nihil se penitùs super terram proprium possidere. Vndè Cassianus libro suprà notato dicit de antiquis monachis: Hanc regulam videbamus strictissimè hucusque obseruari, vt ne verbo quidem audeat quis dicere aliquid suum. Magnumque sit crimen, ex ore monachi processisse, codicem meum, tabulas meas, graphium meum, tunicam meam, caligas meas, proque hoc digna pœnitentia satisfacturus, si aliquo casu per surreptionem, vel ignorantiam, huiusmodi verbum de ore eius effugerit. Et Augustinus in regula: Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia cõmunia. Sed circa hoc quæri potest, vtrùm mortaliter peccat monachus, quicunque dicit, meus liber, mea vestis, & similia? Dicendum est, quòd si dicit ex lapsu linguæ, non peccat mortaliter: si autem ex proposito, & animo asseueratiuo, quod est propriè dicere, mortaliter peccat. Sequitur secunda pars principalis capituli, in qua agitur de pœna & correctione proprietarij: *Quòd si quisquam huic nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel & iterùm: si non emendauerit correctioni subiaceat*. scilicet regulari disciplinæ, deducendo eum per gradus, vsque ad expulsionem de monasterio. Attendendum est hic, quòd grande periculum sit monacho, aliquid habere proprium, quia beatus Benedictus hoc vitium, nõ simpliciter vitium, sed nequissimũ appellat, id est, pessimum: & in hoc cognoscitur, quòd nequissimus est monachus, qui habet, vel habere proprium desiderat. Circa hoc proprietatis vitium, pro leuiori discipuli informatione plura veniunt notanda. Primò, de detestabilitate vitij proprietatis. Secundò, de malis, quæ exoriuntur ex illo. Tertiò, de illis quæ occasionem præbent proprietatis in monasterio, & de remedijs. Quartò, de persecutione & impugnatione huiusmodi vitij. Quintò, de aliquibus dubitabilibus circa illud. Quòd autem valdè detestabile sit vitium proprietatis, patet: Tum primò, quia est detestabile furtum: proprietarius enim furtum committit in loco sacro, quod cauebat in seculo. Furtũ committit ibi religiosus, vbi timet committere sceleratus. De quo furto habetur Gen. 31. quòd Rachel furata est idola Laban: Rachel, quæ interpretatur ouis, religiosum signi-

Amputatio proprietatis ab ore.

Lib. 4. Inst. cap. 13.

Nihil debent monachi habere, neque suum nominare.

Cap. 1.

Si dicere aliquid suum, monacho sit mortale.

Plura tractãda circa vitiũ proprietatis.

1.

2.

3.

4.

5.

Detestabile cur sit vitium proprietatis.

1.

Proprietarius furtũ facit.

significat. Laban, qui interpretatur albedo, quæ disgregatiua est visus, mundum designat. Rachel idola Laban furatur, quando religiosus diuitias mundi amore complectitur. Idolum religiosi, est omnis res transitoria, quæ in amore eius Deo præponitur, vel æquatur. Vndè ad Ephe. 5. inquit Apostolus: Auaritia est idolorum seruitus. vbi dicit Glo. Auari deus, est nummus. Et Matt. 6. Non potestis Deo seruire & mãmonæ. Glo. Diuitijs seruire, Deum negare est. Et August. Qui veram fidé habet, non cupit in huius mundi miserijs diues fieri. Secundò, quia hoc peccatũ religionis fundamentũ destruit, scilicet paupertatem spiritûs, quam Saluator, nouam legem tradendo, primò commendauit, Matt. 5. dicẽs: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnũ cælorum. vbi dicit quædã Glo. interli. Sicut initium sapientiæ, est timor Domini: ità paupertas est principium beatitudinis. Tertiò, hoc vitium euertit & dissoluit omnem disciplinam vitæ monasticæ. Vt enim ait August. in sermone quodam ad Sauianum monachum: De radice peculiaritatis, vel amore pecuniæ, gignuntur vitia hæc, inobedientia, superbia, auaritia, & contumelia, vana gloria, extollentia, voracitas, mendacium, atque luxuria. Hæc August. Quartò, quia hoc vitium denudat monachũ à veritate religionis. Proprietarius enim, nõ est dicẽdus religiosus: sicut nec homo mortuus, dicendus est simpliciter homo. In quo optimè figuratur per vxorem Loth, quæ respiciens retrò, versa est in statuam salis, Gen. 19. Religiosus post se respicit, quando diuitias mũdi, quas priùs reliquerat, repetit aut concupiscit. Statua, quæ similitudinem habet hominis, & non est homo, efficitur: quia religiosus proprietarius, non veritatem, sed similitudinẽ & figurã habet tantùm religiosi. Quid enim est habitus monachi, inquit Gregori⁹ in registro, nisi contemptus mundi? Quomodò autẽ mundum despiciunt, qui in monasterio positi, aurum quærunt? Et in tertio Dialogorum, dicit de viro quodam venerabili, & multæ sanctitatis, nomine Isaac, quòd cùm discipuli eius crebrò ei humiliter dicerent, vt pro vsu monasterij possessiões, quę offerebãtur, acciperet: ille solicitus suę paupertatis custos, fortem sententiam tenebat, dicens: Monachus, qui in terra possessiones quærit, monachus non est. Sic quippe metuebat paupertatis suæ securitatem perdere, sicut auari diuites solent perituras diuitias custodire. Quintò, hoc vitiũ cõducit hominẽ ad damnationem æternam. Vndè B. Aug. in sermone suprà allegato, contra tales sic loquitur: Væ vobis monachi, qui diuites esse curatis in pecunijs, & locupletes in vestibus, & amittitis regna cælorum: qui spontè Domino promisistis obseruare normam sanctorũ patrũ, quorũ exẽplis & actu radiaremini in cęlis, & modò per cupiditatem pecuniæ intrabitis in ignem æternum.

Ord. in cap. 5. Ephe. — 2. — Ord. in cap 5. Matth. — 3. — Mala, de proprietate nascentia. — 4. — Figura & interpretatio. — Lib. 10. epi. 22. — Cap. 14. Exemplum — 5.

TRACTATVS XCIIII.

De malis tribus, quę potissimè oriuntur ex vitijs proprietatis, & de occasionibus eiusdem vitij & remedijs.

Notandum consequenter quòd tria mala potissimè oriuntur ex proprietate. Primum, est turbatio pacis, quæ habẽda est cum proximo. Vndè Seneca: Conuenientissimè viuerent homines, si tollerentur hæc duo pronomina, Meum & Tuũ. Res enim cõmunes nunquàm sunt materia litis: sed cùm ex concupiscentia vult eas appropriare quis sibi, surgunt turbationes frequenter, cùm haberi non possunt, vel cùm habitæ auferuntur: & impletur illud Prou. 15. Conturbant domum suam, qui sectantur auaritiam. Secundum malum, est occasio victoriæ inimico. Per propriũ enim potest eũ hostis tenere, sicut quis ab aduersario tenetur per vestes. Gregor. Cùm vestitus cum nudo luctatur, citiùs ad terram deijcitur, quia habet vndè teneatur. Vndè in Vitis patrum, cùm frater quidam venisset ad cellam, volens relinquere seculum, sed retinere aliqua modica propter necessitatem, dixit ei senex: Si vis esse monachus, vade ad macellum, & eme carnes crudas, & pone supra dorsum tuũ, & sic veni ad me. Quod cùm fecisset, inuaserunt eum canes, & occasione carnium dilaniauerunt eum. Et cùm venisset ad senem sic tractatus, dixit ei senex: Sic dilaniantur à dæmonibus, qui abrenunciant seculo, & aliquid retinent sibi. Tertiũ malum, est impedimentum animi ab his quæ Dei sunt. Vbi est enĩ thesaurus tuus, ibi est cor tuum, Matth. 6. Econtrariò ex cõmunitate sequitur fructus triplex, s. pax cum proximo, securitas ab hoste, libertas in Deum. Ampliùs notandum venit, quòd tria sunt, quæ solent dare occasioné proprietatis habendæ. Primum, est indigentia. Magis enim diligũt aliquid habere cum peccato, quàm indigere: quo cõtrà dicitur in psal. de viro iusto: Ego verò egenus & pauper sum. quia ipsa indigẽtia nõ inducit me ad aliquid habendum, immò pauper remaneo. Contra istã occasionem duplex est remedium. Vnum, est liberalitas prælatorum, vt s. liberaliter administrẽt de comuni, vt tollatur huiusmodi occasio. Act. 4. Diuidebatur singulis, sicut cuiq; opus erat. Et in eodem: Nec quisquã egens erat

Tria mala ex proprietatis vitio oriuntur. 1. — 2. — Homil. 39. in Euang. — parte 2. §. 64. — 3. — Tria dãt occasionem habendę proprietatis. Psal. 39. — Duplex remediũ indigentiæ.

erat inter illos. Aliud remedium, est pati-
entia subditorum. Sunt enim quidam, se-
cundùm Grego. qui pauperes esse volunt,
sed sine defectu: non sicut Apostolus, qui
dicit Philip. 4. Scio abundare & penuriam
2. pati. Secundum, quod solet dare occasi-
Diffidẽtia de Dei prouisione.
onem habendæ proprietatis, est diffiden-
tia de prouisione diuina. Sunt enim qui-
dam, quibus quanuis nihil defuerit, tamẽ
timent semper sibi deesse: contra quos ad
Hebr. 13. Sint mores sine auaritia, contenti
præsentibus, ipse enim dicit: Non te dese-
ram, neq; te derelinquam. Remediũ cõtra
Remedium contra diffidentiam.
huiusmodi diffidentiam, regnum Dei est,
& confortatio Dominica, quam fecit ver-
bo & exemplo. Verbo, cùm dicit Matth. 6.
Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam
eius: & hæc omnia adijciẽtur vobis. Exem-
plo, cùm dicit ibidẽm: Considerate vola-
tilia cæli: non laborant, neq; nent, & pater
vester cælestis pascit ea: quantò magis vos
3. modicæ fidei? Tertium, est carnalitas. Sũt
Carnalitas.
enim aliqui adeò circa curam carnis inten-
ti, in cibis, vestibus, medicinis, & similibus,
quòd non sunt cõtenti in necessarijs, quæ
eis competenter ministrantur. Et ideò in-
ordinate procurant alia, ad satisfaciẽdum
carnalitati suæ: contra quos dicitur Rom.
13. Carnis curam nè feceritis in desideri-
Remediũ.
js vestris. Contra hoc, remedium bonum
est consideratio finis, ad quem deducit car-
nalitas ista. Rom. 8. Si secundùm carnẽ vi-
xeritis, moriemini.

TRACTATVS XCIIII.

Quàm maximo zelo à Prælatis religiosorum vitium proprietatis sit persequendum: & de quibusdam dubijs circa illud.

Diuersa exempla, q̃ debeant Prę lati durè persequi proprietarios.
CAeterùm notandum, quòd mul-
tiplici sanctorum patrum exem-
plo, docentur Prælati cõgrega-
tionum religiosarum, grandis-
simo zelo persequi & punire vitium pro-
prietatis. Habetur primò exemplum in ve-
1. teri lege, Iosue 7. vbi legitur, quòd popu-
lus vniuersus Achan, qui furatus fuerat de
anathemate Iericho, in figura proprietarij
lapidauit, & omnia quæ eius erant, con-
sumpsit igne. Secundò, ad idem habetur
2. exemplum tempore gratiæ, in Anania &
Actor. 5.
Saphira, qui eô, quòd de eo, quod com-
mune esse debebat, furtim sibi partem ap-
propriarent, ad verbum Petri, morte sub-
3. ita sunt perempti. Tertiò, exẽplum hui-
Hierony. epist. 22. ad Eustochiũ.
us habetur mirabile in Vitis patrum, vbi le-
gitur, quòd quidam frater ex Nitria cen-
tum solidos, quos lino texendo college-
rat, moriens dereliquit. Initum est inter
monachos consilium, (Nam in eodem lo-
co circiter quinque millia diuisis cellulis
habitabãt) quid facto opus esset. Alij pau-
peribus distribuẽdos esse dicebãt, alij dan-
dos Ecclesiæ, nõnulli parẽtibus remitten-
dos: Macarius verò, & Pambo, & Isidorus,
& cęteri quos patres vocat, sancto in eis lo
quẽte spiritu, infodiendos esse decreuerũt
cum eodem, dicendo: Pecunia tua tecũ sit Actor. 8.
in perditionem. Quartò, de hoc exemplũ 4.
habetur manifestũ tẽpore B. Gregorij, in lib. 4. ca. 55.
cuius Dialogo legitur, q̃ frater quidam in Vide hoc
eius monasterio, qui medicus erat, in infir- exemplum
mitate cõstitutus, seruiẽti sibi fratri reuela- diligentiùs in originali, Dial. lib. 4.
uit, q̃ tres aureos haberet occultatos, quod
cùm nunciatũ esset Gregorio, noluit par-
cere, quin infirmũ, & mortuũ puniret. In
infirmitate enim, subtraxit ei visitationem
fratrũ, & in morte noluit corpus suũ poni
cum corporibus fratrũ, & tres aureos man-
dauit cum eo sepeliri, clamãtibus omnibus
fratribus suis: Pecunia tua tecũ sit in perdi-
tionem. Exẽplo suo voluit Gregorius his,
qui præsunt in religione, ostẽdere, quantũ
zelum cõtra hoc peccatum debeãt habere.
Quintò, ad hoc habetur statutũ Papale 5.
extrà de statu monachorũ, in cap. Cùm ad
monasterium. vbi sic dicitur: Si proprietas
apud quenquam inuenta fuerit in morte,
ipsa cum eo, in signũ perditionis, extra mo-
nasteriũ in sterquilinio subterretur: secũ-
dũ quod B. Gregorius narrat in dialogo se
fecisse. Hęc ibi. Postq̃ sufficiẽter annotaui-
mus ea, quæ ad detestationẽ vitij proprie-
tatis faciũt, iã restat vt aliqua dubia decla-
remus. Primũ est, vtrũ Abbas possit dis- Dubium 1.
pensare cũ subdito suo monacho, q̃ habe- Vtrũ Abbas possit
at propriũ? Respõdetur, q̃ non, nec aliquis dispensare
quicunq; Prælatus, quantęcunq; authori- circa proprietatem.
tatis sit, nec etiã Papa, sicut manifestè col-
ligitur, extrà de statu mona. cap. Cũ ad mo
nasteriũ, vbi dicitur: Nec existimet Abbas,
q̃ super habenda ꝓprietate possit cũ ali-
quo monacho dispensare: quia abdicatio
ꝓprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò
est annexa regulæ monachali, vt cõtra eam
nec Sũmus Põtifex possit licentiã indulge-
re. Secundũ dubiũ est, an Abbas, aut Præ- Dubium 2.
latus, possit dispẽsare cum subdito suo, q̃ notabile.
habeãt vsum alicuius rei, vtputà pecuniæ,
librorũ, & similiũ, licèt, vt dictum est, non
possit dispensare circa proprietatẽ haben-
dam? Pro solutione huius dubij, est notan-
dum, q̃ duplex distinguitur vsus; vide- Duplex vsus.
licet certus, & incertus. Certus vsus est, qui
non potest auferri. Incertus, qui est in vo-
luntate alterius, vt auferatur cùm ei placu- Solutio.
erit. Loquẽdo de vsu certo, secundũ hunc
modũ respõdetur, q̃ nõ potest dispensare.
Ratio: semper enim debet esse volũtas reli-
giosi subiecta Prælato, vt resignet qñ volu-
erit: hinc dicitur extrà de statu monacho.
cap. Cùm ad monasteriũ. Nec alicui com-
mittatur aliqua obediẽtia perpetuò possi-
denda,

denda, tanq̃ in sua sibi vita locetur: sed cũ
oportuerit amoueri, sine contradictione
qualibet reuocetur. Circa aũt vsum incer-
tum potest dispẽsare ex rationabili causa,
quod patet ex præsenti capitulo: dicit em̃
B. Benedict⁹: *Nec quicquã liceat habere, quod Ab-
bas non dederit, aut permiserit*. ergò videtur ꝙ
de licẽtia Abbatis potest monachus vsum
rerum aliquarum habere, ex causa tamẽ ra-
Causa rationabilis dispẽsandi. tionabili. Sed quid dicatur causa rationa-
bilis, in hoc casu: respõdetur, ꝙ duplex po-
test esse causa dispensandi in his, videlicet
necessitas, & vtilitas. Itẽ, necessitas potest
Necessitas priuata. esse duplex, s. priuata, & cõmunis siue pu-
blica. Priuata, vt cùm cõceditur in mona-
sterio paupere, in quo de cõmuni nõ pos-
sunt haberi necessaria, monacho vel mo-
niali, vt aliquid habeat ad vsum necessita-
tis suæ, cũ proposito tamẽ resignandi, cùm
Cõmunis. fuerit requisitus. Cõmunis, vt cùm conce-
ditur alicui officiali cõmuni, ad expenden-
dum in vsus & necessitates aliorũ, vel cùm
aliquis dirigitur ad curiã, vel ad alia loca,
pro negocijs monasterij peragendis, & ei
conceditur pecunia pro expendendo, &
alijs necessarijs: tunc enim pecunia nõ est
ꝓpria, sed administrationi annexa, & no-
mine monasterij retinet & dispensat: de
quo dicitur, extrà de statu monachorum,
cap. 2. Qui peculium habuerit, nisi ab Ab-
bate fuerit ei pro iniũcta administratione
permissum, à cõmunione remoueatur al-
Duplex vtilitas. taris. &c. Vtilitas etiam potest esse duplex,
Priuata. scilicet priuata, & communis. Priuata, vt
cùm conceditur alicui religioso liber ali-
quis, aut orationum, aut alicuius faculta-
tis, aut studium proprium, gratia scilicet
informandi animum in his quæ pertinent
Cõmunis. ad salutem. Communis, vt cùm concedi-
tur alicui liber, aut cùm quis mittitur ad
scholas, qui ex studio suo creditur alijs
posse prodesse, & illi, commissa sibi admi-
nistratione suæ personæ, Abbas dat pecu-
nias pro sustentatione sui in scholis, aut
prouisione aliarum necessitatũ. Sed est be-
In Regul. S. nè hic attendendũ, vt dicit magister Hum-
Aug. ca. 15. bertus, quòd licèt huiusmodi necessitates
sint interdùm causa sufficiẽs ad hoc, quòd
Prælatus concedat vsum aliquarum rerũ,
sicut dictum est: tamen non omnis necessi-
tas aut vtilitas sufficit ad dispẽsandum, ni-
si sit valdè rationabilis & manifesta: vt
sunt, in necessitatibus quotidianis, q̃ per-
tinent ad victum & vestitum, & in vtili-
tatibus, quæ pertinent ad animæ salutem.
Cauendum est à facili dispensatione circa quasdã necessitates & vsus propter multa. Et est cauendum, nè in huiusmodi facilè
dispensetur, propter multa: Tum propter
speciẽ mali. quandoq; enim etsi subsit ali-
qua causa in huiusmodi dispẽsationibus,
tamẽ species mali remanet ibi. Tũ propter
conscientiæ periculum. Facilè enim in his
Psal. 26. fingitur causa, vbi non est, & mẽtitur ini-
quitas sibi, petens huiusmodi dispensatio-
ne. Tum ꝓpter sequelã: trahitur enim dis-
pensatio, quæ fit cum vno ex causa bona,
de facili ad consequentiã in altero, in quo
non subest eadem causa. Tertium dubiũ Dubium 3.
est, dato quòd dispẽsetur cum aliquo cir-
ca vsum incertum alicuius rei, sed tamẽ si- Nota.
ne causa rationabili, vtrùm talis excusetur
à vitio proprietatis, si habet animum resi-
gnandi, cùm fuerit requisitus? Responde- Solutio.
tur, vt respondet magister Humbertus su-
per regulam Augustini, quòd excusatur à Ibidẽm.
vitio proprietatis, sed nõ tamen à peccato,
tam dispensans, quàm recipiẽs dispẽsatio-
nem in hoc. Si quæratur, cuiusmodi pec- Quæstio.
catum sit hoc, ex quo non est proprietas?
respõdetur, quòd in dispẽsante est abusus Responsio.
potestatis, quæ data est ei, nõ in destructio-
nem, sed in ædificationẽ, 2. ad Cor. 10. Ipse
autẽ abutitur ea in destructionẽ. In recipi-
ente verò, est auaritia, cùm teneat aliquid
sine rationabili causa, vtputà librũ, vestẽ,
vel aliquid huiusmodi, de quo posset ali-
us proficere, tanquàm pecuniã in sudario,
quæ dari debuit ad lucrũ, Matt. 25. Et ideò
districtã de hoc oportebit eũ reddere rati-
onẽ. Ex quib⁹ manifestè colligũtur aliqua Quædã notandæ conclusiones circa proprietatem.
per modũ conclusionũ. Primũ, quòd excu-
satio, vel defensio, quib⁹ monachi siue re-
ligiosi aliqui se defendere nituntur, super
vsu rerũ multarũ, quas posidẽt sine ratio- 1.
nabili causa, vtpotè vestes superfluas, li-
bros illis inutiles, pecunias ad sumptus, io- Nota.
calia, & alia bona huiusmodi mobilia, di-
cẽtes se habere Prælatorũ dispẽsationẽ, nul
la est: patet ex dictis superius. Cùm enim
dispensatio, dicatur prouida iuris cõmu- Dispẽsatio ꝓpriè quid.
nis relaxatio, vtilitate seu necessitate pẽsa-
ta: & talis cùm nõ sit prouida, nec vtilitate
seu necessitate promota, nõ est dispẽsatio
dicenda, sed potiùs iuris & religionis dissi-
patio. Secundũ, tolerantia aut dissimula- 2.
tio Prælatorũ in præmissis abusibus, nõ vi-
detur excusare monachũ. Tertium, quòd 3.
Prælati, qui talibus dispẽsationibus minùs
prouidis abutuntur, sunt in periculo ani-
marum nõ reuocando illas. Quartũ, peri- 4.
culosus est in religionibus, huiusmodi mo
dus viuendi sub talibus dispensationibus Nota.
irrationabilibus, quæ fiunt sine causa, sine
necessitate: patet ex superioribus, vbi di-
ctum est, quòd tam Prælatus dispensans,
quàm subditus huiusmodi dispensationẽ
suscipiens, grauiter peccat. Quintũ, quòd 5.
grauissimè peccãt, qui reformationi huius
modi abusuum temerè resistunt in mona-
sterijs, & se & alios defendũt, nè ab huius-
modi labe purgentur. Quartum dubium, Dubium 4.
quid si Abbas, aut conuentus non vult vi-
uere in communi, immò resistunt, & mo-
nachus siue religiosus aliquis vellet in cõ-
muni viuere? Respondetur, quòd talis re- Solutio.

 ligio-

ligiosus debet laborare pro alio conuentu, in quo regulariter viuatur, & si habere possit talem conuentum, ibi permaneat: Si verò non possit huiusmodi conuentũ habere, in tali casu excusatur, vt non habendus sit proprietarius, nec suæ professionis transgressor, habendo de licentia sui Prçlati vsum rerum necessariarum, cum proposito resignandi ad beneplacitum sui superioris. Hæc de hac materia, breuitatis gratia, dixisse sufficiat.

IN CAPVT XXXIIII.

TRACTATVS XCV.

De rerum dispensatione æqualiter facienda à Prçlato, non secundùm acceptionem personarum, sed secundùm indigentiam singulorum.

Sicut scriptum est, &c. Postquàm B. pater Benedictus dixit, omnia à patre monasterij esse expectanda: nunc subdit doctrinam circa dispensationem rerum, à patre monasterij obseruandam, dicens: *Sicut scriptũ est*: Sensus est,Ità à patre monasterij fiat dispensatio & distributio rerum, sicut facta legitur à patribus primitiuæ Ecclesiæ, Actuum 4. vbi scriptũ est: *Diuidebatur singulis, prout vnicuiq; opùs erat.* In quib9 verbis tria determinat, videlicet, à quo distribuendũ sit, quibus, & qualiter. A quo, quia à patre monasterij, per se, vel per alium, putà Cellerariũ, aut officialem aliquem, cùm dicit, *diuidebatur*. Diuidebatur dicit, s. à Prælato, non rapiebatur à singulis. Nõ licet autem religioso accipere aliquid de bonis cõmunitatis propria authoritate. Cùm enim religiosus non sit suî iuris, multò minùs debet sibi facere ius in rebus cõmunitatis, sine authoritate superioris. Vndè, qui ità sine cõsensu superioris aliquid accipit, non dubiũ quin peccat. Potest tamen circa hoc peccare plùs & minùs. Sicut enim in bonis communibus sunt quædam, quæ non solent distribui, vt thesaurus Ecclesiæ: quædã, quæ solent distribui, vt victus, & huiusmodi. Item inter ea quæ distribuũtur, quædã sunt maioris necessitatis, vt victus & vestitus, quçdã minoris, vt liber, pergamenũ, & huiusmodi. Itẽ, inter ea quç sunt alicuius necessitatis, quçdam sunt quæ non sunt adhuc distributa, sed sunt adhuc in cõmuni, quædam verò sunt iam alicui assignata. Itẽ, inter distributa, quædam sunt, quæ non possunt accipi sine alterius turbatione. Secũdùm igitur differentias istas, plùs peccat, qui accipit quod nõ solet distribui, quàm qui accipit quod solet distribui: & plùs, qui accipit quod est minoris necessitatis, quàm qui accipit quod est maioris: & plùs, qui quod assignatũ est iã alij, q̃ q accipit quod nõ est assignatũ: & plùs, qui cũ turbatione accipit, q qui sine turbatione alterius. Circa secundũ, s. quibus distributio & dispensatio fiẽda sit, dicit, *singulis*. Omnibus enim, quantuncunq; (vt dicit Aug. in regula, de humilima seculi paupertate venerint, ꝓuidendum est de cõmunitate, nè aliquis occasionem habeat habẽdæ proprietatis. Vndè grauiter peccat Abbas, vel Prælatus, nõ distribuẽs monachis vel fratribus necessarium victũ, vel vestitũ, sed permittit quẽlibet prouidere sibijpsi: cùm in hoc præstet causam & occasionẽ subditis habendi proprium, & multorum aliorum malorũ, quibus inuoluuntur subditi: quibus secũdùm præceptum regulæ de cõmuni nõ ꝓuidetur in vitç necessarijs. Sed quia dicitur singulis esse distribuendũ, quæritur: Vtrũ si forsitan aliquis est excõmunicatus, nunquid isti aliquid est distribuendũ? Respõdetur, ꝙ si talis potest habere absolutionẽ, & nõ curat, non est aliquid distribuẽdum illi, præcipuè si sit ei fomentum malitiæ: si aũt nõ potest habere absolutionẽ, quia est fortè casus pertinens ad Papã, & huiusmodi cùm religiosus sit pauper, potest ei dari sequestratim aliquid: dum tamẽ dãs, faciat causa humanitatis, nõ ex contemptu excõmunicationis: & recipiẽs, ex hoc, nõ negligat laborare pro absolutione, sed consilio Prælati paratus sit in hoc stare. Vndè Gregor. 11. q. 3. cap. Qm̃ multos. dicit sic: Si quis excõmunicatis in sustẽtationẽ nõ superbiæ, sed humanitatis causa aliquid dare voluerit, nõ ꝓhibemus. Ex quo etiã loco planè arguitur id, quod dictũ est, videlicet, ꝙ si huiusmodi sustentatio esset excõmunicato occasio negligendi absolutionem, non deberet dari ei: quia quod causa humanitatis cõceditur, non debet esse fomentũ malitiæ. Circa tertiũ, s. modũ dispensationis & distributionis, dicit: *prout vnicuique opus erat, vbi non dicimus, vt personarũ (quod absit) acceptio sit, sed infirmitatum consideratio.* Sensus est: Non debet aliã causam fauoris personalis Abbas cõsiderare, sed tantũ infirmitatẽ & indigentiam pensare. Vndè Glo. super illud Actuum 4. Diuidebant illa omnibus prout vnicuique opùs erat. dicit, non secundùm honorem, personas, & munera, sed secundũ indigentiã. Et quia nõ est vna valitudo omniũ, patet ꝙ in conuẽtu aliqd interdùm distribuendũ est vni, quod non alijs, cũ hoc requirit necessitas, vel infirmitas, vel natura, vtpotè cũ aliquis nunquàm potest vti cibis cõmunibus, vel ꝓpter naturæ infirmitatẽ, vel naturæ abominationẽ: aliter verò nõ est extendenda huiusmodi dispẽsatio, nè sub pallio necessitatis, peragatur negociũ voluptatis. De hac autem Apostolica dispensationis norma, beatus

August.

A quo fiat distributio.

Non licet monacho aliquid accipere de bonis communitatis.

Quibus fiat distributio.

Cap. 16.

Grauiter peccat Prælatus.

Vtrũ excõmunicato sit aliquid tribuendũ.

Modus distribuendi.

Interlin.

Cap. 14. August. ſic etiam dicit in regula ſua: Et
diſtribuatur vnicuique veſtrùm à Prælato
ſuo victus & tegumentum, non æqualiter
omnibus, quia non æqualiter præualetis
omnes. In iſtis enim duob^9, videlicet, quòd
omnia ſint cómunia, & quòd diſtribuatur
Differt ſpiritualis fraternitas à carnali. vnicuiq; nó ęqualiter, ſed prout cuiq; opùs
fuerit, differt fraternitas ſpiritualis à car-
nali: fratres enim carnales, cùm diuidũt, ſe-
cundùm æqualitaté, nó ſecundùm neceſsi-
taté, diuidunt: ſpirituales auté econuersò.

Quæſtio. Sed ſurgit hîc quæſtio ex dictis: Vtrùm
Abbas poſsit dare alicui plus cauſa hono-
randi eum, aut ideò quia diues fuit, aut no-
bilis in ſeculo, aut illi, qui cùm ingreſſus
fuit monaſterium, multa illi donauit? Re-
Reſponſio. ſpondetur, quòd ſic. Pro quo notandum,
Duplex ſuperfluum: & duplex indigentia. quòd ſicut duplex eſt ſuperfluum, ſ. reſpe-
ctu naturę, & reſpectu perſonę: ità duplex
eſt indigétia, ſ. illa naturæ, & illa perſonę.
Et eſt aliquid quo perſona indiget, nó na-
tura. Poteſt igitur inter viuétes in cómuni
eſſe aliqua perſona, cui propter aliquá per-
ſonę circúſtantiá, plus eſt interdùm in cau-
ſa deferendum, cum moderamine tamen,
quanuis natura nó indigeat. Vndè Pręlato,
vel illi qui fuit diues, vel nobilis in ſecu-
lo, vel qui plura dedit monaſterio, poteſt
plus interdùm dari: & quandò fit cum mo-
deramine, fit ſecundùm indigentiá, nó na-
turæ, ſed perſonæ. Si auté cum moderami-
ne debito nó fieret, iam nó fieret ſecundùm
exigentiam perſonæ, nec naturæ: ſed tunc
fieret ratióe honoris, aut muneris, vel per-
ſonæ acceptione, & hoc non licet.

TRACTATVS XCVI.

Quòd in diſpéſatione rerum, fiendarum à Prælato fratribus in monaſterio, cauenda ſunt hæc duo, ſcilicet ſuperfluitas, & nimia tenacitas.

PRætereà cóſiderandum, quòd per
hoc quod dicit, *ſicut cuique opùs fue-
rit*, non ſicut quiſque voluerit: in-
nuit quòd cauenda eſt ſuperflui-
tas, & nimia tenacitas relinquens indigen-
tiá. Neceſsitas enim miniſtrata, nec ſuper-
fluitatem habet, nec indigentiam. Circa
quę duo vitanda in neceſſariorum diſpen-
ſatione fienda fratribus, veniũt aliqua no-
tanda. Et primò, circa ſuperfluitatem, no-
tandum, quòd licèt omni Chriſtiano ca-
uenda ſit ſuperfluitas, iuxta illud 1. Timo-
thei 6. Habentes alimenta, & quibus tega-
mur, his contenti ſimus: tamen magis ca-
uenda eſt clericis, iuxta illud 1. Cor. 9. Qui
In Declamation. altario ſeruit, de altario viuat. Bernardus:
Viuat, inquam, non ſuperbiat, non luxu-
rietur, non ditetur, nó in clericatu ex pau-
pere diues fiat, ex ignobili glorioſus. Maxi- Rerum ſuperfluitas clericis maximè cauéda & religioſis, ſex rationibus.
mè verò cauenda eſt religioſis. Vndè Num.
6. dicitur: Vir ſiue mulier, cùm ſe volue-
rint Domino cóſecrare, à vino & ab omni
quod inebriare poteſt, ſe abſtinebunt. Poſ-
ſunt auté aſſignari ſex ratióes, propter quas
cauenda maximè ſit religioſis ſuperfluitas.
Prima, quia eleemoſynæ ipſæ, de quib^9 vi- 1.
uitur, dantur bonis viris intuitu neceſsita-
tis. Vndè ad Rom. 12. dixit Apoſt. Neceſſita-
tibus ſanctorum cómunicantes. Secunda, 2.
quia vt frequenter fiunt de dantium neceſ-
ſitatibus. Luc. 21. Vidua ex eo quod deeſt il-
li, omnem victum ſuum miſit in munera
Dei. Vndè ad ſuperfluè expendentes elee- Contra ſuperfluè expendentes.
moſynas vox eſt pauperũ, ſecundùm Ber-
nardum: Vita noſtra cedit vobis in ſuper- Epiſt. 42.
fluas copias. Noſtris neceſſitatibus detrahi-
tur, quicquid accedit vanitatibus veſtris.
Iſaiæ 26. In terra ſanctorum iniqua geſſit.
Bernardus: Tam iniqua egérunt in terra, Serm. 24. in Cantica.
vt ſtipendijs, quæ ſufficere debeant, mini-
mè contenti, ſuperflua, quibus egeni ſuſ-
tentandi forent, impiè conſumere non
vereantur. Penſandum eſt diligenter, qua-
le ſit illud, quòd neceſsitatibus dantium
ſubtrahitur, quod pro neceſſitate rele-
uanda porrigitur, ſuperfluè expendatur.
Tertia, quia eleemoſynæ dantur pro pec- 3.
catis, & hoc illorum, quorum aliqui ar-
dent in inferno, aliqui in Purgatorio, ali-
qui adhuc in concupiſcentijs, in mundo.
Sunt ergò huiuſmodi eleemoſynæ panis
doloris & luctûs. Quis ergò mente ſanus
audeat de his feſtum aut ſuperfluitates fa-
cere, & non potiùs cum timore comede-
re? Quarta, quia eleemoſynæ prædictæ 4.
ſunt de alieno. Non reputatur autem de-
cens, quòd de alieno corio faciat quis ſibi
longas corrigias. Quinta, quia acquiſitæ 5.
ſunt per laborem fratrum non modicum.
Dauid enim noluit bibere aquam acquiſi-
tam à tribus fortibus, cum periculo & la-
bore magno, ſicut dicitur 2. Regum 23.
Sexta eſt, quia oportet de earum diſpenſa- 6.
tione reddere rationem diſtrictam. Ber-
nardus: Quid delicię illæ tibi ſapiunt, qui- In Declamation.
bus duræ temetipſum obligas rationi? & lo-
quitur viuenti de iſtis eleemoſynis. Qua
conſcientia ergò audet quis facere ſuper-
fluas expenſas, de eleemoſynis, de quibus
tam ſtricta ratio reddéda relinquitur? Igi-
tur nec ratione recreationis, nec ratióe ho-
ſpitalitatis, nec ratione capituli, nec aliqua
alia quacunque cauſa, laxandæ ſunt habe-
næ ſuperfluitatibus. Circa verò tenacita- Vitáda eſt tenacitas in diſtribuendo, octo cauſis.
tem vitandam ſecundò notandũ eſt, quòd
in diſtribuendis neceſſarijs largè, prout fa-
cultas permittit, ſunt bona miniſtranda
ſeruis Dei. Et ad hoc poſſunt induci octo
cauſæ. Prima ſumitur ex forma & exem- 1.
plo congregationis ſanctorum patrum

Ecclesiæ primitiuæ, de qua dicitur Actuũ 4. quòd nullus egẽs erat inter illos, diuide-
2. baturq́; singulis prout cuiq; opus erat. Secunda sumitur ex ipso ordine rerum ad hominem. Certum est enim, quòd sicut Deus fecit hominem ad seruiendum sibi, ità fecit omnia ad seruiendum homini: & ideò qui non seruit ei, secundùm Augustinum, nõ est dignus pane quo vescitur. Cùm enim homo peccator nõ reddat seruitiũ creatori debitum, non est dignus illis quę sibi debebantur propter huiusmodi seruitiũ. Econtrà verò, omnia sunt iustorum, secundùm Augu. & ideò dicit Apost. 1. Cor. 3. Omnia vestra sunt. Glo. ad seruiendũ vobis data. Dignũ est igitur, vt religiosis de his omnibus, quæ sua sunt, saltem eis necessaria ministrentur: immò quãto laudabiliùs ei seruiunt, tãto digniores sunt meliori prouisione. Et hoc cõfirmat, quod legitur in Vitis patrũ, de quodã eremita, cui Dominus per angelũ misit panẽ delicatũ ad sustentationẽ sui: & cùm cœpisset superbire, missus est ei panis aliquantulùm grosior: & cùm plùs & plùs crescebat eius peccatum, semper grosior mittebatur, & tandem cõsummato peccato, nihil est missũ. Ex quo patet, quòd quanto quis melior est, tãto dignior est meliore prouisione: & cùm quis malus est, indignus est omni prouisione.

Quòd seruis Dei largè prouidẽdũ est circa necessaria. *Interlin.* *Exẽplum.*

3. Tertia est, ex debito iustitiæ. Valdè enim reprehensibile est, si conuẽtui iuxta facultatem monasterij necessaria nõ ministrentur, cùm cõuentus pondus diei & æstũs sustineat: vndè contra iustitiã delinquitur. Ecclesiastici 34. Qui aufert in sudore panẽ, quasi qui occidit proximũ suum. Præterea conuentus est sicut iumentũ, cui Dominus insidet: Saluator enim manet in cõmunitate. Bernar. Amator cõmunitatis & cõmendator, quomodò cõmunitatem deseret? Inhumanũ est autẽ, vt iumẽto pabulũ necessarij subtrahatur, cui onus imponitur, & flagellũ virgę adhibetur.

Conuentus est quasi quoddam iumentum.

4. Quarta est, beneplacitũ diuinæ voluntatis. Licèt enim Dominus sanctos suos varijs permiserit perire martyrijs: sicut habetur ad Heb. 11. Lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt, &c. nunquàm tamẽ legitur quòd permiserit aliquẽ sanctum fame, vel inedia interire. Vnde cùm Helias fugiẽs, abscõditus esset in torrẽte Carith, misit ei Domin⁹ per coruũ necessaria, 3. Reg. 17. Et cùm Daniel esset in lacu leonũ in Babylone, misit ei Dominus per angelũ deferentẽ Abacuc prãdium, Dan. 14. Et Paulo primo eremitæ misit panẽ cõtinuè. Ideò dicitur ad Heb. 13. Nõ te deserã. Glo. quin dem necessaria: nec derelinquã. Gl. derelinqueretur, qui fame periret. Constat ergò, quòd voluntas Dei est, quòd seruis suis necessaria ministrentur, cùm ipse, vbi alia deest prouisio, etiã miraculosè prouideat.

Vide ad literã, quòd nullus vnquã sanctorum fame perijt. *Hier. in vi. tæ Pauli.* *Interlin.* *ord. in cap. 13. Heb.*

5. Quinta est, quia ex hoc quòd prouidetur de necessarijs abundè, boni insurgũt ad laudẽ creatoris. Psal. 21. Edent pauperes, & saturabũtur: & laudabũt Dominũ qui requirũt eũ. quia qui non requirũt, nec curã habẽt de Deo, nõ laudãt indè Deũ, sed potiùs abutũtur reb⁹ administratis ad voluptatẽ & peccata.

6. Sexta, quia cùm necessaria cõuentui nõ ministrãtur, multa mala quandoquè indè proueniunt. Inopia enim ipsa, multis religiosis est occasio multorum malorum. Ex hoc enim aliqui sunt in murmure: nec mirũ, cùm asina Balaam prophetæ eã iniustè cædẽtis conquesta sit, Num. 22. Itẽ, ex hoc sequitur euacuatio cõuẽtũs. Aliquãdò enim pro defectu, qui pro modico posset suppleri, refectorium euacuatur, & cum magnis expensis, & magno detrimẽto religiõis, fratres per cameras dispergũtur ad comedẽdũ. Itẽ, datur occasio indè multis habẽdi proprium, vt per proprietatẽ releuent inopiã suã: alij quandoquè propter hoc mutant statum suum meliore in peiorẽ. Ecclesiastici 26. Propter inopiã multi deliquerũt. Per prouisionẽ autem sufficientẽ, cauẽtur ista peccata.

Multa sequuntur, cùm necessaria cõuentui non ministrantur.

7. Septima est, desolatio monasteriorũ. Cùm enim desunt necessaria, multi, sufferre nõ valentes, recedunt, & derelinquunt monasteria, & ità desolãtur multa loca religiosorum: sicut manifestè temporibus istis videmus.

8. Octaua est, defectus vtilium & potentium personarũ. Deficientibus enim in conuentibus necessarijs, fiunt fratres multotiès minùs vtiles & potentes ad opera, tam actiuæ vitæ, quàm cõtemplatiuæ, in quibus subueniunt proximo, celebrando, prædicando, consulendo: sicut apertissimè intuemur, ità quosdã in aliquibus monasterijs ex defectu necessariorum debiles & impotentes effectos, vt omninò redditi sint inutiles monasterijs. Econtrà cùm necessaria plenè administrantur, religiosi potẽtiores redduntur ad proficiendum, & deseruiendũ vtilitatibus proximorum: quarè prouidẽdum est eis in temporalibus ità competenter, vt possint vtiles esse monasterijs. Vndè super illud Psal. 146. Et herbam seruituti hominum. dicit Glosa: id est, temporalia humilibus, qui pro Christo serui fiunt, omnium fratrum vtilitati intendentes.

ord. in psal. 146.

TRACTATVS XCVII.

Quòd robustiores corpore, nõ debeant contristari, quòd infirmis latiùs prouideatur: nec infirmi extollantur, quòd eis plus quàm cæteris distribuatur: vbi, quòd felicior sit status sanorum, quàm infirmorum.

QVI

Q*VI minùs indiget, agat Deo gratias, & non contristetur. Qui verò plùs indiget, humilietur pro infirmitate, non extollatur pro misericordia: & ità omnia mebra erũt in pace.* Quia enim ex inęqualitate distributiõis aliqui, maximè infirmi & imperfecti animo, sed corpore robustiores, poterãt contristari, aut murmurare, quia ipsis non ęqualiter dispẽsetur: sanctus pater subiungit doctrinã salutarem, dicens, quòd qui minùs indiget necessarijs, cùm plus virtutis & valetudinis habeat, debet Deo omniũ bonorũ authori gratias indè agere: qui nõ contristari debet, quòd minùs egeat, sed potiùs gaudere, vtputà ampliori virtute & fortitudine à Deo dotatus. Vndè Augustin. in regula: Nec illos putent feliciores, quia sumunt, quod non sumunt ipsi: sed sibi potiùs gratulentur, quia valent, quod non valent ipsi. *Qui verò plùs indiget* necessarijs, cùm hoc tãtùm sit ratione infirmitatis, optimè sanctus pater dicit, quòd *humilietur pro infirmitate, non extollatur pro misericordia*: quę sibi ratione infirmitatis exhibetur: *& ità* faciendo, *omnia membra* cõgregationis *erunt in pace*. Vbi notandum, quòd multiplici ratione ostendi potest, quòd felicior sit status sanorum, quàm infirmantium: & per consequens, quòd infirmi, licèt plus sumãt de necessarijs, aut delicatiùs foueantur, nõ sunt reputãdi feliciores quàm sani. Primò, quia maiorẽ habeãt indigen-

Cap. 14.

Felicior est status sanorũ, q̃ infirmorũ, multiplici ratione, contra malè ferentes, q̃ aliqui infirmiores humaniùs habeantur in mõasterio.

1. tiam, quod non est felicitatis, sed miseriæ.
2. Secundò, quia frequenter, quod sumũt, cũ
3. magna verecũdia sumũt & angustia. Tertiò, quia illa quæ sumunt, licèt sint meliora, non tamen eos tantùm delectant, vt sa-
4. nos minùs bona. Quartò, quia cũ his omnibus habẽt multas afflictiones alias, quæ eos
5. vexant. Quintò, quia priuantur multis cõsolationibus spiritualibus, quas habẽt sani in lectionibus, in officijs ecclesię, in studijs,
6. & huiusmodi. Sextò, quia oportet eos etiã inuitos alios in multis portare, vt ipsi portentur: quæ omnia potiùs habent miseriã
7. quàm felicitatẽ. Septimò, quia sani & fortes in religione habent multã materiã gau-
8. dẽdi in Domino, & ei gratias agẽdi. Octauò, quia status infirmitatis, est multis occasio murmuris, & impatientiæ, & accediæ, & aliorum multorum, à quorum occasione
9. liberi sunt sani. Nonò, quia sani sunt liberi à multa seruitute, qua infirmi sunt subiecti Prælatis, & officialibus, occasione
10. suæ necessitatis. Decimò, quia libentiùs in omni cõuentu habentur sani, quàm infir-
11. mi. Vndecimò, quia onera Ordinis sunt
12. sanis leuiora, quàm infirmis. Duodecimò, quia sani habẽt vndè plùs lucrari possunt in meritis: quanto enim saniores, tanto potentiores sunt ad plura opera, in quibus
13. omnibus possunt mereri. Tertiodecimò, quia sani iocundiorem, pluribus consolationibus refertam, & sine tædio vitam ducunt. Per quæ patet ratio huius mandati, in quo prohibuit, nè aliquis tristetur de inæqualitate distributionis. Consequenter autem subdit mandatum, nè aliquis murmuret illa, aut alia quacunq; causa, dicens: *Ante omnia nè murmurationis malum pro qualicunq; causa in aliquo, qualicunq; verbo, vel significatione*, id est, signo aliquo vel actu, indignationẽ animi ostendente, *appareat*. Sapiẽtiæ primo scribitur: Custodite vos à murmuratione. quod maximè conuenit religiosis communem vitam agentibus: quoniam, vt Bernardus testatur: Nihil sic horrendum in communitate est. Et ideò optimè subdit sanctus pater: *Quòd si deprehensus fuerit quis*, scilicet super murmure, *districtiori disciplina*, id est, maiori vindictæ, *subiaceat*. De hoc murmurationis vitio, quia plura notauimus circa instrumentũ 40. ista dixisse sufficiat.

Omninò cauenda est murmuratio.

IN CAPVT XXXV.

TRACTATVS XCVIII.

De coquinæ seruitoribus: vbi de causis, propter quas fratres mutuò sibi inuicèm seruire debent.

F*Ratres sic sibi inuicèm seruiant &c.* Quia superiùs sanctus pater, p̃ximè egerat de distributione fienda singulis, prout cuique opùs erat: Et quia potissimè hæc sunt, quæ ad refectionẽ fratrum pertinent, subdit de seruitoribus, & maxime coquinæ, dicens: *Fratres sic sibi inuicèm seruiãt, vt nullus excusetur à coquina officio, nisi aut ægritudine, aut causa grauis* id est, grandis *vtilitatis*, quæ nota debet esse Abbati & fratrib9, vt omninò tollatur causa discordię, *quis occupatus fuerit: quia exindè maior merces & charitas acquiritur*. Vbi designantur duo tanquàm præmia, propter quæ officium ab omnibus debeat læto animo administrari. Vnũ, est in futuro, videlicet maioritas mercedis, siue remunerationis gloriæ, quæ debetur dignè, & maximè in humilibus obsequijs, laborantibus. Secundum, est in præsenti, scilicet charitas, id est, concordia, quę ex huiusmodi parilitate, & omniũ mutua obsequiosa humilitate, nutritur & firmatur. Sequitur: *Imbecillibus autem* id est, delicatis, debilibus, fragilibus, *procurentur solatia*, id est, societates in solatium, & adiutorium laboris, *vt non cum tristitia hæc faciant, sed habeant omnes* scilicet indigentes, *solatia secundùm modum* id est, quantitatem, *congregationis*, quia per vnum paucis, per plures multis seruitur, *aut positionem loci*. Non dubium, quòd plures requiruntur ad seruiendum multis, quàm paucis: & ad seruiendum vbi res veniunt portandæ de locis distantibus, vtpu-

Duo, p̃pter quæ debemus quodlibet officium læto corde suscipere.

Duæ causæ præstandi adiutorij officiali.

vtputà aqua, ligna, olera, vel alia necessaria, de loco remoto: si etiã officinæ ab inuicèm multũ distant. Sequitur: *Si maior cõgregatio fuerit, Cellerarius excusetur à coquina, vel si qui, vt diximus, maioribus vtilitatibus occupãtur: cæteri sibi sub charitate inuicèm seruiant.* Omnia plana sunt. Sequitur: *Egressurus de septimana, sabbato mũditias faciat.* id est, studiosè mũdet omnia vasa coquinæ, scilicet ollas, lebetes, scutellas, cochlearia, & alia oportuna coquinæ instrumẽta. Insuper diligenter debet scopare coquinam, debet etiam lauare linteamina, cum quibus fratres tergunt manus & pedes. Nam iuxta consuetudinem sabbato fratres lauant pedes & manus: & ille, qui exit de officio, debet lauare: qui verò intrat, detergere. Vndè sequitur: *Linteamina, cum quibus sibi fratres manus aut pedes tergunt, lauet. Pedes verò tam ipse, qui egreditur, quàm ille, qui intraturus est, omnibus lauent. Vasa ministerij sui munda & sana Cellerario reconsignet: qui Cellerarius item intranti cõsignet, vt sciat quid dat, aut quid recipit.* Plana sunt omia. Sequitur: *Septimanarij autem, ante vnam horam refectionis, accipiant super statutam annonam singulos biberes,* id est, parua vascula, quæ plena sufficiunt ad vnum moderatum haustum, *& panem: vt hora refectionis sine murmure & graui labore seruiant fratribus suis.* Vtrùm autem hoc facientes diebus ieiuniorum Ecclesiæ, soluant ieiuniũ? videtur quòd nõ, vt dicit Gilbertus in apparatu suo de seruitoribus & lectoribus in mensis religiosorum: dumtamẽ, inquit, fiat cum licentia superioris. Et Petrus de Palude in 4. distin. 17. dicit, loquens de seruitoribus, quòd si quis non propter famem, aut voluptatem, sed timore nè deficeret præ vanitate capitis, si ficus aut poretũ, aut aliquid huiusmodi prælibaret per modum medicinę, non est fractio ieiunij. *In diebus tamen solennibus vsque ad Missas,* s. completas, *sustineant.* Sequitur: *Intrantes autem & exeuntes hebdomadarij, in oratorio, mox finitis matutinis Dominica, omnium genibus prouoluãtur, postulantes pro se orari. Egrediens autem de septimana, dicat hunc versum: Benedictus es Domine Deus, qui adiuuisti me, & consolatus es me.* dando s. mihi bonam voluntatem, quatenùs cum amore & animi iocunditate opus ipsum perficerem, & dignè consummarem. *Quo dicto tertiò, accepta benedictione egrediatur: & ingrediens dicat: Deus, in adiutorium meum intende: Domine, ad adiuuandum me festina. Et hoc idem tertiò repetatur ab omnibus: & accepta benedictione, ingrediatur.* Omnia plana sunt, ex antiquorum patrũ moribus sumpta. Vndè vt refert Cassianus lib. institutionum monachorum: Per cunctam Mesopotamiam, Palæstinam, & Cappadociam, ac totum Orientem, singulis hebdomadibus vicissim fratres ad hæc officia sibi reddenda succedunt: ità vt secundùm multitudinẽ cœnobij, ministrorum quoquè numerus deputetur: quæ explere tanta deuotione & humilitate properant, quanta nullus seruorum ditissimo domino ac præpotenti suum exhibet famulatum. Ità vt ne istis quidem solis contẽti obsequijs, quę canonico iure soluuntur, etiam nocte surgentes, illos, quibus specialiter hæc manet cura, studio suo releuent, & ea, quæ ab ipsis perficiẽda sunt, furtim pręuenientes, implere contendant. Has autem septimanas vnusquisq; suscipiens, vsque ad cœnam diei Dominici administraturus obseruat: qua peracta, ministerium totius hebdomadis ità concluditur, vt hi, quibus succedendum est, conuenientibus in vnũ fratribus, ad concinendos psalmos, quos quieturi ex more decantant, omnibus in ordine pedes abluant: hanc scilicet ab eis pro labore totius septimanæ benedictionis mercedem fideliter expetentes, vt eos, explentes mandatum Christi, emissa generaliter ab omnibus fratribus oratio prosequatur, quæ vel pro ignorationibus intercedat, vel pro admissis humana fragilitate peccatis, & commendet Deo, velut sacrificium pingue, cõsummata eorum deuotionis obsequia. Itaq; secũda sabbati post matutinos hymnos, alijs rursùm succedentibus, vtensilia, in quibus ministrauerant, ac vasa consignant, quæ tanta solicitudine curaque suscipiẽtes custodiunt, nè quid ex his minuatur vel pereat, vt credant se etiam pro minimis quibusq; vasis, tanquàm pro sacrosanctis rationem, non solùm dispensatori præsenti, sed etiam Domino reddituros, si fortè aliquid ex eis negligẽtia eorum fuerit imminutum. Circa præsentis capituli principalem conclusionem notandum, quòd ad mutuò sibi inuicèm seruiendum, debent fratres multa mouere, & specialiter tria exempla, & tres rationes. Primum exemplũ est Christi, qui cùm in habitu regis nõ posset seruire hominibus, accepit formam serui, vt in ipsa nobis seruiret existens in medio nostri. Ego autem, inquit Lu. 22. in medio vestri sum sicut qui ministrat. Secundum est exemplum reginæ angelorũ, & matris omnipotentis Dei virginis benedictæ, quæ licèt puella tenera & prægnans esset, nihilominùs ascendit in montana, non lentè, sed festinanter, ad seruiendum Elizabeth cognatæ suæ, multò minori se, Lucæ 1. Tertium est exemplum sanctorũ angelorum, qui de omni ordine, quãtumcunquè alto, veniunt in hunc mundum ad seruiẽdum hominibus. Omnes, inquit Apostolus, sunt administratorij spiritus in ministerium missi, ad Heb. 1. Ratio prima ad hoc mouens, est causa maioritatis. Solet enim interdùm ratione maioritatis ser-

Biberes quid sit.

Vtrùm lectores, vel seruitores in mẽsa religiosorũ, frangãt ieiunũ, aliquid sumẽdo ante prandium.

q. 4.

lib. 4. ca. 19.

Sanctorum patrum antiqua consuetudo.

Mirabilis feruor sanctorum monachorum.

Tria exempla & totidem rationes mouere nos debent ad seruiendum inuicèm.

1.

2.

3.

1. Ratio.

seruiri alicui, sicut seruit seruus domino. Debet autem quilibet verè æstimare de fratre suo, quòd sit maior eo. Phil. 2. In humilitate superiores sibi inuicèm arbitrantes. Aug. in Glo. Non hoc ità debemus existimare, vt nō existimemus, sed nos existimare fingamus, sed verè existimemus posse aliquid esse in aliquo, quo nobis superior sit, occultum.

Lib. quæst. 83. q. 71.

2. Debent religiosi sancti existimari.

Secunda est, causa sanctitatis: Solet interdùm seruiri alicui propter sanctitatem. Vndè in commendatione bonæ viduæ, 1. Timoth. 5. Si sanctorum pedes lauit. Viri autem religiosi, signati per Nazaręos, quod idē est quod sancti, debent omnes reputari sancti.

3. Tertia ratio est, causa dilectionis: Solet interdùm seruiri alicui ratione dilectionis, sicut quis seruit dilectis suis. Vndè Galat. 5. Per charitatem seruite inuicèm. Viri autem eiusdem professionis, summa dilectione solent coniungi tanquàm membra eiusdē corporis, quæ naturaliter multùm se diligunt.

Optima conclusio.

Si ergò in fratre quolibet inueniuntur ista tria, videlicet quòd sit superior, quòd sit sanctus, quòd sit Deo dilectus, & quodlibet est per se ratio seruiendi: quanto magis hæc omnia congregata in singulis fratribus, debent mouere alios fratres, ad seruiendum sibi inuicèm?

IN CAPVT XXXVI.

TRACTATVS XCIX.

De causis mouentibus ad magnam infirmorum curam.

INfirmorum cura &c. Superiùs sanctus pater egit de seruitio fratrum sanorum, siue benè valentium, & quomodò debeant seruire hebdomadarij. Hìc subdit de cura habenda infirmorum, vbi sex ponit documenta siue mandata.

Sex mandata circa curam infirmorum. 1.

Primum est, quòd cura maxima de infirmis habenda sit, dicens: *Infirmorum cura, antè omnia & super omnia, exhibenda est.* quod ideò dicit, quia nulla res ità agenda est cum tanto studio, quomodò obsequium infirmorum: ista est principalis cura, quæ inesse debet Abbati. *Ante omnia dicit & super omnia. Ante omnia* verò, refertur ad tempus, vt nihil videlicet priùs fieri iubeat per singulos dies, quàm studium infirmorum. *Super omnia*, pertinet ad diligentiam & ad studiū, quę habēda sunt circa infirmos, vt non negligēter aut molliter iubeantur procurari, sed cum maxima dilectione, diligentia, & deuotione. Vndè sequitur: *vt sicut reuerà Christo, ità eis seruiatur*: Si enim Christus modò esset in carne, sicut tempore Apostolorum fuit, qualem ei domū præparassemus? Ergò sicut Christo, ità seruiendum est infirmis, attēto maximè quòd in eis seruitur Christo. *quia ipse dicit, Infirmus fui, & visitâstis me. Et, Quod fecistis vni ex his minimis meis, mihi fecistis.* Matth. 25.

Plura mouere debēt, maximè Prælatos, ad curam infirmorū. 1.

Circa hanc partem notandum, quòd ad magnam curā de infirmis fratribus habendam, sicut hìc præcepit beatus pater Benedictus, multa sunt, quę mouere debent fratres, & maximè Prælatos. Primum est, quia infirmitas est miseria summè afflictiua, quod patet sic: Inter oēs miserias, ad quas solet misericordia se extendere, nulla est afflictiua adeò, siue fames, siue sitis, siue nuditas, siue carentia hospitij, siue carcere detineri, siue alijs aggrauationibus, sicut infirmitas: ità nulla de prædictis facit impotentem hominē ad releuandā suam miseriam, sicut infirmitas. Famelicus enim, & sitibundus, nudus, & vagabundus, possunt se iuuare ad suæ miserię reuelationē, & etiam incarceratus aliquandò se liberat: quia omnibus istis remanent vires corporis. Infirmi nō possunt, vel parùm possunt: quia infirmitas aufert vires.

Infirmitas est miseria summè afflictiua.

Itē, nulla de prædictis miserijs est, quæ faciliùs releuari non possit, quā infirmitas. Facilè enim est, esurientem edere, sitientem potare, nudū vestire, quia hæc dependent ex sola voluntate detinentis. Infirmitas verò, quandoquè nec per medicos multos, nec per medicinas multimodas, potest releuari, nisi à solo Deo: quia ipse est qui vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt, sicut dicitur Iob 5. Infirmitas ergò est miseria summè afflictiua, summè faciēs impotentem, summè difficilis ad remedia. Indè est, quòd Dauid volens prouocare dominum ad misericordiam, allegat istā magnā miseriā, dicens: Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. quasi dicat: Ideò miserere, quia sicut infirmus grauiter sum afflictus, nec possum me iuuare, nec aliūdè expecto remediū.

Psal. 6.

Cùm ergò misericordia dicatur, quasi miseris cor dans vel donans, & ideò magis fluere debet ad maiorē miseriam: si qua sunt viscera misericordiæ in religiosis, debent illa effundere abūdantiùs ad infirmos, curam specialē habendo de eis.

Efficacissimum arg. quod religiosus infirmus, maximè est iuuandus.

Ad fortificationē verò huius rationis, multùm facit, quòd religiosus propter Christū reliquit sua, de quibus poterat sibi subuenire in infirmitate: Reliquit etiā suos, qui suis deficientibus sibi poterāt subuenire: Reliquit etiā semetipsum, qui sibi poterat, illis deficientibus, aliqua procurare, quod modò non potest sine alterius voluntate. Quanta ergò impietas esset, ꝙ illi, qui hęc fecit pro Christo, vicarius Christi, & serui Christi, nō adhiberēt curam solicitā in sua infirmitate?

2. Secundū est, exemplū Christi. Christus enim exēplar nostrū, non legitur tantam curā habuisse de aliquibus miseris, sicut de infirmis.

Exemplum nobile.

Non enim legitur vestisse nudos, recepisse hospites, visitasse incarceratos: famelicos verò & sitibundos licet le-

gatur recreâsse, tamen raro: qui primum fecit in deserto, secundum verò in nuptijs. De infirmis legitur curam diligentem habuisse, modò confortando, dicendo, Fili confide: modò tangendo propria manu etiam leprosum: modò erigendo, modò plenè sanando, & similia multa, quę ad curam istam pertinent, quasi innumerabiliter faciendo.

Exēplum.

Item Paulus, qui nos hortatur ad imitandum se, 1. Cor. 4. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. tantam curam habuit de infirmis, vt non solùm de præsentibus, sed etiam de absentibus: non solùm de grauibus infirmis, sed etiam de leuiter ęgrotantibus, solicitè curaret. Noli, inquit absenti discipulo, 1. Timoth. 5. adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachū. tamen debilitas non est de maioribus infirmitatibus. Quid, obsecro, fecisset de præsente grauiter ægrotante, qui tantam curam habuit de absente leuiter patiente? vtiquè non solùm cum aliquibus, sed etiam cum omnibus ægrotantibus ægrotaret.

2. Cor. 12.

Quis, inquit, infirmatur, & ego non infirmor? Exemplum de Epaphrodito, de quo dicit Philip. 2. Infirmatus est, sed Dominus misertus est eius. Non solùm autem eius, sed & mei, nè tristitiam super tristitiam haberē.

Exēplum.

Item Centurio pro seruo suo secūdùm carnē ęgrotante, accessit ad Iesum, rogans eum pro illo alleuiando, ità deuote, ꝙ misertus Dominus dixit se nō inuenisse tantā fidē in Israel, Matth. 8. Si aūt iste gentilis, & laicus, & miles tantam curam habuit de seruo suo infirmo: quid faciēdum est fideli, literato, & religioso, de fratre suo in Christo? Ad habēdum ergò curā solicitam de infirmis, moueat exemplum Christi: quòd si hoc

3. non, moueat exemplū viri gentilis. Tertium, est proprium officium: & hoc quantùm ad Prælatos. Ipsi enim sunt pastores, sicut habetur Ezechielis 34.

Prælati propter diuersa, quibus assimilantur, maximè debēt curare de infirmis.

Boni autem pastoris est, curam habere de oue ægrotante maiorem, quàm de alijs. Ideò dicitur econtrariò de quibusdam Ezech. eodem, in repræhensione eorum: Quod infirmum erat, non consolidâstis. Sunt iterùm medici, propter quod alijs debet esse medicus. Medici autem est, magis curare de infirmis, quàm de sanis: quia isti indigent, illi non. Matth. 9. Non est opùs valentibus medico, sed malè habentibus. Specialiter autem hoc conuenit Pręlato religioso, qui curam tam corporum, quàm animarum fratrum suscepit & habet. Item sunt quasi matres. Thren. 2. Matribus dixerunt, vbi est triticum? Hoc enim est verbum subditorum ad Prælatos. Sed heu Prælati quidam sua duritia implent illud Thren. 4. Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos. quia cùm deberent esse misericordes ad subditos, suis duris operibus vexant eos quasi carnes in lebete. Non est hæc natura mulierum erga infirmos, immò sunt quæ curam maiorem solent habere de infirmis. Vndè Ecclesiastici 36. Vbi non est mulier, ingemiscit æger, vel egens, secūdùm aliam literam. Maximè autem matris est, erga filium infirmum magis moueri misericordia. Vndè Eccle. 4. dicitur: Miserebitur tuî magis quàm mater. per quod innuitur maior affectio pietatis matris ad filiū.

Attendant Prælati.

Attendant, qui habent officium pastoris, medici & matris: quòd si pastor magis curare debet de oue infirma, q̄ de sana, & medicus magis de infirmis, quàm sanis, & matter de infirmis filijs specialiter: ità ipsi curā maximam debent habere de infirmis, & implere solicitè mandatū sanctū, quod hîc traditur de cura infirmorum.

Docum. II.

Secundū documentū, quod sanctus pater ponir, respicit ipsos infirmos, & est, quòd superfluitate aliqua, aut impatientia, non contristent seruitores suos, dicens sic: *Sed & ipsi infirmi considerent, in honorē Dei sibi seruiri, & non superfluitate sua contristent fratres suos seruientes sibi.*

Maximè aduiti ad hoc debent infirmi.

Debent enim infirmi cōpescere & refrenare se, quātùm commodè valent, nè fratres, qui illis pro amore Dei volunt seruire, contristent aliquibus inquietudinibus, aut superfluorum petitionibus, aut impatientia aliqua, aut incompositis moribus prouocent ad iram: ad quod optimè facit hæc consideratio, quam sanctus pater iubet illos habere, videlicet, quòd consideretur in honorem Dei sibi seruiri. Sequitur: *Qui tamen patienter portandi sunt:* Quia autem sæpè contingit, vt ipsi infirmi ægritudine grauati, aut alienati mente, inquieti, graues, furibundi & molestissimi ad ferendū fiāt, subdit pijssimus pater, pijssimā doctrinam, quòd nihilominùs tales patienter sunt tolerandi & sufferendi.

De molestioribus infirmis maior merces acquiritur.

Et subiungit causam: *quia de talibus copiosior merces acquiritur:* s. pro patiētia, pro labore maiori, pro ampliori charitate, & pietate talibus præstita & exhibita. Ex iam dictis concludit principalem conclusionem huius capituli: *Ergò cura maxima sit Abbati, nè aliquam negligentiam patiantur.* scilicet infirmi. Hoc autem accipiendum est, tam de necessitatibus corporalibus, quàm de pertinentibus ad animæ consolationem.

Docu. III.

Infirmantium locus.

Sequitur tertium documentum, in quo de mansione infirmantium: *Quibus fratribus infirmis, sit cella desupèr deputata,* id est, ab alijs officinis monasterij separata: quod non est ità accipiendum, vt multis infirmis sufficiat vna cella, immò debent esse distinctæ & plures: & hoc propter varias & multiplices infirmitates, quibus fratres laborare possunt, nè ad inuicèm se molestarent. Prætereà cùm contingere potest, quòd vnus habet vomitum, alius fluxum, alius

labo-

laborat in extremis, & iuxta istos esset alius
quem oporteret comedere, & alius quem
expediret dormire : indiscretum procul-
dubiò esset, omnes istos in vna cella locare.
Meritò ergò diuersæ mansiones habendæ
sunt pro infirmis. Quæ infirmorum do-
mus, oratorium propè debet habere, in
quo infirmi valeât Missam audire, & com-
munionem recipere, quandò expedierit.
Docu. IIII. Sequitur quartum documentum, in quo
agitur de seruitore infirmantium : *& serui-*
tor timens Deum, & diligens, ac solicitus, scilicet,
Tres bonæ conditiones seruitoris infirmorum. constituatur infirmantium. Vbi tres opti-
mas conditiones seruitoris ponit. Pri-
ma est, timor Domini, scilicet filialis : in
quo designatur, quòd seruitor debet esse
1. humilis & patiens, secundùm illud Eccle-
siast. 2. Qui timet Dominum, patientiā ha-
Psal. 118. bent. vt dicat cū propheta in psal. Paratus
2. sum, & non sum turbatus. Secunda est, di-
ligentia. Diligens enim seruitor debet esse,
non piger aut remissus, secundùm illud
Prou. 22. Vidisti hominem velocē in opere
3. suo? coram regibus stabit. Tertia est, solici-
tudo : debet enim seruitor esse prouidus,
& solicitus ad prouidendum, & subueni-
endum infirmis de necessarijs, secundùm
illorum exigentiam. De qua Lucæ 10. Mar-
tha, Martha, solicita es. Et ad Colos. 2. dicit
Apostolus : Volo vos scire, qualem solici-
Docum. V. tudinem habeā pro vobis. Sequitur quin-
tum documentum, in quo de balneorum
Nota de balneorū vsu. vsu agitur : *Balneorum vsus infirmis, quotiēs ex-*
pedit, offeratur. licèt religiosi quidā nūquàm
vtantur balneis pro quacunque necessita-
te : tum quia reputant hoc fœmineū, tum
quia reputant illud nimis verecundū pro-
pter corporis nuditatem. Et Hieron. de il-
Cap. 2. lustribus viris, in laudem magnam beati Ia-
cobi Episcopi Hierosolymitani dicit, quòd
nunquàm balneis fuerit vsus. Nihilominùs
beatus Benedictus pater humanissimus nō
prohibet, sed concedit. sicut & beatus Au-
Cap. 32. gust. qui ait in regula : Lauacrum etiā cor-
pori, cùm infirmitatis necessitas cogit, mi-
nimè denegetur. Hac tamen concessio-
ne balneorum, cum multo temperamen-
to fratres vti debent. Debent enim tunc esse
*separati, *parati, & vasa necessaria ità disposita, vt
separatim balneentur, & cū tali cautela, vt
per omnia nuditas se balneantium videri
Notent iuuenes. non possit. Sequitur : *Sanis autem, & maximè*
iuuenibus, tardiùs cōcedatur. quasi diceret : Si cō-
tingat quandoquè propter terræ calorem,
aut immunditiam aliquam abstergendam,
concedi sanis balneum, concedatur hoc
tardiùs, & maximè iuuenibus, quibus tar-
Docu. VI. dissimè concedendum est. Sextum docu-
mentum siue mandatum, in quo agitur de
esu carnium : *Sed & carnium esus infirmis omninò*
Duo genera, quibus *debilibusq; pro reparatione concedatur.* Duo gene-
ra hominum ponit, quibus esum carnium
sanctus pater concedit, scilicet infirmo- S. Benedictus esum carnium indulget.
rum, & debilium : infirmis, pro reparatio-
ne sanitatis: debilibus, pro reparatione va-
litudinis. *At vbi melioratis fuerint, à carnibus more*
solito omnes abstineant. Est autem consuetudo
monachis, à carnibus abstinere. De qua ab-
stinentia infrà in cap. 39. dicendum erit.
Sequitur : *Curam autem maximam habeat Abbas,*
nè à Cellerario, aut quibuscunque alijs officialibus,
seu à seruitoribus, negligātur infirmi : quia ad ipsum
respicit, quicquid à discipulis delinquitur. Cùm au-
tem Abbas principalis rector & pastor sit
monasterij, non modò attinet ad eius offi-
cium habere curam infirmorum, mandan-
do officialibus prouideri ac ministrari in-
firmis, sed etiam solicitando officiales, vt
nihil negligant circa infirmos : aliâs Præ- Notēt semper Prælati.
lato imputabitur, quicquid ab illis offici-
alibus & seruitoribus circa infirmos ne-
glectum fuerit.

IN CAPVT XXXVIII.

TRACTATVS C.

De cura exhibenda senibus vel infantibus.

L*icèt ipsa natura* &c. Postquàm supe-
riùs sanctus pater egit de cura im-
pendenda infirmis : Nunc decen-
ti ordine subiungit de cura seni-
bus & infantibus exhibenda, dicens: *Licèt*
ipsa humana natura trahatur ad misericordiam in
his ætatibus, senum videlicet & infantum, tamen &
regulæ authoritas ipsis prospiciat. Sensus est : Licèt Compatiendum & miserendum & senibus & infantibus.
naturaliter homines inclinentur, & fle-
ctantur ad compatiendum, & miseren-
dum, scilicet senibus & infantibus : inhu-
mani enim cordis videtur, qui illis nō mi-
seretur : nihilominùs, quia non omnes
sunt, vt deberent, misericordes, vt autho-
ritas regulæ eis propitia sit, siue clemen-
ter subueniat, talem ego de eis legem con-
stituo, vt quos plenè non mouet pietas na-
turalis, moueat authoritas legis. Sequitur
lex : *Consideretur in eis semper imbecillitas*, id est,
attendatur in eis teneritudo in infanti-
bus, & pusillanimitas in senibus & decre-
pitis, *& nullatenùs eis districtio*, id est, rigor,
regulæ teneatur in alimentis: & hoc, siue in qua-
litate, siue in quantitate ciborum, videli-
cet vt non sic agatur districtè cum senibus
& infantibus, quomodò regula iubet de
fortioribus : *sed sit in eis pia consideratio*, vt sus-
tententur, conseruentur, & nutriantur,
& præueniant horas canonicas, id est, regulares,
quibus alij secundùm regulæ statuta co-
medunt, nè ieiunio afflicti deficiāt. Quòd
autem infirmiores aliter tractandi sunt in
victu, rationabilissimum est. Dominus
enim aliter tractauit in victu humanam
naturam in statu infirmitatis, aliter in

Lex diuina. statu firmitatis. In primo enim statu, concessit ei in victum fructus arborum tantùm: in secundo verò, concessit ei panem & herbas, & carnem post diluuium, vt patet Genesis secundo & nono. Item natura
Lex naturę. ipsa hoc nos docet, quæ membro tenerrimo, delicatiora alimenta ministrat. Præterea ars medicinæ hoc præcipit: & ipsa
Lex medicinæ. ordinata est à Deo: ergò qui huic resistit, Dei ordinationi resistit. Item, nónne Apostolus præcepit Timotheo, vt vteretur vino propter stomachi frequentes infirmitates? Item, omnis homo imprudentissimus dicendus esset, qui non maiorem curam haberet de membro infirmo & debili, quàm de sano. Item, paterfamiliàs partem domûs debiliorem & magis ruinosam, magis curat reficiendo illam. Meritò ergò sanctus pater senibus & infantibus, vtpotè debilioribus partibus, & imbecillioribus membris corporis congregationis, præcepit compatiendum ac miserendum esse, modis quibus suprà.

1.Tim.5.

IN CAPVT XXXVIII.

TRACTATVS CI.

De lectore: vbi, quarè in mensa religiosorum semper legendum sit, & in quibus disciplina mensæ consistat.

Quia sanctus Pater mentionem fecerat de seruitoribus administrantibus refectionem corporalem: nunc subdit de seruitore & ministro refectionis mentalis, cuiusmodi est lector mensæ, qui habet per lectionem sacrarum literarum præstare pabulum animabus. Circa quem lectorem
Doctrina. I. plures assignat rationes & doctrinas. Prima est, quòd in mensis religiosorum lectio semper habeatur, sic dicens: *Mensis fratrum edentium lectio deesse non debet.* Consuetudo autem hæc religiosissima, quòd reficientibus fratribus sacræ lectiones legantur, vt dicit Cassianus lib. 4. institutionum, non de Aegyptiorum, sed Cappadocium typo, id est, more, processit. Fuit præterea in Concilio Toletano statutum, quòd in conuiuio sacerdotali semper haberetur lectio de scripturis diuinis, vt patet in cap. Pro reuerentia Dei. dist. 44. Vbi notandum, quòd multiplex potest assignari ratio huius statuti. Prima, vt in mensa non solùm exterior homo, sed etiam interior pasceretur verbo Dei, quod contrà dicitur Iob de iniquo: Pauit sterilem quæ non parit, scilicet carnem, & viduæ benè non fecit, scilicet animæ: quæ in præsenti solatio

Consuetudo legendi in mensa, vndè origine habeat.
Cap. 7.
Concil. Tolet. 3. cap. 7.
Legendi ad mensam multiplex ratio.
I.
Iob 24.

viri, id est, Christi, caret. Hanc rationem prædictâ tangit Augustinus in regula, dicens: Cùm acceditis ad mensam, donèc indè surgatis, quod vobis secundùm consuetudinem legitur, sine tumultu & contentionibus audite: nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant verbum Dei. Saluator diabolo tentanti de peccato gulæ, ait: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei: insinuans, cibum corporalem despiciendum esse, propter spiritualem. Vndè contemnentes cibum spiritualem, & appetentes corporalem, repræhendit Bernardus in his verbis: Nobis conuenientibus in vnum, (vt verbis Apostoli vtar) iam non est dominicâ cœnam manducare. Panem quippe cælestem, nemo est qui requirat, nemo qui tribuat. Nihil de scripturis, nihil de salute agitur animarum, sed nugæ, & risus, & verba proferuntur in ventum.

Cap. 13.
Matth. 4.
Contra nō appetentes spirituale cibum.
In apolog. ad Guiliel. Abbatem.

2. Secunda est, vt anima, intenta diuinæ lectioni, refrenaretur ab auiditate, & à delectatione ciborum: & ità per hoc magis ac magis caueat peccata, quæ ex huiusmodi delectationibus nasci solent. Vndè in libro de vita solitaria: Cùm manducas, nequaquàm totus manduces, sed corpore tuo suam refectionem procurante, mens non omninò suam negligat: sed de memoria suauitatis Domini, vel scripturarum aliquid, quod eam pascat, meditando, vel saltem memorando, secùm ruminet & digerat.

Ad fratres de monte Dei, in Bernardo.

3. Tertia est, vt per hoc vitentur nociua verba, quæ solent in conuiuijs oriri, propter quæ diues epulo legitur apud inferos in lingua punitus: & est hoc in conuiuijs valdè laudabile. Gregorius ad Natalem episcopum: Conuiuia tunc ex charitate veraciter prodeunt, cùm in eis absentium nulla vita mordetur, nullus ex irrisione repræhenditur, nec in eis negociorum secularium inanes fabulæ, sed verba lectionis sacræ, audiuntur. Hanc etiam rationē tangit Cassianus, loco suprà nominato, sic dicens: Reficientibus fratribus, sacræ lectiones in cœnobijs recitantur, non tam spiritualis exercitationis causa, quàm compescendæ superfluæ fabulationis gratia, maximè contentionum, quæ plerunquè solent in cōuiuijs generari. Et in capitulo suprà allegato Cōcilij Toletani, eadē causa assignatur. Hæc aũt constitutio, de lectione in mensa habenda, non modò in refectorio vescentibus fratribus seruanda est: sed etiam in infirmitorio, ac in locis alijs, vbi sunt infirmi aut debiles, adhibenda est, vbi commodè seruari poterit, propter causas quæ dictæ sunt. Verùm in conuentu cum maiori solennitate: quia altiùs legitur, & continuatè magis. Secunda doctrina sancti Patris est, vt

Singularis causa legendi, dum manducat.
Lib. 2. Iudic. 9. Epist. 30.
Non solùm in refectorio legendum.
Doctri. II.

vt nullus lecturus accedat ad mensam, nisi priùs prouiderit quę legenda sunt, sic

Notent nō prauidētes lectiones suas.

dicens: *Nec fortuito casu, qui arripuerit codicem, legere audeat ibi:* nè malè legēs, aut malè pronuncians, aut in pausis & in accentu deficiens, non modò andientes non ædificet, sed cōturbet, aut in risum ꝓuocet, & incitet ad murmuratione: *sed lecturus tota hebdomada, Dominica ingrediatur.* scilicet ad legendum, prouisus scilicet benè de eo, quod lecturus est.

Doct. III. Tertia doctrina est, quòd lector cum auxilio fratrum suorum ingrediatur hoc officium, dicens sic: *Qui ingrediens post Missas & cōmunionem,* scilicet fratrum, quæ, vt arbitramur, cōmuniter fiebat post Missam maiorem, *petat ab omnibus pro se orari, vt auertat ab ipso Deus spiritū elationis.*

Ratio, quare lector orationem petat & benedictionem.

Hoc enim sapiētissimè sanctus pater ordinauit: quia vt ait Augustinus in regula, Superbia etiā bonis operibus insidiatur, vt pereant. Et Gregorius in Moralibus: Quantalibet sit iustitia operis, apud internum iudicē nulla est, si hanc eleuat tumor mentis.

Cap. 5. lib. 16. ca. 11.

Et dicatur hic versus in oratorio tertiò ab omnibus, ipso scilicet lectore *tamen incipiente: Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* quasi dicat, Tu domine aperi, & non ego: nam si tu labia mea aperueris, securè laudē tuam annunciabit os meum. Quod tertiò dicendum iubet, propter reuerentiā sanctæ Trinitatis: & quia tam in principio, medio & fine, assistere sibi diuinam virtutem expostulat. Sequitur: *Et sic accepta benedictione,* scilicet à sacerdote, *ingrediatur ad legendū.*

Doct. IIII. Quarta doctrina est, vt cum silentio lectio audiatur in mensa. Inde sequitur: *Summumq́; silentium fiat ad mensam, vt nullius mussitatio, vel vox, nisi solius legentis, ibi audiatur. Quæ verò necessaria sunt comedentibus & bibentibus, sic sibi inuicèm ministrent fratres, vt nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, sonitu cuiuscunque signi potiùs petatur, quàm voce. Nec præsumat ibi quis de ipsa lectione, aut aliundè quicquam referre, nè detur occasio maligno: nisi fortè Prior pro ædificatione voluerit aliquid breuiter dicere.* De magnitudine silentij, quod sancti patres habebant, dicit Cassian⁹ loco supradicto: Sic apud Aegyptios vel maximè Tabennensiotas tantum silētium ab omnibus exhibetur, vt cùm in vnum tanta numerositas fratrum, refectionis intuitu consederit, nullus ne mutire quidem audeat, præter eum, qui suæ Decaniæ præest: qui tantùm, si quid mensæ superinferri, vel auferri necessarium esse viderit, sonitu potiùs, quàm voce, significat. Tantaque vescentibus eis silentij huius disciplina seruatur, vt cucullis vltra oculorum palpebras demissis, nè scilicet liber adspectus habeat copiam curiosiùs euagādi, & nihil ampliùs intueatur quàm mensam, & appositos in ea, vel quos ex ea capiunt, cibos: ità vt quemadmodùm, vel quantùm reficiat alius, nullus inuicèm notet.

lib. 4. institut. cap. 17.

Districtio silētij apud sanctos patres in mēsa præcipuè.

Vbi nota, vt dicit Hugo de sancto Victore, quòd quantùm ad quatuor seruanda est disciplina à discipulo in mensa.

De institut. nouit. ca. 18. & sequētib.

In quatuor seruāda est mensę disciplina.

1. Primò, in tacendo, vt linguam suam à loquacitate restringat. Taciturnitas enim inter epulas est necessaria idcircò, quia lingua, quæ omni tempore prona ad peccatum labitur, periculosiùs, cùm per crapulam inflammata fuerit, ad loquendum relaxatur.

2. Secundò, in videndo, vt oculos suos à circunspectione cohibeat. Custodia enim oculorum ideò necessaria est inter epulas, quia non decet ibi præcipuè, vt vagos homo habeat oculos, neque curiosè, & (vt ampliùs aliquid dicam) impudenter ea, quæ apud alios aguntur, circunlustrando prospiciat: sed vt potiùs pudicè demissis luminibus, ea tantùm, quæ sibi anteposita & apposita sunt, attendat.

3. Tertiò, in modo sese continendi in mensa, vt omnia membra sua cum modestia & tranquillitate contineantur: quatenùs nec in habitu, nec in gestu, indecens aliquid, aut inhonestum agatur. nihil cum strepitu aut tumultu fiat, sed omnia membra cum modestia & tranquillitate in disciplina contineantur: non sicut quidam faciunt, qui cùm edunt, inquieta quadam agitatione & confusione membrorum, animi sui intemperantiam designant: caput excutiunt, brachia exerunt, manus in altum expandunt, & non sine magna turpitudine, quasi totum epulum simul sint absorpturi, ingentes quosdam conatus & gestus satis indecoros ostendunt.

Incompositio quorundam in mensa.

4. Quartò, in cibo. vbi obseruandum est, quid, quantum, & quo modo sumat. Quid, id est, non nimis preciosa exquirat, nec nimis rara & insolita, nec nimis lautè præparata concupiscat. Quantum, nè contra honestatem, nec supra necessitatem sumat. Quomodò, quia mundè & temperatè sumere debet. Temperantiam manducantium intelligimus in eo, si homo tractim, & non cum nimia festinatione comedat.

Cap. 19. Tria in cibo obseruāda. Cap. 20. Cap. 21.

Doct. V. Quinta doctrina de refectione lectoris sequitur: *Frater autem hebdomadarius accipiat mixtum,* id est, panē cum potu, sicut suprà dictum est de seruitoribus, in capitulo 25. regulæ, quòd sumant singulos biberes, & panem, *priusquàm incipiat legere, propter communionem,* scilicet seruādam beneuolentiæ & amoris: quam seruare non videtur, qui cum murmure seruit fratribus suis. *Et nè fortè sit ei graue ieiunium sustinere. Postea autem cum coquina hebdomadarijs & seruitoribus reficiat.*

Mixtū accipiat lector, & quarè.

Doct. VI. Sexta doctrina, est de qualitate eorū q eligēdi sunt ad legēdū: ꝙ videlicet nō quilibet, sed idone⁹ in voce, & peritus in arte, scilicet fuerit, eligendus est ad legendum

Qui eligantur ad legēdum.

vel cantandum. Vndè sequitur: *Fratres autem non per ordinem legant, aut cantent, sed qui adificent audientes.*

IN CAPVT XXXIX.

TRACTATVS CII.

De cibis: vbi monstratur, quòd à monachis non sunt expetendi cibi preciosi, & studiosè parati, & in quantitate excessiui.

S*Vfficere credimus &c.* Conuenientissimo ordine sanct. pater Benedictus, postquàm comedentibus fratribus de cibo prouidit spirituali, s. de lectione mensæ, subiungit de mensura in cibo corporali obseruanda, dicens: *Sufficere credimus ad refectionem quotidianam tam sexta,* i. in diebus solennibus, in quibus ad sextam comedebatur, *quàm nona,* i. priuatis diebus, in quibus ad nonam reficiebãtur fratres, *omnibus mẽsis,* siue, vt alia litera habet, *omnibus mensibus,* quod melius videtur, i. omni tẽpore anni, *duo pulmentaria cocta,* Pulmẽtaria multis modis dicuntur, secũdùm varietatẽ materiarũ, ex quibus fiũt: sed hoc loco pulmẽtarium idem est, quod pulmẽtum factũ ex piscibus, aut leguminibus, siue de herbis, vel farina, aut caseo. Pulmentum enim, vt dicit Isidorus, vocatur à pulte. siue enim sola puls, siue quid aliud alicuius * participationis sumatur, pulmentum nõ incongruè dicitur. Dicunt etiam aliqui, quòd quicquid pani additur, vt meliùs comedatur, pulmentum dicitur. Sequitur, & ponitur causa quarè duo, dicens: *propter diuersorũ infirmitates, vt fortè, qui ex vno non potuerit edere, ex alio reficiatur. Ergò duo pulmentaria cocta, fratribus omnibus sufficiãt: Et si fuerint indè poma, aut nascentia leguminum, addatur & tertium,* non quidem cocta, sed cruda, sicut sunt fructus, aut salata apud Italicos de herbis cum aceto & oleo. Et vocatur hîc pulmentum eo modo, quo omne, quod pani adijcitur, vt meliùs comedatur, siue sit coctũ, siue crudum, Vbi considerandum, quòd in hac parte capituli sanctus Pater designare voluit, qualis debeat esse cibus monachorum, quia nõ preciosus, nec insolitus, nec studiosè apparatus. Vndè Cassianus lib. 5. institutionum: Eligendus est cibus, non tantùm qui concupiscentiæ flagrantis æstus temperet, minusq; succẽdat, verùm etiã qui ad parãdũ sit facilis, & què ad comedendũ opportuniorem vilioris precij compendiũ præstet, quiq; sit conuersationi fratrũ vsuique communis. Vbi notandum primò, quòd multa mouere debẽt discipulũ huius scholæ, ad non quęrendũ, vel expetendũ preciosa cibaria, nec rara siue insolita, aut etiam studiosè pręparata. Ad nõ expetendũ aũt preciosa cibaria, mouet primò, ꝓfessio voluntariæ paupertatis. Qui parùm vult habere, consequens est, vt parùm velit expendere. Qui preciũ nõ habet, preciosa munera quærere nõ debet. Seneca: Pauper vbi diuites cœperit imitari, perit. Secundò, affectio pietatis, quam debet habere ad pauperes Dei filios & fratres suos, inter quos multi sunt, qui panẽ non possunt habere. Qualis est hæc fraternitas, quòd alij nõ habent necessaria, alij habent superflua? magna peruersitas, quòd vilis seruus preciosa quærat, cùm dominũ suum in pauperibus egere sciat. Nõ videtur verè esse membrum illius corporis, cuius Christ. est caput, qui indigentiæ membrorum non compatitur. 1. Cor. 12. Si quidem patitur vnũ membrũ, compatiũtur omnia mẽbra. Ecclesiast. 22. Fidem posside cum amico tuo in paupertate illius, vt in bonis illius læteris. Bernardus: Noli putare gratuitum, quod impendis proximo: velis nolis, debitor es. Tertiò, periculum quod est in acquirẽdo. Frequẽter enim sumptus, quibus preciosa habentur, acquirũtur vel cum periculo eius, qui eis vtitur, vel illius à quo datur. Noluit Dauid bibere aquam, quam sibi attulerant tres fortes, sed libauit eam Domino, dicens: Propitius sit mihi Dominus, nè faciã hanc rem. Num sanguinem hominũ istorum, qui profecti sunt, & animarum periculũ bibam? 2. Reg. 23. Melius est sine periculo tantùm panem & aquã sumere, quàm cum periculo preciosa habere. 2. Macha. 5. Iudas secesserat in desertum locum, ibique inter feras cum suis vitam in mõtibus agebat, & fœni cibo vescentes demorabantur, nè participes fierẽt coinquinationis. Quartò, conditio corporis. Cùm enim corpus vas sit, vbi corrũpitur, quod infunditur, fatuũ videtur esse preciosa ponere. Ioel. 1. Vlulate qui bibitis vinum in dulcedine, perijt enim ex ore vestro. Nõ sic est in alijs sensibus. Non enim corrumpitur res pulchra, cùm semel visa fuerit: nec res odorifera, cùm semèl odorẽ eius aliquis perceperit. Non videtur, quòd Deus voluerit hominẽ quærere preciosos cibos, qui eandem escam sibi assignat cũ iumentis. Gen. 1. Eccè dedi vobis herbã afferentẽ semen super terrã, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem sui generis, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ. Quòd cibi preciosi quæruntur, frequẽter accidit, vel ex delectationis amore, vel ex ambitionè: & vtrobiquè est magna fatuitas. Fatuũ enim est, sumptus magnos facere pro breui delectatione, quantùm transitus cibi per guttur durat, solùm durante. Itẽ valdè fatuum & peruersum est, pascere oculos mũdi de hoc, quod subtrahitur in pauperibus fame-

Marginalia (left): Pulmentariũ & pulmentum. — lib. 20. Etymol. cap. 2. — * permixtione — Cap. 23. Cibus eligendus. — Ad non exquirenda preciosa cibaria debẽt

Marginalia (right): multa mouere. — 1. — 2. — 3. — Periculum in acquirẽdo. — Exẽplum. — Exẽplum. — 4. — Nota pulchrum arg. de cibi vilitate sectanda. — Propter duo quæruntur cibi delicię

famelico ori Dei. Primò nõ ſunt quęrendi à diſcipulo huius ſcholæ cibi rari & inſoliti: Tum primò, propter vitandam moleſtiam miniſtrãtium: Tum ſecundò, propter difficultatem quandoq; habẽdi: Tum tertiò, quia talis appetitus ex quadam ſingularitate vanitatis videtur oriri. Vndè legitur de filijs Iſrael, quòd in deſerto carnes deſiderabãt, Num. 11. Vndè Hugo de ſancto Victore, de quibuſdam ſic loquitur: Alij noua quædam & inſolita ciborum genera exquirũt, ità vt ſæpè propter vnius hominis ventrem per omnes circùm pagos turba famulorum diſcurrat. Hoc aliquandò per tumorẽ elationis accidit. Qui enim appetunt alijs excellẽtiores eſſe in ieiunio ſuo, aliquid ſpeciale volũt facere. Contra quos beatus Hieron. ità loquitur: Sint tibi ieiunia pura, caſta, ſimplicia, moderata, & non ſuperſtitioſa. Quid prodeſt, oleo nõ veſci, & moleſtias quaſdã difficultatesq; ciborũ quærere, carycas, piper, nuces, palmarum fructus, ſimilam, mel, piſtacia? Tota hortorum cultura vexatur, vt cibario non veſcamur pane. Cæterùm diſcipulus huius ſcholæ non debet appetere cibaria ſtudioſè præparata. Cibos ſtudioſè & lentè præparare, eſt gladium hoſtis ſui acuere. De quorũdam autem ſuperſtitioſo ſtudio in præparatione ciborum, Hugo de ſancto Victore ità loquitur: Alij ſuperſtitioſum nimis in præparandis cibis ſtudiũ adhibẽt, infinita decoctionum, & frixurarum, & condimentorum genera excogitãtes: modò mollia, modò dura, modò frigida, modò calida, modò cocta aqua, modò aſſa, modò pipere, modò allio, modò cumino, modò ſale condita, ſecundùm conſuetudinem prægnãtium mulierũ deſiderantes. Et Bernar. Quis dicere ſufficiat, vt cætera taceã, quot modis oua ſola verſantur & vexantur: quãto ſtudio euertũtur, ſubuertũtur, liquantur, durantur, diminuuntur. Et nunc quidem frixa, nunc aſſa, nunc farſa, nunc mixtim, nũc ſigillatim apponuntur. Vt quid autem hæc omnia, niſi vt ſoli faſtidio conſulatur? Ipſa deniquè qualitas rerum talis decoris apparere curatur, vt nõ minùs affectus, quàm guſtus, delectetur: & cùm ſtomachus crebris ructibus repletum ſe indicet, necdùm tamen curioſitas ſatiatur: ſed dum oculi coloribus, & palatũ ſaporibus illiciuntur, infelix ſtomachus, cui nec colores lucent, nec ſapores demulcent, dum omnia ſuſcipere cogitur, oppreſſus magis obruitur quàm reficitur. Contra quod dicit Seneca: Palatum tuũ fames excitet, non ſapores. Studioſa ciborũ pręparatio frequenter eſt occaſio, quòd nimis de cibo ſumatur. Bernardus: Tãta quippe accuratione & arte coquorũ cuncta apparãtur, quatenùs quatuor aut quinq; ferculis deuoratis, prima non impediant nouiſſima, nec ſatietas minuat appetitum. Palatũ quippe dum nouellis ſeducitur cõdimentis, paulatim diſſueſcũt cognita, & ad ſuccos extraneos, veluti adhuc ieiunũ, auidè renouatur in deſideria. Venter quidẽ dum neſcit, oneratur: ſed varietas tollit faſtidium: quia enim puras (vt eas natura creauit) epulas faſtidimus, dum aliæ alijs multifariè permiſcentur, & ſpretis naturalibus, quos Deus indidit rebus, quibuſdam adulterinis gula prouocatur ſaporibus, tranſitur nimirùm meta neceſſitatis, ſed necdùm delectatio ſuperatur. Sequitur: *Panis libra vna propenſa*, i. moderata, *ſufficiat in die: ſiue vna ſit refectio, ſiue prandij & cœnæ: quòd ſi cœnaturi ſunt, de eadẽ libra tertia pars à Cellerario reſeruetur, reddenda cœnaturis*. Pondus autem huius libræ panis, maius eſſe credimus, quàm ſit põdus libræ Florentinæ, quæ tantùm duodecim vncias dicitur continere: quia iſta nõ ſufficeret duabus refectionibus. Præteteà iſta diuiſio libræ panis, honeſtiùs ac vtiliùs diuideretur in plures panes, vt tertia pars in pane integro poſſit reſeruari fratri pro cœna. Sequitur: *Quòd ſi labor factus fuerit maior*, & eſt intelligendum nõ tantùm de labore in agris, & in operibus manuũ, ſed etiã de labore in officijs Diuinis, ſicut eſt in dieb⁹ ſolennibus, in quibus ſolenniùs dicendo officiũ, monachi conſueuerũt multò ampliùs laborare. *in arbitrio & poteſtate Abbatis erit, ſi expediat aliquid augere*, ſiue ſ. ad panem, ſiue ad pitantiam, hoc eſt, ad pulmentum: ſed quia hoc faciẽdum eſt cũ moderamine, ſequitur: *remota præ omnibus crapula*, qua dicitur cruda epula, hoc eſt, crudus cibus, qui ex ſuperfluitate naſcitur. Nã cibus ſtomacho ingeſtus, & ad ventriculum ſtomachi, qui alio nomine à Medicis appellatur, deſcendẽs, iam ab epatis calore, qui quaſi ſuppoſitus ignis, ingeſta in eodem vẽtriculo decoquere habet, coqui non poterit, & ex illa ſuperfluitate, quæ cruda remanſit, crapula, id eſt, cruda epula, extitit appellata, quę maxime cauenda eſt.

Non quærendi cibi rari & inſoliti quarè.

De inſtitu. nouit. c. 19.

Epiſt. 2. ad Nepotian.

Egregiè dictum.

Cibus non eſt ſtudioſè præparandus, & contra aliter facientes.

Ibidèm.

In apolog. ad Guiliel. Abbatem.

Pulchrum.

Accurata ciborũ præparatio, eſt nimietatis occaſio.

Ibidèm.

Libræ panis expoſitio.

Crapula vndè dicta.

TRACTATVS CIII.

Quomodò maximè cauendus ſit à diſcipulo huius ſcholæ exceſſus in quantitate cibi & potûs.

HIc proſequitur ſanctus pater cauſam, quarè ſuperfluitas maximè cauẽda ſit diſcipulo huius ſcholæ, dicens: *Nunquàm ſurripiat monacho indigeries*, i. indigeſtio, i. nimia & fœda ſatietas, prouocans habentem ſe in turpiſſimum vomitum, *ſurripiat*, i. latenter rapiat vel dominetur. Et ſubdit cauſam: *Quia nihil ſic contrarium eſt omni Chriſtiano, quomodò crapula*,

Lucæ 21. *la, ficut ait Dominus noster: Videte nè grauentur cor-*
da vestra in crapula & ebrietate. Pueris verò minori
ætate, non eadem seruetur quātitas, sed minor quàm
maioribus: seruata in omnibus parcitate, i. temperā-
lib. 5. tia. Dicit Cassianus cap. 5. institutionum:
Diuersum quidem oportet esse refectionis
Modus diuersus in cibo. tempus, & modum, & qualitatem, pro im-
pari, s. corporum statu, ætate, vel sexu. Vbi
Vitādus est excessus cibi propter multa. pro ampliori notitia huius partis, in qua
de mensura cibi agitur, notandum, quòd
excessus in quātitate cibi vel potûs, est ma-
ximè vitādus: grauat enim hominem, quo
ad corpus, quo ad animam, & quo ad fa-
Tria ex cibi excessu quo ad corpus. mā. Quo ad corpus, quia aufert quietem
somni. Ecclesiastici 6. Saturitas diuitis, nō
finit eum dormire. Item, generat infirmita-
2. tem: quia, secundùm Senecam, multa fer-
cula, multos morbos fecerūt. Ecclesiast. 37.
In multis escis erit infirmitas. Item addu-
3. cit graues dolores. Iob 20. Cùm satiatus fu-
erit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor ir-
ruet super eum. De his tribus habetur Ec-
clesia. 31. vbi dicitur: Vigilia, & cholera, &
tortura viro infrunito, i. homini, qui est
sine frugalitate, quæ est parcitas in victu.
Vigilia, quo ad primū: cholera, quo ad se-
cundum, vt accipiatur species pro genere:
vt sit sensus, i. infirmitas quæ frequēter ge-
neratur ex cholera: & tortura, i. torsiones,
quo ad tertium. Si autē hoc facit huiusmo-
di excessus etiam in sano, quanto magis in
infirmo? Vndè proculdubiò, & aufert qui-
etem somni, & prolongat infirmitatem, &
adauget dolores, qui homini valdè grauāt
Damna superfluæ comestionis, quo ad animam. corpus eius. Item grauant, quo ad animā,
quia obtundunt aciem cordis, sicut dicitur
in lib. Colla. colla. 1. Hiero. Nihil adeò ob-
struit intelligentiam, sicut comessatio,
1. & ebrietas. Ideò dicitur econtrariò Dan. 2.
quòd pueris abstinentibus data est ampli-
2. or intelligentia. Item, confundit memo-
riam, vt non recordetur quis agendorum.
lib 5. Tusc. quæst. Tullius: Rectè mente vti non possumus,
multo cibo & potione completi. Dicitur
enim mens à meminendo: tales autem fre-
quenter non reminiscūtur eorum, quæ re-
cta sunt, & ad Deū pertinent. Oseæ 13. Sa-
turati sunt, obliti sunt mei, eorum s. quæ
3. ad me pertinent. Item incitat carnalem
concupiscentiam. Iere. 5. Saturaui eos, &
mœchati sunt. Quòd ergò secundùm hoc
non modò grauatur corpus, sed etiam cor,
quo ad intelligentiā, quo ad memoriam,
quo ad concupiscentiam, dicit Dominus
discipulis suis Lucæ 21. Attēdite, nè quan-
dò granentur corda vestra crapula & ebri-
Damna famæ. etate, notanter dicendo, corda. Item gra-
1. uat, quo ad famām. Dicuntur enim isti si-
miles Sodomitis: de quibus dicitur Ezech.
Nota. 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ, saturitas
panis. Et, sicut tangitur in lib. Colla. dicit,
panis, quia saturitas in cibis vilibus, etiam
cauenda est. Item tales faciunt de ventre 2.
suo deum Bel. De quo dicitur Dan. 14. Nō
videtur tibi esse Bel Deus viuēs? nónne vi-
des quanta comedat & bibat quotidiè? Itē, 3.
solent dici canes, qui tantum comedunt, quod Crapulosus cani comparatur.
oportet eos vomere. Isa. 66. Canes impu-
dentissimi nescierunt satietatem. Cùm er-
gò excessus prædictus grauet quo ad tria
prædicta, cauendum est valdè infirmo re-
ligioso, viuenti in congregatione: & pro-
pter corpus, quia infirmus: & propter ani-
mam, quia religiosus: & propter famam,
quia inter alios omnes celare non potest
quod facit.

TRACTATVS CIIII.

Quarè esus carnium prohibeatur discipulo huius scholæ: vbì declarantur aliqua dubia circa hanc prohibitionem.

Carnium verò quadrupedum omninò ab
omnibus abstineatur comestio: præter Quarè carnes prohibeantur.
omninò debiles & ægrotos. Hic specia-
liter prohibet monachis cibum,
siue comestionem carnium, & hoc propter
reprimendas concupiscentias carnis, & sti-
mulos carnis retundendos, qui ex esu car-
nium, quo maximè concupiscentia foue-
tur & roboratur, soliti sunt magis insur-
gere. Cibus quippe ille debet esse monacho-
rum, qui sustentationem tribuat, & nō qui
occasioné concupiscentijs & vitijs submi- Solutio, quare sanctus B. solas quadrupedum carnes nominauerit.
nistret. Vbi aduertendum, quòd licet san-
ctus Pater tantùm nominet carnes quadru-
pedum, prohibitio tamen extenditur vsque
ad carnes etiam animalium bipedum, s. vo-
latilium. Cùm enim carnes volatilium sint
dulciores, magis delicatæ & preciosiores,
quandò minùs delicatas vetuit, proculdu-
biò magis delicatas & preciosiores prohi-
bere credendus est. Mos enim sanctorum
Doctorum est, in minore compræhendere
maius. Sicut dicitur simpliciter in canone
de consec. dist. 5. in cap. Carnem. Carnem Regula doctrinalis.
cuiquam monacho, nec gustandi, nec su-
mendi est concessa licentia: non quòd cre-
aturam Dei iudicemus indignā, sed quòd
carnis abstinentia vtilis & apta monachis
æstimetur, seruato tamen moderamine pi-
etatis erga ægrotos. Item extrà de statu mo-
nachorum, in cap. Cùm ad monasteriū. In
refectorio nullus omninò carne vescatur.
Et infrà: sed nec extra refectorium, nisì in
infirmitorio, esum carnium credant sibi
licere. Insurgunt autem hìc aliqua dubia.
Primò, vtrùm monachus peccet mortali- Vtrū monachus carnes comedendo peccet mortaliter.
ter, comedendo carnes. Ad quam quæstio-
nem licet satis ex superioribus in cap. 4.
huius operis clarè patet responsio, nihilo-
minùs hic pro maiori informatione aliquid
commemorandum est. Sanctus Tho. fa-
cit

Responsio.

cit in primo quolibeto, 20. art. hanc quæstione, & respondet, quòd monachus non peccet mortaliter, comedendo carnes: & probat dupliciter. Primò sic: Nullũ peccatum mortale conceditur alicui ratione cuiuscunq; infirmitatis: sed comedere carnes, conceditur alicui ratione cuiuscunq; infirmitatis: ergò comedere carnes, non est peccatum mortale monacho. Secundò: Nihil est peccatum mortale monacho, vel religioso cuicunque, per se loquendo, quod non sit peccatum mortale alteri, nisi sit cõtrarium ei, ad quod se voto professionis obligauit: per accidens tamen, vt ratione scãdali, vel alicuius huiusmodi, posset aliquid ei esse peccatum, quod non esset alij peccatũ. Sed comedere carnes, non est contrarium alicui, ad quod se monachus professionis voto obligauit: ergò comedere carnes, non est peccatũ mortale monacho. Pro declaratione huiusmodi, quòd comedere carnes non sit contrarium in aliquo voto professionis monachalis, est considerandum, quid sit illud, ad quod religiosus voto professionis se adstringit.

Quodlib. 1. art. 20.

Ad quod se astringat religiosus per votum.

Siquidem religiosus (vt ait sanctus Thomas) profitendo vouet se regulam seruaturum, videtur se obligare voto ad singula quæ continentur in regula, & sic contra quodlibet eorum agendo, peccaret mortaliter. Et ex hoc sequeretur, quòd religionis status esset religiosis in laqueum peccati mortalis, quia vix, aut nunquàm possent declinare. Sãcti ergò patres, qui Ordines instituerũt, nolentes hominibus inijcere damnationis laqueum, sed magis viam salutis, ordinauerunt talem professionis formam, in qua periculum esse nõ posset.

Professio fratrũ Prædicatorum.

Sicut in Ordine fratrũ Prædicatorũ, est cautissima & securissima forma profitendi, qa nõ ꝑmittunt seruare regulam, sed obedientiam secundùm regulam. Vndè ex voto obligãtur ad seruanda ea, quæ ponuntur in regula tanquàm præcepta, & quæ Prælatus secũdùm tenorẽ regulæ sibi præcipere voluerit. Cætera verò, quæ non continentur in regula sub præcepto, non cadunt directè sub voto: vnde ea prętermittens, nõ peccat mortaliter.

Professio Benedictinorum.

Beatus verò Benedictus, statuit monachum profiteri, non quidem obseruare regulã, sed quòd profitens promittat conuersionem morum suorum secundùm regulam: hoc est dictu, vt secũdùm regulam dirigat mores suos, contra quod facit, si vel ea quę sunt præcepta in regula, transgrediatur, vel etiam contemnat regulam, secundùm eam dirigere actus suos omninò recusans. Non autem omnia, quæ continentur in regula, sunt præcepta: quædã enim sunt monitiones siue consilia, quędam verò ordinationes siue statuta quædam: vt quòd post Completorium nemo loquatur. Huiusmodi autem statuta, quæ in regula continentur, non habent vim præcepti: sicut nec Prælatus statuens aliquid, intendit semper ad peccatum mortale obligare per præceptum. Est autem Prælatus, quasi regula quædam animata: vndè stultum esset putare, quòd monachus frangens silentium post Completorium, peccaret mortaliter: nisi forte faceret hoc contra præceptum Prælati, vel ex cõtemptu regulæ. Abstinere autem à carnibus, non ponitur in regula beati Benedicti vt præceptũ, sed vt statutũ quoddam. Vndè monachus comedens carnes, non ex hoc ipso peccat mortaliter, nisi in casu propter inobediẽtiam, vel contemptum. Hęc omnia S. Thomas vbi suprà.

Vtrùm possit prælatus dispensare cum monacho, vt comedat carnes.

Secundum dubium est, vtrùm prælatus possit dispensare cũ monacho, quòd comedat carnes? Responsio, quòd sic: patet ex capitulo præfato, Cùm ad monasterium. extrà de statu mon. vbi super illud, Quanquàm ex indulgẽtia possit Abbas interdùm aliquos fratrum, nunc hos, nũc illos, prout necessitas postulauerit, aduocare, dicit Glo. Sic ergò habes, ꝙ Abbas potest dispensare in regula monachali, quantùm ad esum carnium: vt hic, & ar. de consec. dist. 5. Carnem. Item idem arguitur ex illo præfati capituli, Cũ ad monasteriũ. vbi dicit Papa: Nec existimet Abbas, quòd super habenda proprietate, possit cum aliquo monacho dispensare. quod ideò dicitur, quia proprietas est essentialiter annexa regulæ monachali: ex quo relinquitur à contrario sensu, quòd in illis potest Abbas dispensare, quæ non essentialiter annectuntur regulę monachali, cuiusmodi est comestio carnium, vt dictũ est.

Aliq. casus, in quibus videtur monachũ posse carnes cõedere etiam extra necessitatẽ, quos tamen congregatio S. Iustinæ, cõmuniter nõ admittit.

Tertiũ dubium est, vtrùm itinerantes per longam viam, vel si itinerantes non inueniunt aliquid ad comedendum, vel si inuitentur à Principe, vel Prælato? Ad ista legimus aliquos respõdentes, quòd sic: quia necessitas non est in præcepto, siue necessitas non subijcitur legi. Hoc etiam confirmare vidẽtur per authoritatem Fructuosi episcopi, cuius est capitulum illud, Carnẽ. de consec. dist. 5. quod magister Gratianus detruncatum posuit. Plena autem eius authoritas iacet sic: Carnem cuiquam monacho, nec gustandi, nec sumendi est concessa licentia: non quòd creaturam Dei iudicemus indignã, sed quòd carnis abstinentia vtilis & apta monachis æstimetur: seruato tamẽ moderamine pietatis erga ægrorum necessitudines, aut longè proficiscentium, vt ex volatilibus sustẽtentur, & longinquo itineri destinati. Si autem à principe, vel episcopo inuitantur, pro benedictione & obedientia degustare non metuant: seruantes apud se de reliquo continentiam consuetam: quod si monachus

Diſtricta vindicta comedẽtium carnes.

violauerit, & contra ſanctionem regulæ
vſumq́; veterum, eſcam carnis præſumpſe-
rit, ſex menſium ſpatio retruſioni & pœ-
nitentiæ ſubiaceat. Hæc ille.

IN CAPVT XL.

TRACTATVS CV.

De potu: vbì de ſeptem repræhenſibilibus in religioſis circa vſum vini: & de malis, quæ exceſſus vini operatur.

V*Nuſquiſque proprium* &c. Determi-
nata menſura cibi, cõſequenter
ordine cõgruo ſubdit de men-
ſura potûs. Verùm in primis ex-
cuſat ſe, quòd non poteſt diffinitam men-
ſuram æqualem omnibus aſſignare, quia
non omnes eiuſdẽ qualitatis, nec eiuſdem
roboris ſunt, dicens: *Vnuſquiſque proprium do-*
num habet ex Deo, alius ſic, alius verò ſic. Et ideò cum
aliqua ſcrupuloſitate, i. dubietate, *à nobis menſura*
victûs aliorum conſtituitur. Senſus eſt: Cùm va-
ria ſint dona Dei hominibus data, & vnus
donum maioris abſtinentiæ & fortitudi-
nis habeat, quàm alius: vnus enim accepit
donum, vt ſine potatione vini poſſit ſub-
ſiſtere, alius verò vt minus ſufficiat quàm
ipſa menſura: ſic nõ poſſumus ſub vna cer-
ta quantitate diffinire menſuram victûs &
potûs vniformiter ad omnes, ſed cum qua-
dam dubietate & anxietate conſtituimus
menſuram iſtam, dicens: *Tamen infirmorum*
contuentes imbecillitatem, non fortium & ro-
buſtorum, potentium abſtinere fortitudi-
nem, *credimus eminam vini per ſingulos ſufficere per*

Emina quid ſit.

diem. Emina vini, eſt menſura quædam il-
lius regionis, ſecundùm quam loquebatur
beatus Benedictus, & quę adhuc dicitur re-
ſeruari in monaſterio Caſſinẽſi. *Quibus au-*
tem donat Deus tolerantiam abſtinentia, propriam ſe
habituros mercedem ſciant. Senſus eſt: Si mona-
chus ampliùs abſtinere potuerit, & volue-
rit, quàm regula iubeat, i. minus accipere
vini, aut victûs, aut etiam veſtimẽti, quàm
regula cõceſſerit: ſciat, à Deo, qui nullum
bonum irremuneratum relinquit, ſe pro-

Abſtinendũ eſt cum licentia.

priam mercedem accepturum. Eſt autem
hìc notãdum, quòd huiuſmodi abſtinen-
tiæ notabiles, debent fieri, maximè cõtinu-
atæ, cum conſcientia Abbatis. *Quòd ſi aut*
loci neceſſitas, aut labor, aut ardor æſtatis, ampliùs po-
poſcerit, in arbitrio Prioris conſiſtat, ſcilicet adde-

In tribus caſibus diſpenſari poteſt circa potum.

re ſupra menſuram. In iſtis enim tribus ca-
ſibus, videlicet cùm locus eſt valdè ſiccus,
aut multùm aridus, vel huiuſmodi: aut cũ
laborant monachi plùs ſolito: & cùm ar-
dor ſolis magis inualeſcit, quia in huiuſmo-
di humidum in homine magis cõſumitur,
& calor ampliùs incitatus, Prælatus augere
poteſt menſuram potûs, *conſiderans tamen in*
omnibus, nè ſubrepat, id eſt, latenter intret, *ſatie-*
tas aut ebrietas. Sequitur: *Licèt legamus vinum*
omninò monachorum non eſſe, ſed quia noſtris tempo-
ribus id monachis perſuaderi non poteſt, ſaltem vel
hoc cõſentiamus, vt non vſque ad ſatietatem bibamus,
ſed parciùs: quia vinum apoſtatare facit etiam ſapi-
entes. Plana ſunt iſta. Sed quæritur: vbi legi-
tur quòd vinũ non ſit monachorum? Re-

Vbì legatur, vinũ nõ eſſe monachorum.

ſpondetur, quòd in figura legitur Num. 6.
vbi habetur, quòd Nazaræi, qui figurã geſ-
ſerunt monachorum, à tempore conſecra- 1.
tionis ſuæ nõ bibebant vinum, vel aliquid
quod inebriare poſſet. Secundò, legerat 2.
ſanctus pater Benedictus illam veterẽ ſan-
ctorũ patrum ſententiam: Caro & vinum,
ſiue potus qui inebriare poteſt, ſuſcipien-
dus non eſt, quibus pro Chriſto crucifixus
eſt mundus, & ipſi mundo. Sequitur: *Vbi*
autem neceſſitas loci expoſcit, id eſt, exigit, vtpo-
tè quia ſterilis, *vt nec ſupraſcripta menſura inue-*
niri poſſit, ſed multò minus, aut ex toto nihil, benedi-
cant Deum, qui ibi habitant, & non murmurent: hoc
ante omnia admonentes, vt abſq; murmuratione ſint
fratres. Hæc expoſitione non indigent, pa-
tent omnia. Circa hoc capitulum, in quo
principalis intentio ſancti patris eſt, diſci-
pulum huius ſcholæ ad ſobrietatẽ ſeruan-
dã in potu vini exhortari, ſunt aliqua no-
tanda, præter ea, quæ notata ſunt in ſupe-
rioribus, circa inſtrumentum 36. Primò,

Multa repræhenſibilia in religioſis circa potum.

quòd multa poſſunt eſſe repræhẽſibilia in
religioſis circa potum vini. Primò, circa
quantitatem, contra quod dicitur, primæ
Timo. 5. Modico vino vtere. Bernardus ad 1.
monachos: Si autem vobis placet authori-

Sermo. 30. in Cantic.

tas Pauli de bibendo vino, obſecro, nè tra-
datis obliuioni quod dicit, Modico. Se- 2.
cũdum eſt circa fortitudinem vini. Si enim
in Concilio generali eſt inſtitutum, vt ha-

Latera. ſub Innoc. III. cap. 15.

betur in cap. A crapula. extrà de vita & ho
neſta. clericorum, quòd omnes clerici vi-

Vino temperato eſt vtendum.

num ſibi temperent, & ſe vino: quãto ma-
gis hoc faciendum eſt à religioſis, maximè
dicente nobis ſancta ſcriptura Eccleſiaſtici
31. Sufficiens eſt homini erudito vinũ exi-
guum, id eſt, debile. Verùm de quorũdam
monachorum in hac parte repræhenſibili
vſu ità loquitur Bernardus: Iam verò de

In apolog. ad Guiliel. Abbatem.

aquæ potu quid dicam, quandò nec vllo
quidem pacto vinum aquatũ admittitur?
Omnes nimirùm, ex quo monachi ſumus,

Nota.

infirmos ſtomachos habemus. Et infrà: Pu-
det dicere, ſed magis pudeat actitari. Et ſi
pudet audiri, non pudeat emendari. Vide-
as vno in prandio ter vel quater ſemiple-
num calicem reportari, quatenùs diuerſis
vinis magis odoratis, quàm potatis, nec
tam hauſtis, quàm attactis, ſagaci proba-
tione, & celeri cognitione vnum tandèm
ex pluribꝰ, quod fortius ſit, eligatur. Ter- 3.
tium eſt circa varietatem vinorum. Inde-
cens

cens profectò est in religiosis, nõ esse contentos vno vino, sed varietates diuersas, non paucas, in vno conuiuio congregare.
4. Quartum est circa preciositatem. Non est viri religiosi, in haustu vini tantum ponere, vndè multi pauperes possunt commode sustentari per diem. Vndè vox illa Sapientiæ 2. Vino precioso nos impleamus: non est bonorum, sed hominum pessimorum. Bernardus ad monachos de hac quorundam corruptela ità dicit: Quale est autem illud, quod nonnulla monasteria ex more obseruare dicuntur: in magnis videlicet festis vina delibuta melle, pigmentorum respersa pulueribus, in conuentu bibere? nũquid & hoc fieri dicemus propter stomachi infirmitatem? Ego verò ad nihil aliud valere video, nisi vt vel ampliùs bibatur, vel delectabiliùs, quos illa sententia videtur respicere: Vlulate qui bibitis vinũ in dulcedine: perijt enim ex ore vestro, Ioel. 1. Quintũ est circa extraordinarias potationes, quæ solent fieri extra horam comedendi vel bibendi. Si enim equi & asini non adaquantur, nisi horis certis: quàm indecens est viro religioso tota die bibere, modò hic, modò ibi. qui huiusmodi sunt? sunt illi morantes in vino, de quibus dicitur Prouer. 23. Cui væ? nónne his qui commorantur in vino, & studẽt calicibus epotandis? vbi dicit Glo. Non vetat bibere vinum ad necessitatẽ, sed morari extra tempus, & vtilitatem in vino. Sextum est circa verba. Sunt enim aliqui, qui fere per totam interdùm mensam loquuntur de vinis, & præsentibus & absentibus, dicentes, hoc est tale, & illud est tale. de quibus videtur dici illud Oseæ 7. Super vinum ruminant. Septimum est circa subtilitatem iudicandi de vinis. Sunt enim quidã, qui ità subtiliter sciunt iudicare de valore & vinorum conditione, tanquàm si essent magistri in illa arte: quo contrà inuenitur de antiquis religiosis, qui adeò habebant sensus mortificatos, vt discernere inter liquores penitùs nescirent. Vndè de beato Bernardo legimus, quòd sagimine crudo pro butyro, oleo pro aqua visus est, nec discreuit. Secũdò principaliter notandum est, quòd multa solet facere vinum abutentibus eo, quæ sunt valdè contraria honestati religionis. Religiosos enim summè decet continentia, ratione voti: vinum autẽ incitat ad libidinem. Prouerb. 20. Luxuriosa res vinum. Item sunt, in societate, in qua
2. debent esse cor vnum, & anima vna cum alijs: vinum autem facit conturbationem ad alios. Ecclesiastici 31. Vinum multum potatum, irritationem facit: facit enim prorumpere ad mala, per quæ alij irritan-
3. tur. Item, ipsorum est, laudibus diuinis insistere: hoc autem blasphemare facit. Super illud 1. Corinth. 10. Siue manducatis, siue bibitis, &c. Si vinolentia te ingurgites, quas cunque laudes Dei lingua tua sonet, vita blasphemat. Item, ipsorum est, linguã disciplinatam habere: alioquin, secundùm Iacobũ, vana est eorum religio: hoc autem facit fatuè loqui. Esdræ tertij, tertio cap. Homines facit per talenta loqui. Item, eorum vita debet esse in luctu: hoc autem incitat ad vanam lætitiam. Esdræ 3. Omnem mentem conuertit in securitatem, & iucunditatem, & non meminit omnem tristitiam. Item, ipsorũ est, contemplationi vacare, modò meditãdo, modò legendo, modò reuelationes suscipiendo. Vinum autem obscurat intellectum. Vndè Glo. super illud Prouerbio. 23. Cui suffossio oculorũ? Immoderatus haustus vini, interioris & exterioris visũs ingerit cæcitatem. Impedit quoquè scientiam acquirendam: ideò dicit Salomon Eccles. 2. Et vt animum meum transferrem ad sapientiam, cogitaui à vino abstrahere carnem meam. Similiter scientiam infundendam. ideò dicit Daniel: Trium hebdomadarum diebus caro & vinum non introiẽrunt in os meum, quando scilicet ad spirabat ad reuelationẽ. Item, quid prosunt eis omnia, nisi perseuerent vsq; in finem? hoc autem aufert vinum. Ecclesiastici decimonono: Vinum apostatare facit. quod ad literam verum est, vt patet in goliardis, qui frequenter occasione vini reliquerunt abbatias, vt per tabernas discurrere possint. Cũ ergò tot turpes maculas generet vinum in religiosis, & tantùm eis noceat: non modicùm est eis necessaria abstinentia, non solùm à vino, sed ab omni potu, qui eadem potest inducere. Et ideò benè dicit Augustinus, Religiosis non solùm abstinentiam escæ, sed etiam potûs, necessariam ad carnem domandam. Quid autem mirum, si hoc religiosis dicit, cùm ipse Saluator dixerit Apostolis suis Lucæ 21. Attendite nè grauentur corda vestra crapula & ebrietate. Necessaria siquidem sunt, cibus & potus, & ideò facilè sub pallio necessitatis, huiusmodi vitia subintrant, etiam apud sanctos.

Marginalia (left): Ibidem. — 5. Contra crebriùs bibẽtes. — Ordin. — 6. Turpe, scire inter vina discernere. — 7. — Exẽplum. libro 1. vitæ eius, cap. 6. — Multa mala facit vinum. — 1.
Marginalia (right): Glo. ord. — 4. Iaco. 1. — 5. Cap. 3. — 6. — Ordin. — Dan 10. Exẽplum. — 7. — Abstinẽtia religiosi. — In Reg. cap. 11.

IN CAPVT XLI.

TRACTATVS CVI.

De horis reficiendi.

A *Sancto Pascha &c.* Data mensura cibi & potûs, sanctus Pater subiungit, quibus horis reficiendi sunt fratres, dicens: *A sancto Pascha*, id est, à resurrectione Domini, *vsque ad Pentecosten, ad sextam reficiant fratres, & ad seram cenent.* Vbi notandum, quòd tempus

Quarè noo ieiunemus tēpore Paschali, & q̄d significet ipsum tempus.

Paschale vsque ad Pentecosten, vocatur Quinquagesima, quia continet quinquaginta dies: per quod, tēmpus iubilei designatur: in quibus diebus, propter honorem, & gaudium resurrectionis, & admirandæ ascensionis Dominicæ, necnon propter gloriosum sancti spiritûs aduentûm, quotidiè festiuamus, & ieiuniū soluimus: genua nō flectimus, nisi ad pręsentiam corporis Christi. Significat enim hoc Paschale tempus, octauam resurrectionis, in qua nec ieiunabitur, nec genua flectentur, sed perfectum gaudium omnibus erit. His diebus bis in die comèdimus. Excipiuntur tamen dies Rogationum, & vigilia Pentecostes, in quibus, institutione canonica, ieiunandum est. De Rogationibus habetur de consecrat. distinctione 3. capit. Rogationes. De vigilia Pentecostes habetur notandum distinct. 76. capit. De ieiunio autem. Sequitur: *A Pentecoste autem tota æstate, si labores agrorum non habēt fratres, vel monachi, aut nimietas æstatis non perturbat eos, quarta & sexta feria ieiunent, vsque ad nonam:*

Vigilia Pētecostes & dies Rogationū sunt de p̄cepto.

Ieiunium iiij. & vj. feriæ obseruandum, & quarè.

Obseruantia ieiunij horum dierum, scilicet feria quarta & sexta, orta est à sanctis patribus. Vndè de consecrat. distinct. 3. dicit sanctus Apollonius, in capit. Ieiunia. Ieiunia sanè legitima in quarta & sexta feria non sunt soluenda, nisi grandis aliqua necessitas fuerit: quia quarta feria Iudas traditionem Domini cogitauit, & sexta feria crucifixus est Saluator. Est autem hîc aduertendum, quòd ex hoc libro regulæ, in quo conceditur monachis propter labores agrorum, vtpotè quandò habeant messes & fruges colligere, aut quandò nimietas caloris regnat, non ieiunare sexta feria, videtur soluta illa quæstio, vtrùm ieiuniū in sexta feria veniat sub præcepto: patet quòd nō, quia cùm canonica regula maior sit, q̄ regula B. Benedicti, non liceret aliquid aduersùs illá immutare, sine authoritate instituētis. Sequitur: *reliquis verò diebus ad sextā prandeant. Quæ prandij sexta, si opera in agris habuerint, aut æstatis feruor nimius fuerit, continuanda erit: & in Abbatis sit prouidentia.* Plana sunt omnia. Sequitur: *Et sic omnia temperet atque disponat, qualiter & animæ saluentur, & quod faciunt fratres, absque iusta murmuratione faciant.* Vocatur iusta murmuratio, quam totiès sanctus Pater, tanquàm pestiferam & execrandam, prohibuit, non vt iusta aut bona esse possit: sed ideò iusta vocatur, quia Prælatus malo regimine suo, aut minùs prouida circunspectione sua, dat càusam quòd monachi rationabiliter murmurent. Sensus ergò est: Debet Abbas ità vniuersa temperare ac disponere, temporum, locorum, & personarum circunstantijs benè pensatis, vt & animæ saluentur, non dissoluantur: & fratres in his, quæ faciunt, non habeant occasionem murmuris, aut de nimia dissolutione in facili relaxatione regularis obseruantiæ, aut de nimio rigore seruato in tempore, in quo relaxandum esset, sicut est tempus infirmitatis, tempus pueritiæ, tempus senectutis, tempus laboris agrorum, tempus nimij caloris. Hæc enim omnia in superioribus sanctus Pater notauit. Sequitur: *Ab Idibus autem Septembribus, vsque ad caput Quadragesimæ, ad nonam semper reficiant. In Quadragesima verò vsque ad Pascha, ad vesperam reficiant. Ipsa tamen vespera sic agatur, vt lumine lucernæ non indigeant reficientes, sed luce adhuc diei omnia consummentur. Sed & omni tempore siue cœnæ, siue refectionis, hora sic temperetur, vt cum luce fiant omnia.* Omnia plana sunt: expositione nō indigent. Verùm his nostris diebus, hæc obseruantia temporum ieiuniorum, apud monachos, sine magno grauamine, seruari non posset.

Arg. q̄ ieiunium sextæ feriæ nō est sub p̄cepto.

Circunspectio habenda à prælato.

Excusat nostra tēpora.

IN CAPVT XLII.

TRACTATVS CVII.

De silētio post Completorium, & de decem causis, ex quibus debemus libenter Completorio interesse.

O*Mni tempore &c.* Superiùs sanctus Pater egit de horis refectionis & abstinentiæ: nunc subdit de horis, in quibus silendum est, & abstinendum à locutionibus, sic dicens: *Omni tempore silentio debent studere monachi, maximè autē nocturnis horis. Et idcircò omni tempore, siue ieiunij, siue prandij, si tempus fuerit prandij,* id est, tempus in quo duæ refectiones dantur, quia prandium dicitur quod sequitur cœna. *mox vt surrexerint à cœna, sedeant omnes in vnum, & legat vnus Collationes, vel Vitas patrum, aut certè aliquid quod ædificet audientes.* sicut sunt libri morales antiqui, & homiliæ sanctorum doctorū, & huiusmodi, quæ principaliter redoleant suauitatem deuotionis, & doctrinam ædificationis contineant. Hoc rectè ac sanctissimè constitutū est, q̄a sic ex lectione illa monachi materiam ædificationis & deuotionis haurire possunt, vndè ad contemplationis altitudinem silentij tempore valeant promoueri: & ad hoc rectè electi sunt libri Collationum, & Vitæ patrum sanctorum, in quibus doctrina totius perfectionis, & ædificationis, ac sanctimoniæ continetur. *Non aūt heptaticum,* i. septenariū: hepta in Gręco decitur septē, qui septenarius est iste, Genesis, Exodꝰ, Leuiticus, liber Numerorū, Deuteronomiū, Iosue, Iudicum: *aut Regum:* Causa aūt, propter

Prandium.

Quales libri legātur & quarè.

Heptaticū quid sit.

pter quã dicit hos libros illa hora nõ legen-
Quarè non leguntur vesperè libri legis vel historiales.
dos, sub dit, dicens: *quia infirmis intellectibus*, id
est, non doctis, non eruditis, non habentibus peritiam scripturarum, *non erit vtile illa hora hanc scripturam audire*: libri enim legales, & bistoriales, cùm pleni sint & tecti multis figurarum obscuritatibus, & plurima contineant profundissima mysteria, non sunt libri ità apti ad legendum simplicibus monachis, & maximè illa hora, in qua habenda lectio est, non de varijs bellorum historijs, vndè varia dormientibus possent generari phantasmata, sed quæ tota sit ędificatoria, & plena simplicitate moralis doctrinæ, & quæ sanctis meditationibus præstet fulcimentum. Sequitur: *alijs verò horis legantur*. Eccè non vetat simpliciter præfatos libros legales & historiales legi, sed tantùm illa hora. *Alijs verò horis legantur*, putà in matutinalibus lectionibus, aut in refectorio, & aliàs quandò videbitur expedire. Sequitur: *Si autem ieiunij dies fuerit, dicta vespera, paruo interuallo mox accedant ad lectionem Collationum, vt diximus, & lectis quatuor aut quinque folijs, vel quantum hora permittit, omnibus in vnum occurrentibus per hanc moram lectionis, si quis fortè in assignato sibi commisso*, id est, in aliqua obedientia sibi deputata, *fuerit occupatus, occurrat. Omnes ergò in vnum positi compleant*, scilicet lectionem Collationum, & indè omnes ad Completorium vnanimiter intrent, *& exeuntes à Completorijs nulla sit licentia denuò cuiquam loqui aliquid*, scilicet regulariter, nisi in his casibus infrà exprimendis. Sequitur pœna fractoris silentij: *Quòd si inuentus fuerit quisquam præuaricari hanc taciturnitatis regulam, grauiori vindictæ subiaceat*: Pœna ista intelligenda est arbitraria, secundùm modum loquendi, aut personam loquentis, aut materiam sermonis. Sequitur: *excepto, si necessitas hospitum superuenerit, aut fortè Abbas alicui aliquid iusserit, quod tamen & ipsum cum summa grauitate & moderatione honestissimè fiat*. Vbi considerandum, quòd temporibus nocturnis tria sunt attendenda, in quibus fractio silentij licita potest esse, videlicet damnum imminens, necessitas vrgens, interrogatio superioris interueniens.

Pœna frãgentis silentiũ post Completorium.

In quibus loqui nocturnis horis possit licere.

1. Damnum imminens, sicut si videres incensum ignem, licitè potes clamare, & petere aquam, & alia conuenientia.
2. Necessitas vrgens, tam spiritualis, quàm corporalis. Corporalis, vt si videres fratrem laborantem subitò infirmitate aliqua periculosa, loqui poteris & illi subuenire. Quæ enim constituta sunt pro charitate, non debent militare contra charitatem. Spiritualis, si in tali casu frater infirmus vellet confiteri, tu poteris audire, & loqui ea quæ sunt opportuna cum illo.
3. Interrogatio superioris, sicut cùm de aliquo ab illo, vt illi respondeas, interrogaris: hoc tamen, vt dictum est, cum summa grauitate fiendum est, tam ex parte Prælati interrogans, quàm subditi respondentis. Quia plura in superioribus de taciturnitate & silentio notata sunt, supersedentes ab vlteriori exhortatione taciturnitatis, inducamus rationes, propter quas libenter debet interesse discipulus Completorio. Est autem circa prædicta notandum, quòd multùm est cauendum à discipulo huius scholæ, nè absque necessitate desit Completorio: & hoc propter multas causas.

Multis de causis non debemus deesse Cõpletorio.

Primò, quia hora illa est, in qua de labore vitæ actiuæ, quæ habet turbationem, secundùm illud, Martha Martha, turbaris erga plurima, Lucæ 10. transitur ad quietem contemplatiuæ vitæ, quæ pacem & tranquillitatem habet: propter quod tunc cantatur, Nũc dimittis seruũ tuũ, Domine, secundùm verbũ tuũ in pace. Bonarũ mentium est, libẽter huiusmodi transitũ facere, & occupationes actiuæ vitæ vltra diẽ non prolongare, secundùm illud psal. Exibit homo, s. qui ratione vtitur, ad opus suum, & ad operationẽ suam, vsq; ad vesperam, s. & non vltra. 1.

Psal. 103.

Secunda, quia cùm sit tempus tacendi, & tempus loquendi, Ecclesiastis 3. ista hora est, in qua silentium incipit apud religiosos, quod omnes boni viri debent libentiùs acceptare, quàm locutiones. Aug. Loquela sit in necessitate, taciturnitas in iocunditate. 2.

In exposit. Psal. 119.

Tertia est, quia in ista hora animalia cũcta quocunq; vadnnt ad exteriora, reuertũtur ad interiora. Ista hora reuocandus est spiritus ab exterioribus ad interiora. Vnde in principio Cõpletorij dicitur, Cõuerte nos Deus salutaris noster. Quemadmodũ aũt reprẽhẽsibile est in viro religioso, sine necessitate, tẽpore Cõpletorij in villa morari, & tardè ad domũ suã corporalẽ redire: sic reprẽhẽsibile est in eo, spiritũ ipsius nimis tardè ad interiorem domum spiritualem reuerti. 3.

Nota.

Quarta, quia hora ista præparãdus est locus, in quo spiritus cum Deo quiescat. Locus aũt eius est, pax & tranquillitas. Psal. Si dedero somnũ oculis meis, & palpebris meis dormitationẽ, donèc inueniam locũ Domino. Item, in pace factus est locus eius. Repræhensibilis est autem, qui regi gloriæ negligit, & nimis differt, locũ præparare. 4.

Psal. 131.

Psal. 75.

Quinta, quia secũdùm morem Cõpletorio annexæ sunt orationes secretæ, quarũ fructus frequẽter amittunt, qui non intersunt. Matth. 6. Tu aũt cùm oraueris, intra cubiculũ tuum, s. secretũ cordis, & clauso ostio, ora patrem tuũ in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Et Bernar. super Cãt. Quàm serena & placida oratio, nullo perturbata clamore vel strepitu? 5.

Tempus orationis.

Ser. 86.

Sexta, quia illa hora debet seruus Dei præmunire se cõtra insultus diaboli. Vndè ante Completorium legitur: Fratres, sobrij esto- 6.

Conueniens officiũ Completorij.

Ff 3 te &

te & vigilate, quia aduersarius vester dia-
bolus, tanquàm leo rugiens circuit, quæ-
rens quem deuoret. Et in fine dicitur in
oratione: Visita, quęsumus, Domine habi-
tationem istam, & omnes insidias inimici
ab ea longè repelle. Diabolus enim de no-
cte seruos Dei acriùs impugnat, contra
quem non dubium, quòd fortiùs religio-
sus pręmunitur, si cōmuni orationi omni-
7. um fratrum interfit in Completorio. Se-
ptima, quia in illa hora fiunt multa, quæ
nō fiunt in alijs horis, quæ habent aliquem
effectum gratiæ conferre: sicut est aspersio
aquæ benedictæ, quæ hostes inuisibiles fu-
gat: & benedictio patris, scilicet Prælati,
quæ ad consecrationem valet, secundùm
illud Ecclesiastici 3. Benedictio patris fir-
8. mat domos filiorum. Octaua, quia rema-
nentes à Completorio, communiter peiùs
expendunt illud tempus, quàm remanen-
tes ab alijs horis diuinis. Nam ab alijs rema-
nentes, vel confessionibus, vel studio, vel
alicui operi fructuoso frequenter inten-
dunt. Multùm autem cauendum est religi-
oso, nè tēpus, quod alij sanctè expendūt,
ab ipso inutiliter aut malè expendatur.
Ecclesiastici 4. Fili, cōserua tempus. id est,
cum alijs serua, vt sicut ipsi, ità tu expen-
9. das. Nona, quia huiusmodi remanentes à
Completorio, solent suis vigilijs, & rumo-
ribus alios inquietare, & alios scandaliza-
re: quorum vtrunque est cauendum. Pri-
Lib. 1. c. 9. mum patet ex verbo Gregorij, in dialogo
dicentis: Cùm vir sanctus ad irascendum
trahitur, quis alius ad irascendum, nisi eius
inhabitator, excitatur? Secundum patet ex
Scandalum est cauendum. verbo Domini Matth. 18. Qui scandaliza-
uerit vnum ex pusillis istis, qui in me cre-
dunt, expedit ei, vt suspendatur mola asi-
10. naria in collo eius &c. Decima causa est,
Commendatio solēnis officiorum. quia illa hora nos solenniter commenda-
mus Beatæ Virgini. Constat autem, quòd
valdè efficax est recommendatio solennis.
Exemplum notabile. Vndè magister Iordanus, vir maximæ au-
thoritatis & sanctitatis, quondàm magi-
ster ordinis Prædicatorum, narrauit, quod
audiuit à quodam viro religioso, quòd
quandò fratres dicebant in fine Comple-
torij, Eia ergò aduocata nostra: videbat
Beatam Virginem flexis genibus recom-
mendantem ordinem filio suo. Stultus au-
tem esset, qui tali recommendationi liben-
ter non interesset. Debet ergò religiosus
libenter interesse Completorio, propter
causas iam dictas.

IN CAPVT XLIII.

TRACTATVS CVIII.

De lege & pœna eorum qui negligunt opportunè occurrere ad opus Dei.

A*D horam* &c. Superiùs dedit san-
ctus Pater doctrinam, de dili-
genter perficiendo opus Dei, &
de horis refectionis. Et quia sæpè
cōtingit aliquos deficere in istis: nè malum
huiusmodi negligentiæ remaneat impu-
nitum, subiungit consequenter pœnas,
quibus tales transgressores puniendi sunt.
Et ponit primò legem: secundò, pœnam
contra transgressores. Dicit ergò primò:
*Ad horam diuini officij mox vt auditum fuerit si-
gnum, relictis omnibus, qualibet fuerint in manibus;*
quæ scilicet sine periculo, aut dāno relin-
qui possunt. Si enim seruiret quis infirmis,
aut hospiti, aut præpararet cibum, aut ex-
traheret vinum de dolio, & huiusmodi,
non valeret illa sine dispendio immediatè
dimittere de manibus. *summa cum festinatio-
ne curratur, cum grauitate tamen, vt non scurrilitas
inueniat fomitem,* id est, occasionem alicuius
leuitatis. *Ergò nihil operi Dei præponatur. Quòd si* Pœna negligentia.
quis Hic ponit pœnam legis transgressori-
bus, *ad nocturnas vigilias post Gloriā psalmi nonage-
simiquarti,* qui est, Venite exultemus Domi-
no. *quem propter hoc omninò protrahendo, & moro-
sè volumus dici, non occurrerit, non stet in ordine suo
in choro, sed vltimus omnium stet, aut in loco quem
talibus negligentibus seorsùm constituerit Abbas, vt
videatur ab ipso vel ab omnibus, vsque dum, com-
pleto opere Dei, publica satisfactione pœniteat;
Ideò autem eos in vltimo, aut seorsùm iudicaui-
mus debere stare, vt visi ab omnibus, vel pro ipsa
verecundia sua emendentur. Nam si foris orato-
rium remaneant, erit fortè talis, qui se aut recollo-
cet & dormiat, aut certè sedeat foris, vel fabulis
vacet, nè detur occasio maligno: sed ingrediatur
intrò, vt nec totum perdat, & de reliquo emenda-
tur. Diurnis autem horis, qui ad opus Dei post
versum, & Gloriā primi psalmi, qui post versum di-
citur, non occurrerit, lege qua suprà diximus, in
vltimo stet loco, nec præsumat sociari choro psallen-
tium, vsque ad satisfactionem, nisi fortè Abbas li-
centiam dederit permissione sua: ità tamen, vt satis-
faciat reus ex hoc. Ad mensam autem, qui ante versum
non occurrerit, vt simul omnes dicant versum, &
orent, & sub vno omnes accedant ad mensam, qui per
negligentiam suam, aut vitium non occurrerit, vsque
ad secundam vicem pro hoc corripiatur. Si denuò non
emendauerit, non permittatur ad mensæ cōmunis par-
ticipationem, sed sequestratus à consortio omnium, re-
ficiat solus, sublata ei portione sua vini vsque ad sa-
tisfactionē, & emendationem. Similiter autem patia-
tur, qui ad illum versum non fuerit præsens, qui post
cibum dicitur. Nec quisquam præsumat ante statutam
horam, vel posteà, quicquam cibi aut potùs sumere.
Sed & si cui offertur à Priore aliquid, & accipere re-
nuerit hora, qua desiderauerit, hoc quod priùs recu-
sauit, aut aliud omninò, non accipiat, vsque ad emen-* Doctrina de negligētibus ad opus Dei, vndè emanauerit.
dationem congruam. Omnia plana sunt, vndè
expositione nō egēt. Verū hęc sancti patris
doctrina & instructio aduersùs negligētes
venire ad opus Dei, putà ad oratorium, à
sanctis

sanctis veteribus patribus legitur emanâsse. Vnde Cassianus libro tertio institutionum monachorum, ità dicit: Is verò qui in tertia, sexta, vel nona, priusquàm cœptus finiatur psalmus, ad orationē non occurrerit, vlteriùs oratoriū introire non audeat, nec semetipsum admiscere psallentibus, sed congregationis Missam stans præ foribus præstoletur, donèc egredientibus cunctis submissa in terrā pœnitentia, negligétiæ suæ, vel tarditatis, impetret veniā, sciens nequaquàm se posse desidiæ suæ noxā aliter expiare: sed nec in ea quidē quæ post tres horas erit secutura solēnitas admittendū, nisi pro negligentia præsenti cōfestim vera humilitate subnixus, satisfacere festinauerit. In nocturnis verò cōuēticulis, vsq; ad secundū psalmū, præbetur tardādi dilatio, ità duntaxàt, vt anteq; finito eodē psalmo fratres in oratione procūbant, semetipsum cōgregationi inserere, atq; admiscere festinet, eidē ꝓculdubiò increpationi, ac pœnitentiæ, quam prædiximus, subijciendus, si vltra prēstitam dilationis horam, vel modicùm retardauerit.

Cap. 7.

IN CAPVT XLIIII.

TRACTATVS CIX.

De satisfactione excommunicatorum.

Qui pro grauioribus &c. Superiùs sanctus Pater posuit qualiter deberēt satisfacere, qui ad opus diuinū tardè occurrerint. Nūc subiungit, qualiter satisfacere debeant etiam illi, qui pro graui vel leuiori culpa excommunicantur. Et diuiditur in duas partes. Primò ponit satisfactionis formā eius, qui pro graui culpa est excommunicatus, id est, segregatus à consortio aliorū in oratorio & in mensa. Secūdò, ponit formam satisfactionis eorū, qui pro leui culpa excommunicantur, id est, segregātur à mensa. De primo dicit sic: *Qui pro grauioribus culpis ab oratorio & à mensa excōmunicatur*, satisfacturus, supple est, *hora qua opus Dei*, id est, diuinum officium, *in oratorio percelebratur, ante fores oratorij prostratus iaceat, nihil dicens, nisi tantùm posito in terram capite, & prostratus pronus de oratorio exeuntium pedibus se proijciat*, & hoc ideò, vt sicut se alijs per superbiā prætulit, ità per humilitatē aliorū vestigijs calcādū se præbeat: quia res per quas causas nascitur, per easdē solui meretur. *& hoc tandiu faciat, vsque dum Abbas iudicauerit satisfactum esse*. Debet Abbas vocare fratres in locū capituli, fratre illo absente, & cōsulere illos, an iustū, & rationabile sit, vt frater ille post exhibitam humilitatē prædictā, quiescat ab vlteriori satisfactione, & absoluatur: si dixerint quod sic, vocandus est frater ille coram omnibus, & absoluat eū Abbas. Et hoc est, *vsq; dū iudicauerit satisfactum esse*. Sequitur: *Qui dum iussus ab Abbate venerit*, s. ad capitulum, *voluat se ipsius Abbatis pedibus, deindè omniū vestigijs fratrum, vt orent pro ipso*. Debet enim silenter dicere, Orate pro me patres: & quilibet ei submissa voce respondeat, Indulgeat tibi omnipotens Deus. Sequitur: *Et tunc si iusserit Abbas, recipiatur in choro, vel in ordine*, id est, in loco, *quo Abbas decreuerit. Ità sanè*, id est, tamen, *vt psalmum aut lectionem, aut aliud quid non præsumat in oratorio imponere*, id est, incipere, *nisi iterùm Abbas iubeat, & omnibus horis dū completur opus Dei, proijciat se in terrā, in loco quo stat, & sic satisfaciat, vsque dum ei iubeat iterùm Abbas, vt quiescat iam ab hac satisfactione*. Vbi nota, quòd hic indicuntur quatuor partes in hac forma satisfactionis eorum, qui pro grauioribus culpis excōmunicantur. Prima est, prostratio ante fores oratorij pedibus Abbatis, & fratrum exeuntiū. Secūda est, prouolutio pedibus Abbatis, & fratrum vestigijs, cū petitione orationum, & hoc cùm vocatur ad capitulum. Tertia est, receptio siue statio illius in loco humili deputato in oratorio, cum abstinentia ab inceptione psalmorum, lectionum, seu responsoriorum. Quartum est, prostratio in terram in fine horarum.

Forma satisfactionis eius, qui pro graui culpa excōmunicatur.

Abbas solu-turus excommunicatū, quid faciat.

Quatuor in satisfactione excōmunicatorū.

1. 2. 3. 4.

Sequitur forma satisfactionis eorum qui pro leuibus culpis excommunicantur: *Qui verò pro leuibus culpis excommunicantur*, id est, sequestrantur, *tantùm à mensa, in oratorio satisfaciant*, s. sicut in parte dictum est in priori forma, videlicet quòd tales, permanentes tamen in loco suo in oratorio, nec psalmū, nec antiphonam, debent imponere, nec lectionem recitare. Item in fine horarū proijcere se debent in terram, sicut superius est ordinatum: *& vsque ad iussionem Abbatis hoc faciant*, id est, impleant continuè, *vsque dū Abbas benedicat*, signum vel verbum benedictionis dādo. Dicit enim ei Abbas: Benedicat tibi Deus, quia pœnitentiam tuam benè egisti. *& dicat, Sufficit*. s. nobis pœnitentia ista, quam egisti: non facias eam ampliùs. Omnia ista plana sunt, quarè non est opus hic longiori sermone.

Quomodò satisfaciāt, qui pro leuibus culpis sunt excommunicati.

IN CAPVT XLV.

TRACTATVS CX.

De illorū satisfactione, qui in oratorio psallendo delinquunt.

Si quis dum pronunciat &c. Data doctrina de forma satisfactionis pro grauioribus quibuscunque culpis, ordine congruenti, de illorum satisfactione subiungit, qui in oratorio psallendo delinquūt, dicens: *Si quis, dum pronunciat psalmum, aut responsorium, aut antiphonam, vel lectionem, fallitur*, siue fefellerit, vt s. chorum perturbet, *nisi per satisfactionem ibi coram omnibus*

hus humiliatus fuerit, maiori vindictæ subiaceat: id est, in capitulo obiurgetur, proclametur coram omnibus. Et sequitur causa: *quippe quia noluit humilitate corrigere, quod negligentia deliquit.* Hîc nota, quòd inter fallentes in oratorio, talis distinctio haberi potest: Aut enim talis qui pronunciat psalmum, aut responsorium, facit fallere totũ chorum, aut non facit fallere, sed conturbat alios, aut fallit sine aliorum conturbatione. In primo casu, est consuetudo apud aliquos, vt tam ipse, quàm chorus totus flectat genua, ità vt caput ponant in terram. In secundo, sufficit quòd ipse solus flectat genua, absque eo quòd caput ponat in terram. In tertio sufficit, vt se flectat sicut est consuetudo, cùm dicitur Gloria patri. De lectionibus verò, quidam dant talem regulam, quòd debet esse deputatus aliquis frater, qui libros corrigat: lector verò si malè legit in libro correcto, & postea per seipsum recuperat emendando, nullam veniam petit. Alioquin secundùm discretionem superioris satisfacit. Si autem, quod est in libro, dicit, & liber correctus non est, nullam veniam petit. Sequitur: *Infantes verò pro tali culpa vapulent.* scilicet, si non satisfecerint postquàm fefellerint, vel si eorum magister, pro talium culpæ aut negligentiæ magnitudine, illos dignos iudicauerit flagellis, poterunt vapulare, non tamen in ecclesia, aut in capitulo, sed in scholis eorum. Omnia plana sunt.

Distinctio fallentium in oratorio.

Diuersa satisfaciendi forma.

IN CAPVT XLVI.

TRACTATVS CXL.

De emendatione culparum, quæ in exterioribus quibuslibet, vel etiam in sola conscientia committuntur.

Si quis dum in labore &c. Assignata in præcedenti capitulo satisfactionis forma pro defectibus commissis in oratorio: consequenter subdit sanctus Pater modum satisfaciendi pro defectibus commissis in alijs rebus, siue in officijs. Et diuiditur in duas partes. In prima, agit de emendatione culparum, quæ committuntur in aliquo opere exteriori. In secunda, de curatione culparum, quæ interiùs in animo solùm permanent. Circa primam partem dicit sic: *Si quis dum in labore quouis, in coquina, in cellario, in ministerio, in pistrino, in horto, in arte aliqua dum laborat, vel in quocunque loco aliquid deliquerit,* scilicet per incuriam peccauerit: attinere videtur ad illud, quādò aliquid sic versatur, vt recolligi non posset, sicut vinum, oleum, & huiusmodi, *aut fregerit quippiam, aut perdiderit, aut aliud quid excesserit,* cùm excedere sit, metam siue modum transire: excedere, attinet ad excessum in verbo, aut in incessu inhonesto, aut in sonitu immoderato tempore silentij: sicut cùm aliquid de mensa, eius negligentia ceciderit, quod sonitum cunctis audientibus faciat, & similia, in quibus quis videatur modũ excessisse, *vbi vbi,* id est, quocunque loco aut opere hoc contigerit, *& non veniens continuò,* non quidem ilicò opere dimisso, sed obedientia siue opere consummato, *ante abbatem,* supple solum, in minoribus delictis vel excessibus, & veniam petere, *vel congregationem,* & hoc in maioribus excessibus, culpis, aut damnis, quæ congregationem turbare, aut scandalizare possent, quæ cùm pro excessu sine iudicio dimitti non debeant, ante congregationem ab Abbate veniam petēda est. Abbas autem, secundùm quod culpæ excessum & intentionem peccantis cognouerit, ità extendere, aut dimittere debet iudicium. *ipse vltrò* id est, spontè, *satisfecerit & prodiderit delictum suum,* Sequitur, *dum per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat emendationi.* supple, quàm si per se, nullo alio deferente, aut proclamante, denunciâsset siue manifestâsset. Hoc tamen sanè intelligendum est, ne detur locus inuidis & maleuolis. Multi enim maleuoli accusatores fratrum suorum potiùs, quàm emendatores errorum, videntes damnum & excessum factum, antecedere possent ad annunciandum Abbati, quatenùs ille qui excessit, maiori vindictæ subiaceat, quia regula dicit, *dum per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat emendationi.* Non ergò hoc est accipiendum, quandò denunciatio & proclamatio fit ante tempus veniæ petendæ, hoc est, antequàm frater, qui excessit, ab opere, siue obedientia cessauerit: siue ante capitulum diei immediatè sequentis excessum factum: siue cùm fit denunciatio per aliumante tempus statutũ ab Abbate, sicubi mos est quòd ab Abbate tēpus determinatum instituitur, in quo fratres de huiusmodi excessibus veniam petant. qui autem præfatis temporibus veniam non petierit, & posteà alter denunciauerit Abbati, tunc ille, qui neglexit veniam petere, debet meritò subiacere maiori vindictæ. Sequitur: *Si animæ verò peccati causa fuerit latens, tantùm Abbati, aut spiritualibus senioribus patefaciat, qui sciant curare sua, & aliena vulnera non detegere & publicare.* Hæc est secunda pars capituli. Et est sensus: Si tale fuerit delictum commissum, aut excessus, quod ad nullius alterius attinet damnnm, sed ad seipsum solum pertinet, huiusmodi non palàm, sed Abbati tantùm, aut seni probatissimo, tanquàm vulnus sanandum aperiendum est. Nam vtait Ambrosius super psal. 37. Peccatorum morbus inardescit, dum tegitur: euaporatur autem, si confessori pro- ditur.

Curatio culparum, quæ committuntur in exteriori opere.

Excedere propriè.

Aduerte hâc distinctionem.

De conscientia reatu.

Bonū confessionis. Citat D. Tho. in 4. Sēt. dist. 17. q. 3. ar. 2. q. 1. ditur. Vndè confessio, vt ait Augustinus, est per quam morbus latens spe veniæ aperitur. De hac materia plura notata sunt superiùs circa quintum gradum humilitatis: quarè supersedemus ab vlteriori sermone breuitatis causa. Sed aduertendum, quòd

Duę conditiones patrum confessorum. duas hîc sanctus pater conditiones assignat, quas Abbas & spirituales seniores siue patres habere debent, qui huiusmodi peccatorum confessionibus audiendis deputantur. Prima, est scientia curationis, cùm

1. dicit, *qui sciāt curare sua & aliena vulnera.* De

Hom. 2. quo dicit sic Origenes super psal. 37. Circunspice primùm diligentiùs, cui debeas confiteri peccatum. Proba priùs medicum, cui debeas languoris exponere causam, qui compatiendi & delendi nouerit disciplinam. Et Augustinus: Qui peccata sua vult confiteri vt inueniat gratiam, quærat sacerdotem scientem ligare & soluere: nè, cùm negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui eū misericorditer monet, & petit, nè ambo in foueam cadant. Secūda est,

De vera & falsa pœn. ca. 10.

2. vt teneat, quę audierit in cōfessiōe, semper

Graue delictum, reuelantiū confessiones. in secreto, cùm dicit: *nō detegere & publicare.* * Leo Papa: Sacerdos ante omnia caueat, nè de his qui ei confitentur peccata sua, alicui recitet quòd ea cōfessus est: quod si fecerit, deponatur, & omnib⁹ dieb⁹ vitę suę ignominiosus peregrinando pergat. Et Innocentius in cap. Omnis vtriusq; sexûs. extrà de pœ. & remis. dicit sic: Caueat aūt omninò (s. cōfessor) nè verbo, aut signo, aut alio quouis modo aliquatenùs prodat peccatorem: sed si prudētiori consilio indiguerit, illud absq; vlla expressione personæ, cautè requirat: quoniā qui peccatū, in pœnitentiali iudicio sibi detectū, præsumpserit reuelare, non solùm à sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendum perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.

* Gregor. de pœnit. dist. 6. c. Sacerdos ante.

IN CAPVT XLVII.
TRACTATVS CXII.
Quis debeat horā diuini officij denunciare, vel in choro legere, vel cantare.

N*Vncianda hora &c.* Superiùs sanctus Pater egit de satisfactione eorum qui fallunt in opere Dei: Et quoniā magnus defectus est, si non omnia debitis & congruentibus horis fiant, subdit conuenientissimè sanctus Pater de cura habēda significādi, & denunciandi horā debitam, qua opus Dei agendū sit, id est, diuinum officium, sic dicēs: *Nuncianda hora &c.* Et diuidi potest hoc capitulum in duas partes, secundùm quod duo officia videtur describere duorum officialium, videlicet sacristę, & tabularij. De primo dicit sic: *Nuncianda hora operis Dei die noctuq; sit cura Abbati, aut ipse nunciare, aut tali sollicito fratri iniungat hanc curam, vt omnia officia horis competentibus compleantur.* Hæc verò cura communiter deputatur Sacristæ, qui fratres excitare & cōuocare habet ad horas dicēdas, &, vt ait sanctus Pater, sollicitus maximè esse debet, non piger, non somnolētus, summam diligentiam habens, vt diuinum officium, aliaq; omnia officia, horis conuenientibus expleantur. Ad quarum horarum denunciationem certiorē faciendā, horologiū debet esse in monasterio, nō preciositate aut curiositate notabile, sed veritate laudabile. Sequitur: *Psalmos autem vel antiphonas post Abbatem ordine suo, quibus iussum fuerit, imponant.* Hoc loco videtur nobis sanctus Pater describere officium Tabularij. Debet enim frater constitui in conuentu, qui discretè & ordinatè sciat describere fratres, qui apti sunt ad incipiendum psalmos, & antiphonas, & cantandum responsoria, & legendum lectiones, siue in festis, siue in profestis diebus. Per hoc autē quod dicit, *post Abbatem,* nulla necessitas cantandi Abbati imponitur, sed magis, iudicio nostro, ipse à tabula huiusmodi officiorum intelligitur exemptus, propter curam regiminis, & quia sæpè cum hospitibus occupatus, diuino officio regulariter interesse nō poterit. Sequitur: *Cātare aūt, & legere nō præsumat, nisi qui potest ipsum officiū implere, vt ædificentur audiētes.* Hoc est, quod in superiorib⁹, in capite trigesimooctauo huius regulæ, dictum fuit, quòd fratres non per ordinē legant, sed qui ædificent audientes. *Quod cum humilitate, & grauitate, & tremore fiat: & cui iusserit Abbas.* In quibus verbis, quatuor sanctus Pater ponit ad hoc, quòd psalmodia discipuli sit Deo grata. Primum est, vt psallatur Deo cum humilitate cordis. Secundò, cum grauitate, & disciplina exterioris cōpositionis, quæ attestatur mentis attentionem. Tertiò, cum tremore, reuerentia, & deuotione. Quartò, cum obediētia sui superioris. Quia verò de istis tam circa cap. 19. regulę, quàm circa alia plura loca, extēso sermone notata sunt, breuiter nos in hoc loco expedimus.

Officium, & conditiones Sacristæ.

Quatuor, vt psalmodia sit Deo grata. 1. 2. 3. 4.

IN CAPVT XLVIII.
TRACTATVS CXIII.
De opere manuum, de malo ociositatis, & alijs quibusdam.

O*Ciositas inimica est animæ &c.* Postquàm superiùs sanctus Pater egit de horis competentibus, quibus diuinæ laudes explēdæ sunt, nūc

 subdit

subdit de horis, quib⁹ discipulus operibus
manuum, aut diuinis lectionibus, siue me-
Distributio capitis in partes octo. ditationibus debet esse intentus. Et diuidi-
tur hoc capitulũ in octo partes. In prima
ponit causam, quarè huius scholę discipu-
lus debeat vitare, & fugere ociositaté. Se-
Triplex totius anni distinctio. cundò, distinguit totum annũ in tria tem-
pora, secundùm quæ fratres operi manuũ,
lectioni, & orationi, & alijs horis aut plùs,
1. aut minùs intendere debent. Primum tem-
pus est, à Pascha, vsq; ad Calẽdas Octobris.
2. Secundum, à Calẽdis Octobris, vsq; ad ca-
3. put Quadragesimæ. Tertiũ, est tẽpus Qua-
dragesimæ. Tertiò, pro maiori obserua-
tione huius instituti, præcepit deputari
certos officiales, qui superintendere debe-
ant, si quis sit huius instituti neglector.
Quartò, adiungit pœnã transgressoribus.
Quintò, ponit mandatum tenendæ taci-
turnitatis tempore laborum & lectionum.
Sextò, ponit quòd die Dominico maximè
lectioni vacandũ sit. Septimò, quid agen-
dum sit de nolentibus, aut non potentibus
lectioni aut meditationi vacare. Octauò,
qualiter in operibus manuũ, debiles & de-
I. Pars cap. licati sint tractandi. Causam autem, pro-
pter quã ociositas fugienda est, assignat, di-
Decẽ mala ex ociositate nascũtur. cens: *Ociositas inimica est animæ.* Vbi notãdum,
quòd inter alia, decem mala potissimè ori-
untur ex ociositate, ꝓpter quæ meritò san-
ctus Pater ociositatẽ animæ inimicã appel-
1. lat. Primò enim ociositas excæcat intelle-
ctũ animæ. Hugo in libro de claustro ani-
lib.2.cap.14. mæ: Ocium stultitiã, labor scientiam gene-
rat. Hinc Prou. 18. dicitur: Qui sectatur oci-
um, stultissimus est: & vere stultissimus,
Stultitia propriẽ. quia stultitia est rerũ appetẽdarũ & vitan-
darũ, nõ quælibet, sed vitiosa ignorantia.
li.1.cap.24. Ait Aug. lib. de libero arbitrio in fine: Be-
nè stultus est ociosus, quia nõ declinat vi-
tanda: stultior, quia nõ desiderat appeten-
da, nec colligit merita: stultissimus, quia
cumulat & thesaurizat sibi æterna suppli-
2. cia. Secũdò, ociositas virtutes animę & po-
tẽtias debilitat & eneruat: sicut (teste beato
li.2.de Cain & Abel, c.6. Ambrosio) animæ fortitudo exercitationis
assiduitate solidatur. Seneca lib. declama-
tionũ: Emollit ociũ vires, sicut rubigo fer-
3. rum. Tertiò, ociositas ingeniũ animę hebe-
Apta comparatio. tat. Sicut enim ferrum in ocio cõstitutum,
rubiginem contrahit, & vitis non culta,
labruscam siluescit: ità torpore desidię, in-
genij nobilitas obfuscatur, & hebetatur il-
lius acumẽ. Et ad idem est Seneca, in quadã
epistola, dicens: Ocium quasi rubigo facul-
4. tatem ingenij siccat. Quartò, ociositas affe-
Similitudo. ctum animæ corrumpit. Quemadmodùm
enim aquæ, nisi moueantur, vitium corru-
ptionis incurrũt, secundùm illud Ouidij:
li.1. de Põt. epist. 6. Vt capiũt vitiũ, ni moueãtur aquę: ità ocio-
sitas parit in anima corruptionem affectûs.
Ante medium. Vnde Bernar. ad fratres de mõte Dei: Omni-
um tentationũ & cogitationum malarũ &
inutiliũ, sentina est ociũ. Eccl. 33. Multam Exemplũ.
malitiã docuit ociositas. Hoc patuit in re-
ge Dauid, qui remeans de bello ociosus, in-
cidit in adulteriũ, & posteà in homicidiũ.
2. Reg. 11. Similiter Salomon occupatus in
ædificatione tẽpli, sanctus fuit & bonus: in
senectute verò ociosus, ità deprauata est
anima ei⁹ per mulieres alienigenas, vt pha-
na idolis ædificaret, 3. Reg. 11. Quarè beatus
Grego. in Moralibus, tractans illud: In de-
siderijs est omnis ociosus, dicit: Semper est Sententia de vitanda ociositate.
ergò aliquid agendum, nè ager pectoris no-
stri, cessante manu, malarũ cogitationum
sentibus occupetur. Et Hieron. Facito ali- Epist. 4. ad Rust.
quid operis, vt te semper diabolus inueniat
occupatum. Non enim facilè capitur à dia-
bolo, qui bono vacat exercitio. Ait enim lib. 10. institut. cap. 23.
Cassianus, vbi suprà, hanc patrum esse sen-
tentiã, operantem monachum, vno dæmo-
ne pulsari: ociosum verò, innumeris spiri-
tibus deuastari. Quintò, ociositas est inimi- 5.
ca virtutum. Bernar. lib. de cõsideratione: lib. 2. ca. 13.
Fugienda est ociositas, quæ est mater nuga-
rum, & nouerca virtutũ. Ipsa enim est, quæ
virum fortẽ fortissimè præcipitat in reatũ.
facit enim suffocare virtutẽ, nutrire super-
biam, & viam constituere ad gehennã. Se-
neca: Sunt, quorũ corpus innoxium est, & In Prouerb.
in mille facinorum furias mens ociosa dis-
currit. Sextò, ociositas est omniũ bonorũ 6.
acquisitorum consumptiua. Hieron. Nihil ad Demetria. To. 4.
in sancto ꝓposito ocio deterius est, quod Magna ocij detestatio.
non solùm non acquirit noua, sed etiã par-
ta cõsumit: sanctę vitæ ratio processu gau-
det & crescit, cessatiõe torpescit & deficit.
Quotidianis accrescentibus virtutũ incre-
mentis instauranda mens est, & viuẽdi no-
bis hoc iter, nõ de transacto, sed de reliquo
metiendum est. Septimò, ociositas hominẽ 7.
pauperem facit & egenum. Prouer. 28. Qui
sectatur ocium, replebitur egestate, scilicet
& temporali, & spirituali: quia, vt ait Cas-
sianus libro decimo institutionum, Neces- Cap. 22.
se est ociosum quenquam, & diuersis vitijs Ociosus, à virtutibus semper est alienus.
inuolutum teneri, & alienũ semper existe-
re à contemplatione Dei, vel diuitijs spiri-
tualibus, de quib⁹ beatus Apostolus inquit,
In omnibus diuites facti estis, in omni ver-
bo, & in omni sciẽtia. Et Ambrosius: Nul- Epist. 82.
lus fructus ocij, immò magis dispendium.
Ociosus Esau amisit primatûs benedictio- Gene. 25.
nẽ, quia maluit cibũ accipere, quàm quære- Exemplũ.
re. Octauò, ociositas parit animæ ignomi- 8.
niosa peccata. Dicit August. quòd ociosi-
tas sine Dei timore, magistra nequitiæ est.
Eze. 16. Hæc est iniquitas sororis tuę Sodo-
mæ, abundantia panis, & ocium. Chrysost.
Homilia 34. Vitium fornicationis facilè Ocium est fornicationis mater.
ex vacantia & ocio nascitur. Nam, qui solli-
citudinibus habet animum occupatum, nõ
facilè fornicationi operam dabit. Isidorus
libro

lib.3.ca.20. libro de summo bono: Seruum Dei sine in-
termissione legere, orare, & operari opor-
tet, nè fortè mētem ocio deditam, spiritus
fornicationis subripiat. Cedit enim labori
voluptas, animum autem vacantem citò
lib.primo. præoccupat. Et Ouid. de remedio amoris:
Ocia si tollas, periêre Cupidinis arcus.
Cedit amor rebus: res age, tutus eris.
9. Nonò, ociositas animam dignam maledi-
ctione reddit. Vndè Lucæ 13. Dominus le-
gitur maledixisse ficulneæ, quia erat sine
10. fructu. Decimò, ociositas spoliat & priuat
li.1.de Cain animam futura gloria. Quia, vt ait Ambro-
& Abel,c.4. sius: Non dormientibus, non ociantibus,
sed vigilantibus, pollicentur præmia. Et
Leo Papa: Non dormientibus prouenit re-
gnum cælorum, nec ocio & desidia tor-
pentibus, beatitudo æternitatis ingeritur.
1.Corint.3. Vnusquisque enim, vt ait Apostolus, se-
cundùm suum laborem mercedem acci-
piet. Labor enim, vt ait Glo. super psalmũ
centesimũ tertium, est precium regni Dei,
Figura contra ociosos. quo ipsum emitur. In cuius figura legitur
Nume. 32. de filijs Ruben & Gad, quia vo-
luerunt morari in campo, & viuere ocio-
sè circa Iordanem, non meruerunt intrare
terram promissionis, sic erit de ociosis. Vn-
dè Christus hoc vitium repræhendēs Mat-
thæi 20. dicit: Quid statis hîc tota die ocio-
si? Ite in vineā meam, & quod iustum fue-
rit, dabo vobis. Et infrà dicitur: Voca ope-
rarios, & redde illis mercedē. Assignata cau
sa ociositatis, concludit propositum, di-
cens: *Et ideò certis temporibus occupari debent fra-
tres in labore manuum, certis iterùm horis in lectione
diuina.* Vt enim ait Cassianus lib. 10. institu-
Cap. 22. tionum: Superioribus exemplis per Aegy-
ptum patres eruditi, nullo modo ociosos
monachos, ac præcipuè iuuenes, sinunt.
Tangit autem in hoc loco beatus Benedi-
ctus duas vitas, actiuam scilicet, & contem-
Actiua vita & contemplatiua. platiuam. In labore manuũ, designat acti-
uam: per lectionem verò, vitā designat cō-
templatiuā, quarũ vtraq; discipulo huius
scholę est necessaria. Dicit enim B. August.
li.19.ca.19. in lib. de ciuitate Dei: Non debet quisq; sic
esse ociosus, vt in eodem ocio vtilitatē nō
cogitet proximi: nec sic actuosus, vt cōtem
plationem nō requirat Dei. Quia aũt acti-
ua vita prior est tēpore, quàm cōtemplati-
Hom. 3. ua, (vt ait Grego. super Ezech.) quia ex bo-
no opere tenditur ad cōtemplationē: san-
ctus pater Benedictus ordinē cōgruentis-
simũ posuit, quandò primò egit de labore
seu exercitio manuum, & subsequenter de
Figura. meditatione sacrarũ lectionũ. Vt enim ait
Sermo. 3. Bernar. in sermone Assumptionis Domi-
næ nostræ: prior natu Martha videtur, &
salutis initium sibi magis actio, quàm con-
templatio noscitur vēdicare. Laudat Chri-
stus Mariā, sed à Martha suscipitur. Amat
Rachelem Iacob, sed Lia supponitur ignō-
ranti: Sequitur secunda pars capituli: *Ideò* II. Pars cap.
*hac dispositione credimus vtraq; tempora ordinari, id
est, vt à Pascha, vsque ad Calendas Octobris, manè
exeūtes, à prima vsque ad horam penè quartam labo-
rent, quod necessarium fuerit. Ab hora autem quarta,
vsque ad horam quasi sextam, lectioni vacent. Post se-
xtam autem surgentes à mensa, pausent in lectu suis
cum omni silentio:* Tale silentium iubet in me- Nota de silentio tempore meridianæ dormitionis.
ridie obseruari, quale & in nocte, quia
omne silentium quod obseruandum est
nocturnis horis, vnum & idem signifi-
cat. *aut fortè qui voluërit legere, sic legat,* id est,
submissè, *vt alium non inquietet. Et agatur no-
na temperiùs,* id est, citiùs, *mediante octaua ho-
ra,* id est, in illo medio, quod est inter di-
midiam octauam, & inceptionem nonæ,
surgant fratres, & nona cantetur: *& iterùm,
quod faciendum est, operentur vsque ad vesperam.*
Sequitur: *Si autem necessitas loci, aut paupertas
exegerit, vt ad fruges colligendas per se occupentur,
non contristentur: quia tunc verè monachi sunt, si la-
bore manuum suarum viuunt, sicut & patres nostri,
& Apostoli.* Patres hîc dicuntur, qui præcesse- Patres nostri qui dicantur.
runt ante aduentum filij Dei in carnem,
cuiusmodi fuerunt Patriarchæ & Pro-
phetæ. Vndè dictum est protoparenti no-
stro, Genesis tertio: In sudore vultûs tui
vescéris pane tuo. Et Patriarcha Iacob de se
& filijs suis, ait ad regem Pharaonem, Ge-
nesis 46. Viri pastores sumus serui tui, ab
infantia nostra, vsque ad præsens, & nos
& patres nostri. Vel Patres dicuntur, qui in
monastico ordine probatissimi floruerūt,
sicut Paulus primus eremita, Antonius,
Hilarion, Siluanus, &c. qui omnes victum
sibi labore manuum conquirebant. Vndè
de beato præfato Paulo eremita legitur li- Exemplũ.
bro decimo institutionũ, quòd labore ma- Cap. 24.
nuum victum sibi quærens, dicebat si-
ne opere manuum, nec verè posse mona-
chum perdurare, nec ad perfectionis cul-
men aliquandò ascendere. Item de Anto-
nio legitur in Vitis patrum, quòd cùm an-
gelus ei apparuisset nunc operans, nunc
orans, ait ad beatum Antonium: Sic fac, &
viues. & sic de alijs patet. Nam vt ait Hiero. Epist.4.ad
Aegyptiorum monasteria hunc morem Rustic.
conseruant, vt nullum absque opere & la-
bōre suscipiant. De Apostolis etiam pla- Apostolorũ labores manuum.
num est, quòd labore manuum sibi victum
quæsiêrunt, secundùm illud primæ Co-
rint. quarto: Laborauimus operantes ma-
nibus nostris. Vndè beatus Petrus princeps Exēplum.
Apostolorum, qui omnia reliquerat, cum
cæteris Apostolis redijt ad piscationē post Ioan. 21.
resurrectionem Domini. vbi Gregorius Hom.24.in
ait: Negocium, quod ante conuersionem Euang.
sine peccato extitit, post conuersionem re-
petere, culpa nō fuit. Item de Paulo Apo-
stolo manifestum est, quòd labore manu-

um sibi victum quærebat, qui ait 2. Thessalonicen. 3. Ipsi enim vos scitis, quemadmodùm oporteat imitari nos, qui nõ inquieti fuimus inter vos, nec gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione, nocte & die operantes, nè quem vestrûm grauaremus. De beatissima etiam Virgine testatur Hieronymus, quòd colo & acu, sibi & filio victum quærebat. Sed aduertendum, quòd hoc, quod dicit sanctus Pater, *quòd tunc verè monachi sunt, quandò labore manuum suarum viuunt*: non est sic accipiendum, quòd non sint verè monachi dicendi, qui non labore manuum suarum, sed de bonis, aut de beneficijs aliorum viuunt, lectioni & contemplationi vacantes: cùm ipse sanctissimus pater Benedictus, vt refert beatus Gregorius in secundo Dialogorum, tribus annis in specu permanens, de his quæ à Romano monacho ministrabantur, refectus est, & tamen validus corpore, non legitur de labore manuum victum quæsiuisse. De monachis etiam qui prædicationis officio insistunt, aut ministri altaris (sicut dicit beatus Augustinus in libro de opere monachorum) Si euangelistæ sunt, fateor, habent potestatem viuendi de sumptibus fidelium: si ministri altaris, dispensatores sacramentorum, benè sibi istam non arrogant, sed planè vendicant potestatem. Sed pro eo viuentes de labore manuum suarum, dicuntur verè monachi, quia in hoc imitantur veteres patres, à quibus monastici ordinis disciplina, primò videtur emanasse, apud quos quasi regularis mos fuit, de labore manuum viuere. Vndè Hieronymus, vt suprà inductum est, dicit in epistola ad Rusticum monachum: Aegyptiorum monasteria hunc tenent morem, vt nullum absque opere & labore suscipiant, non tam propter victûs necessitatem, quàm propter animæ salutem, nè vagetur perniciosis cogitationibus mens. Et Bernardus in quadam epistola: Labor, & latebræ, & voluntaria paupertas, hæc sunt monachorum insignia, hæc vitam solent nobilitare monasticam. Sequitur: *Omnia tamen mensuratè fiant, propter pusillanimes*, id est, debiles, & paruæ virtutis, seu parui animi, quibus iniungendus est labor moderatus. Sequitur: *A Calendis autem Octobris, vsque ad caput Quadragesimæ, vsque in horam secundam plenam, lectioni vacent. Hora secunda agatur Tertia: & vsque ad horam nonam omnes in opus suum laborent, quod eis iniungitur. Facto autem primo signo nona hora, disiungantur ab opere suo singuli*, id est, relinquant opera sua, *& sint parati dum secundum signum pulsauerit. Post refectionem autem, vacent lectionibus suis, aut psalmis*, secundùm idoneitatẽ vniuscuiusque. quia quidam sunt magis idonei ad psalmodiã, quidam verò ad lectionem. Vbi nota, quòd tria ponit, in quibus vita religiosi versari debet, videlicet orationem, lectionem, & laborem manuum. De istis tribus dicit Isidorus libro de summo bono: Seruum Dei sine intermissione legere, orare, & operari oportet. Sequitur: *In Quadragesima verò diebus, à manè vsque ad tertiam plenam, lectionibus suis vacent: & vsque ad decimam horam plenam, operentur quod eis iniungitur.* Ista autem ità adimplenda sunt, vt obseruetur quod dictum est superiùs, in cap. 41. videlicet, quòd in Quadragesima vsque ad Pascha ad vesperam reficiant: ipsa tamen vespera sic agatur, vt lumine lucernæ non indigeant reficientes &c. Sequitur: *In quibus diebus Quadragesimæ accipiant omnes*, scilicet qui apti sunt ad legendum, *codices singulos*, ità quòd singulis singuli tradantur, vnicuique secundùm capacitatem intelligentię suę, vt non duo in vno libro ad legendum conuenire oporteat, nè prætextu communis lectionis, inter eos leuiores fabulæ misceantur, *de Bibliotheca*, id est, de loco communi, in quo libri reponuntur ad custodiam, *quos per ordinem ex integro legant*. Vbi tria notat sanctus Pater in lectione librorum obseruanda ad hoc, vt lector ex lectione proficiat. Primum est, 1.
lectionis certitudo, siue determinatio, cùm dicit, *quos*. Non enim vaga & incerta habenda est lectio, sed certis incumbẽdum est studijs, quia, vt ait Bernardus: Fortuita & vaga lectio, & quasi casu reperta, non ædificat, sed reddit animum instabilem, & leuiter admissa, leuiter recedit à memoria. Sed certis ingenijs immorandum est, & assuefaciendus est animus. Vndè Seneca in quadam epistola: Lectio certa prodest, varia delectat. Secundum est, continuatio, 2.
cùm dicit, *per ordinem*, scilicet legat continuatim, & non saltando. Sæpè quidem intelligentia posteriorum, dependet ex primis. Et quia sicut in vnoquoque opere curatur inueniri cõstantia, ità vniuersæ doctrinæ & disciplinæ nouerca est negligentia. Tertium est, mentis attentio, cùm dicit, *ex integro*, 3.
non verba tantùm, sed ad sensum eorum quæ legit, attendat. *Qui codices in caput Quadragesimæ dandi sunt*. Sequitur tertia pars capituli, de officio circumitorum: *Ante omnia sanè deputentur vnus aut duo seniores, qui circumeant monasterium horis, quibus vacant fratres lectioni, & videant, nè fortè inueniatur frater acediosus*, id est, negligens, vagus, instabilis, desidiosus, *qui vacet ocio & fabulis, & non est intentus lectioni, & non solùm sibi inutilis est, sed etiam alios extollit*, id est, extrà tollit, id est, à lectione abstrahit, segregat, & disturbat. Sequitur quarta pars, de punitione fratris ociosi: *Hic talis, si, quod absit, repertus fuerit, corripiatur semel & secundò: si non emendauerit, correctioni regulari*

Exemplum de labore & exercitio beatæ Virginis.

Cap. 1. Quomodò viuentes de labore manuũ dicantur verè monachi, & quòd nõ obstet, si aliqui aliter viuunt. Cap. 21.

Epist. 4.

Epist. 42. Monachorũ insignia.

Tria in quibus vita religiosi versari debet.

lib. 3. ca. 20.

Tria obseruanda in lectione librorum.

Ad fratres de monte Dei, circa med.

Epist. 45.

Constantia in omni opere necessaria.

III. Pars.

Extollere.

IIII. Pars.

regulari subiaceat, taliter, vt cæteri timeant.

V. Pars cap.

Sequitur quinta pars, cum quâta moderatione atque silentio lectioni vacâdum sit: *Nec frater ad fratrem, iungatur horis incõpetentibus.*

Magna quies agenda, dum vacatur lectiõi.

Cuiusmodi sunt, horæ quibus lectioni, aut labori manuum fratres debent incumbere. In quibus horis, nec frater ad fratrem iungi debet, nec loqui, nisi cùm necessitas etiam manifesta hoc exegerit. Basilius: Cùm lectioni vacatur, oportet eos sequestratos legere, nè in vnum redacti, omnis congregatio, suis sibi vocibus obstrepent. Excipitur autem ab hac regula frater, cui disciplinæ cura commissa est, vt qui lectiones audiat aliorũ minùs prouectorum: qui tamen in tali loco sedere habet, vt impedimentum non sit alijs legentibus. Is etiam, cui cura dispositionis operum est commissa. qui tamen considoratiùs agere debent, & quantùm necessitas exigit, hæc solùm loquatur, & hoc ipsum cum quiete & honestate. Fratres etiam in communi laborantes, interrogare possunt silenter de opere, quod agunt, suum superiorem.

VI. Pars ca.

Diei Dñicę obseruantia.

Sequitur sexta pars: *Dominice die lectioni vacent omnes.* Hac enim die, quam sibi Deus specialiter sanctificauit, & in cæteris diebus festiuis, maximè incumbendũ est orationi, lectioni, & meditationi, & spiritualibus exercitijs, cũ in diebus huiusmodi à labore manuum, & occupatione terrena cessandum nobis sit. Quia verò in superioribus circa instrumentum 56. notatum est de vtilitate multiplici audiendi lectiones sanctas, & legendi diuinas scripturas, hunc locum breuiter expedimus. Sequitur: *exceptis his, qui varijs officijs deputati sunt*, quæ scilicet intermitti non possunt. Cuiusmodi sunt seruitores coquinæ, hospitum, infirmorum, Cellerarius, & alij qui deputati sunt ad huiusmodi officia, quæ nulla die intermitti possunt.

VII. Pars.

Rationabilis institutio.

Sequitur: *Si quis verò ità negligens & desidiosus* id est, piger, segnis, iners, & inutilis, *fuerit, vt non velit, aut non possit meditari, aut legere, iniungatur ei opus quod faciat, aut non vacet*, id est, vagetur inutiliter. Tales quippe, qui ad spiritualia opera & exercitia intellectualia minùs inclinantur, minusq; apti sunt, rectè operibus corporalibus & laboribus exerceri & occupari mandatur.

VIII. Pars.

Sequitur vltima pars capituli, de debilibus, & non valentibus magnum pondus sustinere laborum: *Fratribus infirmis & debilibus*, Non enim hic sermo est de infirmis decumbentibus, aut laborantibus febribus, aut alijs morbis, sed debilibus, sicut sunt claudi, aut senio grauati, aut in adolescentia constituti, & huiusmodi, *aut delicatis*, Delicatus dicitur, delicijs assuetus, siue delicijs pastus: vt dicit Isidorus.

Delicati qui sint. lib. 10. Etymo. cap. 4.

Cuiusmodi sunt de nobili genere nati, vel qui non sunt assueti, nec docti in huiusmodi operibus, aut similibus officijs, *tale opus aut ars iniungatur, vt nec ociosi sint, nec violentia* id est, difficultate laboris, *opprimãtur, vt effugentur*, id est, *ociositatem suscipiant fugiendi per discessum de monasterio, aut de non parendo mandatis superiorum.

* for. occasionem

Quorum imbecillitas ab Abbate consideranda est. quæ scilicet & quanta sit, vt Abbas ipse, qui opera & officia fratribus est impositurus, meliùs nouerit, quid & quantum operis vnicuique rationabiliter iniungendum sit: à talibus implebitur, quod suprà in eodem capitulo sanctus Pater dicit, *Omnia tamen mensuratè fiant, propter pusillanimes*, id est, debiles.

Contra cõsuetudinẽ quorũdam temerè à regula deuiantium.

Vbi considerandum, quòd ex his quæ iam dicta sunt, de distributione horarum diei, lectionis, & laboris, & orationis, manifestum est, quantum aberrant, & temerè deuient, ab intentione & institutis regulæ beatissimi patris Benedicti, qui tempus assignatum lectioni, & labori, totum in oratione expendunt: sicut quidam faciunt, qui sensum suum rectitudini regulæ, & patrum sanctorum prudentiæ præponentes, in quibusdam monasterijs, neglecta lectione, & dimisso labore, diuinum officium adeò prolongârunt, quòd ferè totum diem in eo occupant. In qua re quàm manifestè contra mentem beatissimi Patris, & eius regulam veniant, facile est videre vnicuique, qui illius regulam etiam parùm legit.

TRACTATVS CXIIII.

De duodecim malis, quæ ex negligentia lectionis, & defectu eruditionis, oriuntur in monasterijs.

QVanquàm ea, quæ in superioribus circa instrumentum 56, de multiplici vtilitate lectionis diximus, sufficerẽt ad mouendum discipulũ huius scholæ ad amorem lectionis, & studij sacrarum literarũ, nihilominùs ad hoc idem ampliùs persuadendum, inducemus duodecim mala, quę ex negligentia lectionis, & eruditionis defectu, oriri solent in monasterijs.

Ex defectu lectionis, 12. mala oriuntur.

Primũ malum est, cæcitas ignorantiæ, quæ mater est cunctorum errorum, & quæ inter maculas prima numeratur, ꝑpter quas à Dei ministerio aliquis repellitur. 1.

Leuitici 21. dictum est Aaron: Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculã, nõ offeret panem Deo suo, nec accedet ad ministerium eius, si cęcus fuerit, si claudus, &c. Oseæ 4. Quia tu scientiam repulisti, repellam te, nè sacerdotio fungaris mihi. Honor enim regis cælestis, in ministris suis

iudicium discretionis diligit. Prouerb. decimoquarto: Acceptus est regi minister intelliges: iracũdiam eius inutilis sustinebit. Inutilem dicit, non intelligentem. Negligentia lectionis, in multis monasterijs collocauit monachos in obscuris, sicut mortuos seculi. Licèt terra aliquandò sit sine lumine, cælum tamen nunquàm. Sic licèt exemplis bonis sine lumine sapientiæ ad salutem terreni dirigantur, tamen cõtemplatiui, qui sunt suprema pars, & velut cælum in Ecclesia Dei, sine lumine sapientiæ esse non debet. Hinc extrà de statu monachorum in Clementinis, capitulo primo, mandat Romanus Põtifex, ꝙ, vt ipsis monachis proficiendi in scientia via opportuna non desit, in singulis eorum monasterijs, quibus ad hoc suppetunt facultates, idoneus teneatur magister, qui eos in primitiuis sciẽtijs instruat diligenter.

Psal. 142.

Notent ꝙ debent monachi mediocriter saltem esse eruditi.

§ ad amplionem.

2. Secundum malum est, immunditia multa. Oseæ 4. Quia non est scientia Dei in terra, ideò maledictio, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt. Non est mirum, si opera tenebrarũ faciebant, qui in tenebris ignorãtiæ erant. Oculus adulteri seruat caliginem, Iob 24. Quomodò enim immunditia caueretur, vbi, quid esset immundum, non agnoscebatur? Planè non erat mirum, si immunditia abundabat, vbi aqua sapientiæ deficiebat. Gregorius in Moralib. Qui enim lucẽ videt, scit quid de tenebris existimet. Nam qui candorem lucis ignorat, etiam obscura pro lucidis approbat. Præterea quomodò præcepta regularia seruarentur, vbi nõ intelligebantur? quomodò semitam religionis tenere possunt, qui cæci sunt? Ambrosius super Beati immaculati: Ordinis ignorantia conturbat negociorum naturam, formamq́; meritorum. Statutis facere contraria, non est intelligere, sed ignorare. Mira fatuitas: vitam contemplatiuã ducere volebant, præ cæcicate ad contemplandum impotentes erant, non intelligentes, quòd sicut ad actiuam non est idoneus mancus, ità nec ad contemplatiuam cæcus.

Ignorantia non finit obseruari præcepta regulæ.

Sermo. 4. vers. 3.

3. Tertium malum est, quòd qui cum infirmitate monasteria intrabant, vel qui infirmitatem ibi incurrebant, nõ curabantur. Sicut enim ibi salus, vbi multa consilia habentur, Prouerb. 24. ità ibi mors expectanda erit, vbi nulla salutis consilia.

4. Quartum malum est, quòd paruuli & simplices, qui intrabant monasteria illa, in quibus defectus erat eruditionis, non proficiebant, immò præ defectu cibi spiritualis, id est, eruditionis, peribant. Si enim petebant panem, nõ erat qui frangeret eis: sed præ esurie & siti anima eorum deficiebat. Dicit enim beatus Isidorus libro tertio de summo bono: Omnis profectus ex lectione & meditatione procedit. Quæ enim nescimus, lectione discimus: quæ autem didicimus, meditatione conseruamus.

Thren. 4.

Cap. 8.

Magna lectionis commendatio.

5. Quintũ malum est, quòd illi, qui in monasterijs illis impugnabantur, citò vincebantur, cùm non haberent gladium spiritus sancti, scilicet verbum Dei, quo hostes inuisibiles maximè superantur. Hoc gladio vicit Saluator tentatorem. Matthæi & Lucæ quarto. Ipsi erant absque gladio in superiori parte belli. Religiosi enim fortissimè à dæmonibus impugnantur, quia illorum casus maximè concupiscunt.

Gladius spiritus sancti.

6. Sextum malum est, quòd sacramenta cõculcabantur. Qui enim dignitatem & virtutem sacramentorum non agnoscebant, debitam ad illa reuerentiam non habebant. Sicut nec porcus reuerentiam exhibet margaritis. Matth. 7. Nolite sanctum dare canibus, & margaritas nolite spargere inter porcos.

7. Septimum malum est, corruptio simoniaca, tam in receptione fratrum, quàm institutione Prælatorum. Peccatum simoniæ in multis monasterijs, propter defectum eruditionis, nõ reputabatur, quia non agnoscebatur: quod tamen tantum est, quòd in comparatione ipsius, cætera crimina pro nihilo reputantur, vt ait Damasus Papa.

Propter ignorantiã committitur simonia.

8. Octauum malum est, quòd in multis monasterijs carnaliter viuebatur. Cùm enim fratres spirituales delicias non haberent, carnales quærebant. Anima rationabilis nobilissima creatura, & ad æternas delicias creata, sine delicijs esse nõ potest.

9. Nonum malum est, quòd minima bona ibi magnis præponebantur, temporalia spiritualibus, peritura cælestibus: cura corporum, curæ animarum: exterior ornatus, & pulchritudo ædificiorum, pulchritudini interiorum conscientiarum: multiplicatio terrenorum bonorum, spiritualium incrementis: fastus vanitatis secularis, ꝓfectibus religionis. De qua præfatorum monachorum imprudentia, dicit beatus Bernardus sic: Miror enim vndè inter monachos tanta intemperantia in comessationibus, & potationibus, & in vestimentis & in lectisternijs & equitaturis, & construendis ædificijs inolescere potuit: quatenùs vbi hæc studiosiùs voluptuosiusque atque effusiùs fiunt, ibi ordo melius teneri dicatur, ibi maior putetur religio. Eccè enim parcitas, putatur auaritia: sobrietas, austeritas creditur: silentiũ, tristitia reputatur. Econtrariò remissio, discretio dicitur: effusio, liberalitas: loquacitas, affabilitas: cachinnatio, iocunditas: mollities vestimentorum, & equorũ fastus, honestas: lectorũ superfluus cultus, mũditia. Cumq́; hęc alterutrũ impendimus, charitas vocatur. Ista charitas destruit charitatem, hæc discretio discretionem con-

In Apol ad Guiliel. ab.

Propter ignorantiã magna cõfusio in moribus.

confundit: talis misericordia crudelitate
plena est, qua videlicet itá corpori serui-
10. tur, vt anima iuguletur. Decimũ malũ est,
ꝙ mala valdè nõ timebâtur: vt indigna ce-
lebratio, quæ occisioni Christi cõparatur.
1. Cor. 11. Quicunq; mãducauerit panem, &
biberit calicem Domini indignè, reus erit
in 1. Cor. cap. 4.
corporis & sanguinis Dñi. Glo. Ambrosij:
Mortis Christi pœnas dabit. i. àc si Christũ
occiderit, punietur. Vndecimum malum
11. est, defectus bonorum spiritualiũ. Homi-
Vbi est ignorãtia, desunt bona spiritualia.
nes enim ineruditi, bona spiritualia non
agnoscunt, ideò ea nec desiderãt, nec quæ-
runt, nec à datore eorũ recipiũt, quæ indu-
bitâter ipsis daret, si ea debito modo & de-
siderarent, & quærerent. Non enim auarus
est, vt ea dare nolit: nec inops, vt ea dare
non possit. Sicut super omnem aquam est
al. for. humiditas.
viriditas, sic vbi deest aqua sapientiæ, est
ariditas bonorum, s. spiritualiũ defectus.
Et ideò optimè dicit sapientissimus Salo-
mon, Prouerb. 10. Qui indocti sunt, in
12. egestate cordis morientur. Duodecimum
malum, quod prouenit in monasterijs ex
defectu eruditionis, est defectus persona-
rum: quia fiunt quasi solitudines & habi-
tationes non hominum, sed bestiarum. Ie-
rem. 4. Intuitus sum, & non erat homo.
August. libro de doctrina Christiana: Be-
luinus es homo amãdo talia, qualia beluę:
semihomines sunt, vbi exteriùs est forma
humana, interiùs belua: statuæ religioso-
rum sunt ibi, quarũ figura fuit vxor Loth
in statuam versa, Gen. 19. Statua est cor-
pus sine spiritu: in exterioribus homini as-
similatur, interiora verò hominis illi de-
sunt. Psal. Homo cùm in honore esset, nõ
Psal. 48.
intellexit: comparatus est iumentis insipi-
entibus, & similis factus est illis. Vbi nota,
vt dicit Chrysostomus in sermone ascen-
Tomo 3. Pulcherrima sententia Chrysostomi.
sionis Dominicæ: Peius est cõparari, quàm
nasci. Naturaliter nõ habere rationem, to-
lerabile est: hominè verò ratione decora-
tum, irrationabili naturæ comparari, vo-
luntatis crimè est. Propter quæ mala vitan-
da ait Dñs Ierem. 6. Erudire Hierusalẽ, nè
fortè recedat anima mea à te, nè fortè ponã
Significatio Hierusalem moraliter.
te desertã terrã, & inhabitabilẽ. Hierusalẽ,
secũdùm nominis interpretationẽ, quæ est
pacifica, vel visio pacis, spiritualiter signat
religionem, quæ intendit paci pectoris, &
adspirat ad pacem æternitatis: quam reli-
gionẽ Dominus in hoc verbo exhortatur
ad amorem lectionis & eruditionis: & si
erudiri noluerit, comminatur ei tria mala:
in quibus cõtinentur duodecim mala, quæ
iam descripsimus, videlicet primò cordis
sui recessum ab ea, cùm dicit: Nè fortè re-
cedat anima mea à te. Secundò, defectũ spi-
ritualium bonorum, cùm ait: Nè fortè po-
nam te terram desertam. Tertiò, defectum
personarum, cùm ait, Et inhabitabilem.

IN CAPVT XLIX.

TRACTATVS CXV.

De obseruantia, & operibus monachorum in Quadragesima.

Licèt omni tempore &c. Superiùs sanctus Pater in præcedenti capitulo de distributione temporũ agens, in quibus labori manuum, lectioni, & orationi vacandum sit, de Quadragesima mentionem facit: Verùm quia obseruatio ieiunij Quadragesimalis, habet aliquam prærogatiuam deuotionis inter alia tempora anni, sanctus Pater subiungit singulare capitulum, de obseruatione illius. Et diuidi potest hoc capitulum in quatuor partes. In prima enim inducit & persuadet, vt in tempore Quadragesimæ, religiosus singulariter studeat, & incumbat operibus virtutum & deuotionis. In secunda parte, assignat specialiter aliqua opera virtutis & deuotionis, in quib⁹ tempore Quadragesimę, maximè incumbendũ est: ibi, *Quod tunc dignè fit.* In tertia parte, ponit quòd augenda sint opera pœnitẽtię tẽpore Quadragesimæ: ibi, *Ergò his diebus augeamus.* In quarta, mandat vt omnia agantur cum voluntate Abbatis: ibi, cùm ait, *Hoc ipsum tamen.*

Distinctio contentorũ in capitulo & textu regulæ.

Circa primum dicit sic: *Licèt omni tempore vita monachi Quadragesima debeat obseruationem habere.*

I. Pars cap.

Vndè Macarius dicebat, debere monachum itá ieiunijs operam dare, vt centum annis in corpore commoraturum: itá motus animi refrenare, & iniuriarum obliuisci, tristitiasq; respuere, doloresq; & detrimẽta contemnere, tãquàm quotidiè moriturũ. Et Hugo de S. Victore in lib. de claustro animę: Si monach⁹ es, quid facis in turba? si amas silentiũ, cur declamantibus assiduè delectaris interesse? tu semper ieiunijs & fletib⁹ insistere debes, & ꝓphanas res sequeris? Vbi notãda sunt aliqua. Primò, vndè obseruatio Quadragesimę ortum habuit. Sciẽdum sanè, vt dicitur in Collatione 21. patrum, hanc obseruationem Quadragesimæ, quandiù Ecclesiæ illius primitiuæ ꝑfectio inuiolata permansit, penitùs non fuisse. Non enim pręcepti huius necessitate, nec quasi legali sanctione restricti, arctissimis ieiuniorum terminis claudebantur, qui per totum anni spatium æquali ieiunio claudebãtur. Vndè cùm ab illa deuotiõe Apostolica discedens quotidiè credentium multitudo suis opibus incubaret, nè eas v sui cunctorũ fideliũ secũdùm Apostolorũ instituta diuideret, sed priuatim impẽdijs suis cõsulens, nõ seruare tãtùm, sed etiã augere cõtenderet, Ananię & Sapphirę exẽplum nõ contenta sectari: id tũc vniuersis sacerdotibus placuit, vt homines curis secularibus obligatos,

Optima S. Macarij doctrina.

Quadragesimæ obseruatio, vndè ortũ habuerit. Cap. 30.

gatos,& penè, vt ità dixerim, continentiæ vel compunctionis ignaros, canonica ieiuniorum ad sanctū opus indictione reuocarent,& velut legalium decimarū necessitate compellerent, quæ vtiq; infirmis prodesse possit, præiudicare perfectis nō possit, qui sub gratia Euāgelij constituti, voluntariam legem deuotione transcendūt, vt ad illam Apostolicæ sententię perueni-

Rom. 6.

re beatitudinem possint: Peccatum enim in vobis non dominabitur. Non enim sub lege estis, sed sub gratia. Verè enim dominationem in illo non potest exercere peccatum, qui fideliter sub gratię libertate cōsistit.

Quarè quadragenari⁹ numerus in ieiunio obseruatur.

Secundò notandum, quòd quadragenarius numerus, à quo Quadragesima appellatur, seruatur in hoc ieiunio

1. multiplici de causa. Primò, quia hic numerus in sanctis celebratur exēplis. Moyses enim legē accepturus à Deo, (vt ait Augustinus in sermōe) quadraginta dies atq; noctes absq; cibo potuq; transegit, & ad suscipiendam Domini voluntatē, ieiunijs præparat⁹ est. Helias post quadraginta dierum ieiunia, curru igneo ad superna cælorum, de hoc mundo translatus est. Ipse quoquè Dominus ac saluator noster, quadraginta diebus ieiunans, de diaboli tentatione triumphauit, vt ad prædicationem Euangelij iam victor accederet. Meritò verò etiam nos hunc dierum numerum custodire debemus ieiunijs, quem per talia

Ser. 64. de Temp. Exo. 14. 3. Reg. 19. Matt. 4.

2. exempla legimus consecratum. Secunda, quæ est Gregorij in homilia, quia virtus decalogi per libros quatuor Euāgelij impletur. Denarius enim quater ductus, in quadragenarium surgit, quia tunc decalogi mandata perficimus, cùm perfectò quatuor libros sancti Euangelij custodimus. Augustinus in homilia de transfiguratione Domini: Ille quadraginta diebus mysticè ieiunat, qui per quatuor Euangelij libros spiritualiter legē obseruat.

Hom. 16. in Euang. Greg. hom. 16. in Euan.

3. Tertia, eiusdem est, quia in hoc mortali corpore ex quatuor elementis subsistimus, & per voluptates eiusdem corporis, præceptis Dominicis contraimus. Præcepta autem Dominica per decalogū sunt accepta. Qui ergò per carnis desideria decalogi mādata contempsimus, dignum est, vt eadem

4. carnem quaterdeciès affligamus. Quarta, quia lege Mosaica, vniuerso populo generalis promulgata præceptio est: Decimas & primitias offeres Deo tuo. Itaq; qui substantiarum nostrarum, omniumq; fructuum decimas offerre præcipimur, multò magis necesse est, vt ipsius quoq; conuersationis nostræ,& humanæ, vsus, operumque nostrorum decimas offeramus: quæ profectò in supputatione Quadragesimæ euidenter implentur: quia omnium dierum numerus, quibus reuolutus in orbem annus includitur, triginta sex semis dierum numero decimatur, quibus videlicet in Quadragesima ieiunatur. Dignū est enim, (ait Gregor.) vt qui nobismetipsis per acceptum annum viximus, authori nostro nos in eius decimis per abstinentiam mortificemus.

Ibidem.

August. in sermone: Dedimus corpori integrum annum, demus paucos animæ dies. Impendimus tempora nobis, demus tempus authori: viuamus Deo paululùm, qui seculo viximus totum.

5. lib. 2. de cō. sen. Euang. cap. 4.

Quinta, quæ dicitur Augustini, quoniam Matthæus quadraginta generationes posuit. Ad hoc enim Deus suo quadragenario numero ad nos descēdit, vt nos ad eum quadragenario numero ascēdamus.

6. Ser. 69. de Tempore.

Sexta est eiusdem Augustini, in quodam sermone: Quia primùm cùm mundi faciem iniquitas possideret, tot dierum curriculo Deus effusis è cælo imbribus, vniuersam terrā diluuio superfudit. Vides ergò iam illo tempore mysterium in figura dispositū. Nam sicut tūc quadraginta diebus pluit ad pernecandum mundum, ità & nunc quadraginta diebus miseretur, ad hominem purificandum.

Quadruplex ratio, quarè eo tēpore anni Quadragesima celebratur.

Tertiò notandum est, cùm in Quadragesima imitemur ieiunium Christi, & ipse statim post baptismum, s. post Epiphaniā, suum ieiunium inchoauerit, quarè nos hoc tempore ieiunium inchoamus, & id cum Pascha continuamus? Ad hoc quadruplex ratio assignatur. Prima,

1. quia in Quadragesima repręsentamus Israeliticum populum, qui annis quadraginta fuit in deserto, & statim pòst celebrauit Pascha. Secunda, quia feruor libidinis

2. tempore verno solet magis accendi, ad quē restringendum institutum est huius temporis ieiunium. Tertia, quia Christi pas-

3. sioni resurrectio continuatur: igitur rationabile fuit, vt afflictio nostra continua esset passioni Saluatoris, cùm ipse pro nobis passus sit, & nos ei compati debeamus, vt ità tandem cōregnemus. Quarta, quia

4. statim post ieiunium debemus recipere corpus Christi. Sicut ergò filij Israel, antequàm comederent agnum, se affligebant, lactucas agrestes & amaras comedentes: ità & nos per pœnitentiæ amaritudinem, debemus priùs affligi, vt digni valeamus corpus Domini sumere.

Cōmendatio Quadragesimæ.

Quartò notandum est, quòd tempus Quadragesimæ, est tempus pœnitentiæ, tempus ieiunij, tempus lachrymarum, & tempus salutis, tempus iustificationis, tēpus reconciliationis, tempus certaminis, & tempus accumulationis meritorum. Vndè Petrus Rauennas in sermone de Quadragesima: Eccè tempus quo miles procedit ad campū, recurrit ad Dei ieiunia Christianus. Ecce tempus quo carnis ocia, quo mentis ignauia, quo ventris cura, & tota est familiaris obsequij deponenda

Chrysolo. sermo. 11.

nenda

nenda torpedo. Eccè tēpus, quo in armorum cælestium meditatione, animæ & corporis exercendæ sunt vires. Eccè tempus, quo residente Christo, adstantibus angelis, * nostri luctaminis exercenda est fortitudo.

* al. nostra

Maximè tempore Quadragesimæ bonis operibus est insistēdum.

Nunc est tempus, quo gula cum ieiunio, abstinentia cum crapula, cum luxuria castitas, cum perfidia fides, pietas cum impietate, patientia cum furore, cupiditas cum liberalitate, misericordia cum auaritia, humilitas cum superbia, sanctitas cum reatu, Christo remunerante, confligit. Sequitur: *tamen quia paucorum est ista virtus*, s. ieiunijs & fletibus omni die * tēdere, *ideò suademus istis diebus Quadragesima, omni puritate* tam carnis quàm spiritûs, *vitam suā custodire, id est, omnes pariter negligentias aliorum temporū his diebus sanctis diluere.* Dicit enim Apostolus primæ ad Corin. 6. Eccè nunc tēpus acceptabile, eccè nunc dies salutis.

* for. intendere,

Sermo. 4.

Quanuis enim (vt ait Leo Papa in sermone quodam Quadragesimæ) nulla sint tempora, quæ diuinis non sint plena muneribus, & semper nobis ad misericordiam Dei per ipsius gratiam præstetur accessus: nunc tamē omnium mentes maiori studio ad spirituales ꝑfectus moueri, & ampliori fiducia oportet animari, quandò ad vniuersa pietatis officia, illius nos diei, in quo redempti sumus, recursus inuitat, vt excellens super omnia passionis Dominicæ sacramentum purificatis & corporib⁹ & animis celebremus. Ingressuri itaq; dies mysticos, & purificandis animis atq; corporibus sacratiùs institutos, præceptis Apostolicis obedire curemus, emundantes nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs.

2. Cor. 7.

Fructuosa abstinētia.

Nō enim in sola abstinentia cibi, stat nostri summa ieiunij, aut fructuosè corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate reuocetur, & ab obtrectationib⁹ lingua cohibeatur. Rectè ergò sanctus pater Benedictus persuadet, quòd in istis diebus Quadragesimę studeat discipulus omni puritate vitam suam custodire, & omnes pariter negligentias aliorum temporum, his diebus sanctis diluere.

II. Pars cap.

Sequitur secundum: *Quod tunc dignè fit, si ab omnibus vitijs nos temperemus*, i. abstineamus.

Tract. 17. in Euan. Ioan.

August. Ieiunium magnum & generale est, abstinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus seculi. *orationi cum fletibus, lectioni & compunctioni cordis, atque abstinentia operam demus.* Augustinus in sermone quodā Quadragesimæ; Vt possimus callidū hostem opitulāte gratia diuina reuincere, ieiuniorum, vigiliarum, & orationum armis nobis debemus iugiter prouidere, quę licèt nobis omni tempore necessaria esse probentur, præcipuè tamen in istis diebus, quos regulariter vniuersalis seruet Ecclesia, oportet habere.

Orationi fletus coniungitur.

Sed notandum, quòd rectissimè sanctus Pater orationi fletum coniunxit, dicens: *orationi cum fletibus.* Quoniam (vt ait Gregorius) Veraciter orare, est amoris in compunctione gemitus, nō composita verba, resonare.

lib. 33. Mor. cap. 27.

Et quia suprà dixit beatus Benedictus, Nō in multiloquio, sed in puritate cordis, & cōpunctione lachrymarū nos exaudiri sciamus: adiunxit etiam lectioni compunctionem cordis, quoniam ex lectione sanctarum scripturarum, compunctio cordis nascitur.

Cōpunctio de lectione nascitur.

Quis enim legens, & diligenter attendens in scripturis diuinis, quanta sint tormenta peccatoribus præparata, quanta sint gaudia felicitatis æternæ Deo famulantibus à Deo promissa, quantáve sit temeritas, & præsumptio offendentium Deum, quanta verò sint mala, quæ homo incurrit per peccatum, non compungatur? Et ideò optimè dicit Salomon Ecclesiast. primo: Qui addit scientiam, addit & dolorem. vbi Glo. inquit sic: Quia potentes potenter tormenta patientur, cuique plus committitur, plus exigitur ab eo: ideò apponit dolorem, qui apponit scientiam, & contristatur mœrore secūdùm Deum pro delictis suis.

ord. in cap. 1. ecclesiast.

Oratio, ieiunium, & lectio, rectè coniunguntur.

Tertiò adiungit sanctus Pater orationi & lectioni, abstinentiam siue ieiunium, cùm dicit: *atque abstinentiæ operam demus.* Et hoc plurimùm rationabiliter de oratione patet. Nam vt Glo. super Matth. ait: Sicut nec sine armis miles est aliquid, nec arma sine milite: sic nec oratio sine ieiunio, nec ieiunium sine oratione. Lectioni autem etiam rationabiliter adiungitur. Dicit enim Augustinus, quòd ieiunium purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subijcit: cor facit contribulatum & humiliatum, quod Deus non spernit.

Sermo. 230. de Temp.

III. Pars.

Sequitur tertium: *Ergò his diebus augeamus nobis aliquid ad solitum pensum seruitutis nostræ*, id est, vltra illam generalem institutionem, nobis à regula institutam, *orationes peculiares*, id est, priuatas, *& ciborum & potus abstinentiam: vt vnusquisque super mensuram sibi indictam, aliquid propria voluntate, cum gaudio sancti spiritûs, offerat Deo, id est, subtrahat corpori suo, de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de scurrilitate, & cum spiritualis desiderij gaudio, sanctum Pascha expectet.* Sanctissimū planè documentum, vt in his diebus Quadragesimæ, pro eorum singularitate sanctitatis, debeamus vltra generalem obseruantiam augere in operibus pœnitentiæ.

Sanctissimum documentum.

Augustinus in sermone quodam: Estote his diebus & crebriùs ieiunantes, & vobis parciùs impendentes, & egenis largiùs tribuentes. Item Hieronymus in quadam epistola: In Quadragesima continentiæ vela pandenda sunt, & tota aurigę retinacula equis laxanda properantibus.

Epist. 7. ad Lætam de instit. filiæ.

Serm. 2.

Cæterùm Leo Papa in quodam sermone Quadragesimæ dicit: Cùm enim obseruantiam nostram, ra-

tio iſtorum dierũ poſcat augeri, nemo eſt, vt confido, de vobis, qui ſe ad opus bonũ non gaudeat incitari. Et infrà: Parùm enim religioſus alio tempore demonſtratur, qui in his diebus religioſior non inuenitur.

Cũ diſcretione, bona opera ſunt agenda.

Eſt tamen hic notandum, quòd ſemper cum diſcretione tali hæc incremẽta ieiuniorum, orationum, vigiliarum, ſuſcipienda ſunt, vt ad faciendam obedientiam non reddamur impotentes. Attendatur in omnibus illud Apoſtoli ad Romanos 12. Rationabile ſit obſequium veſtrum, id eſt, cum diſcretione: nè quid nimis ſit, inquit Glo. ſed cum temperantia corpora veſtra caſtigetis, vt non naturæ defectu cogantur diſſolui, ſed vitijs mori. De ieiunio verò & oratione ſunt plura in ſuperioribus notata, circa inſtrumẽta, 13. & 55.

Interlin.

IIII. Pars.

Sequitur quartum: *Hoc ipſum tamen, quod vnuſquiſque offert, Abbati ſuo ſuggerat, & cum eius fiat oratione & voluntate.* Hic collige, quòd non eſt gratum Deo ſacrificium, quod non fuerit obedientia conditum.

Sine obedientia nihil facit monach9 Deo gratum.

Sermo. 71.

Vndè Bernardus ſuper Cantica: Certè ſi in die ieiunij mei inuenitur voluntas mea, non tale ieiunium elegit ſponſus, nec ſapit illi ieiunium meum. Ego non ſolùm de ieiunio, ſed de ſilentio, de vigilijs, de oratione, de lectione, de opere manuum, poſtremò de omni obſeruatione & obedientia magis idipſum ſentio. Hæc Bernar. Qui ergò vltra menſuram, & generalem metam regulæ aliquid vult addere, ieiuniorum, vigiliarum, aut diſciplinæ, & auſteritatis, vtputà abſtinere à vino per Quadrageſimã, portare cilicium, aut cingulum ferreum, & ſimilia, debet patri ſuo Abbati pandere.

Cõditiones cõſiderãdæ in eo, qui cupit ſingularẽ pœnitentiam agere.

Et Abbas, tanquàm prudens paſtor, debet conſiderare & conditiones perſonæ, & vires naturæ. Conditiones perſonę, ſi ſit leuis & mobilis, aut diſcreta & conſtans. Vires naturæ etiam debet conſiderare, ſi ſit fortis, debilis, ægrotatiuus, aut robuſtus: & ſecũdùm iſta poteſt aut totum, aut partem concedere, aut omninò nihil.

Duo ab Abbate requiruntur.

Vbi nota, quòd duo requiruntur ab Abbate, ſcilicet voluntas ſiue licentia, & orationis ſuffragium. Volũtas ſiue licentia, ad operandum: oratio verò, in auxilium. Abbas autem cùm dat huiuſmodi licentias, debet ſimul adiungere benedictionem ſuam, cum oratione, dicendo huiuſmodi verba: Dominus, qui incepit in te hoc opus virtuoſum, bonum deſiderium perficiat, tribuẽdo tibi gratiam illud perficiendi, & conſummandi ad gloriam ſuam, & tuæ animæ ſalutem, Amen: aut ſimilia.

Obſeruandũ Abbati.

Verùm quia Abbas non debet de ſua tantũ oratione, in huiuſmodi operibus præſumere, debet in generali & ſpeciali, aliorum fratrum orationum ſuffragia poſtulare. In generali quidem, & in capitulo dicat ità: Fratres, rogemus Deum, vt illi, qui in hoc ſancto tempore Quadrageſimæ proponunt DEO aliquid offerre vltra ſolitum morem, de orationibus, abſtinentijs, pſalmodia, vel diſciplinis, cum eius adiutorio incipiãt, & in augmentum gratiæ proſequantur. Et finaliter in ſpeciali dicit, vt, tacito nomine fratris, dicat Abbas: Eſt quidam frater, qui cum licentia noſtra ſe adſtrinxit ad aliquam ſingularem pœnitentiam: habete eum recommiſſum in orationibus veſtris, vt illã, Diuina virtute adiutus, ſalubriter valeat adimplere.

Quarè in omnibus ſi cẽtia ſit poſtulanda.

Cauſam autem huius quod dictũ eſt iam, videlicet de licentia & voluntate petenda ab Abbate, ſubdit ſanctus Pater, dicens: *Quia quod ſine permiſſione & volũtate patris ſpiritualis fit, præſumptioni deputabitur, & vanæ gloriæ, non mercedi. Ergò cum voluntate Abbatis omnia agenda ſunt.*

Tria dãna incurrit, q propria voluntate aliquid aggreditur.

Nota, tria damna hîc nominat ſanctus Pater, quæ incurrit, qui propria voluntate, ſine volũtate ſuorum ſuperiorum, aggreditur huiuſmodi opera etiam bona. Incurrit enim primò peccatum præſumptionis, incidit in laqueum vanæ gloriæ, & præmium amittit, ſiue mercedem ſuorum laborum. Quarè dicit beatus Bernardus ſuper Cantica: Grande malum propria voluntas, qua fit, vt bona, tibi bona non ſint.

Ibidem.

Quarè optimè concludit ſanctus Pater, vt omnia cum Abbatis voluntate fiant.

IN CAPVT L.

TRACTATVS CXVI.

De longè ab oratorio laborantibus, aut in itinere exiſtentibus.

F*ratres qui omninò* &c. Superiùs egit beatus Benedictus, qualiter tam in opere Dei, quàm in alijs certis temporibus fratres ſe debeant habere in monaſterio conſtituti: Nunc ſubdit de his, qui exteriùs occupantur, dicens: *Fratres qui omninò longè ſunt in labore, aut in via, & non poſſunt hora competenti occurrere ad oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ità eſt: agant ibidem opus Dei, vbi operantur, cum tremore diuino flectentes genua.* Senſus eſt: Fratres operantes ità longè ab oratorio, quòd non facilè, ſingulis vicibus horarum, laborem interrumpendo, poſſunt ad oratorium venire, & iterùm ad laborandum redire, ſicut qui eſſent in nemore, aut agro, ſiue molendino, orent ibidèm horis conſtitutis horas ſuas cum deuotione, flectentes genua, aut inclinantes ſe, ſecũdùm varietatem dierum, in quibus hæc fiunt in monaſterio. Quia

verò

verò hoc non est agendum, sine notitia & licentia Abbatis, dicit sanctus pater: *& Abbas hoc perpendit, qua ità est.* Sequitur: *Similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant horæ constitutæ, sed, vt possunt, agant sibi, & seruitutis pensum non negligant reddere.* Sensus planus est.

Nullo tempore est deuiandum à regula.

Intētio sanctissimi Patris est in hoc capitulo, præmonitos facere monachos, vt nihil penitùs de his negligant, quæ magistra docet regula, sed omnia, vbicunquè fuerint, & valuerint, sic obseruare studeant, sicut se in initio promiserunt obseruaturos. Nam siue in opere fuerint, siue in itinere, sic se debent horis competentibus in diuino opere exercere, vt eos non prætereant horæ constitutæ, ità vt hora tertia, Tertiam, sexta Sextam, & sic in singulis horis, proprias horas dicant. Cùm autem de deuotione, & disciplina, quibus horæ dicendæ sunt, superiùs circa capitulum 19. regulæ plura nominata sint, hunc locum ità breuiter expedimus.

Nota quod dicitur.

Est autem hic considerandum, quòd per hoc, quód sanctus Pater dicit, *prout possunt, agant,* nostro iudicio, noluit itinerantes obligare ad genuflexiones & inclinationes profundas, quæ in Diuino seruitio fiunt per fratres in oratorio, aut in operibus longè ab oratorio constitutos: quia in via constituti, hoc sine magna grauitate, & incommoditate, sæpè agere non possent, maximè tempore pluuiæ, aut cùm fratres equitant. Satisfacere ergò videntur intentioni regulæ, in hac parte agentes quod possunt, videlicet faciendo aliquas inclinationes deuotas cum capite ad Gloria patri, & similia.

IN CAPVT LI.

TRACTATVS CXVII.

De itinerantibus, quomodò se habeant circa refectionem.

F*Ratres qui pro quouis responso* &c. Beatus pater Benedictus, postquàm dedit regulam fratribus longè ab oratorio laborantibus, qualiter agere debeant Diuinum opus: nunc subdit regulam, qualiter se debeant habere in comedendo, an scilicet passim liceat eis extra monasterium manducare, dicens: *Fratres, qui pro quouis responso,* id est, pro quocunque mandato aut negocio, siue causa, diriguntur, aut *proficiscuntur, & ea die sperant reuerti ad monasterium, non præsumant foris manducare, etiam si omninò à quouis rogentur, nisi fortè eis ab Abbate suo præcipiatur: quòd si aliter fecerint, excommunicentur.* Hæc lex sanè intelligenda est, vtpotè eius patris, qui prudentissimus fuit & humanissimus. Durum planè esset, tempore maximè æstiuo, & si locus tantùm distaret, vt ante vesperam frater reuerti non posset ad monasterium, hanc legem obseruari. Discretione igitur, quam idem Pater sanctus dicit esse matrem virtutum, opùs est in obseruatione huius legis.

Cōsideranda, vt cum constitutis in itinere dispēsetur.

Attendenda est enim diligenter, & benè pensanda distantia loci, qualitas temporis, conditio personæ quæ mittitur, & pondus negocij, pro quo mittitur. Quibus pensatis, Abbas, prout expedire iudicauerit, licentiam comedendi fratribus sic missis tribuat, si, vsque dum reuertantur, commodè abstinere nequiuerint. Prætereà, considerandum est etiam id, quod dicitur, *quòd si aliter fecerint, excommunicentur,* potest accipi de maiori, vel minori excōmunicatione, pro varietate excessûs delicti, aut conditionis delinquentis personæ. Ergò est qualitas personæ, & quantitas delicti pensanda, pro quorum varietate, est culpa fratris, iuxta discretionem Abbatis, maiore vel minori excommunicatione plectenda.

Noluit prorsùs S. Benedictus monachos comedere extra monasteriū, maximè cum secularib⁹, quod summè obseruat congregatio S. Iustinæ.

Attendant hîc benè, & colligant ex hoc capitulo discipuli huius scholæ, quanta fuit apud beatissimum patrem Benedictum voluntas, quòd monachi non comedant extra monasterium, maximè cum secularibus. Tum, quia difficulter in mensa, & maximè ab itinere constitutis, & laboribus fatigatis, potest obseruari regularis disciplina, nec ulla grauitas sæpè conueniens esset. Tum, quia seculares sæpè faciliter scandalizantur de multis, etiam in religiosis, licèt in se non sint de genere malorum. Tum, quia in conuiuijs secularibus sæpè cōcurrunt plura vitia, prout ait beatus Gregor. in quadam homilia, loquens de diuite epulone,

Homi. 40. in Euang.

scilicet edacitas, loquacitas, ludendi leuitas. Vndè & vix possunt celebrari huiusmodi conuiuia sine culpa: (vt idem Gregorius Moralium primo super illud Iob, Cumque in orbem transijssent dies conuiuij, mittebat Iob & sanctificabat eos, s. filios.) Nouerat enim vir sanctus, quòd magna purgatione sacrificiorum diluendæ erant epulæ conuiuiorum.

Cap. 5.

IN CAPVT LII.

TRACTATVS CXVIII.

De oratorio: vbì de diuersis eius nominibus, & rationibus, propter quas locus oratorij est amandus, & reuerendus.

O*Ratorium* &c. Quia sæpè sanctus Pater in superioribus, de laudibus Diuinis & oratione fecerat mentionem: cōuenienter nunc

Diuisio capituli. subdit sermonem de oratorio. Et diuidi-
tur in tres partes hoc capitulum. In prima
ostendit, quòd in oratorio nihil fiat, ni-
si illud ad quod factum est, & vndè no-
men accepit. Secundò, assignat causam
huius, scilicet priuatas orationes fratrum
volentium ibi orare. Tertiò, dat formam,
quam frater obseruare debet in huiusmo-
di priuatis orationibus. Circa primũ di-
1. Pars cap. Oratorij cultus. cit: *Oratorium hoc sit, quod dicitur: nec quic-*
quam ibi aliud geratur, id est, agatur, vel fiat,
aut condatur, id est, reponatur, vel consti-
tuatur. In oratorio enim, non modò nihil
agendum est, nisi ad quod factum est, sed
etiam nihil ibi reponendum est ad custo-
diam, nisi quod ad diuinum cultum per-
Oratorij nomen. tineat. Oratorium inde tractum habet vo-
cabulum, eô quòd orationi est tantum-
modò consecratum. Et ideò vt dicit Au-
Cap. 8. gustinus in regula: In oratorio nemo ali-
quid agere debet, nisi id ad quod factum
est, & à quo nomen accepit. Vndè & Do-
Matth. 21. minus in Euangelio: Domus, inquit, mea,
domus orationis vocabitur. Pro quo no-
Deus sibi aliquid de omnibus cōsecrauit. tandum est, quòd Dominus vniuersorũ,
nō solùm de personis retinuit sibi aliquos
ad ministrandum, vt ministros Ecclesiæ,
sed & de rebus decimas, ad ministrorũ sus-
tentationem, de temporibus dies solen-
nes, & de locis aliqua sibi specialiter appro-
Oratorium quod hic dicitur, multis nominibus appellatur, & quarè. priauit ad seruiendũ sibi in illis, inter quæ,
vnum genus est oratorium. Secũdò no-
tandũ, quòd hic locus vocatur varijs vo-
cabulis, & inter alia communiùs dicitur
Ecclesia, domus Dei, templum, oratori-
um, sanctuarium. Ecclesia verò dicitur,
Ecclesia. Psal. 25. secundùm illud Psal. In ecclesijs benedi-
cam te, Domine: ratione eorum, qui ibi
cōueniunt: Ecclesia enim Græcè, cōuoca-
Domus orationis. tio Latinè dicitur. Domus orationis voca-
tur domus Dei, sic dicta à dogmate, quod
Græcè dicitur rectũ: quasi dãs manere vna-
Psal. 67. nimes in se: secũdùm illud Psal. Qui inha-
bitare facit vnanimes in domo. Dicitur tē-
Templum. Psal. 5. plum, secundùm illud Psal. Adorabo ad
templũ sanctum tuum, & confitebor no-
mini tuo. Dicitur autem templum, quasi
tectum amplum, in quo regi regum sacrifi-
cia offeruntur: siue à theos, quod est, De-
Oratoriũ. us, & platea, quasi Dei platea. Dicitur ora-
torium, ratione eius quod frequentiùs, &
Sanctuariũ. principaliùs fit in eo, scilicet oratio. Sãctu-
arium verò dicitur, aut quia ibi sancta cō-
tinentur, putà reliquiæ sanctorum, aut
quia ibi sacramenta dantur, quibus homo
sanctificetur. Tertiò notandum, sicut sa-
tis apertè ex dictis iam colligitur, quòd lo-
Locus multùm amandus est à religiosis. cus oratorij habendus sit à religiosis in ma-
gno amore, & in magna reuerentia. In ma-
gno quidē amore: Tum quia est locus eru-
1. ditionis, ignorans enim ibi eruditur, non
solùm exteriori eruditione per Doctores

Ecclesiæ, sed diuina inspiratione. Isa. 2. Ve-
nite, ascendamus ad montem Domini, &
ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias
suas. Tum secundò, quia est locus propi- 2.
tiationis. Peccator enim ibi veniam susci-
pit. quod designatũ est in propitiatorio,
quod voluit Deus fieri in tabernaculo,
Exo. 25. Quarè Propheta ait: Suscepimus Psal. 47.
Deus misericordiam tuam in medio tem-
pli tui. Tum tertiò, quia est locus refugij, 3.
ad quem sicut ad castrum fortissimum re-
fugere habent, qui ab hoste inuisibili for-
titer impugnãtur. Prouerb. 18. Turris for-
tissima nomen Domini: ad eam confugiet
iustus, & saluabitur. Terribilis enim est ho
stibus locus orationis. Vndè Iacob de loco
vbi domus Dei erat ædificanda, ait Gene.
28. Terribilis est locus iste: terribilis, in-
quam, dæmonibus. Tum quartò, quia est 4.
locus solatij & delectationis, desideranti-
bus & expectantibus consolationem spiri-
tualem. In templo enim Simeon recepit
consolationem. Luc. 2. dicit, Nũc dimit-
tis seruum tuum, Domine, secundùm ver- Locus oratorij habēdus est in magna reuerentia propter octo.
bum tuum in pace: quia viderunt oculi
mei salutare tuum. Prætereà dicebamus,
quòd locus orationis non solùm amãdus,
sed in magna reuerentia habendus est à re-
ligiosis. Ad quod octo rationes assignari
possunt. Prima, indignatio Domini no- 1.
stri Saluatoris cõtra inhonorantes hũc lo-
cum. Nũquàm enim legimus Christum in
vita sua tantam iram & zelum ostendisse,
quantam ostẽdit, cùm vidit quòd templo
debita reuerentia non exhibebatur, Ioan.
2. & Matth. 21. Tunc impletum est illud Psal. 68.
Psal. Zelus domũs tuæ comedit me. Secũ- 2.
da ratio, quia locus ille à Deo inhabitatur.
Exo. 25. Faciant mihi sanctuarium, & in-
habitabo in medio eorum. Et in Psal. San- Psal. 45.
ctificauit tabernaculum suum altissimus:
Deus in medio eius, supple manet. Tertia, 3.
quia ab angelis frequentatur. Vndè Iacob Gen. 28.
vidit angelos ascendentes & descendentes
in loco vbi domus Domini erat ædifican- Adsunt angeli in Missa.
da. Specialiter dicunt sancti, angelos adesse,
se, cùm Missa celebratur. Gregorius: Quis lib. 4. Dial. cap. 58.
fidelium in dubium habere possit, in ipsa
immolationis hora, ad sacerdotis vocem
cælos aperiri, atq; in illo IESV CHRISTI
mysterio angelorũ choros adesse, summis
ima sociari, terrena cælestibus iũgi? Quar- 4.
ta ratio, propter reuerentiam sanctorum,
ad quorum honorem locus dedicatus est.
Quinta ratio, propter reliquias sanctorũ, 5.
quæ ibi collocatæ sunt. Sexta ratio, ꝓpter 6.
opera excellentia, quæ ibi aguntur, videli-
cet sacramentorũ. Septima ratio, propter 7.
Dei beneficia, q̄ ibi recipiũtur, sicut dictum
est. Octaua, ꝓpter sanctitatē loci, quam 8.
in dedicatione suscepit. Sequitur: *Expleto*
opere Dei, id est, horis expletis, *omnes cũ sum-* Disciplina

mo

Exeundi de oratorio.

ino silentio exeant. Non enim tantùm cum silentio, sed cum summo illos exire voluit sanctus Pater, ad designãdum quòd cum magna grauitate & honestatis disciplina, non loquendo, non susurrando, non inhoneste aut leuiter incedendo, sed omni maturitate religiosa, sicut hi qui de loco sancto exeunt, & de loquendo cum tremendo iudice, & Domino infinitæ maiestatis veniunt. Sequitur: *& agatur reuerentia Deo*, videlicet profunda, sancta, & deuotissima inclinatione ad altare. *Vt*

II. Pars ca.

frater. Hic redditur causa huius, quod dictum est in principio capituli: *vt frater, qui fortè sibi*, id est, apud se, secretè, nemine audiente, *peculiariter vult orare*, id est, priuatè & singulariter, *non impediatur alterius improbitate.* Hanc etiam causam in regula sua beatus

Cap. 8.

Augustinus assignat, cùm ait, vt in oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, vnde & nomen accepit: vt si fortè aliqui etiam præter horas constitutas, si eis vacat, orare voluerint, non sint eis impedimento, qui ibi aliquid agendum putauerint. Vbi cõsiderandum, quòd in hoc,

Peculiaris & secreta oratio, multùm cõmendabilis.

quòd beatus Benedictus prohibet impediri illos, qui fortassis interdùm orare volunt præter horas constitutas, manifestè commendare videtur huiusmodi orationes secretas, quæ proculdubiò signum sunt euidentis sanctitatis, & à viris sanctis cum omni diligentia sectandæ. Huiusmodi

Exemplũ.

exemplũ reliquit nobis Saluator, qui cùm nullo indigeret, totiès tamen legitur orás-se, sic, vt nos ad hoc suo prouocaret exemplo. Huiusmodi etiam exemplum nobis reliquerunt Apostoli, qui ministeriũ mensarum propter hoc relinquentes, dicunt Actuum sexto: Considerate viros ex vobis, quos constituamus super hoc opus. Nos verò orationi instantes erimus. Exemplum etiam huius reliquerunt nobis ferè omnes antiqui sancti Patres, sicut patet in gestis eorum. Prætereà huiusmodi priuatæ orationes videntur esse maioris efficaciæ. Sunt enim magis mentales quàm vocales. Hoc autem multùm facit ad efficaci-

Psal. 4.

am orationis, secundùm illud Psal. Cùm inuocarem, id est, intùs vocarem, exaudiuit me Deus. Cæterùm generant maiorem affectionem: potest siquidem sic orás, plùs morari circa singula meditãda, & ex huiusmodi morosis meditationibus generantur maiores affectiones desideriorum sanctorum. Huiusmodi autẽ affectiones multùm faciunt orationes efficaces, iuxta illud

Psal. 20.

Psal. Desiderium cordis eorum audiuit auris tua. Sequitur: *Sed si alter vult sibi fortè secretius orare, simpliciter intret*, id est, sine strepitu, *& oret, non in clamosa voce, sed in lachrymis &*

III. Pars ca.

intentione cordis. Hic tertiò dat formã, quam seruare debet frater, qui orare vult in oratorio præter horas constitutas. Primò, vt

Forma orandi.

1. simpliciter, silẽter, modestè, & sine strepitu

2. aliquo magno intret oratorium. Secũdò, vt ibi *non in clamosa voce, sed in lachrymis & intentione cordis.* De qua forma Cæsarius ità dicit:

Hom. 29.

Ante omnia, inquit, fratres mei, quotiès orationi incumbimus, cũ silentio & quiete supplicare debemus: quia quicunq; voluerit cum alta voce orare, omnibus iuxta se stantibus orationis fructum videtur auferre. Rugitus tãtùm & suspiria, vel gemitus audiantur. Nam oratio nostra talis esse debet, qualis fuisse legitur Annę matris beati Samuelis. Sic enim de illa scriptum est,

1. Reg. 1.

quia flens orabat, & labia eius tãtum modò mouebantur, & vox penitùs non audiebatur. Sequitur: *Ergò qui simile opus*, scilicet orationis, *nõ facit, non permittatur, expleto opere Dei, remorari*, id est, remanere, *in oratorio, vt dictum est, nè alius impedimentum patiatur*, supple alterius improbitate. Plana sunt omnia.

IN CAPVT LIII.

TRACTATVS CXIX.

De susceptione hospitũ, vbì de causis mouentibus ad gratiam hospitalitatis.

O*Mnes superuenientes &c.* Superiùs sanct° Pater dedit pręcepta, quomodò se deberent habere ad inuicèm, honorando se inuicèm, & mutuò sibi seruiendo: Nunc subdit mandata, qualiter se debeant habere quo ad extraneos aduenientes, videlicet ad hospites, pauperes, & peregrinos. Et tanguntur tria

Partitio capitis.

specialiter circa hospitalitatem in hoc capitulo. In primo, ponit mandatum de hospitibus suscipiendis, assignando causam, propter quam id fiendum sit. Secundò, describit eos, qui maximè suscipiendi sunt. Tertiò, assignat modum suscipiẽdi hospites, & habendi secum eis. Circa primum

I. Pars cap. Quibus sit hospitalitas exhibenda.

dicit sic: *Omnes superuenientes hospites*, scilicet indifferenter. Augustinus: Discite Christiani sine discretione exhibere hospitalitatem, nè fortè cui domum clauseritis, cui humilitatem negaueritis, ipse sit Deus. Itẽ

Orat. cõtra 5. hęres. c. 4. In apolog.

Hieronymus contra Ruffinum: In monasterio hospitalitas cordi est, & omnes ad nos venientes, præter solos hæreticos, læta humanitatis fronte suscipimus. *tanquàm Christus suscipiantur: quia ipse dicturus est*, scilicet Matthæi 25. *Hospes fui, & suscepistis me. & omnibus congruus*, id est debitus, condignus, personæ & dignitatis conditionibus pensatis, *honor exhibeatur*. Alius enim honor debetur Episcopo, alius simplici laico, alius Abbati, alius simplici monacho,

alius nobilibus, & alius rustico, & sic de alijs hominum differentijs: Ità quòd iuxta qualitatè personæ hospitis, exhibendus est honor ei: quæ inæqualitas susceptionis facienda est in multis. Non enim rectum videtur, vt ea quæ præparanda nobili sunt, aut principi, præparetur rustico, siue pauperi.

II. Pars ca.

Quibus præcipuè exhibeatur hospitalitas.

Interlin. & ordin.

Hier. in ca. 6. ad Gal.

Sequitur: *maximè autem domesticis fidei, & peregrinis.* Hic ponit secundum, scilicet, quibus maximè exhibenda est hospitalitatis humanitas, dicens, *domesticis fidei.* Domestici fidei, vt ait Glosa ad Galat. 6. dicuntur, qui sunt de familia nostra per fidem, id est, ad Christianos. Si enim in cunctos liberalitatis frena laxantur, maximè in domesticos, id est, Christianos, qui habent eundem patrem, eiusdem magistri appellatione censentur. Omnibus ergò impendenda est misericordia, in quo præponendi sunt iusti qui sunt ex fide. Hæc Glo. Suscipiendi sunt maximè domestici fidei; religionis, viri boni & iusti. 4. Regum 4. Animaduerto, quòd sanctus Dei est iste, qui transit per nos frequenter, faciamus ei cœnaculũ paruum, &c.

Corruptela quorundã.

Econuersò est de quibusdam in pluribus locis, qui non recipiunt, vel malè recipiunt bonos: malos verò, & seruos diaboli, cum gaudio recipiunt, & pertractant. Vndè possunt boni sæpe similem querelam facere, quam Leuites ille faciebat, Iudicum 19. Nunc vadimus ad domum Dei, nullusque sub tectum suum nos vult recipere. *& peregrinis.* quia tales magis indigent. Isaiæ 58. Et egenos vagosque induc in domum tuam. Iob 31. Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.

Ad gratiã hospitalitatis plurima nos inducunt.

Vbi notandum, quòd ad humanitatem hospitalitatis plurima sunt, quæ nos inducere possunt.
1. Primò, quia ad susceptionem gratiæ, & mentis illuminationem præparat, quod figuratum legimus in duobus discipulis, euntibus in Emaus castellum, qui tunc cognouerũt Dominum, cùm eum ad hospitium inuitâssent, Lucæ vltimo. Quandoquè enim diuina cognitio infunditur alicui ratione alicuius sancti viri in hospitio recepti.
2. Secundò, bona temporalia multiplicat, vt patet in vidua, quæ Heliam in hospitio recepit, cui farina & oleum non defecerunt, tertij Regum decimoseptimo.
3. Tertiò, à malo temporali seruat, vt patet in Raab, quæ quia recepit nuncios filiorum Israel, à morte saluata est, Iosuæ sexto.
4. Quartò, Deum meretur recipere. Matthæi 18. Qui suscipit vnum talem paruulum in nomine meo, me suscipit. Item Matth. 25. Hospes fui, & collegistis me.

Epist. 26. ad Pamma.

Hieronymus: Abrahã post tam crebra hospitalitatis officia, dum non refutat homines, suscipere meruit Dominum.

Exẽplum.

Vndè refert Gregorius in quadam homilia, quòd quidam paterfamilias, cui multum hospitalitatis officium vsui fuit, quadam die cùm peregrinos suscepisset, & aquam daret manibus ex humilitate, vnus fuit inter eos, in cuius manibus effundere aquam debuit, & cùm reuersus vrceum accepisset, eum non inuenit. Cumq; hoc factum apud se miraretur, eadem nocte per visionem ei Dominus dixit: Cæteris diebus me in membris meis, hesterno autè die me in memetipso suscepisti.

Homil. 23. in Euang.

5. Quintò, angelos etiam meretur suscipere. Ad Hebræos 13. Hospitalitatem enim nolite obliuisci, per hanc enim quidam placuerunt, angelis hospitio receptis: vt Abraham Genesis 18. & Loth 19. Loth incendia Sodomorum ob hoc solum euasit, quòd domum suam hospitibus patefecit. Origenes in homilia: Domos hospitales ingressi sunt angeli: domos verò hospitibus clausas, ignis & sulfur succendit. Hieronymus: Abraham & Loth angelos susceperunt, quia hospites dilexerunt.

Hom. 5. in Genes.

6. Sextò, æternam gloriam præstat. Matthæi 25. Hospes fui, & collegistis me. Et sequitur: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, &c.

Magna hospitalitatis gratia.

Quarè beatus Gregorius ait: Pensate fratres, quanta hospitalitatis virtus sit. Ad mẽsas vestras Christum suscipite, vt vos ab eo suscipi ad æterna conuiuia valeatis. Præbete modò peregrino Christo hospitium, vt vos in iudicio, non quasi peregrinos nesciat, sed vt proprios ad regnum suscipiat.

Ibidem.

III. Pars.

Quinq; obseruãda circa hospites.

Circa tertium, scilicet modum suscipiendi, ponit sanctus Pater quinque principalia obseruanda circa hospites.
1. Primum est, quòd aduenientibus hospitibus celeriter, & honorabiliter occurratur, exemplo Abrahæ, qui cùm vidisset tres viros venientes, occurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, Gene. 18. Sic etiam recepit Loth angelos. Genesis 19. Qui cùm vidisset eos, surrexit, & iuit obuiàm eis. De hoc dat sanctus Pater tale mandàtum: *Vt ergò nunciatus fuerit hospes, occurratur ei à Priore, vel à fratribus, cum omni officio charitatis.* Sequitur quondàm facta aduisatio, contra illusiones diabolicas: *& primitùs orent pariter, & sic sibi socientur in pace. Quod pacis osculum non priùs offeratur, nisi oratione præmissa, propter illusiones diabolicas.* Primò ergò ad orationem ducendus est hospes, deindè ad pacis osculum recipiendus. De quo osculo dicit Apostolus: Salutate inuicèm in osculo sancto.

2. Corin. 13.

Quarè hospes nõ, nisi oratione præmissa, recipiatur.

Quarè autem hæc ordinatio, quòd non nisi præmissa oratione hospes ad pacis osculum recipiatur, emanauerit, dicit sanctus Pater, *quòd propter illusiones diabolicas,* quibus aliquandò satanas transfigurat se in figurã hospitũ, sub specie religionis, vt illudat sanctos viros: sicut legimus in vita

san-

sanctorum Patrum quandoquè contigis-
2. se. Sequitur secundum obseruandum cir-
ca officium hospitalitatis, videlicet quòd
hospites reuerenter suscipiantur, exemplo
Abrahæ. vndè Gene. 18. Abraham adorauit
in terram, & dixit: Si inueni gratiã in ocu-
lis tuis, non transeas seruum tuum. Vndè
vir quidam religiosus, magnæ authorita-
tis, dicebat, fratres venientes debere adora-
ri, cùm certum sit, in aduentu eorũ, aduen-
tum Domini nostri Iesu Christi haberi. De
hoc ità dicit sanctus Pater: *In ipsa autem salu-
tatione, omnis exhibeatur humilitas*, tã corporis,
quàm animi. quod exponens, subdit: *Omni-
bus venientibus, siue discedentibus hospitibus, inclinato
capite*, & hoc minoribus personis, *vel prostrato
omni*. i. toto *corpore in terram, Christus in eis adore-
tur, qui & suscipitur*. & hoc maioribus, sicut Re-
gibus, Episcopis, Abbatibus, & reliquis Prin
cipibus, siue spiritualibus, siue temporali-
bus, sicut Ducibus, Comitibus, & Baroni-
3. bus. Tertiò, hospitibus abundãter de ne-
cessarijs est administrandum. Vndè Iudi-
cum 19. Pax tecum sit, ego implebo omnia
quæ necessaria sunt: tantùm quæso, nè in
platea maneas. De quo sanctus Pater sub-
dit: *Suscepti autem hospites, ducantur ad orationẽ*,
de qua suprà fecit mẽtionem in principio
capituli, *& posteà sedeat*, scilicet in mẽsa, *cum
eis Prior, aut*, si ipse est occupatus, vel si ne-
cessarius est eis interpres, *cui iusserit ipse, & le-
gatur coram hospite lex Diuina, vt ædificetur*, id est,
scriptura aliqua sancta, quæ ædificet men-
tes audientium, exemplo beati Augustini,
de quo dicitur, quòd in vita sua hospitali-
tatem semper exhibuit, in ipsa mẽsa lectio-
nem, aut disputationem diligẽs, vndè nul-
la mala verba sustinebat, nullas detractio-
nes. Vndè in mẽsa habebat versus scriptos:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Et post hac omnis eis exhibeatur humanitas. Et hoc,
quo ad cibum, potum, lectum, & cæteras
qualitates rerum administrandarũ hospi-
tibus, intelligendum est. Per hoc aũt quod
dicitur, *omnis eis exhibeatur humanitas*: videtur
etiam cibus carnium comprehendi, qui si
negaretur omnibus indifferẽter, nõ omnis
humanitas eis censeretur exhiberi. Vndè
videtur, quòd cibus carnium administran-
dus sit hospitibus, & maximè Principibus:
religiosis verò, quibus ex suæ professio-
nis institutis non liceret carnes comedere,
4. non est administrandus. Quartò, hospi-
tes sunt hilariter tractandi. 2. Corinthio.
9. Vnusquisque prout destinauit in cor-
de suo, non ex tristitia, aut ex necessitate.
Hilarem enim datorem diligit Deus. 1. Pe-
tri 4. Hospitales inuicèm sine murmura-
tione. Cuius gratia subdit mandatum san-
ctus Pater: *Ieiunium à Priore frangatur propter
hospites*, scilicet ampliori humanitate &
vlteriore iocunditate charitatis consolan-
dos, & pertractandos. Soluendum quip-
pe est ieiunium propter hospites, sicut hic
innuit sanctus Pater Benedictus. Vndè in
dialogo beati Gregorij habetur, quòd Ab-
bas Cassianus venit ad quendam senem,
qui dedit ei manducare cum socijs suis
vsque ad satietatem, & hortabatur eum
vt plus comederet, qui cùm diceret se esse
satiatum, inquit: Ego cum diuersis fratri-
bus, hodiè superuenientibus, septiès man-
ducaui, & adhuc esurio: tu verò semèl
manducans, es satiatus. Et dixit, ieiunium
frangendum esse propter hospites: quia
in hospite suscipitur CHRISTVS. Et non
possunt filij sponsi lugere, quandiù spon-
sus est cum ipsis. *nisi fortè præcipuus sit dies ie-
iunij, qui violari non possit*. sicut ieiunium Qua-
dragesimæ, Quatuor temporum, & vigi-
liarum Sanctorum, quæ Romana Eccle-
sia ieiunanda instituit, de quibus suprà ha-
bitum est. Sed subiungit duplex dubium.
Vtrùm pro quolibet hospite ieiuniũ fran-
gendum sit? Ad quod respondent qui-
dam, quòd non, sed pro reuerendis per-
sonis: sed iudicio nostro, cùm maximè in
pauperibus suscipiatur CHRISTVS, vt in-
frà dicit sanctus Pater, etiam pro pauperi-
bus personis frangendum est ieiunium, vbi
Abbatis discretioni visum sit hoc cedere
ad consolationem & recreationem hospi-
tis, & in hoc non videtur esse fienda per-
sonarum discretio. Secundum est, an si
carnes hospitibus ministrentur, debeat
Prior comedere carnes cum eis? Responde-
tur, quòd non. Aliud enim est, frangere ie-
iunium, quod regula concedit humanita-
tis gratia, vtputà quòd Prior comedat cum
hospite parùm de pane, aut ouum, aut fru-
ctus: & aliud est, esum carnium comedere.
Hoc enim profectò videretur plùs cedere
in quandam carnalitatem, quàm humili-
tatem, quod regula maximè prohibet. Et
quia posset quis dubitare, an solus Prior,
vel etiam alij fratres deberent propter ho-
spites ieiunium frangere, subdit: *Fratres au-
tem consuetudinem ieiuniorum prosequantur*, id est,
custodiant & obseruent. Ac si diceret: Li-
cèt Prior ieiunium frangat gratia humani-
tatis, propter hospitem, conuentus tamen
non debet ieiunium violare, sed religionis
consuetudines & instituta inuiolata cu-
stodire. Quintò, hospitibus sunt manus 5.
pedesque humiliter abluẽdi. Vndè Abrahã
tribus viris, quos hospitio recepit, ait Gẽ. 18.
Afferatur pusillũ aquæ, & lauentur pedes
vestri. De hoc humilitatis officio subdit
sanctus pàter Benedictus, dicens: *Aquam ma-
nibus Abbas hospitibus det*. Et hoc ideò, quia gra-
tiòr proculduhiò rédditur hospitalitatis
exhibitio Deo, si magister domũs in ꝓpria
perso-

Doctrina viri religiosi.

Exemplum beati Augustini. Possidius cap. 22. vitæ eius.

De hoc vide sanctã ordinationem cõgregationis S. Iustinæ.

Exemplum de frangendo ieiunio propter hospites. Habetur in Vitispatrũ, p. 2. lib. de hospit. & misericordia.

Vtrùm pro quolibet hospite sit soluendum ieiunium.

Si debeant comedi carnes hospitũ gratia.

per ſona hoſpitibus ſeruierit. Sicut Hiero.
Epiſt.26. ad Pammach.
de Abraham loquens, ait: Nõ ſeruis præce-
pit, vt hoſpitibus miniſtraret, nec bonum
quod exercebat, per alios minuit, ſed quaſi
reperta præda, cum Sara vxore ſua, huma-
nitati ſolus incubuit: ipſe pedes lauit, ipſe
pinguem vitulũ humeris de armento por-
tauit: vt ſeruus ſtetit, peregrinis prandenti-
bus, & manib⁹ coctos cibos ieiunaturus ap-
poſuit. *Pedes hoſpitibus omnibus, tam Abbas, quàm
cuncta cõgregatio, lauet: quibus lotis, hunc verſum di
cant: Suſcepimus, Deus, miſericordiam tuam, in medio*
Iſta ſolẽni-tas lauandi pedes hoſpitibus, ſeruatur in cõgregatione S. Iuſtinæ, vt in eorũ conſtitutionibus.
templi tui Animaduertendum, quòd huiuſ-
modi ordinatio, non poteſt iſtis tempori-
bus ad plenum obſeruari, tum propter fre-
quentiam pauperum & hoſpitum, tũ quia
diuerſis temporibus veniũt, tum quia Ab-
bati incumbunt plures aliæ occupationes,
tum quia conuentus ſine magna grauitate
nõ poſsit totus intẽdere huic officio: quarè
prudenter nobis diſpoſitũ videtur, vt ali-
qui fratres deſcribantur de communitate,
qui hoc humilitatis officium certis diebus
peragant, & alij alijs diebus. Sequitur: *Pau-
perum, & peregrinorũ maximè, ſuſceptio, omni cura
ſolicitè exhibeatur, quia in ipſis Chriſtus magis ſuſci-
pitur:* tum quia in eis repræſentatur magis
Chriſtus. vndè fratres eos vocat Matth. 25.
vbi dicitur: Quicquid feciſtis vni ex his fra
tribus meis minimis, Glo. interli. qui pau-
peres ſpiritu ſunt, mihi feciſtis. Item Matt.
18. Qui ſuſcipit vnũ talem paruulũ in no-
mine meo, me ſuſcipit. Et Hieron. ad Ne-
Epiſto. 2.
potianum: Menſula tua pauperes & pere-
grinos ſuſcipiat, & cum illis Chriſtus con-
uiua erit. tum quia in ſuſceptione paupe-
rum, maius eſt teſtimoniũ charitatis, quàm
in ſuſceptione diuitum. 3. Ioã. 1. Chariſſi-
me, fideliter facis, quicquid operaris in fra-
tres, & hoc in peregrinos, qui teſtimonium
reddiderunt charitati tuæ in cõſpectu Ec-
cleſiæ. Et hæc eſt cauſa, quam ſanctus Pater
ſubdit, dicens: *Nam diuitum terror, ipſe ſibi exi-
git honorem.* Quia ſanctus Pater fecerat men-
tionem de refectione hoſpitum, ſubdit de
diſpoſitione coquinæ hoſpitum, nè pro-
pter aduenientes hoſpites fratres inquieta-
ri contingat, & regularis obſeruantia per-
turbari, dicens: *Coquina Abbatis & hoſpitum, per
ſe ſit*, id eſt, ſeparata. Et quod dicitur de co-
quina, intelligendum eſt etiam de menſa,
Nõ cõuenit quoſlibet hoſpites cũ fratribus in refectorio comedere, triplici de cauſa.
videlicet, quòd locus ſuſcipiendi hoſpites
ad refectionem, ſit ſeparatus à communi lo
co fratrum. Nõ enim cõueniret, vt indiffe-
renter quilibet hoſpes cum fratribus in re-
fectorio induceretur ad comedendum. Et
huius cauſæ tres aſſignari poſſent. Primò,
propter diuerſitatem temporum, & varie-
1. tatem horarum, quibus hoſpites veniunt,
& quo fratres regulariter debẽt comedere.
Vndè ſæpenumerò non poſſent fratres cũ
hoſpitibus obſeruare tempus regulare co-
medendi, ſuperiùs aſſignatum. Secundò, 2.
propter varietatem conditionis perſona-
rũ: tales enim poſſent eſſe perſonæ hoſpi-
tum, putà ità laſciuæ aut leues, quòd eſſet
periculum inducere eas in cõmuni fratrũ
refectorio ad comedendũ, ꝓpter iuuenes
religioſos, & nondùm benè in amore regu-
laris vitæ firmatos. Si autem eſſent perſonæ
venerabiles, maturę, & graues, ex quib⁹ nõ
niſi ædificatio bona actiua, vel paſſiua, vel
vtraque expectanda ſit, cõmendabile eſt, ſi
aliquãdò ad refectorium cum fratribus in-
troducantur: auiſatis tamen fratribus, vt
pro gloria Dei, & bona ædificatione adue-
nientium hoſpitum, omni vtantur graui-
tate & modeſtia. Tertiò, propter varietatẽ 3.
ferculorum. Cùm enim hoſpitibus (vt pa-
rùm àntè in hoc capitulo dictũ eſt) omnis
humanitas exhibenda ſit, aliqua veniunt
hoſpitibus miniſtranda, vtputà quãdoquè
carnes, aut aliqua magis precioſa, aut deli-
catiora cibaria, quæ non adminiſtrabũtur
cõmunitati fratrum. Moleſtum autẽ eſſet,
maximè imperfectis, videre illa hoſpitibus
miniſtrari, de quibus ipſi nõ guſtant. Qua-
Cõmendat inſtitutionem ſancti Patris.
rè optimè ſanctus Pater inſtituit, vt coqui-
na hoſpitum, ſub qua menſa accipitur, ſe-
orsùm à communi refectionis loco fratrũ
ſit ſeparata. Cuius ratio ſequitur: *vt incertis
horis ſuperuenientes hoſpites, qui nunquàm deſunt mo-
naſterio, non inquietent fratres.* Cõſequenter de
ſeruitoribus coquinæ prouidens, ſubdit: *In
quam coquinam ad annum ingrediantur duo fratres,
qui ipſum officium benè impleant, quibus, vt indigent,
ſolatia adminiſtrentur eis*, id eſt, adiutores. Vbi
conſideranda veniunt, & numerus hoſpi-
tum, & qualitas eorum: quia ſi ſunt plures,
aut nobiles, & magnæ authoritatis perſo-
nę, plures ſeruitores, & magis apti ſunt ad-
Ordinatio fratrũ, qui præſint hoſpitio.
iungendi: tanto plures, vt ſi nõ in vna do-
mo, ſed in diuerſis locis, & à ſe diſtantibus,
hoſpites ad comedendum collocarentur.
Cuius inſtituti ſubiſigit ſanctus Pater duas
cauſas: Vna eſt, *vt abſq; murmuratione ſeruiant.*
Secunda, *Et iterùm quandò occupationem mino-
rem habent, exeant, vbi eis imperatur, in opera.* Sen-
ſus eſt: Seruitoribus præfatis ſolatia admi-
niſtrentur, prout indigent, vt minùs fati-
gati, poſſint etiam poſt exhibitũ obſequiũ
hoſpitibus, aliquam obedientiam in mo-
naſterio explere: quod non poſſent, ſi oc-
cupationem plurimam, & grauantem ha-
buiſſent in præfato officio coquinę. Quod
etiam obſeruandũ eſt generaliter in omni-
bus alijs officijs monaſterij. Vndè ſequitur:
*Et non ſolùm in ipſis, ſed etiam in omnibus alijs officijs
monaſterij iſta ſit conſideratio, vt quandò indigent
ſolatia adminiſtrentur eis: & iterùm quandò vacant,
obediant imperanti*, ſcilicet, ſuperiori iniun-
genti aliquod aliud opus. Sextò, hoſpiti- 6.
bus congruenter prouidẽdum eſt de lecto,
De quo ſanctus Pater ſubdit: *Item & cellam
hoſpitum,*

hospitum, ponit singulare pro plurali, quoniam pro multitudine hospitum, & varietate personarum, plures cellæ sunt necessariæ. *habeat assignatam frater, cuius animam timor Dei possideat, vbi sunt lecti strati*, scilicet dispositi, *sufficienter*, scilicet habentes ea, quæ necessaria sunt hospitibus ad dormiendum, siue quiescendum, *& domus Dei à sapientibus sapienter administretur*, hoc est, ministerio prudentium gubernetur & regatur. Verùm quia si indifferéter fratres associarétur hospitibus ad loquendum, magna dissolutionis daretur occasio, sanctus Pater hinc prudenter admonet, dicens: *Hospitibus autem, cui non præcipitur, nullatenus societur, nec colloquatur: sed si obuiauerit, aut viderit, salutatis humiliter, vt diximus*, scilicet inclinato capite, vel prostrato corpore, *& petita benedictione*, iuxta morem religiosorum, qui in salutando suos maiores soliciti sunt vti hoc modo dicendi: Benedicite pater, quod est exoptare, siue petere benedictionem, *pertranseat, dicens, non licere sibi colloqui cum hospite*. Debet hoc curialiter dici, per talem vel similem modum loquendi: Domine, habeat me excusatum paternitas vestra, quòd non associo personam vestram, aut quòd cum ea non habeam collocutionem, quoniam sine mandato superioris mei, mihi loqui non licet cum hospite.

Quòd non associemus hospitibus absque licentia, & quomodò modestè excusemus.

IN CAPVT LIIII.

TRACTATVS CXX.

De non recipiendis literis, vel muneribus, sine licentia.

NVllatenus &c. Quoniam sæpenumerò hospites literas, seu etiam quandoque munuscula amicorum portant fratribus, congruenter post capitulum de hospitibus recipiendis, sanctus Pater subdit mandatum, de non recipiédis huiusmodi literis, siue muneribus, sine licétia Abbatis. Et diuidi potest in tres partes præsens capitulum. Primò quidem sanctus pater prohibet actum exteriorem suscipiendi. Secundò, coercet actum contristati animi, aut murmurantis: ibi, *Non contristetur*. Tertiò, imponit pœnam contra contrarium præsumentes: ibi, *Qui autem aliter præsumpserit*. Circa primum dicit sic: *Nullatenus liceat monacho, neque à parentibus suis, nec à quoquam hominum, nec sibi inuicèm literas, vel eulogias, vel qualibet munuscula accipere, aut dare, sine præcepto*, id est, licétia, *abbatis*. Vbi notandum, quòd extendere manum ad recipiendum literas hominum, cuius volútas est in alterius potestate, aut quodlibet munus, aut quodcunque modicum, illi qui nihil debet habere, cuiusmodi est religiosus, est culpa non modica: licèt quidam nó multùm ponderát. In signú cuius

Distinguit capitulum.

Pars I.

Gráde malum, literas vel munuscula occultè suscipere.

dicit beatus Augustinus in Regula: Quicunq; autem in tantum progressus fuerit malum, vt occultè ab aliquo literas, vel quodlibet munus accipiat, si hoc vltrò cófitetur, parcatur illi & oretur pro illo: si autem depræhenditur & conuincitur, secundùm arbitrium Presbyteri, vel Præpositi grauiùs emendetur. Ex quibus verbis satis apertè colligitur, quòd sanctus vir Augustinus, non leue, sed magnum peccatum imputat religioso, accipere aliquid illicitè, id est, sine licentia. Secundò notandum, quòd quanuis hoc semper sit malum, cauendum tamen specialiùs est viris sanctis, à literis & munusculis recipiendis à mulieribus. Et ideò dicit Hieronymus: Dulces literas, & crebra munuscula, sanctus amor non habet. Huiusmodi enim, sunt amantium stulto amore. Et ideò sunt species mali, à qua cauendú est, secúdùm Apostolum. Consequenter volens amputare sanctus Pater omnem occasionem mali, restringit superius mandatum vsque etiá ad non suscipiendum, siue tangendú munus directum, nisi priùs Abbatis licentia fuerit petita, & obtenta, dicens: *Quòd si etiam à parentibus suis ei quicquam directum fuerit, non præsumat suscipere illud, nisi priùs indicatum fuerit Abbati: quod si iusserit suscipi, in Abbatis sit potestate, cui iubeat illud dare*. Ista est etiam sententia approbatissimi Augustini, dicentis in Regula: Consequens ergò est, vt etiamsi quis suis filijs, aut aliqua necessitate ad se pertinentibus, aut in monasterio constitutis, aliquá contulerit vestem, siue quodlibet aliud inter necessaria deputandú, non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, vt in rem communem redacta, cui necessaria fuerit, præbeatur. Hæc August. Sequitur secundum, vbi cohibet motú animi interiorem, dicens: *Et non contristetur frater, cui fortè directa fuerit*, videlicet murmurando, conquerendo, aut detrahédo. Et huius causam subdit, dicens: *vt non detur occasio diabolo*. quod fieret, si tristaretur frater, aut detraheret, quòd sibi datum non esset, quod sibi directum fuerat. Sequitur tertium, in quo imponitur pœna transgressoribus: *Qui autem aliter præsumpserit, disciplinæ regulari subiaceat*. Quæ autem sit, & quanta regularis disciplina, in superioribus capitulis notatum est. Vbi notandum, quòd si hoc sit satis magna culpa in religioso, maior tamé ac grauior est, si quis rem sibi collatam celauerit: talis enim tanquàm fur iudicandus est, vt beatus August. in Regula ait: Si quis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur. Cuius ratio est, quia, vt volunt iura, quicquid acquirit religiosus, quicquid ei datur, quicquid ei debetur, vel alio quocunque modo aduenit ei, totum cedit in ius communitatis. Accipientes ergò, & celan-

Cap. 25.

Cauendum à mulierú munusculis.

Epist. 2. ad Nepotia.

1. Thess. 5.

Cap. 28.

Pars II.

Pars III.

Fures sunt religiosi, aliquid occultè tenentes.

Cap. 29.

tes rem sibi collatam, meritò vt fures iudicandi veniunt, qui rem nō suam, sed communitatis, inuito domino, scilicet illo ad quem pertinet dispensatio, cùm de eius ratihabitione non præsumitur, tractant.

IN CAPVT LV.

TRACTATVS CXXI.

De dispensatione vestimentorum, & qualitate & mensura eorum.

Vestimenta &c. Superiùs sanctus pater Benedictus dedit mandata circa dispensationem cibi & potûs, & de mensura seruanda in eis: nunc subdit de dispensatione vestimentorum, & calceamentorum, & qualitate & mensura eorum. Quod capitulum principaliter in quatuor partes diuiditur. In prima parte, de vestimentis. Secundò, de calceamentis. Tertiò, de femoralibus. Quartò, de stramentis lectorum. Circa indumenta & calceamenta quatuor ponit mandata. Primò, mandatum de dispensatione secundùm varietatem, & temperiem regionum. Secundò, de qualitate. Tertiò, mandatum de mensura. Quartò, mandatum de custodia habenda. Circa primum sic dicit sanctus pater: *Vestimenta fratribus secundùm locorum qualitatem vbi habitant, vel aëris temperiem, dentur: quia in frigidis regionibus ampliùs indigetur, in calidis verò* regionibus *minùs. Hac enim consideratio pendet Abbatem sit.* Discretioni & arbitrio Abbatis committitur, vt secundùm diuersas qualitates locorū, sit dispensatio vestimentorum: sicut superiùs de cibis dictum est. Textus planus est, & à patre Benedicto plenè expositus. Sequitur: *Nos autem mediocribus locis*, id est, temperatis regionibus, *sufficere credimus monachis per singulos, cucullam, & tunicam. Cucullam in hyeme villosam*, quod exponi potest dupliciter: vno modo sic, id est, de panno forrato vellere ouis, ad ministrandum calorem contra rigorem frigoris. Alio modo sic, villosam, id est, de panno villoso, id est, grosso non tonso. Et fortè magis conformiter ad intentionem humilitatis sancti patris Benedicti. Sequitur: *in æstate verò puram*, id est, absque forratura præfata velleris ouium, vel panni, *aut vetustam*, quod idem est, id est, tenuem, siue de leuiore panno factam, *scapulare propter opera*, id est, quo vtendum est in operibus manualibus, & exercitijs corporalibus, in quibus fratres cucullis vestiti, commodè, expeditè, & promptè operari non possunt. Vbi circa ista vestimenta, quæ monachi iubentur habere, in quibuscunque locis, siue calidis, siue frigidis, siue temperatis, est notandum. Et primò circa tunicam, quòd tunicam appellamus illam, quæ habitui proxima est, siue quam sub cuculla portamus, corpus vndiquè tegentem, sed caputio carentem. Quæ, vt constitutum est in cap. 1. extrà de statu monachorum, in Clementinis, debet esse rotunda per circuitum, & non scissa, nec longitudine nimia, aut breuitate notanda: largas etiam manicas habeat vsque ad pugnum protensas, non consutitias, vel quomodolibet botonatas. Circa cucullam notandum, quòd Cuculla, vt dicit Isidorus, dicitur per diminutionem à casa vel à cella. Casa enim duo diminutiua ex se reddit, videlicet casulā & cucullā, quæ vtraq; potest dici, parua cella vel casa. Nam sicut casa vel cella tegit omnia quæ intrà sunt, itá cuculla à capite defluens, vsque ad plantas vndiquè totum contegit corpus. Et dicitur cuculla, quasi minor cella. Cuculla autem diuersimodè accipitur à diuersis. Aliqui enim, videlicet vltramontani, monachi, cucullam dicunt cappam habitum longum & amplum, sed manicas non habentem: sicut videtur Clemens Papa accipere in superiori capitulo, extrà de statu monachorum. Flocus verò dicunt habitum, qui longas habet manicas. Alij verò cucullam nominant eum habitum, qui apud alios dicitur flocus, videlicet habitū cū caputio ex omni parte clausum, lōgisq; manicis manicatum. Circa Scapulare notandum, quòd scapulare deriuatur à scapulis, eò quòd scapulas tegit, quod apud omnes religiosos, qui scapulari vtuntur, dicitur habitus caputiatus scapulis ex vtraque parte pendens. Sequitur pars, in qua datur mandatum de calceamentis pedum. *Indumenta pedum, pedules, & caligas.* Pedules à pede dicuntur, eò quòd pedes tegant, quos nonnulli monachi diuisos à caligis portant propter sudorem pedum, vt faciliùs possint eos lauare: & quia illis detractis de pedibus, retentis caligis, dormiunt, nè fortè illorum impedimento, fumositates, per poros emissæ, retineantur inclusæ, & sic per consequens caput lædere habeāt, ad cerebrum ascendendo. Sequitur mandatum de qualitate indumentorum: *De quarum rerum omnium*, scilicet tunicæ, cucullæ, scapularis, & pedulum, *colore & grossitudine, non causentur monachi*, id est, non murmurent, aut quæstiones faciant, conquerentes, si non splendidus, aut speciosus sit, vel si est vilis, humilis, aut abiectus. De colore autem, aut grossitudine, discipulus huius scholæ minimè causari debet, quem iam mundo mortuum esse oportet, secūdùm illud Apostoli: Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Mortuus quippe non causatur, nec curat, quàm vilibus pannis quis eum inuol-

Marginal notes, left column: Diuisio capituli. — Dispensatio vestimentorum in quantitate. — Cuculla villosa quę. — Tunica.

Marginal notes, right column: Cuculla. — Lib. 19. etymol. c. 24. — Scapulare. — De calceamentis. — Pedules. — De qualitate indumentorum. — Colos. 3. — Amāda est religioso vilitas vestium.

Instit. No. uit. cap. 11. inuoluat. Vndè Hugo de sancto Victore ait: Amatores religionis, amare plùs debent vestimenta vilia, quàm preciosa: plùs grossa, quàm subtilia: plùs aspera, quàm mollia: plùs fusca, quàm nitida: plùs neglecta, quàm accuratè cōposita vel adaptata. Sequitur: *sed quales inueniri possunt in prouincia, qua habitant, aut quod vilius comparari potest.*

Vilius, cur dicat. Vbi notandum, quòd non ideò dicit sanctus Pater, vile, nè nimis preciositati appropinquet: non vilissimum, nè vestis abiectione nimia notabilis notetur, & vt inanis gloria vitetur: sed dicit vilius, id est, mediocre. Et hoc est, quod extrà de statu monachorum, cap. 1. in Clementinis, dicit Clemens Papa: Nec in qualitate panni, regularis excedatur modestia: nec quærant (scilicet monachi) quod preciosius, & subtilius, sed quod vtilius valeat inueniri. Preterea aduertendum est, quòd per hoc quod

Nō omnes colores monachis conceduntur. sanctus Pater dicit, quòd *de colore non causentur monachi*, non est intelligēdum, quòd omnibus coloribus liceat illis vti, cùm etiam secularibus clericis sint quidam interdicti, vt patet extrà de vita & honestate clericorū, cap. Clerici. Sed accipiendum est sic, quòd non causentur inter tres colores permissos, videlicet brunum, nigrum, & album, quòd iste sit pulchrior & melior. Sequitur mandatum

De mensura vestium. de mensura, aut quantitate vestimentorum: *Abbas autem de mensura prouideat, vt non sint curta ipsa vestimēta vtentibus eis, sed mensurata.* Prouidendum est, quòd vestimenta ità sint vtentibus mensurata, vt nè sint nimis curta, quia sic essent inhonesta, immò ridiculosa: nec nimis longa, id est, quòd

Contra caudas trahentes vestimentorum. defluant super terram, & puluerem cæteris moueant. Talis quidem nimia longitudo, propter superfluitatem quam habet, redolet etiam vanitatem secularem. Huic mandato beati patris Benedicti, respōdet Apostolicum, extrà de statu monachorum, vbi suprà, in quo præcipitur: Vestis monachi rotunda sit per circuitum, nec longitudine nimia, aut breuitate notanda. Quod etiam clericis mandatur, extrà de vita & honestate clericorum, in cap. Clerici. Sequi-

De custodia vestium. tur consequenter mandatum circa custodiam vestium: *Accipientes noua, vetera semper reddant in præsenti*, id est, ilicò, nè aliquid superfluum retinere apud se videantur, *reponenda in vestiario*, id est, loco communi, *propter pauperes*, id est, indigentes, siue sunt monachi peregrini, siue alij, quicunque vestimentis egentes. Et causam huius resecandæ superfluitatis subiungens, ait: *Sufficit enim monacho duas tunicas, & duas cucullas ha-*

An in cucullis dormiendū sit. *bere propter noctes, & propter lauare ipsas res.* Vbi nota, quòd ex hoc loco videtur, quòd monachi non solùm vestiti tunicis, sed etiam cucullis, debeant dormire, quia sanctus Pater inquit, *Sufficit monacho duas tunicas habere, & duas cucullas, propter noctes.* sed licèt nobis prima facie ità videatur, nihilominùs, quia hoc graue est & durum, antiquæ consuetudini Ordinis, quæ vt interpres legis habenda est, standum in hac parte potiùs consulimus. Secundò aduertendum,

Cur duas permittat tunicas. quòd duas causas assignat sanctus Pater, propter quas permittatur fratribus duas tunicas, & duas cucullas habere. Prima tan- 1. gitur, cùm ait, *propter noctes*, id est, propter dormitionem, in qua monachi vestiti iacere debent. Non videtur autem decere, vt monachi eisdem vestibus vtantur per diem in conuersatione hominum, quibus de nocte in dormiendo: ratio est manifesta, scilicet propter sordes. Secunda 2. tangitur, cùm dicit, *propter lauare ipsas res*, id est, propter lotionem ipsarum rerum, vt scilicet frater tempore, quo vna tunica exponitur lauanda, siue mutanda, habeat aliam ad induendum: & ità de cuculla. Sequitur: *iam quod suprà fuerit*, id est, quod habitum fuerit vltra duas tunicas, & duas cucullas, *superfluum est, & amputari debet, & pedules, & quodcunque est vetustum, reddant dum accipiunt nouum.* Hoc planum est. Circa hanc partem, in qua sanctus Pater de disciplina indumentorum ipsorum monachorum loquitur, pro pleniori instructione est

Decem reprehensibilia in habitu religiosi. notandum, quòd in habitu possunt esse multa repræhensibilia, quæ à discipulo huius scholæ sunt omninò vitanda, de quibus aliqua iam tacta sunt, & tangemus decem. Primum est, quòd nimia preciositas. 1. Cùm enim religiosus præ cæteris debeat perfectioni humilitatis intendere, non est illius quærere honorem in domo Dei, sed abiectionem. Huiusmodi autem abiectio, maximè consistit in vestium humilitate. Quarè Aug. in Regula: Non sit notabilis Cap. 18. habitus vester, vt affectetis vestibus placere, sed moribus. Et in libro de vita solitaria

Bernar. ad fratres de monte Dei, circa med. dicitur: Intētū interioribus suis animū (cuiusmodi esse debet animus viri religiosi) magis decent inculta omnia exteriora & neglecta. Diligentia quippe circa vanitatem exterioris ornatûs, signum est negligentiæ circa interiorem ornatū. Bernardus: Non

In apol. ad Guilie. Abbatem. tanto curaretur corporis cultus, nisi priùs neglecta fuisset mens inculta virtutibus. Ornatus corporalis, impedimentum est

Contra vestes preciosas. ornatûs spiritualis. Cyprianus: Serico &

De discipli. & habitu virginum. purpura indutæ, Christum induere non possunt. Auro & margaritis & monilibus adornatæ, ornamenta cordis & pectoris perdiderunt. De preciositate vestium dicit Glo. super illud Lucæ 16. Qui induebatur ordin. purpura & bysso: Si cultus preciosarum vestium culpa non esset, sermo Dei non tam vigilanter exprimeret, quòd diues purpura & bysso indutus, apud inferos irremediabiliter torqueretur. Secundum 2. repræ-

*for nimia reprçhensibile in habitu, est * aię subtilitas.
Cap. 3. Vndè Cassianus libro primo institutionum sanctorum patrum: Vestis quoq; sit monachi, quæ corpus contegat tantùm, ac repellat verecundiam nuditatis, & frigoris retundat iniuriam, non quæ seminaria vanitatis, aut elationis enutriat, di-
1. Tim. 6. cente Apostolo: Habentes autem alimenta & operimenta, his contenti simus. Bernardus, hanc vestium subtilitatem in fratri-
Ibidèm. bus suis reprçhendens, sic dicit: Iam quæritur ad induendum, non quod vtilius, sed quod subtilius inueniatur: non quod frigus repellat, sed quod superbire compellat: non deniquè (iuxta regulam) quod viliùs comparari potest, sed quod venustius, im-
3. mò vanius ostentari. Tertium reprehen-
Nota sententias de vestimentorũ mollitie. sibile in habitu, est vestium mollities. Mollia quidem vestimenta, animi mollitiem indicant. Non decent eos, qui ad desertum claustri confugerunt, indumenta mollia. Matth. 11. Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Et super illud Matth. 3. Ipse Ioannes habebat vestimenta de pilis
ordin. camelorum: dicit Glo. Seruus Dei, non debet habere vestimentum ad decorem, vel delectationẽ, sed tantùm ad tegendam nuditatem. Non decet hominem virilem, vestem habere muliebrem. Hieronymus: Non tenera vestis, sed munditia mentis, ornamentum facit. Deuter. vigesimosecundo:
4. Non induetur vir veste fœminea. Quartum reprehensibile in habitu, est nimius nitor, qui attendi videtur in colore. Seneca: Non splendeat toga, nec sordeat. Hie-
Epist. 2. ad Nepot. ronymus: Ornatus & sordes pari modo fugienda sunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Monacho enim, qui
Sordes in veste damnantur. plangentis habet officium, nullo modo decet nitidas, sed lugubres, vestes habere. Vn-
Lib. 1. institut. cap. 3. dè Cassianus, vbi suprà: Vestimenta monachorum ità vilia sint, vt nulla coloris vel habitûs nouitate inter cæteros huius propositi viros habeantur insignia.
5. Quintum reprehensibile in habitu, est compositio irreligiosa, secundùm seculi vanitatem videlicet, aut cùm in inferiori parte vestis scissa est, aut in superiori rugata colligitur, quæ compositionis forma nullo pacto congruit in vestibus religiosorum. Vndè extrà de statu monachorum, cap. 1. in Clementinis, inter alia præcipitur, vt vestis monachi rotun-
6. da sit, non scissa. Sextum reprehensibi-
Vniformitas in vestitu seruãda. le in habitu, est extraneitas, videlicet quãdò aliqua singularitate est ab alijs distincta. De qua Sophoniæ primo: Visitabo super omnes, qui induti sunt veste pere-
Ibidèm. grina. Et Cassianus, vbi suprà, de habitu monachi loquens, ait: Quicquid enim inter famulos Dei præsumitur ab vno, vel paucis, nec catholicè per omne corpus fraternitatis tenetur, aut superfluum, aut elatum est: & ob id noxium iudicandum est, magisque vanitatis speciem, quàm virtutis, ostentans. Et Hieronymus: Vestis nec satis munda, nec sordida, & nulla diuersitate notabilis sit: nè ad te obuia prætereuntium turba consistat, nec digito demonstreris. Septimum reprehensi- 7.
bile in veste, est nimia longitudo, quæ à Domino reprehenditur, Lucæ vigesimo dicente: Attendite à scribis, qui volunt Stola propriè
ambulare in stolis. Stola, est vestis lon-
ga. Octauum, est nimia breuitas. Vestis 8.
quidem multùm breuis, nullo modo virum religiosum decet, sicut suprà dictum est. Vndè detruncatione vestium dehonestati sunt serui Dauid à domino filiorum Amon, secundi Regum decimo.
Nonum, est immunditia. Hieronymus: 9.
Nec affectatæ sordes, nec exquisitæ deliciæ Christiano conueniunt. Epist. 22. ad Eustochiũ.
Iterùm idem: Ornatus & sordes pari modo fugienda sunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Vndè de beato Augustino legitur: Vestimenta eius & calceamenta, nec nimis nitida erant, nec plurimùm ab- In vita per Possid. scripta, cap. 2.
iecta. Decimum, est superfluitas vestium. 10.
Hæc enim minimè decet virum religiosum, qui paupertatis votum emisit. Superfluitas vestiũ.
Vndè de multitudine superflua vestium ità loquitur Bernardus: Clamant nudi, cla- Epist. 42.
mant famelici, conqueruntur & dicunt: Nobis fame & frigore laborantibus, quid conferunt tot mutatoria vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? Iacobi quinto: Agitè nunc diuites, plorate vlulantes &c. Sequitur: Vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Sequitur de femo- De femoralibus.
ralibus: *Femoralia hi, qui in via diriguntur, de vestiario accipiant, qui reuertentes, lota ibi restituant.*
Vbi aduertendum, quòd tempore huius institutionis, rarus erat vsus bracharum: Vsus femoralium.
sed quicquid sit de vsu illius temporis, conuenientius nobis videtur, quòd religiosi in monasterio, in via directi illis vtantur. Sequitur: *Cuculla & tunica sint aliquanto his, quas habere soliti sunt, modicè meliores, quas exeuntes in via accipiant de vestiario, & reuertentes ibi restituant.* Prouidet autem sanctus Pater ad vitandum omnem notam, siue singularitatem, quæ ex nimia abiectione vestium nasceretur, vt vestes meliores portent fratres, qui in viam aliquam diriguntur, quàm soliti sunt in monasterio deferre. Hypocritæ autem econtrariò fa- Contra hypocritas.
ciunt: in monasterijs, optimis vestibus indui volunt, & ad adspectum hominum exeuntes, sordidis, aut vilibus, siue rusticanis vestibus induti procedunt. Verùm si monachus satis bonas & integras vestes habeat, non erit opùs eunti dare meliores.
Sequitur vltima pars, in qua de stramen- De lectis.

tis

tis sanctus Pater disponit: *Stramenta autem lectorum sufficiant matta, sagũ, & lena, & capitale.*

Quatuor ad lectum monachorum.

Quatuor ista sufficere dicit sanctus Pater lecto monachi.

1. Matta.

Primum, est *matta*, quæ est id, quod super paleas ponitur, quod vulgariter dicitur mattaracium.

2. Sagum.

Secundum, est *sagum*, quod est pannus de lana aspersa, sicut est grossa sarica, quæ immediatè loco linteaminis super mattaracium collocatur.

3. Lena.

Tertium, est *lena*, quæ est cooperimentum de lana factum, pilosum, quod frigori obsistere possit.

4. Capitale.

Quartum, est *capitale*, quod capiti supponitur, de paleis, aut de lana plenũ. Quo loco apertè sanctus pater Benedictus ostẽdit, quòd lecti mollities non est à discipulo huius scholæ quærenda, sed magis vitanda. Quia autem de dormitione plura diximus superiùs circa capitulum regulæ 22. supersedemus nũc à longiore sermone.

Proprietatis vitium vbiq; persequitur.

Sequitur aduisamentum quoddam contra proprietatem. iubet enim frequẽter scrutinium fieri lectorum, dicẽs: *Quæ tamen lecta frequenter ab Abbate scrutanda sunt, propter opus peculiare*, id est, propter aliquã rem, quæ sine licentia superioris habetur, *nè inueniatur: & si cui inuentum fuerit, quod ab Abbate*, dante scilicet vel permittente, *non acceperit, grauissima disciplina*, tãquàm sit ꝓprietarius, *subiaceat. Et vt hoc vitium peculiare radicitùs amputetur, dentur ab Abbate omnia, quæ necessaria sunt, id est, cuculla, tunica, pedules, & caligæ, brachile, cultellus, graphium, acus, mappula*, ad abstergendum scilicet sudorem, laboris tempore, vel cùm in via faciem manusq; lauant, *tabula*. Quarè autem hæc omnia ità plenè iubentur dari monachis, subdit: *vt omnis auferatur necessitatis excusatio. A quo tamen Abbate semper consideretur illa sententia Actuum Apostolorum: Quia dabatur singulis prout cuique opus erat. Ità ergò & Abbas consideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem inuidentium. In omnibus tamen iudicijs suis Dei retributionem cogitet.*

Act, 4.

Omnia hæc plana sunt, maximè si ea quæ notauimus circa 33. capitulum huius regulæ, circa proprietatis vitium, commemorentur.

IN CAPVT LVI.

TRACTATVS CXXII.

De mensa Abbatis: vbì, quòd non debeat Abbas ipse quærere delicatiùs viuere, quàm subditi.

M*Ensa Abbatis* &c. Superiùs beatus Benedictus ordinàsse visus est congregationis mensam: Nunc verò disponit mẽsam Abbatis, nè aliqua superfluitate, aut auaritia notari possit, dicẽs: *Mensa Abbatis cum hospitibus & peregrinis sit semper.*

Charitas S. Patris cõmendatur.

Eccè admirabilem charitatem sancti Patri. Vult, vt mensa Abbatis semper pietate redundet, & affluat misericordiæ visceribus, hospites & peregrinos pro amore Dei læto animo suscipiendo, & misericorditer pertractando. De hospitibus recipiẽdis, & de modo pertractandi eos, circa capitulũ regulæ quinquagesimũ tertium plura notata sunt. Sequitur: *Quotiès tamen minùs sunt hospites, quos vult de fratribus vocare, in ipsius sit potestate*, & illos pleniùs refouere: sicut dicitur extrà, Cùm ad monasteriũ. quòd Abbas possit interdùm aliquos fratrum, nunc hos, nunc illos (prout necessitas postulauerit) aduocare, ipsosq; in camera sua meliùs & pleniùs exhibere. *Seniorem tamen vnum vel duos semper cum fratribus dimittendum procuret, propter disciplinam*, scilicet seruandam. quoniam in præsentia seniorum maturiùs, magisque disciplinatè se habebunt iuniores.

Quarè mẽsa Abbatis separata.

Aduertendum est hìc autem primò, quòd ex hoc loco manifestè colligitur, quòd mensa Abbatis separata debet esse à loco communi fratrum, 1. scilicet refectorio, secundùm quòd etiam ex capitulo quinquagesimotertio apertè ostenditur, vbi etiam rationes congruentes inductæ sunt ad hoc. Secundò, 2. quòd hæc separatio mensæ Abbatis à communi loco fratrum refectorio, instituta est gratia charitatis, & exercẽdæ hospitalitatis, non auaritiæ, aut vanitatis seculi causa. Tertiò, 3. aduertere debent Abbates, nè delicatiùs viuere quęrant: nè sint, de quib⁹ dicit beatus Bernardus: Videas quosdam de maioribus comedere lautiùs, bibere sapidiùs, indui pulchriùs, cubare meliùs, loqui licentiùs, ornari variùs. Hęc enim est abusio in tota Ecclesia, vt sicut sunt homines in statu sublimiori, sic & magis velint viuere delicatè.

Non debet Prælatus delicatiùs viuere, quã conuentus.

Non sunt tales Prælati, de quibus primæ Corinthiorum quarto: Vsque in hanc horam esurimus, sitimus, & nudi sumus: sed secundùm ordinem Scribarum & Pharisæorum, qui imponunt onera grauia & importabilia in humeros hominùm, digito autem suo nolunt mouere ea, Matthæi vigesimotertio. Sunt quidam Prælati, qui sicut instituti sunt Prælati, aut officiales in religione, non dignantur comedere, vel bibere, quod comedit vel bibit conuentus.

Exẽplum. Seuerus Sulp. in vita S. Marti.

Non ità legitur de beato Martino, qui factus Archiepiscopus, idem constantissimè legitur perseueràsse, qui priùs fuerat, eadem in corde humilitas, eadem in vestitu vilitas: atq; ità implebat Episcopi dignitatem, vt propositum monachi non desereret.

Exẽplum mirabile. In historia Lombard.

Legitur etiam de B. Germano Antisiodorensi, qui fuit nobilissimus, & ante episcopatum seculi delicijs deditus, ꝙ postq̃ factus fuit

Episcopus, vsq; ad terminum vitæ suæ, s. per annos triginta, corp⁹ sic afflixit, quòd postea nunquàm comedit panem fruméti, nec vinũ bibit, nisi in die Natiuitatis & Paschæ, nec acetum, nec oleum, nec sal pro sapore comedit: semper autem ieiunãs, nunquàm nisi vesperè comedebat, & cineres in refectione prælibabat. Nullam habuit vestem, præter cilicium, & cucullã: lectus eius cineres, & quotidiana impressione induratos super ponebat. Nunquàm vestimentum, raró calceamenta detrahebat. Quid dicent ad hoc homines, & rusticani, aut promoti ad modicas dignitates, qui in religione nihil austeritatis volũt sustinere in vita, sed semp singulares in cibis & potibus, & lectisternijs, & vestibus, nunquàm communibus sunt cõtéti? Denique pastor dicitur à pascendo, non se, sed gregem: iuxta illud 1. Pet. 1. Pascite qui in vobis est gregem Dei. Isti verò, nõ curant de pascendo gregé, cõuiuantes, sed solùm de se: & ideò maledicti à Domino dicũtur, per prophetam dicentem Ezech. 34. Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: Nónne greges à pastoribus pascuntur? Patet ergò, quàm repræhensibile sit, quòd Prælati siue maiores in religione, relicta communi regularis vitæ austeritate, delicatiùs quàm subditi, viuere quærant.

Notent, qui ad gradum aliquẽ promouentur.

Pastor vndè dictus.

IN CAPVT LVII.

TRACTATVS CXXIII.

De artificibus monasterij: vbi quòd semper in humilitate & obedientia debent persistere.

ARtifices &c. Postquàm in superioribus sanctus pater Benedictus disposuit ea, quæ respiciũt congregationem, & Abbatem: nunc subiungit aliqua, quæ respiciunt artifices monasterij, dicens eos, quantuncunq; vtiles sint, semper in humilitate debere persistere. Et ponuntur quatuor partes in hoc capitulo, secũdùm quatuor mandata. Primum, est circa ipsos artifices, cùm dicit: *Artifices si sunt in monasterio, cum omni humilitate*, s. tam corporis quàm mentis, *faciant ipsas artes, si permiserit Abbas*. Nihil vult sanctus Pater fieri in monasterio per artifices, quãtuncũq; eorum opus vtile esset monasterio, nisi ornatum sit humilitate & obediẽtia imperatum. Secundum est, de correctione præsumptionis eius, q̃ ob artis suæ vtilitaté extollitur in superbiam, cùm ait: *Quòd si aliquis ex eis extollatur pro scientia artis sua, eò quòd videtur aliquid conferre monasterio, hic talis euellatur ab ipsa arte*, vt scilicet eã non exerceat, *& denuò per eã non transeat: nisi fortè humiliato ei iterùm Abbas iubeat*, scilicet exercere artem suam vel obedientiam. Plana sunt omnia. Tertium est, de diligentia habenda, nè fraus aliqua inter res ipsas monasterij vendendas committatur, cùm ait: *Si quid verò ex operibus artificum venundandum est, videant ipsi per quorum manus transigenda sunt, nè aliquam fraudem monasterio facere præsumant: memorenturq̃, semper Ananiæ & Sapphiræ, nè fortè mortem, quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti, vel omnes, qui aliquam fraudem de rebus monasterij fecerint, in anima patiantur.* Quæ omnia plana sunt, & aduertenda plurimùm ab his, qui res monasteriorum pertractant, vt cognoscant, quantum periculum sit, infideliter fraudulẽterque res monasterij tractare: infelix planè, qui tãti fulguris tonitruum aure surda præterit.

I. Pars. Omnia cũ humilitate & obedientia fiant.

II. Pars. Correctio præsumptionis.

III. Pars. Cauendum nè fraus fiat

Quartum est, de vitanda auaritia in ipsa venditione rerum, cùm sequitur: *In ipsis aũt precijs non surripiat auaritiæ malum, sed semper aliquantulùm viliùs*, i. minori precio, *detur, quàm ab alijs secularibus dari potest, vt in omnibus glorificetur Deus* secundùm illud Matth. 5. Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificét patrem vestrum, qui in cælis est. Omnia planissima sunt, & superfluum esset aliquid addere.

IIII. Pars. Auaritia vitanda in vẽditione.

IN CAPVT LVIII.

TRACTATVS CXXIIII.

De disciplina suscipiendi fratres ad religionem: vbì de discretione habẽdâ à Prælato, in ipsorum receptione.

NOuiter veniens &c. Postquàm in superioribus sanctus Pater Benedictus instituit ordinem viuendi, quem fratres obseruare deberent in monasterio constituti: nunc subdit de ordine obseruando in receptione eorum, qui ad religionem suscipi deposcunt. Et potest diuidi hoc capitulum in quatuor partes. In prima, agit de probatione multiplici, quę fit ante professionem. In secunda parte, de ipsa professione. In tertia, de firmitate professionis. In quarta, de susceptione profitentis ad habitum religionis. Circa primum possunt notari tres gradus probationis. Primus est, ad portam monasterij, quatuor aut quinque diebus, antequàm ingressus illi detur. Secundus est, in cella hospitum duobus mensibus. Tertius est, in cella nouitiorum decẽ mensibus. De primo dicit sic sanctus Pater: *Nouiter veniens quis ad cõuersionem*, scilicet ad conuersationem siue statum religionis. Transitus autem iste, quo quis transit de seculo ad claustrum, de statu peccati ad statũ gratiæ & Dei seruitiũ, de mũdana cõuersatione

I. Pars cap. Tres gradus probationis veniẽtium ad conuersionem.

Transitus ad religionem, benè dicitur conuersio.

ne ad religiosam, benè dicitur conuersio. Ioelis 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu, & planctu: & scindite corda vestra. Felix transitus, & mutatio certè dexteræ excelsi. Gaudeat plurimū & exultet discipulus, in cuius mente hanc conuersionem & transitum sanctus inspirauit spiritus. Vtilis conuersio, conuertenti se de tenebris ad locum luminis. Ecclesiastes 11. Dulce lumen, & delectabile oculis videre solem. Vtilis conuersio, & commutatio, cùm mundus fallax pro Deo fidelissimo deseritur: cùm bona modica in breui amittenda, meliorum impeditiua, pro maximis bonis in ęternū mãsuris, relinquuntur. Vtilis transitus, de loco pressuræ & laboris, ad locum pacis & quietis. Ioan. 16. In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiā vos. Vtilis transitus, à loco pleno periculis, ad locum securitatis.

Figuræ de gaudio cōuertentis siue cōuersi.

Planè, qui de mundo transit ad claustrum ordinatum, gaudere debet, sicut illi qui per arcam diluuij sunt liberati, & sicut Loth ab incēdio Sodomorū saluatus, & sicut filij Israel gauisi sunt, cùm seruitutem Pharaonis, & exercitum eius euaserunt, & sicut pueri à fornace Babylonica liberati. *non ei facilis tribuatur ingressus*, Non solùm enim ad professionem, sed etiam ad probationē intùs in monasterio, non leuiter quisquam suscipiendus est. Nemo enim debet alteri se facilè credere, sicut dicit beatus Ambrosius, nisi cuius virtutē probauerit. Et ideò sequitur: *sed, sicut ait Apostolus: Probate spiritus, si ex Deo sunt*.

lib. de paradiso, cap. 4.

De quibus probandus sit veniens ad conuersionem.

Probandus est impetus spiritûs, an sit impetus Dei, an diaboli, an veniat vel aduersitate aliqua pulsatus, an desiderio salutis tractus: an seductionis causa, an spiritualis ꝑfectûs zelo inflammatus ad monasterium concurrat? Est autem hic notandum, quòd magna discretione vti debetur in fratrū receptione. Quēadmodùm enim, qui vult vineam bonam habere, palmites, ex quibus plãtanda est, cū discretione debet eligere: sic cum discretione fratres recipiendi sunt in religione, exemplo Domini, Ieremię 2. Ego te plantaui vineam electam, omne semen verum.

Maximè attendendum circa quęrētem recipi ad religionem.

1. Circa illum verò, qui recipi vult, primò attendendum est, an magnam voluntatem ad religionem habeat. Illū enim, qui magnum onus vult sibi assumere portandum toto tempore vitæ suæ, oportet magnam volūtatem ad illud portandum habere. Per hoc autem, quòd nō facilis tribuitur ingressus veniendi ad conuersionem, appáret, an vehemens desiderium ad illud, quod requirit, habeat, si dilatio desideriū eius augmentat. Sancta enim desideria dilatione crescunt, iuxta verbum Gregorij. Magnitudo bonæ volūtatis, in eo qui vult recipi, signū est spiritussancti inhabitantis, & in eo operantis.

lib. 20. Moral. cap. 24.

In libro de vita solitaria: Non sine grandi scrupulo mentis à quacunq; professionis altitudine arcēdus est, cui testis inhabitantis & trahētis spiritussancti bona voluntas est.

Bernard. ad fratres de monte Dei, circa med.

2. Secundò, attendendum est circa illum qui vult recipi, quid ipse principaliter intendat, vtrùm Christū, an aliud ṗter ipsum. Si aliud præter ipsum, timendū est de ipso, quod Matt. 8. ait vnus Scriba Christo: Magister, sequar te quocunq; ieris. Qui cognito quòd propter lucrū seculi eum sequi vellet, dixit ei: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis nō habet vbi caput suum reclinet.

Mala conuertentis dispositio.

Non vult Christus, vt propter bona temporalia homines eum sequãtur, sed illis in futuro æternas diuitias dabit, qui in pręsenti paupertatis eius socij fuerint. Ecclesiastici 22. Fidē posside cum amico tuo in paupertate illius, vt in bonis illius læteris. Multùm cauere debet, qui tenet locū Dei, nè introducat in domū ipsius inimicū eius. Inimicus est Dei, q amator est mūdi.

Non recipiēdi ad religionem.

Specialiter cauere debet, nè homines superbos recipiat, qui nesciūt illi, qui locū Dei tenet, subesse, nec fratrū volunt socij esse. Ex duobus generibus hominū domus religionis replenda est: vel de simplicibus, qui sensu & voluntate ad assequendam religiosam prudentiā feruentes apparuerint & habiles: vel de prudentibus, quos religiosæ & sanctæ simplicitatis constiterit esse æmulatores.

Ex duobus generibus hominū replenda est religio.

In libro de vita solitaria: Stulta superbia, vel superba stultitia à tabernaculis iustorū semper procùl sit. In eodem: Omnis superbia stulta est, quãuis nō omnis stultitia sit superba. Stultitia enim sine superbia, nōnnuq simplicitas inuenitur: quæ si ignorat, forsitā est docibilis: & si nequit doceri, forsan est tractabilis: & propria est ciuitas refugij simplicitati cohabitatio religionis, nisi sit talis, quæ nolit humiliari: vel tam bruta, vt nō possit regi, vel tractari. Bona tamen voluntas, etsi multùm sit bruta, non tamen est deserēda, sed salutari consilio ad laboriosam & actuosam vitam transmittenda. Superbia autē, quantunuis prudens sibi videatur, dimittenda sibi est, & abigenda.

Bernard. ad fratres de monte Dei, circa med.

Discretionē habere debet, qui præest, non qua simplices decipiat, suauia religionis eis ostendendo, & aspera occultando, sed qua recipiendis & recipientibus caueat. Crudelitas magna esse videtur, cùm paruuli innocentes, asperitatem religionis non intelligentes, cruci religionis affiguntur. Hi in ingressu nihil spirituale intendentes, nec intelligentes ea, quæ in regula continentur, post ingressum, inimici crucis inueniuntur, ventri suo, non Domino Iesu Christo, in monasterio seruientes.

Quomodò se bene habeat Prælatus ad eos qui volunt conuerti.

Et notandum, quòd multis de causis

Non idonei

plerunque recipiuntur ad religionem, propter multas causas.

sis accidit, quòd in religione recipiuntur,
qui ad religionem non sunt idonei. Ali-
quandò accidit ex cupiditate recipiẽtium.
Sicut enim nautæ aliquandò ægrotantes,
non ex toto mortuos, in mare non timent
1. proijcere, vt bona eorum possint habere:
sic aliqui nõ timent homines adhuc mun-
do viuentes, sudario inuoluere, & in se-
pulcro claustri sepelire, vt aliquod com-
modum temporale possint indè acquire-
re. Sudarium, est habitus religiosorũ, cùm
in eo ipsi cõsueuerint sepeliri: mortui de-
bent esse mũdo, qui in hoc sudario inuol-
uuntur, nec debent iam desiderio attrahe-
re bona huius mundi, diuitias, delicias, &
honores: mortui etiam debẽt esse sibijpsis.
Roma. 14. Nemo vestrûm sibi viuit. Hanc
mortem sequitur beata vita, secundùm il-
lud Rom. 6. Si mortui sumus cum Christo,
credimus quòd & simul viuemus cum illo.

Illachrymandum negocium.

2. Aliquandò accidit hoc ex recipientium
carnalitate, qui cùm Dei ordinatione filios
non habent, diaboli procuratione nepo-
tulos sibi aggregant, quos in religione re-
cipi faciunt, nõ vt saluentur, sed vt diten-
tur, & per eos fortiores efficiantur: qui sic-
ut carnaliter ingrediũtur, sic post ingres-
sum carnaliter cõuersantur. Ioan. 3. Quod
natũ est ex carne, caro est: & quod natum
est ex spiritu, spiritus est. Aliquandò acci-
3. dit hoc ex parentum carnalium improbi-
tate, qui filios suos in religione ponunt, vt
ab eis se expediant, potiùs intendentes cor-
poralem eorũ prouisionem, quàm eorum
salutem.

TRACTATVS CXXV.

De probatione suscipiendorum fratrum: vbì repræhenduntur, qui temerè profitentur.

Hospitarius potest esse causa probationis nouitio.

E*Rgò si veniens, perseuerauerit pulsans, & illatas sibi iniurias, & difficultatem ingressus, post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare, & persistere petitioni sua, annuatur ei ingressus, & sit in cella hospitum paucis diebus.* Vbì considerandum, quòd hospitarius, probationis causa, potest ei, qui recipi petit, dicere aliqua verba, quæ impatientium animos citò possent prouocare, & commouere: vtpotè, Frater, quid scimus, an tu sis seruilis conditionis, an apostata alterius religionis: an latrociniũ siuè furtum commiseris, & timore pœnæ ad nos nunc confugias? Prætereà dubitamus, quòd parua tentatio te citò deijceret à bono proposito, quod nũc vidêris habere, & velut leuis palea ventilareris de claustro. Cæterùm vidêris impotens, ad supportãdum onera grauia religionis. hæc & similia potest ei dicere. Notandum est hîc, quòd hoc sancti Patris probationis mandatum, sumptum est ex institutis sanctorum patrũ. Vndè libro quarto institutionum monachorũ, de hac probationis forma, quidam sanctus pater cuidam hoc modo probato ait: Nôsti, quot diebus præ foribus excubãs, hodiè sis susceptus. Cuius difficultatis causam primitùs debes agnoscere. Poterit enim tibi, in hac via, quam ingredi concupiscis, multùm conferre, si ratione eius agnita, ad seruitium Christi consequenter, ac sicut oportet, accesseris. Sicut enim immensa gloria fideliter seruientibus Deo, ac secundùm regulæ institutionem ei adhærentibus, repromittitur in futurum: ità pœnæ grauissimæ pręparantur his, qui tepidè eam, negligenterque fuerint executi, & secundùm hoc quod professi sunt, vel quod ab hominibus esse creduntur, fructus etiam congruos sanctitatis, eidem exhibere neglexerint. Melius est enim, secundùm scripturæ sentẽtiam, non vouere quenquam, quàm vouere, & non reddere. Et maledictus, qui facit opus Dei negligenter. Ideó igitur à nobis diutissimè refutatus es, non quia tuam, vel omnium salutem non toto desiderio cupiamus amplecti, & his, qui ad Christum cupiũt peruenire, etiam procùl occurrere non optemus: sed nè temerè recipientes, & nos apud Deum leuitatis, & temetipsum reum grauioris oneris ac supplicij faceremus, si ad præsens facilè susceptus, nec pódus huius professionis intelligẽs, vel destitutor post hæc, vel tepidus extitisses. Sequitur: *Posteà autem sit in cella nouitiorum, vbi meditetur, & manducet, & dormiat.* Sub meditatione compræhendit sanctus Pater lectionẽ, orationem, contemplationem, quibus ipse probandus intendere debet. Sequitur: *Et senior ei talis deputetur, qui* scilicet prudẽtia, & morum religionis claritate, *aptus sit ad lucrandas animas: qui super eum omninò curiosè*, id est, studiosè, *intendat, & solicitus sit, si reuerà*, id est, veraciter, & non fictè, *Deum quærat, si solicitus est ad opus Dei*, scilicet ad orationẽ, ad lectionem, ad meditationem, *ad obedientiam*, scilicet implendam, *ad opprobria*, scilicet increpationes duras tolerandas patienter. Sequitur: *Prædicentur ei dura & aspera* religionis, scilicet abstinẽtiæ regularis, durities lecti, vestimentorum asperitas, silentium, prolixitas officij, totalis renunciatio seculi, abnegatio propriæ voluntatis, grauis disciplina delinquentium, & similia, *per quæ itur ad Deum.* Nam arcta est via quę ducit ad vitã, Matth. 7. Sequitur: *Si promiserit*, id est, se promissurum dixerit, *de stabilitate sua perseuerãtiam, post duorum mensium circulum legatur ei hæc regula per ordinem*, & diligenter, & seriosè, vt pleniùs illius grauitatem, & onus intelligat, *&*

dicatur

Cassia. lib. 4. insti. c. 3

Ratio, quarè probentur nouitij ante ingressum secundùm patrũ instituta. Cap. 13.

Eccles. 5.

Iere. 48.

Nouitijs exponenda.

dicatur ei: Ecce lex, sub qua militare vis. Si potes observare, ingredere: si verò non potes, liber discede.
Omnia plana sunt. Sequitur: *Si adhuc steterit*, id est, si stare se velle dixerit, *tunc ducatur in supradictam cellam nouitiorum, & iterùm probetur in omni patientia*, id est, ad omnem patientiam regularem, *& post sex mensium circulum relegatur ei regula, vt sciat ad quid ingreditur*. Stultum profectò est, vt quis promittat se perpetuò seruare id, quod nunquàm nouit, aut non intelligit: rectè ergò sanctus Pater
Infidelis & stulta promissio reprehenditur. iubet, vt regula probando sæpè legatur, vt sciat ad quid ingreditur. Displicet autem Deo infidelis & stulta promissio. Ecclesiastis 5. Stulta verò promissio est, cùm promittens non intelligit ea quę promittit. Infidelis verò, cùm se illa impleturũ nec confidit, nec intelligit. Hanc autem temeritatem reprimit Salomon, Ecclesiastis 5. Nè
Temerè quandò loquatur. temerè quid loquaris, neq; cor tuum sit velox ad proferendum sermonem corã Deo.
1. Tunc planè, qui profitetur, temerè loqui
videtur, si non priùs studiosè inspexerit,
2. quæ pollicetur: vel si non habet volunta-
tẽm adimplẽdi ea, quæ in professione con-
3. tinentur: vel si grauitatẽ religionis, in qua
4. profitetur, nõ tentauit: vel mores eorum,
cum quibus toto tempore vitæ suæ viuere
Ante professionem regula est inspicienda. elegit, per experientiam non nouit. Quarè optime sanctus pater Benedictus instituit in hoc capitulo, vt ante professionem studiosè regula inspiciẽda sit. Prohibuit enim Deus Leuit. 22. nè animal cæcum sibi offerretur. Cæcũ animal Deo offert, qui aliquid Deo ꝓmittit, & quod promittit, nescit. Vndè discendo debemus præcedere opera nostra, secundùm illud Prouerb. 4. Palpebræ pręcedent gressus tuos. Priùs palpebræ debẽt moueri, vt videatur quò eundum sit, quàm pedes moueantur ad gradiendum. In omni sacrificio sal ponendum est discretionis. Leuit. 2. Quicquid sacrifi-
Psal. 98. cij obtuleris, sale condies. Honor regis, cælestis, iudicium diligit, scilicet iudiciũ deliberationis. Quam deliberationem Deus in votis adeò diligit, vt votum non reputet, si deliberatio defuerit. In processioni-
Quarè in processionibus lumẽ cruci pręferatur. bus Ecclesiæ lumẽ cruci præfertur, vt crux pœnitentiæ cum discretione assumenda esse doceatur. Item, qui profitetur, debet habere vehemens desiderium implendi ea, quæ in professione continentur, sicut in præcedẽti capitulo dictum est. Vndè ideò sanctus Pater dicit: quod nouitio venienti ad conuersionem non facilis ei ingressus tribuatur, & vt dura & aspera ei prędicentur, vt sic appareat an vehemẽs desideriũ habeat ad illud, quod requirit, & vt dilatio,
Greg. li. 20. Mora. c. 24. eius desiderium augeat. Sancta enim desideria, dilatione crescunt. Præcepta etiam
Inspicienda & pensan. debet religionis & grauitatem inspicere. Fatuus enim videtur esse, qui onus, cuius
grauitatem ignorat, sic assumit, vt illud de da ante professionem.
cæterò deponere no possit. Ecclesiastici 7.
Non spondeas super virtutem tuam. Qui 1.
vult turrim ędificare, priùs computat sumptus qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendũ, nè, posteà q̃ posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit cõsummare, Lucæ 14. Noluit Deus ad continentiam & paupertatem homines præcepto obligare, sciens hæc non cuicunque portabilia esse, sed de cõtinentia dicit: Qui potest capere, capiat, Matt. 19. De paupertate ibidẽ: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibꝰ. Priùs ergò tentandum est homini, si continentiam capere valeat, quàm eam inseparabiliter appræhendat. Dauid arma Saul sibi ni- Figura.
mis ponderosa deposuit, & sic Goliam vicit, 1. Reg. 17. Sic accidere potest, vt in mediocri pœnitentia aliquis saluetur, qui in
nimia damnaretur. Item, qui profitetur, 2.
debet mores eorum per experiẽtiam noscere, pro quorum societate, societatem cæterorum vult relinquere, cum quibus eligit toto tempore vitæ suæ viuere, quibus tanta vnione vult vniri, vt non proprium remaneat sibi. Temerè profitẽs, sibimet inijcit laqueum, quo posteà perit. Prouer. 6. Illaqueatus es verbo oris tui. Ipse gladio mentem suam transfigit, qui vix, vel nunquàm extrahi poterit. Prouerb. 12. Est qui Damnatur, qui temerè profitetur.
promittit, & quasi gladio pungitur conscientiæ. Item amicum verissimum, Christum scilicet, inimicum sibi reddit, secundùm illud Ecclesiastici 20. Est qui præ cõfusione promittit amico, & lucratus est inimicum gratis. Item altitudinem aquæ rursùm ascendit. Prou. 20. Ruina est homini deuotare sanctis, * & de voto suo ho- * for. id est,
norare, & post vota retractare.

TRACTATVS CXXVI.

In quo assignãtur rationes, quibus aliquis dicitur religionem temerè profiteri, & quibus aliquis illam non temerè, sed laudabiliter profitetur.

PRo planiori intelligentia eorum, quæ à sancto patre Benedicto dicta sunt in hoc capitulo de rece-
ptione fratrum ad professionem, Diuersæ causæ, q̃bus aliqui temerè ꝓfitẽtur.
est notandum, quòd multis de causis solet accidere quòd aliquis religionem temerè
1. profiteatur. Quandoq; accidit hoc ex cupiditate recipiẽtium, sicut dictum est in præcedenti capitulo, de receptione minùs idoneorum: vbi dicebatur, quòd sicut nautæ

aliquandò ægrotantes, non ex toto mor-
tuos,non timent in mare proijcere, vt bo-
na eorũ possint habere: sic aliquandò non
timent homines adhuc mundo viuentes,
sudario religionis inuoluere, & in sepul-
cro claustri sepelire, vt aliquid tempora-
le commodum possint indè acquirere. Su-
darium enim,est habitus religiosorũ, cùm
in eo ipsi cõsueuerint sepeliri. Mortui de-
bent esse mundo, qui hoc sudario inuol-
uuntur, nec debẽt iam desiderio attrahere
bona mundi, diuitias, delicias, & honores:
mortui etiam debent esse sibijpsis. Rom. 14.
Nemo nostrũm sibi viuit. Hãc mortem se-
quitur vita beata, per illud Rom. 6. Si mor-
tui sumus cum Christo, credimus quia &
2. simul viuemus cum illo. Aliquandò acci-
dit ex superbia recipientium, qui verecun-
dãtur, quòd aliquis, qui ad eos ingreditur,
ad seculum reuertatur: qui vidẽtur tali fa-
tuitate laborare, qua laboraret ille, qui ve-
recũdaretur de hoc, quòd in messe sua pa-
leas inueniret. In his qui in religione ad
probationem recipiuntur, venti tentatio-
nis indicant, quis granũ, quis palea existat.
Ad impetum huius venti, palea discedit,
granum verò locum suũ minimè dimittit.
Superuacuum esset tempus probationis, si
omnis qui probatur, necessariò approba-
retur: cùm de multis à Deo vocatis, pauci
sunt electi, non est mirum, si nõ omnes qui
probantur, ad professionem admittãtur.
Recta similitudo. Qui vult vineam bonam habere, cum dili-
gentia palmites, ex quibus plãtanda est, eli-
git: Si quis veritatẽ religionis diligit, pro-
batos cum diligenti electione, ad probati-
onem recipit. Si vinea Domini, cũ diligenti
electione plantata, degenerauerit: (secun-
dùm illud Iere. 2. Ego te plantaui vineam
electam, omne semẽ verum, quomodò cõ-
A, b uersa es in prauũ vinea aliena? quomodò
non degeneret, in cuius plantatione, nul-
la electio habetur? Aliquandò verò accidit
3. hoc, ex indiscreta pietate recipiẽtium, qui
Damnatur indiscreta pietas in recipiẽdis ad professionẽ carnalibus hominibus adeò compatiũtur,
vt cum eis carnales efficiantur. Ipsi adeò in-
firmis sunt misericordes, vt sanis sint cru-
deles, & infideles, inter quos homines pe-
stilentes ponũt, qui eos corrumpunt. Pro.
20. Multi homines misericordes vocãtur,
virum autem fidelem quis inueniet? Opor-
tet quòd religio despumetur, ad hoc vt in
puritate sua seruetur. Vbi est dispumatio,
nulla est impuritas. Multùm gloriãtur ali-
qui de hoc, quòd de ordine eorum nullus
apostatat: quibus dici potest, quòd non est
mirum, si nullus apostatãdo discedit de il-
4. lo ordine, in quo apostasia toleratur. Ali-
quandò accidit ex recipientium carnalita-
te, qui cùm Dei ordinatione filios non ha-
beãt, diaboli procuratione nepotulos sibi
congregant, quos in religione recipi faci-
unt, non vt saluentur, sed vt ditẽtur, & per
eos fortiores efficiãtur: qui sicut carnaliter
ingrediũtur, sic post ingressum carnaliter
conuersantur. Quod enim natũ est ex car- Ioan. 3.
ne, caro est. Aliquandò accidit ex simpli- 5.
citate eorum, qui in religione recipiuntur:
vt cùm parentes carnales filios suos in reli-
gione ponunt, vt ab eis se expediãt, potiùs
intendentes corporales eorũ prouisiones,
quàm animarum salutẽ: quibus ad mona-
sterium venientibus, cùm secũdùm ea, quæ
partìm antè dicta sunt, prædicanda essent
eis dura & aspera, econuersò ostenduntur
suauia, & occultantur aspera. Crudelitas
magna videtur esse, quòd paruuli innocẽ-
tes, asperitatẽ religionis non intelligentes,
cruci religionis affigantur. Hi in ingressu
nihil spirituale intendentes, nec ea intelli-
gentes quæ in regula continentur, post in-
gressum inueniuntur ventri suo, nõ Do-
mino Iesu Christo, in monasterio seruien- 6.
tes. Aliquandò accidit ex cæca cupiditate Cõparatio.
eorum qui recipiũtur. Sicut enim in exer-
citibus viles personæ nõ timent se pericu-
lo exponere, vt possint aliquid acquirere,
& interdùm dum sitiunt lucrum, perueni-
unt ad laqueum. Dum enim volũt capere,
capiuntur & suspendũtur: sic aliqui amo-
re diuitiarum diuites Abbatias ingrediun-
tur, nec timẽt periculosa obligatione illa-
queari, vt possint ditari. Aliquandò vide- Quomodò non sit temeraria professio.
tur temeraria esse professio, quæ verè non
est, cùm sit diuina inspiratio. Apostoli nõ
temerè egerunt, qui ad vnum verbum Sal-
uatoris omnia reliquerũt. Non est necessa- 1.
rium illi, qui in hoc seculo cõtinentiã ser-
uauit, & magnæ abstinẽtiæ fuit, probari in
monasterio, an virtutem cõtinentiæ & ab-
stinẽtiæ habeat, cùm per longam experien-
tiam seculi, eas se habere sciat. Facilius enim
est, abstinere vel continere in monasterio,
quàm in seculo. Item, sine temeritate po- 2.
test aliquis sperare, quòd ea sustinere vale-
at, quæ multos, quos nouit infirmiores se,
lætanter ferre considerat. Non videtur etiã 3.
temeritas esse, cũ ille qui de carcere diaboli
euasit, insequentes se conspicit, vel inuisi-
biles inimicos, vel suos domesticos, ad locũ
carceris eum reducere cupiẽtes, sine minori
experientia professionem facit, & in statu
se ponit, vndè extrahi nõ possit, fidutiam
habens, quòd ille qui dedit voluntatem in-
trandi, & perficiendi dabit, & facultatem
promissa seruandi: & quod nõ potest suis
viribus, poterit & adiutorio Dei, & ami-
corum, & per gratiæ augmẽtum, & cõsue-
tudinis beneficium: quod difficile est mo-
dò & molestũ, processu temporis erit faci-
le, & iocũdum. Optima enim forma viuẽ-
di, iuxta verbũ Senecæ, eligenda est, quam Assuetudine iucunda redditur virtutis via
iucũdam reddet assuetudo: sic arcta est via,
quę ducit ad vitã, & jugum Christi suaue,
quia

quia via illa non nisi angusto incipitur initio, processu verò temporis ineffabiles delectationes dat. Sicut temeritas nō iudicatur, si ille, qui naufragatur, firmiter apprehendit per quod saluetur: sic non videtur esse temeritas, si ille qui scit quòd in seculo diù fuit in periculo, nec in statu illo salutē suam conspicit, ad statū alium, in quo saluari confidit, & in quo aliquanto tempore salubriter vixit, voto ꝓfessionis se adstringit. Non videtur etiam esse temeritas, si aliquis voluntarius ligetur, nè Sirenes vsq; in exitium dulces periculosè sequatur. Sirenes, sunt blandimenta seculi, quę multos ante professionem redire faciūt ad locum periculi. Quę temeritas est, cùm ille qui scit se in seculo lunaticum fuisse, & nunc in aquam, nunc in ignem se pręcipitasse, vult sibi cauere, vt si fortè morbus eum arripuerit, in mare huius mūdi se pręcipitare non possit? Item quæ temeritas est, cùm ille scit se diù in societate mala vixisse, quæ in infernum ibat, & in infernum ducebat eum: & nunc positus in societate, quæ, sicut credit, in paradisum vadit, & exemplo bono, & salutari exhortatione eum illuc ducit, si societatem quam nouit sibi fuisse noxiam, in perpetuū abiurat, & illi quam nouit sibi esse salubrem, inseparabiliter se sociat?

Sirenes moraliter.

TRACTATVS CXXVII.

De professione monastica, & tribus substantialibus eius: vbì agitur de his, quæ plurimùm valent ad stabilitatem discipuli.

ET si adhuc stat post quatuor menses, iterùm ei legatur eadem Regula. Et si habita secum deliberatione, promiserit se omnia custodire, & cuncta sibi imperata seruare. Est autem in hoc loco aduertēdum, quòd ex hoc quod hic dicitur, *Et si habita secum deliberatione, promiserit se omnia custodire*; non est intelligendum, quòd monachus totam regulam vouerit, aut totam ex præcepto seruare sit adstrictus: quoniā, sicut in superioribus, circa prologum huius Regulæ, plenissimè ostendimus, monachus nec totam regulam vouit in professione, nec etiam omnia in regula contenta cadūt sub præcepto. Verbum ergò Promissionis, nō est accipiendū in hoc loco strictè, pro aliqua voti obligatione, sed pro quadam certa & aperta voluntatis suæ declaratione, siue diffinitione, ad custodiendū ea, quæ in regula sunt tradita, & seruandum ea, quæ à suis superioribus fuerint imperata. vt sit sensus: Promiserit deliberato animo, certa & aperta diffinitione statuerit, siue affirmauerit, se velle omnia custodire, &c. Sequitur: *tūc suscipiatur in congregatione*, s. ad professionē, modo s. qui infrà sequitur ibi, *Suscipiendus aūt* &c.

Nota hanc intelligentiam.

sciens, post factam professionē iam, *se sub lege regulæ constitutum*, siue positū, siue constrictū ità, *quòd ei ex illa die nō liceat egredi de monasterio, nec collum excutere de sub iugo regulæ, quam sub tam morosa deliberatione*, s. existens, *licuit*, i. potuit, *aut excusare*, i. recusare, *aut suscipere*. sicut enim Glo. super illud psal. Vouete, & reddite: dicit, Vouere, voluntati consulitur: sed post voti promissionē, redditio necessariò exigitur. Sequitur de professione: *Suscipiendus autem, in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, & conuersione morum suorum, & obedientia coram Deo & sanctis eius, vt si aliquādò aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat, quem irridet.* Vbì sanctus Pater ponit ea, in quibus professionis substantia cōsistit. Circa quod notandum, quòd ex hoc loco forma professionis discipuli huius scholæ colligitur, quæ est ista: EGO dominus N. promitto stabilitatē, & conuersionem morū meorum, & obedientiam, corā Deo & sanctis eius, secundùm regulā sancti Benedicti in monasterio tali: in præsentia talis Abbatis, & aliorum fratrum. In qua professione tria substātialia monasticæ professionis tanguntur: videlicet; stabilitas, morum cōuersio, & obedientia. Stabilitas quidē, attinet ad perseuerantiam. Tunc enim recta est vniuscuiusque cōuersio ad Deū, si vsq; in finem in ea perseuerauerit, dicente beato Papa Gregorio: Virtus boni operis, est perseuerātia. Ponitur autem primum inter ipsa substantialia professionis, stabilitas: quoniam stabilitas est petra, super quam totum religionis officium construitur & fundatur. Matth. 7. Descendit pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti, & irruerunt in domū illam, & non cecidit. fundata enim erat super firmam petrā. Per stabilitatē adstringi intelligitur monachus, quòd nullo modo deserat monachatū, nec sine necessitate, & superioris authoritate, exeat monasterium. Circa quam stabilitatem tria notāda veniunt. Primò, quòd reditus ad seculum, sit multùm timendus. Secūdò, de his quæ reditum ad seculū multùm dissuadent. Tertiò, de his quę plurimū valent ad stabilitatem viri religiosi: de quo in sequenti cap. Circa primum notandum, quòd multùm timendum est ei, quē Dei bonitas de seculo eduxit, ad illud redire corde vel corpore, ante professionē, vel facta professione. De reditu post ꝓfessionē hoc patet. Qui enim sic ad seculū redit, à Deo recedit, & perit. Aug. in lib. Soliloquiorū: Deum quē relinquere, hoc est, quod perire. Iste recessus à Deo multū habet confusionis. Iere. 22. Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur. Verè confusione dignus est, qui eū derelinquit timore mali, cū quo nihil habetur mali. Eccles. 8. Qui custodit præceptū, non experietur quicquā mali. Quod alij es-

Psal. 75.

Forma professionis monachorū quā melius vide in fine libri.

Stabilitas.

Hom. 25. in Euang.

Stabilitas ad quid adstringat.

Circa stabilitatē tria notanda.

1. Timendus est reditus ad seculum.

Cōtra apostatantes.

lib. 1. cap. 6.

set malum, ei est bonum. Dignus est etiam cõfusione, qui ei præponit aliquod bonũ, in quo habetur omne bonũ, & quo amisso, nullum retinetur bonũ. Exo. 32. dicit Dominus Moysi: Ostendã tibi omne bonum. Omne bonũ est Deus: & illo amisso, omne bonum amissum est. Oseæ 8. Proiecit Israel bonum. bonum proijcit, qui Deũ deserit. Seneca: Nihil est homini bonũ, sine se bono: cũ Deo benè est homini, sine ipso non. Isa. 3. Dicite iusto, quia benè. Aug. Tale bonũ est Deus, vt nemini, eum deserenti, benè sit. Verè confusione dignus est, qui eum relinquit, per quẽ existit, & qui eũ redemit. Deut. 32. Deum qui te genuit, dereliquisti. Eccles. 30. Ingratus sensu, derelinquit liberantem se. Verè confusione dignus est, qui pessimum dominũ, optimo præponit. Ioan. 6. dicit Petrus Domino quęrēti ex discipulis, an vellēt abire: Ad quem ibimus? Malitia domini ad quem itur, cum à Deo receditur, multùm deberet cohibere à recessu ab ipso, maximè in futuro. Cõfundentur enim, qui à Deo recedunt: quandò manifestum erit toti mundo, quòd ipsi sunt qui dixerũt Deo, Recede à nobis, Iob 21. Tunc Deus relictus ab eis, reddens eis vicem, dicet eis: Discedite à me, qui operamini iniquitatẽ, Matth. 7. Eiusdem 25. Discedite à me maledicti, ite in ignem æternũ. Prætereà discessus iste à Deo, multùm prouocat eius indignationẽ, cùm miser vermiculus Dominum maiestatis, sine eius culpa dimittit. Solent magni domini seruientes suos aliquandò dimittere, sed Dei benignitas seruiẽtes sibi nunquàm dimittit, nisi eũ dimittãt. Aug. Nemo te amittit, nisi qui te dimittit. Magnitudo diuinæ indignationis aliquandò ex hoc appáret, quòd Deus dimittit apostatas in tanta miseria esse in seculo. Iere. 42. Cõstabitur indignatio mea super vos, cùm ingressi fueritis Aegyptũ. Apostatæ sunt arbores infructuosæ, bis mortuæ. Causam vide: mũdo moritur aliquis, cùm de seculo egreditur: Deo moritur, cùm ad seculũ reuertitur. Fructum seu vtilitatem vitæ, qua mundo viuitur, amisit in monasterij ingressu: vtilitatem vitæ, qua viuitur Deo, in egressu: & factus est homo inutilis, iuxta illud Pro. 6. Homo apostata vir inutilis.

lib. de natura boni, cõtra Man. cap. 7.

Iudiciũ diuinæ indignationis contra apostatas.

Iudas in sua epist. cano.

Apostata dicitur bis mortuus.

Quæ reditũ ad seculum dissuadeant

2. Circa secũdum notandũ, quòd religiosus, cui tẽtator suadet, vt ad seculũ redeat, ista ad sui stabilitatẽ attendere debet. Saluator
1. Lazarum ad vitam seculi reuersurum plorat, qui non plorauit moriturũ. Magis expediret aliquibus mori, quàm ad seculũ reuerti: quia iuxta verbum Senecæ, Maius est periculum, malè viuendi, quàm citò moriendi.
2. Itẽ, Saluator suadentibus, vt de cruce descenderet, nullatenùs acquieuit: neq; motus pietate matris eius, cuius animã gladius passionis eius pertransibat, neq; pro-

Matth. 27.

missione Iudæorũ, qui dicebant, se in eum credere, si descenderet de cruce. Saluator 3.
etiã, postquàm de mundo recessit, licèt aliquibus bonis ad confirmandam fidẽ resurrectionis apparuerit, tñ mundo immiscere se noluit. Multũ timendũ est ei, qui acquiescẽs angelo magni cõsilij terrena reliqt, derelicto ei' hortatu consilio impiorũ, abijt, & ad ea quę reliquit, redit. Pro. 1. Despexisti omne consilium meũ &c. Ego in interitu vestro ridebo. Beatus vir, qui in consilio impiorũ non abijt. Infelix verò, qui abijt.

Psal. 1.

Item terrere multùm debet illum, quem 4.
pœnitet, quòd terrena pro cęlestibus reliquit, quod legitur in vita B. Ioãnis Euangelistæ, de duobus fratrib' personis honoratis, qui audita eius prędicatione, suas possessiones vendiderunt, & pauperibus distribuerunt. Qui cùm quadam die viderent seruos, quos habuerant, diuites, & in habitu precioso, se autem egentes, & in habitu vili, contristati sunt de hoc quod fecerant. Quo cognito, Ioãnes virgis siluestribus in aurum mutatis, & lapidibus communibus mutatis in lapides preciosos, dixit: Ite, & redimite vobis terras, quas vẽdidistis, quia cælorum præmia perdidistis. Et suscitans quendam iuuenem, qui mortuus efferebatur, fecit quòd ipse illis fratribus annũciaret, quantã gloriã amisissent, & quantã pœ 5.
nã incurrissent. Colũba, cõperto quòd diluuium nõ cessasset, ad arcã redijt, Gene. 6. Cùm ergò diluuiũ peccatorum incessanter in seculo sit, nõ videtur esse columbę, illuc reducere, sed potiùs corui infernalis. Coruus ab arca emissus, non legitur ad arcam
fuisse reuersus. Quem spiritus Dei in deser- 6.
tum claustri duxit, credere debet spiritum malignum esse, qui reditum ad seculum ei suadet. quia secundũ verbũ Bernar. Spiritus sanctus, qui adducit, non reducet: cùm
non sit in eo, est & non. Angelica admoni- 7.
tio est ad Loth facta: Noli respicere post tergum tuum, nec stes in omni circà regione, sed in monte saluum te fac. Respiciens autẽ eius vxor post se, versa est in statuam salis, Gen. 19. Statua, est corpus sine spiritu, similitudinem habens, non veritatem. Sic respiciẽs ad ea quæ reliquit, similitudinem habet religiosi, non veritatem. Corpus habet in claustro, spiritum in mundo, vt sit quasi quædam statua. Hoc exemplo vtitur Saluator, Lucæ 17. dicens: Memores estote vxoris Loth. Eiusdẽ 9. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus
est regno Dei. Filij Israel de manibus Pha- 8.
raonis liberati, pertrãsito mari rubro, non rediẽrunt in Aegyptum, sed de sua liberatione exúltant, & laudant liberatorem suum, Exodi 14. O quàm fatuè egissent, si redissent in Aegyptum. Gen. 26. Nè descendas in Aegyptum, Iere. 42. Nolite intrare in

Exẽplum. In hist. Lõbardica. Anton. ti. 2. 6. ca. 6. §. 1.

9. in Aegyptum. Magi diuinitùs edocti, ad
Herodem non redierunt, ad Saluatoris ho-
stem. Ioseph etiam timet redire ad locum,
vbi audiuit Archelaum regnare, Matth. 2.
Sic timendum est ei, qui propriam salutem
desiderat, redire ad mundum, vbi sata-
nas aduersarius salutis regnat, & habitare
inter seruitores eius. Apoc. secundo: Scio
vbi habitas, vbi sedes est satanæ.

TRACTATVS CXXVIII.

De octo, quæ valere possunt ad stabiliendum nouitium in religione.

Multa faciunt ad stabiliendum nouitium. Circa stabilitatem nouitij in reli-
gione, est notandum, quòd mul-
ta possunt valere ad stabilien-
dum nouitium in religione. Pri-
1. mum est, timor confusionis. Rarò enim est
reditus ad seculum sine confusione. Vix
enim est, quin rediens incurret notam le-
Leuitatis arguitur. uitatis, vel verecundiæ, timiditatis, vel ali-
cuius iniquitatis. Leuitati asscribitur, quod
incepit facere, & non potuit consumma-
re. Cum leuitate etiam notatur de fatuita-
Stultitiæ. te, quæ leuitatem comitatur. Ecclesiastici
27. Stultus vt luna mutatur. Stultitia est,
cui nihil constat, nihil diù placet. Stulti,
quod non habent, cupiunt: quod habent,
Epist. 10. fastidiunt. Econtrariò de sapiente, Seneca:
Quid est sapientia? Semper idem velle, at-
que nolle. Non potest cuiquam semper
tunc placere, nisi rectum. Sapientiam non
vincit malitia, Sapient. 7. Non eijcit mali-
tia tentatoris, sapientem de claustro. Pro-
uerb. 3. Stabiliuit cælos prudentia. Per eam
viri cælestes stabiliuntur. Nó est sine igno-
minia, cùm pugil fugit extra locum certa-
minis, victus enim reputatur. Locus certa-
minis, claustrum est. Dum in claustro ma-
net aliquis, adhuc spes habetur de eius vi-
ctoria, etiam si hostis aliquandò ei præua-
leat: quia victorem à victo superari sæpè
videmus. Ecclesiast. 10. Si spiritus potesta-
tem habens super te asscenderit, locum tu-
Confusio. um nè dimiseris. Non est sine confusione,
cùm aliquis solus fugit de prælio, alijs re-
manentibus, pugnantibus & vincentibus.
Rarò aliquis claustrum deserit, qui nó pri-
ùs Deum deseruerit, & ab eo desertus sit.
Timor. Solet sequi recessum à Deo, timor irratio-
Psal. 13. nabilis. In Psal. Trepidauerunt timore, vbi
non erat timor. Habuit Cain post pecca-
tum caput tremulum. Comminatus est tre-
morem istū Dominus Iudæis, si ab eo pec-
cando recederent. Leuit. 26. Terrebit eos
sonitus folij volantis, & ità fugient quasi
Iniquitatis arguitur. gladium. Prouer. 28. Fugit impius, nemine
persequente. Notatur etiam aliquandò, qui
de religione ad seculū redit, quòd aliquam
iniquitatem habuerit, quæ eum quiescere
non permisit. sicut punctiones muscarū,
vel spinarum, iumentū discurrere faciunt:
sic punctiones vitiorum, animū instabilem
reddunt. Nam quia peccauit Hierusalem,
propterea instabilis facta est. Isa. 57. Tor-
quemini quasi mare feruens, quod quiesce-
re nó potest. Spiritus rationalis, qui nobilis
est, in lecto sordidæ conscientiæ non qui- Confessio generalis
escit. Ideò qui religionem intrat, debet fa- facienda
cere confessioné generalé: & exemplo Da- intrantibus
uid, lauare per singulas noctes lectū suum, religionem
vt in eo cum Deo quiescere possit, & sic sta- Psal. 6.
bilis esse poterit. Iob. 11. Si iniquitaté, quæ
est in manu tua, abstuleris à te, & nó permā-
serit in tabernaculo tuo iniustitia, tunc le-
uare poteris faciem tuam absque macula, &
eris stabilis. Secundò, timor periculi mul- 2.
tùm poterit valere ad stabiliendum noui-
tium in religione. Mundus igne infernali
succensus est, igne scilicet iræ, cupiditatis,
& luxuriæ. Vndè cum indignatione repel-
lenda est suasio, qua diabolus suadet redi-
tum ad seculum. Bernardus: Domus ardet, Epist. 111.
& ignis instat à tergo, & fugienti prohi-
betur egredi, euadenti suadetur regredi?
Perditionis filius esse videtur, qui iam est
in loco salutis, & ad locum periculi redit.
Ioan. 17. Nemo perijt ex his, nisi filius per-
ditionis. Talis periculum suum amare vi-
detur. vndè non est mirum, si in illo pere-
at. Ecclesiastici tertio: Qui amat pericu-
lum, in illo peribit. Timor huius pericu-
li, est quasi clauus configens carnalem
affectum, nè eo stimulante, redeat noui-
tius ad seculum. In psal. Confige timore Psal. 118.
tuo carnes meas. Et est quasi pondus com-
primendo retinens, sicut asseres, lapidum
ponderositate retinentur in tectis domo-
rum. Ecclesiastici vigesimoquinto: Ti-
mor Dei, se super omnia superposuit.
Eiusdem trigesimoseptimo: Si non in ti-
more Domini instanter te tenueris, citò
subuertetur domus tua. Tertiò, spes di- 3.
uini adiutorij etiam multùm valere po-
test ad stabiliendum nouitium. Est ei
quasi ancora conseruans, nè vehementia
tempestatis à Deo euellatur, & ad seculum
reuertatur, Iob. 6. dicitur de spe, quā sicut
ancoram habemus animæ tutam ac fir-
mam. August. Noli abrūpi ab ancora, an-
tequàm intres portum. Fluctuat nauis in
ancoris, sed non longè à terra proijcitur.
Conatur diabolus eijcere nouitium in dif- Specialis
fidentiam, vel desperationem, continuita- nouitij tentatio, & re-
te vel vehementia tentationis, vel diu- media.
turnitate claustralis laboris: sed diu-
turnitati laboris, opponenda est æter-
nitas mercedis. Augustinus: Labor te terret,
vide mercedem: Diuturnitas quodammo-
dò facit, vt leuiùs sustineatur ratione

consuetudinis, quæ diuturnitatem sequi-
tur. Sapiens: Optima forma viuendi eli-
genda est, quam iocundam reddet consue-
tudo. Vehementiæ & continuitati tentati-
onis, resistit spes diuini adiutorij. In Psal.
Psal. 26. Dominus protector vitę meæ: à quo trepi-
Psal. 124. dabo? Dominus est in circuitu populi sui,
quasi murus defendens eum. Vehementia
etiam tentationis, est occasio, vt facilius
sustineatur, quia ad hoc facit, vt gratia au-
geatur. primæ ad Corinth. decimo: Fide-
lis est Deus; qui non patitur vos tentari
supra id quod potestis, sed facit etiam
cum tentatione prouentum, id est, gra-
tiæ augmentum, vt possitis sustinere.
Fidutia etiam habenda est in suffragijs san-
Secundùm spem nostram, sic adiuuamur à Domino. ctorum, & adiutorio fratrum. Et nota,
quod Deus iuuat seruos suos, secundùm
quod ipsi spem habent in eo. Bernardus:
Quatenùs in bonis Domini fidutiæ pedem
3. porrexeris, eatenùs possidebis. Tertio, bo-
Psal. 31. nus est Deus sperantibus in se. In Psal. Spe-
rantę in Domino, misericordia circunda-
bit. Ieremiæ 17. Benedictus vir, qui confidit
in Domino. Et subditur, Erit quasi lignū,
quod transplantatur super aquas, & non
timebit cùm venerit æstus, scilicet vehe-
mentis tentationis. Ecclesiastici 11. Confi-
de in Domino Deo, & mane in loco tuo.
Facile enim est in oculis Dei citò honesta-
4. re, id est, ditare, pauperem. Quartò, amor
proprię perfectionis potest multùm valere
ad stabilimentum nouitij: sicut radicatio
arboris, facit ad eius stabilitatem. Ecclesia-
stici 24. Radicaui in populo honorificato.
Populus honorificatus quis sit. Populus honorificatus, est cœtus filiorum
Dei, in quo aliquis radicatur, cùm expulso
amore seculi, introducitur amor & sui, &
proximi: Amor seculi expellitur, cùm diui-
tiæ, deliciæ, mundi honores contemnun-
tur. Ad contemptum diuitiarum, pertinet
votum paupertatis. Ad contemptum deli-
ciarum, pertinet votum continentiæ. Ad
contemptum honorum, humilitas obedi-
entiæ. Non introducitur amor verus, nisi
expellatur amor vanus. August. super ca-
Tract. 2. nonica Ioannis: Si mundi amor habitet,
non est quò Dei amor intret. Sapientiæ 4.
Adulterinæ plantationes non dabunt ra-
dices altas, nec stabile firmamentum collo-
cabunt. Adulterinę plantationes sunt, qui-
bus dicitur Iaco. 4. Adulteri, nescitis quia
amicitia huius mundi, inimica est Deo?
5. Quintò, amor Dei potest multùm valere
Qui claui tenuerint Christum in cruce. ad stabilitatem nouitij. Amore quippe Sal-
uatoris, debet esse affixus cruci religionis,
qui ad religionem venit. Clauo nostri
amoris, potiùs fuit Christus affixus cruci
suæ, quàm clauis ferreis. Sicut ostium se-
pulcri, Christum non potuit in eo tene-
re, sic nec claui ferrei eum in cruce tenuis-
sent inuitum: sed clauo amoris nostri ibi
tenebatur: sic amor Christi nouitium in
religione debet retinere. Sextò, amor eti- 6.
am sanctæ societatis debet eum retinere. In
Psal. Ecce quàm bonum, & quàm iucun- Psal. 132.
dum, habitare fratres in vnum. Prouerb. 18.
Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas
firma. Debilis, qui pugnat cum forti, velle
superari videtur, si potiùs eligat esse inter
eos qui noceant, quàm inter eos qui adiu-
torium præbeant. Septimò, amor etiam 7.
propriæ salutis debet eum retinere. Amor Ad amorē propriæ salutis.
iste debet esse magnus in homine, cùm in
brutis tantus esse videatur. Ex amore salu-
tis esse videtur, quòd ouis lupum fugit. Et
canis si in aquam ceciderit, natando ad lit-
tus tendit. Item, auis sagaciter cauet laque-
um, & declinat lapidis ictum: & si inciderit
in laqueum, ad suî liberationem conatur.
Bernardus: Pudet, hoc rationem non pos-
se in homine, quod natura potest in volu-
cre. Ad idem mouere debet amor qui habe-
tur ad sanitatem corporis. Augustinus:
Cum gaudio debet facere immortalis fu-
turus, quod faceret pro differenda morte
moriturus. Item octauò, ad hoc debet in- 8.
citare amor, quem Deus & angeli habent
ad salutem nostram. Bernardus: Domine, Serm. 12. in psal. Qui habitat.
quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius
hominis, quoniam reputas eum? Denique Magna hominis dignitas.
mittis ei vnigenitum tuum, immittis spiri-
tum tuum, promittis vultum tuum. Et ne
quid ab opere solicitudinis nostræ vacet in
cælestibus, etiam illos beatos spiritus pro-
pter nos mittis in ministerium. Omnes
enim sunt administratorij spiritus &c. He-
bræ. 1. Maximè ad stabilitatem valet gratia,
vnde legitur de spiritu, quòd sit stabilis,
Sapien. 6. Hebræ. vltimo: Optimum est Optima cōclusio ad nos stabiliendos.
gratia stabilire cor. sicut terra, si humor de-
fuerit, in puluerem redigitur, & à vento
dispergitur, & corpus, cùm ab eo spiritus
recesserit, efficitur cinis: sic si gratia spiri-
tûs sancti defuerit, nouitius ad modum
pulueris fit instabilis. In Psal. Non sic impij, Psal. 1.
non sic, sed tanquàm puluis &c. Ideo fre-
quenter & deuotè debet inuocare spiritum
sanctum, qui confirmet in eo, quod opera-
tus est.

TRACTATVS CXXIX.

De morum conuersione, & quibus ipsa perficitur, & quibus impeditur.

ID autem quod secundo loco in præ- De morum conuersione.
fata professionis forma substantialiter
ponitur, est morū cōuersio, per quam
monachus obligat se, vt non seculari-
ter viuat, sed mores suos secundùm regu-
lam dirigat. Contra hanc ergò partem pro-
fessionis venit monachus, qui seculariter
viuit. Planè non sufficit monacho mu- Non sufficit monacho exteri.
tâsse locum, contemptibilem habitum
assum-

ora tãtùm mortificationis signa. assumpsisse, deferre tonsuram altam, coronam latam, nisi hæc morũ conuersio concomitetur. Bernar. Vmbra enim religionis sunt ista, non veritas. Corporis conuersio, si sola fuerit, erit nulla. Forma siquidem conuersionis est ista, non veritas, vacuam virtute gerens speciẽ pietatis. Ingredienti monasteriũ, necesse est, vt veraciter mutetur in virũ alterum: vt possit dicere cum Apostolo Gal. 2. Viuo ego, iã non ego, viuit aũt in me Christus. Vbi notandum, ꝙ ad perfectam morũ conuersionem requiritur, vt fiat conuersio interiùs, & exteriùs. Interiùs, & hoc in omni affectu cordis, secundùm illud Ioel. 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro. Bern. Attende solerter quid diligas, quid metuas, vndè gaudeas aut contristeris, & sub habitu religioso, secularem animũ, & sub pannis conuersionis, inuenies cor peruersum. Totũ enim cor in his quatuor affectionibus est, & de eis accipiendum puto quod dicitur, vt in toto corde tuo conuertaris ad Dominum. Conuertatur proindè amor tuus, vt nihil diligas omninò, nisi ipsum, aut certè propter ipsum. Conuertatur etiam ad ipsum timor tuus, quia peruersus est timor omnis, quo metuis aliquid præter eum, aut non propter eum. Sic & gaudiũ tuum, & tristitia tua æquè ad ipsum cõuertatur. Hoc aũt ità fiet, si non nisi secundùm eũ doleas aut læteris. Exteriùs prætereà conuersio fienda est, maximè quantùm ad locutionem. Iac. 1. Si quis putat se religiosum esse, & nõ refrenat linguã suã, huius vana est religio. Item, quantùm ad sensuũ cohibitionem, & motuum corporis moderationẽ, vt in incessu, statu, & cæteris motibꝰ eius, nihil fiat quod cuiusquam offendat adspectum, sed ipsius doceat sanctitatẽ. Ecclesiasti. 19. Amictus corporis, & risus dentiũ, & ingressus hominis, enunciãt de illo. Ecclesi. 33. Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam. Et ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis. Item, conuersio fienda est, quantùm ad consuetudinem, vt scilicet consuetudo mala conuertatur in bonã. Vndè Bernar. ad fratres de monte Dei, loquẽs de nouitio, dicit: Ad exuendam fide seruitutis necessitatem, & carnis suæ dominantẽ consuetudinem, se accingat, necessitatem sibi faciens contra necessitatem, & consuetudinem contra consuetudinem, & affectum sibi formans cõtra affectũ, donèc plenius mereatur accipere delectationẽ cõtra delectationẽ, vt delectationibus seculi & carnis, secũdùm consiliũ Apostoli, saltem tantùm delectet eũ carere, quantũ eũ delectabat primò eas habere, & tantùm delectet eũ de mẽbris corporis sui seruire iustitię in sanctificationẽ, quantũ delectabat eũ priùs seruire immũditiæ & iniquitati, ad iniquitatem.

Serm. 2. in cap. Ieiunij.

Quid requiratur ad perfectam conuersionem.

Ibidem.

Quomodò exteriùs cõuertamur.

1.

2.

3.

Eulneranda est consuetudo mala.

Rom. 6.

Vndè viro religioso, ascendenti in montẽ perfectionis monasticæ, dicitur id quod Dominus Moysi dixisse dicitur ascẽdenti in mõtem Sinai: Solue calceamẽta de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est. Pedes, quibus itur in infernũ, vel in paradisum, actus hominis sunt. Calceamẽta, quæ de pellibus animaliũ mortuorũ fiũt, exẽpla intelligũtur hominũ seculariter viuentium, quorũ vita mors est, vel morte deterior. Calceamenta ergò de pedibus soluũtur, cũ religiosus à vita moribúsque hominũ seculariter viuentiũ se omninò separat, & spiritualium virorũ moribus se cõformat. Sicut aũt religiosi à cæteris hominibus separantur loco, sic separati ab eis debẽt esse, nõ solũ habitu, sed maximè moribus & conuersatione. Leuit. 20. Separaui vos à cæteris populis: separate & vos mundũ ab immũdo. Nõ aũt placet Deo in religioso habitus regularis in corpore, si desit habitus virtutis in mẽte. Bern. Magna abusio & maxima cura, vt corpus regulariter induatur, & cõtra regulã suis vestibus anima nuda deferatur: cũ tanto studio tunica & cucula corpori ꝓcuratur, vt cui deerũt, monachus nõ putetur. Cur similiter spiritui pietas, & humilitas, quæ sunt spiritualia indumẽta, nõ ꝓuidẽtur? Secũdò notandũ, ꝙ multis de causis accidit, vt ille qui in monasteriũ ingreditur, morũ conuersionẽ nõ assequatur: quandoq; enim hoc accidit ꝓpter longã consuetudinẽ vitæ secularis, quæ quasi in naturã versa est. Consuetudo enim est quasi altera natura. Vt enim dicit Bern. in ser. quodã: Solet inter primordia conuersionis acriùs insurgere tẽtatio prauę cõsuetudinis, & vix possũt extingui iacula ignita diaboli. Vndè queadmodũ bonũ erit viro, cũ portauerit iugũ ab adolescẽtia sua, Thren. 3. sic pessimũ est viro, si iugũ Domini vsq; ad senectutem assumere distulerit. Iere. 13. Si mutare potest Aethiops pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis benè facere. Prouerb. 22. Prouerbium est, adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea. Ecclesiastis 1. Peruersi difficilè corriguntur. Peruersi autem sunt, qui à Deo, bono incommutabili, sunt valdè auersi, & elongati, & ad terrena, bonaque commutabilia, omninò conuersi sunt. Bernardus: Omnis malus animus, priusquàm indurescat malitia eius, emendari potest: sed postquàm indurauerit, desperandum est, id est, non multùm sperandũ. Virgulę possunt dirigi, si distortæ fuerint: trabes verò nequaquàm. Secundò accidit hoc propter *lassitudinem, & dissolutionem monasterij, in quod aliquis ingreditur. Sicut enim serpens, non in foramine lato, sed arcto, veterem pellem deponit; sic in monasterio

Exodi 3.

Pedes & calceamenta soluenda spiritualiter.

Exterior tantùm habitus Deo non placet.

Multis de causis aliquis in monasterio nõ assequitur conuersionem morum.

1\.

Serm. 4. de assumpt. B. Mariæ.

Peruersi qui sint.

2\.

*laxitudinem

rio illo mores seculares non deponuntur, in quo monachi sine freno disciplinæ viuunt, & secundùm voluntates suas viuere
3. permittuntur. Tertiò, hoc accidit pro-
Psal. 18. pter defectum doctrinæ. Psalm. Lex Domini immaculata, conuertens animas. Lex enim Domini, siue doctrina sancta, est vt ignis, ad quem fit cordis liquefactio, vt priori forma amota, nouæ formæ sequatur impressio. Canticorum 5. Anima mea liquefacta est, vt dilectus meus locutus est. Ierem. 23. Nunquid non verba mea quasi
4. ignis ardens? Quartò, hoc accidit pro-
Epist. 6. Boni exempli efficacia. pter defectum boni exempli. Seneca: Longum iter per præcepta, breue & efficax per exempla. Vndè non sufficit ad conuersionem morum doctrina, si desit exemplaris forma. Et ideò sanctus pater Benedictus in capitulo secundo Regulæ mandat Abbati, vt factis suis diuina præcepta demonstret, & omnia quæ discipulis suis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agen-
5. da. Quintò, hoc accidit propter cōmixti-
Psal. 105. onem secularium. Psal. Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum. Ex conuictu enim formantur mores, ait Glo. psalmi 17. Et ideò, vt dicit Chrysostomus super Matth. Nihil tam nociuum, vt per-
6. niciosa societas. Sextò, hoc accidit propter defectum bonæ voluntatis. Bona voluntas, est quasi quædam materia, vndè tota vita religiosa in rota volubili regularis obedientiæ, debet formari. Bernardus ad fratres de monte Dei: Quicunque bonam voluntatem habet, secum habet quicquid ad benè viuendum ei opùs est. Item in eodem: Nouus homo, tanquàm à figulo figmentum, lege quadam mandatorū, quasi manibus alienis faciendus est, & formandus in omni patientia, in rota volubili obedientiæ, in igne probationis suæ, plasmatoris sui voluntatis arbitrio subdendus.

TRACTATVS CXXX.

De tertio substantiali monasticæ professionis, videlicet obedientia.

De obedientia. Quid sit.

Tertium autem, quod in professionis forma cōtinetur, est obedientia, quæ est subiectio, qua homo spontaneo intuitu Dei, alterius hominis subditur voluntati. Per quam huius scholæ discipulus adstringitur, vt non suo sensu, non sua voluntate viuat, nec quò vult vadat, nec quod vult faciat, sed alieno imperio, & alteri voluntati, videlicet superioris, subditus existat. Maximè autem cauere debet huius scholæ discipulus, nè huius voti vnquàm eum transgressorem esse contingat.

Commendatio obedientiæ.

Nam sicut obedientia lignum vitæ est omnibus, qui apprehendunt eam, ità inobedientia inobedientibus lignum mortis est. Bernardus: Inobedientiam causam mortis omnes experimur, omnes morimur propter eam. Qualiter autem superioribus obediendum sit, ostendit Cæsarius in sermone sic loquens: Quicquid vobis à superioribus fuerit imperatum, sic accipite, tanquàm de cælo ore Dei prolatum sit. Nihil repræhendas, nihil discutias, in nullo penitùs murmurare præsumas: quia in monasterio seruire venisti, non imperare: obedire potiùs, quàm iubere: totum sanctum, totum iustum, totum vtile iudica, quicquid aut tibi, aut alijs videris imperari. De multiplici commendatione obedientiæ, de conditionibus, & de gradibus eius, circa quintum capitulum regulæ amplissimè notauimus: quarè supersedemus ab vlteriori commendatione.

Quomodò obediendū sit superioribus. Hom. 11.

Nullus autem debet calumniari hanc professionis formam, tanquàm minùs completam, eò quòd expressa in ea non fiat mentio de seruanda castitate, & proprio non habendo: quoniam eo ipso quòd quis assumit habitum monachalem, & obedientiam cum morum conuersione promittit, castitatem seruare, & renunciare proprijs, intelligitur, cùm ista sint de substantia monasticæ vitæ, vt extrà de statu monachorum, in cap. Cùm ad monasterium. Sequitur de firmitate professionis per scripturam: *De qua promissione sua faciat petitionem*, id est, scripturam, *ad nomina sanctorum, quorum reliquiæ ibi sunt, & Abbatis præsentis. Quam petitionē manu sua, scribat, aut si certè nescit literas, alter ab eo rogatus scribat, & ille nouitius signū faciat, & manu sua eam super altare ponat: quam dum posuerit, incipiat ipse nouitius mox hunc versum: Suscipe me, Domine, secundùm eloquium tuum, & viuam*, secundùm illud scilicet quod dixisti, Omnis qui venerit ad me, non eijciam foràs. quasi dicat: Eccè ego conuersus à vanitate seculi, te inspirante, te trahente, ad te venio, & nunc rogo vt suscipias me, & introducas me ad te: viuam in te, qui es fons vitæ, & requies æterna viuentibus & quiescentibus in te. *& nō confundas ergò me ab expectatione mea.* id est, propter te non permittas me frustrari spe mea, quam habeo, vitæ æternæ, quam tu relinquentibus omnia propter te, & te sequentibus, promisisti. Aduertendum, quòd quasi tribus modis se monachus obligat, ad seruandum prædicta tria. Primò quidem se obligat oris verbo. Secundò, scripto. Tertiò, quodammodò iuramento. Primò, in emissione voti. Secundò, in confectione vel signatione scripti. Tertiò, in positione ipsius scripturæ super altare, in quo videtur solennizare votum emissum. Sequitur: *Quem versum omnis congregatio tertiò*

Quòd sub obedientia veniant alia duo vota in professione.

Ioan. 6.

Tribus modis se obligat monachus.

tertiò respondeat, adiungentes: Gloria patri, dantes Deo gloriam de conuersione nouitij: in hoc imitantes angelos Dei, quibus magnū gaudium in cælo est super vno peccatore pœnitentiam agēte, Lucæ decimoquinto. Sequitur: *Tunc ille frater nouitius prosternatur singulorum pedibus, vt orent pro eo: & iam ex illa hora in congregatione reputetur.* Vbi considerandū, quòd ordo obseruādus in hoc loco est iste: Abbas induitur sacris Missam celebraturus, & post Euangelium & Offertorium, nouitius facit professionem, secūdùm modum hic positū, & dicto versu, Suscipe me, Domine, &c. fiunt litaniæ, nouitio prostrato toto corpore in terram, alijs fratribus genua flectētibus: dictis verò litanijs, & oratione Dominica, sequuntur orationes à Patribus institutæ. Deindè exuitur nouitius veste non benedicta, dicēte Abbate: Exuat te Deus veterem hominē, &c. Et dato osculo ab Abbate, oēs fratres per ordinem dant sibi osculum pacis, & per tres dies cōtinuo silentio perseuerans, recipit communionē ad Missam. Et sic impletur quod subiungitur: *& ex illa die in congregatione reputetur.*

Iste ordo diuersimodè seruatur à diuersis.

TRACTATVS CXXXI.

Quòd nouitius omnibus rebus ꝓprijs priùs relictis, ad habitum religionis suscipiendus est.

SEquitur in eodem capitulo regulę: *Res, si quas habet, aut eroget priùs pauperibus, aut facta solemni donatione, conferat monasterio, nihil sibi reseruans ex omnibus: quippe qui ex illa die,* scilicet factæ professionis, *nec proprij corporis potestatem se habiturū sciat.* Vbi notandum, quòd cauendum est omninò illi, qui mundo relicto, ad religionem venit, nè aliquid mundi retineat: Primò, vt Deus eum totum habeat. Secundò, nè pro modico maxima amittat. Tertiò, vt pacem cordis habere valeat. Si aliquid mundi retinet, princeps mundi aliquid in eo habet, & nō est totus Dei. Vult Christus principem mūdi nihil habere in seruis suis, sicut in ipso nihil habuit. Ioannis 14. Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Matthæi 6. Nemo potest duobus dominis seruire. Christus seruis suis sufficientissimus est, & protector, & prouisor, & remunerator. Nimis est cupidus, cui non sufficit Deús. Non sentit de Domino in bonitate, qui credit quòd ipse, vel non velit, vel non posit prouidere seruis suis. Verecundiam ei facit, qui in parte diabolo seruit, timens nè, si Deo totaliter seruierit, necessaria habere non possit. Hieronymus: Non habet CHRISTVS vndè alat pauperes suos? Fatuè valdè agit, qui pro Deo mundum relinquit, quandò aliquid retinuit, ꝓ quo Deū amittit. Ipse similis est homini negociatori, quærenti bonas margaritas, qui inuenta vna preciosa margarita, vendit omnia quæ habet, & emit eam: eam verò emptam, pedibus conculcat, & pro nihilo dat. Ad cumulū etiam fatuitatis facit, quòd quotidiè ieiunijs, vigilijs, orationibus non cessat eam emere, cùm tamen in tali statu, nullo modo possit eam acquirere. Cùm Dominus eū de naufragio seculi eripuerit, & quasi in loco tuto, scilicet in naui religionis, posuerit, ipse furtiuè in naui aquam ponit, in qua se submergit. De illo videtur posse dici, sicut dixerūt Barbari de Paulo, à naufragio maris liberato, cū manui eius vipera adhæsisset: Vtiq; homo hic homicida est, qui cùm euaserit de mari, vltio diuina nō sinit eū viuere, Actuum 28. Talis de loco salutis, facit sibi locum perditionis: cùm iam sit mortuus, timet tamē fame mori, nisi aliquid propriū habuerit. Si, iuxta verbū Senecæ, mōstro similis est auaritia senilis, quid dicēdū est de auaritia, vel cupiditate hominis iā mortui, cui vnū est optandū & quærendū, s. vita ęterna? Col. 3. Mortui estis, & vita vestra abscōdita est cū Christo. Cùm quidā fœnerator Abbati Arsenio reliquisset magnā hæreditatē, & delatū fuisset ad eū testamentū, ipse ait: Ego priùs mortuus sum quàm ille, qui me modò facit hæredē, & remisit testamentum, nihil accipiens. Qui ad religionem venit, pacem non habet, si aliquid mundi retineat: sicut nec ille, qui in sinu suo spinas abscōdit. Seneca: Proijce quæ cor tuum laniant: quæ si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum eis euellendum erat. Quidam frater renuncians seculo, & sua dans pauperibus, venit ad Abbatem Antonium, quædam tamen sibi retinuit. & cùm comperisset Antonius, dixit ei: Si vis esse monachus, vade & compara tibi carnes, & impone corpori tuo nudo, & sic veni ad me. Qui cùm hoc fecisset, tam canes, quàm aues corpus eius, propter carnem rapiendam, dentibus & vnguibus dilacerauerunt, & sic dilaceratus venit ad Antonium. Cui Antonius ait: Quicunq; renunciauerit seculo, & vult adhuc habere pecuniam, sic à dæmonibus laceratur. Quarè conuenienter subiungit sanctus Pater: *Mox ergò in oratorio exuatur rebus proprijs, quibus vestitus est, & induatur rebus monasterij.* Annectit duo aduisamenta obseruanda circa nouitios nouiter receptos. Primum est, cùm dicit: *Illa autem vestimenta, quibus exutus est, reponantur in vestiario obseruanda: vt, si aliquandò, suadente diabolo, consenserit vt egrediatur de monasterio, (quod absit) tunc exutus rebus monasterij, proijciatur.* Secundum aduisamentum est, cùm ait: *Illam tamen petitionem eius, quam desupèr altare tulit Abbas, non recipiat, sed in monasterio reseruetur.* Plana sunt omnia.

Nihil de mundo retineat, qui ingreditur religionē.

Fatuitas est, qui non

perfectè mundo renunciat.

lib. de moribus.

Mōstro esse paratur religiosus cupidus vel auarus.

Exemplū.

Exemplū.

In Vitispa. parte 2, §. 64.

TRACTATVS CXXXII.

Quòd valdè repræhensibiles sunt, qui in religione malè, siue irreligiosè viuunt.

Expositaiam substantia formę professionis monasticę vitę, reliquum est, vt ostendamus, quàm reprǽhensibilis sit monachus, qui huius sanctæ professionis immemor, in religione irreligiosè viuit. Aut enim in seculo malè vixerat, aut benè. Si benè, valdè reprǽhensibilis est, quòd malè viuit inter bonos, qui benè vixerat inter malos: & inter innocentes, innocētiam amisit, qui inter nocentes eam seruauit. Si verò in seculo malè vixerit, & metuens, nè incideret in manus DEI viuentis, carcerem claustri spontaneè sibi elegerat: valdè fatuus est, cùm dominum carceris, in carcere offendit, & funem peccatorum, quo in inferno suspendatur, quem in eo misericordia DEI diruperat, resumit: & qui dirumpenti vincula sua, sacrificium laudis sacrificare debuit, pro laude contumeliam reddit. Dederat ei Dominus locum pœnitentiæ, & ipse abutitur eo in superbiam. Dei benignitas adduxerat eum ad pœnitētiam, ipse verò thesaurizat sibi iram. Non timet peccata ibi perpetrare, vbi perpetrata in seculo debuit corrigere. Misericordiæ quoq; Dei illudit, qui ei pœnā æternam, cui etiam pro minimo mortali quod fecerat adiudicatus erat, in pœnam momentaneam commutauit. Item valdè reprǽhēsibilis est, quia Deo neglexit reddere vota illa, quæ distinxerūt labia sua. Non enim onus religionis ei nolenti est impositum, sed post experientiam, & deliberationem, ab eo spontaneè assumptum. Ipse fuit promissor largus, sed redditor auarus. Ipse est diuisor iniquus, qui sua dedit Deo, se verò dat diabolo. Ipse mentitus est Deo, quod non est parùm periculosum, sicut ostenditur Actuū 5. Cur, inquit Petrus Ananiæ, tentauit satanas cor tuum mentiri spiritui sancto? nō es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit. Ipse Deum irrisit, cui nō soluit quod promisit. De qua irrisione parùm antè beatus Benedictus, de illo qui professionem fecit, ait: Quòd si aliquandò fecerit aliter, à Deo se damnandum sciat, quem irridet. Tales in futuro, meritò à Deo irridebuntur, secundùm illud Psal. Qui habitat in cælis, irridebit eos. Prouer. 1. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo. Item talis reprǽhensibilis est, quia illud negligit, quod cunctis mundi amabilius prǽelegit. Ille verò qui mundum pro Deo relinquit, si Deum amittit, omnia amisit. Ipse similis est homini negociatori, quærēti bonas margaritas: qui, inuenta vna preciosa margarita, vendidit omnia quæ habuit, & eam emit, & pòst eam proiecit. Ipse quasi inter duas sellas ad terram cecidit. Bernardus loquēs cuidam sanctimoniali: Deum, inquit, repellens, & à seculo repulsa, inter duas (vt dicitur) sellas corrueras. Nec Deo itaq; viuebas, quia nolebas: nec seculo, quia non poteras. Frequenter deberent habere in corde suo, qui mundum reliquerunt, & in monasterium intrauerūt, illud verbum Petri, Matthæi decimonono: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergò erit nobis? Mira fatuitas est, cùm aliquis amicum illum, pro quo patrem & matrem, & omnes alios amicos carnales reliquit, à quo omnia bona recepit, & plura erat recepturus, inimicum sibi reddit & pertinaciter offendit. Qui in monasterijs malè viuunt, deberent frequenter dicere Domino illud Tob. 10. Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere ire à nobis. Item valdè reprǽhensibilis est, qui in monasterio malè viuit, vbi non solùm benè, sed etiam meliùs viuere debuit: ipse verò econtrariò, non solùm ibi viuit malè, sed etiam valdè malè. Tales enim vel sunt valdè mali, vel sunt dæmones, vel angeli. Augustinus: Non inueni meliores, quàm qui in monasterium profecerunt: nec expertus sum deteriores, quàm qui in monasterio defecerunt. Multa verò sunt, quæ ad magnitudinem malitiæ eius, qui in monasterio malè viuit, facere videntur. Primum est, loci sanctitas. Secundum, bonorum societas. Tertiū, benè viuēdi opportunitas. Quartum, quòd à Deo prouisionem recipit. Quintum est, professio quæ præcesit. Sextum, est, quòd ea, quibus indignus est, facere præsumit. Septimum, quòd locū vnius boni viri occupat. Octauum, quòd eos, à quibus recipit beneficia, defraudat. Nonum, quòd pœnis, quibus similes sibi puniti sunt, non terretur. Decimū est, damnū, quod incurrit, à peccato non cohibere.

1. Sanctitas loci, non parùm aggrauat peccatum. Vndè dicitur Isaiæ 26. In terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Dei. Multùm displicet Saluatori, cùm contaminantur loca saluti deputata. De qua contaminatione ipse conqueritur, Ieremiæ secundo: Contaminâstis, inquit, terram meam. Multùm etiam aggrauat peccatum,

2. bonorum societas. Qui malus est inter bonos, est sicut Iudas inter CHRISTI discipulos, & sicut satan inter DEI filios. De quo Iob primo: Cùm venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino, adfuit inter eos & satan. Satanas, id est, aduersarius, est, qui saluti aliorum aduersatur, vel eos

Marginal notes: Conuenies argumentatio contra malè in religione viuentes. — Roma. 2. — Psal. 65. — Deum irridere. — Psal. 2. — Epist. 114. — Frequenter voluēdum in corde religiosi. — Nota. — Epist. 137. in fine. — Multa aggrauant malitiam malè viuentiū in religione. — Sanctitas loci. — Bonorum societas. — Satanas.

eos defraudãdo adiutorio, quod eis facere
debuit: vel eis contrario gressu incedendo,
eundo scilicet in infernum, alijs euntibus
in paradisum: vel eos scandalizãdo. Salua-
tor Iudam diabolum vocauit, qui inter bo-
nos malus fuit. Ioan. 6. Nónne duodecim
3. vos elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Itẽ
Opportunitas benè viuendi. opportunitas benè viuẽdi, quam habet ali-
quis in claustro benè disposito, multũ ag-
grauat peccatũ malè viuentibus ibi. Nõ so-
lùm enim fructuosiùs, sed etiam iocundiùs
posset benè viuere, quàm malè. Vndè Ber-
nardus loquens de illo verbo Psalmi: Con-
Psal. 24. fundantur omnes iniqua agentes superua-
Nota q̃ religiosus peccans, maiorem pœnã sentit in se, quàm delectationem. cuè, dicit: An non superuacuè agit iniqua,
qui non modò fructuosiùs, sed etiã iocun-
diùs, Deo seruire poterat, quàm mundo?
Maior est pœna, quã habet religiosus, dum
peccatum procuratur, & in stimulo cõsci-
entiæ qui sequitur, & in erubescẽtia quam
habet dum dep̃rehenditur, & in pœnitẽtia
quã facere cõpellitur, vel in timore quẽ ha-
bet nè depræhẽdatur, quàm sit iocunditas,
quã habet, cùm peccatum perpetratur. Prę-
tereà si benè viueret, interiorẽ iocunditatẽ
Psal. 18. haberet. In custodiendis enim mãdatis Dei,
est retributio multa. Sed sicut dicit Gregor.
Vesana mens, plùs se affẽqui aspera carnali-
ter, quàm tenere blanda spiritualiter, gau-
det. Habẽtes mãna fastidiunt, & sæpè desi-
derant, quæ nõ sine lachrymis comedũtur.
4. Prouisio etiã, quam à Deo recipit, peccatũ
Prouisio, quã à Deo recipit. multũ aggrauat. Proditor enim est, cùm eũ
à quo vestitur & pascitur, impugnat. De il-
lo potest dicere Dominus illud Luc. 22. Ec-
cè manus tradentis me, mecum est in mẽsa.
Psal. 54. Si inimicus meus maledixisset mihi, susti-
nuissem vtiquè. Tu verò homo vnanimis,
dux meus, & notus meus, qui simul mecum
dulces capiebas cibos. Canis illũ amat, à quo
pascitur, quãdò alios valdè persequitur: Ca
ne ergò deterior esse videtur, qui beneficijs,
quæ à Deo recipit, ab eius impugnatiõe nõ
5. cohibetur. Item, nõ parùm aggrauat pecca-
Professio facta. tũ professio, quæ præcessit. Nõ enim parua
culpa est, cùm ille, qui se Deo obtulit, Deo
posteà se aufert, & diabolo offert: Et qui
corpus suum per votum continentiæ Deo
exhibuit, hostiam viuentem, sanctam, Deo
placentem, pòst per incontinentiam etiam
illud diabolo exhibet hostiam morientem,
execrabilem, & fœtentem: & vitę angelicę,
quam ducere proposuit, vitam porcinam
Epist. 42. præponit. Bernardus: Quid decorius casti-
tate, quæ de homine angelum facit? Econ-
trariò, quid immundius luxuria, quæ ange-
6. lum in porcum conuertit? Multùm etiam
Præsumit ea, ad quæ indignus est. facit ad magnitudinem malitię, quòd ea, ad
quæ indign⁹ est, præsumit. Præsumit enim
stare in conspectu Dei, cùm Deus ad mortẽ
natus sit ei: quod non est parùm periculo-
sum, cùm ipse dicit Leuit. 11. Sanctificabor
in his, qui appropinquant mihi, id est, san-
ctus in eis apparebo, vindictam de malis eo-
rum sumendo. Ad magnitudinem etiã ma- 7.
litiæ eius facit, quòd locum vnius boni vi- Locum boni viri occupat.
ri occupat. Vndè timendum est ei, nè à Do-
mino citiùs per mortem abscindatur, vt lo-
cus ab eo expediatur, cùm scriptum sit Lu-
cæ 13. de ficulnea sterili: Succide eã: vt quid
etiam terram occupat? Item, ad magnitu- 8.
dinem eius malitiæ facit, quòd illos deci- Decipit benefactores.
pit, à quibus beneficia recipit, qui sunt vel
in periculo mundi, vel in igne Purgatorij:
quia cùm ipse displiceat, debito modo eis
non subuenit. Cùm enim is qui displicet, Parte 1.
ad intercedendum mittitur, irati animus Past. curæ,
ad deteriora prouocatur, vt dicit Grego- cap. 11.
rius. Item, ad magnitudinem malitiæ facit, 9.
quòd pœnis illis non terretur, quibus pec- Non terretur alienũ pœnis.
cata in sacris locis punita leguntur. Com-
missum fuit peccatũ superbiæ in cælo, pro Diuersa exẽpla, q̃ grauiter puniantur quę in sanctis locis perpetrantur.
quo tam nobilis creatura æternaliter est
damnata. Lucæ 10. Videbam satanam, qua-
si fulgur cadẽtem de cælo. Commissum est
peccatum inobedientiæ in paradiso terre-
stri, pro quo totum genus humanum exi-
lio & morti adiudicatum est. Commissum
est peccatum carnalis amoris in illa cõgre-
gatione, in qua Christus præfuit. Iudas
enim, quod dandum erat pauperibus, da-
bat vxori suæ & filijs, quod peccatũ suspẽ-
dio punitum est. Commissum est peccatũ
proprietatis in congregatione illa, cui præ-
fuit Petrus, quod morte subita in Anania
& Sapphira punitũ est, Actuum 5. Item, ad 10.
magnitudinem malitiæ facit, quòd à pec- Damno nõ cohibetur.
cato nõ cohibet damni magnitudo, quam
incurrit. Propter hoc enim bona religio-
nis amittit, qui assumit crucem transmari-
nam. Etiam raptor vel latro cauet à pecca-
to, nè peregrinationis fructũ amittat: quan-
to ergò ampliùs debet cauere, qui est in re-
ligione, nè bona religionis amittat, cùm
religio præualeat cuilibet peregrinationi.
Cuius signum est, quia peregrinatio in re-
ligionem potest commutari. Deteriores fu-
ribus esse vidẽtur & raptoribus, qui in re-
ligionẽ intrant, & se non emendant. Qui
malus est in religione, est quasi malus latro,
Christum in cruce blasphemans opere, li-
cèt nõ sermone, qui de cruce claustri, transi-
turus est ad crucem inferni. Talis valdè in-
felix est, qui in DEI viuario moritur, in
eius seruatorio corrumpitur, in loco salu- Infelicitas malè in monasterio cõuersantiũ.
tis damnationem suam operatur: quod alij
esset aurum, est ei plumbum, onus scilicet
religionis: quod esset salus & vita alij, vt sa-
cramentum altaris, est mors & damnatio
ipsi. Patet ergò, quod ait Cassianus, quòd
sicut venire ad monasterium, sum-
ma perfectio est, ità non
perfectè viuere, summa
damnatio est.

TRACTATVS CXXXIII.

De filijs nobilium, aut pauperum recipiendis.

S*I quis fortè de nobilibus* &c. In anterioribus sanctus pater Benedictus curauit ordinem dare suscipiendi ad religionẽ eos, qui maioris ætatis sunt, & per se petere & cõsentire possunt: Nunc subdit ordinem, quo suscipiendi sunt, qui in minori ætate sunt constituti. Et diuiditur in tres partes præsens capitulũ, secundùm tres conditiones statûs hominũ. Quidam enim sunt diuites & potentes, secundi mediocres, tertij pauperes, parùm aut nihil habentes. De filijs hominum primæ conditionis, scilicet nobiliũ, primò dicit sic: *Si quis fortè de nobilibus*, id est, diuitibus aut potẽtibus, *offert filium suum Deo in monasterio*, nutriendum regularibus disciplinis, &, quantum in se est, perpetuò Deo famulaturum, sicut legitur 1. Reg. 1. de Elcana & Anna, qui obtulerunt filium suum Samuelem Domino in monasterio templi, cũctis diebus deputatum. *si ipse puer minori ætate est*, in qua scilicet per se non potest profiteri secundùm legem, *parentes eius*, cuiusmodi propriè dicuntur pater & mater: Veruntamen in hoc loco, *parentes eius*, propinquiores eius secundùm carnẽ volunt appellare, *faciant petitionẽ suam, quam suprà diximus*, vt scilicet petant filiũ in monasterio recipi, sicut dictũ est, disciplinis regularibus imbuendum, & quantũ in se est, offerant ipsum Deo: quantùm in se est, dicitur, quia talis licèt sit à parẽtibus oblatus, nihilominùs ad annos discretionis perueniens, reclamare potest, & ad seculum redire, vt habetur extrà de regularibus, in cap. Cùm simus. Quod autem dicitur 20. q. 1. Monachum aut paterna deuotio, aut propria professio facit, quicquid horum fuerit, alligatũ tenebit. Proinde his ad mundum reuertendi intercludimus aditum, & omninò ad seculum interdicimus regressum. hoc accipiendum est, quandò filius ad annos discretionis veniens, ratum habet id quod pater fecit. *& cum obligatione ipsam petitionem*, scilicet scripturam, *& manum pueri inuoluant in palla altaris, & sic eum offerant*. Oblationem offerre præcipit cum puero, exemplo veteris legis, Leuit. 12. Lucæ 2. Hoc ideò fieri pręcepit, vt per hoc quod foris agitur, intelligatur quid interiùs operetur, id est, sicut illa oblatio efficitur holocaustũ Domino, itá etiã puer ille, qui offertur, holocaustum Domino consecretur. Cõsequenter remouet id, per quod occasionem puer recipere posset ad seculum redeundi, dicẽs: *De rebus autem suis in præsenti petitione promittant*, scilicet parentes, puerum offerentes, *sub iureiurando, quòd nunquàm per se, nunquàm per suspectã personam, nec quolibet modo ei aliquãdò aliquid dent, vel tribuant occasionem habendi. Vel certè, si hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluerint, in eleemosynam monasterio pro mercede sua*, id est, intuitu redemptionis animarum suarum, *faciant ex rebus, quas dare volunt monasterio, donatione, reseruato sibi, si ità voluerint, vsufructuario. Atq; omnia ità obstruantur*, id est, claudantur, *vt nulla suspicio*, i. occasio, *remaneat puero, per quam deceptus perire possit, (quod absit) quod experimẽto didicimus*, in multis, scilicet per hãc occasionem pereuntibus. *Similiter autem* &c. Hic ponitur secunda pars, iuxta secundam conditionem personarum offerentium, dicens: *Similiter autem & pauperiores*, id est, mediocres, *faciant*. Sequitur tertia pars: *Qui verò ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant*, id est, sine aliqua donatione, *& cum oblatione offerant filium suum coram testibus*. Si nihil habent, quomodò iubentur cum oblatione offerre filium suum? Respõdetur, quòd oblatio illa, cùm sit potiùs mystica, quàm ad refectionẽ ordinata, faciliter haberi potest à quocũque: vtputà panis, vel vinũ, vel vtrunque. Vndè & pauperes in antiqua lege, vbi suprà dictum est, Leuit. 12. par turturum, aut duos pullos columbarum, offerebãt, qui agnum offerre non poterant. Prætereà, vbi ipsi parentes ad oblationem hanc faciendam non sufficerent, monasterium ipsum, pro obseruanda regulæ cæremonia, suppleret. Est autem aduertendũ, quòd ex hoc capitulo manifestè colligitur, quòd conueniens sit & laudabile, pueros etiam infra annos pubertatis, ad religionem suscipere nutriendos disciplinis regularibus: quod exemplis & rationibus constat. Legimus autem de beato Ioanne Baptista Lucæ 1. quòd puer crescebat, & confortabatur spiritu, &c. Præterеà, attestãte beato Gregorio in lib. Dialogorum, beato Benedicto Romani nobiles, suos filios omnipotẽti Domino nutriendos dare cœperunt. Ratione etiam ostenditur cõuenientissimum: quia id, ad quod ex pueritia assuescimus, semper perfectiùs & firmiùs tenemus, secũdùm illud Prouer. 22. Adolescens iuxta viam suã, etiã cùm senuerit, non recedet ab ea. Et Thren. 3. Bonum est viro, cùm portauerit iugum Domini ab adolescentia sua. Et ideò Apostoli instituerunt, vt pueri etiam infantes, ad Christianam religionem reciperentur: vt in ea nutriti, firmiùs & perfectiùs ei inhærerent. Ex communi autem consuetudine, pueri applicantur illis officijs, vel artibus, in quibus sunt vitam acturi.

Distinctio capituli.

De filijs diuitum suscipiendis.

Parentum nomine, qui intelligantur.

De aliorum filijs.

Laudabile est, pueros ad religionem suscipere.

lib. 2. cap. 3.

IN CAPVT LX.

TRACTATVS CXXXIIII.

De sacerdotibus, vel de eis qui volunt conuerti.

Si quis

S*I quis de ordine sacerdotum.* &c. Superiùs sanctus pater Benedictus dedit ordinem suscipiendi laicos tam maioris quàm minoris ætatis: nũc consequenter subdit ordinem suscipiendi Ecclesiasticas personas, quæ in monasterio habitare volunt. Et primò de sacerdotibus loquens, ait: *Si quis de ordine sacerdotum in monasterio suscipi rogauerit, non quidem ei citiùs assentiatur*, quàm laico in ingressu, immò sicut ille probatur, & iste. *Tamen si omninò persisterit in in hac supplicatione, sciat se omnem regulæ disciplinam seruaturum: nec aliquid ei relaxabitur*, s. propter presbyteratum. Probabitur enim per omnes gradus, sicut laicus. Qui gradus sunt tres, quibus probari debent, si recipi petunt. Vnus ad portã monasterij per quatuor vel quinque dies. Deindè secundus in hospitio duobus mensibus. Tertius in cella nouitiorum per decem menses: & itá annus erit probationis, sicut & alijs nouitijs: vt in cap. 58. plenè est expositum: qui annus in fauorem & monasterij & conuersi est indultus, vt & monasteriũ mores probet ingredientis, & cõuersus, si pondus & grauitates Ordinis portare possit. Sequitur: *Vt sit, sicut scriptum est: Amice, ad quid venisti?* Verbum hoc est Domini ad Iudam proditorem, Matth. 26. quasi diceret: Vide vtrùm signo pacis, quod porrigis, consonet opus proditionis, quod moliris. Planè signum demonstras amici, osculum porrigendo: & opus ordiris inimici, me manibus tradendo quærentium animam meam. Ad hunc sensum potest hoc verbum inpræsentiarùm adaptari. Debet enim religiosus semper memor esse ad quid venerit, & conuersionem suam aduentûs sui proposito conformare. Cùm ergò venerit subesse, non præesse: obedire, nõ imperare: nõ debet quærere in monasterio, quòd sibi aliquid de asperitate Ordinis relaxetur. Sequitur: *Concedatur tamen ei post Abbatem stare, & benedicere*, s. benedictiones dare in mensa ad cibum, vel potum, vel ad lectiones in ecclesia, *aut Missas canere*, i. in suo ordine celebrare: & hoc, supple, si dignus iudicatur. Vndè subiungitur: *Si tamen iusserit Abbas ei. Sin aliàs, nullatenùs aliqua præsumat, sciens se disciplinæ regulari subditum.* Omnem quippe materiam aufert præsumptionis, cùm ei ad memoriam reducit statum subiectionis. *& magìs humilitatis exempla omnibus det*, quàm quòd scilicet præsumat aliquid facere: vtputà celebrare, aut benedicere, non interueniẽte Abbatis sui licẽtia. Melior est obedientia, quàm victima, & auscultare magìs, quàm offerre, primi Regum 15. Sequitur: *Et si fortè ordinationis aut alicuius rei causa fuerit in monasterio, illum locum semper attendat, quandò ingressus est in monasterium, non illum, qui ei pro reuerentia sacerdotij concessus est.* Sensus est: Dato quòd pro idoneitate sua in monasterio sit in aliquo officio, vtputà Præpositi, aut Decani constitutus: non superbiat, hoc meritis suis asscribens: sed itá illud simpliciter, humiliter ac reuerenter curet adimplere, iudicando se ad talia maiora indignum, vt ab humilitate quã habuit, quandò ingressus est monasterium, recessisse nõ videatur. Sequitur de ordine recipiendi personas Ecclesiasticas, quę non sunt in sacerdotio constitutæ: *Clericorum autem si quis eodem desiderio monasterio se sociare voluerit, loco mediocri collocetur. Et ipse tamen si promittit de obseruatione regulæ vel propria stabilitate.* Nomine clericorum compræhendit omnes ordines vsque ad presbyteratũ. Plana sunt omnia. Omnia quidem iubet obseruari iuxta clericum, quæ iuxta sacerdotem obseruanda mandauit: nisi quòd de sacerdote dicit, ꝙ concedatur ei post Abbatem stare: & de clerico dicit, ꝙ in loco mediocri collocetur.

Três gradus probationis.

Sẽper memorãdum religioso ad quid venerit.

Omnis materia præsumptionis aufertur.

Nomine clericorum qui cõprehendantur.

IN CAPVT LXI.

TRACTATVS CXXXV.

De suscipiendis monachis peregrinis: vbi, quòd vagus discursus non deceat virum religiosum.

S*I quis monachus* &c. Dato superiùs ordine, qualiter suscipiendi sunt ad monasterium tam laici quàm clerici: quia cõtingit sæpenumerò, monachos aliorum monasteriorum declinare ad alia monasteria, & quandoq; cum proposito ibi manendi: subiungit idem sanctus Pater ordinem, quo suscipiendi sunt monachi peregrini. Et capitulum hoc diuiditur in quinque partes, secũdùm quod circa ordinem suscipiendi monachos peregrinos ponit quinq; mandata. Primum est: *Si quis monachus peregrinus de longinquis prouincijs superuenerit, si pro hospite voluerit habitare in monasterio, & contentus fuerit consuetudine loci, quam inuenit*, id est, moribus, cæremonijs, ac vita communi fratrum, *& non fortè superfluitate sua*, in cibo, potu, somno, vestitu, atq; labore, *perturbat monasterium, sed simpliciter contentus est, quod inuenerit: suscipiatur, quanto tempore cupit.* Secundũ est: *Si qua sanè rationabiliter, & cum humilitate charitatis reprahẽderit aut ostenderit, tractet Abbas prudenter, nè fortè pro hoc ipso eum Dominus direxerit.* Sensus est: Si monachus peregrinus in monasterio susceptus cõtingat corrigere, si q errata in monasterio ꝓspexerit, nõ nisi ea q aptè mala sunt, tẽtet corrigere, & cũ humilitate charitatis. Sicut enĩ, testante B. Greg. in Pastorali, laudabile decretũ est, reuerẽtiã & honorẽ debitũ exhibere maioribus: itá rectitudinis & Dei timoris est, si quid in eis correctiõis indigeret, nulla dissimulatione postponere: nè totum corpus, quod absit, incipiat mor-

Sex mãdata circa monachos peregrinos suscipiendos.

1.

2.

Correctiõe digna dissimulãda nõ sunt.

bus inuadere, si languor nõ fuerit curatus
in capite: quam correptionem Abbas pati-
enter & alacriter debet suscipere. Vndè ait:
& tractet prudenter, id est, ponderet mentem
repræhendentis, iudicando illam esse bo-
nam, & ea, quæ repræhenduntur, vt citi-
ùs corrigantur: quia vt ait sanctus Pater:
nè fortè pro hoc ipso Dominus illum peregrinum ad
monasterium direxerit. Solet enim diuina pro-
uidentia per submissas personas, videlicet
Angelos, aut homines, peccãtes corrigere,
& ad vitam reducere veritatis. Tertiũ est:

Diuinæ prouidentiæ munus.

3. *Si verò posteà voluerit stabilitatẽ suam* s. per obe-
dientiam Abbati loci fiendã, *firmare: nõ re-*
nuatur talis voluntas, & maximè, quia tempore ho-
4. *spitalitatis sua potuit eius vita dinosci.* Quartum
est: *Quòd si superfluus*, vtputà in cibo, potu,
vestituque, *aut vitiosus*, id est, malis moribus
comitatus, *repertus fuerit tempore hospitalitatis,*
non solùm non debet sociari corpori monasterij, veriùm
etiam dicatur ei honestè, vt discedat, nè eius miseria
5. *alij vitientur.* Omnia plana sunt. Quintum
est: *Quòd si non fuerit talis, qui mereatur projci, nõ*
solùm, si petierit, suscipiatur congregationi sociandus,
verumetiàm suadeatur ei, vt stet: vt eius exemplo alij
erudiantur. Et quia in omni loco vni domino serui-
tur, vni regi militatur, quem si etiam talem perspe-
xerit Abbas, quòd pro singularitate meritorũ
dignus habeatur altiori loco, *licet eum in su-*
periori aliquantulùm loco constituere. Sequitur:
Non solùm autem monachum, sed etiam de suprascri-
ptis gradibus sacerdotum vel clericorum, stabilire po-
test Abbas in maiori, quàm ingrediuntur, loco, si eorũ
talem perspexerit esse vitam. Vbì notandum est,
quòd vitam dicit adspiciendam, & consi-
derandam virtutem & sanctitatem, nõ sci-
entiæ magnitudinem, aut carnis nobilita-
6. tem. Sextum est: *Caueat autem Abbas, nè ali-*
quandò de alio noto monasterio monachum ad habi-
tandum suscipiat, sine consensu Abbatis aut literis cõ-
mendatitijs: quia scriptum est, Quod tibi non vis fie-
ri, alij non feceris. Vbì notandum primò, quod
per hoc, quòd dicit, *de noto monasterio*, sub-
intelligi videtur, quòd de ignoto mona-
sterio potest suscipi sine literis commen-
datitijs. Secundò nota, quòd tribus modis
datur licentia monacho eũdi ad aliud mo-
nasterium. Primus modus, fit tantùm con-

Tob. 4. Matt. 7.

Tribus modis datur licentia monacho eundi ad aliud monasteriũ

1. sensu, id est, cùm rogat Abbas quempiam
Abbatem, vt cum suo cõsensu habeat mo-
2. nachum suũ, & sic eum suscipit. Alio mo-
do datur licentia literis commẽdatitijs ge-
neralibus, scilicet quæ diriguntur aut scri-
buntur omnibus Abbatibus, vt si dicatur:
Ego N. Abbas talis loci, notum facio: quia
dedimus licentiam per has literas dimisso-
rias huic fratri nostro, vt vbicunquè inue-
nerit locum Ordinis accommodum, habe-
at licentiam habitandi, ad animæ suæ salu-
3. tem & consolationem &c. Tertio modo
datur licentia literis commendatitijs spe-
cialibus, quæ s. scribuntur certæ personę,
verbi gratia: Venerabili patri Abbati talis monasterij, N. salutem &c. Cùm frater talis desideret habitare vobiscum, & in monasterio vestro regularem obseruantiã diligenter custodire, dedimus ei licentiã &c. Tertiò notandũ est, quòd discipulus huius scholæ non leuiter velit de monasterio egredi, & vago & curioso discursu per mũdum peregrinari. Discursus enim viri religiosi per mũdum sine necessitate, nec Deo placet, nec ipsum decet, nec ei securus est. Ad primum pertinet illud Ieremiæ 14. Dilexit mouere pedes suos, & non quieuit: & Domino non placuit. Monachos gyrouagos dicit beatus Benedictus, in primo capitulo regulæ, per omnia deteriores esse Sarabaitis. Ipsi enim sunt diaboli imitatores, in cuiꝰ persona dicitur Iob 1. Circuiui terram, & perambulaui eam. Stabilitas virum religiosum decet, quæ est quasi quædã imago æternitatis. Seneca: Primum argumentum mẽtis compositæ existimo, posse consistere, & secum morari. Vir religiosus, qui in claustro morari non potest, frequenter in mundo periclitatur. Semei, dum mansit in Hierusalem, vixit: postquàm exiuit de Hierusalem, occisus est, 3. Reg. 2. Et Dina filia Iacob egressa curiosè, vt videret mulieres regionis illius, rapta est & corrupta, Genesis 34. Dina, ratione sexûs infirmi, significat claustralẽ, mente infirmum, qui de claustro egrediens, dum mundi concupiscibilia curiosè desiderat, amore eorum rapitur & corrumpitur. Piscis extra aquã positus, non diù viuit. Isa 50. Computrescent pisces sine aqua, & morientur in siti. Claustralis, dum est in claustro benè ordinato, habet verba sacrę scripturæ, quibꝰ vita spiritualis ipsius cõseruatur: cùm autem discurrit per mundum, aqua ista mutatur in sanguinem, scilicet verba secularia, & sic occiditur. Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua, 1. Cor. 15. Abel egressus in agrum, occisus est, Genesis quarto. Simile accidit claustrali, innocentiæ claustrũ egredienti. Claustrales inquieti, sunt sidera errantia: de quibus legitur in canonica Iudæ. Sidera verò errantia aliquandò fiunt sidera cadentia. Postquàm enim discurrendo per mundum delicijs mundanis assueuerint, & asperitas religionis eis in dissuetudinem venerit, redeuntes ad claustrum, claustralis vitæ asperitatem sustinere non possunt, & apostatæ fiunt. Matth. 24. Cadent stellæ de cælo. Stella de cælo cadit, cùm claustralis cælestẽ cõuersationem deserẽs, ad seculũ redit. Coruꝰ ab arca egressus, ad arcã non est reuersus. Sic & claustrales per mundum discurrentes, aliquandò amore carnalium deliciarum retinentur. Claustrales mundo familiares, sunt sicut aues ciuitatenses, quæ facilè capiuntur. Vi-

Contra religiosos discurrentes.

Gyrouagus diabolo similis.

Figuræ.

Inquieti sunt sidera errantia.

Gen. 8.

ro

ro religioſo expedit non ſolùm ea, quæ
mundi ſunt, relinquere, ſed etiam obli-
uiſci. Philip.3. Quæ retrò ſunt, obliuiſcẽs.
Remediũ continendi animum.
Seneca: Vt animum poſſis continere, pri-
mùm corporis tui fugam ſiſte: deindè cõ-
tinuata remedia plurimùm proſunt: in-
terrumpenda non eſt quies & vitæ prioris
obliuio dediſcere: oculos ſiue aures aſſue-
ſcere ſanioribus verbis. Quocunq; proceſ-
ſerit, in ipſo tranſitu quæ ruminent cupi-
ditates tuas tibi occurrẽt. Ad quietem mo-
net Apoſtolus 1. Theſſ. 4. Rogamus vos
fratres, vt operam detis, vt quieti ſitis. Item
2. Theſſ. 3. Scitis quemadmodùm oporte-
at imitari nos: quoniam non inquieti fui-
Nouitio p̃cipuè conuenit eſſe quietum.
mus. Inter religioſos verò maximè oportet
nouitios eſſe quietos & non citò egredi de
monaſterio. Seneca: Subducendus eſt po-
pulo tener animus & parum tenax rectè.
Lucæ vltimo: Sedete in ciuitate, donèc in-
duamini virtute ex alto. Exodi ſecundo
legitur de patre Moyſi, quòd vidit eum ele
gantem, & abſcondit. Sapiens: Naſcendi
hanc legem natura fecit, vt maiora anima-
lia viſceribus parentum diutiùs cõtinean-
tur: ſic multùm valet ad hoc, quòd clau-
ſtralis proficiat, ſi in clauſtro diù moretur,
antequàm exeat.

IN CAPVT LXII.

TRACTATVS CXXXVI.

De ſacerdotibus monaſterij, & eorum ordinatione vel correctione.

S*I quis Abbas* &c. Superiùs beatus pa-
ter Benedict⁹ dedit ordinẽ de ſuſci-
piendis clericis in monaſterio: nũc
ſubdit doctrinã de illis, qui in mo-
naſterio ordinari volunt: & quomodò,
Quinque mãdata de ordinãdis.
quandò delinquunt, corrigi & puniri de-
bent. Et ponit in hoc loco quinq; manda-
ta ſanctus Pater. Primum, quod reſpicit
1. ipſum Abbatem, eſt: *Si quis Abbas ſibi presbyte-
rum vel diaconem ordinari petierit, de ſuis eligat, qui
dignus ſit ſacerdotio fungi.* Quippe non niſi
dignus Abbatis ipſius & aliorum fratrum
iudicio eligendus eſt ad ordines ſacros:
quia Leuitici 21. præcipitur: Homo de ſe-
mine Aaron, qui habuerit maculam, non
offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad mi-
niſterium eius. Per maculam autem, vt di-
Ordin.
cit Glo. vitium intelligitur. Quarè Conci-
lium Carthaginenſe ſtatuit, vt in cap. Nul-
lus ordinetur. diſt. 24. quòd nullus ordi-
netur clericus, niſi probatus vel epiſcopo-
2. rum examine, vel populi teſtimonio. Se-
cundũ, quod reſpicit ipſum ordinatũ, eſt:
Ordinatus autẽ caueat elationẽ, alios gradu or-
dinis inferiores deſpiciendo, *aut ſuperbiã*, nè
ſ. tentet plùs aſſcẽdere, quàm dignus iudi-
cetur, ſiue ſibi cõceditur, *nec quicquam præſu-
mat, niſi quod ei ab Abbate præcipitur, ſciens ſe mul-
tò magìs diſciplinæ regulari ſubditum*, quãto ſ. cę-
teris ſanctior eſſe debet, *nec occaſione ſacerdo-
tij obliuiſcatur regulæ obedientiam & diſciplinam, ſed
magìs ac magìs in Deum proficiat.* Rectè ſanctus
Qui magìs p̃ficit, humilior eſt.
Pater conſulit. Quanto enim aliquis plùs
proficit, tãto defectus ſuos ampliùs agno-
ſcit, & malis ſuis iratus, in humilitate viue-
re diſponit. Gregor. Sancti viri quo altiùs
apud Deum virtutum dignitate proficiũt,
tanto ſubtiliùs indignos ſe eſſe depræhen-
dunt: quia dum proximi luci fiunt, quic-
quid eos in ſeipſis latebat, inueniunt. Idẽ:
Quãto plùs proficimus in cognitione, tan-
to nobis indignamur ampliùs de peruerſo
opere. Plana ſunt omnia. Tertium man- 3.
datum eſt: *Locum verò illum ſemper attendat*, id
eſt, obſeruet, *quo ingreſſus eſt in monaſterium præ-
ter officium altaris*, i. præterquàm quandò of-
ficium altaris exhibet. Videtur enim ex hoc
loco, quòd intentio ſancti Patris eſt, quòd
ſacerdos non debeat ſuperiòr ſedere ſeni-
ore ſuo acolytho, præterquàm quandò ex-
ercet officium altaris: quia tunc, & quandò
eſt indutus ſacris, ſedet ſuper omnes alios
poſt Abbatẽ, vel Præpoſitũ, aut Decanum:
& quandò celebrat, eſt ſuper omnes, qui
pro omnibus ſacrificiũ offert Deo. Quar- 4.
tum eſt: *Et ſi fortè electio*, i. approbatio, *con-
gregationis, & voluntas Abbatis*, hoc præcipiens,
pro vitæ merito eũ promouerit, i. exaltari ad ſub-
limiorem gradum vel dignitatem, *voluerit:
qui tamen regulam*, i. obedientiam, *à Decanis
vel Præpoſitis ſit conſtitutam ſeruare ſciat.* ſenſus
eſt: Monachus quantuncunq; ſit ſublima-
tus, ſemper debet eſſe ſub obedientia ſub-
iectus Præpoſiti vel Decani, & illis debet
in omnibus obedire. Quintũ eſt, de cor- 5.
rectione ſacerdotis, ſi delinquere eum con-
tingat: *Quòd ſi aliter præſumpſerit*, ſcilicet face-
re nullo modo obedire ſuperiorum ſuo-
rum mandatis, *non ſacerdos, ſed rebellio & re-
bellis iudicetur.* ſenſus eſt: Id eſt, non defe-
ratur ei ſicut ſacerdoti, aut aliquo ordine
eccleſiaſtico inſignito, ſed vt rebellis & cõ-
tumax iudicetur. Et ſequitur: *Et ſæpè admo-
nitus ſi non correxerit, etiam Epiſcopus adhibeatur in
teſtimoniũ* iuſtiſſimę correctionis illius: licèt
hoc nõ ſit neceſſitatis, maximè apud exem-
ptos: ſed honeſtatis tantùm eſſe credatur.
Sequitur: *Quòd ſi nec ſic emendauerit, clareſcen-
tibus culpis, proijciatur de monaſterio: ſi tamen talis
fuerit eius contumacia, vt ſubdi aut obedire regulæ
nolit.* Notanter dicit ſanctus Pater, *ſi tamen
talis fuerit eius contumacia*, &c. quia pœna eie-
Pœna eiectionis cui ſit infligenda.
ctionis non eſt infligenda, niſi contem-
ptori obedientię & cõtumaci. Verùm quo-
niam de ſacerdotibus in hoc capitulo à
ſancto Patre habitus eſt ſermo, pro ampli-
ori notitia eorum, quæ ad bonitatẽ ſacer-
dotis ſpectant, notandum, ꝙ prętereà, quę
à ſancto Patre dicta ſunt conuenire ſacer-
doti

Sacerdotis quinque proprietates. doti de humilitate, obedientia accõtinuo
profectu virtutum; sacerdos debet habere
aliquas proprietates. Et primò, sanctitatẽ
1. & puritatem munditiæ. Sunt enim ministri summi regis, & dispẽsatores ministeriorum Dei, & sacramentorũ, quibus animæ sanctificantur. Exo.19. Sacerdotes, qui
Psal. 100. accedunt ad Dominum, sanctificentur, nè
fortè percutiat eos. Et in Psal. Ambulans
in via immaculata, hic mihi ministrabat.
Exẽplum. Et Isa.52. Mundamini qui fertis vasa Domini. Vndè etiam apud gentiles, vt testatur
Plato, sacerdotes separati à populo viuebant, nè aliqua prophana cogitatione eo-
lib. 1. Epist. 42. rum castitas pollueretur. Vndè Gregor. in
registro: Nullus debet ad altare accedere,
nisi cuius castitas ante susceptum ministe-
2. rium fuerit approbata. Secundò debet
sacerdos habere sobrietatem, & virtutem
abstinentiæ. Hoc sequitur ad ieiuniũ, cùm
castitas filia sit sobrietatis, sicut luxuria intemperantiæ. Leui. 10. dixit Dominus ad
Aaron sacerdotem: Vinum & omne quod
inebriare potest, non bibetis tu & filij
3. tui, quandò intrabitis tabernaculũ. Tertiò debet habere sacerdos animum separatum ab affectu terrenorum. Hinc dicitur
Deut.18. Non habebunt sacerdotes & Leuitæ partem & hæreditatem cum reliquo
Num. 18. populo. vbi Glo. ait: In veteri & in nouo
testamento ministris altaris pręceptum est,
de oblationibus & decimis viuere: nec terrenis possessionibus acquirendis cõcessum
Epist. 2. est inhiare. Hierony. Negociatorem clericum, & ex inope diuitem, & ex ignobili
gloriosum, quasi quandã pestẽ fuge. Nemo
2. Tim. 2. militans Deo, implicat se negocijs secularibus.
4. Quartò, nulla debet esse macula criminis respersus. Leuit. 21. Qui habuerit
maculam, non offeret panes Deo suo. Item
ad Titum 1. Constitues per ciuitates pre-
Ord. in cap. 1. epist. ad Titum. sbyteros. Et sequitur: Si quis sine crimine
est. Glo. Augustini: Nõ dico, sine peccato,
Sine quali defectu esse debeat ordinandus. sed sine crimine, i. sine peccato criminali,
vel infamia criminali. Si dixisset, sine peccato, nullus in Ecclesia posset ordinari minister. Quintò debet esse sacerdos orna-
5. mentis virtutum decoratus. Si enim omnes
fideles tenẽtur abijcere opera tenebrarum
& induere arma lucis, ꝓut hortatur Apostolus Rom. 13. multò ampliùs sacerdotes,
qui sunt ministri Dei in Ecclesia. In cuius
Figura. figura non nisi induti mundis vestibus ministrant Domino in templo sancto suo.
Psal. 31. vndè Propheta: Sacerdotes eius induantur
lib. 5. Ethi. cap. 1. iustitia. Iustitia autem, vt ait Aristoteles,
vniuersalis virtus est. Et Hieron. Sacerdotes aut cæteris honestiores, aut sunt fabula. Verè magna, ait Chrysostomus super
Matthæum, abusio sacerdotum est, &
omnium clericorum, quandò laici inueniuntur fideliores eis & iustiores. Quomodò
non sit confusio esse illos inferiores laicis,
quos etiam æquales esse confusio est?

IN CAPVT LXIII.

TRACTATVS CXXXVII.

De ordine congregationis: vbì de cura singulari habenda circa nouitios.

O*Rdines* &c. Dato ordine in superioribus, de recipiendis, & promouendis personis in congregatione, conuenienter nunc sub- Sex mandata de ordine congregatiõis.
dit de toto congregationis corpore, quo
ordine disponendum sit. Et potest diuidi
hoc capitulũ in sex partes principales, secũ
dùm sex principalia mandata. Primum est, 1.
de ordine seruando per fratres, dicens sic:
Ordines suos in monasterio ità conseruent fratres, vt conuersionis tempus, & vita meritum discernit, vtq; Abbas constituerit. Sensus est: Fratres teneant
ordinem inter se sedendò, stando, & eundo, vt conuersionis, i. ingressûs religionis,
tempus, aut vitæ meritum, aut Abbatis dis- Tres modi quibus disponitur ordo inter fratres.
positio discernit. In quo loco sanctus pater tres modos innuere videtur, quibus ordo inter fratres potest disponi & variari.
Primò, secundùm tempus, in quo ad religi- 1.
onem monachus venit. Secundò, iuxta 2.
meritum vitæ & eminentiam sanctitatis,
quæ in monacho maximè consideranda &
attendenda est. Tertiò, secundùm quod 3.
ab Abbate constituitur pro aliqua necessitate aut vtilitate cõmuni: vt si aliquis bonus cantor sit, in ordine fratrum cantantium in choro alijs præferatur, licèt vitæ
merito alijs inferior sit: sicut pleniùs dictũ
est circa capitulum secundũ regulæ, & tractatum 10. huius operis. Verùm quia dixerat: *vtque Abbas constituerit.* Nè aliquid iniustè Abbas constituat, & ordinem iustitiæ subuertendo perturbet gregem sibi
creditum: subdit sanctus pater secundum II.
mandatum, in quo frenum temperantiæ
& discretionis imponitur Abbati, dicens:
Qui Abbas non conturbet gregem sibi commissum, nè quasi libera vtens potestate, iniustè disponat aliquid: sed cogitet semper, quia de omnibus iudicijs & operibus suis redditurus est Deo rationem. Vbì triplici Consideratio triplex abbatis habenda in ordine cõgregatiõis.
consideratione sanctus pater videtur voluisse Abbatem in hac parte reddidisse aduisatum. Primò, vt gregem suum non cõturbet, sed paci illius intendat & quieti:
quod fit maximè per obseruantiam iusti- 1.
tiæ, iuxta illud psal. Iustitia & pax oscula- Psal. 84.
tæ sunt. & illud prophetæ Isaiæ 32. Opus
iustitiæ pax. Secundò, vt potestate mode- 2.
rata, discretione iustitiæ, & sanctorũ patrum regulis temperata, vtatur: nè potestate libera vtens, iniustè aliquid disponat.
Quoniam, vt inquit Apostolus 2. Cor. 10.
pote-

potestas nobis data est in ædificatione, non
3. in destructione. Tertiò, vt Abbas semper cogitet, quia de omnibus Deo, cui omnia patent, rationem redditurus est in die iudicij: vbi illi dicetur Lucæ 16. Redde rationé villicationis tuæ. Meritò autem iste futuræ discussionis iudicialis timor debet Abbatem ipsum reddere aduisatum, vt omnia iustè disponat & peragat: quia, vt dicitur Sapientiæ sexto: Iudicium durissimum
III. in his, qui præsunt, fiet. Sequitur tertium, in quo specificat aliqua, in quibus ordo præfatus seruandus est: *Ergò secundùm ordines, quos constituerit, vel quos habuerint ipsi fratres, sic accedant ad pacem & communionem, ad psalmũ*, i. antiphonam psalmi, *imponendum, in choro standum. Et in omnibus omninò locis ætas*, scilicet natiuitatis, *non discernatur in ordine, nec præiudicet*, seniorë in ætate præferendo. & reddens causam, subdit: *Quia Samuel & Daniel pueri presbyteros iudicauerunt*. Samuel quidem iudicabat Israel cunctis diebus vitæ suæ, vt dicitur 1. Reg. 7. Daniel verò presbyteros duos antiquos legitur iudicasse, Danie. 13. Sequitur conclusio quædam ex præmissis: *Ergò exceptis his, quos, vt diximus, altiori consilio Abbas prætulerit*, i. propter vitæ meritum, vel vtilitatis aut necessitatis causa, *vel degradauerit*, i. à loco sibi debito suppresserit vel amouerit, *certis ex causis*, sicut cùm aliquis in pœnam à loco suo in choro cogitur descëdere & tenere vltimum locum: vt in choro pro grauioribus vel leuioribus culpis regulariter fit. *reliqui omnes vt conuersantur*, i. secundùm horam ingressus, *ita sint: vt, verbi gratia, qui secunda hora diei venerit in monasterium, iuniorem*, i. inferiorem siue minorem, *se nouerit illius esse, qui prima hora venerit diei, cuiuslibet ætatis aut dignitatis sit. Pueris verò per omnia ab omnibus disciplina teneatur*, i. imponatur. Ab omnibus inquam non absolutè, sed ab his qui disciplinati in se mores obseruant, & doctrina pollent religionis. Benè autem sanctus Pater imponit, quòd pueri per omnia ab omnib⁹ disciplina teneantur: quia pueriliś ætas cùm infirma sit, multorũ eget auxilijs. Consequenter ponitur
IIII. quartum mandatum de honore ab inferioribus superioribus, & amore à superioribus inferioribus exhibendo, cùm dicit: *Iuniores ergò priores suos honorent. Priores iuniores suos diligant*. Qualis autem sit honor, & quibus impendendus superioribus ab inferioribus, & amor paternus exhibendus inferioribus à superioribus, suprà plenè diximus circa instrumenta 68. & 69. Sequitur: *In ipsa autem appellatione nominum nulli liceat aliũ proprio nomine appellare*, vt putà Petrus, Ioannes, Nicolaus, &c. *sed priores, iuniores suos fratres nominent*, Christi saluatoris nostri exemplo, qui discipulos suos fratres appellabat. Vnde Ioannis 20. inquit Mariæ Magdalenæ: Vade ad fratres meos. Prætereà benè iussit sanctus pater iuniores monachos per priores, fratres appellandos: quia omnes vno fonte baptismatis renati, vno spiritu sanctificati, ex vna matre Ecclesia editi, vno professionis vinculo copulati, & ad vnam vocationis suæ coronam adspirãtes. *Iuniores autem, priores suos domnos*, i. patres, *vocent, quod intelligitur paterna reuerentia*. Sequitur: *Abbas autem, quia vices Christi creditur agere, domnus & Abbas*, id est, pater, *vocetur, non sua assumptione*, i. præsumptione, non vsurpatione vel præsumptione se sic faciat appellari, *sed honore & amore Christi*, id est, propter honorem & amorem Christi, cuius scilicet, vt dictum est, vices creditur agere in monasterio, abbas vel domnus vocetur. Quia verò, vt ait beatus Isidorus, nullus debet hominis ducatum suscipere, qui nescit subiectis tramite melioris vitæ præire: subdit sanctus pater, *Ipse autem cogitet, & sic se exhibeat*, virtuosis moribus & religiosæ conuersationis exemplo, ac sanctorum laborum studijs, *vt dignus sit tali honore*. Indignum enim est, vt ait Bernardus super Cantica, vt exigas honorem, vndè refugis laborem. Sequitur quintum mandatum: V.
Vbicunque autem sibi obuiant fratres, iunior à priore benedictionem petat, dicendo humiliter & modestè: Benedicite pater. quod tamen faciendum est in locis tantùm & horis, in quibus loqui regulariter licitum est. Quandò verò obuiatio ista contingit locis, aut temporibus, quibus loqui non licet, tunc sola capitis inclinatione, petenda est benedictio. Sequitur: *Transeunte maiore, minor surgat, & det ei locu sedendi*. Sensus est: Transeunte maiore, debet iunior præuenire eum in assurgendo, & volenti sedere, reuerenter dare locum sedendi. Sequitur: *Nec præsumat iunior consedere, nisi ei præcipiat senior suus: vt fiat quod scriptum est, Honore inuicem præuenientes*. Adimpletur planè quod ait Apostolus: Honore inuicem præuenientes, scilicet cùm iuniores maioribus reuerenter assurgunt, locumque eis sedendi tribuunt: Ipsi maiores iuniores dulciter alloquëtes, ipsos inuitant ad consedendum, ac paterna quadam beneuolentia eos ante se stare
non patiuntur. Sequitur sextum mandatum, de disciplina nouitiorum: *Pueri paruuli, vel adolescentes in oratorio, vel ad mensas cum disciplina ordines suos* id est, loca sua, *consequantur. Foris autem, vel vbicunque, custodiam habeant & disciplinam*, s. seniorum siue magistrorum sibi deputatorum, *quousque ad intelligibilem ætatem* i. discretionis *perueniant*. In qua nec custodia, nec disciplina magistri indigere creduntur, & cum securitate maiorũ possint aggregari collegio. Circa hanc partem, vbi ità accurate sanctus pater de disciplina puerorum siue nouitiorum man- VI.

Aliqua, circa quę ordo seruandus est.

Pueris ab omnibus imponëda est disciplina.

Religiosi cur rectè fratres inuicèm appellentur.

Abbas quę vocandus.

li. 3. de summo bono. cap. 24.

Quò sit petenda benedictio in mutuo fratrum occursu.

Rom. 12.

datum tribuit, notandum est pro ampliori doctrina huius mandati, quòd qui cõgregationi præest, maximam diligentiam circa nouitios debet habere, cùm sint nouellæ plantulæ religionis, & futura membra ipsius monasterij. Debet autẽ se matrẽ exhibere, benignitatẽ ostendendo, vt eum non refugiant, sed ad eum tanquàm ad sinum matris recurrant. Si verò negocijs occupatus, non potest eis intendere, nutricẽ debet eis assignare, fratrem scilicet aliquẽ discretum, maturum, benignum, qui eos custodiat, munditiæ eorum intendat, cibo spirituali frequenter eos pascat, imbecillitatem eorum sustentet, necessaria eis ministret.

Quomodò se habere debeat magister nouitiorum in eorũ cura.

Habenda est ergò diligentia circa nouitios, tanquàm circa paruulos. Primò, eos custodiendo. Custodiendi sunt à periculis, igne, aqua, fouea. Monẽdi sunt ad patientiam, contra mala pœnæ, nè igne iræ bona spiritualia amittant: quia qui impatiens est, sustinebit damnum, Prouerb. 19. Monendi etiam sunt ad temperantiam, nè in aquam voluptatis se immergãt. Vult enim Pharao, id est, diabolus, paruulos in flumen proijci, Exo. 1. Item monẽdi sunt, vt à fouea illa caueant, in qua toties lapsi. Ecclesiastici 14. Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo. Prætereà secundò, magister nouitiorum debet intẽdere munditiæ eorum. Et quia, vt dicit beatus Bernardus, vbi confessio, ibi munditia, ibi pulchritudo & decor: de modo confessionis diligenter sunt instruendi: ante professionem confessiones eorum debent recipi: ad frequenter confitendum sunt monendi, vt omni tempore sint candida spiritualia eorum vestimenta. Circa nouitios maximè in principio intendendũ est peccatis amouendis, nè feratur super spinas. Ieremiæ 4. Nolite serere super spinas. Spinæ sunt peccata, quæ pungendo mentem cruciant, crescendo cum segete bonorum operum eam suffocant, incendio infernali materiam ministrant. Primò facienda est generaliter amotio spinarum istarum. Et quia posteà iterùm crescunt, nõ est negligenda illarum extirpatio. Vnica enim spina mortalis peccati, segetem bonorũ operum destruit. Prouerb. 24. Transiui per agrum hominis pigri, & per vineam viri stulti: Et eccè totum repleuerant vrticæ, operuerant superficiem eius spinæ. Tertiò, nouitijs spiritualis cibus frequẽter est ministrandus, quo & nutriantur & augeantur: quod insinuatur Ioannis vltimo, vbi Saluator dixit bis Petro: Pasce agnos meos. Tria genera hominum nõ possunt diù esse sine sumptione cibi, quin grauentur, scilicet paruuli pueri, conualescentes à graui infirmitate, & itinerantes. Quasi paruuli pueri sunt nouitij, qui nondũ per annum vitam religiosam duxerunt, quibus multùm cauendum est, nè cibi spiritualis defectum patiantur. De quo defectu in multis dolendum est & plangẽdum, iuxta illud Thren. 4. Paruuli petiẽrunt panem, & non erat qui frangeret eis. Ipsi laborauerunt, non vna graui infirmitate solùm, sed multis. Ideò necessè est eos frequenter refici, vt vires resumant. Act. 9. Cùm accepisset cibum, confortatus est. Ipsi viam longam, & grauem viam, s. in cælum, quæ valde ardua est, aggressi sunt: ideò reficiendi sunt frequenter, nè in ea deficiant. Marci 8. Si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via. Nouitiorum tanquàm paruulorum imbecillitatem debet, qui eos regit, supportare, defectus eorum patienter sustinendo, in tentationibus eorum eos consolando, adiutoriũ diuinæ gratiæ orationibus suis eis impetrando. Rom. 15. Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. Isaiæ 40. Congregabit agnos, & in sinu suo leuabit. Status nouitiorum est tractabilior, sicut virga trabe est flexibilior. Ideò directioni eorum cura multa est adhibenda. Quarè curandum est, vt tempore nouitiatus in psalmodia, & diuino officio, & in regula statuq; ordinis, secundùm quæ necesse habent viuere, diligenter imbuantur. Nouitij quippe non sunt leuiter ad professionem recipiendi. Leuiter recipiuntur, cùm de moribus eorũ ante professionem experiẽtia nõ habetur, vel cùm ea, ad quæ in professione se obligant, eis ante professionem non exponuntur, sicut circa capitulum 58. regulæ, vbi de disciplina suscipiendorum fratrum habitum est, plenius est expositum.

A quibus custodiendi sunt nouitij.

Ad tria monendi sunt nouitij.

Epist. 113.

Nouitij vt sint in modo confessionis diligẽter instruendi.

Spinę cur peccata dicantur.

Nouitij quasi paruuli pueri.

Cur illis spiritualis cibus frequẽter ministrandus.

Sufferendi sunt nouitij.

Nõ sunt leuiter ad professionẽ recipiendi.

IN CAPVT LXSSSS.

TRACTATVS CXXXVIII.

De ordinatione Abbatis, & qualitate ipsius ordinandi.

IN *Abbatis ordinatione* &c. Cõstituto ordine congregationis in superioribus, nunc subdit de ordinatione capitis ipsius congregationis, scilicet ipsius Abbatis. Quod capitulum in duas principales potest diuidi partes. In prima agit de ipsa electione, in secũda de qualitate ipsius electi. Circa primam partem tres ponit electionum differentias.

Tres electionum differentiæ.

Prima est, si tota congregatio in timore Domini concors fuerit in eligendo. 1.
Secunda, si parua pars congregationis, meliori tamen consilio freta, eligeret aliquem. 2.
Tertia, si tota congregatio peruersa intẽtione corrupta, aliquem elegerit. 3.
Primam approbat & secundam, tertiam verò reprobat. Et nè talis electio

electio habeat locum, possibilia remedia inducit. De prima dicit sic: *In abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, vt hic constituatur, quem sibi omnis cohors congregationis secundum Dei timorem.* Vndè in cap. Abbatem. 18. q.2. Gregorius: Abbatem cuilibet monasterio non alium, sed quem dignũ moribus atq; actibus monasticæ disciplinæ cõmuni consensu congregatio poposcerit, ordinari volumus. De secunda dicit sic: *siue etiam pars quãuis parua congregationis, saniori cõsilio, elegerit.* Dicit autem, *quamuis parua,* quia non semper standum est numero maiori, vt in cap. Ecclesia. de electione, sed saniori parti, quæ etiam eo maior dicitur, quo sanior. Maior autem secundùm hoc & sanior dicitur, quæ meliori zelo, & maiore pietate mouetur. 40. dist. in fine, & 9. dist. sana quippe. Sequitur: *Vita autem merito, & sapientia doctrina eligatur, qui ordinandus est.* Is etiam duobus pollere debet, qui ordinandus est in Abbatem siue Prælatum, videlicet vita & doctrina. Vita, ad exemplum conuersationis: doctrina, ad notitiam veritatis. Bernar. Hæc sunt, quæ pastori cõueniũt, bonitas, disciplina, scientia: bonitas trahit, disciplina corripit, scientia pascit: bonitas amabilem, disciplina imitabilem, scientia docilem reddit. Sequitur: *etiã si vltimus fuerit in ordine congregationis.* In electione nanque non prioritas cõuersationis, nec senectus consideranda est, sed potissimè bonitas vitæ, etiam si vltimus in ordine congregationis sit. Vndè in capitulo illo, Abbatem. 18. q. 2. dicit Papa Pelagius: Abbatem in monasterio illũ volumus ordinari, quem sibi de sua congregatione & monachorum electio, & (quod magis obseruandum est) ordo vitæ, ac meritũ poposcerit ordinari. Sequitur de tertio genere electionis: *Quòd si etiam omnis congregatio vitijs suis (quod quidẽ absit) consentientẽ personam pari consilio elegerit, & vitia ipsa aliquatenus in notitiã peruenerint Episcopi, ad cuius diœcesim pertinet locus ipse, vel abbatibus, aut Christianis vicinis claruerint, prohibeãt prauorum præualere consensum, & domui Dei dignum constituant dispensatorem.* Tria nominat genera hominum, ad quos recurrendum est, vt præfatæ impietatis colligationes locum nõ habeant, sed penitùs dissoluantur. Primũ

1. est, Episcopus diœcesanus, ad quem iure communi pertinet disciplina monasteriorum, quæ in eius territorio sunt constituta: vt in Cõcilio Aurelianẽsi placuit, in ca.
2. Abbates. 18. q. 2. Secundũ est, Abbates propinqui, quorum cõclusione & directione agenda sunt omnia, vt disciplina regula-
3. ris maneat inuiolata. Tertium est, fideles vicini, vt auxilientur, potestate etiam brachij secularis, si opus fuerit, iuxta capitulum Princeps. 23. q. 5. De istis tribus synodus Triburiensis loquitur, vt in cap. Si

In electiõe quæ pars maior dicatur.

Prælato q̃ conueniãt.

Ad tria hominum genera recurrendum, nè præualeat prauorum cõsensus in Abbatis electione.

quis abbas. 18. q. 2. Si quis abbas cautus in regimine, humilis, castus, misericors, discretus, sobriusque non fuerit, ac diuina præcepta verbis & exemplis non ostenderit, ab episcopo vicino, in cuius territorio consistit, & à vicinis abbatibus, & cæteris Deum timentibus, à suo arceatur honore, etiam si omnis congregatio, vitijs suis consentiens, Abbatem eum habere voluerit. Sequitur remuneratio opponentiũ se vitiosæ electioni, & cooperantium electioni boni abbatis: *scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud castè, i. sanctè, & zelo Dei faciant, sicut è diuersò peccatum, si negligant.* Quoniam, vt dicitur in capitulo Error. 83. dist. Error, cui non resistitur, approbatur. Negligere quippe, cùm possis perturbare peruersos, nihil aliud est quàm fouere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Gregorius in c. Consentire. eadem dist. ait: Consentire videtur erranti, qui ad resecanda, quæ corrigi debent, nõ occurrit. Sequitur secunda pars capituli principalis, in qua, postquàm ostendit, qualiter instituendus sit Abbas, docet qualis esse debeat: *Ordinatus autem Abbas cogitet semper onus quale susceperit,* i. quàm difficile sit & periculosum, cũ animarum curam suscipiat. Gregorius Nazãzenus: Mihi videtur ars artium, & disciplina disciplinarum, hominem regere vel tenere; quia certè inter omnia animãtia maximè & moribus varius & volũtate diuersus est. Et Chrysostomus: Summa potestas nunquàm sine timore periculi est. *& cui redditurus est rationem villicationis suæ,* i. dispensationis, gubernationis, & administrationis suæ: quia scilicet Deo districto iudici, quem pro sua infinita sapientia nihil latère potest, & qui pro sua inflexibili iustitia nihil impunitum relinquit. Vbi aduertendum est id, quod beatus August. lib. de duodecim gradibus abusionum dicit: Sciat rex, quòd sicut in throno hominum locum habet primum: ità nisi in iustitia primatum habeat, primatum est in supplicijs habiturus. *Sciatq; sibi oportere prodesse magis quàm præesse.* Gregor. in Moralibus: Sancti viri non præesse gaudent hominibus, sed prodesse. Et Innocentius in sermone: Prælatus bonus magis vult, pdesse quàm præesse, ità vt potestas ei magis fiat oneri, quàm honori. *Oportet enim eum,* i. abbatẽ, *doctum esse lege diuina.* Abbas enim, qui aliorũ cõstituitur magister, pastor & doctor, necessariò debet esse doctus in lege diuina. Quomodo in pastura diuinorũ eloquiorum educet greges Dominicos pastor idiota? inquit Bernard. & Chrysost. Multo consilio & prudentia opus est pastori, & mille, vt dicitur, oculis, ad speculandum vndiq; habitudinem earũ, quas gubernat, animarũ.

Meritum opponentium se vitiosæ electioni, & peccatum eis se non opponentium.

Abbas qualis esse debeat.

Difficultas regendi animas.

in Apolo. 1.

Hom. 30. in ope. imper.

Gradu 9.

lib. 24. c. 11.

Abbas doctus esse debet.

Sermo. 76. in Cant.

lib. 2. de sacerdotio.

Vndè Sapien. 6. Diligite lumen sapientiæ omnes qui præestis populis. Grauissimum quippe, resq; magni periculi, vt ait Bern. est, vt qui docendi sunt, rectores & doctores non erubescant videri: nec metuāt ducatum animarum imprudenter assumere, quibus via est omnis ducatus ignota, & quò vel ipsi gradiantur ignari sunt. Quantæ autem doctrinæ & scientiæ debeat esse Abbas, subiungit, dicens: *Vt sciat & sit* scilicet possidens tantam sapientiam, *vndè proferat noua & vetera*, id est, testimonia doctrinæ suæ, tam nouæ quàm veteris legis. Matt. 13. Omnis scriba doctus in regno cælorū, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Greg. in Glo. Ille in sancta Ecclesia doctus prædicator est, qui noua scit proferre de suauitate regni, & vetusta dicere de terrore supplicij, vt vel pœnæ deterreant, quos præmia non inuitant. Verùm quia Abbas non tantùm verbo doctrinæ debet pascere gregem suum, sed etiam sanctæ conuersationis exemplo: subdit sanctus Pater de ornatu virtutum, quibus Abbas adornandus est: *Castum*, scilicet oportet eum esse. Gregorius: Rector semper cogitatione sit mundus, quatenùs nulla hunc immunditia polluat, qui hoc suscipit officij, vt in alienis quoquè cordibus pollutionis maculas tergat. Isaiæ 52. Mundamini qui fertis vasa Domini. *sobrium*, id est, temperatum, scilicet tam in cibo quàm in potu, & in verbo. 2. Tim. 4. Ministerium tuum imple: sobrius esto. Glo. i. in omnibus modum serua, *misericordem*. Bernardus super cātica: Discite Prælati, discipulorum subditorum matres vos esse debere, non dominos Ideò studete magis amari, quàm metui. Et si interdùm seueritate est opùs, paterna sit, non tyrannica. Matres fouendo, patres vos corripiendo exhibeatis. *& semper superexaltet*, i. præponat, *misericordia iudicium*, i. vindictæ & pœnæ. Vndè enim beatus Ioan. Chrysosto. Melius est propter misericordiam dare rationem, quàm propter crudelitatem frangere pœnitentem. Si Deus, vt legimus, & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia: vt dicitur Iohelis 2. vt quid minister eius austerus est? Sequitur: *vt idē ipse consequatur*. Matt. 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et Iac. 2. Iudicium sine misericordia ei, qui non facit misericordiam. Sequitur: *Oderit vitia, diligat fratres*. Planè, vt dicit Hugo de sancto Victore, est odium sanctum, quo crimina odiuntur, non homines. Augu. Qui secundùm Deum viuit, debet habere perfectum odium ad mala, vt nec propter vitium oderit hominē: licèt oderit vitium, amet hominē. Sequitur: *In ipsa autem correctione prudēter agat, & nè quid nimis: nè, dum nimis cupit eradere aruginē, frāgatur vas*. Greg. in Mor. Sæpè subditos frangimus, dum plus iusto vigorē tenemus. Qui profectò iā vigor iustitiæ non erit, si se sub iusto moderamine non custodit. Et Isidorus de Prælatis qui in correctione prudentiā non obseruant, dicit: Qui nescientes vim discretionis, per rabiem furoris disciplinæ modum ad immanitatē crudelitatis cōuertunt: & vndè emēdare subditos poterāt, indè potiùs vulnerant. Hinc B. Greg. in Moral. dicit: Disciplina vel misericordia multū destituitur, si vna sine altera teneatur. Sed circa subditos suos inesse debet rectoribus, & iustè cōsolans misericordia, & piè sæuiēs disciplina. Miscenda est enim lenitas cū seueritate. Faciendū est ex vtroq; quoddā temperamentum, vt nec multa asperitate exulcerētur subditi, nec nimia benignitate soluantur. Hoc nimirū arca signabat, in qua cum tabulis virga simul & manna fuit: quia cùm scripturæ scientia est in boni rectoris pectore, sacræ virga districtionis sit, & manna dulcedinis. Hinc Dauid ait: Virga tua & baculus tuus ipsa me cōsolata sunt. Virga percutimur, & baculo sustentamur. Si ergò est discretio virgæ, quæ feriat: sit etiam consolatio baculi, qui sustentet. Sit itaq; amor, sed non emolliēs: sit rigor, sed non exasperans: sit zelus, sed nō immoderatè sæuiēs: sit pietas, sed nō plusq̄ expediat, parcens. Et quoniā, vt ait Greg. in registro: Prima virtus in Prælatis est cognitio suæ infirmitatis. subdit S. Pater: *Suamq́ Abbas fragilitatem semper suspectus sit*, i. attentè cōsideret. Et hoc ideò, quia memoria propriæ fragilitatis aliorum defectus modestiùs corrigit, & patientiùs tolerari possunt. Gregorius in Moralib. Nos, inquit, qui infirmi homines sumus, cùm de Deo hominibus loquimur, debemus primò meminisse, quod sumus, vt ex propria infirmitate pēsemus, quo docēdi ordine infirmis fratribus cōsulamus. Sequitur: *memineritq́ calamum quassatū*, i. fragilē incuruatū ac flexū, *nō conterendū*, supple esse. Hoc scriptum est de propheta Isa. qui de Domino cap. 42. ait: Calamum quassatum non conteret. Glo. quia misericors est peccatoribus. Dicit ergò sanctus Pater: Meminerit Abbas eius quod de Christo Saluatore nostro scribitur, & imitator illius, fragiles fratres non conterat, non in desperationem deducat, sed piè supportet: nō despiciat, nō omninò relinquat, sed misericorditer toleret, ad pœnitentiam dulciter inuitando. Verùm quia in verbis supradictis videtur sanctus Pater multū ad misericordiam in correctionibus obseruandā declināsse, nè fortè Abbas malè illa intelligēs, indiscretè & vltra id quod expedit, correctionis virga remissiùs

vtere-

Quanta scientia in Abbate requiratur.

Homil. 11. in Euang.

Doctus prædicator qui in Ecclesia.

Abbas quibus virtutibus debeat esse ornatus.

par. 2. curæ past. cap. 2.

Interlin.

Serm. 23.

hom. 41. in op. imperf.

Odiū sanctum.

lib. 20. c. 2.

Rigor indiscretus quātum mali efficiat.

lib. 3. de sum. bono, cap. 40.

lib. 20. ca. 6.

Figura de rigore & lenitate simul habendis.

Heb. 9.

Psal. 22.

Prima virtus Prælati quæ.

lib. 23. c. 24.

Interlin.

vteretur, subiungit mentem suam, dicens: *In quibus*, scilicet verbis iam dictis circa correctionẽ cũ multa misericordia & cõpassione faciendã, *nõ dicimus, vt permittat*, s. Abbas, *nutriri vitia, sed prudenter & cum charitate ea amputet, prout viderit cuique expedire, sicut iam diximus*. Sensus est: Licet dixerimus, vt Abbas in correctione vitiorum fratrum suorum misericorditer se habeat, non tamen dicimus, quòd ità remissè ac misericorditer se habeat, vt vitia nutriri permittat. sicut enim, teste Chrysostomo, Iustitia sine misericordia, non est iustitia, sed crudelitas: ita misericordia sine iustitia, non est misericordia, sed fatuitas. Sed hoc dicimus, hoc exhortamur, & hoc authoritate nostra firmamus, vt prudẽter & cũ charitate Abbas vitia amputet, vt viderit cuiq; expedire, i. congruere. Cui amorem viderit expedire, exhibeat amorẽ: cui verò timorẽ, timorẽ: cui flagellũ, flagellũ: quia nõ omnia omnib' cõgruunt, nam vt ait beatus Gregor. Vndè vnus meretur, alter moritur. Sequitur: *studeat plùs amari quàm timeri*. Isidorus: Talem te redde subditis, vt magis ameris, quàm timearis. Reuerentia enim ex amore procedit, odium timor affert. Sequitur: *Non sit turbulentus*. Turbulentus dicitur, qui semper incedit quasi iratus seu ira commotus. Gregorius: Is qui præest, ea se circa subditos mensura moderetur, quatenùs & arridens timeri debeat, & iratus amari: vt eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata seueritas odiosum, *& anxius*, id est, inquietus, cuiusmodi est, qui cupit vno tempore multa & diuersa complecti. *non sit nimius & obstinatus*, ità scilicet de proprio sensu cõfidens, vt per aliorum consilium nihil agere curet, sed irreuocabiliter omnia secundùm libitum sibi obtemperare desideret. *non sit zelotypus*, id est, ardens, importunus inquisitor & perscrutator curiosus vitæ aliorum, *& nimus suspiciosus*, suspicando faciliter de fratribus suis mala. Maximũ quidem humanitatis vitium est suspicio, quæ aliter putat, quàm sit veritas: vt de malis bona, & de bonis mala, ait Glo. super psal. 118. Vndè dicitur in capitulo Oues. 6. q. 1. Fidelis homo non de facili debet venire in suspicionem. Rationem subdens sanctus Pater, propter quam Abbas nec zelotypus, nec nimis suspiciosus esse debet dicit, *quia* supple talis, *nunquàm requiescit*, semper est in motu, priuatus omni quiete & pace animi. Sequitur: *In ipsis imperijs suis sit prouidus & cõsideratus*, vt scilicet cõsideret quid iniungit, & cui iniũgit. Et siue opus quod iniũgit, sit *secundùm Deũ*, id est, spirituale, *siue secundùm seculum sit*, i. temporale. Non enim omnia iniungenda sunt. Vndè sequitur: *Opera quæ iniungit, discernat & temperet, cogitans discretionem sancti Iacob, dicentis: Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti vna die. Hæc ergò aliaq; testimonia discretionis matris virtutum sumens, sic omnia temperet, vt & fortes sint*, supple, ad opus, *qui cupiant, & infirmi non refugiant*. Sensus est: Abbas sic temperet & disponat hoc, quod iniungit, quod præcipit, aut instituit, vt tale sit, quod fortes cupiant adimplere, & infirmi illud non refugiãt. Benè dicit sanctus Pater, quòd Abbas debeat omnia temperare: verùm temperantia ista experientiam requirit. Sicut enim vinum non benè temperatur, nisi prægustatione virtus eius agnoscatur: sic Abbas non valet benè temperare, nisi experiatur ipse ea, quæ præcipit, & alijs iniungit facienda. Vndè Abbates, qui cum conuentu nunquàm comedunt, vel officium diuinum dicunt, aut in dormitorio iacẽt, onus & pondus, quod conuentus sustinet, temperare nesciunt. Vndè non exhibent se Patres vel Prælatos, sed potiùs exactores Pharaonis, qui à populo Dei consuetum numerum laterum exigebant, & tamen paleas, vt consuetum erat, ministrare eis nolebant: sic tales Prælati etiam extra regulam fratres onerant, & tamen eis necessaria sæpè non ministrant. Tales sunt imitatores Balaan, non parcentis asinæ: sed eam cædentis vsque ad querimoniam, Numer. 22. Istam autem congregationẽ fratrum, quæ vt iumentum apud eos facta, adeò stimulant, vt eam murmurare compellant. Isti sunt similes hypocritis Pharisæis, de quibus Dominus ait Matthæi 23. Alligãt enim onera grauia & importabilia, & imponũt in humeros hominum, digito autem suo nolũt ea mouere. Sequitur: *Et præcipuè*, supple, sic omnia temperet, *vt præsentem regulam in omnibus conseruet, vt dum benè ministrauerit, audiat à Domino, quod* dictum est *seruus bonus, qui erogauit triticum conseruis suis in tempore suo. Amen dico vobis, ait, super omnia bona sua constituet eum*, Matthæi vigesimoquarto. Glo. interlin. Non vt soli, sed vt præ cæteris habeant æterna gaudia vel præmia, tum pro sua vita, tum pro gregis custodia. De qualitate Abbatis, plurima circa secundum capitulum regulæ, diffusè diximus, quarè hunc locum sub breuitate transcurrimus. Est primò aduertendũ, quòd ex hoc loco apertissimè colligitur, falsam esse opinionẽ dicentium Abbatẽ ad obseruantiã regulæ nõ teneri. Debet ergò sic Abbas omnia tẽperare in se, & in alijs, vt regulam ipsam obseruet, & ab alijs faciat obseruari. Vndè Bernardus in libro de præcepto & dispensatione: Lego profectò in regula, In omnibus omnes magistram sequãtur regulã, nec ab ea temerè deuietur à quoquã: ergò nec ab ipso Abbate. Omnes, inquit, magistram

Hom. 46. in op. imp.

Non omnibus expedit idẽ modus correctiõis.

Turbulẽtus quis sit.

lib. 20. mor. cap. 2.

Anxius quis sit.

Maximum malum suspicio.

ordin. lit. Vau.

Discretio in iniugendo adhibenda.

Gene. 33.

Temperantia, experientiam requirit.

Vide cõtra quosdã Prælatos hodiè potissimè.

Exod. 5.

Abbas tenetur ad regulæ obseruãtiam.

circa initiũ.

ſequantur regulam: nemo igitur ſuam voluntatem. Vbi ſanè neque Abbatem excipi puto. Secundò aduertendũ eſt, quòd ſanctus Pater dicit, regulam non in parte ſolùm, ſed in omnibus ſeruandam: cõtra eos, qui non integrè ſeruãt regulam profeſsionis ſuæ, ſed partem. Iſti ſunt primò ſimiles Samaritanis, qui partim colebant Deũ, partim idola. 4. Regum 17. Fuerunt igitur gen

Regula in omnibus ſeruanda.

Regulã integrè nõ ſeruantes, quibus ſint ſimiles.

1. tes iſtæ timentes quidem Deum, & nihilo-
2. minùs & idolis ſeruientes. Item ſunt qui induuntur veſte lanea, aſperitatis partim, & lino mollitiei ſecularis partim contexta. Contra quos dicitur Deuteronomij 22. Non indueris veſtimento, quod ex lana li-
3. nóque contextum eſt. Iſti ſunt qui ſequuntur Dominum claudicãdo, cùm partim incedunt rectè in mandatis ſibi traditis, partim declinant ab eis. Contra quos dicit Helias, 3. Regum 18. Vſquequò claudicatis in
4. duas partes? Sunt iterùm ſicut adultera, quæ licèt à viro non recedat omninò, tamen iuxta eum recipit adulterum. Ità & iſti iuxta DEVM, cui adhærent ſeruando quædam mandata, recipiunt diabolum, alia ad eius inſtinctum tranſgrediendo. Iſaiæ 57. Iuxta me diſcooperuiſti, & ſuſ-
5. cepiſti adulterum. Sunt iterùm ſicut pica, quæ partim eſt alba, & partìm nigra: & iſti partim boni, quantùm ad ea, quæ ſeruant, & partìm mali, quantùm ad ea, quæ nõ ſeruãt. Quod obſtupeſcens Dominus dicit per Iere. 12. Nunquid auis diſcolor, hæreditas mea mihi? Sciendum autè, quòd ex huiuſmodi partiali ordinis trãſgreſſione ſequũtur mala multa. Tales enim ſunt, ſicut vas

Multa mala diminutam regulæ obſeruantiam conſequuntur.

1. perforatum. Et ideò bona alia, quæ faciũt, per partem religionis, quam frangũt, amittunt. Eccleſiaſt. 9. Et qui in vno peccauerit, multa bona perdet. Exemplum in vita ſanctorũ Patrũ de quodã, qui viſus eſt haurire aquã de puteo, & ponere in lapide per-

Exemplũ.

2. forato, & indè tota exibat. Item tales ità rei ſunt omniũ, ſicut ſi nihil ſeruarent. Iaco. 2. Qui in vno offenderit, factus eſt omnium reus. Exemplum: Dicitur, quòd quidã miles inuenit quendam ſtultum monachum, qui amore vxoris ſuæ fecerat veſtem quandam, quæ partìm erat religioſa partim ſecularis, in quodam loco ſuſpecto, & capiẽs eum, dixit: Domine monache, ex parte iſta, quæ eſt religioſa, non audeo vos tangere: ſed ex alia parte tãtùm verberauit eũ quòd mortuus eſt, ità àc ſi per totum verberâſſet eum. Non eſt autem dubium, quin ſimiliter homines huiuſmodi Deus cõdemnet, àc ſi totam profeſſionem ſuam tranſgrederen-

Exemplum aliud iocoſum, ſed notabile.

3. tur. Item tales ſunt ità deturpati, ſicut nuncij Dauid, quãdò raſa fuit barba eorũ dimidia, & veſtes mediç prçciſç vſq; ad nates. Et ideò nõ fuerũt digni ſtare in cõſpectu veri Dauid. Et ideò dicitur eis: Manete in Hiericho, donèc creſcat barba veſtra, 2. Re. 10.

Item per fracturam religionis ingrediũtur hoſtes. Iob 30. Quaſi rupto muro, & aperta ianua irruerunt ſuper me. Quomodò poſſunt ſe excuſare de proditione peſſima illi, qui exiſtentes intra religionẽ, faciũt hoſtibus huiuſmodi aperturã? Item tales omnia 4.

debent quæ promiſerunt: & ideò, ſi partìm reddant, & non totum, non euadunt tortores. Matth. 18. Iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quouſq; redderet vniuerſum debitum. Quia ergò indecẽs eſt, ſemiplenè ſeruare religionem, & tot mala indè ſequuntur, dicit vir ſanctus, vt Abbas præſentem regulam in omnibus ſeruet, & ab alijs obſeruari faciat. 5. *Figura.*

TRACTATVS CXXXIX.

In quo, circa diſpenſationem regulæ, mouentur & ſoluuntur octo dubia.

QVoniam beatus Benedictus in præſenti capitulo regulæ præcipit, vt Abbas omnia temperare habeat, vt fortes adimplere cupiant, quod faciendum impoſuerit, & infirmi illud non refugiant: & cùm diſpenſatio, quædam relaxatio iuris ſit, ſiue temperamentum rigoris legis, duximus hoc in loco, præter ea quæ notata ſunt circa cap. 39. regulæ, de diſpenſatione, pro ampliori doctrina diſcipuli, aliquid loqui. Vbi pro maiori intellectu capituli, octo declarabimus dubia. Primò quæritur, vtrũ in regula ſancti Benedicti poſsit fieri diſpenſatio? Reſpondetur quòd ſic. Vndè beatus Bern. lib. de præcepto & diſpenſatione, loquẽdo de ſtatutis regulç, ſic dicit: Ità ſanè neceſſaria dixerim, vt ex eis minimè præiudicetur neceſſarijs, rationabilibusq; diſpenſationibus. Pro quo notãdum, iuxta eundem Bernardum in eodem libro, quòd eſt quoddã mandatum, in quo non diſpenſatur nec à Deo, nec ab homine: vt eſt mãdatum de diligendo Deum, & ſimilia merè ſpiritualia. Hoc appellat Bernard⁹ incõmutabile, quia ità diuina cõſtat & æterna ratione firmatũ, vt nulla ex cauſa poſsit, vel ab ipſo Deo aliquatenùs immutari. Sub hoc genere eſt oĩs illa ſermonis Dominici in mõte habiti ſpecialis traditio, & quicquid de dilectiõe, humilitate, mãſuetudine, cæteriſq; virtutibus tã in nouo, quàm in veteri teſtamento ſpecialiter obſeruãdũ contraditur. Hçc quippe talia ſunt, quæ nec liceat, nec expediat aliquandò non haberi. Eo ſiquidem immobiliter, quo & naturaliter bona, nunquàm niſi innocenter, nunquàm niſi ſalubriter aut imperãtur, aut obſeruãtur: omni tempore, omni perſonæ mortẽ, cõtemptai cuſtodita, ſalutem operantur. Aliud eſt manda-

Octo dubia de diſpenſatione regulæ.

Vtrùm in regula S. Benedicti poſſit fieri diſpẽſatio. circa initiũ.

Ibidèm.

Mandatum indiſpenſabile omninò.

mandatum quod dispensatur à Deo, non ab homine. Hoc vocat beatus Bernardus mandatum inuiolabile, quod non ab homine traditum, sed diuinitùs promulgatum, quod nisi à Deo, qui tradidit, mutari omninò non patitur: vt, exempli causa, Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, & reliqua illius tabulæ legiscita, quæ etsi nullam prorsus humanam dispensationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquo modo soluere aut licuit, aut licebit: Deus tamen horum quod voluit, & quandò voluit, soluit: siue cùm ab Hebræis Aegyptios spoliauit, siue quandò Prophetã cum muliere fornicaria commisceri præcepit. Quorum vtique alterum quid nisi graue furti facinus, alterum quid nisi flagitij turpitudo reputaretur, si non excusasset vtrunq; factû authoritas imperantis? potest intelligi illud quod de istis Papa Vrbanus in cap. Sunt quidã. 25. q. 1. dicit: Vbi apertè Dominus, vel eius Apostoli, & eos sequẽtes sancti Patres, sententialiter aliquid definierũt, ibi nõ nouã legẽ romanus Põtifex dare, sed potiùs, quod prædicatum est, vsq; ad animã & sanguinem cõfirmare debet. Aliud est mandatũ in quo dispensatur ab homine: sicut sunt statuta humana, ab homine inducta, vt sanctorum Patrum decreta & instituta maiorũ: quod mandatorũ genus Bern. loco prænominato vocat stabile, quia nulli hominũ fas est nisi solis mutare Prẽlatis. Vndè ità dicit: Stabile quidè dixerim, quod ità est necessariũ, vt non cuilibet hominũ illud mutare fas sit, nisi solis dispẽsatoribus mysteriorũ Dei, 1. Prępositis: vt verbi gratia, regulæ sanctorũ Basilij, Augustini, Benedicti, necnõ authẽtici canones, & si qua sint alia ecclesiastica instituta dignæ authoritatis. Quæ quoniam à sanctis tradita sunt, sancita stabiliter perseuerant, nec omninò cuius subiectorũ ea aliquo modo variare, vel mutare conceditur. Quæ tamen ab hominibus licitè interdùm, innoxieq; pro causis, pro personis, locis & temporibus dispensantur. Hæc Bernardus. Ad idem est Leo Papa in capit. Sicut quædã. dist. 14. ità dicit: Sicut quædã sunt, quæ nulla possunt ratione conuelli, ità multa sunt, quæ aut pro necessitate temporũ, aut pro consideratione ætatum oportet teperari. Secũdum dubium est, vtrùm dispensatio pertineat ad solos Prælatos? Respondetur quòd sic. Vndè Bernardus in libro præallegato: Sed non omnibus in huiusmodi credita est dispensatio, nisi his duntaxàt, qui cum Apostolis dicere possunt: Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei: vtputa episcopi, & alij multi. Quæritur, qui sunt isti ministri, quibus huiusmodi dispensatio in statutis Patrum credita est? Respondetur, quòd Patres & Prælati religionum, vtputà Abbates in ordine sancti Benedicti, aut Priores, siue Præpositi, vbi non sunt Abbates. In alijs verò religionibus dispensatores sunt Prælati, quocunque superioritatis nomine censeantur: & hoc duplici ratione. Vna est ex natura obedientię. 1. Magis enim competit dispensatio ministris illis, quorum obedientiæ se subiecerunt religiosi, & secundùm quorum statuta viuere promiserunt, quàm alijs. Alia est 2. à iure. Secundùm enim iura dispensationes, quæ non reseruantur Papæ, vel alijs maioribus Prælatis, relinquuntur inferioribus, vt extrà de sententia excommunicationis, in capitulo Nuper. §. in secundo verò casu. Tertium dubium est, vtrùm Ab- 3. bas possit dispensare in omnibus statutis regulæ. Respondetur, quòd non potest in omnibus dispensare. Pro quo notandum, quòd quædam sunt in regula, quæ sunt de iure diuino, vt vbi loquitur de dilectione Dei, & proximi, de humilitate cordis, de mansuetudine, patientia, & similibus: & in his non potest dispensare Prælatus. Item quædam sunt ibidem, quæ sunt de ordinatione Ecclesiæ, vt quòd dicantur horæ ab his, qui sunt in sacris ordinibus: & in huiusmodi dispensare non potest Prælatus, nisi talis esset casus, quòd Ecclesia reliquisset huiusmodi dispensationem Prælato tali. Item quædam sunt ibi de substantia religionis, vt abdicatio proprietatis: nec in his potest, vt habetur extrà de statu monachorum, Cùm ad monasterium. In omnibus autem alijs, maximè quæ in corporalibus constant obseruantijs, sicut est in ieiunio, in esu carnium, in silentio, & similibus, videtur quòd Abbas potest dispensare. Vnde beatus Bernardus libro suprà allegato dicit sic: Omnia proindè sancti Benedicti instituta, exceptis sanè nonnullis de spiritualibus, verbi gratia, charitate, humilitate, mansuetudine, quæ non tam ipsum constat instituisse quàm Deum, & ob hoc penitùs non esse mutanda: decæterò reliqua vniuersa profitentibus ità necessaria dixerim, vt ex eis minimè prẽiudicetur necessarijs rationabilibusq; dispensationibus. Et hoc etiam expressè colligitur ex capitulo suprà notato, Cùm ad monasterium. vbi apparet, à contrario sensu arguendo, quòd Abbas potest dispensare in illis, quæ non essentialiter annexa sunt regulæ monachali, sicut circa capitulum 29. regulæ, circa esum carnium dictum est. Quartum dubium est, vtrùm Abbas 4. in omnibus istis institutis possit indistinctè & indifferenter dispensare cum quolibet, & pro omni tempore, vt quòd fratres non obseruarent regulare ieiunium, aut semper comederent carnes? Respondetur quòd

Ibidem.
Mandatum dispensabile a Deo, non ab homine.
Exodi 3.
Oseæ 1.
In quo Papa non debeat dispensare.
Mãdatum ab homine aliquando dispensabile.
Ibidem.
Dispensationis ratio.
2. Vtrùm dispensatio pertineat ad solos Prælatos, & qui sint Prælati, ad quos pertineat, & quare.
1. Cor. 4.
Prælati duplici de causa sunt dispensatores.
Vtrùm Abbas potest dispensare in omnibus statutis regulæ.
In quibus possit Abbas dispensare.
Quomodò possit Abbas dispensare.

quòd nō: quia talis relaxatio cederet manifestè in dissipationem ordinis: sicut quòd fratres nūquàm tenerēt silentiū, quòd semper comederent carnes, & his similia. Talis autem dispensatio cùm non posset fieri sine decoloratione statûs religionis, non dubium, quòd esset irrationabilis & indebita, & potiùs dicēda esset dissipatio quàm dispensatio.

Circa dispēsationes qd maximè cauendum.

Pro quo notandum, quòd circa dispensationes cauenda est semper generalitas tam locorum, quàm personarū, quàm temporum: quia nec debet fieri cum toto conuentu dispensatio sine maxima causa. Ex quo patet, quòd dispensationes de ieiunio regulari, aut de esu carnium cum toto conuentu, non sunt rationabiles. Temporum, quia dispensationes, quæ fiunt cum aliquibus, non debent habere certum tēpus. Ex quo patet, quòd irrationabilis sit illa dispensatio, qua dispensatur cū fratribus, vt certis diebus in hebdomada non obseruent ieiunium regulare.

5.

Vtrùm Abbas possit ad libitum dispensare.

Quintum dubiū est, an istis Abbas pro libito voluntatis possit dispensare? Respondetur quòd nō: sed tantùm causa rationabili interueniēte. Vndè Bernard. loco prænominato, vbi, postquàm dixerat, quòd in præfatis statutis licitè interdùm, innoxieque pro causis, pro personis, locis & temporibus dispensatur, subinfert: Vbi sanè, qui hoc legit, attendat me cautè non dicere, ea posse, vel ab istis leuiter pro voluntate mutari: sed ex ratione fideliter dispēsari. Ideò autem hanc ipsam mutationē taliter & à talibus recipere possunt, quoniam non naturaliter, nec per se bona sunt. Porrò inuenta ac instituta fuerunt, non quia aliter viuere nō liceret, sed quòd ità magis expediret: nec planè ad aliud, quàm ad lucrum & custodiam charitatis.

Optima determinatio, quandò & quarè sit dispensandum.

Quandiù ergò charitati militāt, immobiliter fixa sunt, mutariq; omninò ne ab ipsis quidem præpositis sine offensa possunt: At si econtrariò contraria fortè aliquādò charitati visa fuerint, his duntaxàt, quibus hoc posse videre datum est, & prouidere creditum est: nónne iustissimū esse liquet, vt quæ pro charitate inuenta fuerunt, pro charitate quoq; vbi expedire videtur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodius demutentur? Sicut e regionè iniquum proculdubiò foret, si statuta pro sola charitate, contra charitatem tenerentur. Tenent ergò fixam firmamque immobilitatem, etiam apud Prælatos, quæ ex stabili necessario sunt: sed quatenùs charitati deseruiunt. Nūquid autem hoc ego vel solus sentio, vel primus dico? An nō hoc ipsum & Papa Pelagius sensit? Ait siquidem:

Vide per multa de ratione dispensandi.

Vbi necessitas non est, inconuertibilia maneant sanctorū Patrum decreta. Leo quoquè Papa inquit: Vbi, inquit, necessitas non est, nullo modo violentur sanctorum Patrum cōstituta. Et infert: Vbi ergò necessitas fuerit ad vtilitatē Ecclesiæ, qui potestatem habet, ea dispēset. Ex necessitate enim fit mutatio legis. Et infrà idem Bernar. Patet quòd magna ex parte regularis traditio subest ei, qui præest: & si non voluntati, certè discretioni. Itē nec Abbas supra regulam est, cui semel & ipse spontanea se professione submisit: & si (quod negandum non est) Dei regula charitas, regulæ sancti Benedicti iurè præponitur. Esto proindè, vt interdùm regulæ litera cedat pro tempore charitati, cùm ratio necessitatis vel charitatis exegerit: absit tamen, vt hominis cuiuspiam subdatur voluntati. Super fratrum certè transgressiones, non supra Patrum traditiones constituitur, qui Abbas eligitur, mandatorū cultor, & vltor vitiorum. Arbitror nanq; sanctas illas obseruantias Prelatorum prudentiæ & fidei creditas, non subditas voluntati. Hinc est, quòd idē legislator, scilicet beatus Benedictus, in his quæ Abbati dispensanda relinquit, cautè nusquàm (vt memini) voluntatem, sed aut considerationem, aut dispositionem, aut prouidentiam, aut certè arbitrium, seu aliud huiusmodi ponit: volens nimirùm prouidum fidelemq; dispensatorem rationis, vbi fortè dispensat, sequi iudicium, non suæ placitum voluntatis.

Duplex dispensatio.

Debita.

Hinc duplex distinguitur dispensatio, videlicet, debita, quæ est, cùm in ratione fundatur: videlicet pietatis, necessitatis, aut vtilitatis. 1. q. 7. capitu. Nisi rigor.

Prohibita.

Alia est prohibita dispensatio, & est, vbicunq; non subest iusta causa dispensandi. 1. q. 7. ca. Et si illa. & ca. Tali.

6.

In tribus casibus potest simplex monachus sine dispēsatione præter regulā aliquid facere.

Sextū dubiū, vtrùm quis simplex monachus sine dispensatione posset aliquid contra regulam facere? Respondetur quòd sic, in tribus casibus: videlicet, in necessitatis articulo, vt frangere ieiunium regulare, comedere carnes, quia necessitas nō est legi, maximè positiuæ, subiecta. Secundò, in articulo charitatis: non enim esset seruandum silentiū, vbi verbo quis posit malum magnum impedire: quia cùm obseruantię prędictæ inductæ sint ad custodiam charitatis, nō debent militare contra charitatē, sicut in præcedentibus est inductum. Tertiò, in casu ignorantiæ, dummodò sit talis, quæ excusat à toto. Est tamen hìc aduertendū, quòd in primis d[illegible]obus casibus non est negligenda petitio l[illegible]ntiæ à superiore, si posset haberi.

7.

Vtrùm possit aliquis cogi ad suscipiendam dispensationem.

Septim[illegible] dubiū, vtrùm Abbas possit cogere monachum subditum ad recipiendum dispensationē? Respondetur quòd sic, ex causa: aliter non potest. Vndè Bern. libro prædicto: Prælati iussio vel prohibitio, non prætereat terminos professionis: nec vltra extendi potest, nec cōtrahi citra. Nil me Prælatus prohibeat horū, quæ promisi,

missi. Vota mea nec augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate. Alioquin & absq; necessitate remissio voti, nõ dispensatio, sed præuaricatio est. Octauũ dubium est, vtrũ si inferior Prælatus, putà Præpositus, præcipiat fratri, quòd nõ vtatur facta à superiore dispẽsatione, s. Abbate, nũquid tenetur obedire? Videtur quòd sic, quia nõ est cõtra Deũ, nõ vti illa dispensatione, & tenetur obedire in omnibus quę nõ sunt cõtra Deũ. Respõdetur, quòd nõ tenetur obedire, quia in hoc exẽptus est ab obediẽtia: sicut Abbas exemptus, non tenetur obedire episcopo in his, in quibus est exemptus. Infrà etiam dicit beatus Benedictus in capitulo 65. Præpositus illa agat cũ reuerentia, quæ ab Abbate suo ei iniuncta fuerint: nihil contra Abbatis voluntatem, aut ordinationem faciens. Quod autem in contrarium arguebatur, falsum est, videlicet, quòd teneatur frater obedire in omnibus, quę nõ sunt cõtra Deũ, quia hoc nullus promittit. Vt enim dicit Bernardus loco suprà nominato, Modus siue mensura obediẽtiæ est tenor professionis, nec se valet extendere potestas imperantis, nisi quatenùs attigerit votum profitentis. Profectò citra, & vltra, necnon etiam contra, quid aliud quàm obedientię limites quosdã censuerim, & his suis terminis virtutem eandẽ circuncludi? Quamobrèm quisque professus in quouis genere salutiferæ vitæ, nec vltra obedientiæ legem cogendus, nec citra est inhibendus, quã sua ipsius videtur com plecti professio.

8. Vtrũ teneamur obedire inferiori Prælato certò casu.

Cõclusio de mẽsura imperandi & obediendi.

IN CAPVT LXV.

TRACTATVS CXL.

De ordinatione, potestate, & correctione Præpositi.

S*Æpiùs quidem contingit* &c. Dicto de ordinatiõe Abbatis, subdit sanctus Benedictus de ordinatione Præpositi, qui congregationi præest post Abbatem. Et diuiditur in tres partes principales hoc capitulum. In prima ostendit multa mala & scandala ex indebita ordinatione Prępositi nasci, in principio capituli. Secũdò, ad vitãda huiusmodi mala, & pro pace & charitate seruãda, instituit, quòd ordinatio Præpositi debeat fieri ab Abbate: ibi, *Ideò nos*. Tertiò, ponit ordinem & modum correctionis Præpositi, si vitiosus inueniatur: ibi, *Qui Præpositus* &c. Circa primum, sic sanctus Pater ait: *Sæpiùs quidem contingit, vt per ordinationem Præpositi scandala grauia in monasterio oriantur: dum sint aliqui maligno spiritu superbia inflati, existimantes se secundos Abbates esse, assumentes sibi tyrannidem*, id est, indebitam potestatem, siue non debitum ac præsumptũ honorẽ, *scandala nutriunt*, imperando quæ nõ debent, puniẽdo quæ non debent, excómunicãdo quos non valent, mensurã potestatis suæ transgredientes, *& dissensiones in cõgregatione faciunt: & maximè in illis locis, vbi ab eodem sacerdote*, id est, episcopo, *vel ab eisdem Abbatibus, qui Abbatem ordinant, ab ipsis etiam & Præpositus ordinatur. Quod quàm sit absurdum, facilè aduertitur: quia ab ipso initio ordinationis, materia*, id est occasio, *ei datur superbiendi, dum ei suggeritur à cogitationibus suis, exutum eum esse à potestate Abbatis sui, quia ab ipsis est ordinatus, à quibus & Abbas. Hinc suscitantur inuidia, ira, rixa, detractiones, dissensiones, æmulationes, exordinationes*, id est deordinationes: quia quod Abbas instituit, Prępositus destruit: & quod vnus ædificat, alius subuertit. Sequitur: *& dum contraria sibi Abbas Præpositusq; sentiunt, & ipsorum necesse est sub hac dissensione animas periclitari, & hi qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus*, approbantes, & commendantes isti facta Abbatis, alij facta Præpositi, fauorem per hoc dantes diuisioni & dissensionibus eorum, *eunt in perditionem. Cuius periculi malum illos respicit in capite*, id est, principaliter, *qui talibus inordinatiõibus se fecerunt authores*, id est, eos qui fuerunt principales authores, promotores, factores talium inordinationum. Est autem circa hoc notandũ, quòd Præpositus dicitur hîc, qui sub Abbate maior est in cõgregatione, quasi ante alios positus, scilicet à maiori. Vndè habet respectum ad inferiores, eò quòd præest illis, & ad superiorem, eò quòd non à se, sed ab alio positus fit. Sequitur secunda pars, vbi de prouisione agitur, contra prædicta mala: *Ideoq; nos praeuidemus expedire propter pacis charitatisq; custodiam, in Abbatis pendere arbitrio ordinationem monasterij sui*. Ad pacem profectò & custodiam charitatis operatur vnitas pastoris, & Prælati superioris, quod etiam exemplis naturalibus ostenditur. In apibus enim princeps vnus est, ait Hieronymus in epistola. Grues vnam sequuntur ordine literato, id est, recto. Imperator vnus. Iudex vnus prouinciæ. Roma vt condita est, duos fratres simul reges habere non potuit, & fratricidio dedicatur. In Rebeccæ vtero Esau & Iacob bella gessérunt. In naui vnus est gubernator. In domo vnus est dominus. In quanuis grandi exercitu vnius signum expectatur. Ideò dicit CHRISTVS: Vnus est magister vester, Matth. 23. Verùm nè ex hoc quod dictum est, videlicet, ex Abbatis arbitrio ordinationem monasterij pendére, quis crederet quòd Decani & officiales alij nõ essent constituendi in monasterio, sed solus Abbas omnia disponeret, subdit: *Et si potest fieri, per Decanos ordinetur (vt antè disposuimus)* in capitulo scilicet vigesimoprimo huius regulæ, *omnis vtilitas*, id est, vtilis administratio, monaste-

Distinctio capituli in tres partes.

I.

Fomes dissensionum inter Abbatem & fratres.

Præpositus quis dicatur.

II.

Vnitas Prælati cõmendatur.

epist. 4. ad Rust. Monach.

Gen. 25.

Oia debere ex vnius pendére arbitrio.

monasterij, prout Abbas disposuerit. Eccè quòd propter vnitatē seruandam, tādèm omnia pendére vult ex vnius, scilicet Abbatis, dispositione, *vt dum pluribus committitur*, id est, impertitur ab Abbate administratio monasterij, *vnus non superbiat*. Vndè officia distinguenda sunt, & non vni personę committenda, vt in capitulo Ad hoc. dist. 89. Sequitur de institutione Præpositi. *Quòd si aut locus expetit*, id est, vtilitas aut necessitas loci expostulat, *aut congregatio petierit rationabiliter cum humilitate*, causam, scilicet rationabilem, ostendendo, quòd debeat institui, *& Abbas iudicauerit expedire, quemcunque elegerit Abbas cum consilio fratrum timentium Deum, ordinet ipse*, scilicet Abbas, *sibi Præpositum. Qui tamen Præpositus* &c. Hic sanctus Pater frenum imponit Præposito, vt non exeat limites ordinationis domini Abbatis, vt pax & vnitas seruetur in monasterio, dicens: *illa agat cum reuerentia, quæ ab Abbate suo ei iniuncta fuerint*, verbo scilicet aut scripto, *nihil contra Abbatis voluntatem & ordinationem faciens*. Hic vniuersaliùs locutus est. Vndè non solùm Præpositus illa agere debet, quæ expressè sunt sibi iniuncta: verumetiam contra ea, quæ Abbatem credit eum velle, vel velle debere, nihil præsumat agere. Ratio sequitur: *Quia quantùm prælatus est cæteris, tantùm eum oportet sollicitè obseruare præcepta regulæ*, forma & exemplū obedientię factus omnibus alijs.

Optima Præpositi instructio.

III. Sequitur tertia pars, vbi agitur de correptione Præpositi delinquentis: *Qui Præpositus si repertus fuerit vitiosus, aut elatione deceptus superbia, aut contemptor sanctæ regulæ fuerit comprobatus, admoneatur verbis vsque quater*. Quòd verò Præpositus quater admoneri iubetur, gradum notat maioris maturitatis habendæ in correptione personarum maioris honoris, siue sublimioris officij. Vndè simplex monachus bis monetur: Decanus tribus vicibus: Præpositus verò quater monendus est. Sequitur: *Si non emendauerit, adhibeatur ei correptio disciplinæ regularis*. Correctio ista disciplinæ regularis, videntur esse sex gradus, de quibus suprà habitum est: qui sunt, publica correptio, excommunicatio, nimium ieiunium, flagellum, & oratio ab omnibus, per quos deducendus est Præpositus, si quater admonitus, non emendauerit, vsque ad expulsionem de monasterio. Vndè sequitur: *Quòd si neque sic correxerit, tunc deijciatur de ordine Præpositura, & alius, qui dignus est, in loco eius surrogetur. Quòd si & posteà in congregatione quietus & obediens non fuerit, etiam de monasterio expellatur*. Verùm quia in hoc iudicio maximè aduertendum est, nè Abbas illud agat zelo, aut inuidia ductus contra Præpositum, sanctus Pater reddit Abbatem attentum, timorem diuini iudicij sibi tanquàm frenum immittens, dicens: *Cogitet tamen Abbas se de omnibus iudicijs suis redditurum Deo rationem, nè fortè inuidia, aut zeli flamma vrat animam*, scilicet eius contra Præpositum: vt fortè quia ille melior illo est, prudentior, ac industrior ad regimen. Vndè Sapientiæ sexto, Prælatos & rectores ac iudices Ecclesiæ, ità scriptura admonet: Audite reges, Glosa, id est, Prælati, & intelligite: discite iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. Et sequitur infrà: Durissimum iudicium in his, qui pręsunt, fiet. Vbi Glosa ità dicit: Monet rectores Ecclesiæ, vt iustitiā & veritatem seruent, & discretè intelligere festinent: quia accepta potestate à Deo, magistri & iudices sunt fratrum suorum, vt iudicent illos secundùm æquitatem, & doceant regulam fidei cum operibus bonis: Et ipsi quoquè iudicium Dei expectent, qui non fallitur, nec fallit: quia non solùm opera, sed etiam cogitationes & voluntates iudicabit.

Differentia correctiōis pro gradu personarū.

Iudiciū Prælatorū, qua ratione rectum fiat.

Interlin.

cap. eod.

Ord. in ca. 6. Sapient.

IN CAPVT LXVI.

TRACTATVS CXLI.

De portario monasterij: vbi de rationibus, propter quas sæpiùs legenda est regula.

AD *portam* &c. Postquàm de Abbatis & Præpositi ordinatione, sanctus pater Benedictus disposuit, nunc subdit congruenter ordinationem ostiarij. Custodia nempe personarum, ac rerum monasterij, plurimùm pendet ex bona ordinatione custodiæ monasterij. In quo capitulo, tres sunt principales partes. In prima agitur de ordinatione portarij. In secunda, de situ monasterij. In tertia, de frequenti lectione regulæ. Circa primam etiam tria facit. Primò enim ordinatur ostiarius, vbi sanctus Pater describit conditiones & proprietates bonas, quas ostiarius debet habere. Secundò, describitur locus habitationis ipsius ostiarij: ibi, *Qui portarius* &c. Tertiò, datur doctrina, quomodò debeat recipere pulsantes ad ostium: ibi, *& mox*. Circa primum dicit sic: *Ad portam monasterij ponatur senex*, scilicet morigeratus, in quo nulla appareat leuitas puerilis. Hæc est prima conditio portarij. Secunda est quòd sit *sapiens*, id est, intelligens & discretus, *qui sciat accipere responsum, & reddere*. Tertia est maturitas, vnde sequitur:

Totius capituli distributio.

Portarij tres conditiones.

tur: *enim maturitas eum non finat vagari*, id est, discurrere hinc indè ociando. Sequitur secūdum, scilicet de loco habitationis suę: *Qui portarium cellam debet habere iuxta portam, vt venientes, semper præsentem inueniant, à quo responsum accipiant.* Plana sunt omnia. Sequitur tertium de modo recipiendi aduenientes: *Et mox vt aliquis pulsauerit, aut pauper clamauerit.* Diuites pulsare solent, Pauperes verò clamare, vt suam insinuent egestatem. *Deo gratias respondeat, aut benedicat.* Si persona quæ pulsat, est alicuius authoritatis, siue dignitatis ecclesiasticæ: respondeat, Benedicat, scilicet me paternitas vestra, siue Benedicite pater: Si verò persona sit secularis, aut etiam ecclesiastica, quæ non sit alicuius authoritatis aut æstimationis, & maximè si sint pauperes, respondeat, Deo gratias, quia in ipsis specialiter recipitur Christus. Sequitur: *& cum omni mansuetudine timoris Dei, responsum reddat cum feruore charitatis.* Debet enim portarius respondendo loqui religiosè, mansuetè, humiliter, & cum charitate, ità vt aduenientes non modò ædificentur in eo, sed etiam optimè existimare cogantur de tota congregatione monasterij. Sequitur: *Qui portarius, si indiget solatio*, id est, adiutorio, *iuniorem fratrem accipiat*, scilicet in adiutorem, ità vt ipse portarius pro maturitate sua & sapientia maneat cum adueniente: vel si interim superuenerit alius, illi respondeat. Iunior verò discurrat, denuncians Abbati, vel eius locum tenenti, aduentum hospitum, vel ea, quæ deposcunt. Sequitur secunda pars principalis de habilitate loci quærenda: *Monasterium autem, si fieri potest, ità debet construi, vt omnia necessaria, id est, aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diuersæ intra monasterium exerceantur, vt non sit necessitas monachis vagandi foràs, quia omninò non expedit animabus eorum.* Quemadmodùm enim piscis extra aquam positus, moritur, secundùm quod dicitur Isaiæ quinquagesimo: Computrescent pisces sine aqua: sic monachus extra claustrum moram faciens, facilè corrumpitur. Vndè Abbas dicit: Sicut si pisces tardauerint in sicco, moriuntur: ità monachi tardantes extra cellam, aut cum viris secularibus immorantes, à quietis proposito resoluuntur. Oportet ergò sicut piscem in mari, ità & nos ad cellam recurrere, nè forte foràs tardantes, obliuiscamur interioris custodiæ. Item Abbas Iulus: Imperforabilis manet à sagitta inimici, qui amat quietem; qui autem miscetur multitudini, crebra suscipit vulnera. Quantùm autem vagus discursus extra claustrum damnosus & periculosus sit monacho, superiùs ad longum annotauimus. Sequitur vltima pars principalis huius capituli: *Hanc autem regulam sæpe volumus in congregatione legi, nè quis fratrum se de ignorantia excuset.*

Portarius vbì habitare debeat.

Quomodò debeat vnicuique respondere.

Modus loquelæ portarij.

Portario, quandò adiutor adiungendus.

Vagationē & cū secularibus conuersationē damnat.

Athanas. in vita D. Anton.

Vbì notandum est, quòd multiplici de causa, regula sæpè legenda est à fratribus. Primò, exemplo antiquorum. Vt enim beatus Hieronymus ait, & narratur in historia Scholastica, Pharisæi portabant phylacteria, id est, chartas, in quibus erat scriptus decalogus, in capite ad modum coronæ, & in brachio sinistro ligata, ad hoc, vt per scripturam ante oculos positam, memores essent mandatorum Dei. De quibus Deus inquit Matth. 23. Dilatant phylacteria sua. Item Deuteron. 17. dicitur, quòd postquàm sederit rex in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ. Item Neemiæ nono legitur, quòd legerunt in volumine legis Domini, quater in die, & quater in nocte. Si ergò Pharisæi, & rex secularis, & Iudæi tam diligentes fuerunt in legendo legem vitæ, quanto magis vir religiosus debet esse solicitus de sæpè legendo, vel audiendo ab alio regulam professionis suæ, ex qua pendet salus & vita? Secundò, ratione hîc assignata à sancto patre Benedicto, videlicet ad excludendam excusationem, quam quis prætenderet ex ignorantia, quæ omnium malorum mater est, à qua ignauia gignitur, & negligentia alitur, vt dicitur in libro Clementis. Et beatus Isidorus dicit libro de summo bono: Errorum mater est ignorantia, nutrix vitiorum. Ideò dicit beatus Augustinus de lib. arb. Ideò diuina præcepta data sunt, vt excusatio de ignorantia nō haberetur. Hac ratione beatus Benedictus iubet regulam suam sæpiùs in congregatione legi. Beatus ergò discipulus, qui in sapientia contenta in regula huius sancti Patris sæpè legendo morabitur: secundùm illud Ecclesiastici 14. Beatus vir qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur, & in sensu suo cogitabit circumspectionem Dei. Tertiò, est regula sæpiùs legenda à professoribus suis, quia ipsa est sola via illis consequendę beatitudinis. Vndè beatus Benedictus inquit in prologo: Ausculta, ô fili, præcepta magistri, & inclina aurem cordis tui, & admonitionem pij patris libenter excipe, & efficaciter cōple, vt ad eum per obedientiæ laborē redeas, à quo per inobedientiæ desidiā recesseras. Iterum: Pergamus itinera eius, vt mereamur eū, qui nos vocauit, in regno suo videre: quia illuc nō nisi bonis actibus currendo peruenitur. Beatus ergò discipulus, qui in lege eius meditabitur die ac nocte. Psal. 1. Quartò, quia ad speculandum in ea, tanquàm in speculo spirituali, quid obseruent de ipsa regula, & quid eis desit, videre possunt. Solēt mulieres habere specula, & frequenter respicere in speculo, vt videant statum faciei suæ. Solent

Multiplici de causa regula sæpè legenda.

1.

Hier. in ca. 23. Matth.

2. Esdræ 9.

2.

Ignorantię malum.

3.

Ibidem.

4.

Regula, speculū monachorum.

etiã barbitonsores habere specula in operatorio suo, vt in eis homines se possint respicere, si benè sint rasi. In introitu etiam tabernaculi fuit lauatorium, in quo erant affixa specula, sicut dicit magister in Historijs, vt sacerdotes ingredientes ad ministerium, in eis possent respicere, si quam indecentiam haberent. Si ergò isti tam soliciti sunt de respiciendo se corporaliter in speculis corporalibus, quanto magis viri religiosi debent se solicitè respicere in regula professionis, tanquàm in speculo spirituali, & intueri, quantùm profecerũt aut defecerunt ab ea. Quintò, est regula sæpè legenda, tanquàm liber ratiocinij, secundùm quem Deo, summo iudici, in extremo iudicio rationem vitę suæ redditurus, debet respondere. Secundùm enim regulam professionis suę vnusquisque religiosus iudicandus est. Narrat magister Vmbertus super regulam beati Augustini, quòd vidit vnum sanctum monachum, qui quasi semper ferebat in manibus regulam beati Benedicti, modò legens eam, modò studens in ea, modò quærens eius dubitabilia, & obscura, cùm inueniebat virum discretum.

5. Regula liber ratiocinij.

cap. 190. Exemplum imitatione dignum.

IN CAPVT LXVII.

TRACTATVS CXLII.

De fratribus, qui exeunt monasterium aliquò directi.

Dirigendi fratres in via, &c. Postquã superiùs sanct⁹ Pater egit de intrantibus in monasterium, nũc consequenter agit de exeuntibus, qui diriguntur extra. Circa quos ponit plura sancta documenta siue mandata. Primò quidem sanctus Pater cognoscẽs fratrẽ, qui de monasterio extrà dirigitur, multis periculis exponi, quæ in sęculo sunt, iubet vt frater, qui dirigendus est in viam, in primis fratrum orationibus se commẽdet, vt illorum orationibus adiutus sine offensione peragere iniunctam obedientiam valeat, & vtiliter. De quo sic dicit: *Dirigendi fratres in via, omnium fratrum, vel Abbatis orationibus se commendent*, vel potest etiã stare disiunctiuè: quia in Abbate sicut in Prælato continentur omnes subditi. Vndè Sapientiæ 6. dicitur: Iudices finium terræ, qui continetis multitudines. Et Cyprianus dicit, & habetur in cap. Scire debes. 7. q. 1. Scire debes, quòd episcopus est in Ecclesia, & Ecclesia in episcopo. Et beatus Augustinus dicit de beato Petro, quòd sicut in Christo continebantur omnes causæ magisterij, ità & in Petro continebantur omnes discipuli. Et ità commẽdando se Abbatis orationibus, videtur se omnium fratrum orationibus

Documẽta quinq; circa eos, qui monasterium egrediũtur.

1.

In Prælato continetur omnis subdita multitudo.

lib. 4. cap. 9.

commendâsse. Secundum est, quòd communis oratio fiat à fratribus pro huiusmodi, qui diriguntur extra monasterium. Vndè ait: *& semper ad orationem vltimam operis Dei*, id est, diuini officij, *commemoratio omnium absentium fiat*. Tertium est, quòd fratres reuertentes, petant alios fratres pro se orare. De quo sic dicit: *Reuertentes autem de via fratres, ipso die, quo redeunt, per omnes canonicas horas, dum expletur opus Dei, iacentes* [sic: *ad*]... id est, diuinum officiũ, *prostrati solo oratorij, ab omnibus petant orationem propter excessus*, scilicet commissos, *nè quid fortè subripuerit in via, visus, aut auditus malæ rei, aut ociosi sermonis*. Aduertẽdum est hic, quòd sanctus Pater non aliorum sensuum fecit mentionem, nisi visûs, auditûs, & linguæ. Nullus enim sensus tam lubricus & facilis est ad peccãdum, quomodò visus, auditus, & lingua. Vndè sæpè contingit, vt ea quæ noluimus, videmus, audimus, & aliquandò loquimur. Secundò aduertẽdum, quòd sanctus Pater sola ista tria parua, & quę venialia sunt, fratrum orationibus tollenda dicit: quia alia si quæ grauia sunt commissa, sacramentali confessione Abbati fiẽda purganda veniunt. Quartum est, quòd reuertentes de via fratres, non referant noua, quæcunque ab eis extra claustrum visa siue audita. De quo sic dicit: *Nec præsumat quisquam alijs referre, quæcunque foris monasterium viderit aut audierit, quia plurima destructio est*. Infirmi nanque intellectus de facili contagium suscipiunt, cùm de mundi vanitatibus, & peccatis fit eis sermo. Isidorus: Vanus sermo polluit citò mentem, & facilè agitur quod libenter auditur. Vndè inter abusiones claustri annumeratur rumor in claustro. Quarè sequitur: *Quòd si quis aliter præsumpserit, regulari vindictæ subiaceat*. Quintum est, quòd nullus audeat sine Abbatis licentia quocunquè extra monasterium egredi. De quo ità sanctus Pater loquitur: *Similiter*, supple puniatur, *& qui præsumpserit claustra monasterij egredi, vel quocunquè ire, vel quippiam, quamuis paruum, sine iussione Abbatis facere*. Ista quia plana sunt, expositione non egent.

2.

3.

Qui sensus ad peccatũ faciliores.

4.

5.

IN CAPVT LXVIII.

TRACTATVS CXLIII.

De his, quibus impossibilia iniunguntur.

Si cui fratri &c. Quia verò nonnulla fratribus dirigendis in via grauia committuntur, quæ & aliquibus impossibilia sunt, vel videntur: postquàm sanctus Pater de fratribus directis in via egit, nunc subdit, quid agendum sit, si fratribus huiusmodi grauia aut impossibilia iniungantur, dicens: *Si cui fratri aliqua fortè*

fortè grauia, quæ ſcilicet ità ſunt difficilia, vt vix cum magno labore perfici poſſent, *aut impoßibilia iniunguntur*, quæ ſcilicet omninò ſupra vires ſunt, aut humanas ſimpliciter, aut ſaltem eius, cui imponuntur, *ſuſcipiat quidem iubentis imperium cum omni manſuetudine & obedientia. Quòd ſi omninò virium ſuarum menſuram viderit pondus oneris excedere, impoßibilitatis ſuæ cauſas ei, qui ſibi præeſt, patienter & opportunè*, id eſt, conuenienter, *ſuggerat*, id eſt, inſinuet imbecillitatem virtutis ſuæ, oſtendat magnitudinem negocij, & per conſequens perficiendi impoſſibilitatem, *non ſuperbiendo, aut reſiſtendo, vel contradicendo*. Iſta tria licèt ad idem tendere videantur, ille tamen ſuperbire videtur, qui elatione mentis inflatus deſpicit, quod à maiore imperatur. Apertè autem reſiſtitur, quandò verbum imperij reſpuitur & recuſatur. Contradicendo repugnatur, quandò imperanti ſe non facturum manifeſtè reſpondetur. *Quòd ſi poſt ſuggeſtionem*, id eſt, inſinuationem, *ſuam*, id eſt, ſuæ imbecillitatis & impoſſibilitatis, *in ſua ſententia prioris imperium perdurauerit, ſciat iunior ità ſibi expedire, & ex charitate confidens de adiutorio Dei obediat*. Dicit enim Bernardus, quòd nihil credentibus eſt impoſſibile, nihil amantibus eſt difficile, nihil aſperum mitibus, nihil humilibus arduum reperitur, quibus & gratia confert auxilium, & obediendi deuotio lenit imperium. Exempla etiam huiuſmodi documenti ſancti Patris, plura legimus apud ſanctos patres. Vndè in Vitis patrum legitur, quòd Abbas Paulus miſit diſcipulum ſuum nomine Ioannem, in vicum proximum, vt requireret ibi fœnum. Erat autem in via leæna. Cumque hoc Abbati diceret, ille quaſi iocaliter dixit ei: Si venerit ſuper te, tene eam, & adduces tecum. Cùm autem iret, leæna irruit ſuper eum. Ille verò tenere eam voluit, ſed illa fugit: ſequebatur autem eam dicés: Quia Abbas meus præcepit, vt alligatam perducam te ad eum. continuò ſtetit beſtia, & tenens eam, reuertebatur ad monaſterium. Senior ergò gratias agebat Deo. Item ad idem legitur ibi, quòd ſenex quidam tollens lignum aridum, plantauit illud, dixitque diſcipulo ſuo Ioanni: Per ſingulos dies riga illud lagena aquæ, donèc fructum faciat. Erat autem longè ab eis aqua, vt veſperè pergeret, & manè veniret. Poſt tres autem annos viruit lignum illud, & fecit fructum. Plurima alia exempla huiuſmodi virtutis ibi leguntur: in quibus manifeſtè appáret quàm magna virtus eſt obedientia, & quæ impoſſibilia ſunt apud homines, diuina virtute, obedientiç merito redduntur ſeruis Dei poſſibilia.

Superbire quis dicatur.
Quid reſiſtere.
Quid repugnare.
Leo ſer. 4. de ieiunio 7. menſis.
Obedienti nihil ſit difficile.
Exempla obedientiç.
1. par. 2. §. 16.
2. par. 2. lib. de obedientia. Caſſia. lib. 4. de inſtit. cœnob. cap. 24.
In Vitis patrū, par. 2. lib. de obedientia.
Obediētia omnia poteſt.

IN CAPVT LXIX.

TRACTATVS CXLIIII.

De cauenda præſumptione alterutrum defendendi in monaſterio.

SVmmoperè præcauendum eſt, &c. Quoniá cùm aliquid graue aut difficile monacho imponitur, & ipſe iubenti Prælato parére contendit, aliquandò nonnulli qui conſanguinitate, affinitate, patria, aut amicitia illi cóiuncti ſunt, eius præſumptionem, rebellionem, excuſationem, præſumunt defendere, vndè plurima ſcandala oriuntur: conuenienti ordine ſanctus Pater, poſtquàm de grauibus ſeu impoſſibilibus dedit doctrina, ſubdit mandatum, nè aliquis alium præſumat defendere, obedire nolentē. Et diuiditur in duas partes principales. In prima facit quod dictum eſt: In ſecunda ponit pœnā huius ſtatuti tranſgreſſoribus, ibi: *Quòd ſi quis*. Circa primum dicit ſic: *Summoperè præcauendum eſt, nè quauis occaſione præſumat alter alterum defendere monachum in monaſterio, aut quaſi tueri, etiam ſi qualibet conſanguinitatis propinquitate iungantur, nec quolibet modo id à monachis præſumatur*. Cuius conſtitutionis cauſam aſſignans ſubdit, dicés: *quia exindè grauißima occaſio ſcandalorum oriri poteſt*. Papa Vrbanus in cap. Qui aliorum. 24. q. vltima, dicit: Qui aliorum errorē defendit, multo eſt damnabilior illis, qui errant: quia non ſolùm ille errat, ſed etiā alijs offendicula erroris præparat & confirmat. Sequitur ſecūda pars, de correctione talium, qui defendere alios præſumunt: *Quòd ſi quis hæc tranſgreſſus fuerit, acrius coerceatur*, i. comprimatur, & meritò: quia, vt dictum eſt, talis occaſionem multorum dat ſcandalorum, puniēdus eſt huiuſmodi ad arbitrium Abbatis. Eſt autem in hoc loco conſideranda & grauitas delicti, in quo frater à propinquo ſibi fratre defenditur, & ipſe modus defenſionis.

Aliorū errorē tueri, quā graue ſit peccatū.
Quō puniēdus, qui fratris errorē defendit.

IN CAPVT LXX.

TRACTATVS CXLV.

De non cędendo alter alterum, & de vindicta aliter præſumentium.

VEtetur in monaſterio &c. Poſito mandato in capitulo præcedenti, vt in monaſterio nullus præſumat alium defendere: nunc ſubdit mandatum, ꝙ nemo audeat alium cædere, aut percutere, aut excommunicare. In quo capi. quatuor ponit circa correctionem fratrū. Primū eſt, ꝙ nullus niſi publica authoritate fultus, pſumat quenq̄ cç-
1.

Quatuor circa correctiones fratrū aduertenda.

dere. De quo ità dicit: *Vetetur in monasterio omnis præsumptionis occasio. Ordinamus atq; constituimus, vt nulli liceat quēquam fratrum suorum excommunicare*, siue maiore, siue minore excōmunicatione, *aut cedere*, siue manu, siue virga, siue flagello, siue quocunque alio modo, *nisi cui potestas ab Abbate data fuerit*, siue data sit in commissione alicuius officij, cui annectatur correctio fratrum, siue per specialem delegationem ad aliquem huiusmodi particularem actum.

Quis possit fratres cædere.

Sicut enim ad solum pertinet medicū, præscindere membrum putridū, quandò ei fuerit cura commissa salutis totius corporis: ità correctio & castigatio membrorum alicuius congregationis ad solum illum pertinet, cui cura totius seruandæ communitatis commissa est, cuiusmodi est Prælatus. Vndè Augustinus dicit primo de ciuitate Dei, quòd qui sine aliqua publica administratione maleficum interfecerit, velut homicida iudicabitur, & tanto ampliùs, quanto sibi potestatem à Deo nō concessam, vsurpare non timuit.

Cap. 17.

De seruanda autem innocentia inter fratres neminem alium lædendo, superiùs notauimus decem rationes circa instrumentum 30. quarè hunc locum breuiter pertransimus. 2. Secundum est, quòd publicè peccantes, publicè corrigantur. De quo sanctus pater ità dicit: *Peccantes autem coram omnibus arguantur, vt cæteri metum habeāt*, quod sumptum est ex Apostolo 1. ad Tim. 5. qui ait: Peccantes, Glo. scilicet qui manifesti sunt, argue coram omnibus, vt & cæteri timorem habeant. Item Leuit. 19. habetur: Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, nec habeas super illo peccatum.

Interlin.

Quis debeat publicè argui.

Quod tamen intelligendum est sicut primum, de illo, qui publicè peccat, aliter corripiendus est secretè, secundùm illud Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, i. te solo sciente, corripe eum inter te, & ipsum. Augustinus: Nam si solus nôsti, quia peccauit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es corrector, sed proditor.

Serm. 16. de verb. Dñi.

3. Tertium est, de correctione infantum, cùm dicit: *Infantibus verò, vsque ad decimumquintum annum ætatis, disciplina diligentia ab omnibus adhibeatur, & custodia sit, & hoc cum omni mensura & ratione*. Plana est litera. Et de hac parte etiam in capitulo 63. regulæ dictum est. 4. Sequitur quartum de disciplina delinquentium contra huiusmodi statutum: *Nam in forti ætate*, scilicet existentem. Et vocatur fortior ætas, quæ vltra quintumdecimum annnm progreditur, *qui præsumpserit aliquatenus, sine præcepto Abbatis, vel in ipsis infantibus sine discretione exarserit*, id est, excesserit, *disciplinæ regulari subiaceat, quia scriptum est: Quod tibi non vis fieri, alij nō feceris*. Sensus est: Disciplinæ regulari subiaceat, vtpote, qui contra præceptum naturalis & diuini scripti, Tob. 4. agit, Quod ab alio tibi oderis fieri, vide ne aliquandò alij facias. De quo præcepto, quia superiùs circa instrumentum 9. pleniùs factus est sermo, hæc in præsentiarùm sufficiant. Præterea considerandum est etiam in hoc loco præter causam, quæ dicta est, id quod Innocentius Papa secūdus, in capitu. Si quis, suadente diabolo. 17. q. 4. ait: Si quis, suadente diabolo huius sacrilegij vitium vel crimen incurrit, quòd in clericum vel monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat.

Aetas fortior quæ dicatur.

Tob. 4.

IN CAPVT LXXI.

TRACTATVS CXLVI.

De congruentia huius capituli, & de obedientia impendenda inuicèm.

OBedientiæ bonum &c. Sanctus Pater Benedictus in exordio huius sanctæ regulæ, post bonorum operum instrumenta, obedientiam solidum posuit fundamentum. More ergò periti magistri, in eadem virtutē obedientiæ consummare voluit opus suum, à qua illud fuerat exorditus. Vndè postquàm omnes præsumptiones vetuit, ad summā obedientiæ perfectionem, quæ est, vt non solùm Abbatis, sed etiam sibi inuicèm fratres obediant, filios suos inuitare curauit.

Cōmendat huius capituli cōgruentiam.

In quo capitulo principaliter tria documenta ponit. 1. Primum est, vt non solùm Abbati fratres obediant, sed etiam sibi inuicèm. De qua ità dicit: *Obedientiæ bonum nō solùm Abbati exhibendum est, sed etiam sibi inuicèm ità obediant fratres, scientes per hanc obedientiæ viā se ituros ad Deum.* Obedientia planè via vitæ, via cæli est. Vndè obediētia scala est, quam Iacob in figura vidit: Gen. 28. Scala illa, vt ait scriptura, super terram stabat, & cacumen eius cælos tangebat, & angeli ascendebant & descendebant per eam, & Dominus erat innixus scalæ. Simili modo virtus obediētiæ stare dicitur, s. per cælestem intentionem: cacumen eius tangit cælū, quia perfecta obedientia immediate se habet ad cælum. Sicut enim inobedientia hominē expulit de paradiso terrestri: ità obedientia perducit ad cælestem. Per hâc obedientiæ scalam angeli ascendere & descendere dicuntur, quia siue nobis ministrent, siue Deo assistant, per viam obediētiæ semper incedunt: cuius voluntatem in omnibus summo studio adimplere festinant. Dicitur autem Dominus innixus esse huic scalæ, quia per viam obedientiæ incessit, & in mundum veniens, & de mundo transiens. De primo legitur Ioannis sexto: Descendi

Tria de obedientia documenta.

Obedientia quomodò sit scala Iacob.

Christi obedientia quanta fuerit.

ſcendi de cælo, non vt faciam volútatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me. De ſecundo, Ioannis 4. Meus cibus eſt, vt faciam voluntaté eius, qui miſit me. De tertio, Matt. 26. Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Ioannis 14. Sicut mandatum dedit mi-
Epiſt. 42. hi pater, ſic facio. Bernardus: Mementote fratres, Chriſtus nè perderet obedientiam,
2. perdidit vitā. Verùm quia dixerat omni-
Ordo obedientię. bus obediendum fore, nè aliqua confuſio oriretur ex hoc, ſubdit ordinem obedientiæ, qui ſeruandus eſt, videlicet quòd mandata Prælatorum, qui ſunt publicæ poteſtatis, præferenda ſunt imperijs ſiue mandatis priuatarum perſonarum, dicens: *Præmiſſo ergò Abbatis aut Præpoſitorum, qui ab eo conſtituuntur, imperio, cui non permittimus priuata imperia præponi, de cætero* i. poſteà *omnes iuniores prioribus ſuis*, id eſt, antiquioribus ſuis, *omni charitate & ſolicitudine obediant*. Senſus eſt, quòd ſalua obedientia Prælatorum, iuuenes debent obedire cum omni charitate & ſolicitudine antiquioribus patribus monaſterij in his, quæ illis iuſſerint facienda. Hic ſanctus pater Benedictus oſtendit, obſeruandum eſſe ordinem, quem beatus Auguſtinus obſeruandum eſſe docet, de verbis Domini, ſermone ſexto ſic dicens: Ipſos humanarum rerum gradus aduerte: ſi aliquid iuſſerit curator, nónne faciédum eſt? ſi tamen contra Proconſulem iubeat, non vtiq; contemnis poteſtatem, ſi eligis maiori ſeruire, nec huic debet minor iraſci, ſi maior prælatus eſt. Rursùs ſi aliquid Proconſul iubeat, & aliud Imperator, illo cõtempto, iſti ſeruiendũ eſt. Sequitur: *Quòd ſi quis contentioſus*, id eſt, obedire recuſans, rebellis, ſuperbè contendens, *reperiatur: corri-*
3. *piatur*, id eſt, caſtigetur. Sequitur tertium, vbi docet, qualiter frater placare debet animum iratum contra ſe, cuiuſcunq; prioris, ſiue maioris Patris monaſterij, dicens: *Si*
Ratio placandi animum ſuperioris offenſi. *quis autem frater pro quauis minima cauſa ab Abbate, vel à quocunq; priore ſuo corripitur quolibet modo, vel ſi leuiter ſenſerit animum prioris cuiuſcunq; contra ſe iratum, vel commotum, quamuis modicè, mox ſine mora tandiu proſtratus in terram, ante pedes eius iaceat ſatisfaciens, vſque dum benedictione ſanetur illa commotio*, id eſt, vſquequò verbo aut ſigno benedictionis ipſius patris prioris offenſi intelligatur ſanata illius cõmotio, & accepta ſatisfactio. Verùm prior ipſe debet dicere ilicò fratri proſtrato, quòd ſurgat, illique petenti veniam benigniter indulgere, ſecundùm illud ad Epheſios quarto: Donantes inuicèm, ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis. Et ad Coloſſenſes tertio: Donantes vobiſmetipſis, ſi quis aduerſùs aliquem habet querelam. Sequitur: *Quòd ſi quis contempſerit facere, aut corporali vindictæ ſubiaceat, aut ſi contumax fuerit, de monaſterio expellatur*. Quod eo loco intelligendum eſt, quandò talis eſt contumacia, vt recuſet omninò regula-
Cap. 21. rem ſuſcipere diſciplinam. Auguſtinus in regula: Qui autem nunquàm vult petere veniam, aut non ex animo petit, ſine cau-
Prælati nõ debent à ſubditis veniam petere. ſa eſt in monaſterio, etiãſi indè nõ proijciatur. Hoc autem quod hic dicitur, de petenda venia, non eſt accipiendum de ſuperiore reſpectu inferiorum, etiamſi in corrigendo modum exceſſiſſe contigerit. Au-
Cap. 40. guſtinus in regula: Quandò neceſſitas diſciplinæ in moribus coërcendis dicere vos dura verba compellit, ſi & ipſi modum vos exceſſiſſe ſentitis, non à vobis exigitur, vt à vobis ſubditis veniam poſtuletis: nè apud eos, quos oportet eſſe ſubiectos, dũ nimiùm ſeruatur humilitas, regendi frangatur authoritas. Sed tamen petẽda eſt venia ab omnium Domino, qui nouit eos, quos plùs iuſto fortè corripitis, quanta beneuolentia diligatis.

IN CAPVT LXXII.

TRACTATVS CXLVII.

De bono vel malo zelo.

S*icut eſt zelus* &c. Poſtquàm ſanctus pater Benedictus inſtruxit diſcipulum in ſuperioribus de cunctis virtutibus, in ſui operis conſummatione, docet eum ſanctum habere zelum, at-
tendens quòd, vt ait Gregorius ſuper Eze- Homil. 12.
chielem: Nullum omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum. Vbi poſita diſtinctione duplicis zeli, ſcilicet mali & boni, exhortatur fratres, vt ad inuicèm zelum feruentiſſimi amoris ex-
erceant, ſic dicens: *Sicut eſt zelus amaritudi-* Deteſtatio mali zeli.
nis malus, ſcilicet liuoris & inuidiæ, *qui ſeparat à Deo, & ducit ad infernum*. Iacobi tertio: Si zelum amarum habetis, & contentiones ſunt in cordibus veſtris, nolite gloriari, & mendaces eſſe aduersùs veritatem. Non enim eſt iſta ſapientia de ſursùm deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica. Vbì enim zelus & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus prauum. *Ità eſt zelus bonus*, ſcilicet amoris, de quo in pſal. 68. Zelus domûs tuæ comedit me, i. amor, dicit
Glo. Huiuſmodi autem zeli ſiue feruoris Ordin.
dilectionis, ponit tres effectus ſanctus pa-
ter. Primus eſt, purificatio à peccato. Secũ- Tres effectus boni zeli.
dus, deductio ſiue coniunctio ad Deum. Tertius eſt, vitæ æternæ conſecutio. De
primo dicit ſic: *Qui ſeparat à vitijs*, de quo 1. Hom. 31. in Euang.
Gregorius loqués ſuper illo verbo Luc. ſeptimo: Dimiſſa ei ſunt peccata multa, quoniam dilexit multùm. dicit ſic: Quid dilectionem credimus niſi ignem, & quid culpam, niſi rubiginem? Tanto ampliùs rubigo peccati conſumitur, quanto peccatoris cor magis charitatis igne concrematur.

De

2. De secundò: *& ducit ad Deum*: immò facit
adhærere Deo, secundùm illud 1. Ioan. 4.
Qui manet in charitate, in Deo manet, &
3. Deus in eo. De tertio inquit: *& ad vitã æter-*
nam, scilicet perducit meritorie. 1. Corin.
2. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec
in cor hominis ascendit, quæ parauit De-
Octo, in quibus debet bonus zelus exerceri. us his, qui diligunt eum. Sequitur: *Hunc*
ergò zelum scilicet bonum, *feruentissimo amore*
exerceant monachi inter se. Vbi notandum, quòd
in præsenti capitulo sanctus Pater octo
ponit, in quibus discipuli huius scholæ
1. debent sanctũ zelum exercere. Primò, ho-
nore se inuicèm præueniendo, ibi cùm ait:
vt honore se inuicèm præueniant, id est, vt quilibet
in honorando alterum primus esse stude-
at. De quo dicit Apostolus ad Roman. 12.
Interlin. Honore inuicẽ se præuenientes. Glo. Ali-
ter non est fraternus amor, nisi mutuis se
præueniant obsequijs. De hoc dictum est
2. satis circa instrumentum octauum. Se-
cundò, patienter tolerando passiones in-
firmantium fratrum, cùm dicit: *Infirmita-*
tes suas, siue corporum, siue morum, patientissimè to-
lerent. De quo etiam Apostolus ad Ephe. 4.
inquit: Cum patientia supportantes inui-
cem in charitate. Item ad Galat. 6. Alter al-
Lex Christi, lex amoris. terius onera portate, & sic adimplebitis le-
gem Christi. Lex autem Christi, lex amoris
est. Bernar. in epistola: Iungant se animis,
qui iuncti sunt institutis, inuicèm se foue-
ant, inuicèm se defendant, inuicèm onera
Prouerb. 18. portent. Ait enim Sapiens: Frater adiu-
uans fratrem, ambo cõsolabuntur. Quòd
si in alterutrum (quod absit) corroserint,
& momorderint, nónne desolabuntur?
3. Tertiò, mutuam obedientiam exhibendo,
ibi cùm subiungit, dicens: *obedientiam sibi cer-*
tatim, i. studiosè & cum feruore, *impendant*.
De quo Apostolus ad Gala. 5. Per charita-
tem spiritus seruite inuicèm. Et ad Philip.
4. 2. Superiores sibi inuicẽ arbitrãtes. Quar-
tò, vtilitatem proximi studiosè procuran-
do, etiam illam vtilitati propriæ præferen-
do, ibi cùm dicit: *Nullus quod sibi vtile iudicat,*
sequatur, sed quod magis alij, scilicet vtile aut
gratum fuerit. Bernar. In cõgregatione po-
situs, voluntates aliorum tuis volũtatibus
antepone, vt non solùm sine querela, sed
etiam cum gratia inter fratres maneas, por-
tans omnes, & pro omnibus orans, vt etiã
2. Mach. 15. de te quoq; dicatur, Hic est fratrum ama-
5. tor. Quintò, mutuum fraternitatis amo-
rem seruando, ibi cùm dicit scilicet: *chari-*
tatem fraternitatis casto, i. puro, mũdo, & dis-
creto, *impendant amore*: De quo etiam Apo-
stolus ait ad Roma. 12. Charitate fraterni-
6. tatis inuicèm diligentes. Sextò, Deum ti-
mendo: ibi, cùm ait, *Deum timeant*. De quo
Apostolus ad Ephes. 5. Subiecti inuicem
7. in timore Christi. Septimò, Prælatũ suũ,
vera & sincera charitate diligendo, & vera
humilitate honorando, ibi cùm ait: *Abbatẽ*
suum sincera, i. pura, vera, & non ficta, *& hu-* Serm. 3. in Aduentu Domini.
mili diligant charitate. Bernardus in sermone:
Redde reuerentiam Prælato, & obedienti-
am: quarum altera est cordis, altera corpo- Duplex obedientia Prælato exhibenda.
ris. Nec enim sufficit exteriùs obtempera-
re maioribus nostris, nisi ex intimo cordis
affectu similiter sentiamus de eis. Octa- 8.
uò, amorem Christi rebus omnibus præ-
ponendo, ibi cùm ait: *Christo omninò nihil*
præponant, qui nos pariter ad vitam perducat æter-
nam. Amen. Nihil enim summo bono, quod
Christus est, nisi peruersè præponi potest.
Augustinus libro cõfessionum: Tu es De-
us meus, non tãtùm bonus, sed ipsum bo-
num: neq; vlla anima potuit poteritve co-
gitare aliquid te melius qui summũ & opti-
mum bonum es. Illi autem præponunt ali- Qui dicantur aliquid Christo præponere.
quid Christo, qui non diligunt eum super
omnia: cuiusmodi est superbus, qui pro-
priam celsitudinẽ, celsitudini Christi præ-
ponit: sicut vanus, qui propter vanæ glo-
riæ ventum Christum contemnit: auarus,
qui pro lucro diuitiarum Deũ deserit: vo-
luptuosus, qui propter momentaneã de-
lectationem à Christo recedit, & ità de sin-
gulis peccatoribus, cùm, teste beato Augu- Simile quod habet Aug. lib. 1. q. ad Simpli. q. 2.
stino, peccatum nihil aliud sit, quàm auer-
sio ab incommutabili bono, & conuersio
ad bonum commutabile. Contra quod di-
citur Matth. 22. Diliges Dominum Deum
tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima
tua, & ex tota virtute tua. Aug. Si Deo in di
ligẽdo aliquid præponimus, vel æquamus,
nos ipsum diligere nescimus. Tanto enim
nobis meliùs est, quãto magis in illum, quo
nihil melius est, imus. Imus autem non am-
bulando, sed amando, quem tanto habe-
bimus præsentiorem, quanto eundẽ amo-
rem, quo in eum tendimus, poterimus ha-
bere puriorem. De hoc in superioribus no-
tauimus, tam circa instrumẽtum primum,
quàm maximè circa instrumẽtum 21. quod
fuit: Nihil amori Christi præponere: qua-
rè breuitatis causa ad superiora lectorem
remittentes, finem facimus.

IN CAPVT LXXIII.

TRACTATVS CXLVIII.

Et vltimus huius operis, de vltimo regulæ capit. vbi, quòd non omnis perfectio in hac regula sit constituta, ipsemet S. Benedictus testatur.

R*Egulam autem hanc* &c. Descripta
iam regula sanctæ religionis, nè
discipulus fortassis putaret, tã-
tam in huiusmodi regulæ do-
ctri-

ctrina perfectionem consistere, vt ad per-
fectionem iustitiæ, & virtutum culmina
consequenda nihil amplius esset quæren-
dum, curauit sanctus Pater in hoc capitu-
lo, totius operis sui termino, hanc opinio-
Distinctio capit. in 4. partes. nem tollere & remouere. Et diuiditur in
quatuor partes. In prima assignat causam
descriptionis suæ regulæ. In secunda de-
scribit libros aliquos, qui maximè legendi
essent ab eis, qui culmen perfectionis fe-
stinant ascendere. In tertia, ostendit quid
bonis & quid malis conferat lectio doctri-
næ, & exemplorum sanctorum patrum.
In quarta concludit, quòd obseruantia
1. huius regulæ est via ad alia, quę culmē per-
Cur hæc regula à S. Benedicto sit scripta. fectionis & sanctitatis conferunt. Circa
primum, dicit sic sanctus Pater: *Regulam
hanc descripsimus, vt eam obseruantes in monasterio,
aliquatenus vel honestatem morum, aut initium cō-
uersationis nos demonstremus habere.* Sensus est:
Hanc regulā descripsimus, vt huius scho-
læ discipulus, per huius regulæ obseruan-
tiam, morum honestate resplendeat, aut
saltem illum doceamus initium sanctæ cō-
uersationis tenere. In honestate enim, vt
lib. 1, cap. 1. ait Ambrosius libro de officijs, beatam vitā
esse positam, nulli dubitauerunt. Tantus
Ibidèm. quippe, vt idem Doctor sanctus attesta-
tur, est honestatis splendor, vt sicut Sol
ortus, Lunæ globum, & cætera luminaria
stellarum abscondit: ità & fulgor hone-
statis, vbì vero incorrupto splendet de-
core, cætera, quæ putantur bona secūdùm
voluptatem corporis, aut secundùm secu-
Honestas consistit in tribus. lum clara & illustria, obumbrat. Consistit
autem honestas morum in tribus, quæ bea-
tissimus pater Benedictus docuit in hac
1. sua regula. Primò, in fuga vitiorum. Vn-
lib. 1. offic. cap. 46. dè Ambrosius vbi suprà: Quid est aliud ho
nestum, nisi vt fugibilia fugiantur? Secū-
2. dò, in timore & amore ac cultu creatoris.
ibid. ca. 45. Ambrosius: Honestum est Domine, vt te
timeamus, te diligamus, te deprecemur, &
honoremus. Te enim decet hymnus in Si-
3. on. Tertiò, in disciplinata conuersatio-
ne exteriori, secundùm illud Augustini in
Cap. 20. regula: In incessu, statu, habitu vestro, &
in omnib' motibus vestris nihil fiat, quod
cuiusquam offendat adspectum, sed quod
Disciplina quid sit. vestrām decet honestatē. Disciplina enim,
In inst. nouit. cap. 10. vt ait Hugo de S. Victore, est conuersatio
bona & honesta, cui parum est, malum nō
facere, sed studet etiam in his, quæ be-
nè agit, irreprehensibilis apparere. Initiū
Cōmendatio timoris maximè in incipientibus. autem cōuersationis planè demonstratur
habere huius regulæ obseruator. Pēdet au-
tem sanctæ conuersationis initium ex ti-
more Dei, quē vt sanctus Pater in hac regu-
la discipulo incuteret, maximè laborauit,
Eccle. 1. sciens, quod initiū sapientiæ, sit timor Domi-
ni. Per hunc enim ad Deum velut quibus-
dam ianuis introitur, vt dicit Cassiodor'.

Et Grego. in Moralib. In via Dei à timore lib. 5. ca. 13.
incipitur, vt ad fortitudinē veniatur. qua-
rè Bernar. in sermone quodā: Ante omnia Serm. de diuersis affectib. animę
timor nouitijs necessarius est, quo nimirū
peccata præterita possint delere, & cauere
futura. Timor enim Domini, vt ait scri- Ecclesi. 1.
ptura, expellit peccatū, siue quod iam ad-
missum est, siue quod tentat intrare. Ex-
pellit illud pœnitendo: hoc, resistēdo. Ve-
rùm quia dixerat sanctus pater, quòd in
hac regula omnis obseruatio iustitiæ non
continetur, ostendit consequenter, quæ II.
est secunda pars huius capituli, videlicet Quales libros legere debeāt, qui ad perfectionis culmē festinant.
quos libros requirere, legere, & studere de-
beant, qui ad culmina virtutum & celsitu-
dinem perfectionis ascendere concupi-
scunt, dicens: *Cæterùm ad perfectionem conuer-
sationis qui festinant, sunt doctrinæ sanctorum pa-
trum.* Sensus est: Doctrinæ sanctorum pa-
trum sunt, in quibus legendum est, & à
quibus exempla sumenda sunt ab his, qui
cæterùm, i. ad maiorem perfectionem con-
uersationis festinant, *quarum* scilicet do-
ctrinarum *obseruatio perducit hominem ad celsi-
tudinem perfectionis.* Sequitur: *Quæ enim pagina,
aut quis sermo diuinæ authoritatis veteris ac noui te-
stamenti non est rectissima norma vitæ humanæ?* qua-
si dicat, nullus. Vndè de pagina veteris ac
noui testamenti, dicitur in psal. Lucerna Psal. 118.
pedibus meis verbum tuum: & lumen se-
mitis meis. Apostolus 2. Timo. 3. Omnis
scriptura diuinitùs inspirata, vtilis est ad
erudiendum &c. *Aut quis liber sanctorum catho-
licorum patrum hoc non resonat, vt recto cursu per-
ueniamus ad creatorem nostrum?* Hic sanctus pa-
ter tangit libros, quos ad expositionem sa-
cræ scripturæ veteris ac noui testamēti san-
cti patres, quorum doctrina suscepta est Catholici Doctores.
ab vniuersali Ecclesia, composuerūt, sicut
est beatus August. Hieron. Ambros. Chry-
sostomus, Gregorius Nazianzen', Leo Pa-
pa, qui omnes maximo studio hoc docere
& admonere curant, vt huius seculi bo-
nis mutabilibus spretis, recto cursu ten-
damus ad incommutabile bonū, Deum &
creatorem nostrum. Sequitur tertia pars, III.
vbi ostendit quid conferat bonis & malis Quid conferat bonis & malis huiusmodi lectio.
lectio doctrinæ & exemplorum sanctorū
patrum. Sequitur: *Necnon & collationes Pa-
trum, & instituta, & vita eorum, & regula sancti pa-
tris nostri Basilij, quid aliud sunt, nisi benè viuentium,
& obedientium monachorum exempla, & instrumen-
ta virtutum? Nobis autem desidiosis,* i. pigris, *& ma
lè viuentibus, atque negligentibus, rubor confusionis
est.* Sicut enim documenta & exempla pa-
trum, benè viuētibus instrumēta sunt vir-
tutum, i. media ad acquirendas virtutes:
ità negligentibus & malè viuētibus rubor
confusionis sunt. Grego. in homil. Mors Homil. 35. in Euang.
quippe iustorum bonis in adiutorium est,
malis in testimonium, vt indè peruersi si-
ne excusatione pereant, vndè electi exem-

plum accipiunt, vt viuant. De vtilitate
autem sacrarum lectionum plura notaui-
IIII. mus circa instrumentű 56. Sequitur quar-
Quam vtilitatē conferat hæc regula. ta pars huius capituli, in qua cōcludit vti-
litatem huius regulæ. vndè ait: *Quisquis er-
gò ad patriã cælestem festinas, hanc minimã inchoati-
onis regulam descriptam adiuuante Christo perfice:*
Hæc doctrina, cur regula dicatur. quoniã ipsa est recta via perueniẽdi ad re-
gnum cęleste. Regula autem ideò dicitur,
quia rectè ducit, nec aliorsum trahit, im-
mò normam rectè viuẽdi tribuit, & quod
distortum prauumq; est, corrigit, & rectè
regit. Vnde sanctus Pater in principio re-
gulæ sic ait: Ausculta, ô fili, præcepta ma-
gistri, & admonitionem pij patris libenter
excipe, & efficaciter comple, vt ad eum per
Quarè hãc regulã minimam appellet S. Benedictus. obedientiæ laborem redeas, à quo per in-
obedientiæ desidiã recesseras. Sed notan-
dum, quòd sanctus Pater hanc regulam su-
am minimam inchoationis doctrinam vo-
1. cat, tum quia pertinet ad initium conuer-
Interlin. sionis. Vndè Glo. super Illud Matt. 5. Qui
soluerit vnum de mandatis istis minimis:
dicit, minima sunt quæ inchoãt homines:
2. tum quia huius regulæ præcepta nihil ha-
bent quod graue aut asperum ad implen-
dum sit, vt ipse sanctus Pater attestatur in
Prologo, ità dicens: Constituenda est ergò
à nobis Dominici schola seruitij. In qua
institutiõe nihil asperũ nihilq; graue nos
constituturos speramus. tum minimã vo-
3. cat respectu scripturarum sacrarũ, quæ ex-
cellentioris perfectionis continẽt doctri-
nas: vel minimã vocat ratione humilitatis
4. ex parte suiipsius, qui author est regulæ: q
quia se minimum reputabat, doctrinã suã
minimam vocat. Sequitur: *& tunc demùm ad maiora, quæ suprà cõmemorauimus, doctrinæ virtutumq; culmina, Deo protegente, peruenies. Amen.*

CONCLVSIO OPERIS.

Benedictus Deus, qui inter tot & varia impedimenta dedit nobis hoc opus perficere. Accipe, dilectissime frater mi Arseni, opus, quod inter multarũ occupationum turbines, tuis precib⁹, immò charitatis tuę virib⁹ à nobis extorsisti. Quod cùm ad simplicium fratrum eruditionem colligi postulâsses, simplicitate sermonis vsi sumus, nec curauimus subtiles interserere quæstiones, sed doctrinas potiùs aliquas morales, quæ fratrum tuorum ædificationi iuuamenti aliquid conferre possent. Verũ charissime frater, &si tuæ charitatis voto in hoc nostro labore plenè nõ satisfecerim⁹, quod pro nostra insufficientia veremur, nihilominùs affectuosè rogamus, vt apud clementiã Domini nostri Iesu Christi saluatoris nostri, cuius & contẽplatione preces tuas in hoc laborioso opere principaliter suscepimus, & cuius adiutrice gratia opus ipsum cõsummauimus, tuis tuorũq; fratrum orationibus nostrã studeas recõmissam facere infirmitatem.

Explicit digna expositio in regulam beatissimi patris Benedicti, collecta feliciter per D.D. IOANNEM Cardinalem S.Sixti, DE TVRRE CREMATA vulgariter nuncupatum. Ad laudem Domini nostri Iesu Christi, & gloriosissimæ matris eius virginis Mariæ, & omnium Sanctorum in æternum.
Amen.

VITA SMARAGDI ABBATIS, EX IOANNIS TRITHEMII LIBRO DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS DESVMPTA.

SMARAGDVS Abbas monasterij S. Michaëlis, ordinis D. Patris Benedicti, vir in Diuinis scripturis valdè eruditus, & iugi studio earundem exercitatus, regularis disciplinæ auriga, sanctas scripturas exponendo, nomen suum longè lateq; notum fecit, & magnam opinionem scientiæ & conuersationis suæ acquisiuit. Scripsit enim multa præclara opuscula, de quibus ego tantùm reperi subiecta:

In Regulam S. Benedicti,	LIB. I. Cùm turbas plurimorum.
Diadema monachorum,	LIB. I. Hunc modicum libellum.
In totum Psalterium,	LIB. I.
In Epistolas & Euãgelia per annum,	LIB. II.
Sermones quoquè plures,	LIB. I.

De cæteris autem opusculis eius nihil vsquàm potui inuenire. Dicitur autem, quòd multos in Diuinis scripturis commentariorum tractatus ediderit. Sed & Donatum Maiorem exposuit, & multos secularium literarum authores explanauit.

Eadem ferè habet idem Trithemius, lib. 2. de viris illustribus ordinis S. Benedicti, cap. 83.

INCI-

INCIPIT PROLOGVS SMARAGDI ABBATIS EXPOSITIONIS REGVLAE SANCTI BENEDICTI.



[*al. fit]

CVM turbas plurimorũ cernerem monachorum in beati regula Benedicti interpretationes verborum, & intellectum diuersarum sententiarum, discretionemq́; iudiciorum sagaciter quærere plurimorum, quæ variante modulo varia * fit culparum: vt expositioni eius operam darem, & à meipso motus, & ab alijs fratribus sum coactus. Et quanuis eius expositione non indigeant docti, tamen simplex simplicibus grata est eius expositio monachis. Qui per eius obseruantiam, ad cælestia cupiunt scandere regna, de ea frequenter audire vel modica desiderant verba. Et qui eius tenentes rectitudinem, æternam sperant beatitudinem, crebrò regularẽ gaudent audire sermonem. Cuius, Domini opitulante gratia, iam ordinatim incipiam exponere verba.

INCIPIT EXPOSITIO REGVLAE B. BENEDICTI ABBATIS SANCTISSIMI.



[*al. proficiamus,]

OBsculta. Hæc nos hortantis verba sunt Benedicti. Ille etenim spiritu sancto repletus, vt nos ad meliora * ꝓficiscamur, hortatur. Sunt enim, qui cum ausu temerario reprę-hendere conantur, dicentes: Ausculta, debuit dicere, non obsculta: Nescientes quia sicut rectè dicitur, obaudi & obtempera, & obsecunda, & alia multa talia, ità rectissimè potest dici, obsculta. [Obsculta quod rectè dicatur.] *ô fili.* O interiectio, pro diuersis sensibus diuersas habet significationes: aliquandò admirantis, vt illud, O quàm pulchra est casta generatio. [O interiectio quid significet.] [Sap. 4.] Aliquotiès doletis, vt illud: O vos omnes qui transitis per viam, videte si est dolor, sicut dolor meus. [Thren. 1.] Aliquotiès optantis continet significationem: vt illud, O Domine, saluos nos fac: O Domine, benè prosperare: [Psal. 117.] quam & hic rationabiliter obtinet vim. Nam & filij nomine eum complacuit appellare, quem voluit habere * cohabitatorem. [Filium quẽ vocet.] [*al. imitatorem] Quatuor enim modis filij appellantur: natura, imitatione, adoptione, doctrina. Hic autem non natura, nec adoptione, sed doctrina vel imitatione filius appellatur, qui ad obscultanda magistri verba hortatur. *præcepta.* Præcepta sunt, quę aut quid faciendum, aut quid non faciendum sit, docent. [Pręcepta quę sint.] Faciendum, vt, Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo. [Matth. 22.] &, Honora patrem tuum, & reliqua. [Exodi 20.] Nõ faciendum, vt, Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, & similia. Quòd autem dicit, *magistri*, subintelligitur Christi. [Magistri nomine q̃d intelligat.] Quanuis enim abusiuè plures vocentur magistri, vt est illud in Ecclesiaste, de lege legisq́; latoribus dictũ: Quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno: [Eccle. 12.] vnus tamẽ per naturam est Dominus, magister & * præceptor. [*al. pater] Ipse enim ait: Et patrem nolite vocare vobis super terrã: vnus est enim pater vester, qui in cælis est. [Matth. 23.] Nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus. Nos verò quandò patrẽ vocamus hominem, honorem ætati deferimus, nõ authorẽ vitæ ostendimus. Magister verò ex consortio veri * magisterij veraciter dici potest. [*al. magistri] Quia sicut per naturam vnus Deus & filius non præiudicat cęteris, nè per adoptionem dij vocentur & filij: ità vnus * præceptor & magister nõ præiudicat alijs, vt absolutè patres appellentur & magistri. [*al pater] Magister, dux, gubernator, præceptor, vel doctor intelligitur: Cuius etymologia à Gręco sermone * στηρὸν descẽdit, [Magister quid, & vndè descendat.] Græce enim στηρὸν statio dicitur. [*for. στηρίγμ quod firmitatem & stabilitatẽ significat.] Ergò magister Latino sermone, maior in statione vocatur. *& inclina aurem cordis tui.* Auris enim cordis nostri tunc ad audiẽdum veraciter inclinatur, quandò admonitio pij patris, id est, Domini, à nobis libenter auditur: & efficaciter completur, quandò humiliter excipitur, & puro corde tenetur. [Autem cordis inclinare quid.] Hanc autem quærens Dominus, dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat. [Lucæ 8.] Auris enim, ab audiendo vel hauriendo vocatur. [Auris vndè dicta.] auris enim corporis, hominũ voces: cordis autem auris, intellectum haurit sermonis. *& admonitionem.* Admonitio propriè dicitur, quandò ea, in quibus exciderat homo, ad memoriam reducuntur. [Admonitio quid.] A paradisi enim

gaudio, exultatione & gloria, per inobe-
dientiã Adæ generaliter omnes recessimus:
sed ad ea, quæ per inobedientiam perdidi-
mus, imitando Christi obedientiam, qui
Phil. 2. factus est obediens patri vsque ad morté,
Pius pater redire debemus. *pij patris.* Pius enim pater ꝓ-
q̃s dicatur. priè ille dicitur, qui cordium * nostrorum
*al. aliorũ impietates valenter remittit: Cui Psalmi-
Psal. 31. sta ait: Dixi, confitebor aduersùm me in-
Dominus iustitiam meam Domino, & tu remisisti
cur pius impietatem cordis mei. Pius enim Domi-
dicatur. nus dicitur propter clementiam, benigni-
tatem & misericordiam. Pietas enim, pars
Epist. 29. est iustitiæ, quæ proprie, vt ait Augustin.
Dei cultus intelligitur. Pater enim ꝓpriè
Ephe. 3. Dns solus dicitur: quia, vt ait Apostolus, ex
illo omnis paternitas in cęlo & in terra no-
minatur. Nam & ille in Euãgelio dicit: Et
Matt. 23. patrem nolite vocare vobis super terram,
alius enim est pater vester, qui in cælis est,
Ierem. 3. Et per Prophetã ipse loquitur, dicens: Pa-
trem inuocabis me, & post me ingredi nõ
Matt. 6. cessabis. Et cui generaliter omnis, Pater no
ster, qui est in cælis, clamat Ecclesia. Quod
autẽ dicit, *libenter excipe.* intelligitur, studi-
osè, summoperè, & summa volũtate. Exci-
pere em̃, dicitur accipere, vel suscipere. Ad-
dit, *& efficaciter cõple.* Efficaciter aũt, faciliter,
Efficaciter expeditè, velociter, perseueranter, vel vi-
quid, & vn- gilanter intelligitur. Venit hoc aduerbium
dè deriue- à nomine efficax, qui nullam habet diffi-
tur. cultatem in faciendo. *vt ad eum per obedientiæ
laborem redeas, à quo per inobedientiæ desidiam re-
cesseras.* Quod autem dicit, *vt ad eum,* sub-
auditur Dominum. A Deo enim, sicut
suprà dictum est, siue generaliter in Adam
omnes & Eua, siue specialiter vnusquis-
que nostrûm per inobedientiæ vitium de-
sidiamque cordis recessimus: ad quem nos
per obedientiæ humilitatem, laboremque
beatus Benedictus hortatur redire. Obedi-
entia enim dicitur, humilitatis obtempe-
rantia, eô, quòd humiliter obediat vel ob-
temperet imperanti. Labor enim obedien-
tiæ, vocatur omnis humana actio recta,
quæ iustè à Domino imperata, ab audito-
ribus est secundùm distributionis eius gra-
tiam humiliter adimpleta. De bona autem
Prouer. 21. obedientia per Salomonem dicitur: Vir
obediens loquetur victorias. Vir quippe
obediens loquitur victorias, quia dum v-
nusquisq; electorũ per obedientiæ humili-
*al toto tatem Deo se * ꝓ amore subdit, & eius præ-
animo cepta humiliter implet, & pro his omnib9,
nõ sibi, sed Deo gratias agit, & ab inobedi-
entiæ culpa, miserante Deo, liber efficitur,
& de inobediente triumphans diabolo, in
Vir obediẽs cælum victor ascendit. Vir enim obediés
q̃ñ victori- victorias loquitur, quandò vnusquisq; vi-
as loquatur. tia calcat, vitiorumq; bella fortiter supe-
Rom. 8. rat, ità vt cum Paulo dicat: Sed in his omi-
bus superamus propter eũ, qui dilexit nos;
Et pro tanti triumphi victoria, nõ sibi, sed Psal. 113.
Deo tribuit gloriã, dicẽs cũ Psalmista: Non
nobis Dñe, non nobis, sed nomini tuo da Ad Deum
gloriã. Ad Deũ enim per obedientiæ labo- per obediẽ-
rem redimus, quandò ea quę nobis sunt ꝓ- tiæ laborẽ
cepta, totis virib9 humiliter adimplemus: redire, q̃d
quãdò propria voluntatem odimus, & de- sit.
sideria carnis nõ perficimus: quandò perse-
cutionemq; pro iustitia patiẽter toleramus:
quandò nec malum pro malo, nec maledi-
ctum reddimus pro maledicto: quãdò nec
dolum in corde tenemus, nec iracundiæ
tempus reseruamus: quãdò præcepta Do- Galat. 5.
mini factis quotidiè adimplemus, & seni- 1. Pet. 3.
orum nostrorum iussionibus in omnibus
obedimus: quãdò orationi * feruenter in- *al. frequẽ-
sistimus, vigilijs, ieiunijs, lachrymisque & ter incum-
multis laboribus, diuersisq; afflictionibus bimus.
castigatum corpus in seruitutẽ redigimus, 1. Cor. 9.
crucem nostram tollimus, & abnegantes Matt. 16.
nosmetipsos, post Christum currere festi-
namus. Labor prorsùs obediẽtiæ est, omnis
ꝓ Deo castigatio corporis, & afflictio cor-
dis, vilitas omnis, despectio & abiectio mo
nachorum. Hæc est enim arcta & angusta Matt. 7.
via, quæ per se gradientes ad vitam perdu-
cit æternam. In hac etenim fideliter labo-
rantes, & vsque ad finem laborando perse-
uerantes, ad * æternitatis satietatem refe- *al. æterni-
ctionemque inuitati, merebuntur audire: tatem
Venite ad me omnes, qui laboratis, & one- Matt. 11.
rati estis, & ego reficiam vos. Sicut enim
humilitas obediendo obedientia dicitur:
ità superbia inobedientia inobediẽdo vo- Pigritia
catur. Desidia autem, pigritia vel tarditas quantum
dicitur. Vndè & hi, qui ad bonum opus malum.
tardi, pigrique inueniuntur, desides vo-
cantur. Quo vitio mala omnia nutriente
concrescunt, & bona omnia, ne proficiat,
malè soporata quiescunt. De hoc enim vi-
tio per Salomonem dicitur: Pigredo im- Prouer. 19.
mittit soporem. Pigredo enim torpẽti ani-
mo soporem immittit, quia quem in bonis
operibus tepidum tardumque inuenerit,
vt in malis crescat, & oculos claudit, & ma-
nus ligat. Per eundem iterùm Salomonem Prouer. 20.
dicitur: Propter frigus piger arare noluit.
Propter frigus quippe piger non arat,
quia desidiæ torpore constrictus, agere quę
debet bona, dissimulat. Et dum parua ma-
la metuit, operari bona maxima prętermit-
tit. De quo pigro rectè subditur: Men-
dicabit ergò æstate, & non dabitur ei. Ibidẽm.
Quia qui in præsenti seculo, in bonis
operibus non desudat, cùm tẽpus retribu-
tionis aduenerit, à mercedis munere mente
vacua ieiunat. Ecõtrariò de formica idem Prouer. 30.
Salomon ait: Formicæ populus infirmus
parat in messe cibũ sibi. Quid per formicã, Formica
nisi strenua vita monachorũ signatur? qa strenuã mo
vita

naachorũ vitam cur significet. vita ad cõparationẽ amatorũ huius seculi,
per humilitatis gratiã, velut formicę, mini-
mi videtur. Hi enim in præsenti vita velut
in messe, fructum bonorum operum, vn-
dè in futuro gaudeant, congregare non
cessant. Item de obedientibus & inobedien
Prouerb. 15. tibus scriptum est: Mens iusti meditabitur
obedientiam, os impiorum peruersa. Mo-
nachus enim humilis, dum seniorum suo-
rùm imperio, ob amorem æternæ vitæ stu-
det parére, priùs obedientiam meditatur
Obedientis & inobedientis discrimen. in cogitatione: Inobediens verò, dum ma-
iorum iussa implere cõtemnit, verbis pro-
cacibus contradicit. Iste enim talis Adæ in-
obedientiam imitando, recedit à Domino:
Humilis autem monachus, Christi obedi-
entiam imitando, redit ad Deum. Adam
Gene. 3. enim peccauit: sed nec peccatum suum co-
gnouit, nec peccati veniam postulauit:
1. Pet. 2. CHRISTVS autem peccatum non fe-
cit, nec dolus inuentus est in ore eius: sed
vt nos à peccato redimeret, factus est obe-
Philip. 2. diens patri vsque ad mortem, & innocens
pro nobis passionem mortemque susti-
1. Pet. 2. nuit, nobis relinquens exemplum, vt imi-
tantes eum, sequamur vestigia eius. In Adã
enim cadente, omnes cecidimus, & omnia
• al. surreximus, bona perdidimus: in Christo autem • re-
surreximus, & maiora, & sine fine mansu-
ra recipimus: ità tamen, si perseueran-
ter eius vestigia teneamus. Adam obnoxia-
uit nos omnibus malis per propriam cul-
pam: sed CHRISTI nos liberauit ad-
uentus per gratiam. Et vt totum dicam,
inobedientia Adæ nobis abstulit paradi-
sum: obedientia CHRISTI donauit & re-
gnum. Ergò qui per inobedientiæ desidi-
am recessimus à Deo, per obedientiæ labo-
rem redeamus ad DEVM, vt impleatur in
Matth. 2. nobis, Per aliam viam reuersi sunt in regio-
• al. mihi nem suam. *Ad te ergò nunc • meus sermo dirigi-
tur*. Multi in hoc loco, meus pro mihi,
quasi emendantes, commutare conantur,
nescientes quia hoc gènere locutionis mul-
ti scholasticorum doctores vsi sunt, sicut
quodam loco beatus Gregorius ait: Hæc
mihi ad eos dicta sunt. Et alibi: Iã enim mi-
Sermo vndè nomen acceperit. hi ad vos sermo conuertitur. Sermo enim,
à serendo nomen accepit. Est enim disser-
tio vel collatio, quia non est vnius verbi
tantùm, sed à multis verbis serendo sermo
vocatur, vt Hilarij sermo, Augustini, & re-
• al. voluptatibus. liquorum. *Quisquis abrenuncians proprijs • vo-
luntatibus*. Abrenunciare enim poni solet,
Abrenunciare quid significet. pro eo quod est, spernere, reijcere, vel con-
tradicere, siue aliud aliquid, quod hoc ver-
Abrenũciatio fit duabus vicib⁹. bo in hoc sensu exprimi potest. Duabus
enim vicibus abrenunciatio fit monacho-
rum, siue omnium debet esse fidelium. Satanę
1. in baptismo. enim, qui & diabolus nuncupatur, primo
in baptismo ab omnibus fidelibus abrenun
ciatur, vt liberiùs saluatori Domino serui-

atur: quia iuxta eiusdẽ Domini vocẽ, Ne- Matth. 6.
mo potest duobus dominis seruire. Abre-
nunciatur operibus eius, quia opera illius
cõtraria sunt operibus Saluatoris. Abrenũ-
ciatur pompis eius, quæ vtiquè opera sunt
satanæ, sed eo quasi discerni videntur à cæ
teris operib⁹ eius, quia in eis superbia, cuius
ille author est, & quę eum deiecit de cælo,
quodãmodò designatur. Pompę eius sunt,
ambitio, arrogantia, vana gloria, & cætera
huiusmodi, quæ de fonte superbiæ proce-
dunt. Secundò autem à monachis & à fide- 2. in ppria voluntate.
libus Christianis abrenunciatur proprijs
voluntatibus exemplo Domini, qui ait: Nõ Ioan. 6.
véni facere voluntatem meam, sed eius, qui
me misit. Nam & Scriptura ait: Et à volun- Eccles. 18.
tatibus tuis auertere. Propria enim vni-
cuique dicitur, vernacula, priuata, vel pe-
culiaris voluntas. Voluntas autem ab eo, Voluntas à quo nomen habeat.
quod est velle, nomen accipit. Est autem
arbitrium mentis, potestas consilij sui, at-
que propositum sensûs sui. Et hoc est se- Secundùm hominẽ viuere quid dicatur.
cundùm hominem, non secundùm Deum
viuere. Ille enim secundùm hominem vi-
uit, qui secundùm seipsum, & secundùm
voluntatem suam viuit: qui cum quibus
vult, & vbi vult, pergit: quantum vult, &
quandò vult, dormit: quandò, & quamdiù
vult, loquitur quæ vult, & vbi vult: quan-
dò & quantum vult, manducat & bibit:
quantum & quandò vult, ridet: postremò,
quicquid oculis delectabile, quicquid na-
ribus suaue, quicquid cæteris est sensibus
carnis suæ iucundum, exercet ac sequitur.
Qui autem secundùm Deum viuit, non Secundùm Deum quis viuat.
eum carnaliter hæc omnia delectant, sed
quæ spiritalia sunt, spiritaliter eum ædifi-
cant, & omnia desideria carnis, spiritalis de-
siderij delectatiõe cõpescit: futura præsen-
tibus anteponit: carnem spiritui subdit: &
quicquid cupit aut agit, nõ vult ex sua, sed
Dei sui voluntate procedere, cui placere to
tis viribus cõcupiscit. *Domino Christo vero regi
militaturus*. Dominus dicitur eô, quòd do- Dominus cur dicatur
minetur vniuersæ creaturæ suæ, vel certè
quòd oẽs creaturę dominatui ei⁹ deseruiãt:
Christus verò à chrismate appellatur. Chri Christus cur.
sma eñ Græcè, Latinè vnctio dicitur. Quod
nomẽ etiã Domino nostro Iesu Christo ac-
cõmodatur, quẽ Deus pater nõ vtiquè visi-
bili, sed inuisibili & spiritali perunxit oleo.
Vndè & in Actib. Apost. ad patrẽ dicitur:
Collecti sunt in hac ciuitate aduersùs filiũ Acto. 4.
tuũ, quẽ vnxisti. Ad ipsum Psalmigraphus
dixit filium: Vnxit te Dominus Deus tuus Psal. 44.
oleo exultationis &c. Qui ideò rex verus ap Christ⁹ cur rex appelletur.
pellatur, quia omnia quę cõdidit, rectè sus-
tinet, gubernat, protegit, atq; regit. Quãuis
enim sancti, abusiuè reges dicãtur, vt est il-
lud in Psalmo: Et nũc, reges, intelligite. Et Psal. 2.
in Iob: Et reges in solio collocat: Tamen
Christus Dominus est verus rex, quia veri Iob 36.

Psal. 71. regis filius est. Vndè & Psalmista ait: Deus, iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Reges ergò sunt, sancti: quia tentationum suarum motibus non succumbendo, sed regendo præesse nouerunt. Reges sunt, sancti: quia prælati cunctis motibus carnis, modò luxuriæ appetitum frenant, modò æstum auaritiæ temperant, modò gloriam elationis inclinant, modò suggestionem liuoris obruunt, modò ignem furoris extinguunt. Sed hæc omnia nō suis viribus, sed Domino operante, perficiunt. Et quia, vt hæc operentur, à Domino accipiunt, nō propriè, sed abusiuè, reges dicuntur. Christus verò Dominus, verus rex regum, & Dominus dominorū veraciter esse probatur: quia sicut omnis creatura per illum facta cognoscitur, ità & per illum recta & gubernata esse probatur. Sicut enim milites seculi, sunt & milites Christi. Sed milites seculi, infirma & lubrica accipiunt arma: milites autem Christi, fortissima sumunt atque præclara. Pugnant illi contra hostes, vt se, & interfectos, ęternam perducant ad pœnam: pugnant isti contra vitia, vt post mortem, æternam vitam consequi possint & præmia. Illi, vt descendāt ad tartara: isti, vt ascendant ad gloriam. Illi, vt post mortem cum dæmonibus mancipentur inferno: isti, vt cum angelis inperpetuùm possideant regnum. Illi, vt dæmonibus socientur semper: isti, vt cum angelis semper læt:ntur. Illi, vt cum diabolo semper lugeant: isti, vt cum Christo semper exultent. Vtrorunque militum genus, vna sententia cōpræhendit Apostolus Paulus. Ait enim: Nemo militās Deo, implicat se negocijs secularibus. ostēdens esse milites Dei, sicut sunt & seculi. Duplex ergò militia, duo genera militū signat. Alios militia spiritalis ad cælestia castra, per gratuitam gratiam cęlestis imperatoris, adducit: alios militia corporalis laborare cum mūdo, secundùm voluntatem terreni regis, adstringit. Milites seculi, passionibus & desiderijs tenentur obnoxij: milites Dei, carnem suam crucifigunt cum vitijs & concupiscentijs. Illi dapibus nutriuntur, isti virtutibus. Illi rapere aliena coguntur, isti autem propria vel patienter perdere, vel misericorditer cupiunt erogare. Illi gerunt, vndè laudibus falsis extollantur: isti quærunt, vndè sempiternis præmijs honorentur. Illis tribuit imaginem lætitię vanitas, istis vera confert gaudia veritas. Illi suis vtilitatibus consulunt, isti communibus. Illi perituram, perituri, * possidere festināt gloriam: isti nunquàm periturā, nè inęternùm pereant, possidere desiderant. Illis, viuere labor est: & mori, supplicium: Istis viuere Christus est, & mori lucrum. Illi præliantur contra visibiles, isti contra inuisibiles inimicos. Illos auaritia facit esse crudeles, istos misericordia benignos. Illos inuidia contentiosos, istos facit mansuetudo pacificos. Illi per superbiam pro suis honoribus litigant: isti per humilitatē, alter alterum existimat superiorem sibi. Per illos Babylonia regitur: per istos, & in istis à Domino Hierusalem cælestis administratur. Milites seculi, prosperitas extollit, aduersitas deijcit: Milites autem Dei, siue in prosperitate, siue in aduersitate, immobiles perseuerant. *obedientiæ fortissima atq; præclara arma assume.* Arma enim obedientiæ, ideò fortissima beatus nominauit Benedictus, quia omnes humanos labores, qui voluntariè fiunt, obedientiæ labor exuperat. Quid enim fortius esse potest, quàm vt se homo ex omnibus seruum faciat hominum, & cùm sit liber & honoratus, velut vile mancipium despectumq; se cūctis exhibeat & abiectum, ità vt dicat: Ego autem sum vermis, & non homo: opprobriū hominis, & abiectio plebis? Quid fortius, quàm vt percussus in maxillā, præbeat aliam? auferenti tunicam, dimittat & palliū: angariatus milliario, vadat & duo: & in his omnibus gaudeat, quia dignus est habitus, pro nomine Domini contumelias pati. Quid enim fortius aut durius esse potest, quàm vt homo homini voluntariè se in omni subdat obedientia, & duras & contrarias in ipsa obedientia patienter illatas sustineat iniurias? quàm vt omni vilitate, & extremitate contentus sit, & ad omnia, quæ illi iniunguntur, paratus, & omnibus se inferiorem & viliorem, non solùm sua lingua pronunciet, sed etiam corde existimet: & vbicunquè fuerit, sederit, vel ambulauerit, inclinato sit semper capite, defixis semper in terram oculis, reum se de peccatis suis existimet, dicens: Domine, nō sum dignus adspicere & videre altitudinem cæli præ iniustitijs meis. Videamus, cur beatus Benedictus obedientię arma, fortissima atque præclara dixerit. Ideò fortissima, quia omnes humani generis labores, qui voluntariè fiunt, vt suprà diximus, obedientiæ labor exuperat. Fortissima enim sunt obedientiæ arma, vt abneget semetipsum homo sibi: præclara, vt sequatur Christum: Fortissima, vt declinet à malo: præclara, vt faciat bonum: Fortissima, nè reddat malum pro malo: præclara, vt reddat pro malo bonum: Fortissima, nè maledicentem se, maledicat: præclara, vt etiam benedicat: Fortissima, nè in corde teneat odium: præclara, vt tanquàm semetipsum, diligat inimicum, & proximū: Fortissima, in abiectione: præclara, in operatione: Fortissima, in tolerantia: præclara, in obedientia: Fortissima, in cōtinuato ieiunio: præclara, in recreatione pauperum: Fortissima, sint lumbi vestri præcincti: præclara, & lucernæ ardentes.

Sancti cur reges vocentur.

Apocal. 19.

Militū seculi & Christi, differentiæ plures.

2. Tim. 2.

Galat. 5.

* al. saluare

Philip. 1.

Obedientię arma, cur fortissima.

Psal. 21.

Matth. 5.

Actu. 5.

Cur eadem fortissima & præclara varię rationes.

Lucæ 12.

dentes. In propria enim infirmitatis tolerantia, fortissima: in visitatione aliorum infirmorum, præclara. Nè vanitatis mendacio resoluatur, fortissimæ: vt veritatem corde & ore loquatur, præclara. In tolerando patienter iniurias, fortissima: in nō faciendo toleratas, præclara. In refrenando appetitum gulæ, fortissima: in frugalitatis & parcitatis amore, præclara. In castitatis amore, fortissima: in castigatione corporis, præclara. Sed & hoc veraciter dicere possumus, quia quantùm in præsenti vita obedientiæ arma fortissima sunt in operatione, tantùm præclara erunt in æterna remuneratiōe. Et quantùm in exercitatione præsentis vitæ fuerint fortissima, tantùm in futura requie erunt præclara: Quantùm in via aspera & grauia, tantùm in perueniente erunt amœna & leuia: Quantùm in præsenti despecta, tantùm in futuro erunt honorata. Obedientibus enim Apostolus

Coloss.3. ait: Mortui enim estis, & vita vestra abscōdita est cum Christo in Deo. Cùm enim CHRISTVS apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria. De

Ioan.17. eisdem ipsis, & Dominus patri dicit: Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam: & ego claritatem, quam dedisti mihi,

Matth.19. dedi eis. Et cū Apostolis audiūt: Amē dico vobis, quòd vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. *In primis, vt quicquid agendum inchoas bonum.* In primis, id est, initio conuersationis, vel inchoationis boni operis, dicit, Insidias inter te & antiquum serpentem esse intellige, monache: tu illius, quantùm præuales, nociuum contere caput: quia ille tuo, quantùm value-

Serpentis caput, quando conteratur, & à quo. rit, non cessabit insidiari calcaneo. Tunc enim caput serpentis prudenter conteris, si initium malę suggestionis eius nec consentis, nec recipis: & si cogitando recipis, meditando non nutris. Ille, inquam, caput serpentis benè conterit, qui suggestiones eius nec cogitando ruminat, nec desiderando fouet, nec meditando nutrit, nec consentiendo, nec nutriendo ad peccati perpetrationem perducit. Et hoc modo qui caput serpentis conterit, totum à se diaboli corpus repellit. Callidus enim serpens & lubricus, vbi caput suggestionis suæ merserit, totus conatur illabi: vt à

* al. receptum est, totus malè recipiat, totum malè possideat victum. quo malè * receptus est totus, malè recipiat totum, & malè receptum, malè possideat victum. Caput ergò serpentis, id est, suggestionem diaboli, bonus monachus initiò conterat, nè eius possessio in fine fiat. Benè conterat, nè malè conteratur: feriat, nè feriatur: occidat, nè occidatur. Et in his omnibus fortis victor existens, non sibi laudes, sed creatori suo referat gratias, à quo accepit vt vinceret, nè victus periret. Ergò totam solicitudinis suæ custodiam ad calcaneum extremæ vitæ suæ prouidus monachus conuertat, nè venenato morsu serpētis improuidus pereat. Quid enim per hominis calcaneum, nisi tempus vitæ significatur extremum? Quid callidus insidians inimicus, pestifero dente percutit, si à custodia sui animus malè sanus recedit? Ergò monache salutis tuæ audi consilium, & operis tui solicitè serua calcaneum, nè in fine vitæ tuæ deceptus, alicuius erroris labaris in deuium: & vbi sperabas recipere præmium, ibi deceptus inuenias detrimentum: & vbi sperabas lætus scandere cælum, ibi tristis mittaris in tartarum: & incautus subitò perdas, quod diu acquisitum inæternùm habere poteras. Quid enim prodest homini opus bonum inchoare, & non perficere? Non enim ait Scriptura, Qui Matth.10. & 24.
inchoauerit: sed, Qui perseuerauerit, saluus erit. Inter cætera enim sacrificiorum genera, Domino iubetur offerri cauda. Exod.29. Leuit.5.
Sicut enim in calcaneo, ità finis corporis ostenditur in cauda. Et ille benè caudam Domino in sacrificio immolat, qui in bono opere vsque in finem perseuerat. Caudam in sacrificio, quis Domino offerat.
Caudam enim hostiæ Domino offerimus, quandò opus bonum perseueranti fine complemus. Nam & Ioseph, quis Gene.37.
auctus interpretatur, talari tunica vestitus esse describitur. Tunica verò qua indutus erat, perseuerantiam boni operis significat. Tunica Ioseph quid designet.
Ille autem talari tunica viuens ornatus incedit, qui virtutibus auctus, in bono, quod cœpit, ad perseuerantiam tendit: & bonum, quod agere cœpit, imperfectum non relinquit. Tunica talari, quis ornatus dicatur.
Extendat ergò prudens monachus tunicam boni operis sui vsque ad talum, nè inimicum humani generis patiatur infestum, & nè * perinseuerantiam tunica nudum, in profundum mergat infernum: aut partimque vestitum, partimque truncatum ad ignominiam, inæternùm conseruet damnandum. * al. & perseuerantiæ nudum in profundū &c.
Talaris ergò tunica, pedes monachorum perseueranter ornet, & muniat, vt in fine vitæ Deo illos feliciter reddat, vbi cum felicitatis gloria, æterna consequantur & præmia. *ab eo perfici instantissima oratione deposcat.* Sed vt hæc tibi, quisquis es, monache, Deo largiente, proueniant, non tardè, non trepidè, sed instantissima oratiōe deposcas. Audi Apostolum, de instantia orationis monentem. Ait enim: Coloss.4.
Instate orationi, vigilantes in ea. Et iterùm: Vigilate & orate. Et alibi dicit: Matth.26.
Opor-

Lucæ 18. Oportet enim semper orare, & nunquàm
Iacob 5. deficere. Multū enim valet, ait Apostolus,
3. Reg. 17. oratio iusti assidua. Oratio Heliæ, cæli car-
Daniel. 3. dines clausit. Oratio Danielis, leonum ora
Daniel. 6. conclusit. Oratio trium puerorum, cami-
num ignis extinxit. Oratio ecclesiastica, Pe-
Acto. 12. tri vincula soluit. Oratio Cornelij, aures
Acto. 10. penetrauit Domini. Oratio in cruce, latro-
Lucæ 23. ni paradisum aperuit. Non enim pigeat in-
stanter orare monachum, quia quem orat,
habitatorem intra se habet Dominum: Sic
1. Cor. 3. enim ait Apostolus: Templum Dei estis, &
spirit⁹ Domini habitat in vobis. Citò enim
ab habitatore Domino exaudiuntur, qui
eius habitationis, templum & habitaculū
fiūt. Intra enim se portat, quem rogat: im-
mò ab illo exauditur, à quo portatur. Qui
vult ergò opus bonum ad perfectionē per-
ducere, orationi frequenter debet incum-
bere. Oratio enim, supplicatio vel petitio
Oratio qd, & vndè dicta. dicitur. Dicta autem oratio, quasi oris ra-
tio. Contextus autem verborum sine sen-
su, non est oratio, quia non est oris ratio.
*vt qui nos iam in filiorum numero dignatus est com-
putare:* Tunc enim nos Dominus primùm
misericorditer in filiorum dignatus est nu-
mero computare, quandò eum per fidem
meruimus recipere. Sicut Euangelista Ioan
Ioan. 1. nes ait: Quotquot autem receperunt eum,
dedit eis potestatem filios Dei fieri. quandò
non spiritum seruitutis in timore, sed spi-
Rom. 8. ritum adoptionis accepimus filiorum, in
quo clamamus, Abba pater: & adoptione
filiorum recepta, abrenunciauimus diabo-
lo, & operibus, & pōpis eius in baptismo.
Posteà autem in filiorum numero compu-
tati sumus, quandò per conuersionis grati-
am mundum reliquimus, & secuti sumus
Christum, audientes Prophetæ vocem, di-
Psal. 44. centis: Audi filia & vide, & obliuiscere po-
pulum tuum, & domum patris tui: Quan-
dò obliti sumus patrem, mundum, qui nos
malè lactando nutriuit, & secuti sumus pa
trem Christum, qui nos benè castigādo la-
ctauit, & benè lactatos hortatus est, dicens:
Ierem. 3. Patrem inuocabis me, & post me ingredi nō
cessabis. Magna dignatio Dei patris, nos in
seruorum numero esse non meremur, ille
nos in filiorum numero computare nō de-
dignatur. Grandis, inquam, dignatio est,
Ephes. 2. vt cùm simus naturaliter filij iræ, & ab in-
fantia peccatores, filij Dei misericorditer
vocemur & hæredes: hæredes quidem Dei,
Rom. 8. cohæredes autem Christi. Magna bonorū
est apud Deum patrē exaltatio monacho-
Daniel. 12. rum, quibus promissum est, vt fulgeāt sicut
sol in regno cælorū, vt sedeant super duo-
Matth. 19. decim thronos, iudicātes duodecim tribus
Israel. Qui à Domino cum Apostolis audi-
Ioan. 15. re merebuntur: Sicut dilexit me pater, &
ego dilexi vos. Manete in dilectione mea.
Ibidem. Quibus & dicit: Iam nō dicam vos seruos,

sed amicos. Et videbo vos, & gaudebit cor Ioan. 16.
vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet
à vobis: & quodcunque petieritis patrem
in nomine meo, dabit vobis. Grādis digna-
tio est, pro quibus filius patrem exorat, di-
cens: Pater sancte, serua eos in nomine tuo, Ioan. 17.
vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus: &
volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum, vt
videant claritatem meam, & ego claritatem
quam dedisti mihi, dedi eis. *non debeat ali-
quandò de malis actibus nostris contristari.* Actus, Act⁹. à quo
ab agendo & actione nomen accipit. Ope- nomen ac-
ra enim nostra, siue bona, siue mala, actus ceperit.
nostri significāt. Si enim recta fuerint ope-
ra nostra, de his actibus nostris Dominus
lætatus exultat: Sin autem fuerint praua,
contristatus de illis, pariter illa & nos con-
demnat & iudicat. Sicut enim Dominus pa
ter in filijs lætatur electis, ità tristatur in re-
probis. Ait enim Salomon in Prouerbijs: Fi Prou. 10.
lius sapiens lætificat patrem: filius autem
stultus, mœstitia est matri suæ. Quia nō so-
lùm Dominus pater in filio nequam, sed &
mater sancta contristatur Ecclesia. Nam &
Apostolus ait: Nolite cōtristare spiritum Ephe. 4.
sanctum, in quo signati estis. Spiritū enim
sanctum contristamus, quandò ea quę non
sunt illi placita, agimus: & quę placita sunt
illi, agere recusamus. Omnium enim bono- S. Spiritum
rum author est Christus: malorum autem, quando cō-
diabolus: de his autem, quos in suis sanctis tristemus.
actibus proficere Christus cernit & cresce-
re, lætatur. De his autē, quos in diaboli acti-
bus irretitos videt & deditos, contristatur.
Cōtristari enim Dominus dicitur nō pro- Deus quo-
prie, sed abusiuè. A nostro enim vsu tractū modò con-
est. Nam Dominus, qui semper idē est, nun- tristari dica
quàm contristatur, quia nunquàm muta- tur.
tur. *Ità enim ei omni tempore de bonis suis in nobis pa-
rendum est.* Tempora autem à motu siderum Tēpora vn-
sunt dicta. Vndè & Domin⁹, cùm hæc * in- dè dicta.
stitueret, dixit: Vt sint in signa, & tempo- * al. con-
ra, & dies, & annos, id est, in aliquo motu struerét.
mutabili, cui⁹ aliquid priùs, aliquid poste- Gene. 1.
riùs præterijt, eò quòd simul esse non pos-
sunt. Tempora enim momentis, horis, die-
bus, annis, lustris, seculis, & ætatibus diui-
duntur. Nam propriè nec cētum anni sunt
vnum tempus, nec vnus mēsis, nec dies, nec
hora: quia cùm * aliud transit, aliud adue- * al. aliquid
nit, simul esse vnum non potest. Quod au-
tem dicit, ità ei parendum est, subintelligi-
tur vero regi Christo, cui superiùs obedien
tia armatum, militaturum dixit esse mona-
chum. Parendum dicit, id est, obsequendū,
vel obediēdum, vel obtemperandū. Quod
verò dicit, omni tempore, in prosperis, &
in aduersis intellige dictum. Quod ergò in-
tulit, de suis bonis ei esse parendum, osten-
dit quia nihil, vndè ei parēre possimus, ha-
bemus de nostro. Ergò qui nec velle, nec * al. poss.
posse * habemus de nostro, festinemus illi mus habere
omni

omni tempore parére de ſuo. Tunc enim
Deo de bonis ſuis paremus, quandò de ac-
ceptis virtutibus, non nobis, ſed illi gratias
agimus: quandò illius mandata prædican-
Ioan. 14. tes ore, cõplemus & opere, ſicut ipſe ait: Si
diligitis me, mandata mea ſeruate: quandò
noſmetipſos abnegantes, crucemq; feren-
tes, ſequimur Dominum toto corde lætan-
Lucæ 8. tes: quãdò accepto ſemine verbi, corde bo-
no & optimo, & ab omni malitię fęce pur-
gato, aliud triceſimum, aliud ſexageſimũ,
aliud verò cẽteſimum reddimus fructum:
Matt. 25. quandò accepto pecuniæ talẽto, ad Domi-
num cũ magno redimus lucro: quãdò pec-
Matt. 18. canti in nobis, non ſolùm ſepties dimitti-
Lucæ 17. mus, ſed vſque ſeptuagiès ſepties: quandò
* al. ſummis in * ſummi regis nuptijs inuitati, cum veſte
recumbimus nuptiali, nè aut cum illo, qui
fratri in ſe peccanti dimittere noluit, aut
cum illo, qui pecuniam domini ſui, ſodiẽs
in terram, abſcondit: aut cum illo, qui in
Matt. 22. nuptijs, non habens veſtem nuptialem, in-
trauit, pedibus & manibus ligati, in tene-
bris exterioribus incluſi, & in pœnã perpe-
tuam mereamur eſſe damnati. Vnde & ſe-
* al. non aliquadò ſuos filios exhæredet, quitur, *vt non ſolùm iratus pater, * ſuos non ali-
quandò filios exhæredet, ſed nec vt metuendus domi-*
*** al. iratus** *nus, * irritatus malis noſtris, vt nequiſſimos ſeruos per-
petuam tradat ad pœnam, qui eum ſequi noluerunt ad
gloriam.* Quod aũt dicit, iratus pater, nõ hoc
propriè in Domino, ſed abuſiuè, intellige
dictũ. Humano enim vſu hęc, & his ſimilia
in ſcripturis ſacris de Dño plurima inue-
Iratus, quis dicatur. nies dicta. Iratus eñ, dicitur ira actus, i. agi-
tatus. Quæ duobus modis in Dño dicitur:
Ira, duobus modis in Deo. aut cùm flagellat oẽm filiũ, quem recipit ad
gloriã: aut cùm percutit omnẽ impiũ, quẽ
Heb. 12. tradit ad pœnam. Pater enim noſter ideò di
citur Dñs, quia ille nos, vt eſſemus, creauit:
& per baptiſmi gratiã, iterùm recreauit, &
Rom. 8. renatis ſpiritum ſanctũ, in quo clamamus,
Matt. 6. Abba pater, tradidit. Et, Pater noſter qui es
in cælis, ideò nos orare præcepit. Pater eñ,
* al. nomen accepit, dignitatis & honoris * eſt nomẽ, quod ve-
raciter in ipſo Domino cõſtat eſſe perfectũ.
Ephe. 3. De illo enim Apoſtolus ait: Ex quo omnis
paternitas in cælis & in terra nominatur.
Rom. 8. Et, Ipſe ſpiritus quẽ accepim⁹ in baptiſmo,
teſtimoniũ reddit ſpiritui noſtro, quòd ſu
mus filij Dei. Si autẽ filij, & hęredes: hęredes
quidẽ Dei, cohæredes autẽ Chriſti. Quã hę
1. Pet. 1. reditatẽ, alio loco Apoſtolus incorruptã &
incontaminatã, & immarceſcibilẽ appellat,
& nobis eã in cælis cõſeruatã eſſe ꝓnũciat.
Ioan. 1. Ipſe eñ qui dedit nobis poteſtatẽ filios Dei
1. Pet. 3. fieri, ipſe etiã dedit nobis poteſtatẽ hęredi-
Matt. 10. & 24. tatẽ in cęlis accipere: ſi tamẽ ſalui perſeuera
uerim⁹ vſq; in finẽ. Incorruptibilẽ ideò cę-
Hæreditas cæleſtis, cur incorruptibilis vocetur. leſtẽ dixit hæreditatem, quia nec ſenio tan-
gitur, nec morbo fœdatur, nec morte cor-
rũpitur, nec pœnitentiæ mœſtitia, nec par-
citatis cõtinẽtia coarctatur. Nihil enim ex-
teriùs recipit, à quo corrumpi aut * violari * al. annihilari
poſſit. Incõtaminatam ideò eam narrauit,
quia ſemper in ſemetipſa integra & inuio- Cur incontaminata.
lata perſeuerat, & nec hæredũ termino, nec
fine coarctatur extento. Non eam occultus
cõtaminat latro, nõ violẽtus * diripit prę- * al. dirimit
do, ſemper incõtaminata: ſemper eñ perſe-
uerat incorrupta. Ideò immarceſcibilẽ eam Cur immarceſcibilis.
dixit, quia nec ſectione falcis, nec caumate
ſolis, violẽter oppreſſa marceſcit. Sẽper eñ
viridis, ſemper perſeuerat immortalis. Eſt
enim in filijs florida, in virtutibus fœcũda,
in delicijs amœna, in hęredibus pręclara, in
poſſeſſoribus glorioſa, & in præmiorũ do-
nis ſemper excelſa. In illa enim eſt vita æter-
na, immortalitas ſempiterna, poteſtas per-
petua, pax longa, ſanctificatio certa, iuſtifi-
catio vera: &, vt breuiter dicã, Chriſtus eſt Ephe. 1.
hæreditas noſtra, in quo eſt bonitas tota.
Vndè ſummoperè cauendũ eſt, nè nos ira-
tus pater, ab hac tã clariſſima hęreditate eli-
minet, & vt metuẽdus dominus, * irat⁹ ma * al. irritatus à malis
lis noſtris, vt nequiſſimos ſeruos perpetuã
tradat ad pœnã. Notãdũ, quia qui primùm
rectè credẽdo, & benè viuẽdo vocati ſunt
filij, ijdẽ ipſi poſteà malè viuẽdo vocantur
nequiſsimi ſerui. De talibus enim per Iſaiã
Dominus ait: Filios enutriui, & exaltaui: Cap. 1.
ipſi autẽ contemnentes, ſpreuerunt me. Er-
gò qui recipiendo Dominum, dilectiſſimi
filij: ipſi ſpernendo illum, vocãtur nequiſ- Duo ſeruorum genera in ſcripturis.
ſimi ſerui. Duo enim ſeruorum genera, di-
uinis in ſcripturis inueniuntur: vnum bo-
norum, aliud verò malorum: Bonorum, de Boni.
quibus per Iſaiã Dominus dicit: Eccè ſerui Cap. 65.
mei bibẽt, & vos ſitietis: Eccè ſerui mei læ-
tabũtur præ exultatiõne cordis, & vos cla-
mabitis præ dolore cordis, & præ cõtritiõe
ſpiritûs vlulabitis. De quibus Dominus in
Euangelio ait: Eugè ſerue bone & fidelis, Matt. 25.
quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa
te conſtituam. Malorũ autẽ genus ſeruorũ Mali.
eſt, de quib⁹ ſcriptũ eſt: Omnis qui peccat, Ioan. 8.
ſeruus eſt peccati. Seruus autem non manet
in domo in æternum. Et, Serue nequam, Matt. 18.
omne debitum dimiſi tibi, &c. De quibus
& hîc ait, vt nequiſſimos ſeruos perpetu-
am tradat ad pœnam. Non enim Dominus
aliquem, ſed * ſeipſum tradit ad pœnam, * al. ipſe ſe
qui peccare nõ dubitat. Scriptum eſt enim:
Quaſi à facie ſerpentis, ſic fuge peccatum. Eccli. 21.
Ergò ipſe ſe cruciandum ſerpenti tradit
diabolo, qui nec metuit, nec fugit pecca-
tum. Ipſe ſe perpetuam tradit ad pœnam,
qui mollis & diſſolutus viuens, peccare nõ Pœna vndè dicta.
ceſſat. Pœna dicta eſt, eò quòd peccatores
in tormentis conſtringat & puniat. Intel- * al. gehenna, tormenta perpetua, ſupplicia ſempiterna.
ligitur enim pœna, in manus peccatorum
gehenna * perpetua, ſupplicium ſempiter-
num, concrematio infinita, conſummatio

certa, mors vera, cruciatus æternus, dolor
perpetuus, continuus gemitus, interitus
Cap. 66. sempiternus. Vndè, secundùm Isaiam, Im-
piorum vermis non moritur, nec ignis eo-
Vermis nomine, quid Isaias intelligat. rum extinguitur. Vermem dicit, diabolum
& angelos eius, qui animas impiorum vel-
ut vermes dente malitiæ rodunt, & igni in-
extinguibili & æterno, semper ardendas, &
semper cruciandas tradunt. Ad hanc enim
meritò terribilem traduntur pœnam, qui
Christum sequi nolunt ad gloriam, ad il-
Psal. 149. lam videlicet, de qua Psalmista ait: Exulta-
bunt sancti in gloria. Et benè positum est,
Coloss. 3. sequi, quia vocantur, vt Apostolus ait: De-
us autem omnis gratiæ, qui vocauit nos ad
æternam suam gloriam, vt cùm Christus
apparuerit vita nostra, tunc & nos appa-
Gloriæ nomine quid intelligatur. reamus cum illo in gloria. Gloriam dicit vi
tam æternam, gaudium plenum & sempi-
ternum, vbi est certa securitas, secura tran-
quillitas, tranquilla iucunditas, felix æter-
nitas, æterna felicitas: vbi est amor perfe-
ctus, timor nullus, dies æternus, alacer mo-
tus, vbi fulgentibus meritis sanctorum con
gregatio micat, æterna salus exuberat, ve-
ritas regnat, vbi est intellectus sine errore,
memoria sine obliuióe, cogitatio sine per-
turbatione, charitas sine simulatione, sen-
sus sine offensione, incolumitas sine debi-
litate, salus sine dolore, vita sine morte, fa-
cilitas sine impedimento, saturitas sine fa-
stidio, & tota sanitas sine morbo. *Exurga-
mus ergò tandèm aliquandò*. Ociosis enim &
ignauiæ sopore depressis, Exurgamus, re-
ctè dicitur: quia anima somno negligen-
tiæ dedita, & tarditatis inertia pressa, qua-
si dormiens in ociositatis lecto malè so-
porata quiescit. Exurgamus enim, dicit, id
est, erigamus nos ab illo negligentiæ loco,
prouidi, in quo diù iacuimus nociua se-
gnitia pressi. Leuemus corda nostra cum
manibus, id est, cum bonis operibus ad Do-
minum, qui malis actibus pressi, prauisque
* al. cruciati, moribus * incuruati, longo iam tempore
adhæsimus seculo. Maligni enim spiritus
molli, dissoluteque viuenti animæ dicunt:
Isaiæ 51. Incuruare, vt transeamus. Quæ si malis eo-
rum sugg estionibus acquieuerit, sub pe-
dibus eorum malè calcata peribit: Si verò
recta in opere Dei perseuerauerit, cum He-
3. Reg. 18. lia dicere poterit: Viuit Dominus, in cuius
Philip. 3. conspectu sto. Et cum Paulo: Nostra au-
tem conuersatio in cælis est. Quod autem
dicit, tandèm aliquandò, nisi fallor, tem-
poris tarditaté significat. Ex duobus enim
aduerbijs temporum, vnum composuit.
Idem est enim, tandèm, quod & aliquan-
dò. ác si dicat: Et si in primæuæ ætatis tem-
pore, id est, in iuuentute, in bonis operi-
bus nos exercere noluimus, saltèm in se-
nectute resipiscamus, & ad vias vitæ, vel
tardè conuersi, remedia salutaria non per-
damus. *excitante nos Scriptura, ac dicente*: Non
enim vigilans, sed dormiens anima excita-
tur. Dormit enim anima, quæ Domini sui Anima quę dormire dicatur.
obliuiscitur, & mandata eius non recor-
datur: Vigilat, quæ Domini sui memoriam Quæ vigilare.
semper tenet in corde, & eius mandata ser-
uat in opere. Dormit anima, quæ commis-
sa præterita non emendat, & de futuris nil
cogitat: Vigilat, quę præterita peccata plan
git, & plangenda * vlteriùs non commit- * al. ampliùs
tit. Dormit anima, quę per latam & spatio-
sam gradiens viam, de futura vita vel glo-
ria nil cogitat, sed clausis oculis, vel dormi-
ens quotidiè peior effecta, ad æternum in-
teritum properat: Vigilat, quæ de æterna
vita, & futura cogitans gloria, per arctã &
angustam viam gradiẽs, in virtutibus quo-
tidiè crescit, & innouatur, & vt ad creato-
ris sui cognitionem perueniat, laborare
non cessat. *Hora est iam nos de somno surgere*. Ho Rom. 13.
ra hic pro tempore posuit. Cuiuscunque
enim temporis quantitas, conuenienter ho
ra vocatur, vt in Euãgelio scribitur: Exijt Matt. 20.
paterfamiliâs hora tertia, sexta, nona & vn-
decima, inuitare operarios in vineam suã.
Horæ enim pro tẽporibus ibi positæ sunt.
Dicit enim: Hora est iam nos de somno
surgere, id est, tempus est, vt nos de gra-
uitate mentis, & corporis negligentia, ad
obseruanda Domini præcepta vigilemus.
Hortatur nos de hac re Salomon, dicens: Prou. 20.
Noli diligere somnum, nè te egestas oppri-
mat. Somnum diligere, est torporem men-
tis per desidiam amplecti, & de futuro nil
cogitare: quæ egestas, id est, ęterna miseria,
malè securam * reddit animam. *Et apertis ocu* * al. opprimat
lis nostris, illis videlicet, de quibus Salomon
ait: Aperi oculos tuos, & saturare pani- Ibidèm.
bus. Aperire oculos, est intellectum men- Aperire oculos, qd sit.
tis ad iustitiæ lumen reserare. Saturare
panibus, est spiritalibus cibis diuinæ sci- Panibus saturare, qd.
entiæ mentem reficere. *ad deificum lumen*,
id est, diuinum, quod animæ tribuit in-
tellectum, *attonitis auribus audiamus*, id est, in-
tentis mentibus percipiamus, *Diuina*, id
est, Deo plena, diuinitate referta, *quoti-
diè clamans, quid nos vox admoneat, dicens*: *Ho-* Psal. 94.
diè si vocem eius audieritis. Hodiè, habet ety- Hodiè, qd hic significet.
mologiam, hoc die. Sed & hoc in loco,
semper, vel omni tempore significat, quia
iugiter & omni hora audiendus est, qui
salutariter monet, & misericorditer do-
cet. Cuius sermonis vim Apostolus po-
tenter expressit, dicens: Sed adhortami- Hebr. 3.
ni vosmetipsos per singulos dies, do-
nèc hodiè cognominatur. *Si vocem eius
audieritis*. Eius dicit, id est, illius boni pa-
storis, qui ait: Ego sum pastor bonus, Ioan. 10.
& oues meæ vocem meam audiunt, & se-
quuntur me, & ego cognosco eas, & nul-
lus rapiet eas de manu mea, sed & vitam
æternã dabo eis. In lege enim & Prophetis,
in Euan-

in Euangelio & Apoſtolis, vox Domini
multis modis ſonás auditur, ſed à corde &
optimo bono auditur, & exauditur: A du
ris verò & lapideis cordibus auditur quidé,
ſed nó exauditur. Ergò animæ, quæ obdu-
* al. addũt, veriquc — rant corda ſua, nè vocé illius boni * paſto-
ris audiant, nec ſequentur eum, nec oues il-
lius ſunt, nec cognoſcunt eum, nec cogno-
1. Cor. 14. — ſcuntur ab eo. Qui enim ignorat, ignorabi-
tur: & nec de manu raptoris liberabuntur,
nec in locis paſcuis collocabuntur, nec vi-
tam accipient ſempiternam. *Nolite obdurare*
Hebr. 3. — *corda veſtra.* Sic enim alibì Apoſtolus ait: Nó
obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Illi
Obdurare corda, qui dicantur. — enim corda ſua obdurát, qui quod de man-
datis Dei rectè intelligũt, operari recuſant.
Prou. 19. — De quibus per Salomonem dicit: Pigredo
immittit ſoporem. Piger enim rectè ſentiẽ-
do quaſì vigilat, ſed nihil boni operando
corde obdurato, ſenſuq; ſoporato, in tar-
* al. dormitat lectulo. — ditatis ſuæ * dormit lecto. Illi, inquam, ob-
durant corda ſua, qui audiũnt quidé præ-
dicanté, ſed imitari nolunt operantem: qui
Pſ. 33. & 36. — nó obediunt voci Domini, dicẽtis: Diuer-
te à malo, & fac bonũ. Qui nó audiunt, De-
Coloſſ. 3. — ponẽtes veteré hominẽ cũ actibus ſuis, in-
Ephe. 4. — duite nouũ, qui ſecundùm Deũ creatus eſt,
in iuſtitia & ſanctificatione veritatis: qui
nó renunciant ſeculo, & crucé portãtes, ſe-
Apocal. 2. — quuntur Chriſtũ. *Qui habet aures audiẽdi.* Au-
Aures audiendi quis habeat, q̃ non. — res hîc cordis, non corporis, requirit. Ille
enim audiendi aures habet, qui quod cor-
de intelligit, * operibus implet. Ille aurés au
* al. opere — diẽdi habet in corde, qui memorię ſuę prę-
cepta Domini cómendat: & cómendata cũ
* al. fœnore — multiplici * feruore Domino reddenda re-
ſeruat. Ille audiẽdi nó habet aures, qui man
* al. tenet, — data Dñi nec memoria * retinet, nec operi-
bus implet, nec recondit in corde, nec exer-
cet in opere. *audiat quid ſpiritus dicat Eccleſijs.*
Audiat, dicit, id eſt, intelligat, quid ſpiri-
* al. addũt, ſpiritus, — tus, i. * omnipotens ſpiritus ſanctus, ſpiri-
tus ille, qui teſtimonium reddit ſpiritui no
Rom. 8. — ſtro, quòd ſumus filij Dei. Et de quo Apo-
1. Cor. 3. — ſtolus ait: Templũ Dei eſtis, & ſpiritus ſan-
Spũs ſanct⁹, cur ſpũs, & ſanctus nominetur. — ctus habitat in vobis. Spirit⁹ ſanctus dictus
eſt, ſecundùm id quod aliquod ſpirat. Ideò
auté ſpiritus Dei, ſanctus vocatur: quia pa
tris & filij ſanctitas eſt. Nam cùm ſit & pater
ſpiritus, & filius ſpiritus, & pater ſanctus,
& filius ſanctus: propriè tamen ipſe voca-
tur ſpiritus ſanctus, tanquàm ſanctitas, &
Eccleſia cur conuocatio Latinis dicatur. — conſubſtantialis amborum. Eccleſia, Græ-
cum eſt, quod in Latinum vertitur conuo-
catio, propterea quòd omnes ad ſe vocet:
quæ cùm vna ſit, vniuerſalis, id eſt, Catho-
Apoc. 1. — lica, à Ioãne in Apocalypſi, ſepté ſcribun-
tur eccleſiæ, propter vniformem ſpiritûs
plenitudinem, id eſt, ſpiritus ſapientiæ &
intellectûs, cóſilij & fortitudinis, ſciẽtiæ &
Pſal. 33. — pietatis, & timoris Domini. *Et quod dicit: Ve-*
nite filij, audite me: Magna pietas & miſericor-

dia ſpiritûs ſancti, qui ante cóuerſionis ha
bitũ vnũquenq; ad ſe audiendũ inuitat: &
quos ad cóuerſionis gratiã inuitat, filios vo
cat. Ipſe enim per Prophetã ait: Patrem in- — Ierem. 3.
uocabis me, & poſt me ingredi nó ceſſabis.
timorem Domini docebo vos. De hoc timore, &
alibi Pſalmiſta ait: Timor Domini ſanctus, — Pſal. 18.
permanens in ſeculum ſeculi. Quãto enim
quis ardentiùs diligit Deum, tanto eum di-
ligentiùs offendere pertimeſcit. Vox pater-
na, eſt vox pietatis, quę nos admonet, nè pa
ueſcamus, quòd audiuimus timorem. Non
eſt enim timor iſte qui formidetur, ſed qui
diligatur. Timor humanus, amaritudinem — Timoris humani & Dei, triplex diſcrimen.
habet, iſte dulcedinem. Ille ad ſeruitium co
git, iſte ad libertatem trahit. Poſtremò, ille
clauſtra metuit, hic cælorum regna patefa-
cit. In timoris enim laude Salomon ait: Ti- — Prou. 19.
mor Domini apponet dies. Time ergò Do-
minũ, ô monache, ſed illo timore, qui ſan-
ctus permanet in ſeculum ſeculi: illo caſto
amore, qui tibi ad dies temporis huius adij-
ciet dies æternos, dies perpetuos, dies im-
mortales, dies perennes, immò diem vnum
ſine veſpera & infinitum, diem * felici gau- — * al. felicẽ
dio plenum, indeficiente luce refertum, an-
gelico comitatu ſuffultum, dié quem nox
non interpolat, tenebræ non obſcurant,
nubilum non offuſcat, importabilem non
efficit calor æſtatis, pigrum non reddit fri-
gus hyemis, dies qui tibimet vnus erit cum
ſanctis, communis cum angelis, æternus cũ
vtriſque, qui tibi cum felici gaudio conſor
tium tribuat angelorum, & ſocium faciat
Patriarcharum, numero cóputet Prophe-
tarũ, in exultatione ſocium faciat Apoſto-
lorum. Scriptum eſt enim: Qui timent Do- — Pſal. 113.
minum, ſperauerunt in Domino: adiutor
& protector eorũ eſt. Et alibi: Plenitudo ſa- — Eccli. 1.
piẽtiæ, timere Dominũ: & corona ſapiẽtię,
timor Domini, replens pacé & ſalutis fru-
ctũ. Et, Qui timetis Dominũ, credite illi, & — Eccli. 2.
nó euacuabitur merces veſtra. Qui timetis
Dominũ, diligite illũ: & illuminabuntur
corda veſtra. Et, Quàm magnus, qui inue- — Eccli. 25.
nit ſapientiam, ſed non eſt ſuper timentem
Dominũ. Beatus homo, cui datũ eſt habere — Eccleſi. 40.
timoré Domini. Timor autem Domini, ſic-
ut paradiſus benedictionis, quia in illo eſt
fiducia fortitudinis: per illum pullulat fru
ctus ſalutis & pacis. Audi adhuc, & diligẽ-
ter attende, ô monache, quid Dominus per
Prophetã timẽtibus ſe promittat: Orietur, — Malach. 4.
inquit, vobis timẽtib⁹ nomẽ meũ, ſol iuſti-
tiæ, & ſanitas in pẽnis eius. Egrediemini, &
ſalietis ſicut vituli, de armẽto, &c. Et tibi, ô
monache, timẽdũ eſt nomẽ Domini, vt tibi
ſol iuſtitiæ oriatur Chriſtus, qui mẽtis tuæ
tenebras expellat, ignorãtiã cordis auferat,
& lucem intelligentiæ infundat, hîc iuſtè
* timere tribuat, & poſt mortem vitã æter- — * al. viuere
nam concedat. *Currite dum lumen vitæ habetis.* — Ioan. 12.

Non hic cursum corporis, sed profectum
Psal. 83. quærit animarum. Vndè Psalmista ait: Ibūt de virtute in virtutem, & videbitur Deus
Psal. 118. Deorum in Sion. Et alibi: Viam mandatorum tuorū cucurri, dum dilatares cor meum. Nam & hic cursus, obseruantiā mādatorum, & profectum significat animarum.
Lumen vitæ, quis in se habeat. Dum lumē vitæ habetis, inquit, id est, dum viuitis, dum vobis vitæ huius spatium tribuitur. Nam & ille lumen vitæ in se habet, qui relicto prioris conuersationis errore,
* al. ad meliores vitæ cōuertitur ad * meliores vias conuertitur vitæ, dicente Apostolo: Eratis aliquandò tenebræ,
dies. nunc autem lux in Domino. Sed & ille lu-
Ephe. 5. men vitæ in se habet, qui illum habet, qui
Ioan. 8. dixit: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Vndè & hic apertè subditur: *nè tenebræ mortis vos*
Tenebrarū nomine, qd intelligendum. *comprehendant*. Hoc in loco tenebræ, mors siue diabolus intelligitur. Possumus & illas hic non inconuenienter intelligere tenebras, quas in Euangelio Dominus ex-
Matt. 8. 22. & 25. teriores appellat. Qui verò dum viuunt, à vitijs separare non satagunt, & in virtutibus crescere nolunt, meritò à mortis tenebris comprehensi, in inferno lugent
Tenebræ interiores & exteriores, quæ dicantur. damnati. Interiores quippe tenebras dicimus, cæcitatem cordis: exteriores verò tenebras, æternam noctem damnationis. Tunc ergò damnatus quisque, non in interiores, sed in exteriores tenebras mitti-
* al. nocte tur: quia illic intuitus projicitur in * noctem damnationis, qui hic spontè cecidit
Ibidem. in cæcitatem cordis. Vbi fletus quoquè, &
Lucæ 13. stridor dentium esse perhibetur, vt illic dentes strideant, qui hic de edacitate gaudebant. Illic oculi defleant, qui hic per illicitas concupiscentias versabantur, quatenùs singula quæque membra supplicio subiaceant, quæ hîc singulis quibusque vitijs subiecta seruiebant. In fletu quoquè oculorum, & stridore dentium, per Metaphoram membrorum corporalium, magnitudo ostenditur tormentorum. Tene-
Tenebræ vndè dictæ. bræ autem dicuntur, eò quòd teneant vmbras. Non aliquid sunt tenebræ, sed vbi lux
* al. fiunt. non est, tenebræ * sunt. Sicut enim tenebræ nihil sunt, nisi absentia lucis: ità mors
Mors vndè dicta. nihil est, nisi priuatio vitæ. Mors dicta est à morsu, vel quia amara est. *Et quærens Domi-*
nus in multitudine populi, cui hæc clamat, operarium
Matt. 20. *suum, iterùm dicit*: In multitudine enim Dominus paucos operarios quærit, quia multi sunt vocati, pauci verò electi. Quærit vtiquè operarios modò in præsenti vita, quibus misericorditer clamans, dicat: Ve-
Matth. 11. nite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiā vos, dicit Dominus. Scri-
Prouer. 28. ptum est enim: Qui operatur terram suam, saturabitur panibus: qui autem sectatur
Terrā suā quis strenuè operet. ocium, in egestate erit. Ille terrā suam strenuè operatur, qui arcana cordis sui per quotidiana exercitia, per legis meditationem, per vigilantiam mētis, velut per agriculturam, instanter erudit, atque spiritalibus cibis velut panibus, nè fame ignorantiæ periclitetur, interioris hominis sui sensum inuisibili alimento reficere non desistit. Ille, inquam, qui in terra corporis sui operando nocturnas exercet vigilias, vberesque pro peccatis suis effundit lachrymas, corpus suum, seruituti redigens, castigat, carnem suam ieiunio macerat, & varijs afflictionibus cruciat, ille panibus supernis, & præmijs saturabitur æternis. *Quis* Psal. 33.
est homo qui vult vitam, & cupit videre dies bonos?
Talis interrogatio posita est, quam omnium sequatur * sensus. Quis est enim, qui * al. assensus.
bonos videre non cupio? sed vtinàm sic vitā perpetuam quæreremus, sicutin ista temporali corda defigimus. Bonos autem dies, Boni dies, qui nominentur.
non istos dicit, in quibus caducis delectationibus occupamur: sed illos, qui verè boni sunt, & in summa sanctitate versantur. Quis est homo, dicit, qui vult vitam, id est, vitam beatam, perpetuam, immortalē, sine morte, sine fine, & sine labore: quia in hac vita homo ad laborem nascitur, ad il- Iob 5.
lam * & sine labore, & vt in æternum vi- * al. vt
uat, peruenit. Illa est enim vita beata, ad quam qui cum bonorum operum cōsum- Matt. 22.
mationе perueniunt, beatis angelis similes Beata vitæ, quāta gaudia.
erunt, & simul cum Deo suo sine fine regnabunt. Et quod hic crediderunt, ibi videbunt, sui creatoris substantiam mundis cordibus contemplantes: æterna exultatione gaudebunt, diuinæ dilectionis, & mutua delectatione possessi in æternum, & inuicèm sibi feliciter adhærebunt, receptis cum incorruptione atque immortalitate 1. Cor. 15.
corporibus, municipatum patriæ cælestis accipient, atque eius in æternum ciues effecti, promissa præmia reportabunt. Ibi eis exuberabit tanta lætitia, tanta cælestium gaudiorum gratia, vt remuneratori suo pro tantis muneribus gratias agant, & vt nullum fastidium ex ipsa affluentium bonorum perfectione sustineant. *Quod si tu*
audiens, respondeas, Ego: dicit tibi Deus. Quid Deus qd.
sit Deus. Deus hoc est, quod nulla attingit opinio. Plus est enim, quàm quod dici potest, aut cogitari. Nam vnaquæque natura pro capacitate sua suspicatur de Deo. Et quantum natura distat à natura, tantum sententia distat à sententia. Quia enim super omnia est, necesse est, vt omnium mentes excedat. Homines enim, quan- Homines & angeli, quomodò Deū cogitant.
tum possunt aciem mentis extendere, adspiciūt quid Deus sit opinione, nō definitiōe. Angeli aūt qui superiores hominib⁹ sunt, quia plus aliquid de Deo sentiūt, nō est dubiū. Archāgeli verò eo ipso amplius, Cherubin autem & Seraphin, qui potētiùs iuxta Deum

Deum esse dicuntur, maiora de Deo senti-
unt, non tamen comprehendunt penitùs
Lucæ 10. quid sit Deus: quia nemo nouit patrem
nisi filius, nec filium quis nouit, nisi pa-
ter. Igitur est Deus, sicut hominibus vide-
tur, spiritus natura simplex, lux inacces-
sibilis, inuisibilis, inæstimabilis, infinitus,
perfectus, nullius egens, æternus, immor-
talis omni modo, à quo omnia initium
sumpserunt, siue consecuta sunt, vene-
randus, diligendus, metuendus, extra quē
nihil est, immò in quo sunt omnia, quæq;
sunt sursùm, deorsùm, summa & ima,
omnipotens, omnia tenens, verè in omni-
bus diues: quia nihil est, quod non eius
al. seuerus, sit: bonus, iustus, misericors, est & verus,
*al. non habent vt terrore *iudicij, quæ ab eo benè condi-
ta sunt, conseruentur, nè negligentia pá-
reret vitæ præcipitium: &, ne, quod mi-
rabilius est, prætermittam, tāta est clemen-
tia eius, vt contumelias passus ab his, quos
suffert, & prior vocet eos ad pacem: *Si vis*
Vita vndè dicta. *habere veram & perpetuā vitam.* Vita, dicta pro-
pter vigorem, vel quòd vim teneat nascen-
Cur vera dicatur. di atq; crescendi: quæ hic vera & perpetua
dicitur, vel pro Christo qui dixit, Ego
Ioann. 14. sum via, veritas, & vita: vel propter æter-
nitatē, quia viuitur semper in ea. Isti enim
Vitæ æternę & præsentis multiplex discrimen. vitę mors succedit, illi nūquàm: propter-
eà ista fallax, illa verò vocatur vera. Ista
breuiter terminata, illa vocatur perpetua:
Ista mortalis, illa vocatur æterna: Ista mi-
sera, illa autem est gloriosa. Ista laboribus
& doloribus plena, illa sanitate & quiete
*al. fœcunda. manet *iocūda. Ista odijs & defectibus lan-
guida, illa charitate & virtutibus lætatur
semper fœcunda. De his beatus Augusti-
nus in expositione Euangelij ait: Duas
Tract. 124. in Euang. Ioannis. itaque vitas sibi diuinitùs prædicatas no-
uit Ecclesia; quarum vna est in fide, al-
tera in specie: vna in tempore peregri-
nationis, altera in æternitate mansionis:
vna in labore, altera in requie: vna in
via, altera in patria: vna in hoste pu-
gnat, altera sine hoste regnat. Ergò vna
bona est, sed adhuc misera: altera meli-
or, & beata: ad quam felix qui venerit,
felici gaudio æterno perfruetur in re-
gno. *prohibe linguam tuam à malo*: Prohibe,
dicit, id est, abstine, cohibe, coerce vel
comprime, à malo, subauditur omni:
videlicet, detractionis, maledictionis,
murmurationis, irrisionis, vituperatio-
nis, iniustæ increpationis, à verbis men-
dacibus, & ociosis sermonibus, & simi-
Psal. 100. lia. Scriptum est enim: Detrahentem se-
cretò proximo suo, hunc persequebar.
1. Cor. 6. Et, Neque maledici regnum Dei posside-
1. Cor. 10. bunt. Et, Qui murmurauerunt, à serpen-
Num. 11. tibus periērunt. Et, Os, quod mentitur,
Sap. 1. occidit animam. Et, Perdes omnes qui lo-
Psal. 5.

quuntur mendacium, & his similia. Eccè
monache, cur dicitur, prohibe linguam
tuam à malo. Si enim detrahentem Domi-
nus persequitur, & maledici regnum Dei
non possidebunt, murmuratores à serpen-
tibus, id est, à dæmonibus, pereunt, & per-
det Deus omnes qui loquuntur mendaci-
um: cum omni vigilantia prohibere debe-
mus linguam nostram à malo, nè cum his
pereuntibus & nos pereamus in æternum.
Et de malo linguæ audiamus, quid Iaco-
bus Apostolus dicat. Ait enim: Lingua Iacobi 3.
ignis est, & vniuersitas iniquitatis. Lin-
gua constituitur in membris nostris, quæ
maculat totum corpus, & inflammat ro-
tam natiuitatis nostræ, inflammata à ge-
henna. Omnis enim natura bestiarum, &
volucrum, & serpentium, & cæterorum
domantur, & domata sunt à natura hu-
mana: Linguam autem nemo hominum
domare potest. Inquietum malum, ple-
na veneno mortifero. In ipsa benedici-
mus Deum & patrem, & in ipsa maledi-
cimus homines, qui ad similitudinem Dei
facti sunt. Ex ipso ore procedit benedi-
ctio & maledictio. Non oportet hæc ità
fiéri. &c. *& labia tua nè loquantur dolum.* Imi-
tetur bonus, quantùm potest, monachus
Dominum, & nec in corde teneat, nec in
labijs loquatur dolum: quia Dominus ma-
lum non fecit, nec dolus inuentus in ore 1. Pet. 2.
eius. Disperdat enim Dominus labia do- Psal. 11.
losa, eorum videlicet, qui in corde, & de
corde locuti sunt mala. Dolus autem vo- Dol⁹ quid.
catur occulta malitia, blandis sermonibus
adornata, quæ propriè fraus, insidiæ, seu
fallacia nuncupatur, quandò fallimus au-
dientem, vt quod creditur ad auxilium,
inferre videatur impedimentum. Quod
verè prohibetur, quia puræ conscientiæ
constat semper aduersum. *Diuerte à malo,*
& fac bonum. Multi enim faciunt bonum,
sed non declinant à malo. In die cele-
brant ieiunium, & in nocte committunt
adulterium: pauperibus tribuunt elee-
mosynam, & à pauperibus accipiunt prę-
dam: Pauperi porrigunt calicem, & bi-
bunt illi vsque ad ebrietatem: Tribuunt
esurienti buccellam, & comedunt illi vs-
que ad crapulam. Et, vt breuiter dicam,
in publico fas, & in occulto non cessant
agere nefas. Et taliter agentes, à dextera no-
lunt segregare sinistram. Aliud verò ge-
nus hominum, & valdè monachorum
est, quod diuertit à malo, & operatur mi-
nime bonū. Terrenos in seculo relinquūt
labores, & in monasterio sectantur ociosi-
tates. De talibus enim Domin⁹ ait: Arbor,
quæ non facit fructum bonum, excidetur, Matt. 7.
& in ignem mittetur. Et in Apocal. Quia
nec frigidus, nec calidus, sed tepidus es, & Apoc. 3.

nauſeam facis, incipiam te euomere ex ore
meo, dicit Domin⁹. Vndè & ocioſitas ini-
Electorum eſt, diuertere à malo, & facere bonum. mica deſcribitur animæ eſſe. Ergò diuerte-
re à malo, & facere bonum, ſingulariter &
propriè eſt electorum. Nō enim ſuper ſpi-
nas, tribulos, vel vrticas, agricola vel hor-
ticola frugum ſuarū ſerit ſemina, ſed pri-
ùs ab his purgat agrum, & ſic iactat cōgru-
entis ſeminis granū: ità & electorū quiſq;
priùs cordis & corporis ſui agrum à vitijs
purgat, & poſteà virtutum ſemina iactat:
& hoc modo diuertit à malo, & facit bo-
num omnis homo. *Inquire pacem, & ſequere*
eam. Sciens autem Propheta in hoc agone
ſeculi, cum corpore pacem fideliſſimos nō
*al. continuum habere, & cum ſuis vitijs hic illis *cōtinuè
eſſe certamen, pulcherrimè dixit, inquire
pacem, vt quanuis eam hic non habeant,
tamen ſemper ab eis ſtudioſiſſimè perqui-
ratur: ſed imperat, ſequere eā, quaſi præ-
cedentem. Quæramus ergò ſeduli, ſequa-
mur intenti, quia illic inuenire eam non
poſſumus, niſi hic diligētiùs inquiramus,
quæ tunc compræhendi dabitur, quandò
ipſum cōſpicimus pacis amatorem vel au-
Pax quid ſit. thorem. Pax eſt ſerenitas mentis, tranquil-
litas animæ, ſimplicitas cordis, amoris vin-
culum, cōſortium charitatis: Hæc eſt quæ
Pacis commoda. ſimultates tollit, bella compeſcit, compri-
mit iras, ſuperbos calcat, humiles amat, diſ-
cordes ſedat, inimicos concordat, cūctis
eſt placida, non quærit aliena, nihil depu-
tat ſuum, docet amare quæ odiſſe non no-
uit, neſcit extolli, neſcit inflari. Hanc er-
gò qui accipit, teneat: qui perdidit, repe-
tat: qui amiſit, exquirat, quoniam qui in
eádem non fuerit inuentus, abdicatur à pa
tre, exhæredatur à filio, nihilominùs à ſan-
cto ſpiritu alienus efficitur. *Et cùm hæc fece-*
ritis, i. ſupradicta, *oculi mei ſuper vos.* Hæc
vox Domini eſt, vox miſericordię, vox pi-
etatis, qui vt hæc ab homine fiant, miſeri-
corditer præſtat: quia nihil poteſt huma-
al. dedit na fragilitas, niſi quod poſſe dat diuina
maieſtas. Et cùm feceritis, dicit, id eſt, cùm
prohibueritis linguam veſtram à malo, &
labia veſtra non fuerint locuta dolū: cùm
diuerteritis à malo, & feceritis bonū: cùm
inquiſieritis pacem, & ſecuti fueritis eam,
Oculi Dñi quid. tunc oculi mei ſuper vos. Hic oculi Do-
mini, reſpectio diuina vocatur, quæ ſuper
iuſtos miſericorditer aperitur. Reſpexit
Matt. 26. enim Dominus Petrum, & ille verbis Do-
mini recordatus eſt ilicò, & amarè fleuit,
Oculi Dñi quæ bona iuſtis tribuant. quia ter Dominum negauit. Ergò oculi
Domini, i. reſpectio diuina, & memoriā
iuſtis tribuit, & intelligentiam, & à morte
eos æterna, & à fame liberat ſempiterna.
Sic enim & alio ſcribitur pſalmo: Oculi
Pſal. 32. Domini ſuper metuentes eum, vt eruat à
morte animas eorum, & alat eos in fame.
Addit, *& aures meæ ad preces veſtras.* Aures
Domini in hoc loco, exauditio intelligi-
tur diuina, quam pſalmiſta totis viribus
poſtulabat, dicens: Inclina Deus meus au- Pſal. 85.
rem tuam, & exaudi me. &, Auribus per- Ibidem.
cipe Domine orationem meam. Et, Fiant
aures tuæ intendentes ad orationem ſerui Pſal. 129.
tui. & mille talia. Sed & Salomon vtrunq;
in oratione ſua, id eſt, oculos & aures Do-
mini ſimul, compræhendit, dicens: Vt ſint 3. Reg. 8.
oculi tui aperti, & aures tuæ intentæ, ad
orationes ſeruorum tuorum. Sed licèt Do- Iuſtis celeriùs exauditio promittitur, q̄ peccatoribus.
minus frequenter audiat peccatores, iuſtis
autem ampliùs exauditio, & celeriùs pro-
mittitur: quoniam in preces eorum para-
tas aures habere monſtratur. Noli ergò, ô
iuſte monache, timere hominum perſecu-
tiones, ſeculique labores. Oculi enim Do-
mini ſuper te ſunt, vt liberent te, & aures
eius, vt audiant te: tu tantùm tene vias ei-
us, & ſpera in eum, & dic cum Apoſtolo: Rom. 8.
Si Deus pro nobis, quis contra nos? Deus
pro nobis, vt oculi eius reſpicerent nos: Deus quō p nobis ſit.
Deus pro nobis, vt aures eius audirēt nos:
Deus pro nobis, vt prædeſtinaret nos: De- Ibidèm.
us pro nobis, vt vocaret nos: Deus pro no-
bis, vt iuſtificaret nos: Deus pro nobis, vt
glorificaret nos. Si Deus pro nobis, quis
contra nos? Prædeſtinauit, antequàm eſſe-
mus: vocauit, cùm auerſi eſſemus: iuſtifi-
cauit, cùm peccatores eſſemus: glorifica-
uit, cùm eſſemus mortales. Si Deus pro no-
bis, quis contra nos? Prædeſtinatis à Deo,
vocatis, iuſtificatis, glorificatis, qui vult
aduerſari, paret ſe, ſi poteſt bellare aduer-
sùs Deum. Vbi enim audiuimus, Si Deus
pro nobis, quis contra nos? Niſi qui Deum
vincit, non lædit nos. *Et antequàm me inuoce-* Eſa. 65.
tis, dicam vobis, eccè ego adſum. O ſermo man-
ſuetudine & benignitate plen⁹. Non expe-
ctat conſummari orationem, ſed antè tri-
buit petitionē. Nouit enim Dominus, an-
tequàm petamus eum, quid opùs ſit nobis. Matt. 6.
Et hoc fit ideò, quia templum Dei ſumus, 1. Cor. 3.
& ſpiritus Domini habitat in nobis. Ve-
lociſſimè enim habitaculum ſuum habita-
tor exaudit Deus. *Quid dulcius nobis hac voce*
Domini, inuitantis nos, fratres chariſſimi? Verè enī
dulcis hæc vox Domini ſanctis monachis
eſt, quia eos ad eam magnam multitudinē Pſal. 30.
dulcedinis ſuæ, quam abſcondit timenti-
bus ſe, inuitat. Factus eſt illis habitator, vt
etiam non inuocatus exaudiat: factus via
& patria, vt per illum ad illum veniāt: fa- Ioan. 14.
ctus paſtor & oſtium & paſcua, vt ab illo
gubernati, per eum intrent, & ingredian-
tur, & egrediantur, & paſcua inueniant. Ioan. 10.
Ecce pietate ſua demonſtrat nobis Dominus viam vi-
tæ. Ipſe ergò Dominus, vt prædictum eſt,
factus eſt nobis via, veritas & vita. Via ſci-
licet regia, vt per eam gradientes, non de-
clinantes ad dexteram aut ad ſiniſtram, ſed Num. 20.
ad vitam, quæ ipſe eſt, perueniamus æter-
nam,

Apoc. 21.

nam, vbi non est fletus, nec vllus potest esse gemitus, vbi habebunt omnes Sancti amorem perfectum, timorem nullum, & gaudium sempiternum. Ibi enim erit eis voluntas certa, cupiditas nulla, quoniam * fruendo cælestibus bonis, ad quæ peruenire cupiebant. Nihil eis deerit, quod vlteriùs concupiscant, & in illa regione perpetuæ securitatis ac pacis perfectæ, nec timoris stimulos passuri sunt, nec doloris.

* *al. fruc.* *tur*

Ephe. 6.

Succinctis ergò fide, vel obseruantia bonorum actuũ, lumbis nostris. Elegantissimè enim, & more prophetico beatus pater Benedictus duplicem hic monachorum posuit cingulũ. Cognouit autem quia fides sine operibus mortua est, & opera sunt fide vacua. Et ideò non simplum, sed ex vtroque textum monachorum voluit esse cingulum. Isaias autem dupliciter hoc ipsum in Domino posuit, dicens: Et erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renũ eius. Vt enim ille fidem, & iste posuit fidem: vt ille iustitiam, & iste bonorũ actuum obseruãtiam. Omnis aũt bonorũ actuum obseruantia, non incongruè vocatur iustitia, sicut scriptum est: Iustè, quod iustum fuerit, exequeris. Fide enim lũbos * nostros succingimus, si de sancta Trinitate rectè sentimus, & eam fideliter credim⁹. Bonorum actuum obseruantia lumbos succingimus, si nos in bonis operibus seduli exercemus, sicut Apostolus ait: State ergò lumbos mentis vestræ succincti, i. in omni prælio viriliter præparati, & ab omnibus curis seculi expediti. Et ad Iob Dñs ait: Accinge sicut vir lũbos tuos. Scriptura enim sacra illos viros vocat, qui vias Dñi fortibus, & nõ dissolutis, gressibus ambulant. Lumbos verò viriliter accingere, est, vel in opere, vel in cogitatione, carnis & mentis luxuriã refrenare. Sed cur beato Iob dicitur, Accinge lumbos tuos sicut vir, nisi q̃a alia est carnis luxuria, qua castitatẽ corrũpimus, alia verò luxuria cordis est, qua de castitate gloriamur. Dicitur ergò ei: Accinge sicut vir lumbos tuos, vt qui priùs luxuriam corruptionis vicerat, nunc luxuriam stringat elationis, nè de patientia & castitate superbiat. In veteri testamento, zona pellicea legim⁹ circa lumbos. In nouo autẽ, zona aurea circa pectus. Vt enim adulteriũ non cõmittatur, zona pellicea adhibenda est circa lumbos: vt nõ videatur mulier ad cõcupiscendũ: zona aurea circa pectus. *per ducatum Euangelij pergamus itinera eius:* Ducatũ Euãgelij, idẽ est, & ducatũ Christi. Neq; enĩ aliorsùm Christus, aliorsùm ducit Euãgelium: sed ipsa Dñi gesta, vel sacratissima * vocantur Euangelia, quæ sequentes per itinera recta perducunt ad cælestia regna. Sed diligẽter nobis est intuendũ, qui sunt aut quem sequentur, vel quò tendunt hi,

Duplex monachorum cingulum.

Iacobi 2.

Esa. 11.

Deut. 16.

Fide quandò succingamus lumbos.

* *al. mentis nostræ.*

Qñ bonorũ actium obseruantia.

Ephe. 6.

Iob 38.

Castitas duplex.

4. Reg. 1.

Apoc. 1.

* *al. addũt Domini*

qui per ducatum Euangelij pergunt. Hi sunt vtiq; quibus Dominus ait: Amẽ dico vobis, q vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicãtes duodecim tribus Israel. Et ille, cui dicit, Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurũ in cælis: & veni, sequere me. Et: Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucẽ suã, & sequatur me. Et similia. Cognouim⁹ qui sunt, scilicet, qui relinqunnt omnia, & qui vendunt omnia, & dant pauperibus: & qui abnegant semetipsos, & tollunt crucem suam. Quem sequuntur, Christũ videlicet, qui dicit eis, Et secuti estis me. Et, Veni, sequere me. Quomodò sequntur, videamus. Sequitur aũt Christum, qui præceptis eius insistit, qui per magisterij eius vestigia graditur, qui vestigia eius atque itinera sectatur, qui, quod Christus docuit & fecit, imitatur, sicut Petrus hortatur, dicens: Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius. Exemplum scilicet tribulationum, non deliciarum: contumeliarum, non gaudiorum: flagellorum, dolorum, opprobriorum, spinarum, crucis & mortis. Quò verò isti tendunt, qui per Euangelij ducatum currunt, meliùs videbimus, si priùs, vocantem eos Dominum, audiamus. Ait enim Dominus: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Iterùm dicit: Venite benedicti patris mei, percipite regnũ quod vobis paratum est ab origine mundi. Et similia. Liquet ecce, vbi tendũt, qui per ducatum Euangelij pergũt, videlicet ad tantã gloriã, vt cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedeãt illi super duodecim sedes, & iudicẽt duodecim tribus Israel, & vt refectionem ęternã accipiant, & vt regnum à cõstitutione mundi paratũ percipiant. Vndè & aptè verba B. Benedicti sequuntur, dicentis: *vt mereamur eum, qui nos vocauit, in regno suo videre.* De vocationis gratia sic Apostolus Paulus ait ad Galatas: Miror quod tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam CHRISTI. Et de se idem ait: Qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam. Et iterùm alibi dicit: Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes inuicèm in charitate, soliciti seruare vnitatem spiritûs in vinculo pacis, vnum corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Hic autem, qui nos vocauit, beatus Benedictus dicit, subauditur vel ad gra-

Qui sint, qui per ducatũ Euangelij pergunt.

Matt. 19.

Ibidèm.

Lucæ 9.

Quem illi sequuntur, & quomodò.

Matt. 19.

1. Pet. 2.

Quò illi tendant.

Matt. 11.

Matt. 25.

Matt. 19.

Matt. 25.

Gal. 1.

Ibidèm.

Ephe. 4.

gratiam fidei primùm, vel ad religionis postcà cõuersionis habitũ. In cuius regni tabernaculo si volumus habitare, nisi illuc bonis actib⁹ curratur, minimè peruenitur. Manifestum est enim, quia benefacientes, non malefacientes, cælestis regni tabernacula possidebunt. Sic enim de malis Pau-

1.Cor.6.

lus Apostolus ait: Quia neq; adulteri, neq; molles, neque masculorum concubitores, neq; fures, neq; auari, neque maledici, neq; ebriosi, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. Nos autem, si regnum Dei cupimus possidere, in omnibus exhibeamus

2.Cor. 6.

nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ à dextris & sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: vt seductores, & veraces: sicut qui ignoti, & cogniti: quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati, & mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egẽtes, multos autem locupletantes: tanquàm nihil habentes, & omnia possidentes. Et sic per istos & alios bonos mores & actus currentes, tabernaculi regni cælestis esse merebũtur habitatores. *Sed interrogemus Dominũ, cum*

Psal.14.

Propheta dicentes: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Quanuis alij doctores hoc in loco tabernaculum, præsentem intelligant Ecclesiã, beatus autem Benedictus non minùs repletus spiritu sancto, habitationem cælestem, & regnum æternum, voluit per hoc intelligere tabernaculum. Vndè & Domi-

Lucæ 16.

nus ait: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiãt vos in æterna tabernacula. Mons autẽ ipse, Dominus noster Iesus Christus intelligi-

Isa. 2.

tur, de quo Isaias ait: In nouissimis diebus erit præparatus mons domûs Domini in vertice montium. In quo omnes electorum animæ perpetuò requiescunt, sicut

Matth.11.

idem illis Dominus ait: Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. *Post hãc interrogationem, fratres, audiamus Dominum respondentem, & ostendentem nobis viam ipsius tabernaculi, ac dicentem:*

Psal.14.

Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam: qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in lingua sua: qui non facit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximum suũ: qui malignum diabolum, aliqua suadentem sibi, cum ipsa suasione sua à conspectibus cordis sui respuens, deduxit ad nihilum, & paruulos cogitatus eius tenuit,

Psal. 136.

& allisit ad Christum. Qui timentes Dominum, de bona obseruantia sua, non se reddunt elatos, sed ipsa in se bona, non à se posse, sed à Domino fieri existimãtes, operantem in se Dominum magnificant, illud cũ

Psal. 113.

Propheta dicentes: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Videamus per singula, & de omnibus, vt Dominus dederit, disputemus. *Qui ingreditur sine macula.* Hãc sententiam beatus Augustinus prophetæ interrogationem, B. autem Benedictus Domini esse dixit responsionem: sed quia se-

Ezec. 1.

cundùm Ezechielẽ, rotæ animalia sequũtur, vterque benè, vterq; rectissimè hanc sententiam intellexit. Interrogatus enim Dominus, quis habitaret in tabernaculo suo, respondit: Qui ingreditur sine macula: àc si diceret, Qui viuit sine culpa, & custodit se à peccati * contagio, ipse meũ in-

* al. cogitatione,

trabit tabernaculum. Macula intelligitur peccatum. Nam & in Domini holocausto

Leuit. 22.

animal nõ offerebatur, nisi immaculatum. Domini enim sacrificium nil recipit maculosum. Vndè & sponsus sponsæ, Pulchra

Cant.4.

es, inquit, amica mea, & macula non est in te. *& operatur iustitiam.* Dicta autem est iusti-

Iustitia vndè dicta, & quid.

tia, quasi iuris stat⁹. Est enim iustitia æquitas, vel rectitudo. Sed quia iustitia operibus cõstat & fide, ille pleniter iustitiã ope-

Iustitiam quis operetur.

ratur, qui rectè credens, totum in bonis operibus se exercet. Ingreditur sine macula, qui viuit sine culpa. Operatur iustitiã, qui sedulus quę præualet agit bona. Ingreditur sine macula, qui plangit commissa, & plangenda vlterius non committit peccata. Operatur iustitiam, qui diligenter in omnibus Domini custodit præcepta. *Qui loquitur veritatem in corde suo.* Homo autẽ lingua loquitur & ore, non corde. Sed quia os non loquitur, nisi quod ei à corde mini-

Loqui veritatem in corde, quid sit.

stratur, rectè hîc dicitur: Qui loquitur veritatem in corde suo: àc si diceret, non sufficit linguæ, vt tantùm veritatem loquatur ore, nisi eam à syncero susceperit corde. Siue enim bonum, siue malum loquitur lingua, fons illi hoc ipsum cordis mini-

Matth.12. Lucæ 6.

strat, sicut scriptũ est: Ex abũdantia enim cordis os loquitur. Sunt enim alij, qui maligno spiritu repleti, aliud simulatè loquũtur ore, aliud meditatur in corde. De quib⁹

Prouerb, 26.

Salomon ait: Simulator ore decipit amicũ suum. Ideò Dominus ait: Qui loquitur veritatem in corde suo, hic habitabit in tabernaculo meo. *Qui non egit dolum in lingua sua.* Idem ipsum est enim in lingua dolum non agere, quod est, in corde loqui veritatem. Aliquotiès enim dolus profertur in lingua, sicut hîc dicitur per Psalmistam: Aliquotiès labijs meditatur in corde, sicut

Prouer. 26.

habes in Salomone: Labijs suis, inquit, intelligitur inimicus, cùm in corde tractauerit dolos. In lingua tantùm profertur dolus ab homine, vt amicus videatur in sermone, hostis in corde. In labijs pariter medi-

di-

ditatur dolus & corde, vt inimicum se esse corde simul demonstret & ore. *Qui non fecit proximo suo malum.* Proximus hoc in loco intelligendus est omnis homo. Vndè scri-
Matth. 19. Rom. 13.
ptum est: Non adulterabis cum vxore proximi tui, id est, cum nullius hominis. propter proximitatem enim sanguinis, omnis homo homini proximus vocatur. Sãguis enim hominum, ab aliorũ segregatur sanguine animalium. *Qui opprobrium non accepit aduersus proximum suum.* Non accepit, dixit,
Opprobriũ aduersùs proximum quis accipiat.
id est, gratum non habuit, nec libenter audiuit, accepta enim illa dicimus, quæ nobis grata esse monstram°. Ille enim opprobrium aduersùs proximũ suũ accipit, qui detrahentis verba libenti animo * suscipit.
*. al. excipit.
Et hoc illis solet contingere, qui proximũ sicut semetipsos nolunt diligere. De hoc enim fomite procedit, vt detrahentis verba libenter possint audiri. Ille verò qui sicut semetipsum, sic diligit & proximũ: quãtùm nec de se, tantũ nec de proximo vult audire opprobrium. Quòd si quis corde cogitans dicat, Quis est homo qui sic inter homines sine macula viuat, vt nec proximo faciat malũ, nec labijs loquatur dolum, cùm scriptum sit: Non est homo qui viuit,
Eccles. 7. 1. Cor. 6.
& non peccet? Audiat sibi Paulũ Apostolum respondentem: Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, &c. *Qui malignum diabolum.* Diabolus Hebraicè, de-
Diabolus quid interpretetur.
orsùm fluẽs interpretatur, eò quòd superbiæ pondere pressus, deorsùm corruẽs cecidit. Græcè autẽ diabolus, criminator dicitur: quia sicut à crimine criminator, & à superbia superbus, & ab iniquitate iniquus: ità à malignitate malignus vocatur. *aliqua suadentem sibi,* id est, peccata & vitia, *cum ipsa suasione,* id est, adhortatione vel incitatione, *à conspectibus cordis sui respuens, deduxit ad nihilum.* Diabolum enim iustus respu-
Diabolum quã iustus respuat.
it, quandò nec illi, nec suasioni eius consentit: ad nihilum eum deducit, quandò nec recipit suggestiones eius, nec nutrit.
Diabolus quã fortis sit quã annihiletur.
Adnihilatio ergo diaboli, perfectio monachi est. Tunc enim diabolus fortis esse in semetipso existimatur, quandò ab illo miser monachus vincitur. Tunc verò adnihilatur, quandò à perfecto monacho vt inermis vincitur & respuitur. *& paruulos cogitatus eius tenuit, & allisit ad Christum.* Paruuli cogitatus eius, i. diaboli, mala sunt initia suggestionum, quæ bene sunt tenenda, nè malè crescant: & ad petram, id est, ad CHRISTVM, sunt allidenda, vt pereant, nè fortè robur fortitudinis faciant, & contra nos nociua bella committant. *Qui timentes Dominum, de bona obseruantia non se reddunt elatos,* id est, non se componunt, siue existimant elatos, quasi viribus suis aliquid boni agere possint, præsertim cùm
Ioan. 15.
Dominus Apostolis dixerit, Sine me nihil potestis facere. Nam velle bonum & posse,
Phil. 2.
à Domino accipit homo. Elatus enim dicitur, pro eo, quòd semetipsum super mẽsuram suã se eleuet, dum magnus sibi videtur de his, quæ agit, operibus. *sed ipsa in se bona non se posse, sed à Domino fieri existimantes.*
Superborũ & humiliũ, duplex discrimen.
Superbi cupiunt in se, quod non faciunt, prædicari: Humiles refugiunt, quicquid boni operantur, agnosci. Illi vitia sua, à se facta esse recusant, & bona suis viribus facta turpiter iactant: Humiles, quia peccata commiserunt, voluntariè cõfitendo, semetipsos accusant, & omnia bona sua, non à se facta, sed diuino muneri deputãt, & non à se, sed à Domino in se facta esse confirmant. *operantem in se Dominum magnificant, illud cum Propheta dicentes: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Ille in
Psal. 113.
se Dominum operantem magnificat, qui de bonis suis actibus non sibi, sed Domino, tribuit gloriam. Operantẽ enim in se Dominũ magnificare debet, q sine illo nihil boni agere valet. Cognouit enim Propheta, quia non est hominis dirigere vias suas, sed illo disponente, Domini est dirigere gressus eius. Idcircò illi tribuit gloriam, à quo se cognouit accepisse omnia bona. Ait enim Apostolus: Omnia quæcũque facitis, in nomine Domini facite. Ergò totum nomini illi tribuit ecclesia, à quo & in quo nomine virtutem accipit operandi recta, & humiliter veraciterq; dicat cum Propheta: Nõ nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. *Sicut nec Paulus Apostolus de prædicatione sua sibi aliquid imputauit, dicens: Gratia Dei sum id quod sum.* Fuerat enim antè blasphemus, & persecutor Ecclesiæ Paulus, sed gratia Dei vocatus, & à synagoga vtero segregatus, iam prædicator factus erat in Ecclesia fidelis & rectus. ideò dicebat: Gratia Dei sum id quod sum, id est, per memetipsum fui prauus, gratia Domini sum rectus. Per memetipsum persecutor, per Domini gratiam sum modò Ecclesiæ defensor. Per memetipsum blasphem° & impius, per Domini gratiam fidelis factus sum & pius. Et hoc est, gratia Dei sum id quod sum, id est, non meritis meis, sed gratia Dei factus sum, & de infideli fidelis, & de prauo rectus, & de impio pius, & de lupo pastor, & de persecutore defensor, Christian° de Iudæo, & Apostolus de Pharisæo. Et hoc est, gratia Dei sum id quod sum, id est, non sum, qualem me dudùm mea fecit malitia, sed qualẽ me modò Domini voluit esse gratia. *Et iterùm ipse dicit: Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Nihil enim, vt prædictum est, homo habet boni, nisi quod accepit à Domino. Si ergò accepit, non glorietur, quasi non acceperit, nè fortè subtrahat, quod dedit, largitor: & remaneat vacuus, qui gloriabatur de alieno.

Psal. 118.
Coloss. 3.
Operãtem in se Dñm, quis magnificet.
Psal. 113.
1. Cor. 15.
1. Tim. 1.
Gratia Dei sum id, qđ sum: quomodò intelligendũ.
1. Cor. 1.
1. Cor. 4.

Ephe. 2. no. Et de hoc alibi Apostolus: Non enim
ex vobis, Dei enim donum est: nō ex ope-
ribus, nè quis glorietur. Non ergò nobis,
sed nomini Domini totis viribus gloriam
demus, quo nomine saluati sumus, & in
æternū saluari fideliter speramus. Nō enim
Acto 4. est aliud nomē in toto mūdo, in quo salus
fiat populo. Vndè Apostolus ait: Ipsi glo-
Ephe. 3. ria in Ecclesia, & in Christo Iesu, in omni-
bus generationibus in secula seculorum,
Amen. Istud est ergò nomē, cui omnia ge-
Phil. 2. nua flectuntur, cælestium, terrestrium, &
infernorum: & omnis lingua confitetur,
quia hoc nomen, id est, Dominus Iesus
Christus, in gloria est Dei patris. *Vndè & Do-*
Matth. 7. *minus in Euangelio ait: Qui audit verba mea hæc, &*
facit ea, similabo eū viro sapienti, qui ædificauit do-
mum suam supra petram &c. Sapiens enim vir,
non super arenā, id est, super semetipsum,
Gen. 3. quia puluis est, & reuertetur in puluerem:
sed supra petram, illam videlicet, de qua
1. Cor. 10. Apostolus ait: Petra autem erat Christus,
Supra petrā ædificare, quid sit. domum suam ædificat, id est, initium pri-
mæ conuersionis, quasi fundamentum do-
mûs suæ, & medietatē bonæ actionis, quasi
mediū parietis sui, & perseuerantiam per-
fectionis, quasi consummationis perseue-
rantiæ suæ, super fundamentum illud po-
1. Cor. 3. nit. De quo alibi Apostolus ait: Funda-
mentum aliud nemo potest ponere, præ-
ter id quod positum est, quod est IESVS
Christus. Ab hoc enim fundamento acci-
pit vires, vt ædificetur domus, id est, omne
monachi opus, & fortitudinem, nè fortè
pulsata tempestatibus, id est, tentationū
tribulationibus, destruatur. Stultus autem
ædificat super arenam, quia de opere suo
non Deo, sed sibi, tribuit gloriam. Sapiens
autem ædificat super firmam petram, quia
de omnibus operibus suis bonis, non sibi
laudes tribuit, sed Deo gratias agit, & lar-
gitori suo humiliter cuncta tribuit, quia
ab illo se accepisse cuncta cognoscit. Alio
autē sensu hæc parabola maximè ad inob-
Matt. 7. edientes respicit. Sic enim legimus: Omnis
enim qui audit verba mea, & non facit ea,
similabo eum viro stulto, qui ædificauit
domum suam supra arenam, & reliqua. id
est, cùm influxerint stillicidia passionum,
cùm aduenerint flumina & torrentes, atq;
impetus tribulationum, ex multitudine
negligentiarum: cùm flauerint venti, illi
vtiq; qui per istum aërem volitant, parati
ad Christi aream ventilandam sicubi inue-
niant paleas, quas ad ludibriū suum rapi-
ant, atque dispergant: tunc irruent in do-
mum illā, quæ sine obedientiæ fundamen-
to ædificata est, & fiet ruina illius magna.
Non ergò pluuia, neq; flumina cum impe-
tu descendentia, neque venti validissimi
cōmouere poterunt domum supra petrā
fundatam: vt ex hoc intelligas, quia qui
seipsum non perdiderit, nec à semetipso
fuerit motus, nulla superueniens tentatio
deijcere eum poterit, aut mouere. Illud ve-
rò aliud ædificium facilè subuertitur, non
pro tentatione violentiæ, alioqui & ædi-
ficium illud deiecisset, sed propter funda-
menti, id est, propositi infirmitatem. Are- Arena quid designet.
na est res mobilis, & infructuosa, quæ sine
dubio instabilitatem atq; incōstantiā desi-
gnat animarum. *Hæc complens Dominus, expe-*
ctat nos quotidiè, his suis sanctis monitis, factis nos
respondere debere. Quod autem dicit, Hæc cō-
plens Dominus, ad superiora bona, quæ
de habitatore tabernaculi dixerat, respicit.
Impleuit enim Christus Dominus superi-
ùs dicta sermone, impleuit & opere. Præ-
dicauit enim verbo, quod impleuit & actu.
Ipse enim in se impleuit, quod implere ta-
bernaculi habitatorem præcepit. Ipse enim
sine peccati macula ingressus est in mun-
dum, ipse sine peccato vixit in mundo, & 1. Pet. 2.
sine contagione peccati ascendit in cælū.
Princeps enim mundi ad eum venit: sed in Ioan. 14.
eo, quod condemnaret, minimè inuenit.
Ipse quamuis * iustus iustitiam diligat, & * semper iustus Dñs
semper vbiq; iustitiam operetur, tamē po-
tissimùm iustitiam operatus est, quandò Matt. 12.
superbum fortemq; diabolum vinxit, & Marci 3.
domum eius ingrediēs, vasa illius, quæ in- Lucæ 12.
iustè tenebat, abstulit, & sibi ea fonte ba-
ptismatis lota, in perpetua seruitia sacra-
uit. Ipse enim loquitur veritatem in cor-
de, quia veritas est: & quod ore promit-
tit, opere complet. Ipse enim ait: Ego sum Ioann. 14.
via, veritas, & vita. Ipse non egit dolum
in lingua sua, quia peccatum nō fecit, nec 1. Pet. 2.
dolus inuentus est in ore eius. Ipse proxi-
mo suo non fecit malum, sed è contrario
fecit ei bonum, quandò eum, id est, genus
humanum, cuius per carnem factus affinis,
& proximus descendens de Hierusalem in Lucæ 10.
Hiericho, i. de cælo in mundum, inuenit
eum à latronibus, i. à dæmonibus multis
peccatorum plagis vulneratum: infudit
vinum & oleū, id est, austeritatem pœni-
tentiæ, & refocillationem vineæ. Imposu-
it in iumentum suum, id est corpori suo
sociauit: duxit ad stabulum, id est, fide-
lem eum faciens, corpori vniuit Ecclesiæ:
& præcepit stabulario, id est, gubernatori
Ecclesiæ, vt curam illius haberet, & de no-
uo & veteri testamento, quasi de duobus
denarijs, eum prædicans gubernaret. Eccè
quomodò Dominus Iesus Christus nō fe-
cit proximo suo malum, sed misericordiā
in illum faciens, præstitit ei bonum. Ipse
enim sapiens, quia ipsa est sapiētia patris. 1. Cor. 1.
Super petrā suam fundauit domum, quia
super semetipsum fundauit Ecclesiam. Et
hoc est quod ait: *Hæc complens Dominus*, id est,
vniuersa superiùs compræhensa, & ver-
bis prædicando, & operibus impleuit cō-
plendo.

plendo. *expectat nos quotidiè his suis sanctis monitis factis nos respondere debere.* Respŏdere cuilibet dicimus, cùm eius factis congrua ad

*al. vicem

*inuicèm opera reddimus. Deo ergò respondere, est, donis eius præcedentibus nostra obsequia reddere. Tunc Deo vera obsequia reddimus, cùm eũ propter amoris fiduciam non timemus. *ideò nobis propter*

Rom. 2.

emendationem malorum, huius vitæ dies ad inducias relaxantur, dicente Apostolo: An nescis quia patientia

2. Pet. 1.

Dei ad pœnitentiã te adducit? Nã & Petrus Apostolus de hac ipsa re sic ait: Non tardat Do-

Pœnitentia citò agenda.

minus promissionem, sed patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitētiam reuerti. Ipse iterùm

Ibidèm.

dicit: Propter quod, charissimi, hæc expectantes, satagite immaculati & inuiolati inueniri ei in pace, & Domini nostri longanimitatem salutem arbitramini. Non ergò nobis à Domino concessas per temporis negligentiam dierum nostrorum perdamus inducias, sed emendare celeriter festinemus, quod multo tempore negligenter egimus, nè fortè post carnis huius resolutionem, cum illis reprobis, qui in libro Sapientiæ scribuntur, infructuosam pœnitentiam agentes, & præ tristitia cordis nostri gementes, nobismetipsis repu-

Sap. 5.

tantes dicamus: Nos insensati, errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via vanitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autẽ Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? aut quid diuitiarũ iactantia cõtulit nobis? Transierũt omnia illa tanquàm vmbra, & nos in malignitate nostra consumpti sumus. Non enim Dominus lætatur in perditione viuorum, sed magis vult saluare pœnitentes, quàm perdere delinquentes. *Nam pius Dominus dicit per*

Ezech. 18.

Prophetam: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Cùm ergò interrogássemus Dominũ, fratres, de habitatore tabernaculi eius, audiuimus habitandi præceptum: sed si compleamus habitatoris officium, erimus hæredes regni cælorum. Hîc audire, beatus Benedictus pro exaudire posuit, àc si diceret: Tunc verò audiuimus, si habitatoris officium compleamus. Sicut Do-

Ioan. 10.

minus in Euangelio ait: Oues meæ vocẽ meam audiunt, id est, exaudiũt. Si autem habitatoris officium nõ compleamus, minimè habitandi præceptum audiuimus, sicut & idem Dominus Iudæis dicit: Qui

Ioan. 8.

ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Vndè & alibi aures cordis requirens, aiebat: Qui

Lucæ 8.

habet aures audiendi, audiat. Ergò nõ audit vocem Domini, qui corde non retinet, & opere non complet, quod audit. Sin autem aliquis hîc subauditionem maluerit intelligere, taliter ponenda erit: Sed si cõpleamus habitatoris officium, & nos eiusdem suprà dicti tabernaculi habitatores erimus. *Ergò præparanda sunt corda & corpora nostra, sanctæ præceptorum obedientiæ militanda.*

Corda ad militandũ quomodò præparãda.

Quomodò sint præparanda ad militandũ corpora, obsecrantem Apostolum audi. Ait enim: Obsecro itaque vos fratres, per

Rom. 12.

misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrũ, & nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensûs vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, & benè placens, & perfecta. Et alibì dicit: Nõ re-

Rom. 6.

gnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius. Sed neq; exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo tanquàm ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo. Peccatum vobis non dominetur. Quomodò iterùm corda nostra sint præparanda, idem ipse Apostolus ait: Di-

Gal. 5.

co autem, spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Item ipse: Si spiri-

Gal. 6.

tu viuimus, spiritu & ambulemus. Nõ efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicèm prouocantes, inuicèm inuidentes. Tunc enim corda nostra & corpora in Domini præparantur militia, si abijciamus à nobis

Rom. 13.

opera mortua, id est, peccata, opera tenebrarum, opera carnis & tenebrarum, & induamur arma lucis, & fructus spiritûs, qui

Galat. 5.

sunt virtutes animarum. Opera autẽ carnis sunt, adulteria, fornicationes, immũditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, indignationes, prouocationes, dissensiones, sectæ, hæreses, inuidiæ, rixæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut & prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Fructus autem spiritûs, est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia, lenitas, continentia, castitas. Aduersùs huiusmodi non est lex. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & cõcupiscentijs. Et ad Corinthios de cordis pariter & corporis præparatione sic ait: In omnibus exhi-

2. Cor. 6.

beamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in multis tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei: per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: vt seductores, & veraces: sicut qui ignoti, & cogniti: quasi morientes, & ec-

cè viuimus: vt castigati, & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquàm nihil habentes, & omnia possidentes. *& quod minus habet in nobis natura possibile.* Naturam, dicit ingenium, mores, &

Natura vndè dicta.

astutiam animi. Natura enim dicta ab eo, quòd aliquid nasci faciat. Gignendi enim & faciendi potens est. Fragilis est enim humana natura, quia quod vult, bonũ agere, perficere non valet, nisi adiutorium accipere à Domino meruerit. Vndè & Apo-

Rom. 7.

stolus ait: Nam velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio. Vndè & aptè sequitur: *rogemus Dominum, vt gratia sua iubeat nobis adiutorium ministrare.* Inter ministrare, &

Ministrare & subministrare quò distēt.

subministrare, sic dicit distare Fulgentius, quòd in vno horum, obsequium humilitatis: in altero autem, iudicium abundantiæ & potestatis ostenditur. A ministrante quippe obsequium redditur, à subministrante verò, subsidium prærogatur. *& si fugientes gehennæ pœnas, ad vitam volumus peruenire perpetuam.*

Gehenna locus qualis.

Gehenna, est locus ignis & sulphuris. Futuri ergò supplicij locus, vbi peccatores cruciandi sunt, huius loci

Damnatorũ duplex pœna in gehenna.

vocabulo designatur. Nam duplex in gehenna est damnatorum pœna, illorũ autem & mentem vrit tristitia, & corpus

Dan. 3.

flamma. Nam sicut ille ignis camini, non arsit ad trium puerorũ supplicium, & tamen arsit ad comburenda ligamina vinculorum: ità ignis gehennæ & lucebit miseris ad augmenta pœnarum, & non lucebit ad consolationem gaudiorum. *dum adhuc vacat, & in hoc corpore sumus, & hæc omnia per hanc lucis vitam vacat implere. Currendum & agendum est modò, quod in perpetuum nobis expediat.*

2. Cor. 6.

Eccè nunc tempus acceptabile, eccè nunc

Psal. 33.

dies salutis. Vacemus & videamus, quia

Gal. 6.

suauis est Dominus: & dum tempus est, operemur bonum ad omnes. Quia quod

Psal. 125.

seminauerit homo, hoc & metet. Et qui in præsenti vita seminauerint in lachrymis, in futuro seculo in gaudio metent.

Currendũ quò in hac vita.

Currendum est ergò nobis, non pedibus, sed vita & moribus, vt illud possimus in hac vita conquirere, quod nobis in æternum cognoscimus expedire, id est, vt illas suprà dictas virtutes, charitatem videlicet, gaudium, pacem, & cæteras omnes habere in præsenti seculo, & cum illis, & pro illis viuere possimus in futuro. *Constituenda est ergò à nobis Dominici schola seruitij.*

Schola qd.

Schola vocabulo dicitur loc⁹, in quo adolescentes liberalibus studijs operam dare, & ad audiendos magistros vacare solent. Vnde schola * vacatio interpretatur. Deniq;

* al. interpretatio vocatur.

in psalmo, vbi canimus, Vacate & vide-

Psal. 45.

te, quoniam ego sum Dominus: in Græco habetur σχολάσατε. Ergò sicut in schola pueri cum disciplina, quæ illis necessaria sunt, discunt, & quæ in futuro prosunt, capiunt: ità & monachi in monasterij regularis schola, & quæ eos in præsenti honestè viuere faciant, & quæ in futuro felices reddant, discere sagaciter, & efficaciter debent implere. *in qua institutione nihil asperum, nihilq; graue nos constituturos esse speramus.* Institutio enim regularis vitæ, volentibus eam, nihil asperum habet, ni-

Matt. 11.

hil graue. Iugum enim meum, ait Dominus, suaue est, & onus meum leue. Nolentibus enim, & suas voluntates implere volentibus, omnia bona sunt aspera, omnia sunt grauia. Institutio enim, dispositio vel ordinatio intelligitur. *Sed & si quid paululùm restrictius, dictante æquitatis ratione.*

Aequitas quid.

Aequitas est veritas, & veritatis iustitia: ratio, motus quidam animi, visum mentis acuens, veraque à falsis distinguens. Mens hominis, dum recta iudicat, ratio est: dum spirat, spiritus. *propter emendationem vitiorum.* Vitia nihil sunt, sed vbi bonitas deest, vitium est. Omnis enim natura, opus Dei est. Opera enim quæ vitia dicuntur, actus sunt, non res. Quanquàm per se agere dicuntur aliquid, cùm ea & per ea totum agit diabolus: vel damnata dicuntur, cùm ipse pro his damnatur, & homo per liberum arbitrium * his intellectis trahitur ad sensum. Et idcircò in futuro seculo non erunt vitia, quæ in authore suo diabolo damnabuntur.

* al. his allectus, trahit assensum.

Cùm ille, scilicet damnatus in gehenna, vt peccent homines, ampliùs potestatem hæc agere non habebit. *vel conseruationem charitatis processerit.* Charitas Græcè, Latinè dilectio interpretatur, eò quòd duos illiget. Vndè &

Coloss. 3.

Apostolus ad Colossenses ait: Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Nam dilectio à duobus incipit: quod est amor, Dei & proximi. Non enim temporalis debet esse charitas, sed * obseruantia continua. Vndè & alibì Petrus Apostolus ait: Ante omnia

* al. obseruata continuò

1. Pet. 4.

mutuam in vobismetipsis continuam charitatem habentes. Perfecta enim charitas, & perpetuò conseruata, in Deum & proximum amore complectitur æterno. *non illicò pauore perterritus, refugias viam salutis.* Sic-

Luca 9.

ut scriptum est, Quia qui ponit manum in aratro, & respicit post tergum, aptus non erit regno cælorum. Pauidi enim, in lege non admittuntur ad prælium: nè & illi pauentes pereant, & alios pauere faciant. Non enim qui inchoauerit,

Matt. 10. & 24.

sed qui perseuerauerit, saluus erit. Nemo

2. Tim. 2.

militans Deo, (ait Apostolus,) implicat se negocijs secularibus, vt placeat ei, cui se probauit. Nam & qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitimè certauerit. *quæ non est nisi angusto initio incipienda.* Arcta & angusta via est, quę ducit ad vitam:

Matth. 7. tam: Lata & ſpatioſa, quæ ducit ad mor-
Lucæ 13. tem. Sed & Dominus diſcipulis ait: Con-
tendite intrare per anguſtam portā. Opor-
Acto. 14. tet enim nos per multas tribulationes in-
trare in regnum cælorum. *processu verò con-
uersationis & fidei*. Proceſſu dicit cōuerſatio-
nis & augmētum virtutum, & profectum
animæ: in quibus monachus quotidiè au-
gmentari debet, & creſcere. Sic enim Apo-
Coloſſ. 1. ſtolus pro nobis orans, ait: Oramus, vt am
buletis dignè Deo, per omnia placentes, in
omni opere bono fructificantes, & creſcen
tes. Quotidiè enim monachus nouus & no
Philip. 3. uus effectus, de virtute creſcere debet in vir
tutem, & quæ retrò ſunt, obliuiſcens, in ea
quæ priora ſunt, ſe extēdere, donèc ad de-
ſtinatum perueniat brauium, ſupernę vo-
cationis Dei in Chriſto Ieſu Domino no-
ſtro. Nam & quòd fides in homine proceſ-
ſum, id eſt, augmentum & profectum faci-
at, Apoſtolorum nobis oſtendunt verba,
Lucæ 17. vbi Domino dicunt: Domine, auge nobis
Fides quid, & vndè dicta. fidem. Fides, eſt diuinitatis cōfeſſio, & re-
ligionis ſolidum fundamentum: fides, eſt
credulitas, qua Deum confitemur, cultus &
religio, quam illi credentes exhibemus. Di-
cta autem fides ab eo, quòd fit illud, quod
inter vtroſq; placitum eſt, quaſi inter Deū
& hominem. Fides propriè eſt, vel dicitur,
quandò id creditur, quod nondùm vide-
tur. Nam credere iam nō poſſumus, quod
videmus. *dilatato corde*. Dilatato corde di-
cit, id eſt, magnificato, vel ſpatioſo facto:
quia quantùm homo in ſeruitio Dei pro-
ficit, tanto lætior in pręceptorum eius am-
plitudine creſcere ſatagit, vt Pſalmiſta ait:
Pſal. 118. Viam mandatorum tuorum cucurri, dum
dilatares cor meum. *inenarrabili dilectionis dul-
cedine*. Inenarrabilis dulcedo dicitur illa, de
Pſal. 30. qua Pſalmiſta ait: Quàm magna multitu-
do dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcon
diſti timentibus te, & perfeciſti eis, qui ſpe-
rant in te. Quam & Apoſtolus inenarrabi-
1. Cor. 2. lem dicit, vbi ait: Quod oculus non vidit,
nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcē-
dit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.
curritur via mandatorum Dei. Sicut ſuperiùs de
Pſal. 118. pſalmo dictum eſt, Viam mādatorum tuo-
rum cucurri, dum dilatares cor meū. Nam
1. Cor. 9. & Apoſtolus ait: Sic currite, vt compræ-
hendatis. Non hîc curſum pedum, ſed mo-
rum ſignificat. Ambulare enim de virtute
in virtutem, donèc videatur Deus Deorū
in Sion, curſus eſt animæ. Sed vt iſte expe-
ditior ſit curſus, caſtigandū eſt corpus, vt
Ibidem. idē Apoſt. ait: Ego igitur ſic curro, nō quaſi
in incertū: ſic pugno, nō quaſi aerē verbe-
rans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſerui-
tutem redigo, nè fortè cùm alijs prædica-
uerim, ipſe reprobus efficiar. Et alibi ipſe
2. Timo. 4. Apoſtolus ait: Certaui bonum certamen,
curſum cōſummaui, fidem ſeruaui: de re-
liquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ,
quam reddet mihi Dominus in illa die, iu-
ſtus iudex. *vt ab ipsius nunquàm magisterio disce-
dentes*. Ab ipſius, id eſt, Dei, magiſterio, id
eſt, doctrina vel eruditione. *in eius doctrina
vsque ad mortem in monasterio perseuerantes*. Non Matt. 24.
enim qui inchoauerit, ſed qui perſeuera-
uerit, ſaluus erit. Monaſterium, etiam vni- Monaſterium, vnius monachi habitatio dici poteſt.
us monachi habitatio dici poteſt. Monos
enim, apud Græcos ſolus dicitur. Sterium,
ſtatio vocatur. Ergò monaſterium ſolita-
ria habitatio dici poteſt. *passionibus Christi per
patientiam participemur*. Petrus Apoſtolus ait:
Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relin- 1. Pet. 2.
quens exemplum, vt ſequamur veſtigia
eius. Per patientiam participemur, dicit,
quia in paſſionibus patientia neceſſaria ha
betur. Ille enim pro nobis tam patiens in
paſſione extitit, vt quaſi agnus manſuetus Iſaiæ 53.
duceretur ad victimam, & non aperiret os Act. 8.
ſuum. Participemur dicit, id eſt, ſociemur,
vt regni eius mereamur esse consortes. Conſortes
dicit, id eſt, ſocij, hæredes, vel participes.
Conſors dicitur, qui ſorte ſe iungit: ſicut Conſors & concors q.a.
& concors, qui corde ſe iungit. Dictus cō-
ſors, eò quòd ad eum pertineat pars bono-
rum. Nam & veteres ſortem pro parte po-
nebant. Si enim filij ſumus, & hæredes eri-
mus. Si autem hæredes, ſine dubio & con- Rom. 8.
ſortes erimus. Amen.

EXPLICIT PROLOGVS IN REGV-
LAM BEATI BENEDICTI
ABBATIS.

INCIPIT REGVLA
EIVSDEM SANCTI PATRIS
CVM EXPOSITIONE SMARAGDI
MONACHI.

REgula appellatur, vt beatus Be- Regula vndè appelletur.
nedictus ait, ab hoc quòd obe-
dientium dirigat mores. Alij ve-
rò dicūt regulam dictam, quòd c. Canon. 3. diſtinct.
rectè ducat, nec aliquandò aliorsùm tra-
hat: vel quòd regat, vel quòd normam re-
ctè viuendi prębeat, vel quòd diſtortum,
prauumq; corrigat.

De quatuor generib. monachorū.
CAPVT I.

M*Onachorum genera quatuor esse, ma-
nifestum est*. Monachus Græca Monachus quis vocetur.
etymologia vocatur, eò q̄ ſit
ſingularis, in libris collationū.
* Monaxdi ſiue * monazontaie, ſingula- * fortè, μοναστοὶ,
ris ac ſolitariç vitæ diſtrictione nomina- * fortè, μοναστικοὶ, vel μονάζοντες.
ti ſunt: vndè conſequens fuit, vt ex com-
munione conſortij, * κοινοβιώτας cellæ,
quæ hac diuerſoria eorum κοινόβια voca- * fortè κοινοβιώτας.
rentur. Iſtud ergo ſolum fuit antiquiſsimū

monachorum genus, quod nō modò tempore, sed etiā gratia primū est, quodq; per annos plurimos solū vsq; ad Abbatis Pauli vel Antonij durauit ætatē, cuius etiā nunc adhuc in districtis cœnobijs cernimus residere vestigia. Itaq; Cœnobitarū disciplina à tēpore prædicatiōis Apostolicæ sumpsit exordiū. Nā talis extitit omnis in Hierosolymis, illa credētiū multitudo, quæ in actibus Apost. ità describitur: Multitudinis autē credentiū erat cor vnū & anima vna: nec quisquā eorū quæ possidebat, aliquid suū esse dicebat, sed erat illis omnia cōmunia. Possessiones & substātias vēdebāt, & diuidebant ea omnibus, prout cuiq; opus erat. Talis, inquā, erat tūc omnis Ecclesia, quales nunc perpaucos in cœnobijs inuenire difficile est. *Primum Cœnobitarū* Primum hic nō pro temporis ordine, sed gratię magnitudine positum intellige. Cœnobitæ, genus monachorum, quos in cōmune viuentes possumus appellare. Cœnobium enim est monasteriū plurimorum, i. in cōmune viuentium: quod ex Græco & Latino videtur esse cōpositū. Κοινὸν enim Græci cōmune dicūt. De hoc perfectorū numero & vita, dixerim fœcundissima radice, sanctorū & Anachoretarū post hæc flores fructusq; prolati sunt. Cuius professionis principes hos, quos paulò ante memorauimus, sanctū videlicet Paulū & Antoniū nouimus extitisse, qui nō, vt quidā, pusillanimitatis causa, nec impatientiæ morbo, sed desiderio sublimioris profectûs, cōtemplationisque diuinę, solitudinis secreta sectati sunt. *militans sub regula vel Abbate.* Militans, dicit: quia militia est vita hominis super terram. Sicut & alibi scriptum est: Fili, accedens ad seruitutē Dei, sta in militia, & præpara animā tuā ad tentationē. In qua militia positi, flagitare cū Propheta debemus Dñm, dicētes: Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me. Appræhēde arma & scutū, & exurge in adiutoriū mihi. *Secundū genus est Anachoretarū, i. Eremitarum.* Anachorisis enim Gręcè eremus dicitur. Anachoretarū genus est monachorū, qui post Cœnobitarū vitā, deserta petūt, & ab eo quòd procul ab hominibus recesserunt, tali nomine nuncupātur. Ergò Anachoretæ, secessores interpretari possunt. *horum qui nō cōuersionis feruore nouitio.* Nouitius enim cōpunctionis feruore coactus, omnia regularia obseruare se promittit præcepta. Sed quia hominis est disponere vias suas, & Domini est dirigere gressus eius, vtrùm ad perfectiōis perueniat calcem, ignorat homo. *sed monasterij probatione diuturna.* Diuturna dicit, i. multis tēporibus vel diebus probata. Sicut enim in camino ignis, coquēdo probatur aurū: ità in monasterij claustro, & regulari disciplina, tribulādo bonus probatur monachus.

Act. 2.

Cœnobitę, quales monachi extiterint.

S. Paulus & Antonius, cœnobitarum principes.

Iob 7.

Eccli. 2.

Psal. 34.

Anachoretæ quales, & quarè sic dicti.

Psal. 118.

Et sicut in diademate regis probatū fabricatur aurū: ità in diademate veri regis Christi, benè probatus fabricatur monachus, sicut scriptum est de ipsius veri regis persona: Quasi sponsum me decorauit corona. Corona enim Christi, omnes electi, inter quos benè probati computati sunt monachi. *qui didicerunt contra diabolum, multorum solatio iam docti, pugnare.* Sicut in luctaminibus huius seculi sine agone seu certamine non coronatur: ità in spirituali cōuersatione, & proposito sancto, nemo sine luctamine potest immarcescibilem coronam accipere, vitæque æternæ hæres existere. Semper enim perfecti athletæ sine aliquo metu, & cum magna alacritate inueniuntur in certamine. Sic ergò & perfectissimi luctatores, & continentissimi monachi decertantur, habentes semper præ oculis iucunditatem paradisi, & expectantes delicijs eius perfrui, & quæ promissa sunt bona, & immortalia secula, & lumē sempiternum. Vis in agone certare, & victor existere? Indue te armatura Dei, sicut vestimento, id est, scuto fidei, galea salutis, & cæteris quæ ab Apostolo præcipiuntur. *& benè instructi fraterna ex acie, ad singularem pugnam eremi, securi iam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio, contra vitia carnis, vel cogitationum, Deo auxiliante, pugnare sufficiunt.* Acies, dicitur instructus ordo militū ad bellandū contra diabolū: ex qua iste solus ordo monachorum egreditur pugnaturus. Pugna vocata, eò, quòd primitùs in bello pugnis prœliare incipiebāt. Nullus enim absq; certamine coronabitur: neq; gratia Dei deserit quenquā, si cū alacritate, & bona voluntate pugnauerit cōtra vitia carnis. Vitia autē carnis omnibus nota sunt, sicut Apostolus ait: Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, & reliqua, sicut iam suprà dicta sunt. Sic dixit, contra vitia carnis vel cogitationum: ac si diceret, contra vitia operis & voluntatum. Aliquoties autem sunt vitia primùm in cogitatione, & pòst egrediūtur in opere: aliquoties verò sunt in cogitatione, & nō procedunt in opere. Vnde & pōderosus, in lege panes Dño prohibetur offerre. Pōderosus verò est, qui vitia turpiter nō exercet in opere, ab illis tamē frequēter polluitur in mēte. Et quāuis opus nefariū nō exerceat, in cogitatiōe tamē turpia vitia gestat. Contra quæ vitia sola manu vel brachio monachus pugnat: quia ꝓpria virtute vel operatiōe, quæ per brachiū significatur, & manu sine fratrum adminiculo, cum Domini tamen adiutorio, victor existit in eremo. *Tertium verò monachorum teterrimum genus, est Sarabaitarum.* Teterrimum dicit, nigerrimum, obscurissimum, horribile, agreste vel ferū. Veteres enim pro nimis fero teterrimum dixerūt.

Isaiæ 61.

Ephe. 6.

Acies q. d.

Pugna vnde dicta.

2. Tim. 2.

Galat. 5.

Leuit. 21.

Sara-

Sarabaitæ, qui vocentur.

Sarabaitæ autem interpretantur rennuitæ, eò quòd maiorum exempla, vel doctrinam sequi rennuant. Emersit enim hoc teterrimū, & infidele monachorū genus, vel potiùs noxia illa plantatio rediuiua cōcreuit, quæ per Ananiam & Sapphirā, in exordio Ecclesię pullulās, Apostoli Petri seueritate succisa est, quæ inter monachos tā detestabilis execrandaq; iudicata est, nec à quopiā vlteriùs vsurpata est, quādiù illius tam districtæ sententię formido memorię fideliū inserta durauit. Qua beatus Apostolus prædictos noui facinoris principes, nō pœnitentia, nō vlla passus est satisfactione curari, sed perniciosissimū germen celeri morte succidit, *qui nulla regula approbati, experientia magistri, sicut aurum fornacis*. Experiētia, notitia vel doctrina, ab experimēto dicta. Qui nulla regula approbati dicit, i. nullius regulæ * approbatione vel examinatione experti vel eruditi. Omniū enim rectè viuentiū vitæ, sine dubio regulæ sunt vocatæ. quarū omniū exēplar Sarabaitæ nō imitantur, vt viuant, sed in suis corrupti voluptatibus resoluuntur, vt pereant. Nō regulari disciplina probātur vt aurū, sed suis desiderijs mollescunt vt plumbū. Vnde & sequitur: *sed in plumbi natura molliti*. Aurum enim in fornace positū, & fortitudinē accipit, & fulgorē: ità & probus monachus in camino regulari positus, & fortitudinē accipit, vt aduersa æquanimiter toleret: & fulgorē, vt bonorū operū cunctis exēplar demonstret. Plumbū verò in igne missum, mollescit & deperit: Sic & monachus reprobus in regulari disciplina positus, tepescit & perit. De illo dicitur: Tanquàm aurū in fornace, probauit eum Dn̄s. De isto aūt, Quia tepidus es, incipiā te euomere ex ore meo, dicit Dn̄s. Vnus auri fulgore recepto, cū Christo regnaturus, ascēdit in cælum: alter in plumbi natura mollitus, cum diabolo cruciādus, descēdit ad tartarum. Vnus virtutibus auctus, crescit in melius: alter tepid⁹ factus, decrescit in peius. Vnus pollet virtutibus sacris, alter tepescit seculi curis. Vnus veraciter nomē monachi portat, alius falsatoris monachi nomen gestat pariter & tonsurā. Vndè & sequitur: *adhuc operibus seruantes seculo fidem, mentiri Deo per tonsurā noscuntur*. Ille enim fidē seculo seruat, qui ea quæ secularis egit, in habitu monachi positus agere nō cessat. Quid est enim aliud, operibus seruare seculo fidē, nisi ea agere in monasterio monachū, quæ egit in seculo, adhuc in seculari habitu positus? Seculo fidē seruat, quia eius voluntatē facere nō cessat. Seculo fidē seruat, quia se nec desiderio, nec cogitatione, nec opere ab illo separat: sed tamē per tonsurā & religionis habitū, Dei se esse mētitur seruū. In habitu enim & religione exteriùs à nescientibus videtur esse monachus, operibus tamē à scientibus Domino videtur esse mētitus. De talibus enim Dominus ait: Videbitis eos in vestimentis ouiū, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorū cognoscetis eos. *Qui bini aut terni, aut certè singuli sine pastore, nō Dominicis, sed suis inclusi ouilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas*. Sine pastore dicit, id est, sine Abbate, qui in monasterio vicē Christi videtur agere, qui dixit: Ego sum pastor bonus, qui pasco oues meas, & cognosco meas, & cognoscunt me meæ. Et quia pastorē nō habēt, nō in Dominicis, sed suis inclusi ouilibus manēt. Domini enim ouilia, sanctorū monachorū sunt monasteria, qui rectè à summo pastore Christo reguntur, & in loco pascuæ collocātur. A quo nec isti regūtur, nec collocātur, sed desideria sua implētes, turpiter in suis cubilibus cōmorantur, vbi & pro lege tenēt oīa, quæ operātur, & * desideriorū implentes voluptatē, omnia quæcūq; volūt, peragūt. Vnde & subditur: *Cùm quicquid putauerint, vel elegerint, hoc dicunt sanctum: & quod noluerint, hoc putāt nō licere*. Quicquid putauerint, inquit, nō quicquid authoritate diuinarum scripturarū, vel exemplis probauerint patrū. Cū quibus enim voluerint ieiunia soluere, soluūt: & dicunt, Bonū & sanctū est, pro hospite ieiuniū soluere. Illis autē, quibus noluerint humilitatē atq; humanitatē exhibere, Nō nobis licet ieiuniū hodiè soluere. Aliter putant in cordibus suis, & eligūt in mēte sua potiùs solitariā vitā ducere, quàm cum alijs sub regulari vita in disciplina manere, dicentes: Sanctius est, secura mēte & secreta Deo seruire, quàm aut alijs irrogare, aut ab alijs irrogatā regularē recipere disciplinā, nesciētes scriptū, Væ soli, quia cùm ceciderit, nō habet subleuantem. Multa enim pericula sunt solitario proxima. Primum, quia sibimetipsi in omnibus actibus suis placet, & nullū aliū habet, qui opus eius probet. Deindè quæque vitia illi abundēt, quæq; virtutes desint, nō cognoscit. In quo humilitatē suam probet, neminē habet. Obedientiā fratri nō impēdit. In iniurijs patientiā nō ostendit. Melius est ergò monacho, vt viuat in monasterio sub disciplina vnius patris, multorūq; consortio, & ab alio discat humilitatē, ab alio patientiam. Vnus enim silentium, alter docet mansuetudinem: nō faciat quod vult: comedat quod iubetur: habeat quantū acceperit: operis sui pēsum persoluat: subijciatur cui non vult: lassus ad stratū veniat, ambulansq; dormitet, necdùm expleto somno surgere cōpellatur: passus iniuriā, taceat. *Quartum verò est genus monachorum, quod nominatur Gyrouagum, qui tota vita sua per diuersas prouincias ternis aut quaternis diebus per diuersarum cellas hospitantur: semper vagi, & nūquàm stabiles.*

Gyros

Margin notes (left column, in order): Act. 5. — * al. non habent. — Monachi probi, & auri conuenientia. — Monachi improbi, & plumbi cōuenientia. — Sapien. 3. — Apoc. 3. — Vtriusque monachi, multiplex discrimen. — Fidem seculo quis seruet.

Margin notes (right column, in order): Matt. 7. — Abbas vicē Christi agit in monasterio. — Ioan. 10. — Psal. 22. — Ephe. 2. — * al. desideria suarum implentes voluptatū. — Ecclēs. 4. — Pericula solitarij multa. — In monasterio viuere, cur melius sit.

Gyrouagus quis dicatur.

Γύρος circuitus dicitur. Ergò gyrouagus dicendus est ille, qui vagus, atq; vagãdo, aliorũ cellas, paritérq; circuit casas. Ipsi & alio nomine circuncelliones vocãtur, qui sub habitu monachorum, hàc illacq; vagãtur, venalem circunferentes hypocrisin, circumeuntes prouincias, nusquàm missi, nusquàm fixi, nusquàm stantes, nusquàm sedentes: *sed semper & vbiquè proprys voluptatibus, & illecebru gulæ seruientes.* Illecebræ dicuntur delectationes illicitæ, luxuriosæ, voluptuosæ, siue turpissimæ, in quibus mollis & dissolutus monachus frequenter inuoluitur. *Et cùm sint isti per omnia deteriores Sarabaitis, melius iudicamus, de illorum miserrima cõuersatione silere, quàm loqui.*

Illecebræ quæ dicantur.

Qualis debeat esse Abbas.

CAPVT II.

Qualitatem enim boni pastoris, in subsequentibus ostẽdere volens beatus Benedictus, præmisit, dicẽs: Qualis debeat Abbas esse. Cui respondendum est affirmatiuè: Bonus vtiquè. Talis, qualem Apostolus describit, dicẽs: Sine crimine, sicut Dei ministrum. Non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, cõtinentem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere. Talis sine dubio & huiusmodi debet esse *Abbas, qui praesse dignus est monasterio, & semper meminisse debet, quod dicitur*: Dicitur enĩ & vocatur Abbas, id est, pater. Si enim pater est, paterno more filios, id est, monachos suos, nutriat, paterno more diligat, & cùm necesse fuerit, paterno more castiget, arguat, obsecret, & cum increpatione corripiat, & si necessariò excõmunicationis cauterium, vel virgarum adhibuerit flagellũ, non animi odio, sed hoc faciat amore paterno: non causa vindictæ, sed amore iustitiæ. Scriptum est enim: Iustè, quod iustum fuerit, exequéris. Et quia Dominus iustus iustitiã diligit, Abbas qui in monasterio eius videtur vices agere, iustitiam debet amare, *& nomen maioris implere.* Multi nanque Abbatum gaudent nomen habere maioris, id est, Abbatis: sed tamen sudorẽ timent adire laboris. Appetunt gloriã temporalem, & non pro mandato exercere laborem. Et si contigerit eos fratribus exhortationis proferre sermonẽ, pro * vana gloria id agunt, non pro æterna mercede. Qui ergò vult præ cæteris nomen maioris habere, in bonis operibus præ cæteris debet sudare. Nõ enim auditores legis, iusti sunt apud Deũ, sed factores legis iustificabuntur.

Abbas qualis esse debeat.

1. Tim. 3. Tit. 1.

Abbas quomodò pater esse debeat.

Deuter. 16. Psal. 10.

* al. magna

Rom. 2.

Christi enim vices agere in monasterio creditur, quandò ipsius vocatur prænomine, dicente Apostolo: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Tunc enim Abbas in monasterio vicem Christi agit, quandò gregem sibi cõmissum prouidè & iustè regit: quandò cuncta quæ disponenda sunt, rectè disponit: temperatè, quæ agenda sunt, agit: Catholicè, quæ docenda sunt, docet. Operatur, quæ operanda sunt: quandò cũ discretione, quæ iudicanda sunt, iudicat: & misericorditer, quæ relaxãda sunt, relaxat: & totum sibi gregem commissum, in charitatis dilectione conglutinat: & totum, velut pater vnicum filium, amat. Et tunc iustè & rationabiliter, pro nomine Christi fungens, ab omnibus, velut à filijs, Abba pater vocetur. *Ideoq; Abbas nihil extra præcepta Domini (quod absit) debet aut docere, aut constituere, vel iubere.* Omnis enim doctrina duob⁹ modis consistit, verbis videlicet, & exemplis, sicut idem beatus Benedictus in sequentibus ait: Cùm aliquis, inquit, suscipit nomen Abbatis, duplici doctrina debet suis præesse discipulis. Ergò nihil quod extra præceptum Domini sit, in hac duplici doctrina debet Abbas docere. Scripturarum etenim diuinarum plenitudo & exemplis patrum referta, & verbis doctorum est plena. Non ergò quod extra præceptum Domini sit, debet docere, sed eius doctrina cũ præceptis Domini debet in omnibus diligentissimè concordare. A præceptis enim Domini debet accipere in omnib⁹, de quibus discipulos suos vult docere. *aut constituere.* Constituere dicit, definire, vel modũ ponere. quod extra præceptũ Domini ab Abbate fieri non debet. Modus enim & definitio Abbatum, secundùm Domini in omnibus debet fieri præceptum, nè aut remissè viuentes mergat in laqueum, aut nimiùm abstinentes in nociuum compellat murmurium. Abbatis ergò constitutio, in via regia rectum figere debet gressum, nè si plus fecerit gregem suum laborare in ambulando, defectionis sustineat detrimentum: & si remissiùs, quàm decet, nutriuerit eum, labatur in tartarum viuens luxuriosè. *vel iubere.* Iubere dicit, præcipere, vel imperare, quæ ab Abbate extra præceptum Domini fieri non debent. Si enim quæ secundùm Domini præcepta sunt, discipulis præcipiens imperauerit, & ab illis gratiam, & à Domino mercedem recipiet sempiternam: Si autẽ, quod extra pręceptum Domini sit, imperado pręceperit, & discipulis damnum, & animæ suę ingerit detrimentum. *Et idcircò nihil, quod extra præceptũ Domini sit, debet aut docere, aut constituere, vel iubere: sed iussio eius, vel doctrina, fermentum diuinæ iustitiæ in discipulorum mentibus * conspergat.* Fermentum enim à feruore nomen accepit. Quod

Rom. 8.

Abbas quãdò in monasterio vicem Christi agat.

Doctrina omnis verbis & exemplis consistit.

Abbas extra Domini præceptũ nil debet cõstituere.

* al. conspergatur.

hoc in

hoc in loco charitatis significat dilectionem, quæ ad amorem diuinæ iustitiæ disci pulorū corda feruere facit, & excitat mentes, donec ad tantam eos dilectionis perfectionem perducat, vt nihil eis præter creatorem suum diligere libeat. Ergò iussio vel doctrina Abbatis, in monachorum mentibus fermentū debet cōspergere charitatis, vt nihil terrenum sapiant, nihil vanū diligant, nihilq; caducum cōcupiscant: sed diuinam semper amātes, tenentesq; iustitiā, ad redemptorem suum, & ad supernam se stinent conscendere patriam. *Memor semper debet esse Abbas, quia doctrina sua, vel discipulorum obedientia, vtrarumq; rerum in tremendo iudicio Dei facienda erit discussio.* Hæc verba non indigent expositione, sed potiùs Abbatibus & monachis fortissimum incutiunt timorem & pauorem. Abbatis enim doctrinæ in hoc erit, in tremendo Dei iudicio, discussio, vtrùm sanctæ Trinitatis mysterium fideli dogmate docuit, & vtrùm, quæ secundùm præceptum Domini discipulos agere præcepit, prior ipse compleuit, & quæ in alijs arguens emendauit, priùs in se ipse correxit. Discipulorū enim obedientię in hoc, in illo die tremendo erit facta discussio, vtrùm vestigia Domini sequentes, humiliauerunt se sub manu Abbatis sui, facti obedientes vsque ad mortem, & omnia quæ illis ab Abbate imperata sunt, obedientes impleuerunt pro Christi amore, & velut Christo, cuius vices Abbas agit in monasterio, obediērūt suo Abbati ex corde, quia scriptum est: Quia qui vos audit, me audit. Et, Filij, obedite parentibus vestris in Domino. *Sciatq; Abbas culpæ pastoris incumbere, quicquid in ouibus paterfamiliàs vtilitatis minus potuerit inuenire.* Hæc enim sententia ab Abbatibus multùm fuisset formidāda, nisi à superiori sententia fuisset salubriter temperata, qua dicit: *Tantundèm iterùm erit liber*, id est, intantùm à culpa immunis erit, *vt si inquieto vel inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus vniuersa cura fuerit exhibita.* Omnem diligentiā Abbas monachis suis tribuit, quandò eos moribus sacris componit, verbis cōuenientibus & operibus sanctis instruit. Vniuersam curam exhibet, quādò eis, quæ necessaria sunt animabus & corporibus, inquantùm valet, ministrat. Diligentiam illis pariter exhibet & curam, quando illos interiùs sanctis virtutibus exornat, & exteriùs rerum substantijs temperanter gubernat: quandò pro exterioribus rebus interiorem curam non deserit, & pro interiori solicitudine exteriorem prouidentiam non relinquit: sed in vtroque temperatus existens, & diligētiam animarum, & curam illis exhibet corporum. *Pastor eorum in iudicio Domini absolutus, dicat cum Propheta Domino: Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dixi.* Voluntas enim Abbatis, talis debet esse, vt quandò potest prodesse, à prædictionis sermone non cesset. Debitum quippe illi est, supernæ patriæ gloriam per vocē prædicationis ostendere: quanta in huius vitæ itinere tentamenta antiqui hostis lateant, aperire: & subditorum mala, quæ tolerare non debet, leniter cum magna zeli asperitate corrigere: nè, si minùs contra culpas accendatur, culparum omnium reus ipse teneatur. Ipse tamen Abbatis sermo, qui propter iustitiam, veritatem sit & salutem, aliquandò debet subiectorum vitia duriùs increpare, aliquandò leniter arguere, & quæ, vel quibus, quandò, vel qualiter dicat, subtili indagatione discernere, & vnicuique secundùm modum culpę, cum discretione tamen & tranquillitate mentis, iudicium imponere. Sit Abbas necessè est, vt Paulus Apostolus ait, potens exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Clauis enim apertionis, est sermo correptionis: quia increpando culpam detegit, quam sæpè nescit ipse etiam, qui perpetrauit. Sunt etenim plerique monachi, qui per ignorantiam committere culpas non desinunt, & ideò commissas non plangunt: sed potiùs contra corripientem procaciter contemnentes insurgunt, & sui proteruè admonitionem Abbatis spernunt. De quibus & subditur: *Ipsi autem contemnentes spreuerunt me.* Tunc enim mali monachi, bonum Abbatem suum contemnentes spernunt, quandò præceptis eius humiliter non obediunt: quandò salutaria mandata eius humiles non custodiunt, sed superbi etiam repræhendunt: quandò ea, quæ iubentur, implere despiciunt: & quæ non iubentur, implere impudici contendunt: quandò in agendis operibus pigri & tepidi, vel etiam desidiosi, & in actibus suis murmuriosi efficiuntur pariter & querulosi. Debent enim subiecti Abbati suo, velut membra capiti suo, deseruire, & pręcepta eius, velut imperium Domini, summo amore custodire, & correctionem obiurgationis suis negligentijs adscribere, nō Abbatis seueritatē aut disciplinam repræhendere. *Et tunc demùm inobedientibus cura sua ouibus pœna sit eis præualens ipsa mors.* Ipsa scilicet mors, quæ primis inobedientibus hominibus præualuit in paradiso, ipsa nunc demùm inobedientibus monachis quotidiè præualet in mundo. Reliquerunt enim in paradiso per inobedientiam Adam & Eua Domini præcepta, & tunc primùm præualuit illis fortiter mortis æternę pœna. Sed Dominus noster Iesus CHRISTVS, qui per Prophetam suum dixit,

Marginal notes: Lucæ 10. — Coloss. 3. — Abbas quādò diligentiam omnē monachis tribuat, & vniuersam curam exhibeat. — Psal. 39. — Abbas à prædicationis sermone cessare non debet. — Tit. 1. — Sermo correptionis, est clauis apertionis. — Monachi mali, quandò suū Abbatem contemnentes spernant. — Vt membra capiti, sic subiecti debent Abbati deseruire. — Gene. 3. — Osee 13.

Philip. 2.
Hebr. 2.

Ero mors tua, ô mors: semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, factus obediens vsque ad mortem, imperium mortis destruxit, & à cordibus obedientium misericorditer illam eliminauit, & pœnam illius funditùs extinxit. *Sed tunc demùm inobedientibus ouibus*, id est, monachis, qui Abbatis sui, immò Domini saluatoris relinquentes præcepta, sua conantur implere desideria, pœna fit præualens ipsa mors, vt rectè de illis dicatur: Sicut oues in inferno positi sunt, & mors depascet eos. Meritò enim, qui boni magistri præcepta contemnunt, talem mercedem recipiunt. *Ergò cùm aliquis suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina suis praesse discipulis, id est, omnia bona & sancta factis amplius quàm verbis ostendat*. Caput nanque sunt subiectorum cuncti qui præsunt, & vt * recta pedes valeãt itinera carpere, per hæc proculdubiò oportet priùs caput incedere. Necessè est vt Abbas, qui verbis subditis prædicat, viuendo eis vestigia bonæ actionis ostẽdat, & cùm verba sanctæ prędicatiõis dicit, priùs in studio bonæ actionis semetipsum euigilet. Priùs semper sublimia facta exerceat, & tunc ad bènè viuendum alios solicitos reddat. Priùs se districta animaduersione corrigat, & tunc aliorum vitam loquendo componat. Priùs punire propria fletibus curet, & tunc aliorũ delicta punienda denunciet. Et antequàm verbis exhortationis insonet, omne quod locuturus est, operibus clamet. Illa nanque vox libétiùs cor auditorũ penetrat, quam dicentis vita commendat: quia quod loquendo imperat, ostendendo adiuuat, vt fiat. *vt capacibus discipulis mandata Domini verbis proponere*, subauditur, debet. Vt, enim aduerbium, hoc in loco pro, &, coniunctione posuit. Capacibus dixit, memorosis ac cõmendatis, vel intelligibilibus, qui ea, quæ à magistris audiunt, velociter capiunt, memoriter retinent, & operibus complent. Proponere, id est, anteponere, quia capaces & simplices discipuli, quæ priùs viuaciter de præceptis Domini intelligentes audiunt, posteà sagaciter implere contendunt. *duris verò corde, & simplicioribus*. Duris corde, id est, contumacibus, rigidis, vel incorrigibilibus. Simplicioribus autem, illiteratis, & penè nullam in scripturis diuinis vel memoriam, vel intelligentiam habentibus. *factis suis diuina praecepta monstrare*. Ille igitur, vt beatus Gregorius ait, debet ad exemplum benè viuendi cæteris præesse discipulis, qui cunctis carnis passionibus moriens, iam spiritaliter viuit: qui prospera mundi postponit, qui nulla aduersa pertimescit, qui sola interna desiderat: qui ad aliena * cupienda nõ ducitur, sed propria largitur: qui nulla illicita perpetrat, sed perpetrata ab alijs, vt propria deplorat: qui ità se imitabilem cæteris in cunctis, quæ agit, insinuat, vt inter eos non habeat, quod saltem de transactis mens erubescat: qui sic studet viuere, vt monachis suis in omni vita sua bonum exemplum valeat demonstrare: qui lachrymas, quas vult à suis auditoribus fundi, prius * ipse fundat, & eos cõpunctione sui cordis accendat. Et sicut benè operantes, subditos honore superat: ità etiam factis & vita transcendat. Vndè & sequitur; *Omnia verò, quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda*. Docet enim, crapulã, ebrietates, & curas huius seculi, & omnia simul vitia atque peccata, discipulis esse contraria, à quibus omnibus necessè est, vt ille priùs se abstineat, & sic alios abstinere operibus & verbis edoceat. Ad hoc enim eligitur Abbas, nè dicta sua factis euacuet. Qui enim ad hoc eligitur, vt aliorũ culpas corrigat, cauere debet, nè ab alijs repræhendenda committat. Non enim debet prædicatoris officium suscipere, qui nescit cæteros benè viuendo præire. Priùs ergò Abbas à prauis operibus omnimodis alienus existat, & sic alios firma authoritate coerceat. Necessè est enim, vt esse munda studeat manus, quæ diluere sordes aliorum curat, nè tacta deteriùs inquinet, si sordida insequens, lutum tenet. Hinc per Prophetam dicitur: Mũdamini qui fertis vasa Domini. Domini etenim vasa ferunt Abbates, qui proximorum animas, ad interna sacraria perducendas, in suæ conuersationis fide susceperunt. Apud semetipsos ergò, quantùm debeant mundari, conspiciant, qui ad æternitatis templum vasa viuentia in sinu propriæ sponsionis portant. Ergò quod non faciendum prædicat, Abbas ipse non faciat: & quod faciendum prædicat, priùs ipse necessè est, operibus impleat. *nè alijs prædicans, ipse reprobus inueniatur*. Alijs prædicans prædicator, ipse reprobus inuenitur, quãdò aliud loquitur, & aliud operatur: aliud sermonibus, aliud verò exercet operib⁹. Quod enim alijs prædicat operandum, ipse piger efficitur ad exercendũ. Verbo viam rectitudinis ostendit, sed ambulare per eam negligit. Ad prædicandum alacer, sed ad operandum efficitur piger. Alijs tenendã prædicat viam iustitiæ, ipse se non vult salutari subdere disciplinæ. Cui rectè conuenit quod subditur: *Quarè tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Hoc ad vnumquenq; pertinet, qui prædicat alijs, & ipse non operatur, quod prædicat. Os enim debet esse iustum, quod iustitias Domini enarrare, & sanctum audeat assumere testamentum. Qui enim, quæ prædicat, implere dissimulat, & quæ non facienda iudicat, implere non cessat: nec iustitias Domini enarrare,

Inobedientes monachi, pœnã habẽt mortem.
Psal. 48.
* al. rectè
Abbas verbis & factis prædicare debet.
Quæ vox auditorum corda penetret.
Parte 2. pastor. curæ, cap. 10.
Præesse qui cæteris debeat, qualẽ esse oporteat.
* al. concupiscenda
* al. in se
Abbas ad quid eligatur.
Isaiæ 52.
Abbates ferunt vasa Domini.
1. Cor. 9.
Prædicans alijs, quãdò improbus prædicator fit.
Psal. 49.

nec sacrosanctum in prædicationis officium debet assumere testamẽtum. Scriptum est enim: Non est digna laus in ore peccatoris. *Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos post te.* Tunc enim subditus odit disciplinam, quandò ad correctiones iustas iniqua præsumptione remurmurat, sicut scriptum est: Stulti despiciunt disciplinã. Tunc autẽ sermones Domini post se proijcit, quandò Abbatis sui, vel seniorũ suorum iussionibus iustis obedire contemnit. Prælatus autem sanctam disciplinam odit, quandò secundùm regularia præcepta viuere contemnit, scripturę diuinæ obliuiosus, quæ dicit: Disciplinã Domini, fili mi, nè abijcias. Et, Audi consilium, & suscipe disciplinã, vt benè sit tibi. Vita etenim regularis, tenentibus eam, disciplina est salutaris. Post se sermones Domini Prælatus proijcit, quandò ea, quę de diuinis scripturis subditis prædicat, implere ipse dissimulat. Qui enim curiosè aliena increpare festinat delicta, necessè est, vt sua prouidè cõsiderans per pœnitentiam damnet peccata: nè, dùm alienum minimũ publicè corripit delictum, suum maius, tãquàm aurũ, abscondat peccatum. Nam sunt nonnulli, qui aliorum semper ante oculos habent errata, sua autem pro nihilo ducũt, & in obliuione ponunt, & post dorsum proijciũt delicta. De quibus & aptè sequitur: *Et qui in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabẽ non vidisti.* In fratris sui oculo festucam Abbas videt, sed in suo trabem non videt, quandò vel minimas subiectorum suorum culpas publicè exaggerando iudicat, & sua maiora paruipendens occultat; & emendare dissimulat. In fratris oculo festucã videt, quandò in corde alterius iracundiæ, pigritiæ, somnolentiæ, & cæterorum talium vitiorum esse vitium repręhẽdit: in suo trabem non videt, quandò odij, ebrietatis, superbiæ, & similium talium criminum, crimen Abbas habens in corde, habere se minimè recognoscit: quandò in aliorũ cordibus leuia, quæ increpanda sunt, cernit & arguit: & quæ in corde suo sunt grauia, nec videt, nec corrigit. *Non ab eo persona in monasterio discernatur.* Non enim personarum acceptor est Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, acceptus est illi. Et ideò ab Abbate in monasterio persona non discernatur, nec accipiatur: quia à Deo nec discernitur persona hominis, nec accipitur, sed tantùm opus bonum & accipitur, & approbatur. Accipere enim personam in iudicio, non est bonum, dicit Salomon. Et in Leuitico scriptum est: Non facies quod iniquum est, nec iniustè iudicabis, nec consideres personã pauperis, nec honores vultum potẽtis. Iustè iudicabis proximo tuo. Postquàm verò ad monachatũs de seculo quis venerit habitum, siue liber fuisset anteà, siue seruus, siue pauper, siue nobilis, siue ignobilis, non est ab Abbate discernendum, sed vnumquenq; secundùm vitæ suæ meritum debet vel castigare, vel amare. *Non vnus plùs ametur, quàm alius, nisi quẽ in bonis actibus aut obedientia inuenerit meliorem.* Meritò ab Abbate suo monachus cęteris plùs ametur, qui in bonis actibus & obedientia melior cæteris inuenitur. Iustè etenim ille ab homine diligitur homo, qui bonis operibus & sancta obedientia honoratur à Deo. Necessè est, inquã, vt à mortali homine diligatur homo, qui ab immortali diligitur Deo. Pro Dei enim amore se talis monach præ omnibus obedientiæ subdit, & in bonis omnibus actibus exercet, & ideò ab Abbate præ omnibus meritò diligitur & amatur. *Non conuertenti ex seruitio præponatur ingenuus, nisi alia rationabilis causa existat. Quòd si ità, iustitia dictante, Abbati visum fuerit, & de cuiuslibet ordine id faciat. Sin aliàs, propria teneant loca.* Quod autem dicit, non præponatur ingenuus seruo: subintelligitur, in ordine vel ministerio. Non propterea quia ingenuus est, aut superiorẽ ordinis teneat locũ, aut Præpositi vel Decani teneat ministerium, nisi alia rationabilis causa existat. Rationabilis enim causa est, vt is, qui in ecclesia meliùs potest cantare, vel legere, vel omne officium implere, tali congruo constituatur loco, vt dignè possit implere illud officium. Et si ità est intelligentia rationali præditus, & verbo & operibus eruditus, vt Decanus possit esse vel Præpositus, nihil illi ingenuitas officiat, vel seruitus. Sed si rationabilis exigit causa, & in ordine constituatur superior, & in ministerio prior. Hoc autem non tantùm de ingenuili vel seruili ordine faciendum est, sed de cuiuslibet, id est, siue de priori, siue de iuniori, siue de sacerdotali, siue de * laicorum, vel reliquorum ordine id faciat. Sin aũt, propria teneãt loca, i. propter potentię vel ingenuitatis dignitatem, alter non pręponatur alteri, sed vnusquisque in quo ordinis loco venit, in ipso permaneat. *quia siue seruus, siue liber, omnes in Christo vnum sumus.* Omnes in CHRISTO vnum sumus, dicit: id est, vnum corpus Christi. Sic enim alio loco Paulus Apostolus ait: In vno spiritu omnes nos, & in vno corpore baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in vno spiritu * potati sumus. Deus autem Dei filius, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis perducere, omnẽ sexum, omnem ætatem, omnem conditionem de vniuerso genere humano redemit, & ex illis corpori suo electorum * numerum sociauit, & ideò in CHRISTO siue serui, siue liberi, omnes vnum sumus, & sub

Marginalia (left): Eccli. 15. — Subditus quãdò odio habeat disciplinam. — Prouerb. 1. — Quãdò idẽ Dñi sermones post se proijciat. — Prælatus qñ odio ꝓsequatur disciplinã. — Prouer. 3. — Prouer. 19. — Quãdò idẽ Dñi sermones post se proijciat. — Matt. 7. — Abbas quãdò in sui fratris oculo festucam videat. — Acto. 10. — Abbas non sit personarum acceptor. — Prouer. 18. — Leuit. 19.

Marginalia (right): Abbas meliorem monachũ plùs cęteris amare debet. — * al. leuitarum. — 1. Cor. 12. — ibidẽm. — * al. vocati — 1. Tim. 2. — * al. numero

vno Domino æqualem seruitutis militiam baiulamus. Bonorum etenim monachorum, in hoc præsenti seculo vita, in Christi est semper posita seruitutis militia. Vndè & beatus Iob ait: Militia est vita hominis super terram. Quam sub vno Domino æqualem baiulamus, quia quanuis ęqualiter non viuamus, iugum Domini suaue, & onus eius leue, in regulari vita degētes, æqualiter promisimus & sustinemus. Quę regularis vita, quæ hic vocatur militia, ab omnibus monachis æqualiter est tenenda, & nec à seruis, nec à liberis, nec à prioribus, nec à iunioribus aliquandò licenter est violanda. Et si propter fragilitatem humanam ab ea contigerit deuiari à quoquam, vna emendetur necessè est pœnitentia, & vna teneatur in omnibus disciplina. vndè & sequitur: *quia non est personarum acceptio apud Deum.* Nos personas accipientes, discernimus: quia * viuentes in hoc seculo, discretas eas inuenimus. Deus autem qui vniuersas initio de vno homine, & vna cōditione creauit, personas nec accipit, nec discernit, sed vnumquenque secundùm opera sua vel damnat, vel castigat, vel iustificat. Iniustos autem, iustè & meritò damnat: Iustos verò, misericorditer & gratuitò iustificat. Quos in prauis operibus superbè viuentes inuenit, humiliat & condemnat: Quos autem in bonis actibus humiliter viuētes inuenit, remunerat & exaltat. Vndè & hic sequitur: *Solummodò in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores * ab alijs in operibus bonis & humiles inueniamur.* Sic itaq; singulorum debet discernere merita, vt alteri alteram non præponat personam. Et si vnā eandemq; ingenuitatis vel seruitutis persona commiserit culpam, vnam eandemque sustineat disciplinam. Non enim honoris gratia, alius in pœnitentia leuigetur, alius verò despectionis causa grauetur. Sed ita ab Abbate censura iudicij in his duabus rebus semper electi à reprobis discernuntur, id est, in vera cordis humilitate, & boni operis actione. Capitis enim & corporis, id est, Christi & Ecclesiæ, vox est in psalmo: Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta. Non ergò discernit Dominus à personis personas, id est, à seruis ingenuos, sed ab operibus discernit opera, & à meritis merita, vt vnicuique secundùm proprij laboris opera tribuat & præmia. Nam & illos quos in bonis operibus & virtutum meritis inuenerit meliores, & puritate cordis cæteris humiliores, cum præmiorum discretione congruas in regno cælorum tribuet mansiones. Quā virtutum omnium matrē in omnibus Abbas tenere debet discretionem, & nō personas discernere, sed vniuscuiusque merita approbare, & omnes secundùm merita operum sincero corde diligere. Vndè & sequitur: *Ergò æqualis sit ab eo omnibus charitas, vna prabeatur in omnibus, secundùm merita, disciplina.* In hoc enim æqualis debet esse ab Abbate omnibus charitas, vt in dilectionis habitu non discernat personas. Aequaliter enim debet de nobili genere diligere monachos, æqualiter de seruili conditione procreatos Sic itaque singulorum debet discernere merita, vt alteri alteram non præponat personam. Et si vnam eandemq; ingenuitatis vel seruitutis persona commiserit culpam, vnam eandemque sustineat disciplinam. Non enim honoris gratia alius in pœnitentia leuigetur, alius verò despectionis causa grauetur. Sed ità ab Abbate censura iudicij temperetur, vt non vna persona leuiùs, altera grauiùs iudicetur. *In doctrina namq; sua Abbas Apostolicam debet illam semper formam seruare, in qua dicit: Argue, obsecra, increpa.* In hac itaque Apostolica sententia, beati Hieronymi, & beati Prosperi ponenda sunt verba. Ait enim Hieronymus: Argue peccatores vel peccantes: contestare ne peccent, increpa resistentes. Sed hæc omnia cum patientia, & secundùm doctrinam. Prosper autem dixit: Ecclesiæ quippe doctoribus & censura debet inesse, vt arguant: & patientia, vt emendare nolentes, fortiter ferant, Apostolico satisfacientes imperio, qui Timotheo pręcepit, dicens: Argue, obsecra, increpa in omnia patientia. quasi diceret: Argue coæquales, obsecra seniores, increpa minores. Sed propterea addit, in omni patientia & doctrina: quia leniter castigatus exhibet reuerentiam castiganti: asperitate autem nimiæ increpationis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem. Possumus & hanc sententiam, quam illi in diuersis rationabiliter intelligunt implendam personis, in vna eademque persona per temporum interualla sine dubio intelligere esse complendam. Primùm enim arguendus est peccator, quia peccat. Neque enim aliū decet arguere, nisi peccantem, sicut Dominus in Euangelio ait: Si peccauerit in te frater tuus, vade & argue eum inter te & ipsum solum. Si audierit te, lucratus es fratrem tuum. Eccè iam lucratus es arguendo fratrem tuum, quia audiens te, correxit se. Obsecra eum iterùm, vt quotidiè in bonis actibus viuens sic in virtutibus crescat, quatenùs ad perseuerantiam boni operis perueniat. Sin autem te non audierit, nec se emendauerit, aut fortasse post emendationem ad vomitum redierit, increpa eum duriter, * in omni tamen patientia & doctrina. Aliter congruo tēpore arguēdus est peccans monachus, vt declinet à malo. Si emendauerit, iterùm conuenienti tempore

Marginal notes:

Iob 7.

Matth. 11.

Regularis vita, ab oībus æqualiter est tenenda.

Roman. 2. Galat. 2. Ephe. 6. Acto. 10. Coloss. 3.

* al. venientes in hoc seculum,

* al. ab alijs operibus inueniamur.

Psal. 42.

Roma. 2.

Abbas non personas, sed virtutes discernere debet.

Abbatis charitas, in quo debeat esse æqualis erga oēs.

2. Tim. 4.

in 4. cap. 2. Tim.

Ordo in increpando seruandus.

Matt. 18.

* al. hæc addunt, & si vales, emenda,

pore

pore obſecrandus eſt, vt non tepidè viuat, ſed in virtutibus creſcens, bonum faciat. Sin autem emendare noluerit obſecratus, iterùm apto tempore terrendus eſt valdè & increpandus, ità vt ethnicus & publicanus. Huic ſenſui beati Benedicti videtur expoſitio congruere. Cùm enim diceret, Argue, obſecra, increpa, addidit, *id eſt, miſcens temporibus tempora, terroribus blandimenta.* àc ſi diceret: Temporibus argutionis, miſce tempora obſecrationis: & temporibus obſecrationis, miſce tempora increpationis. Et cùm peccatrix anima increpationibus magiſtri rigidis iuſtiſque fuerit territa, addantur illi paterno amore, nè in deſperationis mergatur

lib.20. Mor. ca.6. & par. 2. paſt. curæ cap.6.

foueam, & blandimenta. Hinc & beatus Gregorius ait: Miſcenda ergò lenitas eſt cum ſeueritate. Faciendum quoddam ex vtroque temperamentum, vt neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſoluantur. Omnis enim ab Abbate ſagaciter exhibenda eſt cura, nè aliqua ex ouibus eius pereat. Vndè & ſubditur: *dirum magiſtri, pium patris oſtendat affectum.* Dirum magiſtri, dicitur, grauitudo eius vel magnitudo, aut dignitas grandis honoris. Aliquotiès enim dirus, magnus vel dignus intelligitur. Quod autem dicit, pium patris oſtendat affectum: ſubauditur, in ſe habere. Aliter dirum magiſtri dicit, magnitudinem vel terrorem increpationis, quem erga ſubditos magiſter exhibet, vt ſanentur. Quod dirum, id eſt, qui terror, nō odium, ſed habere in ſe pium patris neceſſè eſt oſtendat officium. Non enim in delinquentes diſcipulos terror odij de fomite, ſed de pij patris procedere debet amore: vt errantes magiſtri terror prouidus corrigat, & benè

* al. refoueat.

agentes pius patris amor * foueat. Vndè & aptè expoſitio beati Benedicti in ſuperiori ſententia, qua dicit, argue, obſecra, increpa, lucidiſſimè ſubditur. Ait enim de argutione: *indiſciplinatos & inquietos debet duriùs arguere.* Ait de obſecratione: *obedientes autem & mites & patientes, vt in melius proficiant, obſecrare.* Ait de increpatione: *negligentes autem & contemnentes, vt increpet, & corripiat, admonemus.* Nulla, vt arbitror, lucidior expoſitio in hac Apoſtolica, quàm beatus fecit Benedictus, poterit inueniri ſententia. *Neque diſſimulet peccata delinquentium.*

Abbas culpam celeriter emendare debet.

Non diſſimulanda ſunt delinquentium peccata, nè ſubditorum noxia diu protelētur delicta. Quàm citiùs enim peccatoris emendata fuerit culpa, tam citiùs conſequetur & veniam. Celeriter hodiè Abbas culpam manifeſtam emendet vnam, cràs ſine dubio quam emendare debeat, habebit alteram. Ergò non tardans diſſimulet emendare, quaſi neſciens, quem tam grandis animarū regiminis premit faſcis. *ſed mox, vt cœperunt oriri, radicitùs, vt prævalet, amputet.* In ortu ſuo radicitùs amputanda ſunt vitia vel peccata, nè fixis firmatiſque radicibus noxios ramos mittant, & in ramis mali operis fructus ferant. Radicitùs amputare peccata vel vitia iuſſit, ſed tamen, vt præualet, dixit: Non enim quantùm volumus, amputare vitia vel peccata valemus: ſed quantùm cùm Domini adiutorio poſſumus, amputare peccata delinquentium * debemus. *memor periculi Heli ſacerdotis de Silo.* Quia enim falſa pietate ſuperatus, ferire Heli delinquentes filios noluit, apud diſtrictū iudicē ſemetipſum cū filijs crudeli damnatione percuſſit. Pro iniquitate enim filiorum ſuorum damnatus eſt, quia non eos ſeueritate & authoritate pontificis increpauit, ſed manſuetudine paterna liniuit. Quæ ſententia vigilanter ab Abbatibus * timenda eſt, nè fortè cùm plùs, quàm decet, leniter ſubditorum ſuorum palpauerint culpas, à diſtricto iudice feriantur ſententia.

* al. feſtinemus. 1. Reg. 2.

* al. tenenda

& honeſtiores quidem atque intelligibiles animos, prima vel ſecunda admonitione verbis corripiat. Honeſtiores, dicit honorabiliores. Honeſtus dicitur, quaſi honoris ſtatus, eò quòd nihil habeat turpitudinis. Intelligibiles, ratiōe capaces, quia ea, quæ audiunt à magiſtris, intelligūt, & operibus implere contendunt. Qui ſi in aliquibus rebus exceſſerint, quia non eſt homo qui viuit, & non peccet: ſecundùm Domini præceptum, ſecundò eos verbis admonere præcepit, quia eos taliter emendari crediderit.

Honeſtiores vt ſint corripiēdi. Eccleſ. 7. Matth. 18.

improbos autem & duros ac ſuperbos vel inobedientes, verberum vel corporis caſtigatione in ipſo initio peccati coerceat, ſciès ſcriptum: Stultus verbis non corrigitur. Et iterùm: Percute filium tuum virga, & liberabis animam eius à morte. Improbos, imprudētes dicit, probitate mētis carentes. Duros autem, pertinaces, vel contumaces, & incorrigibiles. Duros autē, ac ſuperbos, & inobedientes, verberum, vel corporis caſtigatio in ipſo initio peccati coercere debet, nè peccati malum creſcat in altum, & cùm conſummatum fuerit, authori ſuo mortis generet fructū, quia ſcriptum eſt: Peccatum cùm conſummatū fuerit, generat mortem. Caſtigatio autem, & in * excommunicatione, & in verbis, & in verberibus intelligitur. Coerceat, dicit, id eſt, compeſcat, refrenet, vel reprimat. Et quia ſcriptum eſt, Stultus verbis non corrigitur: neceſſè eſt, vt exhibeatur ei corporis caſtigatio in excōmunicatione. Et ſi adhuc neceſſè fuerit, exhibeatur & caſtigatio in verberib⁹ virgę: quia ſcriptū eſt, Percute filiū tuū virga, & liberabis animā eius à morte. Melius eſt enim, vt hîc patris percuti-

Prouer. 23. Vt duri ac ſuperbi. Iacobi 1. * al. cōmunicatione.

cutiatur virga, quàm inferni malè damnatus sustineat pœnam. Melius est, vt hîc modicùm patris correctionem sustineat, quàm in inferno *perpetuæ damnationis gemat. Correctio enim patris, in modico videtur esse amara, sed dulcissimos fructus in futuro generat patienter sustinentibus eam. *Meminisse semper debet Abbas quod est: meminisse debet quod dicitur, & scire, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur.* Nè se superbû viuentes, superbia elatus extollat, & vitiosè viuentes despiciat. Mèminisse debet semper Abbas quod est: id est, *memorare, quia fragile figmentum est, & de molli terræ luto plasmatus. Et ideò fragilitatis suę semper timeat lapsum, & sic humiliter & cum discretione alienum damnet peccatū. Aliena occulta indagatione sagaci perquirat, & inuenta discretè atq; cautissimè feriat. Tentato verò condoleat, timens nè aliquandò tentatus *& ille succumbat. Audiat Apostolum dicentem: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, nè & tu tēteris. àc si diceret: Cùm displicet ex aliena infirmitate quod conspicis, pensa quod es, meminisse quod dicitur. Dicitur enim abbas, id est, pater. Si verò pater est, paterno amore diligat filios suos, i. monachos suos, & se talē exhibeat natis, vt ametur, & timeatur ab illis: Ametur à bonis, timeatur à malis, vel prauis. In vna eademq; Abbatis persona, & pia matris viscera, & districta patris debet esse censura, vt quos amore nutrit materno, corrigat rigore paterno. Et quibus matris præbet sugenda vbera, sub patris teneat disciplina. Hinc beatus Gregorius ait: Curandum quippe est; vt rectorem subditis & matrem pietas, & patrem exhibeat disciplina. Et tales se, qui præsunt, exhibeant, quibus subiecti occulta sua prodere non erubescant. Et cùm tentationum fluctus paruuli tolerāt, ad patris mentē, quasi ad matris sinum, recurrant. Nam & illud scire debet Abbas, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Cui enim plus in cura regiminis cōmendatur, ab eo requirendi ratio plus exigitur. Quantos enim vnusquisq; Abbas in sua monachos accipit gubernatione, de tantis est redditurus Deo rationem. Et si bene viuendo se saluum fecerit, & illos benè & iustè rexerit: de sua salute gratiam, & de omnibus illis mercedem à Domino recipiet sempiternam. *Sciátque, quàm difficilem & arduam rem suscepit, regere animas.* Difficilem & arduam rem dicit esse animam, quia tenuis & laboriosa est in cōpræhendēdo, subtilissima & augusta in examinando, & ideò laboriosa & ardua in gubernando, grauis & pigra in emendando, & propterea periculum imminet omni gubernatori in ratione reddenda. *& multorum seruire moribus.* Quia mores diuersorum diuersi sunt monachorum, diuersis impensionibus indigent curarum: quia diuersis vulneribus, diuersa medela impendenda est medicaminum. Et ideò beatus Benedictus diuersorum hîc morum diuersum posuit curationis modum dicens: *& alium quidem blandimentis, aliū verò increpationibus, alium suasionibus, & secundùm vniuscuiusque qualitatem vel intelligentiam, ità se conformet & aptet.* In expositione huius sententiæ, beati Gregorij ponenda sunt verba, ait enim: Sciendum quoquè est, quòd aliquandò subiectorum vitia, prudenter dissimulanda sunt, sed quia dissimulātur, indicanda: aliquandò & apertè cognita, maturè toleranda: aliquandò verò subtiliter & occultè perscrutanda: aliquandò leniter arguēda, aliquādò aūt vehementer increpanda. Sed quia nō vna eademq; cunctis exhortatio congruit, quia nec cunctos par morum qualitas *adstringit, & ideò pro qualitate audientium, formari debet sermo doctorum, vt & ad sua singulis cōgruat, & tamen à communis ædificationis arte nunquàm recedat. Secundùm ergò vniuscuiusque qualitatem, & intelligentiam sic se cōformet & aptet Abbas, quandò cùm magnis magnus, & cum paruis efficitur paruus: quandò cum infirmis efficitur infirmus, vt infirmos saluos faciat: quandò omnibus omnia fit, vt omnes saluos faciat: quandò forma factus gregi, humilibus humilitatis ostendit formam, & obedientibus obediētiæ præbet exemplar. similiter abstinentibus, & vigilantibus, & orantibus, & in omnibus bonis virtutibus cunctis sibi subiectis normam præbet salutis. Nam & quandò cum Paulo veraciter dicit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego nō vror? & similia. Se omnibus conformat & aptat, & boni pastoris bonam subditis ostendit formam. Et quandò gaudet cum gaudentibus, flet cum flentibus, miseretur infirmis, cōpatitur tribulatis, condescendit senibus & infantibus, quandò etiā mente infirmos patiēter tolerat, fragiles benignè corroborat, & secundùm morum omnium qualitates, & paruulorum siue stultorum intelligētias omnibus se compositum reddit & aptum. *vt non solùm detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verùm in augmentatione boni gregis gaudeat.* Detrimenta, damna, iacturam vel diminutionem gregis, dicit, quam esse in grege sibi commisso Abbas nec pati, nec velle, inquantùm valet, nec fieri sinere debet: sed magis in augmentatione, id est, amplificatione boni gregis gaudeat: quia in numero boni gregis amplificatio, vel in virtutibus augmentatio, profectus est

*al. perpetuò dānatus

Abbas aliorum peccata cū humilitate damnare debet.

*al. vt

Gal. 6.

Par 2. curæ pasto. ca. 6.

Animam gubernare, cur sit difficile.

*al. diuersorum posuit curationis modum.

Par. 2. curæ past. ca. 10.

*al. contingit.

Abbas quō fratribus conformare se debeat.

1. Pet. 5.

2. Cor. 11.

Rom. 12.

est boni pastoris & exultatio. Bonorum, inquam, monachorũ multiplicatio, & salus animarum rectorum, & honor *gaudentium.

**al. gubernantium.*

Notandũ, quia in augmẽtatione boni, non mali gregis, gaudium dixit esse pastoris.

Cur in augmentatione malorũ, nõ sit gaudiũ pastoris.

Malorum enim multiplicatio, bonorum est tribulatiò. Magis ergò detrimẽtum facit eorum multiplicatio, q̃ diminutio. Et magis iustis generant iniusti luctũ, q̃ gaudium. Multiplicatione enim malorũ, infirmatur cõgregatio bonorum: & econtrariò augmentatione bonorum, infirmatur conuentus malignãtium: & profectibus virtutum, fortitudo debilitatur vitiorum. *Ante omnia, nè dissimulans, aut paruipendens salutem animarum sibi commissarum, plùs gerat solicitudinem de rebus transitorijs, & terrenis atque caducis.* Non enim debet Abbas dissimulare, i. nescire se fingere rem, de qua in districto examine rationem debet Domino reddere: neq; paruipendere debet salutẽ monachorum suorum, & pro magno existimare curam rerum terrenarum: neq; minùs curare debet de salute animarum sibi commissarum, & plùs gerere curam de substãtia rerum.

Abbas non minùs animarum curam gerere debet, q̃ rerum terrenarum.

Matt. 6.

Plus est enim, ait Dominus, anima quàm esca. Nam solicitè de rebus terrenis curam gerere, & de animabus non curare: non est consilium salutis, sed mortis. Pro magno habere rem transitoriam, terrenã, atque caducam, & paruipẽdere permanentem & æternam, non est consilium salutis, sed stultitia perditionis. Parui enim pendére dicitur, paruũ æstimare, vel contemptui habere, siue etiã aliquid magnũ animo superbo despicere. Pendere enim dicitur æstimare. Qui enim se aliquid esse considerat, & alium despiciẽs, aut paruum aut nihil esse existimat, paruipendit in alio, quod in se considerat esse magnum. Nonnulli oblíti quòd fratribus animarum causa sint Prælati, toto cordis annisu secularibus rebus inseruiunt. Hæ cùm adsunt, exultant: ad has etiam, cùm desunt, diebus ac noctibus cogitationum æstibus anhelant. Nam vt ratio recta postulat, minùs de trãsitorijs, & plùs curare debemus de in æternùm mansuris: Minùs de terrenis, plùs de cælestibus: Minùs de caducis, & plùs de manentibus soliciti esse debemus, quia nõ de terrenis rebus, sed monachorũ nostrorum animabus rationem Domino reddituri sumus. Vndè & sequitur: *sed semper cogitet, quia animas suscepit regendas, de quibus & rationem redditurus est.* Quia animæ substantia incorporea & inuisibilis atq; ignotæ originis est, idcò ad regendnm laboriosa, & difficilis & ardua res est. Cum multo enim laboris ingenio ad puritatem cogitationis eius peruenitur, & ideò cum diuturno difficultatis labore, peccati eius vulnus medetur. Multa enim peccatorum vulnera, voluntariè suscipit anima, sed vt sanetur, multùm *inuitè recipit medicinã.

**al. inuitè.*

Nam si discretè & rationabiliter animabus vulneratis spiritualia medicamenta ab Abbate fuerint ministrata, & illæ animæ medelam, & ille Abbas Domini recipit gratiã. At verò si animabus infirmis spiritalia medicamina neglexerit ministrare, de omnibus sibi subditis cogetur ponere rationẽ. *Et nè causetur de minori fortè substantia.* Nè causetur, dicit, i. nè queruletur. Causatur enĩ, qui querulatur. Et qui pro paupertate caducarum murmurat rerum, iniustã querelam deponit contra Dominũ, nesciẽs quia sicut in camino ignis probatur aurum, ità in paupertatis fornace probatur vita monachorum.

Prouerb. 17.

De minori substantia dicit, i. de paucitate terrenarũ rerũ. Substantia autem hîc abusiuè prò terrenis posuit rebus. Nam substãtia ab eo propriè dicitur, quòd omnis res ab ipsa subsistat, cui insunt octo, i. qualitas, quantitas, cognitio, situs, habitus, facere, pati, vbi, quandò: quam Græci οὐσίαν vocant. *memnerit scriptum: Primùm quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.*

Matth. 6.

Primũ à nobis, i. summo opere, summo studio, & tota cordis intentione, Domini quærendum est regnum Dei, sic ab illo nobis necessarium sperandum est terrenum subsidium. Primũ à nobis quærenda est eius iustitia, & pòst ab illo nobis necessaria speranda est terrena substantia.

Quò à nobis quærenda Dei iustitia, quò terrena substantia.

A Dño enim quęrẽdum est, & regnũ ęternum, & terrenũ subsidiũ. Illud quasi pérmanens bonũ, istud quasi transitoriũ, sed tamen in via huius vitæ necessarium. De hac enim sententia B. Augustinus ait: Quid enim intersit inter bonũ, quod appetendũ est, & necessariũ, quod sumendum est, hac sentẽtia declarauit, cùm ait: Primùm quærite regnũ Dei, & reliqua.

lib. 2. de sermone Dñi in monte, cap. 24.

Regnum ergò & iustitia Dei, bonũ nostrũ est: & hoc appetendum, & ibi finis cõstituendus, propter quod omnia facimus, quæcunq; facimus. Sed quia in hac vita militamus, vt ad illud regnum peruenire possimus, quæ vita sine his necessarijs agi nõ potest: Apponẽtur vobis hæc, inqt, sed vos regnũ Dei & iustitiã eius primũ quærite. Cũ enim dicit illud primùm, significauit, q hoc posteriùs quęrendũ est, nõ tẽpore, sed dignitate: Illud tanq̃ nostrum, hoc tanquàm necessariũ nostrũ. Sed hoc necessarium, propter illud bonũ, quærendum est à nobis. *Et iterùm: Nihil deest timentibus eum.*

Psal. 34.

Qui enim Deum habet, per quem cuncta creata sunt, & in quo manẽt & constant omnia, nihilominùs de spiritali aut terrena potest habere substantia.

Rom. 11.

Potens est enim Deus & spiritalibus & carnalibus delicijs plenam sanctis suis in seculi huius deserto parare mensam. Qui enim casto timore timet Dominũ, in quo omnis pleni-

Colos. 1.

plenitudo rerum & copia manet virtutũ, nihil minùs habere potest de substãtia spiritualium & corporalium rerum. Scriptũ quippe est: Timenti Deũ benè erit in æternum, & in diebus consummationis illius benedicetur. Et, Qui timent Dominum, sperauerunt in Domino: adiutor eorum & protector eorum est. *Sciatq́, quia suscipit animas regendas, preparet se ad rationem reddendã.* Qui enim suscipit aliorum animas ad regendum, cogitur de illis cum Domino ponere rationem. Et rectæ prędicationis verbo, & bonorum operum eos docere debet exemplo, quatenùs & interno iudici placere benè viuendo studeat, & exemplum bonæ vitæ subditis præbeat, & ea, quæ in eis corrigenda sunt, sagaciter * depræhendat, & velociter, vt pręualet, corrigat: & de hoc consilium Salomonis dicentis audiat: Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs sermonibus. Fac ergò quod dico, fili mi, & temetipsum libera. Discurre, festina, suscita amicum tuum, & cætera. Spondere nanq; pro amico est, alienam animã in periculo suæ conuersationis accipere. Apud extraneum manus defigitur, quandò in alterius cura mens ligatur. Illaqueatur igitur verbis oris sui, dum ratione constringitur, nè eius vita ad aliud, quàm admonet, relaxetur. Vndè apud districtũ iudicem cogitur tãta in opere exoluere, quanta èum constat alijs voce præcepisse. Quisquis enim ad vidẽdum alijs in exẽplo pręponitur, non solùm, vt ipse benè viuendo vigilet, sed etiam vt amicum prædicando suscitet, admonetur. Ei nanque vigilare benè viuendo non sufficit, si non illum, cui præest, * aptiori tempore disiũgit. Ergò sic Abbas & se custodiendo, & alios suscitando viuat, vt non pœnalem Domino rationem reddat, sed ab illo lætus præmia æterna recipiat, Amen. *Et quantum sub sua cura fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die iudicij ipsarum omnium animarum est redditurus Domino rationem, sine dubio addita & suæ animæ.* Secundùm monachorum suorum numeri quantitatem, redditurus est Abbas in tremendo Domini iudicio rationem. Et si eum iusta saluauerit ratio, & salutis propriæ donum, & rectæ gubernationis accipiet præmium. Sin autem eum iniqua propria acta, & subditorum gubernatio damnarit iniusta, secundùm malorum quantitatem recipiet & damnationem. Sicut enim de animabus subditorum suorũ, ità Abbas & de sua redditurus est Domino rationem. Et ideò & illorum & suam vigilanter, & prouidè debet gerere curam, & nec pro illorũ suam, nec pro sua illorum debet negligere vitã. * Timeat ergò necesse est Abbas exteriùs, quod pro illorum vtilitate suscepit: seruet interiùs, quod Domino pro sua salute promisit. *Et ità timẽs semper futuram discußionẽ pastoris de creditis ouibus, cùm de alienis ratiocinijs cauet, redditur de suis solicitus.* Inferiores enim pastores summi pastoris, id est, Christi, qui dixit: Ego sum pastor bonus, solicitè semper, & de suis actibus, & de creditis ouibus futuram timere debent discussionem, nè quandò increpando dicat illis Deus: Quod fractũ erat, nõ alligâstis; & quod abiectũ, non reduxistis: & cùm ipsi limpidissimam aquam biberetis, reliquã pedibus vestris turbâstis. Et oues meæ his, quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur: & quæ pedes vestri turbauerant, hæc bibebant &c. Hãc increpationis vocem Abbates nè audiant, & subditorum suorùm sagaciter expleant curas, & suas prudenter agere non desistant. Et sic in * propria solicitudine seruent, vt à subditorum custodia nõ recedant. Dignum quippe est, vt hi, qui præsunt alijs, oculos apertos habeant, & hinc indè vigilanter adspiciant. Intùs & foris pleni sint oculis, vt insidias antiqui à longè prospiciant hostis. Intùs, vt se diligenter custodiant: foris, vt alijs benè viuendi exemplum præbeant. Et hoc modo dum de alijs ratiocinijs cauet, redditur de suis solicitus Abbas, i. dum de subditorum suorũ ratiocinijs cauet Domino reddere rationẽ, redditur, i. fit de suis, subauditur ratiocinijs, solicitus. Solicitè enim cogitat, quia & de suis actibus, sicut & de ouium suarũ, rationem in tremendo iudicio redditurus est Domino. Inter rationem, & ratiocinationem ità distinguitur. Ratio enim motus quidam est animi, vera à falsis discernens: Ratiocinatio autem, rationabilis est subtilisq; disputatio. Quam benè cauet ille cum Domino ponere, qui & se custodire, & subditos benè & iustè regere nouit. *Et cùm de admonitionibus suis emendationẽ alijs subministrat, ipse efficitur à vitijs emendatus.* Dignum valdè est, vt qui alijs panem ministrat vitę, ipse fame non pereat. Qui enim fratribus causa dilectionis verbum prębet salutis, ipsa dilectione efficitur à vitijs emendatus. Charitas enim cooperit multitudinem peccatorum, sicut scriptum est: Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & cooperit multitudinem peccatorum suorum. Iustè ergò is, qui alios monitionibus suis de errore liberat vitiorum, prior à proprijs, iuuante Domino, liberabitur. Vitia enim dicuntur peccata, quæ per se nihil sunt, sed vbi bonitas deest, vitium est. Omnis enim natura opus est. Opera enim mala, quæ vitia dicuntur, actus sunt, nõ res: sed priuatione boni, hoc nomen accepit.

DE

Marginalia: Eccli. 1. — Psal. 113. — Abbas pro monachis sibi commissis, in iudicio redditurus est rationem. — *al. iudicet — Prouerb. 6. — *al. à peccati corpore — Abbas pro sua anima Domino rationẽ reddet. — *al. Teneat — Ioan. 10. — Ezech. 34. — *al. propriã solicitudinem — Qui præsunt, intùs & foris, cũ oculis pleni esse debeãt. — Rationis & ratiocinationis discrimen. — 1. Pet. 4. — Iacobi 5. — Vbi bonitas deest, ibi vitium est.

De adhibendis ad consilium fratribus.

CAPVT III.

Prouerb. 15. | *al. plures sunt | Prouer. 27. | *al. bonis | Prouer. 24.

IDeò ab Abbate ad consilium fratres adhibentur, quia scriptum est: Dissipantur cogitationes, vbi non est cõsilium. Vbi verò * plurimi fuerint cõsiliarij, confirmãtur. Item, Vnguẽto & varijs odoribus delectatur cor, & * boni amici consilijs anima dulcorabitur. Et, Cum dispositione initur bellũ: & erit salus, vbi multa consilia sunt. *Quotiès aliqua præcipua agenda sunt in monasterio.* Monasteriũ enim, vt prædictum est, etiam vnius monachi habitatio dicitur. Sed quærendum est, si vnius habitatio propriè monasterium vocatur, propter idioma Græcæ linguæ, quia dicitur *μόνος* vnum, cur multorum habitatio in vno positorum, monasterium dicatur: nisi fortè (vt arbitror) propterea, quia vna fides, vnum baptisma, cor vnum & anima vna est, in omnibus benè & iustè viuentibus monachis, sicut prius in religione rectè credentium & benè viuentium fuit. Vnum enim velle in omnibus rectè viuentibus monachis manet, vni Domino seruiunt, sub vno rege militant, & vnum corpus CHRISTI effecti, eundem vnum redemptorem adorant: & ideò vna illorum omniũ habitatio, non incongruè monasterium vocatur. *conuocet Abbas omnem congregationem, & dicat ipse vndè agitur.* Vndè agitur, dicit, id est, vndè consiliandum, vel vndè requirendum est. Inter congregationem autem & conuocationem hoc interesse priores dixerunt: Congregatio & de hominibus, & de brutis animalibus, & de lapidibus, vel alijs quibuslibet insensibilibus rebus dici potest, quia congregari vel vocibus, vel alio quolibet modo possunt: Conuocatio autem non nisi de hominibus rationalibus fieri potest, qui proprijs nominibus conuocantur: quia conuocari proprium eorum est, qui audire, ac discernere nõrunt. *& audiens consilium fratrum, tractet apud se, &, quod vtilius iudicauerit, faciat.* Prius enim Abbas de agendis rebus monasterij, vel aliarum quarumcunque rerum agendarum, fratribus omnibus in vno positis pariter consilium petat, & quod consilium vnusquisque dederit, libenter audiat: & posteà in secreto cum senioribus tantùm fratribus, qui vtilius, quíve inutilius consilium dederint, subtiliter & acutè discernat. Et tunc quod melius iudicauerit, id est, discreuerit, implere satagat. Iudicare enim, discernere dicitur, vt id: Iudica me Deus, & discerne causam meam. *Ideò ad consilium omnes vocari diximus, quia sæpè iuniori Dominus reuelat, quod melius est.* Scriptum est enim: Si iuniori reuelatum fuerit, senior taceat. Sæpè enim propter humilitatis gratiam, iuniori Dominus reuelat, quod seniorem celat. Non enim personarum acceptor est Deus, sed in omni ætate, conditione, sexu, & gente, his qui timẽt eum, acceptus est illi, & in quibus vult, de omnibus his spiritus misericorditer spirat, & gratiam sapientiæ benignus ministrat. Nõ enim in Daniel & Samuel ætatem discreuit, sed gratiã ministrauit. Cani enim sunt, dicit scriptura, sensus hominis: & ætas senectutis, vita immaculata. *Sic autem dent fratres consilium, cum omni humilitatis subiectione, & non præsumant procaciter defendere, quod eis visum fuerit, sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, vt quod salubrius esse iudicauerit, ei cũcti obediãt.* Sic enim Abbati suo cuncti monachi debent obedire, vt acta illius nullus ex illis temerè audeat reprehendere, sed potiùs tanquàm patri filij, vel membra capiti, sic ei cuncti humiliter seruiant, & obediant subditi. Præcepta quoquè eius si secundùm Domini sunt mãdata, velut imperiũ Domini summoperè custodiant, & implere toto amore contendant: & hoc esse sanctum, hoc sibi salubre ac necessum iudicent, quod Abbati suo placuerit, non quod ipsi sibi faciendum elegerint, & ità obedientiæ & patientiæ virtutibus fundati, Abbatis sui nõ discutiant cõstituta, sed faciant. Et quandò rigor exigit disciplinæ, vt seueriter arguãtur, acceptam correptionem * vnanimiter ferant, nec motibus eorum, à quibus fuerint obiurgati, sed suis negligentijs, quòd castigantur, asscribant. *Sed sicut discipulos conuenit obedire magistro, ità & ipsum prouidè & iustè condecet cuncta disponere.* Debet enim Abbas subtili semper examinatione bona malaque discernere, & quæ, quibus, quandò, vel qualiter congruant, studiosè cogitare, & sic prouidè & iusta causa disponere. Et propterea à cunctis illi discipulis, vtpotè rationali patri, conuenit obediri. Hinc ergò indè, vt beatus ait Gregorius, qui præest, se circunspiciat, vt & sibi, & subditis viuat, vt bonum quod facit, & intra sinum mentis abscondat, & tamen ex eo ad profectum sequentium exemplar rectæ operationis impartiat: vt subditorum culpas animaduertens corrigat, nec tamen superbiens intumescat: vt quædã leniter correpta toleret, nec tamen disciplinæ vincula eadẽ lenitate dissoluat: & quædam tolerando dissimulet, nec tamẽ ea crescere dissimulando permittat. Vndè magnoperè curandum est, vt qui regendis hominibus præficitur, apud se intra secretarium, mentis, in cathedra præsideat humilitatis, & vigilanti oculo incessanter adspiciat, cui quandoq; iudici, ipse iudicandus de his assistat, vt quanto nunc ante eum, quem non videt, solicitus trepidat, tanto

Multorum monachorum simul habitantiũ cur dicatur monasterium.

Acto. 4.

Congregatio & conuocatio quomodò distinguantur.

Psal. 42.

Matt. 11. | 1. Cor. 14.

Act. 10.

Dan. 13. | 1. Reg. 3. | Sap. 4.

Abbatis acta monachi non debent reprehendere.

*al. magnanimiter

Abbati vt cuncta prouidè & iustè disponẽda sint.

eum cùm viderit, securior cernat. *In omnibus igitur omnes magistram sequantur regulam.*

Regulam magistram in omnibus sequi debēt monachi.

Quòd dicit, in omnib⁹, subauditur, præceptis eiusdem regulæ. In officijs enim diuinis, & in actionib⁹ humanis, in cibo scilicet & potu, in vestimento & calceamento, in vigilijs & orationibus, in somno & silentio, in horis cōpetentibus, & in laboribus, & in omnibus omninò eiusdē regulę præceptis, eādem magistrā omnes monachi sequantur regulam, i. & subditi, & prȩlati, & discipuli & magistri, & Præpositi & Decani, & oḿes omninò ministeriales, insupèr & ipse Abbas in omnib⁹ quantū valet, sicut & cæteri monachi, magistrā sequantur regulam. sicut & subditur: *neque ab ea temerè declinetur à quoquam.* i. ab ipsa regula, nec à prælatis, neq; à subditis temerè declinetur, i. inconsideratè vel irrationabiliter. Ideò aūt nō dixit absolutè, neq; ab ea declinetur à quoquā: sed addidit, temerè, vt tu intelligeres, si necessitas postulauerit, vt declinetur, rationabiliter & cum discretione, & cum magna cautela, & pro necessitate fiat. *Nullus in monasterio proprij sequatur cordis voluntatem.* Omnis enim qui compunctus, & à Domino missus venit ad monasterium, non proprij cordis arbitrio, sed Abbatis sui & Domini vult viuere consilio: & non sui cordis facere voluntatem, sed Domini & Abbatis sui vult obtemperare mandatis, crebrò ad memoriam reducens sententiam

Ioan. 6.

illam, qua dicitur: Non véni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me. Sūt multi monachi minùs intelligentes, qui dicunt, proprij cordis mei voluntas est bona: & ideò volo sequi eam. Cui respondendum est: Interroga Abbatem tuum, & spiritales fratres de ea, quia scriptum est: Omnia fac cum consilio. Et si illam iudicauerint, & cōsenserint esse bonā, fac illā, qa iam nō solùm ꝓprij tui cordis, sed omnib⁹ * cōsentientibus est cōmunis. Sin aūt non cōsenserint, & eam bonā esse nō approbauerint, proprij cordis tui eam esse cognosce. Et si vis saluus fieri, ab ea quasi à facie colubri fuge. *Neque præsumat quisquam cum Abbate suo proteruè intùs vel foris monasterio contendere.* Proteruè contendere, est superbè & contumaciter, temerariè, vel * præsumptiuè. Quā contentionē, nec frater cū fratre, nec monachus cum Abbate suo debet habere. Sed sciendum est, quia contentionem cū additamēto, proteruè, vetuit: amicam vel pacificā contentionē concessit. Est enim amica proficuaq; cōtentio, quæ frequenter inter * duos homines, pro qualitate interueniētis causæ efficitur, sicut inter B. Benedictū & Maurū eius discipulum pro puero Placido quondā fuisse legitur. Dicebat enim B. Benedictus, quòd meritū esset discipuli eius Mauri, quòd ad eripiēdum de flumine puerum super aquā pedibus ambulauit. At è regione Maurus contendens dicebat nō suum, sed magistri sui esse meritum, quòd super aquas ambulans, de flumine illæsum eripuit puerum. Quam amicam contentionem foris esse * non vetuit, & intùs sine dubio, si res iusta exigit, fieri non prohibuit. Foris enim vel alicubi proteruam cōtentionem damnauit. Intùs autem accusationis suæ causa, aut pro vtilitate aliqua amicam esse contentionem, vt prædictum est, fieri non vetuit. Foris verò nec proteruam, nec amicam concessit: quia si in publico etiā amica contentio fiat, magistro indè nociua despectio, & discipulo mortifera nascitur elatio. Vndè & B. Benedict⁹ cùm dixisset, neq; præsumat quisquam cum Abbate suo proteruè, non dixit, intùs aut foris, sicut aliqui codices habent: sed sicut in illo, quē manib⁹ suis scripsit, proteruè aut foris monasteriū, reperitur positum. Vndè intelligitur quia foris nullam, intùs autem amicam contentionē, permisit esse amicam. *Quod si quis præsumpserit, regulari disciplinæ subiaceat.* Regularis enim disciplina in spiritalibus vitijs, i. in contumacia, in inobediētia, in superbia, in murmuratione, in detractiōe, & in cæteris huiusmodi vitijs, primò fieri debet secūdùm Dei præceptum, in admonitione semèl & secundò à seniorib⁹ in secreto. Si nō emendauerit, fiat iterùm in obiurgatione publica, loco tertio. Si verò nec sic correxerit, fiat in eum excōmunicationis vindicta, loco quarto. Si autē improbus est, vt nec sic corrigatur, corporali vindictæ subiaceat in vice quinta. Quòd si eum flagella non emendauerint, adhibeatur pro eo oratio fratrum, etiam vice sexta. Quòd si nec fratrum ei profuerit oratio, à fratribus ei dolenda separatio, & à monasterio damnosa impingatur expulsio, etiam vice septima. Hoc enim modo, exceptis grauiorib⁹ culpis, & his quæ à beato sunt iudicata Benedicto, omnis regularis disciplina cognoscitur esse composita. *Ipse tamen Abbas cum timore Dei & obseruatione regulæ omnia faciat.* Cū timore Dei omnia agere debet Abbas, quia scriptum est: Qui timent Dominū, præparabunt corda sua, & in cōspectu illius sanctificabunt animas suas, & replebuntur pace & salutis fructu. Et notādum, quia cum obseruatione regulæ omnia agere mandat Abbatem, nè, cùm alijs ipsam regulam implendam prædicat, ipse non implēdo eam, reprobus fiat, & nè aliquam excusationē, non implendo eā, Abbas vel aliquis Prælatus inueniat, in hoc capitulo legat, & apertè inueniet, quia vt subditus monachus, ità & obseruatione regulæ constringitur Abbas & omnis Prælatus. *sciens se proculdubiò de omnibus iudicijs suis æquissimo iudici Deo rationem*

reddi-

Marginal notes (left column): * al. conscientibus — Eccli. 18. — * al. præsumptuosè. — Contentio amica quæ dicat, eaq; licita est. — * al. iustos — lib. 2. Dial. cap. 7.

Marginal notes (right column): * al. non habeat, non — Quis ordo seruandus iuxta regularem disciplinam in vitijs corrigendis. Matth. 18. — Abbas cum timore Dñi omnia facere debet. Eccli. 2. — Abbas non secùs regulæ subiectus est, q̄ cęteri.

Matt. 7. *redditurum.* Ipse enim Domin⁹ iudicibus ait: In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Et ideò diligentissimè attendere debet

Tob. 4. Abbas, vt quod sibi non vult fieri, alij nè faciat: quia apud æquissimum iudicē Deū ratio reddetur: & quicquid in præsenti vi-

Psal. 125. ta agens seminauerit, hoc in futuro procul dubiò metet. Hanc sententiā ideò cordibus nostris scribens B. Benedict⁹ frequēter inculcat, nè à nobis in obliuiōe posita, dicatur neglecta, sed potiùs teneatur, & iudicetur tremenda. *Si qua verò minora agenda sint in monasterij vtilitatibus, seniorum tantùm vtatur consilio, sicut scriptum est: Omnia fac cum con-*

Eccl. 32. *silio, & post factum non pœnitebis.* Magna etenim res est cōsilium, & Abbatibus valdè necessarium, & non parui pendendum, sed super aurum & argentum cōstituendum, & hoc ipsum diuina approbat scriptura, di-

Eccl. 40. cens: Aurum & argentum & constitutio pedum, & super vtrunq; consilium bene-

Eccl. 21. placitum. Scientia sapiētis tanquàm inundatio abundabit, & consilium illius, sicut fons vitæ permanet.

Quæ sunt instrumenta bonorum operum.

CAPVT IIII.

Sicut sunt fabrorum & aliorum artificum apta & plurima instrumenta, ad illorum opera continuanda: ità sunt & bonorum monachorū apta & spiritualia multarū virtutū instrumenta, quibus & in præsenti pulchrè, & secundùm Deum eorum cōponitur vita, & eadē cōposita in futuro cū Christo feliciter regnat. Has etenim virtutes, quibus bonorū monachorū castè cōponitur ordo, in hoc B. Benedictus ordinatim ponere voluit capitulo, vt his ornatus monachus incedat, & his armatus hostem fortiter feriat, tētamenta huius sæculi omnia vincat, & se sanctorum & angelorum omnium societati coniungat. De quarum omnium laude & nos, in quantùm Dominus permiserit, co-

1. Instrumentum. nabimur dicere.

Deut. 6. *In primis, Dominū Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute.* Hæc enim regula dile-

Regula dilectionis diuinitùs cōstituta quæ sit. ctiōis ità diuinitùs cōstituta est, vt omnes cogitationes, & omnē vitā, & omnem intellectum in illo conferas, à quo habes ea ipsa quæ confers. Cùm autem ex toto corde, & tota anima, & tota virtute Deū iubet diligere, nullam vitæ nostræ partē reliquit,

Diligere Dūm quid sit. quæ vacare debeat à dilectione Dei. Ex ea enim parte quis peccat, ex qua minùs diligit Deum. Quē si ex toto corde diligamus, nihil erit in nobis, vndè peccati desiderijs seruiamus. Et quid est diligere Deum, nisi illi occupare animū, cōcipere fruendę visionis eius affectū, peccati odiū, mundi fastidium, diligere proximū, in ipso amore seruare legitimū modū, nec peruertere dilectionis ordinem constitutū? Ordinem di- Dilectionis ordinē qui peruertant. lectionis illi peruertūt, nec modū diligendi custodiunt, qui aut mundum, qui contemnendus est, diligūt: aut corpora sua minùs diligenda, plùs diligunt: aut proximos sicut seipsos, aut Deū, plùs q̄ seipsos, fortè nō diligūt. Illi perfectè Deū diligunt, qui Qui Deum perfectè diligant. volendo quod vult Deus, & nolēdo quod non vult, nullis peccatis, quib⁹ offenditur, acquiescunt, & semper paratos se ad virtutes, quas ipse dignatur donare, diligēdas & habendas ostendūt: qui verbū Dei studiosè obseruare contendūt, sicut Apostol⁹ ait: Qui aūt seruat verbum eius, verè in eo cha- 1. Ioan. 2. Quis verè Deū nouerit. ritas Dei perfecta est: Ille enim verè Deum nouit, qui, eius mandata seruando, charitatē se eius habere cōprobat. Hoc est enim Deum nôsse, quod amare. Nam qui eū nō amat, profectò ostēdit, quia quàm sit amabilis, non nouit: quàm sit suauis & dulcis Dominus, gustare ac videre non didicit, Psal. 33. qui eius placere conspectibus continua intentione nō satagit. Iterùm dicit Apostolus: Qui seruat mādata eius, in illo manet, 1. Ioan. 3. & ipse in eo. Sit tibi ergò domus Deus, & tu esto domus eius. Mane in Deo, & maneat in te Deus, vt te contineat: maneas in Deo, nè cadas. Serua mandata eius, tene charitatē, noli diuellere te à fide illius, vt glorieris in persona ipsius, & securus manebis in eo, iuxta illud: In æternum exultabūt, & habitabis in eis. Deus aūt Psal. 5. charitas est: & qui manet in charitate, in 1. Ioan. 4. Deo manet, & Deus in eo. *Deindè proximū tuū* 2. Instrum. *sicut teipsum.* Sic enim Paulus Apostolus in Lucæ 10. epistola ad Galatas ait: Omnis lex in vno Galat. 5. sermone completur, Diliges proximū tuū sicut teipsum. Et Ioannes Apostolus ait: 1. Ioan. 2. Qui diligit proximum suū, in lumine manet, & scandalum in eo non est. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsq; adhuc. id est, qui dicit se esse Christianum, & in illo qui dixit, Ego sum Ioan. 8. lux mundi: & qui fratrem suum odit, in peccatis est vsq; adhuc. Neq; enim peccato- Dilectio discernit inter filios Dei & diaboli. rum tenebras exuere potuit, qui viscera charitatis induere nō curauit. Dilectio ergò sola discernit inter filios Dei, & filios diaboli, sicut Ioānes Apostolus ait: In hoc 1. Ioan. 3. enim manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli: Omnis qui nō est iustus, nō est in Deo: & qui non diligit fratrem suum. Qui habent charitatē, nati sunt ex Deo. Quicquid vis, Aug. Tract. 5. in Epist. Ioan. habe: hoc solùm nō habeas, nihil tibi prodest: alia si non habeas, hoc habe, & implēsti legem. Qui enim diligit alterū, legē impleuit: qui non diligit, manet in morte. Itē idem Apostolus ait: Charissimi, diligam⁹ 1. Ioan. 4. inuicèm, quoniam charitas ex Deo est, & omnis qui diligit, ex Deo natus est, & co-

Sſ 2 gno-

Ibidèm. gnoſcit Deum. Qui non diligit, nō nouit
Deum, quia Deus charitas eſt. Chariſſimi,
ſi ſic Deus dilexit nos, & nos debemus alte-
rutrùm diligere. Si diligamus inuicèm, De-
us in nobis manet, & charitas eius in nobis
Aug. tract. 7. in epiſt. Ioannis. perfecta eſt. Nemo ergò putet hanc dile-
ctionem, in qua Deus manet, & in nobis
perfecta eſt, abiecta & deſidioſa quadā re-
miſſione, & negligentia ſeruari. Nō eſt iſta
charitas, ſed languor cordis. Ferueat chari-
tas ad corrigendum, & ad emendandum.
Sunt boni mores, delectēt: ſunt mali, emē-
dentur, & corrigantur. Sic ergò diligamus
inuicèm ſincera & diſciplinabili charitate,
& ità charitas eius in nobis pfecta eſt. Cœ-
piſti diligere, cœpit in te Deus habitare, vt
habitando faciat te perfectū. Ità autē per-
fecti erimus in charitate, ſi ſicut ille ſalutis
noſtræ cauſa prior nos dilexit: ità eū nos
nullius rei cauſa, niſi tātùm ſui amoris di-
1. Ioan. 4. lexerimus. Et hoc mandatum habemus à
Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrē
ſuum. In hoc cognoſcimus, quoniam di-
ligimus natos Dei, cùm diligimus Deum.
Ille ergò ſolus rectè proximum diligere
probatur, qui in conditoris amore flagra-
3. Inſtrum. re cognoſcitur. *Deindè non occidere.* Quod
Leuit. 19. autem dicit, non occidere, non tantùm
ſimpliciter corporis, ſed & occiſio prohi-
betur animæ fieri: præſertim cùm hoc mo-
nachis in regulari habitu & ſancta reli-
gione poſitis prohibetur. Non enim ar-
mis ſecularibus, vndè homicidia fiunt, ſed
virtutibus ſpiritualibus, vndè animæ ſal-
uentur, incedunt accincti. Sed ſicut eſt oc-
ciſio ferri, eſt & odij, eſt & mendacij, eſt
& alterius grauis peccati. Scriptum eſt
1. Ioan. 3. enim: Qui odit fratrem ſuum, homicida
Sap. 1. eſt. Et, Os quod mentitur, occidit ani-
Ezech. 18. mam. Et, Anima quæ peccauerit, ipſa mo-
rietur. De horum omniū generibus occi-
Non occidere qd ſit. ſorum, beatus Benedictus vult abſtinere
monachum, cùm dicitur, non occidere, i.
nec aliorum corpora ferro, nec ſua ani-
mam odio, vel homicidio, aut quolibet
Sap. 16. alio peccato, quia ſcriptū eſt: Homo qui-
dem per malitiā occidit animā ſuā. De om-
nibus his ſatis cōuenit abſtinere, nō ſolū mo-
nachum, ſed etiā omnem hominē Chriſtia-
*al. quodcunq; num: Quia * quicunq; horum fecerit ho-
Exodi 21. micidium, ſecūdùm Domini ſententiam,
qui occiderit, reus erit iudicio. *Non adulte-*
4. Inſtrum. Exodi 20. *rari.* Nam adulterium multis modis, & in
corpore & in animo, & cōmittitur & vo-
*al. fornicatio catur. Nam & * fornicationis vitiū, & ado-
*al. ſecularium ratio idolorum, & concupiſcentia oculo-
rum, & amicitia * ſeculi, pro concupiſcen-
Adulterij varia gña. tia & auaritia rerum, adulterium vocatur.
De adulterio carnis ſimul & animæ Apo-
1. Cor. 6. ſtolus ait inter cætera: Neq; adulteri regnū
Dei poſſidebūt. Et lex idipſum prohibet,
Deut. 5. dicens: Non adulterabis. De concupiſcen-
tia oculorū, Dñs in Euangelio, ait: Qui vi- Matth. 5.
derit mulierē ad concupiſcēdum eam, iam
mœchatus eſt eam in corde ſuo. De amici-
tijs ſeculi huius, & de amatoribus tempo-
ralium rerum, Iacob⁹ Apoſtolus ait: Adul- Iacobi 4.
teri, neſcitis quia amicitia hui⁹ mūdi, * ſtul *al. inimica eſt Deo?
titia eſt apud Deū? Adulteros rectè nūcu-
pat, quos, derelicto amore ſapientiæ cæle-
ſtis, ad amplexus potiùs amicitiæ mūdialis
eſſe * deflexos increpat, quos, cōditore con- *al. defixos
tempto, māmonæ magis ſeruire cernebat.
Oſtēdit etiā eos eſſe adulteros, qui ſub fidē
& cōfeſſione nominis Chriſti, illecebris &
amori deſeruiūt mūdi. Eſt adhuc & aliud
adulterij genus, de quo ſe negat Apoſtolus
eſſe, dicēs: Nō enim ſumus, ſicut plurimi, 2. Cor. 2.
adulterātes verbum Dei, ſed ex ſinceritate,
ſicut ex Deo, coram Deo in Chriſto loqui-
mur. Ex corde enī primùm auferenda ſunt
adulteria, vt non pertrahant ad carnis per-
petranda opera: quia anteq̄ perficiatur ad-
ulterium in opere, iam adulteriū eſt in co-
gitatione. Helias aūt & Ioannes zonis pel- 4. Reg. 1.
liceis cingebātur circa lūbos: in Apocalypſi Marci 1. Matth. 3.
aūt zona aurea circa pectus. Ergò nō adul- Apoc. 1.
terare, zona pellicea eſt circa lūbos. Nō vi-
dere mulierē ad concupiſcendū eam, zona Zona duplex monacho neceſſaria.
aurea eſt circa pectus. Has duas zonas vult
regula vt habeat monachus: & eius ſemper
zona pellicea cingat lūbos, & aurea pectus.
De vna enim Dñs ait: Sint lūbi veſtri præ- Lucæ 12.
cincti. De alia Propheta nos admonet, di-
cens: Accingite lumbos veſtros ſuper vbe- Eſa. 32.
ra veſtra. Hinc & Petrus ait: Propter quod 1. Pet. 1.
ſuccincti lūbos mentis veſtræ, & reliqua. Caſtitatis pulchritudo zonæ aureæ cōparatur.
Amanda eſt ergò maximè à monachis pul-
chritudo caſtitatis, q̄ zonę aureæ compara-
tur. Cuius deguſtata * dilectio dulcior in-
uenitur, quàm omnis delectatio carnis. *al. delectatio
Caſtitas enim fructus ſuauitatis eſt, & pul-
chritudo inuiolata ſanctorum, ſecuritas Laus caſtitatis.
mentis, & ſanitas corporis. Per hanc ho-
mines leuantur ad cælum, & choro ſoci-
antur angelico. *Non facere furtum.* Et in lege 5. Inſtrum.
ſcriptum eſt, Non facies furtum. Et Apo- Exodi 20.
ſtolus ait: Qui furabatur, iam non fure- Deut. 5.
tur. Et alibi inter cętera: Neq; fures regnum Ephe. 4. 1. Cor. 6.
Dei poſſidebūt. Qui ergò vult regnum Dei
poſſidere, à furti malo ſe debent omnimo-
dis cuſtodire, nè, dum cupit rapere aliena,
& propriā animā perdat, & cæleſtia regna Furtum q̄ ſit graue peccatum.
amittat. Nō modicū, ſed grande committit
malū, qui fratri nūmum, & ſibi tollit regna
cælorū. Intelligere nanq; debet monachus,
quia nō ſemper vniformiter committitur
furtum. Qui enim proprio domino ꝓpri-
um tollit ſeruū, & eum alteri, nō proprio,
ſubdit, proculdubiò furtū facit. Domin⁹
enim Ieſus Chriſtus nos de limo terræ cre-
auit, & proprio ſanguine redemit: ideò & *al. per redemptionē
* pro cōditione ſerui, & pro * redēptione *al. per cōditionem
eius ſum⁹ famuli. Quod ſi aliquis ex nobis,
vt

Furtum facit, qui, Dei seruitio neglecto, fer. uit diabolo. vt prædictum est, se à seruitio eius, malè viuendo subtraxerit, & diabolo subdiderit, furtum pessimum facit. Se enim à filiorum societate segregauit, & seruus factus dæmoniorũ, & hæreditatem & mansionẽ amisit
Ioan. 8. regni cælorum. Scriptum est enim: Omnis enim, qui peccat, seruus est peccati. Seruus
1. Cor. 6. autẽ nõ manet in domo in æternùm. Similiter & qui tollit membra Christi, & facit ea membra fornicationis & meretricis, furtũ
Ioan. 8. facit. Et, Seruus factus peccati, non manet in domo in æternùm, id est, in cælo. De qua
Ioan. 14. Dominus dicebat: In domo patris mei
Ioan. 10. mansiones multę sunt. Nam & ille qui non intrat per ostium, sed aliundè ascendit, fur est, & latro. Et ideò, quia non vno modo fiunt, non vniformiter, sed multis modis intelligenda sunt furta: quorum omni-
6. Instrum. um nos vitare debemus culpam. *Non concupisces.* Non de illa concupiscentia dicit,
Deute. 5. Psal. 83. de qua Dauid canebat, dicens: Concupiscit & deficit anima mea in atria Domi-
Psal. 118. ni. &, Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. Et
Sapi. 6. de qua alibi scriptum est: Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum perpetuum. Hæc enim in virtute est: sed de illa quæ in vitio est, de qua Dominus
Leuit. 20. Deute. 5. ait: Non concupisces rem proximi tui.
Iacob. 1. Vndè & Iacobus: Vnusquisque, inquit, tentatur, à concupiscentia sua abstractus & illectus, & concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum. Petrus quoquè ait:
2. Pet. 1. Fugientes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. Iuxta illud: Qua-
Eccli. 21. si à facie colubri, sic fuge peccatum. Et
Roma. 6. Paulus Apostolus ait: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obe-
* al. vestris. diatis concupiscentijs * eius. Hinc datur intelligi, quia per concupiscentiam mortalis corporis, maximè peccatum regnat in
1. Ioan. 2. homine. Ioannes quoquè ait: Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. His quippe vitiorum vocabulis, omnia genera vitiorum compræhendit. Concupiscentia nanque carnis est, omne quod ad voluptatem & delicias corporis pertinet: In quibus sunt maximè, cibus, potus, concubitus, &c. Concupiscen-
Cõcupiscẽtia oculorũ, quæ sit. tia verò oculorum est, omnis curiositas seculi, in acquirendis rebus temporalibus, & curis superuacuis in discernendis bonis & malis, & proximorum carpendis vitijs. Hoc enim concupiscentiæ vitium, multùm est cauendum à monachis. Facilè enim surripit mentem, & infundendo virus, citò animã mergit in mortem. Propterea inter decem legis pręcepta, sicut homicidium, furtum, & adulterium: ità concupiscẽtiæ malum prohibetur à Domino: quia sicut illa tradunt ad pœnam, ità abstractũ & illectum hominẽ concupiscẽtia inferni mergit in foueam. *Non falsum testimonium dicere.* Falsum testimoniũ dicitur, per quod 7. Instrum.
sæpè veritas illuditur, * vt quę facta vel dicta sunt, quasi non facta negentur. Est & 1. Pet. 2. * al. non habent
aliud mendacij genus, quod valdè monachũ facit reũ. Omnis enim promissio, quæ tãtùm verbis profertur, & operibus nõ impletur, sine dubio falsum esse testimoniũ
cõprobatur. Hinc Salomon ait: Testis mẽdax peribit: vir autem obediens loquitur Prouer. 21.
victorias. Quia, qui se Deo seruire testatur, nec dicta factis exequitur, in æternùm peribit. Qui autem, vt promittit, fideliter contendit implere, huius loquela ad victoriam peruenit: quia dum per obedientiam desideria sua vincere satagit, per iustitiam iudicis postmodùm victoriæ palmam percipit. Nam & ille falsus testis esse probatur, qui non eodem sensu dicta, quo dicun tur, intelligit. De talibus enim erant illi, de
quibus Euangeliũ dicit: Nouissimè aũt venerunt duo falsi testes &c. Sed & illud fal- Matt. 26.
sitatis est genus, de quo Psalmista ait: Ab Psal. 57.
vtero errauerũt, & à ventre locuti sunt falsa. Ab illis summoperè cauendũ est monachis, quia ad supera immunes cupiunt scan-
dere regna. quia vt Salomon ait: Testis fal Prouer. 19.
sus non erit impunitus. Testis autem falsi- Falsus testis, quibus personis nocéat.
dicus, tribus inuenitur personis obnoxius. Primùm Deo, quem falsando, periurãdo, & mentiendo contemnit. Secundò iudici, quem simulando, mentiendo, & cõtemnit falsando. Postremò innocenti, quem falso testimonio lædit & opprimit. Nã sicut ille apud Deum cõdemnatur, qui aduersùs innocentem falsum testimoniũ dicit: ità & ille, qui dicentibus facilè credit, & citò aurem criminibus præbet. Sermo enim iusti hominis tãtùm ad ministeriũ debet esse sa-
lutis, nõ ad condemnationẽ fratris. *Honorare omnes homines.* Tunc oẽs homines mona- 8. Instrum. Lucæ 9.
chus honorat, quando se despiciens, præ Monachus, quãdò oẽs homines honorare dicatur.
cunctis humiliat, & omnes superiores ęstimãs, inferiorem se esse demonstrat: quãdò nõ solùm humilitatẽ in corde, sed abiectionẽ & despectionẽ suo mõstrat in corpore: quãdò cũctos amore fraterno cõplectitur, & humiliter vt seniores veneratur: quãdò se præ cæteris peccatorẽ pronũciat, & inutilẽ seruũ ꝓclamat: quãdò seniores honorat vt patres, diligit iuniores vt fra-
tres. Hinc enim Petrus Apost. ait: Oẽs ho- 1. Pet. 2.
norate: Fraternitatẽ diligite. Hinc Paulus
admonet, dicens: Honore inuicẽm præue- Rom. 12.
nientes. Honorat ergò oẽs homines monachus, quãdò cũctis subijcitur, vt illis oĩbus munificus & gratus habeatur. Nã & honor in sacris literis, nõ tãtùm in salutationibus & obedientię officijs deferẽdis, * quantũ & * al. quãdò
in eleemosynis, donis, ac muneribꝰ intelli-
gitur, dãtis. *Et, qđ sibi qs fieri nõ vult, alij nõ faciat.* 9. Instrum.

Hæc sententia cùm referatur ad dilectionẽ
Dei, omnia flagitia moriũtur: cùm ad pro-
ximum, omnia facinora. Qui enim, quod
sibi fieri non vult, alteri non facit, fratri
malum non ingerit, nec malum pro malo
reddit, maledictum pro maledicto nõ pro-
fert, occultè proximo non detrahit, nec
eius bonis operibus inuidet: & omnium,
vt ità dicam, à se peccatorum aditum clau-
dit, & charitatis, & omnium bonarum vir-
tutum ianuã patefacit. Nam dum alio mo-
do nec vult, nec operatur, bonum sine du-
bio, quantùm vires suppetunt, proximo &
vult, & operatur. Hæc autem sententia &
eo modo, sicut superiùs de furto dictũ est,
2. Cor. 6. intelligenda est. Nemo enim vult corrum-
pi habitaculum suum, nec ille debet cor-
rumpere habitaculum Dei, seipsum scili-
cet. Nemo enim vult, vt aliquis seruũ eius
tollat, & alteri, cuius esse non debet, tra-
dat. Nemo vult, vt iumentum suum latro
abigat, & prędoni illud tradat. Nemo vult,
vt aliquis habitationem eius diripiat, tem-
plumque eius subuertat. Ergò quod sibi
fieri homo non vult, non faciat Deo. id
est, non tollat semetipsum malè viuendo
Deo, & tradat se diabolo: sed in bonis ope
Psal. 72. ribus perseuerans, cum Dauid dicat: Vt iu-
mentum factus sum apud te, & ego sem-
per tecum. Habitationem Dei in se nõ sub-
ruat, templumque subuertat, quia scriptũ
1. Cor. 3. est: Templum Dei estis, & spiritus Domi-
ni habitat in vobis. Et qui templum Do-
mini in seipso violauerit, disperdet illum
Dominus. Ergò in semetipso malè viuen-
do monachus, & seruum Domini Domi-
no subtrahit, & eius iumentum abigit, &
spiritûs sancti domum subruit, templum-
que subuertit: & hoc modo, quod sibi
10. Instrumentum. non vult, alteri facit. *Abnegare semetipsum sibi,*
Matt. 7. *vt sequatur Christum.* Abnegare, intelligitur
rennuere, interdicere, vel negare. Domi-
Lucæ 9. nus enim in Euangelio ait: Si quis vult
Abnegare se, quid. post me venire, abneget semetipsum, & tol
lat crucem suam, & sequatur me. Et quid
est abnegare semetipsum sibi, nisi depone-
Ephe. 4. re veterem hominem cum actibus suis? Et
Sequi Christum, quid. quid est sequi CHRISTVM, nisi indue-
Ibidem. re nouum hominem cum actibus suis, qui
* al. sanctificatione. secundùm Deum creatus est in iustitia & *
sanctitate, vt spiritualiter, nõ carnaliter,
Galat. 5. viuat? Caro enim concupiscit aduersùs spi
ritum: spiritus autem aduersùs carnem, id
est, vetus homo aduersùs nouum, & no-
uus aduersùs veterem. Interior homo no-
Carnis & spiritus differentia. ster exteriori, & exterior interiori repu-
gnat. Caro enim semper inutilia & caduca
desiderat: spiritus vtilia quærit, & semper
ad æterna suspirat. Caro frequẽter à curis
& solicitudinibus seculi torquetur, illece-
* al. lethargiæ bris voluptatum surripitur, carnis deside-
rijs inflámatur, viuere ociose lætatur, * le-
thargi vitio grauatur, corporis sopore de-
primitur, mentis desidia inficitur, voraci-
tatis ingluuie * subducitur, cibi & potûs * al. seducitur
superfluitate distenditur. Et cùm in his
omnibus luxuriosè nutritur, ad * fornica- * al. ad fornicationẽ sibi nefandum opus
tionis nefandum opus pertrahitur. Hęc &
his similia spiritus, qui operibus sanctis
Deo placere desiderat, implere corpori suo
vetat. Et hoc est abnegare semetipsum si-
bi, vt sequatur Christũ, id est, semetipsum
prohibet facere malum, & hortatur facere
bonum. Christus enim passus est pro no- 1. Pet. 2.
bis, relinquens nobis exemplum, vt sequa-
mur vestigia eius. Quid est sequi vestigia Sequi vestigia Christi, quid sit.
eius, nisi ambulare sicut ille ambulauit? id
est, contemnere omnia prospera, quæ con-
tempsit, non timere aduersa quæ pertulit,
& libẽter facere quę fecit, * fieri quæ man- * al. facere
dauit, sperare quæ promisit, & sequi quò
ipse præcessit: præstare beneficium etiã in-
gratis, non retribuere secũdùm merita sua
maleuolis, & orare pro inimicis, amare bo-
nos, misereri peruersis, inuitare aduersos,
& suscipere in charitate cõuersos, & æqua-
nimiter pati subdolos & superbos. *Corpus* 11. Instrumentum.
castigare. Corpus, dictũ à corruptione, eò 1. Cor. 9.
quòd corruptum pereat. Solubile enim, ca-
ducum atque mortale est, quod nos casti-
gare oportet, id est, ieiunijs emendare, af-
fligere atque corrigere: &, si necessè fuerit,
etiam verberibus cædere. Castigare enim di
cimus cædere, sicut de Domino Pilatus ait:
Castigatũ eũ dimittã. Castigatur enim cor- Lucæ 23.
pus ieiunijs, vigilijs, & multis afflictioni-
bus: De quibus Paulus Apostolus ait: Ego 1. Cor. 9.
autem sic curro, nõ quasi in incertum, sed
castigo corpus meum, & in seruitutem re-
digo &c. Quid enim est aliud corpus casti- Corpus castigare, quid.
gare, nisi vitijs & peccato mori? Quid est
peccato mori, nisi dãnandis operib⁹ omni- Peccato mori, quid.
nò non viuere, nihil concupiscere carna-
liter, nihil ambire? vt sicut mortuus carne,
nulli iã detrahit, nulli aduersatur, aut de-
spicit, nemini violentus existit, neminẽ ca-
lumniatur, aut opprimit, nõ inuidet bonis,
aut insultat afflictis, non luxuriatur, non
inebriatur, non odiorũ facibus inardescit,
non iniusta lucra sectatur, nõ potentibus
aut diuitibus adulatur, non inquieta curi-
ositate raptatur, nõ solicitudinis cura dis-
tenditur, non alienis salutationibus dele-
ctatur, non superborũ iniurijs fatigatur,
non eum superbia inflat, non eũ ambitio
vitiosa præcipitat, non vana gloria turpi-
ter iactat, non contentio exanimat, nõ fa-
cit impudentem audacia, iniquum iniusti-
tia, ferum inclementia, varium inconstan-
tia, pertinacem contumacia, deliciosum
gula, rebellem inobedientia, vanũ iactan-
tia, leuem facilitas, sæuum crudelitas, man-
ducantem turpis edacitas, impatientem
mobilitas, mobilem instabilitas, iracun-
dum

dum animositas, verbosum vanitas, irrisorem malignitas: qui remotus est à secularibus illecebris, remotus ab inimicitijs, remotus ab insidijs alienis, remotus à rapinis, remotus à mendacijs & periurijs: postremò remotus ab omni genere flagitiorum atque facinorum: & sicuti carne mortuus, nec facere potest ista, quæ dixi, nec pati, ità his & talibus vitijs omninò non viuunt, qui vt Deo viuant, corpus suum castigare, & carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifigunt. *Delicias non amplecti.* Non enim prohibet delicias * non tangere vel gustare, sed cum auiditate sumere, & cum amoris desiderio vitat amplecti. Spernitur enim ieiunium, quod in vespere delicijs compensatur, dicente Propheta: Ecce in die ieiunij vestri, inuenitur voluntas vestra. Voluntas enim in hoc loco, deliciæ intelliguntur. Tota die epulas in cogitatione ruminat, qui ad implendam gulam vespere sibi delicias præparat. Et tale ieiunium non laudatur, quo in vespere deliciosorum ciborum venter repletione distenditur. Neque enim reputanda est abstinentia, vbi fuerit ventris deliciosa saturitas subsecuta. Deliciæ enim carnales, comestum reddunt auidum: satiatum autem, pigrum & somnolentum. Deliciæ verò spirituales, satiatum reddunt auidum & iocundum. Illæ comestæ generant fastidium: hæ autem comedendi augent desiderium. Illæ multùm esæ, aciem mentis obtundunt: hæ spiritale lumen cordi infundunt. Illæ somnolentiam, hæ vigilias subministrant. Illæ corpori similiter & animæ præbent teporem: hæ autem mundis corde iugiter Domini ministrât amorem. Illæ enim faciunt desiderare lectum, hæ autem cælum. Illæ somnum, hæ verò regnum. Illæ turpia & obscura quærunt cubilia, hæ sanctam cum sanctis, & lucidam volunt in cælo habere gloriam. Illæ delectant in lupanari cum scortis ludere, hæ cum angelis in cælo regnare. Illæ luxuriosos amplexus desiderant, hæ ad amplexus CHRISTI venire festinant, vt cum illo, quasi sponsa cum sponso, in æternùm quiescant. Deliciæ verò nuncupantur, eò quòd delicatè nutriant comedentem, vel quòd his homines delectantur. Faciunt enim hominem in Dei seruitio mollem, tenerum, & delicatum: & è regione spiritales deliciæ, faciunt hominem in pro æterna capessenda gloria, viuidum, fortem & rigidum. Et ideò istæ appetendæ sunt, illæ verò à monachis amplexandæ non sunt. Sed quòd à monachis amandum amplexandumque sit ieiunium, sequentia demonstrant. *Ieiunium amare.* Multi enim sunt qui ieiunant, sed idem ipsum ieiunium non amāt. Quasi onus impositum, sic necessitate compulsi, portant ieiunium, sed non amant illud. More animalis onus portant, sed eiusdem oneris dulcedinem non degustant: vndè nec amant ipsum, quod portant. Et sicut aliquis onere oppressus, antequàm ad locum perueniat destinatum, vult, quo premitur, onus deponere: ità desidiosus ante horam constitutam ieiunium monachus vult soluere, frequenter adspicit horologium, & sæpiùs solis considerans cursum, oculos leuat ad cælum, & pariter vocibus, pariterq; desiderijs, iam horam proclamat esse refectionis. Sed non ità bonus debet facere monachus, sed velut animæ medicamentum, sic debet amare ieiunium. Ieiunio enim anima ab omni periculo illecebrarum defenditur. Ieiunio vires vitiorum franguntur. Ieiunio tentamenta dæmoniorum fugantur. Ieiunio carnis delectatio refrenatur. Ieiunio incentiua libidinum extinguuntur. Per ieiunium liberiùs oratio penetrat cælum, & in compunctionis dono, intentiùs ieiunæ mentis acies figit obtutum. Per ieiuniorum nanque dona, & cælestium mysteriorum occulta, & diuinorum secretorum homini reuelantur arcana. Per ieiunij donum de carnali spiritualis efficitur homo, & sanctorum omnium angelorum coniungitur choro: & ideò à bono ieiunium amandum est monacho. Sed quia ieiunium vniuersam diximus esse corporis castigationem, non est tantummodò ieiunandum à concupiscentia ciborum, sed ab omni lętitia temporalium delectationum. Si enim hominem totum hæc virtus, quæ abstinentia dicitur, sanctificat, non solùm corpori, sed etiam animæ necessaria est: quia omnis homo ex corpore constat & anima. Ea autem spiritalis atque perfecta est abstinentia, quæ non tantùm ab illecebris carnalium voluptatum, quàm & à peccatis omnibus facit hominem alienum. Hæc virtus cùm omnibus necessaria sit, maximè illis familiarior, quorum est cor vnum, & anima vna, diuinæ charitatis igne conflata. Quibus ità sit vna vita, sicut est vna substantia, quia vt fieret & esset animorum sancta coniunctio, necessaria est facultatum indicata communio. Cæterùm quid prodest, quòd facultates * amittimus, si voluntates proprias non relinquimus? Quam abstinētiam si Adam in paradiso voluisset seruare, nec statum felicitatis amitteret, nec corruptionis ac mortalitatis infelicitati subiaceret. Quis enim potest dicere, quanta bona illi incontinētia tulerit, quòd intellectualis mentis dignitatē amisit, quòd imaginem sui creatoris perdidit? Nō eum ibi

Marginalia: Galat. 5. — 12. Instru. — 2. Pet. 2. — * al. nō habent, non. — Isaiæ 58. — Deliciæ carnales, quomodò distent à spiritualibus. — Deliciæ vnde dictæ. — 13. Instrum. — Daniel. 1. — Contra nō libenter ieiunantes. — Ieiunium animæ medicamentū. — Ieiunij laus. — A quibus ieiunandum sit. — * al. abijcimus. — Gene. 3. — Breuis descriptio felicitatis primi hominis in paradiso.

ibi inquietabat molesta solicitudo, non fatigabat labor anxius, non opprimebat somnus, non timor mortis angebat, habebat * felicem victum, corpus sanum, tranquillum motum, cor mundũ, ignarus mali, habitator paradisi, expers peccati, capax Dei. Postremò, quid eo felicius fuit, cui erat orbis subiectus, nullus infestus, liber animus, & visibilis Deus? Potuit ergò ità videre Deum, priusquàm peccâsset Adam: sicut cum sancti Patriarchæ viderunt. Sed postquàm illi inobediens fuit, vidẽdi eum licentiam amisit. Et ideò ieiunij amãda est abstinẽtia, vt hæc omnia, quæ perdidimus in Adam, in Christo non peritura consequamur æterna. *Pauperes recreare.* Conuenienter enim nos post ieiunij amorẽ, de pauperum admonet recreatione: quia tunc optimè ieiunamus, quandò quæ vẽtri subtrahimus, pauperib9 erogamus. Hinc Propheta nos admonet, dicens: Sanctificate ieiunium. àc si diceret: Quod tempore ieiunij, vt affligatur, subtrahitis corpori, pro sanctificatione & benedictione animi porrigite pauperi. Scriptum est enim: Pauperi porrige manum tuam, vt perficiatur propitiatio, & benedictio tua. Et iterùm: Fili, eleemosynã pauperis nè defraudes, & oculos tuos nè auertas à paupere. Animam esurientem nè despexeris, & cor inopis nè affixeris. Nõ auertas faciem tuã ab egeno, & ab inope oculos tuos. Declina pauperi aurem tuam, & redde debitum tuum. Propter mandatum assume pauperem, & propter inopiam eius nè dimittas illum vacuum, sed conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc orabit pro te ad Dominum. Raphael quoquè angelus, vt à nobis eleemosyna libẽti animo fiat, hortatur nos, dicens: Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, quia à morte liberat, & peccata purgat. Hoc enim tantum bonum habet possessio rerum, si vitam reficiat miserorum. Non ergò nobis oberit diuitiarum congregatio iusta, si affuerit distributio larga. Debemus ex illis munus misericordię egenis porrigere, pauperum nuditatẽ operire, peregrinorum inopiam supplere, pupillorum * misericordiam detergere, esurientium famem replere, sitientium sitim fugare, & infirmantium desideria supplere. Cum magna ergò mentis alacritate debemus eleemosynas dare: quoniã ipsi Domino datur, quod hilariter pauperib9 erogatur. Ipse enim Dominus, qui à dextris eius erunt, dicturus est in iudicio: Venite benedicti patris mei, percipite regnũ Dei, quod vobis paratum est ab origine mundi. Quia esuriui, & dedistis mihi manducare: Sitiui, & dedistis mihi potum &c. Christum enim inæternùm habebimus retributorem, si pro illo pauperibus porreximus panem. Ab illo ęternam consequemur misericordiam, si pro illo plenam porreximus pauperibus dexteram. Demus ergò cibum & potum, vt cum Abrahã, Isaac, & Iacob, ad conuiuium mereamur peruenire æternum, vt illic recipiamus pro terrenis cęlestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna, pro caducis permanentia, pro transeuntibus permãsura. Est & aliud eleemosynæ duale genus, quo debẽt maximè monachi pauperes recreare. Quorum vnum infirmis & * tribulantibus: aliud verò stultis & nescientibus est adhibendum. Qui enim infirmo per compassionem communicat, & tribulato consolationis consilium subministrat, sine dubio pauperes recreat. Similiter & qui doctrinam stultis, & scientiæ verbum ministrat ignaris, eleemosynarij dignus est laudari pręconijs. *Nudũ vestire.* Sicut est nuditas corporis, ità & est nuditas animæ. Nuditas corporis est, carere vestibus: Nuditas verò animæ, carere virtutibus. Iustitia indutus sum, ait Iob, & vestiuit me sicut vestimentum. Et Propheta dicit: Induit me vestimento salutis, & indumento iocunditatis circũdedit me. His autem & similibus vestibus, & se & alios debet vestire monachus. Adam verò cùm peccâsset in paradiso, animę, nõ corporis, perdidit vestimẽtum. Perdidit enim innocentiam, immortalitatem, & gloriam. Nam & ille qui de Hierusalem descendebat in Iericho, ab animæ vestibus spoliatus est à latronibus. Vestiamus ergò corporaliter pauperes nudos, cum magna alacritate, quia ipsum Dominum exindè tenebimus creditorem, & fidelem habebimus retributorẽ. Ipse enim dicturus est inter cætera nobis: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mũdi: quia nudus fui, & cooperuistis me. Vestiamus igitur nosmetipsos virtutibus sanctis interiùs, quia nihil prodest vestibus vestire alium, & semetipsum virtutibus relinquere nudum. Sic enim debemus alijs misereri, vt non obliuiscamur nostri. Sic enim nos de opere misericordiæ, sermo diuinus admonet, dicens: Fili, miserere animæ tuæ, placens Deo. Ergò inquantùm valemus, misereamur alijs, & soliciti de nobis, semper misereamur nobismetipsis, vt & pro alijs mercedem æternam, & pro nostra custodia præmia consequamur perpetua. *Infirmum visitare.* Visitare debemus infirmos, quia in ipsis Dominũ visitamus. Ipse enim inter cætera nobis dicturus est misericordiæ opera: Infirmus fui, & visitâstis me. Visitemus & causa compunctionis infirmos, vt cũ Paulo, Quis infirmatur, & ego non infirmor, dicere possimus. Visitemus & causa vicissitudinis, i. vt cùm fuerimus infirmi, visitemur à sanis. Visitemus & causa di-

Marginal notes (left column): * al. facilẽ — 14. Instru. — Tob. 4. — Ioel. 2. — Eleemosyna libenter pauperibus danda. — Eccli. 7. — Eccli. 4. — Eccli. 29. — Tob. 12. — * al. miseriam — Math. 25.

Marginal notes (right column): Duplex eleemosynę genus, quo monachi pauperes debent recreare. — * al. tribulatis: — 15. Instrum. — Isaiæ 58. — Nuditas duplex. — Iob 29. — Isaiæ 61. — Gene. 3. — Lucæ 10. — Nudi, cur magna cũ alacritate sint vestiendi. — Matth. 25. — Vestire virtutibus vnusquisq; cur se debeat. — Eccli. 30. — 16. Instrum. — Matth. 25. — Ibidèm. — 2. Cor. 11.

Eccli. 7. sa dilectionis, quia scriptum est: Non te pi
geat visitare infirmos: ex ipsis enim in di-
Monachis dans eleemosynam, visitat infirmos. lectione firmaberis. Sed & ille infirmos vi-
sitat, qui monachis de sua substãtia eleemo
synas ministrat. De monachis enim scri-
ptũ est: Formicę populus infirmus, qui pa-
Prouer. 30. rat in messe cibum sibi. Sed & ille veraciter
infirmos visitat, qui viduis & pupillis elee-
mosynas erogat. Viduæ eñ & pupilli, qui
sunt humiles & pauperes spiritu propter
Dominũ, proculdubiò quia potentes non
sunt, infirmi in hoc mundo, & visitationis
indigent in hoc seculo adiutorio. De tali
Iacob. 1. enim visitatione Apostolus ait: Religio
In animæ infirmitate sæpè monachi se inuicèm debent visitare. munda & immaculata apud Deũ & patrẽ
hæc est: Visitare pupillos & viduas in tribu
latione eorũ &c. Est & alia infirmitas ani-
mæ, pro qua se monachi debẽt inuicèm vi-
sitare sæpissimè, illa scilicet, de qua Dauid
dicebat: Miserere meî Deus, quoniã infir-
Psal. 6. mus sum: sana me Domine. Et, vt aduerte-
res, de qua infirmitate diceret, addidit: Et
Ibidem. anima mea turbata est valdè. Et alibi: Ego
Psal. 40. dixi: Domine, miserere mei: sana animam
meam, quia peccaui tibi. Ergò, vbicunquè
huius infirmitatis næuo viderimus fratrẽ
oppressum, tamdiù illi visitationis impen
damus studiũ, donèc ad salutis pristinũ re-
uocemus statum, vt infirmus corpore, no-
stræ visitatiõis solatiũ: & infirmus anima,
donante Christo, remedium inueniat sem
piternũ. Infirmus dicitur, nõ solùm ægro-
* al. molestus tus, sed & anima * molestatus & contrista-
17. Instrum. tus. *Mortuum sepelire,* Congruè autem post-
quàm nobis pręcepit infirmũ visitare, prę-
Tob. 1. & 2. cepit & mortuũ sepelire: Quia infirmo vi-
sitatio, sepultura verò debetur mortuo.
Eccli. 38. Scriptum est enim: Fili, in mortuum pro-
duc lachrymas, & quasi dira passus, incipe
plorare, & secundùm iudiciũ contege cor-
pus illius, & non despicias sepulturã eius.
* al. mirandum Valdè enim à quibusdã * mirum videtur,
cur præcepit beatus Benedictus monachis
mortuum sepelire. Nũquid, aiunt, aut su-
um in monasterio insepultum relinquere,
aut alterius per vicos aut villas ire poterũt
monachi mortuos sepelire? Sed quia ista *
* al. nõ conueniunt conueniunt monachis, sermonis huius cõ-
uenientiam videamus. Mortuum enim di-
Eccli. 34. citur peccatũ, vt illud: Qui lauatur à mor-
tuo, & iterùm tangit mortuum, nihil pro-
ficit lauatio eius, i. qui pœnitendo lachry-
mis lauat peccatum, & iterùm cõmittit pec
catum, nihil ei vel pœnitẽtiæ gemitus, vel
lachrymarũ fusio generat fructus. Anima
Ezech. 18. enim quæ peccauerit, ipsa morietur. Nã &
Matt. 9. illa puella quã suscitauit Dominus in do-
mo, peccatũ significat latens in animo. Et
in illo quõ foris portam Dominus suscita-
uit, vnico matris filio, peccatũ animæ signi
Lucæ 7. ficat iam egressum foràs in publicũ. Et La-
Ioan. 11. zarus quẽ idẽ Dominus suscitauit quatri-
duanum, iam multi temporis peccatũ de-
monstrat cõmissum. De his ergò omniũ ge- Monachi, quales mortuos sepelire iubeãtur.
neribus mortuorũ, vsus sepeliendi debet
esse omniũ hominũ, & maximè monacho-
rũ. De hoc enim sepeliendi genere, beatus
Benedictus præcepit monachis mortuũ se-
pelire, id est, si fuerit, sicut puella in do-
mo, adhuc tantũ in conscientia latens pec-
catũ, nè in opere appareat, ibi sepeli illud.
Et si iam fuerit in opere manifestũ, sicut de
illo vnico matris filio legitur, iã foràs por-
tam elato, nè ampliùs crescens progredia-
tur, ibi finẽ accipiat, & cordis sepulcro cõ-
datur. Et si diuturno iam tempore perpe-
tratum, & in omnibus in publicum mani-
festũ, & à cunctis fuerit fœtidum iudica-
tum, sicut de quatriduano legitur Lazaro,
nè vltrà in homine pullulans excrescat,
tandèm mortificatum pariter & sepultum
iaceat. Et hoc modo omnis monachus, &
ad Dominũ omnis conuersus, debet mor-
tuum, id est, suum sepelire peccatum. *In tri-* 18. & 19. Instrumentũ.
bulatione subuenire, Dolentem consolari. Hęc quo-
que virtus inter sanctos multùm est neces-
saria monachos, videlicet vt alteri subue- Ecclesi. 6.
niat alter, & alter consoletur ab altero, sic- Ecclesi. 7.
ut scriptũ est: Inuicèm onera vestra por- Galat. 6.
tate, & sic adimplebitis legem Christi, id
est, charitatẽ. Sine dubio enim & * tribu- * al. tribulato
lanti charitas subuenit, & dolentem chari-
tas consolatur. Sciendum tamen, quia ali-
quotiès monacho tribulatio suscitatur ex- Tribulatio vndè suscitetur monacho.
triùs ab homine, aliquotiès verò suscita-
tur à dæmone, aliquotiès autem ipsius tan-
tùm proprio suscitatur à corpore. Vndè
& frequẽter in tribulatione valdè necessa-
riam habet fratris subuentionem, & nõ so-
lùm nobis inuicèm subuenire, sed & alijs
in quacunq; necessitate positis, subuẽtio-
nis debemus * gaudia ministrare. Secũdùm * al. auxiliũ
enim præceptum Apostoli, debemus gau- Roma. 12.
dere cum gaudentibus, & flere cum flenti-
bus. Duobus enim modis omnis efficitur
dolens, id est, aut per iacturã temporalium
rerũ, aut per damna spiritaliũ virtutũ. De
hoc ennim Salomon ait: Qui addit scien- Eccles. 1.
tiã, addit & dolorẽ. De illo autẽ Iob dicit:
Quid agam? & si tacuero, non quiescet do Iob 16.
lor meus &c. Vnus autẽ carnaliter dolet, Variæ dolorũ causæ.
alter verò spiritaliter: vnus dolet, quia ter-
renũ amisit solatiũ: alius, quia peccando
* copiosam amisit virtutem. Vnus dolet, * al. copiã amisit virtutum.
quia perdidit patrẽ aut matrem: alius do-
let, quia superbiendo humilitatẽ, & luxu-
riando perdidit castitatem. Vnus dolet,
quia solatium parentum pariter amisit &
subsidium rerum: alius, quia peccando re-
gnum pariter æternum amisit, & præmiũ.
Vnus dolet, quia terrenis pauper factus est
rebus: alius, quia pauper factus est virtuti-
bus. Vnus dolet, quia despicitur à mundo:
alius, quia separatur ab eo. Et ideò nè in

dolore pereant, fratrum consolationẽ accipiant ambo. Visitẽt ergò monachi vtrosque, quia æternam mercedem accipient ab
20. Instrumentum. 2. Timo. 2. vtrisque. *A seculi actibus se facere alienũ.* Nemo, ait Apostolus, militãs Deo, implicat se negocijs secularibus, vt ei placeat, cui se pro-
Lucæ 14. bauit. Hinc ait Dominus: Qui non dimiserit omnia, quę possidet, non potest meus esse discipulus. Quisquis ergò à seculi actibus vult effici alienus, necesse est, vt sacris obtemperando præceptis, ipsi Domino efficiatur propinquus. Præceptum est enim
Psal. 33. Domini: Diuerte à malo, & fac bonũ. Proindè à seculi actibus alienus effectus, ad cõditorem suum illuminandus accedat monachus. Ipsum iugiter concupiscat, toto corde diligat, & pro illius amore oẽs nociuas seculi actiones relinquat, & totã spem
* al. dilectione suã ex illius * delectatione suspẽdat: quotidiè in diuinarum literarũ se exerceat campo, & ibi se quasi in speculo diligẽter conspiciat totũ, & omnia, quæ in se de secularibus actibus respuẽda inuenerit, respuat: & quæ tenenda inuenerit, libenter & fortiter teneat: quod deforme inuenerit, cõ-
* al. extollat: ponat: quod pulchrũ, * excolat: quod sanũ, seruet: quod infirmũ, corroboret. Domini sui præcepta infatigabiliter legat, inexplebiliter diligat, efficaciter compleat, & quid sibi cauendũ, quidve sectandum sit, ex eis instructus agnoscat: futuris promissionibus credat, & à strepitu negociorum secularium remotissimus viuat: in studijs spiritalibus, quibus singulis diebus melior & melior fiat, inuigilet: amet ocium sanctum, in quo exerceat animæ suæ negociũ: mortuũ sibi deputet mundum, ac se mundi illecebris exhibeat crucifixum: eò aciem mentis intendat, quò peruenire desiderat: beatitudinem futuræ vitæ ante oculos animę suę proponat & diligat, nec metuat aliquod corporale, nec cupiat, nè cupiditas in tentationẽ mentẽ eius emolliat: nõ gaudeat de tẽporalib⁹ omninò, nec lugeat, sed
2. Cor. 3. semper ad illam beatam & futurã vitã, vbi Dei substantiã reuelata facie videre pos-
21. instrumentum. Matt. 10. sit, extendat. *Nihil amori Christi præponere.* Legimus in beati Antonij vita, quòd multos litigantes redegit in amicitiã, omnibus dicens: Nihil debere ipsos præponere horũ, quæ sunt in mundo, dilectioni Christi. Et Basilius ait: Vnus prospectus sit tibi, fili. Si vni Domino seruire desideras, omninò ab-
Amori Christi nil præferẽdũ. scinde à te carnalem amorẽ, ne à te Dei excludat amorẽ. Verè enim nihil amori Christi præponere debemus, id est, anteponere, vel præferre. Amor enim Christi, charitas est. Nam amor cùm prauus est, cupiditas vel libido vocatur: cùm verò rectus est, charitas vel dilectio dicitur. Christi enim est
* al. possumus. omne, quod * possidemus. Illo viuificante viuimus, illoq; vegetante mouemur, & fu-

mus: illo nos priùs diligente, diligimus. Di- Acto. 17.
ligens enim nos creauit, & viuificauit, nutriuit & custodiuit, & ad lauacrum regene- 1. Ioan. 4.
rationis perduxit, renouauit, gubernauit, & ad intelligibilẽ ætatẽ euexit. Hæc omnia in nobis misericorditer, & per dilectionẽ operatus est Deus. Aperi ergò, ô monache, oculos cordis tui, & intãtùm te à Iesu Christo cognosce dilectũ, vt pro te eius sanguinẽ non dubites fusum. Suspende cor tuum ad dilectionẽ eius, & non modicũ, aut ex aliquo, sed ex toto corde, & ex tota anima, Matt. 22.
& ex tota mente dilige Dominũ Deũ tuũ, ità v. nullius rei amorem præponas amori Domini tui. Ipso te docente, intellige. ait enim: Qui amat patrem, aut matrem plùs, Matt. 10.
quàm me, non est me dignus: Et qui amat filium, aut filiam plùs, quàm me, nõ est me dignus. Verè enĩ, si Deũ ex toto corde amamus, omninò amori eius nec parentũ, nec filiorũ amorẽ præferre debemus. Beata est Amoris Christi, præclarum encomium.
ergò virtus amoris Christi, quę dilectio vocatur, & charitas. Oẽs enim diligit, & quasi vnius proximi in mentis arcano omnium amorẽ recondit. Verè beata, quę nutrit virtutes, & delet peccata, opprimit irã, recludit odiũ, expellit auaritiã, cõprimit rixã, & fugat omnia pariter vitia, omnia tolerat, & omnia credit, oĩa sperat. Inter opprobria secura est, inter iras placida, inter odia benigna, & in veritate semper permanet firma. A prauis impugnationibus non vincitur, à raptoribus non diripitur, à latronibus nõ furatur, ab incendio non crematur. Inexpugnabilis manet, inexplicabilis durat, inconcussa perseuerat, incorrupta lætatur. Ligamentũ est enim omniũ virtutũ, gluten est animarũ, cõcordia mentiũ, societas electorũ, & sanctorũ exultatio angelorũ: nec aduersitatibus frãgitur, fortiter mentẽ roborat, nè prosperitatibus eleuetur, cor autem tẽperat. Teneat ergò istã necessè est, tam clarissimã virtutẽ beatus monachus in mente, & cum illa sit semper, & cum illa maneat, cum illa surgat, & cũ ipsa pergat, & hic, & in æternùm cũ illa semper lætus perseuerans viuat. *Irã nõ perficere, Ira-* 22. & 23. Instrumen.
cundiæ tempus non reseruare. Inter irã & iracun- Matth. 5.
diã ità distinguitur. Ira, præsens est indi- Ephe. 4.
gnatio, quæ subitò ex aliqua commotione animæ nascitur: Iracundiæ vitiũ, naturale est & perpetuũ. Ergò iratus pro tempore concitatur. iracundus autem, frequẽter & leuiter irascitur, de quo scriptum est: Iracundus autem effodit peccatũ. Et Apostolus nos per iram peccare prohibet, dicens: Irascimini, & nolite peccare. Sol non óccidat super iracundiam vestram. Nolite locũ darẽ diabolo. Considera ergò, ô beate monache, quia qui per iram in fratrem expetit vindictã, in corde suo diabolo ad habitandũ ædificat locum, & Christo, qui verus est Iræ & iracundiæ discrimen. Ira vehementer detestanda. Prouer. 15. Ephe. 4. Psal. 4.

sol,

sol, quantùm in semetipso est, occasum præparat. Fuge ergò, auxiliante Deo, irã, & noli per irã fratri reddere vindictã. Attēde diligēter, quid nos Paulus admonēs, dicat.

Coloss. 3.

Ait enim: Deponentes & vos omnem irã, & indignationem, & malitiã. Iacobus quoquè ait:

Iacob. 1.

Ira enim viri, iustitiam Dei non operatur. Salomon verò ait: Zelus & iracundia minuunt dies.

Eccli. 30.

Et alibi: Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelã?

Eccli. 28.

Ipse dum caro sit, seruat iram: & propitiationem petit à Deo velocem & vitam? Qui ergò tardiùs sibi fratrē reconciliat, tardiùs sibi Deum placat. Frustrà enim sibi propitiari Deum quærit, qui citò placare proximũ negligit. Ipse quoquè Dominus noster, totius Ecclesię suę decus & ornamentũ, doctor & prædicator, creator, rector & gubernator, ab ira nos fratris omninò remouēs, ait:

Matth. 5.

Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Cauēdũ est ergò maximè monachis, qui ad supera feliciter volunt scandere regna, ad effectũ suam perducere irã, sed magis eos mansuetos esse ad omnes oportet, atq; mitissimos.

Iracundia, quomodò comprimenda.

Et si iracundię furor eorũ pulsauerit animũ, fraternus amor cōprimat illã. Fraterna dulcedo tēperet iracundiã, fraterna dilectio tēperet animositatem, fraterna dilectio mitiget indignationem. Grande enim vitiũ est iracūdia. Per irã sapientia perditur, Per irã iustitia relinquitur, Per irã societas fraterna dissoluitur, Per irã pacis cōcordia rũpitur, Per irã lex veritatis amittitur.

Iracundi corporis, pulchra descriptio.

Iracundiæ stimulis agitatũ corpus, totum tremit, lingua balbutit, vultus ignescit, cor palpitans tremulat, & oculi turbati caligant. Hæc ergò nè tibi, ô monache, contingant, quātùm vales, refrena iram, & omnia age cũ tranquillitate & patientia, vt & hîc modestè & patienter eã gubernes, & inæternùm animæ tuæ possessor læteris.

24. Instrumentum.

Dolũ in corde non tenere. Dolus enim dictus ab eo, quòd alter alium deludat.

Prouer. 12. Iob 16. Dolus q.d.

Aliud enim tenet in corde, aliud se simulat agere in opere. Est enim mentis calliditas & occulta malitia, blandis sermonibus adornata. Quod vitium quāto plùs occultatur in corde, tanto ampliùs crescit in malignitate: publicatum autē, annihilatur & sanatur.

Dolum in corde tenere quid.

Quid enim est aliud, dolum in corde tenere, nisi quodammodò dæmonē in mente recludere? qui aliter à dolosa nō expellitur mente, nisi fraterna dilectione.

1. Cor. 3.

Scriptum est enim: Templũ Dei estis, & spiritus Domini habitat in vobis. Ergò si volumus spiritûs sancti templum fieri, dolus in corde nostro nō lateat: sed magis publicatus decrescat, & fraternitatis in nobis amore crescēte, penitùs euanescat. Cauendum est ergò summoperè monachis, nè in corde tenendo dolũ, perdāt habitatorem spiritũ sanctũ. Cauendũ, nè desinant esse spiritûs sancti tēplum, & fiant, habēdo dolum, dęmonis habitaculũ. Nō enim poterit cor vnũ retinere Dñm, similiter & dolum. Non enim Dominus dolosa, sed innocēcia possidet corda. Nō dolo pollutã, sed innocētem & purã diligit animã. Vndè necessè est, vt dimittamus in corde tenere dolũ, & discamus & nosmetipsos diligere & proximos, vt in prę senti seculo mereamur habitatorē spiritũ sanctũ, & in futuro filiorum gloriã, & hæreditatē accipiamus æternam.

25. Instrum.

Pacem falsam non dare. i. osculũ, & veniã. Falsitas appellata à fando aliud, quàm quod verũ est.

Psal. 27.

Negare enim, vel maligno animo celare, quod verum est, falsitas est. Sicut Iudas qui signũ pacis in dolum cōuertit: quia & falsus cōfessor fuerat, & falsam pacē in Ecclesia figurabat.

Matth. 26.

Quia de falsa pace diximus, quæ sint veræ pacis cōmoda, videamus.

Pax vera quid sit, eiusq; commoda.

Est enim pax vera, serenitas mentis, & trãquillitas animi, quã nos Apostolus hortatur habere, dicēs: Pacē sequimini & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.

Hebr. 12.

Ipse quoquè Dñs in Euãgelio ait: Beati pacifici, quoniã filij Dei vocabuntur.

Matth. 5.

Et passioni iam proximus, hoc nobis mandatum cōmendauit, dicēs: Pacē meam do vobis, pacē meam cōmendo vobis.

Ioan. 14.

Et addidit: Non sicut mundus dat pacē, do vobis, i. nō dolosam, nō falsam, sicut Iudas & eius sequaces, donant: quã & hîc nobis beatus Benedictus inuicèm dare vetat: sed veram pacē, ascēdens in cælũ, tenendã dedit, & in hæreditatē sempiternam habendam reliquit. Quã si sincero corde tenere & sequi voluerimus, filij Dei, & hæredes erimus Christi. Ergò si filij Dei & hæredes Christi esse cupimus, in Christi pace versemur.

Filij Dei, quales esse debeant.

Pacificos enĩ esse oportet filios Dei & humiles, mēte mites, corde simplices, sermone puros, animo innocētes, affectu cōcordes, fideliter sibimet vnanimiter cohærētes.

26. Instrumentum.

Charitatem nō derelinquere. Charitas Gręcè, Latinè dilectio interpretatur.

1. Petr. 4.

Charitas est enĩ perfecta dilectio in Deũ & proximũ: quã qui derelinquit, & Deũ & proximũ perdit. Hæc enim virtus dilectionis, ęternũ cōplectitur amorē, cui specialis secundùm Apost. inter virtutes traditur principatus, & cultus manēs inæternùm.

1. Cor. 13.

Charitas omni rempore retinenda.

Quã nō derelinquere, nec solùm debem⁹ ad tēpus habere, sed perpetìm eã, & feliciter debemus vsq; inęternùm retinere, & nullo tēpore nec ad momentũ de nostra debet mente deficere. Scriptũ est enĩ: Omni tēpore sint vestimēta tua cãdida, & oleũ de capite tuo nō deficiat.

Ecclēs. 9.

Oleũ in capite, est charitas in mēte. A capite oleum deficit, cùm charitas à mēte discedit. Hinc nos Petrus Apost. hortatur, dicēs:

1. Pet. 4.

Ante omnia aũt mutuã in vobismetipsis charitatē continuam habētes. Hinc Paulus ait: Charitas fraternitatis maneat in vobis.

Hebr. 13.

Debet ergò

manere & permanere cũ filijs Dei charitas, vt & in præsenti voluntatẽ Dei eos facere doceat, & cũ illis feliciter in æternũ permaneat.

Charitas quid, illiusque insigne encomium.

Charitas est enim recta volũtas iũcta Deo, & inseparabiliter vnita quodã igne spiritũs sancti, à quo & ad quẽ refertur incẽsa, inquinamẽtis omnibus extranea, corrũpi nescia, nulli vitio obnoxia, supra oĩa, quæ carnaliter diligũtur, excelsa, affectionũ omniũ potẽtissima, diuinæ cõtẽplationis auida, in omnib⁹ semper inuicta, salus morũ, mors criminũ, vita virtutum, virtus pugnantiũ, palma victorũ, præmiũ perfectorũ: in peccatis mortuos suscitat, lãguentes sanat, perditos instaurat, spẽ desperatis inspirat, pacificas mẽtes inhabitat, fructuosa in pœnitẽtibus, lęta in proficiẽtibus, gloriosa in perseuerãtib⁹, & operosa in omnibus omninò fidelibus: quã fides cõcipit, ad quã spes currit, cui ꝓfectus omniũ seruit, ex qua, quicquid est boni operis, viuit: sub qua obediẽtia crescit, per quã patiẽtia vincit, sine qua nullus Deo placuit, nec placebit, cũ qua nec potuit aliquis peccare, nec poterit. Hæc est charitas vera, quã nos non derelinquere, sed fortiter debemus tenere. Hęc enim nobis virtus super oĩa necessaria est, quæ nos separat à diabolo, purificat à peccato, recõciliat Deo.

Charitas bonorum omnium mater.

1.Cor. 13.

Quapropter nihil nobis peccati remanere poterit, nec aliquid boni deerit, si bonorũ omniũ charitas mater affuerit. Quoniã si (secundùm Apost.) charitas patiens est, benigna est, nõ æmulatur, nõ agit perperàm, nõ inflatur, non est ambitiosa, nõ quærit quæ sua sunt, nõ irritatur, nõ cogitat malũ, nõ gaudet super iniquitate, congaudet aũt veritati, sed omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet: omnibus in quibus fuerit hæc, bona quæ habet, impertit. Et quid illis in hac vita potest esse perfectius, qui tantis abundãt, charitate in se regnãte, virtutibus?

27. Instrumentum.

Matth. 5.

Deute. 6.

Vsus iurandi non est faciendus.

Eccli. 23.

Ibidem.

Iacob. 5.

Non iurare, nè fortè periuret. Non est cõtra Dei præceptum, iurare, quia ille dixit: In nomine meo iurabitis. Sed dum vsum iurandi facimus, periurij crimẽ incurrimus. Necessè est ergò, vt nunquàm iuret, qui periurare timet. Scriptũ est enim: Iurationi nõ acquiescat, vel assuescat os tuũ. Et, Vir multùm iurans, replebitur iniquitate. Et Iacobus Apostolus, nè iuremus, fortiter nos admonet, dicens: Ante omnia, fratres, nolite iurare, neq; per cælum, neq; per terram, neq; aliud quodcunq; iuramentum. Sit autẽ sermo vester, est, est, non, non: vt nõ in iudicium incidatis.

1.Tim. 2.

Matt. 5.

Et Dominus noster Iesus Christus, salus omniũ & saluator, qui oẽs vult saluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire, & à malo periurij liberare, admonet nos, dicẽs: Non iurabitis per cælũ, quia sedes Dei est: neq; per terrã, quia scabellũ pedũ eius est: neq; per caput vestrum iurabitis, quia nõ potestis vnũ capillum album facere vel nigrum. Sed sit sermo vester, est, est, nõ, nõ: &, quod amplius est, à malo est. Qui autem nõ iurat, nõ peccat, & lõgè est à peccato. Qui autem iurat, etiãsi verũ iurat, propè est peccato. Si offenderit lapsus, deorsum ruit, & excipitur à pœna periurij. Ergò falsa iuratio exitiosa est, vera iuratio periculosa, nulla iuratio sana est & secura.

Sitne iuratio, Testis est mihi Deus, &c.

Dicit aliquis, nõ est iuratio, quandò dico, Mihi testis est Deus, & testẽ inuoco Deũ, & his similia. Quid est autẽ iurare, nisi Deum inuocare, & ius Deo reddere? Quid est dicere, Testis mihi est Deus, nisi iurare per Deũ? Ipse enim Deus, per quẽ iurat, inuisibilis est: iurauit per inuisibilẽ, feritur pœna inuisibili. Nam & Apostolus, quãdò ait, Ante omnia, nolite iurare: cautos nos fecit aduersùs linguã nostrã, vt attendamus & vigilemus, ne surrepat nobis cõsuetudo iurandi. Iacob. 5.

Ante omnia, inquit, vt te aduersùs cõsuetudinem iurandi, intẽtissimũ redderet, vt omnia tu inspiceres, & omnes motus linguæ tuæ diligentissimè custodires. Sequitur, vt nõ in iudiciũ decidatis. Ideò, inquit, vos à iurationis culpa compesco, nè frequenter vera iurando, aliquãdò etiã in periurium decidatis: sed eò longiùs à periurandi vitio stetis, quò nec verum deiurare, nisi proxima necessitate, velitis. Sed & ille sub iudicium reatũs décidit, qui etsi nunquàm periurat, crebriùs tamen, quàm opùs est, deiurat: quia nimirùm ipsa superflua locutionis ociositate delinquit, offenditque iudicem, qui & inutile verbum, & omne iuramentum vetuit. Matt. 12.

Exod. 20.

28. Instrumentum.

Psal. 14.

Psal. 5.

Veritatem ex corde & ore proferre. Multi aliud tenent in corde, aliud proferunt ex ore. Et cùm illi sint vanitate decepti, alios fallaciter decipere gestiunt. Et quia non est in eorum ore veritas, cor eorum vanum est. Monachus autem, qui Christi vestigia puro corde sequi desiderat, qui dixit, Ego sum via, veritas, & vita: veritatem debet in corde tenere, & eam simpliciter debet ex ore proferre: quia ille dicitur in tabernaculo Domini habitare, & in monte sancto eius requiescere, qui loquitur veritatẽ in corde suo, & non agit dolum in lingua sua. Ioan. 14. Psal. 14.

Dolus in lingua quãdo fiat.

Tunc dolus fit in lingua, quandò celatur veritas, & ex ore sonat fallacia. Vanitas est enim, & magna miseria, aliud tenere in corde, & aliud fratri proferre sermone. Vanitati enim humana subiecta est creatura: & ideò non stat in veritate fixa, sed semper est ad fallẽdum proximum prona. Rom. 8.

Monachi semper veritatem loqui debẽt.

Monachi autem, quos Dominus de fallacia & vanitate seculi huius dignatus est segregare, veritatẽ debẽt ex corde & ore proferre. Semper enim in corde oportet eorũ veritas habitet, & in ore eorũ necessè est vt veritas sonet, in cogitatu veritas, in sermone veritas,

veritas, in actu veritas, & in omnibus per omnia illorum actionibus necesse est, vt resplendescens luceat, & semper in eis fixa permaneat. Est enim in Angelis veritas, in Patriarchis & Prophetis veritas, in Apostolis & Virginibus veritas, in Martyribus & Cõfessoribus veritas, & in omnibus habitantibus in cælo veritas, & in omnibus sanctis commorantibus in mundo veritas. In his auté & cum his omnibus semper est Domin⁹ noster Iesus Christus, qui est via, veritas, & vita, & omnium sanctorũ salus & gloria. *Malũ pro malo nõ reddere.* Secundùm præceptũ sanctæ regulæ obliuionẽ omninò debẽt monachi fugere, & quid illos per ministros suos spiritus sanctus admoneat, diligenter audire. Neque enim decet auditorem obliuiosum, sed factorem operis esse, monachũ. Audiamus ergò nõ solùm aure corporis, sed etiam mentis, & operibus exequamur, quid nos per Petrũ Apostolorum principem admonet, dicẽs: Estote, inquit, misericordes, humiles, non reddentes malum pro malo. Vides ergò quia in reddendo malum pro malo, & misericordiæ opus, & humilitatis amittis officium. Scriptum est enim: Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Vincitur à malo, qui malis prouocatus, reddit malũ. In bono aũt vincit malũ, qui acceptis malis, reddit bonum. Ille auté dicitur vicisse aliũ, qui eum ad suam perduxerit partem. Si ergò te fecerit sibi reddere vicem, ille te vicit faciendo sibi similem. Paulus quoq; Apostolus ait: Nolite prudentes esse apud vosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes. Si *malum inferre, peccare est: reddere malum pro malo, iustum non est, sed simile peccatum est, aut etiam grauius. Nam ille qui prior malum intulit, forsitan non meditãdo, sed subitò fecit. Qui autem reddit malum pro malo, voluntariè & meditando reddit. Et iterũ scriptum est: Nõ vos defendẽtes charissimi, sed date locum iræ. Ille locum dat iræ, qui se nõ vlciscendo defendit, qui conuicium cõuicio nõ reddit, qui manui manũ non ingerit, qui iniuriæ iniuriã non facit, alapam pro alapa nõ reddit, sed ad accipiendũ aliã maxillã præparat, & omnia aduersa, quæ acciderint, cum patientia tolerat. Vnde & sequitur: *Iniuriam non facere, sed & factam patienter sufferre.* Iniuria est contumelia, conuicium, vel quælibet iniustitia. Dicta auté iniuria, eò quòd contra iuris ordinẽ facit. Multis enim modis iniurias facere hominibus solent homines: aliquotiès conuicijs lacessentes, aliquotiès accusationibus suggillantes, aliquotiès manibus impingentes, & expoliantes, aliquotiès verberãtes & percutiẽtes. Quas monach⁹, vel omninò omnis Christianus Catholicus, nõ solùm alijs non facere, sed

Veritas in quibus sit. — Ioan. 14. — 29. Instru. — 1. Thess. 5. — Iacobi 1. — 1. Pet. 3. — In reddendo malum pro malo, q amittam⁹. — Rom. 12. — Ibidẽm. — val. malè — Ibidẽm. — Iræ locum dare qd sit. — 30. Instru. — 1. Cor. 6. — Iniuria qd, & vndè dicta. — Modi varij quibus homo homini facit iniuriam.

etiam ab alijs illatas patienter, cum dolore debet sufferre. Scriptum est enim: In dolore sustine, & in humilitate tua patientiã habe, quia in igne probatur aurum, &c. Vt ergò probetur in monacho patientiæ virtus, appareat in iniuriarum tolerantia fortissimus: quia, vt dictum est, sicut in fornace ignis probatur aurum, ità in tribulationis camino probatur monachus, Paulo teste, qui ait: Scientes quoniam tribulatio patientiã operatur, patientia auté probationẽ, probatio verò spem, &c. Petrus verò ait: Vt ꝓbatio fidei vestræ, multò preciosior sit auro, quod per ignẽ probatur. Dominus quoq; in Euangelio ait: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Salomon quoq; dicit: Doctrina viri per patientiã noscitur. Paulus quoq; ait: Consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patiẽtes estote ad omẽs. Iacob⁹ nanq; dicit: Patientia aũt opus perfectum habet, vt sitis perfecti & integri, in nullo deficientes. Et alibi: Tanq aurũ in fornace probauit electos suos, & quasi holocausta accepit illos. Quia nimirùm quos in camino tribulationis probauit, hos in gaudio retributionis quasi placabilem hostiam assumit. Sicut enim aurũ in fornace clausum examinatur, probatum autem, foràs cuius sit fulgoris apparebit: ità bonorum monachorum constantia in seculo contemptibilis videtur, sed vbi tempus retributionis aduenerit, quantæ fuerint gloriæ, apparebit. Ergò vt animas nostras possidere valeamus, virtutem patientiæ fortiter teneamus. Et vt perfecti & integri possimus in omnibus sanctis nostris actionib⁹ esse, patiẽtes simus ad omnes, in nullo deficientes. Magna est enim virtus patiẽtiæ, quæ lędentẽ se nõ lædit, sed diligit: quæ iniuriãti iniurias remittit, nõ reddit: cui nocere potest, nõ nocet, sed parcit. Patientia est, quæ nos Deo cõmendat, & à malis omnibus in mẽte tutos cõseruat. Ipsa est virtus, quæ irã tẽperat, linguã refrenat, mentem gubernat. Ipsa est, quæ pacem custodit, disciplinam moderatè agit, libidinis impetum fortiter frangit. Ipsa est, quæ furoris violentiã cõprimit, incendium simultatis extinguit, coercet potentiam tyrannorũ, refouet inopiam pauperum. Ipsa est, quæ facit humiles in ꝓsperis, & fortes in aduersis. Ipsa tentationes expugnat, persecutiones tolerat, & vt tenere possimus viam Christi, nos moderatè & iustè gubernat. Hãc ergò amare, hanc diligere, & cum gaudio & totis viribus amplecti debent, non solùm monachi, sed & omnes Catholici Christiani. *Inimicos diligere.* Quia filij Dei sumus, patrem nostrũ, inquãtùm possumus, imitari debemus. Ille enim inimicos dilexit, quãdò pro ipsis crucifigẽtibus se orauit, dicens:

Iniuriæ ab alijs illatæ patienter tolerandæ. — Rom. 5. — 1. Pet. 1. — Lucæ 21. — Prouer. 19. — 1. Thess. 5. — Iacobi 1. — Sap. 3. — Patientia q̃ præclara virtus sit. — 31. Instrum. — Matth. 5.

Lucæ 23. cens: Pater, ignosce illis, quia nesciũt quid
faciunt. Et nobis, diligere inimicos & ora-
Matt. 5. re pro illis, pręcepit, vbi ait, dicens: Diligi-
te inimicos vestros, benefacite his, qui ode-
Inimicos nostros cur diligere debeamus. runt vos: & orate pro persequẽtibus & ca-
lumniantibus vos: vt sitis filij patris vestri,
qui est in cælis. Diligamus ergò inimicos,
quia Deus noster cùm adhuc inimici esse-
2. Cor. 5. mus, prior nos dilexit, & per sanguinẽ filij
sui sibi reconciliauit. Cõmendat autẽ De⁹,
Rom. 5. ait Apostolus, suã charitatẽ in nobis, quo-
niam cùm adhuc peccatores essemus, i. ini-
mici, Christus pro nobis mortuus est, nos
Inimicos diligere, quanta sit virtus. recõcilians Deo. Grandis enim & spirita-
lis est virtus, diligere inimicos, quã nullus
hominũ habere potuit, potest, vel poterit,
nisi cui illã bonorũ omniũ dederit Deus.
Diligam⁹ ergò inimicos, sicut pręcepit De⁹,
*al. humanitatem & * humilitatẽ illis, inquantùm possumus,
Prouer. 25. præbeamus. Scriptum est enim: Si esurierit
inimicus tuus, ciba illũ: si sitit, potũ da illi,
& reliqua. Tunc enim verissimè inimici di-
lectio custoditur, cùm nec de ruina illius
gaudemus, nec de profectu tabescim⁹. Ma-
gna est enim inimicorum dilectio, & valdè
Inimicorũ dilectio, quot & quanta cõmoda adferat. ardua, sed implentibus se, æterna præparat
præmia. Inimicorũ ergò dilectio, nos Dei
filios & angelorũ efficit socios: nos de ini-
micis facit amicos, & de cõtrarijs charos, &
de odiosis dilectissimos fratres. Hæc nos
fraternitati sociat, & in æternũ insepara-
bili charitati cõglutinat, vt & hîc vnanimi-
ter in fraterna dilectione viuamus, & inæ-
ternùm pariter conregnemus. Inimicorũ
ergò dilectio quantũ in peragendo graui-
or, tãtùm erit in retributiõe felicior: quan-
tùm in adimplendo angustior, tantùm erit
in recipiendis muneribus largior: quantũ
hîc laboriosa, tãtùm in futuro erit sine du-
bio gloriosa. Ipsa enim nos inimicorũ di-
lectio separat à mundo, & coniungit feli-
citer Deo. Ipsa nos ab actionibus secularium
discriminat hominũ, & sanctorum pari-
ter coniungit & angelorũ consortio. *Ma-*
32. Instru. *ledicentes se non maledicere, sed magis benedicere.*
Rom. 12. Et nè hoc nobis impossibile videatur im-
2. Cor. 4. plere, Paulus exẽplo suo nos admonet, di-
cens: Maledicimur, & benedicimus: perse-
cutionem patimur, & sustinemus. Petrus
1. Pet. 3. quoq; princeps Apostolorũ hortando no-
bis præcepit, dicens: Nõ reddentes malum
pro malo, nec maledictum pro maledicto,
sed è contrario benedicentes: quia in hoc
vocati estis, vt benedictionem hæreditate
possideatis. Qui enim in hæreditate vult
æternam benedictionem possidere, inimi-
Maledicẽtem se maledicere, grande peccatum cur sit. cum benedicere debet, nõ maledicere. Grã-
de enim & non paruum est malum, male-
dicentem se maledicere. Leue enim illud à
leuibus videtur hominibus, sed inter gra-
uia crimina illud Apostolus computat. ait
1. Cor. 6. enim: Neq; ebriosi, neq; fornicarij, neque
maledici regnum Dei possidebunt. Gran-
de enim, vt diximus, maledictionis pecca-
tum est, quod possessionem regni adimit,
& in inferni tartarum hominẽ mergit: &,
vt vaporem fumi, in igne æterno perimit.
Scriptum est enim: Ante ignẽ vapor & fu- Eccli 22.
mus, & ante sanguinem maledicta & cõtu-
meliæ. Maledictio enim vbi sedulè sederit,
de filijs Dei facit filios iræ, & de hæredibus
facit extraneos, & de iustis facit iniustos.
Tollit cælorum regnum, & mergit in tar-
tarum: Sanctorum tollit gloriam, & infer-
ni mergit in foueam. Suam Christo tollit
impiã, & diabolo tribuit animã. Sic enim Eccli. 21.
scriptũ est: Dum maledicit impius diabo-
lum, maledicit animam suam. Hinc enim
ostendit scriptura, quia diabolus maledici
anima est. Dominus autẽ nobis, nõ ad ma- Ad quid os & linguam De⁹ homini concesserit.
ledicendum, sed potiùs ad benedicẽdum,
os concessit & linguã. Nos autẽ, sicut Apo-
stolus ait, ex ipsa benedicimus Deum & pa-
trem, & ex ipsa maledicimus homines, qui Iacobi 3.
ad similitudinem Dei facti sunt, & ex ipso
vno ore nostro procedit maledictio & be-
nedictio. Sed quid ait idem Apostolus, au-
diamus: Nõ oportet hæc, inquit, ità fieri
fratres. Nunquid fons de eodem foramine Ibidẽm.
emanat dulcem & amaram aquã? àc si dice-
ret: Sicut dulcis & amara aqua non possunt
de vna similiter fontis manare vena: sic be-
nedictio & maledictio de vna simul nõ po
test emanare cordis rima. Sed quicunq; sic
Deum benedicere orando vel prædicando
consueuit, vt maledicere homines nõ ces-
sauerit, sine dubio dulcedinem benedicti-
onis eius amaritudo maledictionis consu-
mit. Sed quantum malum est maledictio- Maledictionis & benedictionis discrimen.
nis vitium, tanto magis est bonum benedi-
ctionis officium. Per illud enim maledicti-
onis cõquiritur pœna: per istud benedicti-
onis gratia & gloria. Per illud, opprobriũ
in inferno: per istud, in cælo præmium ac-
cipitur sempiternũ. *Persecutionẽ pro iustitia su-* 33. Instrum.
stinere. Dñs in Euangelio ait: Beati qui per- Matth. 5.
secutionem patiuntur propter iustitiam,
quoniam ipsorũ est regnum cælorum. Nõ
dixit, qui propter iniquitatẽ suam patiun-
tur persecutionẽ, sed signanter addidit, ꝓ-
pter iustitiam. Multi enim persecutionem
propter sua peccata patiũtur, sed nec iusti
nec beati dicuntur. Sed illi soli tãtùm iusti
& beati habẽtur, qui persecutionẽ propter
iustitiã patiũtur. Hinc Petrus Apostolus
ait: Sed & si quid patimini propter iustiti- 1. Pet. 3.
am, beati eritis. Non solùm, inquit, nil no-
cet, qui vobis bonũ faciẽtib⁹ mala irrogat,
sed etiam vos cùm hostis insequitur pro-
pter bona, q̃ facitis, causam vobis maioris
beatitudinis subministrat, & patientiæ ve-
stræ vires corroborat. Itẽ Petrus ait: Meli- Ibidẽm.
us est enim, benefacientes (si velit voluntas
Dei) pati, quàm malè faciẽtes. Hæc sentẽtia
illo-

ſtolorum ſtultitiã eleganter arguit, qui cùm pro culpis arguuntur, vel etiã pro ſuis factis dignis pœnis coercẽtur à fratribus vel ſenioribus, patienter omninò nõ tolerãt. Nam ſi abſq; culpa, vel verborum contumelias, vel aduerſa quæq; patiuntur à proximis, mox ad iracundiam prorumpunt, & qui hactenùs videbantur innoxij, per impatientiam & murmurationem ſe noxios reddunt, neſcientes quia melius eſſet illis, vt pro iuſtitia, quàm pro iniquitate ſua paterentur iniurias.

Propter iuſtitiam patiens Chriſtum imitatur.

Qui ergò iuſtus patitur, Chriſtum imitatur: Qui verò pro ſuis factis flagellis corrigitur, latronẽ, qui in cruce Chriſtum cognouit, & poſt crucem paradiſum cũ Chriſto intrauit.

Lucæ 23.

Qui autẽ nec inter flagella deſiſtit à culpis, ſiniſtrũ imitatur latronem, qui propter peccata aſſcẽdit in crucem, & poſt crucẽ corruit in tartarum. Ergò multò melius eſt, quemlibet in præſenti ſeculo innocentẽ, & pro iuſtitia pati perſecutionem, & in futuro cum filijs Dei laboris ſui accipere retributionem, q̃ cum peccatoribus peccatorem flagellari, & poſt mortem cum reprobis reprobum in infernũ mergi.

24. Inſtru.

Non eſſe ſuperbũ. Per Ieremiam prophetam ad ſuperbum Dominus cõminatur, dicens:

Tob. 4.

Eccè ad te ſuperbe, dicit Dominus exercituum, quia veniet dies tuus, tempus viſitationis tuæ, & cadet ſuperbus & corruet, & non erit, qui ſuſcitet eũ: & ſuccendã ignem in vrbibus eius, & deuorabit omĩa in circuitu eius.

Iere. 50.

Et alibi ſcriptum eſt: Perdet Deus memoriã ſuperborum, & relinquet memoriã humiliũ.

Eccli. 10.

Nam & de ipſa ſuperbia ſic loquitur diuina ſcriptura: Odibilis inquit, coram Deo & hominibus ſuperbia: qui aũt tenuerit illã, adimplebitur maledictionibus.

Ibidèm.

Et, Initium omnis peccati, ſuperbia: Non ait, alicuius, ſed omnis peccati, vt euidenter oſtenderet, ipſam eſſe peccatorũ omniũ cauſam, quoniam nõ ſolùm peccatũ eſt ipſa, ſed etiam nullum peccatum fieri potuit, poteſt, aut poterit ſine ipſa.

Ibidèm.

Superbia peccatorũ omnium cauſa.

Superba volũtas facit Dei præcepta contemni, humilis cuſtodiri. Superbia ex angelis dæmones fecit, humilitas homines ſanctis angelis ſimiles reddit.

Eſa. 14.

Illa rebelles diabolo ſubdit, hæc humiles Chriſto coniungit. De ſuperbia nanq; naſcuntur hæreſes, ſchiſmata, detractiones, inuidiæ, verboſitas, iactantia, cõtentiones, animoſitas, ambitio, elatio, præſumptio, vanitas, inquietudo, mendaciũ, periurium, & cætera multa alia.

Quæ mala ex ſuperbia oriantur.

Iam nunc videamus quibus indicijs poſſit ſuperbia depræhendi.

Superbia quibus indicijs deprehendi poſſit.

Omitto illos, quos ipſe habitus & inceſſus ſuperbos oſtendunt, quorũ erecta ceruix, facies torua, truces oculi, & ſermo terribilis, nudam ſuperbiam clamant: Illos tantùm dolens oſtendo, atq; eorum exempla cauenda denuncio, quos iam conuerſos & aliquantulùm proficientes ſuperbia occultè captiuat, quos in profundum malorum fraudulenta damnatione præcipitat, & nè indè vnquàm exurgant, iugiter calcat. Hi ſunt, qui ſeniorum ſuorum non obſeruãt imperia, ſed iudicant. De ſuis negligentijs obiurgati, aut rebellant inſolenter, aut murmurant: de loco ſuperiori diſputant, præferre ſe etiam melioribus impudenter affectant: ſimplicitatẽ ſpiritalium patrum exaggerant, ſuas ſententias procaciter iactant: non ſeruant ſenioribus in obſequio reuerentiam, in ſermone modeſtiam, nec in moribus diſciplinam: habent in intentione pertinaciam, in corde duritiam, in ſermocinatione iactantiam: in humilitate fallaces, in odio pertinaces, ſubiectione impatientes, omnibus bonis odibiles, ad opus bonum pigri, ad obſequium duri, ad loquendũ, quod neſciunt, prompti, temerarij in audiendo, clamoſi in loquendo, effrenati in cachinno. Hæc ſunt ſuperbiæ graſſantis indicia, quibus Deus offenditur, vt recedat, diabolus inuitatur, vt veniat, his malis omnibus diabolus paſtus exultat. Superbas mẽtes intrat, vt teneat: erigit, vt allidat: fouet, vt pdat: tenet, vt poſſideat, & omnia mala per illos exerceat.

Superbia duplex.

Superbiæ autem gemina eſt differentia: vna, quæ ſpiritales pro virtutibus ſuperbientes deijcit: altera, quę carnales erga ſeniorũ imperia inobedientes reddit. Alios nanq; ex rebus ſecularibus poſſidet: alios ex virtutibus extollit ſpiritalibus. Dicta autẽ ſuperbia, quia ſuper vult, quod eſt.

35. Inſtrum.

Non vinolentũ. Vinolẽtus dicitur, qui & ſatis bibit, & difficilè inebriatur.

1. Tim. 3.

Hinc Iſaias ait, Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.

Eſa. 5.

Hinc ſapiens quidam dicit, Multos exterminauit vinum.

Eccli. 31.

Quod multum potatum, iritationem, & iram, & ruinas multas facit.

Ibidèm.

Amaritudo animę, vinũ multum potatum. Vinũ in iocunditatem creatum eſt, non in ebrietatem.

Vinum cur creatũ ſit.

Sanitas eſt corporis & animæ ſobrius potus. Ebrietatis verò animoſitas, * imprudentes efficit.

* al. imprudentis offenſio.

Ebrietas autẽ perturbationem gignit mẽtis, furorẽ cordis, & flãmas ſuſcitat libidinis, & ità mentẽ alienat, vt vbi ſit, neſciat. Vndè & malũ non ſentitur, quod per ebrietatẽ cõmittitur.

Ebrietatis incõmoda.

Hinc B. Baſilius ait: Multi per vinũ à dæmonibus capti ſunt: Nec eſt aliud ebrietas quàm manifeſtiſſimꝰ dæmon.

Homil. 14.

Hinc Propheta ait: Fornicatio & ebrietas aufert cor.

Oſeæ 4.

Quibus Ioel Propheta quaſi in alienationẽ mentis dormientibus clamat dicens: Expergiſcimini ebrij, & flete omẽs, qui bibitis vinũ in dulcedine, quoniam perijt ab ore veſtro.

Ioel 1.

16. Inſtru.

Nõ multũ edacem. Quãto ampliùs edacitas carnalis cibi nimia implet ventrẽ, tanto à virtutibus ſpiritalibus vacuam facit mentem. Quanto

Eccli. 31. & 37.

Edacitas quanta mala adferat. tò magis corpus edax impinguescit, tanto
anima à virtutibus ieiunàs láguescit. Eda-
citas autem carnem facit obesam, & men-
tem vacuam. Fortia corporis membra &
languidam facit animam. Edacitas parit pi-
Prou. 19. gredinem, pigredo immittit soporem, so-
por negligentiam, negligentia verò gene-
Iere. 48. rat maledictionem, sicut scriptum est: Ma-
ledictus omnis, qui facit opus Dei negli-
genter. Edacitas verò nimia generat cra-
pulam, crapula autem parit somnolenti-
am, somnolentus non amat vigilias, nec
tempore congruo Deo cantat psalmodi-
am, mentem ad cælum non erigit, nec ad
* al. ascendit. compunctionis gratiam *accendit, nec ad
contemplationis sublimia eleuat animam.
Tardus est ad orationem, fastidiosus in le-
ctione, durus ad Dei verbum intelligen-
dum, piger ad senioribus obediendum, &
in omnibus bonis tepidus ad operandum.
Sed quia non vult regula monachum mul-
tùm edacem, nec vinolentum, vult vtiquè
in omnibus temperatum. Generalis enim,
vt beatus ait Ephræm, hic cótinentiæ mo-
dus est, vt secundùm capacitatem viriú vel
corporis, vel ætatis, tátum sibimet cibi vel
potûs vnusquisque concedat, sed quantú
Quantum cibi vel potûs corpori suppeditãdum sit. sustentatio carnis, non quantum deside-
rium saturitatis exposcit. In vtraque enim
parte sustinebit magnum detrimentum,
quisquis inæqualitatem tenens, nunc ven-
trem ieiuniorum ariditate cóstringit, núc
escarú nimietate resoluit. Mens enim vo-
racitatis nimietate pressa, emittere ad De-
um preces non poterit puras. Sancti quàm
diù in hac vita habitant, pro desiderio re-
gni cælorum corpus aridum portant. Vn-
Psal. 62. dè & Psalmista ait: Sitiuit in te anima mea,
quàm multipliciter & caro mea. Tunc ení
Caro quãdò Deum sitiat. caro Deum sitit, quandò per abstinentiam
arescit. Nam spernitur, vt suprà dictú est,
ieiunium, quod in vesperum repletione
ciborum reficitur. Neque enim reputanda
est abstinentia, vbi fuerit saturitas ventris
subsecuta. Nó est igitur corpori adhiben-
da immoderata abstinétia, nè, dum ampli-
ùs grauatur inedia, quod bonú agere cœ-
pit, non perficiat. Sed discretè carnis est
moderanda maceries, nè aut integrè extin-
* al. deliciæ vires aíæ frangunt. &c. faciút. guatur, aut immoderate laxetur. Corporis
enim * debilitas, vires animæ frangit, &
ingenium mentis marcescere facit. Nam
quidquid cum temperamento fit, salutem
37. Instrum corporis & animæ nutrit. *Non somnolentum.*
Prou. 20. Post castigationem autem edacitatis, & vi-
nolentiæ, congrue sequitur castigatio so-
mnolentiæ. Sicut enim non vult regula
multùm edacem, & vinolentum, sic non
vult monachum somnolétum. Sicut enim
miles multo onere prægrauatus, præpedi-
tur ad bellum: ità impeditur monachus ad
vigilias, multarum satietate escarú graua-
tus. Non enim vigilare possumus, cùm da-
pibus fuerit venter noster onustus, sed op- Somnolentia, quæ detriméta adferat.
pressi somnò, vigiliarum fructus amitti-
mus, & maximum detrimentum animæ no-
stræ acquirimus, & egestatem virtutú spi-
ritalium, & paupertaté pariter sustinemus.
Sicut scriptum est: Vsquequò piger dor- Prou. 6.
mis? Quandò cósurges à somno tuo? pau-
lulùm dormies, paululú dormitabis, pau-
lulùm conseres manus vt dormias, & veni-
et tibi quasi viator egestas, & pauperies
quasi vir armatus. Item, Noli diligere so- Prou. 20.
mnum, nè te egestas opprimat. Aperi ocu-
los tuos, & saturare panibus. Cauere debe-
mus, nè ipsa anima nostra dormiat. Somnꝰ Animæ somnus.
animæ est, obliuisci Deú suum. Quæcunq;
anima oblita fuerit Deum suum, dormit.
Ideò dicit Apostolus: Surge qui dormis, & Ephe. 5.
illuminabit te Christus. Monachus autem
somnolentus in operibus suis mollis est, te-
pidus, & dissolutus. De quo scriptum est: Prouerb. 18.
Qui mollis & dissolutus est in opere suo,
frater est sua opera dissipantis. E contra-
rio de forti operario scriptú est: Qui ope- Prouer. 12. & 28.
ratur terram suam, saturabitur panibus. id
est, qui in vita sua subijcit corpus suum, &
in seruituté redigit, vt illi placeat operan- In quibus operibus oporteat monachum esse fortem & doctum.
do, cui se subdidit obediendo, post solu-
tionem corporis saturabitur, præmiú sem-
piternum accipiendo. In bonis enim ope-
ribus monachus fortis esse debet & doctus,
robustus & validus, non mollis & dissolu-
tus. Hinc Isidorus ait: Qui non rigida in- li. 3. de summo bono, cap. 19.
tentione monachi professionem sectãtur,
quanto superni amoris propositum disso-
lutè appetunt, tanto procliuiùs ad mundi
amorem denuò reducuntur. Nam profes-
sio non perfecta præsentis vitæ repetit de-
sideria, in quibꝰ & si nódùm monachus al-
liget se opere, iam taméalligat cogitationis 38. Instrum.
amore. *Non pigrum*, i. nó tardum, vel létum, Prouer. 24. & 26.
non tepidum vel desidiosum. Dictus auté
piger, quasi pedibus æger. Est enim tardus
ad incedédum, quod nomé per vsum tráš- Anima pigra q̃ dicat.
it ad animam, vt pigra dicatur, cùm fue-
rit desidiosa. In Prouerbijs enim scriptum Prouer. 21.
est, * Desidia occidit pigrum: noluerunt * al. desideria occidũt
enim quicquam manus eius operari. Ité ibi
scriptum est, Vult & non vult piger: ani- Prouer. 13.
ma auté operantiú impinguabitur. Rectè
pigri vocabulo denotatur, qui vult regna-
re cum Christo, & non vult operari cum il-
lo. Delectant præmia æterna, & refugit la-
boriosa * onera: vult habere ocium tempo- * al. opera
rale, & æternam vult recipere mercedem:
anima autem operantium pro Domino
æterno, impinguabitur sempiternis mune-
ribus in regno. Qui enim hic pijs laboribus
pro Domino insudant, cælesti accepta re-
ceptione gaudebút, & illam desiderabilem
vocem Domini audient, dicentis: Venite Matth. 11.
ad me omnes, qui laboratis & onerati estis,

&

Eccli. 22. & ego reficiam vos. Item scriptū est: In lapide luteo lapidatus est piger, & omnes loquētur super aspernatione illius. Item ibi:
Prou. 19. Pigredo immittit soporem. Piger enim dicitur omnis desidiosus, qui rectè sentiendo quasi vigilat, quanuis nihil operando torpescat. Sed pigredo soporem immittit, dum rectè sentiens, vigiliam nō benè operando amittit.
Prouer. 20. Item scriptum est: Propter frigus piger arare noluit. Propter frigus quippe piger non arat, dum desidię torpore pressus, agere bona dissimulat. Et cùm parua aduersa metuit, operari maxima prætermittit.
Ibidēm. De quo benè subditur: Mendicabit æstate, & non dabitur ei. Quia monachus, qui nunc in bonis operibus non laborat, in futuro seculo nihil accipiēs, quasi æstate mendicat. Hinc iterùm scriptum est:
Prouer. 24. Per agrum hominis pigri transiui, & ecce totum repleuerūt vrticæ &c. Quid est, per
Transire per agrum pigri homi. nis, quid sit. agrum pigri hominis transire, nisi cuiuslibet vitam negligentis monachi inspicere, & eius opera considerare? quam vrticæ vel spinæ replent, quia in corde negligentium monachorum, terrena desideria & punctiones pullulant vitiorum.
39. Instru. Sap. 1. *Non murmurosum.*
Monachus contra quæ murmuret. Aut enim murmurat monachus cōtra Domini flagella, aut contra sibi à senioribus impositam disciplinam, aut contra iniunctam sibi à maioribus obedientiam, aut solummodò propter proprij ventris ingluuiem. Quòd si auditor obliuiosus non esset, & si de his omnibus cōsolationem scripturarum audisset, nō murmurásset.
Heb. 12. Prouer. 3. Prouer. 12. Dicit enim scriptura: Flagellat Deus omnem filium quem recipit. Item dicit: Fili mi, disciplinam Domini nè abijcias: quia, qui diligit disciplinam, diligit scientiā. Item dicit:
1. Reg. 15. Melior est obedientia quàm victima. Debet ergò monachus has omnes scripturarū authoritates attendere, & ità sine murmuratione viuere, vt non in murmurationis incurrat malum, & laboris sui perdat præmium. Hinc nos cum magno terrore Apostolus prohibet murmurare dicens:
1. Cor. 10. Neque murmuraueritis, sicut quidam eorū murmurauerunt, & à serpentibus periêrunt. àc si diceret: Et vos custodite à murmurationis malo, quia sicut illi in eremo cōtra Dominum murmurauerunt,
Num. 21. & mórsibus serpentium dilaniati interiérunt: ità & vos à morsibus dilacerati dæmoniorum peribitis, nisì vos à murmurationis malo custodieritis.
Sap. 1. Hinc iterùm scriptum est: Custodite ergò vos à murmuratione, quæ nihil prodest.
Murmuratio quarè nil prosit monachis. Nihil enim prodest monachis multa murmuratio, quia de inobedienti & cōtentioso procedit animo. Se enim murmurantem condemnat, & illum, aduersùs quē murmurat, non emendat. Murmurando enim magistrū incusat, & sibi pœnas multiplicat. Et si etiam peregerit murmurādo opus iniunctum, nōn sibi laboris præmium, sed animæ acquirit detrimentum. Sic enim in hac eadem beati Benedicti scriptū est regula: Cap. 5.
Nam cum malo animo, inquit, si obediat discipulus, & nō solùm ore, sed etiam in corde si murmurauerit, etiam si impleat iussionem, tamen iam acceptū nō erit Deo, qui cor eius respicit murmurantis, & pro tali facto nullam cōsequitur gratiam, immò pœnam murmurātium incurrit, si non cum satisfactione emendauerit.
Non detractorem, id est, non diffamatorem, 40. Instru.
repræhēsorem, vel vituperatorem. Prou. 4.
Detrahere enim dicitur, qui bonū mutat in malum. Detrahere quis dicat.
Nam qui dicit malum esse, quod malum est, non author detractionis, sed amicus dicendus est veritatis. In eo enim quòd virtutes eligit, & vitia damnat, diuinæ per omnia voluntati obtemperat. Ipse enim Dominus ait per Psalmistam Dauid: Psal. 110.
Detrahentem proximo suo, hunc persequebar. In tantùm ergò non oportet consentire detrahenti, vt etiam, quantùm in nobis est, consentiamus Domino, & vnà cum illo proximi persequamur detractoré, prouidentes in vtroq; vtilitatem, nostram videlicet, & illius qui detrahit, vt nec nos libenter audiamus, nec illum peccare laxemus.
Maius enim peccatū est, si fieri potest, Detrahere maius peccatum est, q̄ fornicari.
detrahere, quàm fornicari. Qui enim fornicatur, se tantùm occidit: qui verò detrahit, & se, & consentiétem sibi in mortis fo- 1. Cor. 6.
ueam mergit. Hinc in Prouerbijs scriptum Prouerb. 4.
est: Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procùl à te. Quod duobus modis intelligi potest, id est, & os nostrum nè loquatur aliquod prauum, & labia nostra, nè detrahant proximo, omni seruemus custodia. Et alios quoscunq; huic vitio viderimus deditos, non consentiendo proximos, sed procùl à nobis expellendo, faciamus alienos, nè vtriq; in detractionis vi- Prouer. 24.
tio pereamus. Quia scriptum est: Fili, time Dominū, & cum detractorib9 nè commiscearis: quoniam repentè cōsurget perditio eorum, & ruina vtriusq;, id est, & eius qui detrahit, & eius, qui detrahenti cōsentit.
Scriptum est enim: Si mordeat ser- Ecclēs. 10.
pens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.
Hinc Iacobus ait: Nolite Iacobi 4.
detrahere alterutrùm fratres mei: quia qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrē suū, detrahit legi, & iudicat legē.
Spem suam Deo committere. 41. Instrum. Psal. 36.
Spes enim dicitur bonorum expectatio futurorum, quæ exprimit humilitatis affectum, & sedulæ seruitutis obsequium. Spes quid, & vndè dicta.
Spes autē vocata, quòd sit progredienti pes, quasi est *spes. Vndè è cōtrario *al. pes
dicitur desperatio: deest enim illi progrediendi facultas. quia dum quisque peccatū amat, futuram gloriam non expectat. Bea- Psal. 83.
tus est ille, qui spem suam Deo committit,

Psal. 83. & in æterna felicitate & gloria ponit. Beatus cuius spes, vt in æternũ viuat, in Domino posita iugiter perseuérat. Hinc Psalmista ait:
Psal. 72. Mihi autem adhærere Deo, bonum est, ponere in Domino spem meam.
Deo adhærere quis dicatur. Ille enim benè adhæret Deo, qui spem suã ponit in illo: quia nihil potest esse beatius, quàm illi omnia committere, qui nouit suis cultoribus profutura præstare. Hinc
Rom. 12. Apostolus ait: Spe gaudentes. Sed ille omninò de spe cælesti debet gaudere, qui auxiliante Deo iam prauum cessat agere. Nam qui malè agere non desistunt, vana spe decepti, indulgentiam à Deo & vitam requirunt æternam: quam rectè quærerẽt,
Iustus spem & formidinem habere debet. si ab actione praua cessarent. Omnis quippe iustus spem & formidinem debet habere: & nunc illum ad gaudium æternũ spes erigere, nunc debet ad formidinem gehennæ terror addicere. Timeat ergò monach⁹ Dominum, & sperans in eo, eius iugiter
Psal. 113. imploret auxilium. Quia scriptum est: Qui timent Dominum, sperauerunt in Domino: adiutor eorum & protector eorũ est. Cingi se, quasi cingulo iustitiæ de misericordia postulet, & de venia non desperet,
Psal. 31. quia scriptum est: Sperãtes autem in Domino misericordia circundabit. Fide recta & sanctis operibus adhæreat Deo, & dicat:
Psal. 70. Spes mea, Domine, à iuuẽtute mea. Et, Me-
Psal. 118. mor esto verbi tui, in quo mihi spem de-
Psal. 117. disti: quia melius est sperare in Domino, quàm sperare in homine.
42. Instru. *Bonũ aliquid, cùm in se viderit, Deo applicet, nõ sibi.*
Iacob. 5. Quidquid enim boni monachus in se viderit, Deo applicet, dicit, id est, Deo tribuat, Deo exindè gratias agat, & non suum illud esse dicat, sed Dei esse cognoscat. Omnia enim bona quæ ab hominibus habẽtur, à solo Deo
* al. spiritus ministrantur. Deus enim * spes est. Et alij
1. Cor. 12. datur sermo sapientiæ per spiritum, alij sermo scientiæ, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum, & cætera his
Deo gratiæ sunt pro bonis omnib⁹ agendæ. similia, ab vno sanctis conceduntur Domino, cui iugiter gratias agere debet omnis homo. Si enim omnia bona à Domino accepimus, nõ nobis, sed illi de omnibus gratias agere debemus. Quid enim habes, ô ho-
1. Cor. 4. mo, ait Apostolus, quod non acceperis? Melius ergò, vt glorietur in Domino, non
Eccli. 9. in se glorietur, sicut scriptum est: Fili mî, in timore Domini sit gloriatio tua. Cùm
Phil. 4. autem dixisset Apostolus, Scio & humiliari, & abundare, & satiari, & esurire, &
Ibidem. penuriam pati: addidit, Omnia possum in eo qui me confortat. Sibi enim nihil tribuit, quia omnia se posse non in suis viribus, sed in illo, qui eum confortabat, esse cognouit. Et in alio loco cùm dice-
1. Cor. 15. ret, Plus omnibus laboraui: vt non illud sibi, sed Deo applicaret, addidit: Non autẽ ego, sed gratia Dei mecum. Deo enim debemus, quòd sumus, quòd viuimus, quòd Acto 17.
intelligimus, quòd homines sumus: quòd benè & iuste viuimus, quòd rectè & Catholicè intelligimus, Deo per omnia debemus. Nostrum enim nihil est, nisi peccatum & malum, quod operati sumus. Vndè & sequitur: *Malum vero semper à se factum sciat, & sibi reputet.* 43 Instrum.
Quicquid ergò in se malum Osee 3.
inuenerit monachus factum, à se veraciter illud credat inuentum, aut à diabolo instigatum, non à Deo creatũ: quia Deus malum non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Diabolus cùm esset angelus bo- Esa. 14.
nus, superbiendo factus est malus, & hominem, qui naturaliter erat factus bonus, decipiendo fecit illum malum atq; super- Gen. 3.
bum, & sic omne peccati malum, per culpam primi hominis introiuit in genus hu- Rom. 5.
manum. Quod etiam per longum vsum quasi naturaliter tenet & operatur, & vt lex naturalis, sic peccatum regnat in membris humanis, & repugnat legi mentis, & omnibus virtutibus sanctis. Vnde & Apostolus ait: Rom. 7.
Video autem aliam legẽ in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducẽtem in lege peccati, quæ est in membris meis. Cognoscat ergò monachus à se factum malũ, & omne peccatum, & sibi reputans, dicat Deo: Tibi soli Psal. 50.
peccaui, & malum coram te feci. Agnoscat & pœniteat, & lachrymans cum Propheta dicat: Plane hæc iniquitas mea est, & por- Iere. 10.
tabo illam. Iterùm tamen ingemiscẽs cum Dauid dicat: Ampliùs laua me ab iniqui- Psal. 50.
tate mea, & à peccato meo mũda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & delictum meum coram me est semper. De omni ergò opere prauo nos accusare, nobisque debemus imputare, & ex toto corde pœnitentiam agere. Bonum autem aliquid in nobis, sicut suprà dictum est, non virib⁹ nostris, neq; meritis, sed illi tribuamus qui habitat in cælis, & de thesauro suo virtutes ministrat omnibus sanctis. In Christo Coloss. 2.
enim omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei sunt reconditi, & illo donante, secundùm eius dispositionem omnes sancti accipiunt portiones. Et ideò non solùm de substantia pecuniæ, quam pauperibus erogamus, sed etiam de cunctis bonis operibus, quæ agimus, & de ministrationibus gratiæ, quam percepimus, DEVM honorare, & eius in omnibus, & non nostram laudem quærere debemus. *Diem iudicij timere.* 44. Instru.
Timendus est valde dies iudicij pecca- Iob 31.
toribus, quia quamuis mitis sit iustis, terribilis valde est peccatoribus & iniquis, qui audituri sunt illo die, Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Iudicij dies peccatoribus valdè timendus. Matt. 25.
De hac enim terribili die in Propheta Sophonia Sopho. 3.
scriptum est: Iuxta est dies Domini, iuxta est

est & velox nimis. Vox diei Dñi amara: tri-
bulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies
tribulatiõis & angustiæ, dies calamitatis &
miseriæ, dies tenebrarũ & caliginis, dies ne-
bulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. Ibi
tribulabũtur homines & ambulabũt vt cę-
ci, qui Dño peccauerũt, & effundetur san-
guis eorũ sicut humus, & corpora eorũ sic-
ut stercora. Timenda est valde dies illa à
peccatoribus, quia in tempore & in die il-
Ibid. & c. 3. lo in igne zeli Domini deuorabitur omnis
terra, & consummationem cum festinati-
one faciet Dominus cunctis habitatoribus
Heb. 10. terrę in die illa. Hinc & Apostolus ait: Ter-
ribilis nanq; expectatio iudicij, & ignis
æmulatio, quæ consumptura est aduer-
uersarios in iudicio. Cogitare modò, fra-
Cogitandũ modò, quid in iudicio simus responsuri. tres, debemus, quid facere possim⁹, cùm ad
illud vltimum iudicandi iudicium veneri-
mus. Quid faciemus, cùm cœperit iudex se-
creta cordis nostri rimari, & non solùm
actus nostros, & verba, sed etiam cogita-
tiones ostendere? Quid faciemus sub tan-
ti iudicis maiestate positi? Sub cuius fu-
giemus auxilium? vel cuius quæremus ad-
iutorium? aut quid excusationis poteri-
* al. arcê mus obtendere? Qua nos defensionis * ar-
te pugnabimus? Quæ nos subuentura est
pœnitentia, quam agere in hac vita con-
tempsimus? Quæ defensura sunt nos ope-
ra bona, quæ in hac carne non fecimus?
Ad quos sanctos fugiemus, quorum ex-
empla simul & verba despeximus? Quid
ergò responsuri sumus, cùm nobis cœpe-
rit Dominus in iudicio dicere, Si potui-
stis, quarè non bonum egistis, & pecca-
torum desiderijs non restitistis? Si verò
non potuistis, quarè meum contra pec-
cata auxilium non quæsistis? Vndè neces-
Psal. 132. & 36. sè est modò, vt dum viuimus, & valemus,
declinemus à malo, & faciamus bonum,
& in omnibus iugiter eius quæramus ad-
iutorium, vt in bono quod cœpimus
opere, illo adiuuante, perseueremus vsque
in finem, & in die iudicij cum agnis à de-
xtris positi, Venite, audiamus, benedicti
Matt. 25. patris mei, percipite regnum quod vobis
45. Instru. paratum est ab origine mundi, *Gehennam*
Lucæ 12. *expauescere.* Gehenna est locus ignis & sul-
Gehenna quid, & vndè dicta. phuris: quem appellari putant à valle
idolo consecrata, quæ est iuxta murum
Hierusalem. Ibi enim Hebræi filios suos
immolauerunt dæmonibus. Fuit enim val-
lis filiorum Ennon, & ob hoc appellaba-
tur gehennon, in qua multa iacuère ca-
dauera mortuorum. Futuri ergò suppli-
cij locus, vbi peccatores cruciandi sunt,
Damnatorum duplex pœna. huius loci vocabulo designatur. Duplex
enim damnatorum pœna est in gehenna,
quorum & mentes vrit tristitia, & cor-
pus flamma. Hunc enim tam terribilem
locum, non solùm monachus, sed omnis
debet expauescere Christianus. Illuc enim
omnes cruciandi proijciuntur damnati:
de quibus Dominus ait, Ligatis manibus Matth. 22.
& pedibus, proijcite illos in tenebras ex-
teriores, vbi erit fletus & stridor dentium:
vbi vermis eorum non morietur, & ignis Isa. 66.
eorum non extinguetur. Expauescendus
est valdè tam terribilis locus iste, vbi est Inferni quantę sint pœnæ.
grandis & multorum fletus, continuus
gemitus, æternus cruciatus, dolor acerri-
mus, pœnalis sensus. Ibi animæ impio-
rum torquentur, nec deficiunt: corpora
puniuntur, nec consumuntur: ignis in-
extinguibilis durat, vt semper animas re-
proborum exurat, & ad dolendum ma-
gis, quàm ad * iuuandum contineat, & * al. viuendum
viuentes semper in suis flammis minacibus
occidat. Omnes enim qui in gehenna di-
cuntur occidi, non hoc cum illis agitur,
vt consumpti doloribus aliquandò defi-
ciant, sed vt in illis pœnaliter viuant. Hęc
& his similia iugiter ante oculos mentis
nostræ debemus adducere, & gehennam
ignis æterni terribiliter expauescere, & in-
supèr diligentissimè, & apertis oculis
mentis intentissimè cogitare debemus,
quale malum sit, ab illo gaudio diuinæ
contemplationis excludi, & in inferni
tartarum & gehennæ locum demergi: bea-
tissima omnium societate priuari sancto-
rum, & dæmonibus sociari: fieri cælestis
patriæ * exortes, & esse inferni habitatores: * al. extorres
mori vitæ beatæ, & morti viuere sempi-
ternæ. Ibi enim non sentitur, quod illumi-
nat, sentitur tamẽ quod cruciat, & omnia
quæ ibi sunt sita, non luce vel gaudio re-
ferta, sed doloribus & cruciatibus sunt
plena. *Vitam æternam omni concupiscentia spiri-* 46. Instru.
tuali desiderare. Omni spiritali cõcupiscen- Psal. 83.
tia desideranda est à sanctis monachis vita Phil. 1.
æterna, ad quam cùm venerint, multa &
inenarrabilia accipient bona. Ibi gaudium Cælestis patrię quanta sint gaudia
possidebunt æternum, & immortalitatis
accipient præmium. Ibi enim sunt omnia
diligentibus Deum recõdita bona, de qui-
bus Paulus dicebat: Quod oculus non vi- 1. Cor. 2.
dit, nec auris audiuit, nec in cor hominis
ascendit, quæ præparauit Deus diligenti-
bus se. Desiderare enim debent vitam æter- Aeterna vita cur vehemẽter à monachis desideràda sit.
nam monachi, quia ibi à duris laborib⁹ ces-
sabunt, & æternam hæreditatem, & per-
petuam requiem possidebunt. Ibi cæleste
regnum, & gloriosum habebunt imperi-
um. Ibi societatem Patriarcharum, & * se- * al. sedulã
dulè obtinebunt consortia prophetarum.
Ibi societatem omniũ sanctorum, & æqua-
litatem accipient Angelorum. Ibi mundo Matt. 5.
corde Deum videbunt, & de seruis facti fi-
lij, cum Christo regnabunt. Amanda er-
gò & desideranda est à sanctis monachis

vita æterna, quia ibì inuenient illam dul-
cedinem repositam, de qua Propheta Da-
uid dicebat: Quàm magna multitudo dul-
Psal. 30. cedinis tuæ Domine, quam abscondisti ti-
mentibus te, & perfecisti eam sperantibus
in te. Ibi paradisi possessionem, ampla &
florentia recipient regna. Ibi iocunditatis
stola, & regali vestientur purpura. Ibì fu-
giet dolor & gemitus, & occurrent sanitas
& gaudium sempiternum. Fugient mœror
& tristitia, & venient pax & æterna læti-
Matth. 11. tia. Ibi audient à Domino: Venite ad me
omnes qui laboratis & onerati estis, & ego
Matt. 25. reficiam vos. Et, Venite benedicti patris
mei: percipite regnum quod vobis para-
Lucæ 12. tum est ab origine mundi. Et faciet eos in
æterna discumbere gloria, & transiens mi-
nistrabit illis ipse Dominus omnia bona,
47. Instru. Amen. *Mortem quotidie ante oculos suspectam ha-*
Matt. 24. *bere.* Solicitè, vt ait beatus Isidorus, debet
Lib. 3. de vnusquisq; viuere, & semper terminū vitę
sum. bono, suæ custodire: vt de contemplatione illi-
cap. 66. us, anim⁹ se semper ad alta sustollat, & hui-
us seculi blāditias cum timore caueat: quia
Eccli. 7. scriptum est: In omibus operibus tuis me-
Mors ante morare nouissima tua, & in ęternū nō pec-
oculos vt cabis. Venturi ergò exitûs ignorātia est in-
semper ha- certa, & dum mori quisque non existimat,
benda sit. tollitur. Vndè vnusquisq; mortem quoti-
diè suspectam ante oculos debet habere, &
nè in iniquitatib⁹ subitò rapiatur, simulq;
cum culpa eius vita finiatur, solicitè debet
timere. Nam incerto diabolus eos, quos vi-
uentes impellit ad vitia, subitò morientes
pertrahit ad tormēta. Quanuis enim quis-
que in hac vita sit iustus, tamen dum è cor-
pore isto egreditur, pertimescit, nè dignus
Iob 25. sit supplicio. Nullus est enim homo absq;
peccato, nec quisquam potest de Dei secu-
rus esse iudicio, cùm etiam de ociosis ser-
Matt. 12. monibus reddenda sit ratio. Breuis est ho-
minis vita: & ideò ante oculos mortem de-
Iob 14. bemus semper habere suspectā. Vita enim
præsens, quia quotidiè deficit, breui fini-
tur termino: & ideò timendum est mortis
eius periculum. Nō enim vita præsens diù
permanet, sed sicut tela filis perficitur, itá
& vita hominis dieb⁹ singulis quotidiè ex-
pletur. Propterea debemus solicitè mortē,
nè ab illa subitò rapiamur, vigilāter time-
Matth. 24. re. Scriptū est enim: Beat⁹ seruus ille, quē,
cùm venerit dominus eius, inuenerit vi-
gilantem, id est, mortem timentem, & de
salute animæ suæ solicitè cogitantē. Beat⁹
Prouer. 28. est ergò ille monach⁹, qui semper est paui-
dus, & exitū mortis suæ timendo, semper
est vigilans & paratus, vt cùm media nocte
Matt. 25. clamor factus fuerit, Ecce venit spōsus, ex-
ite obuiàm: sine mora cū ornatis lāpadibus
obuiàm illi egrediatur, & cū illo ad æternū
lætus habitator ingrediatur thalamum, vbi
spōsi circūdatus amplexibus viuat felix fe-
liciter in æternùm, amen. *Actus vitæ suæ omni* 48. Instru.
hora custodire. Ille monachus actus vitæ suæ Deut. 4.
benè omni hora custodit, qui se à pecca-
to cogitatiōis, locutionis, & actiōis, quan- Monachus
tùm valet, conseruat immunem. Quotidiè quotidiè
enim actus suos vigilāter & curiosè debet debet actus
discutere monachus: &, si peccato se ob- suos solici-
noxium in aliquo horū senserit, ante solis tè exami-
occasum, &, si fieri potest, anteq comedat, nare.
dormiat, aut aliqd operis agat, necesse est,
vt velociter ad pœnitentiā recurrat, & de-
incèps ab omni se prauitatis opere custodi-
at. Nō enim solūmodò factis delinquimus,
sed & cogitationib⁹ & locutionib⁹ frequē-
ter peccamus. Vicissim enim & à cogitati-
onibus malis opera mala ꝓcedūt, & ab ope-
ribus prauis cogitationes malæ erumpunt.
Quanuis enim ab opere malo quis vacet, ꝓ
solius tamē prauæ cogitationis malitia, nō
erit innocēs à nequitia. Hinc enim clamat
Dñs populo, dicens per Isaiā: Auferte ma- Esa. 1.
lum cogitationum vestrarū ab oculis meis.
Sicut enim vipera à filijs in vtero positis
lacerata perimitur: itá nos cogitatiōes no-
xiæ, intra nos enutritæ si fuerint, occidūt,
& vipereo veneno cōsumunt. Et nisi fue-
rint adhuc paruulæ ad petrā, i. ad Christū
elisæ, animā nostram crudeli vulnere peri-
munt, & occidūt, si tamen eis illicitè cōsen-
timus, & eas infeliciter implere conamur.
Magna ergò obseruātia circa cordis nostri
secretū est adhibenda custodia, quia ab illo
& prauæ exeūt cogitationes, & à prauis co- Matt. 15.
gitationibus prauæ ꝓcedunt operationes.
Et ideò actus vitæ nostræ omni hora soli-
citè debemus custodire, nè aut cogitatiōe,
aut locutiōe, aut operatione lapsi, & insi-
pientes sine custodia ad peccatū trahamur,
& à dæmonib⁹ irrisi, vt inermes laceremur.
In omni loco Deū se respicere pro certo scire. Immē- 49. Instru.
sitas diuinę magnitudinis tāta est, vt omia Prouerb. 5.
videat, omnia impleat, & sit super omnia,
& subter omnia, & infra omnia, & extra Deus omia
omnia, vt nullus sit locus contentus, vbi videt.
non sit Deus. Vndè & Dauid dicebat: Si
assendero in cælū, tu illic es: si descende- Psal. 138.
ro in infernū, ades. Et ideò omnis creatura
Dei, siue in cælo sit, siue in terra, siue sub-
ter terram, perspicua est illi & manifesta.
Hinc etenim Paulus dicit: Viuus est sermo Heb. 4.
Dei, & efficax, & penetrabilior omi gladio
ancipiti, pertingens vsq; ad diuisionē ani-
mæ & spiritûs, cōpagum quoq; & medul-
larum, & discretor cogitationū, & non est
vlla creatura inuisibilis in conspectu eius.
Omnia em̄ nuda, & aperta sunt oculis eius.
Hinc Salomon ait: In omni loco oculi Prouer. 15.
Domini contemplantur bonos & malos.
Quia enim omni hora, & in omni loco nos
cognoscimus à Deo respici, nō debemus in
con-

conſpectu eius & angelorum illius pecca-
re, ſed in omni loco, & omni hora, &
omni tempore, cum iuſtitia & veritate de-
bemus viuere, & cum timore & tremore in
conſpectu eius ſtare. Et ſicut beatus Iob ti-
muit eum, & nos debemus timere, & cum
Iob 31. illo veraciter dicere: Quaſi tumétes fluctus
ſemper ſuper me timui Dominum, & pon
50. & 51. Inſtrumentũ. dus eius ferre non potui. *Cogitationes malas,*
cordi ſuo aduenientes, mox ad Chriſtum allidere. Et
Pſal. 136. *ſeniori ſpiritali patefacere*. Sunt enim cogita-
Eccli. 2. tiones tranſeuntes, vanæ atque volaticæ:
quæ quantò velociter tranſeunt, tantò
minùs cogitantem polluunt. De quibus
Eccléſ. 12. Salomon ait: Et ocioſæ erunt molentes
in minuto numero, id eſt, cogitationes
quæ in hominis vita quaſi molentes vol-
uuntur in mente, exeunte anima de cor-
pore, vacuæ remanebunt omnes & ocio-
ſæ. Has igitur, quia nemo poteſt omnes
memoriter retinere, nec ab aliquo vn-
quàm compellitur dicere. Snnt verò aliæ
cogitationes noxiæ, quæ frequenter dele-
* al. ſuaſum ctant animum, & eum * ſuaſu volũt mer-
Prouer. 24. gere in peccatum. Hinc Salomon ait: Co-
gitatio ſtulti, peccatum eſt. Hinc iterùm
Prouer. 15. dicit: Abominatio Domini, cogitationes
malæ: & purus ſermo pulcherrimus. Quas
nos cogitationes beatus Benedictus non
in cordis ſinu abſcondere, ſed ad CHRI-
STVM allidere, & patri ſpirituali horta-
Prouer. 28. tur patefacere. Scriptum eſt enim: Qui
abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui
autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, mi-
ſericordiam conſequetur. Illé ergò mona-
chus miſericordiam à Domino facillimè
cõſequetur, qui pura mente & humili cor-
de cogitationes ſpiritali non celauerit pa-
Cogitationes ad Chriſtum allidere, quid ſit. tri. Cogitationes igitur malas cordi no-
ſtro aduenientes, ad Chriſtum allidere, eſt,
contra illarum delectationum illecebras
Chriſti auxilium implorare. Et vt victor
poſſit exiſtere, ſpem ſuam Chriſto com-
mittere, & in illo fideliter debet credere, &
firmiter ſperare, & de triumphi victoria
non ſibi placere, ſed Chriſto gratias agere.
Cogitationes cur patri ſpiritali patefaciendæ ſint. Quas cogitationes ideò ſpiritali patri pa-
tefacere iubet, vt & ab illo ſalutis auxilium
atq; conſilium, & à Domino velociſsimũ
inueniat peccati remedium. Sicut ſcriptũ
Pſal. 31. eſt: Dixi, pronunciabo aduersùm me in-
iuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti im-
pietatem cordis mei. Miſericors enim De-
us, eo citiùs peccata cordis abluit, quo hæc
exire ad opera non permittit. Et cogitata
nequitia tanto citiùs ſoluitur, quanto ad
effectum operis diſtrictiùs non ligatur. Et
quàm ſuper hæc ſit facilis venia oſtendit,
qui dum ſe adhuc promittit petere, hoc
quod ſe petere promittebat, obtinuit: qua-
tenùs quia vſque ad opus non venerat cul-
pa, vſque ad cruciatum non perueniret po
tentia, ſed cogitata afflictio menté * ter- * al. tegeret.
geret, quam tãtummodò cogitata iniqui-
tas inquinârat. *Os ſuum à malo vel à prauo elo-* 52. Inſtrumentum.
quio cuſtodire. Hinc nos Salomon admonet, Prouer. 4.
dicens: Remoue à te os prauum, & detra- Pſal. 31. & 38.
hentia labia ſint procùl à te. Hinc Paulus
ait: Omnis ſermo malus ex ore veſtro non Ephe. 4.
procedat, ſed ſi quis bonus ad ædificati-
onem oportunitatis, vt det gratiam audi-
entibus. De ore enim monachi non malus Qualis de ore monachi ſermo procedere debeat.
vel prauus, ſed ædificationis & gratiæ de-
bet procedere ſermo, Domino enim tra-
hẽte, poſt ipſum bonus monachus currit.
Et ideò, vt alij ſequãtur, exhortatorium,
nõ malignum, crebrò debet fratribus pro-
ferre ſermonem. Scriptum eſt enim: Qui
audit, dicat, veni. i. quiſquis monachorum
internũ in mente fidei vel charitatis lumen
accipere meruerit, ad hoc & alios inuitare
non ceſſet. Ideò autẽ os noſtrũ à malo vel Os cur à prauo eloquio cuſtodiendum.
prauo eloquio cuſtodire debemus, nè nos
priùs ſuæ malitiæ veneno inficiat, & poſt-
modùm in alios mortiferum virus diffun-
dat. Scriptum eſt enim: Flagelli plaga liuo- Eccli. 28.
rem facit: plaga autem linguæ commi-
nuit oſſa. Plena eſt enim, vt Iacobus Apo- Iacob. 3.
ſtolus ait, veneno mortifero lingua: &
ideò cautiſſimè debemus cuſtodire illam.
Scriptum eſt enim: Qui cuſtodit os ſuum, Prouer. 13.
cuſtodit & animam ſuam. Qui autẽ incon-
ſideratus eſt ad loquendum, ſentiet malũ.
Malum ſine dubio ſentiet in futuro, qui
dum viuit, ſeminare non ceſſat ſcanda-
lum. Hinc Salomon ait: Vir impius fo- Prouer. 16.
dit malum, & in labijs eius ignis ardeſcit.
Hinc iterùm dicit: Iaculum & gladius, & Prouer. 25.
ſagitta acuta, homo qui loquitur contra
proximum ſuum malum. Solet enim con-
tingere, vt dum quędã vitiorum mala non
euitamus, in magno linguæ prolabimur
crimine. Et dum facta quædam non gra-
uia ſine metu committimus, ad peiora ſce-
lera peccandi conſuetudine labimur. Et
dum multa incautè loquimur, ſine du-
bio aut in DEVM, aut in fratrem pec-
camus. Vndè & apta nobis admonitio
ſequitur: *Multum loqui non amare*. Magis 53. Inſtrumentum.
enim ſilentium, quàm multiloquium, de-
bet amare monachus. De ſilentio enim Prouer. 10.
Iſaias ait: Cultus iuſtitiæ ſilentium. Men- Iſaiæ 32.
tis enim iuſtitia deſolatur, quandò ab im-
moderata locutione non parcitur. De mul
tiloquio enim Salomon ait: In multilo- Prouer. 10.
quio peccatum non deerit. Hinc iterùm
ſcriptum eſt: Sicut vrbs patens, & abſ- Prouer. 25.
que murorum ambitu: ità vir qui non
poteſt cohibere ſpiritum ſuũ. Monachus
enim qui murum ſilentij nõ habet, inimici Monachus ſilentij murum nõ habens, facilè
iaculis patet, quẽ tantò inimicus ſine labo-
re ſuperat, quantò & ipſe contra ſemet-

 ipſum

superatur à dæmone.

ipſum per multiloquium pugnat. Hinc Iacobus dicit: Si quis putat ſe religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio.

Iacob. 1.

Hinc rursùs ait: Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autē ad loquendū.

Ibidèm.

Admonēdi ſunt, vt beatus ait Gregorius, multiloquio vacantes, vt vigilanter adſpiciāt, à quanto rectitudinis ſtatu depereūt, dùm per multiplicia verba dilabuntur. Humana etenim mens aquæ more, & circunclusa ad ſuperiora colligitur, quia illud repetit, vnde deſcēdit, & relaxata deperit, quia ſe per infima inutiliter ſpargit. Quot enim ſuper ſe vacuis verbis à ſilētij ſui cenſura diſsipatur, quaſi tòt riuis extra ſe ducitur. Vndè & redire interiùs ad ſui cognitionem non ſufficit, quia per multiloquium ſparſa, à ſecreto ſe intimæ conſiderationis excludit.

part. 1. curæ paſt. cap. 1. admon. 15.

54. Inſtrumentum. *Verba vana aut riſui apta, non loqui.* Vana enim verba ſunt illa, quæ & ocioſa vocantur, ſcilicet quæ aut ratione iuſtæ neceſſitatis, aut intentione piæ vtilitatis carent.

Matt. 12.

2. Tim. 2.

Vana verba, quæ dicantur.

Grande enim vitiū eſt, & omnibus modis cauendum à monachis, vaniloquium, quod à vanitatis procedit fomite, & quaſi ſuadendo & leniter leuem decipit hominem. Eſt enim vanitas leuitas animi, loquacitatis ſuperfluæ & ocioſitatis ſemper in corde portans ſomitem, & in ore vanum ſemper profert ſermonem.

Vaniloquiū à monachis ſtudioſè cur cauendum.

Eſt enim ſimulatio quædam virtutum, appetitio dignitatum, caua, morbida, turbulenta, dulcis miſeris, amara perfectis, periculoſa duris, imperioſa ſubiectis: leues captiuat, * captiuatos oblectat, ambitioſos vexat, anguſtos inflat, inflatos humiliat. Cui ſeruiunt tumidi, ſub qua iacent elati, quam inueniunt perditi, ad quam currunt lapſuri. Hæc eſt vanitas, quæ non aliquas virtutes, vt putatur, * coaugat, ſed licentiam vitiorum, cùm fuerit recepta, corroborat. Nam mentes virtutibus plenas omninò non penetrat, vacuos virtutibus tentat, dilectores ſuos præcipitat, eos videlicet, qui ſe turpiter iactant, & ſe ab omnibus prædicari per nefas delectant. Qui ſalutationibus occurrentium gaudent, ſuis adulatoribus fauent, * voluptatibus pārent, omnibus turpibus placent. Geſtiunt docere, quod neſciunt, credi de ſe ſublimia volunt, delectabilibus gaudent, appellationes virtutum vitijs ſuis imponunt, ſeipſos fallunt, fauentes ſibi decipiunt. In promiſſione veloces, in exhibitione mendaces, in verbo graues, in animo turpes, vbique fallaces. Læti ad proſpera, fragiles ad aduerſa, inflati ad obſequia, anxij ad opprobria, immoderati ad gaudia. Hoc eſt vitium vanitatis, quod omninò non debent habere monachi, ſed diligentes & ex corde & ore proferentes veritatem, CHRISTVM Dominum ſequi debent, & imitari, vt cum illo feliciter poſsint in æternum regnare.

* al. captiuos

* al. exangl'at,

* al. voluntatibus

Hæc autem ſuprà dicta vanitas, in vano corde, & vano moratur in pectore. Semper enim alios ridere, ſemper aliorum cachinnos facit excutere. Cuius indicium & in vaniloquio, & in multo & excuſſo ſæpè depræhenditur eſſe riſu. Vndè & ſubditur: *Riſum multum aut excuſſum non amare.*

Vanitas vbi moratur.

55. Inſtrumentum.

Oportet enim monachum ampliùs flere quàm ridere, quia ſcriptum eſt: Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat. In Euangelio autem Dominus ait: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. In valle enim lachrymarum ſumus, & ideò non ridere, ſed flere debemus. Lachrymas enim pro peccatis noſtris, lachrymas pro diſſolutione corporis, lachrymas pro deſiderio noſtri redemptoris, & ſocietate omninm angelorum, & omnium debemus habere ſanctorum, lachrymas vt à pœnis inferni, & à laqueis liberemur diaboli. Qui enim, ait Pſalmiſta, in lachrymis ſeminant, in gaudio metent. id eſt, qui orationes cum lachrymis & gemitu, dum in mortali corpore viuunt, fundunt ad Dominum, poſt obitum laboris ſui præmium in gaudio metent æterno. In gaudio videlicet illo, de quo diſcipulis ſuis Dominus ait: Iterùm videbo vos, & gaudebit cor veſtrum: & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.

Ecclés. 7.

Prouer. 14.

Matth. 5.

Flendum in hac vita cur ſit, non ridendum.

Pſal. 125.

Ioan. 16.

Plùs ergò monacho ſalutarem triſtitiam, quàm vanam conuenit habere lætitiam. Scriptum eſt enim: Cor ſapientium, vbi triſtitia: & cor ſtultorum, vbi lætitia. Hinc iterùm ſcriptum eſt: Melior eſt ira riſu, quia per triſtitiam vultûs, corrigitur animus delinquentis. Hinc nos Iacobus Apoſtolus terribiliter admonet, dicens: Miſeri eſtote, & lugete, & plorate. Riſus veſter in luctum conuertetur, & gaudium in mœrorem. Hinc Dominus ait: Væ vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis & flebitis.

Ecclēſ. 7.

Ibidèm.

Iaco. 4.

Lucæ 6.

Non multùm debet ridere monachus, qui corde contrito & humiliato debet ſeruire Domino. Non excuſſum riſum, id eſt, qui alta voce excutitur, & excutientem ſe excutit, debet amare monachus, nè ſtultus vocetur ab hominibus, quia ſcriptum eſt: Stultus in riſu ſuo exaltat vocem ſuam. Et, Sicut ſonitus ſpinarū ardentium ſub olla, ſic riſus in ore ſtulti. Naturaliter eſt enim ridere homini, & ideò non poteſt hoc illi penitùs prohiberi: ſed vt ſuppreſsè, cautè fiat, & honeſtè, licet illi concedere, quod & natura compellente penitùs non poteſt homo relinquere.

Eccl. 21.

Ecclēſ. 7.

Riſus homini cur nō penitùs prohiberi poſſet.

56. Inſtrumentum. *Lectiones ſanctas libenter audire.* Lectionis enim

Lucæ 11.

Sacræ le- enim sacræ cognitio cultoribus suis sen-
ctiõis vtili- sùs acumen ministrat, intellectum multi-
tates, quot plicat, torporem excutit, ocium amouet,
& quæ. vitã * componit, mores corrigit, salubrem
*.al. com- gemitum facit, & lachrymas compuncto
primit. corde producit, loquendi tribuit facun-
diam, æterna laborantibus promittit præ-
mia, spiritales diuitias auget, vaniloquium
vanitatesq; compescit, & desiderium Chri
Lectio ora- sti patriæque cælestis accendit. Quæ sem-
tioni con- per orationi socia, semperque orationi de-
nexa esse bet esse connexa. Orationibus enim mun-
debet. damur, lectionibus autem instruimur. Et
ideò qui vult cũ Deo semper esse, frequen-
ter orare, frequẽter debet legere. Nam cùm
oramus, ipsi cum Deo loquimur: cùm ve-
rò legimus, Deus nobiscũ loquitur. Omnis
ergò profectus ex lectione, oratione & me-
ditatione procedit. Quæ enim nescimus,
lectione discimus: quæ autẽ didicerimus,
meditationibus conseruamus: & vt cõser-
uata à nobis impleãtur, oratione adipisci-
mur. Geminum enim confert donum san-
ctarum lectio scripturarum, siue quia in-
tellectum mẽtis erudit, seu quod à mundi
vanitatibus abstractum hominem ad amo-
rem Dei perducit. Hinc Paulus Timotheũ
1.Timot. 4. admonet, dicens: Dum venio, attende le-
ctioni, doctrinæ: hæc meditare, & in his
esto, vt profectus tuus manifestus sit omni
bus. Nemo em sensum scripturæ sacræ ple-
niter cognoscere poterit, nisi assiduè legẽ-
do vel audiendo eius familiaritatẽ habue-
Prouer.4. rit, sicut scriptum est: Ama illam, & exalta-
bit te, glorificaberis ab ea, cùm eã fueris am-
57. Instru- plexatus. *Orationi frequenter incumbere.* Incum-
mentum. bere, dicit instare, vel incubare. Et cõgruè
Lucæ 18. nos post lectionis auditionẽ, orationi ius-
sit frequẽter incumbere. Nõ enim à lectio-
ne dissentit oratio, nec ab oratione aliena
est lectio. Aliquoties autem proferũt vnũ,
aliquoties verò diuersum. Sed quia oratio
dicitur oris ratio, neutra illarum orationis
nomine caret, vtræq; rationabiliter cautæ,
vtręq; verò rationabiliter sunt dictę. Mul-
tùm enim apud Deum vtraq; sibi necessa-
riò commẽdatur, vt oratione operatio, &
opere fulciatur oratio. Vndè & Ieremias
Threno. 3. ait: Leuemus corda nostra cum manibus
Frequenter ad Deum. Cor enim cum manibus ad Deũ
orandum. leuat, qui orationem cum opere subleuat.
De instãtia enim orationis nos Paulus ad-
monet, dicens: Orationi instantes, & oran
tes omni tẽpore in spiritu. Quia enim omni
Iacob. 3. tempore offendimus, sicut scriptum est: In
multis offendimus omnes: omni tempore
pro offensis orare debemus. Hinc iterùm
1.Thessa. 5. Paulus dicit: Sine intermissiõe orate. Hinc
1.Pet. 4. Petrus ait: Estote itaque prudentes, & vi-
gilate in orationibus. Quotiescunq; enim
vitio quolibet tangimur, ad orationem
nos sudere debemus: quia frequens ora-

tio, vitiorum est * impugnatio. Oratio * purgatio.
autem non labiorum tantummodò debet Oratio, nõ
esse, sed & cordium. Non enim multipli- labiorũ tan
cia verba Deus attendit, sed orantis cor tùm, sed &
adspicit. Nunquàm est sine gemitu oran- cordis esse
dum. Nam peccatorum recordatio mœ- debet.
rorem gignit. Dum enim oramus, ad me- Orandũ cur
moriam reducimus culpam. Et magis reos nõ sit absq;
tunc nos esse cognoscimus: ideoq; cũ Deo gemitu.
assistimus, gemere & flere debemus, remi-
niscẽtes quàm grauia sint scelera, quę com-
misimus, quàq; dira inferni supplicia, quæ
timemus. Mens qualem se in oratione of-
fert, talem se post orationem conseruet:
Nam nihil proficit oratio, si denuò cõmit-
tatur, vnde iam venia postulatur. Ille enim
in precibus desideratum effectum sine du-
bio percipit, qui quod orando ablui postu
lat, delinquẽdo non iterat. *Mala sua præteri-* 58. Instrum.
ta cum lachrymis vel gemitu in oratione DEO de- Psal.6.
bet confiteri. Confessio duobus modis intel- Confessio
ligitur: aut in laudem, vt patri Dominus duplex.
ait, dicens: Confiteor tibi pater, Domine Matth. 11.
cæli & terræ. Aut dum quis confitetur sua
peccata ab eo indulgenda, cuius est inde-
ficiens misericordia. Adhuc enim in hoc
seculo positis confitentibus Dei miseri-
cordia subuenit: post mortem autem pœ-
nitentiæ dolor & gemitus animas cruciãt,
sed à peccati supplicio non liberabunt.
Non enim celanda est culpa, quæ animæ
post mortem æternam ingerit pœnã. Nam
sicut Cassianus ait, Non poterit diabolus lib. 4. de
circunuenire, vel deijcere iuuenem mona- inst. renun.
chum, nisi eum, quem viderit, aut per su- cap. 9.
perbiam, aut per verecundiã suas cogitati-
ones seniorẽ celare. Nã euidẽter diabolicã Cogitatio
cogitationẽ Patres eam dixerũt, quam iu- diabolica,
nior seniori cõfunditur aperire. Melius est quæ.
enim Domino cõfiteri peccata, & de mise-
ricordia eius fiducialiter sperare veniam,
quàm in modico tẽporis celare delictũ, &
æternũ animæ recipere detrimentũ. Hinc
Salomon ait: Qui abscõdit scelera sua, non Prouer. 28.
dirigetur: qui aũt confessus fuerit, & reli-
querit ea, misericordiam consequetur. Fa-
ciliùs enim sibi Deum placat, qui non hu-
mano conuictus iudicio, sed vltrò crimen
cognoscit admissum: & factus sibimetipsi
iudex & vltor, punit lachrymis, quod pra-
uis cõmisit operibus: & nõ erubescit fleti-
bus benè punire, quod nõ erubuit malè cõ-
mittere. Hinc iterùm scriptum est: Nõ con Eccli. 4.
fundaris Dño confiteri peccata tua. Certus
vnusquisq; nostrùm, si cõfiteatur peccata
sua Dño, quia si in pœnitẽtia perseuerae-
rit, & cõfessus fructus dignos pœnitẽtię fe
cerit, nõ solùm peccati veniã, sed etiã ciuis
supernæ ciuitatis effectus, præmia recipiet
sempiterna. *De ipsis malis deinceps emendare.* Il- Pœnitentiã
le ergò pœnitentiam dignè agit, qui quæ dignè quis
commisit, sic præterita mala deplorat, vt agat.
futu-

futura iterùm non committat. Nã qui plangit peccatum, & iterùm admittit peccatũ, quasi si quis lauet laterem crudum: quia quanto magis eum lauerit, tanto ampliùs lutum facit. Ille igitur pœnitentiam dignè agit, qui, quæ commisit, iam non committit, sed cum satisfactione de his, quę gessit, emẽdationẽ promittit. Festinare enim debet ad Deũ pœnitendo vnusquisque, dum potest: ne si, dũ potest, noluerit, cùm tardè voluerit, omnino nõ possit. Hinc Propheta ait: Quærite Dominum, dum inueniri potest: inuocate eum, dum propè est. Non enim oportet pœnitentem de peccatis suis habere securitatem. Nã securitas negligentiam parit, neglıgẽtia autem ad * vitã pristinam hominem trahit. Sed pœnitens pręuidere debet callidas cõtra se hostis insidias, & nec ad transacta vitia reuerti, nec ampliùs, quod malum est, vlteriùs debet agere. *Desideria carnis non perficere.* Desideria carnis dicit, voluptates vel cupiditates corporis. Non efficere dicit, ad effectum non perducere, id est, operibus non implere. Hinc Paulus ait: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Desideria carnis perficere, est, carnis concupiscentias & motus corporis turpes, ad effectum operis perducere. Hinc Petrus ait: Charissimi, obsecro vos tanquàm aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersùs animam. Dùm enim concupiscentijs blãdientibus caro eneruiter subiugatur, vitiorum exercitus firmiter aduersùs animã armatur. Desideria enim carnalia sunt affectus sordidæ delectationis, & illecebræ carnalium vitiorum. Quibus illectus monachus, vanis fabulis & verbis delectatur superuacuis, & spectaculis rerũ terrestrium, & terrenis gaudijs delectatur, ingluuia ventris ex desiderio gutturis exæstuat, ambitione honorum conficitur, & humanis laudibus vel illecebris vanæ gloriæ * delectatur, cor miserum in superbiam eleuat, & in omnium vitiorum multitudinem malè sanum præcipitat. At cõtrà monachus quem desideria carnis implere minimè delectat, virtutibus sacris armatus, contra desideria, vel vitia carnis fortiter pugnat, & aduersùs impetus vitiorũ cum contrarijs virtutibus dimicat. Cõtra luxuriam enim adhibet cordis munditiã, libidinem abstinentia domat, contra odium dilectionem præparat, contra iram opponit patientiam, contra timorem fiduciam, largitatem contra auaritiam, humilitatẽ contra superbiam, & sic singulis vitijs, singulas opponit virtutes, vt non eis superatus succũbat, sed illis superatis, victor existat. *Voluntatem propriam odire.* Propriam dicit, id est, priuatam, vel singulariter suam, quam nullus alius approbat, nullus iustam esse proclamat: quia & si bona illi videtur, qui eam conatur implere, ideò non est bona, quia est propria, & quia nullius patris consilio approbata. Hinc enim scriptũ est: Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Hinc Dominus ait: Non veni facere voluntatem meam, sed eius, qui misit me. Sancti viri proprias volũtates renunciantes, sic huic mundo moriuntur, vt soli Deo viuere delectentur: & quanto se ab eius voluptatibus subtrahunt, tanto præsentiam Dei & angelicæ societatis frequentiam mentis acie contemplantur. Ad perfectum enim, negatis omnibus quę possidet, nõ potest peruenire, nisi & proprias voluntates abnegauerit. Quid est enim abnegare semetipsum, nisi proprias voluntates relinquere? *Præceptis Abbatis in omnibus obedire.* Abbatis præcepta semper debent esse iusta & sancta, & ideò à discipulis semper, & in omnibus debet ei obediri. Nam si aliter, quàm oportet, præceperit discipulis, respondendum est illi, quod & responderunt Apostoli: Oportet obedire Deo magis, quàm hominibus. Abbatis ergò præceptum, nunquàm à Domini debet discordare mandato, nè, dum præcepto Abbatis obeditur, à præceptis Domini discordetur. Obediatur ergò necessè est Abbati, vt idem sit & obedientia Christi. Ipse enim discipulis ait: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Hinc Paulus Apostolus ait: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cũ gaudio hoc faciant, & nõ gementes. Hinc * Salomon ait: Melior est obedientia, quàm victima. Hinc Paulus iterùm ait: Rogamus vos fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos, vt habeatis illos abundantiùs in charitate, propter opus illorum: & pacẽ habete cũ eis. Christi enim vices videtur Abbas agere in monasterio, & ideò exhibendum est illi obedientiæ bonum. Si enim, vt decet, opus agit perfectũ, necessè est vt à subditis imitetur. Attamen si pro fragilitate corporis, aut animi imbecillitate, quod verbis prædicat, operibus implere recusat: subditi, quod sequitur, audiant, & præceptum Domini nostri Iesu Christi factis adimpleant, id est, *etiamsi ipse aliter (quod absit) agat, memores illius Dominici præcepti: Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Non velle dici sanctum, antequàm sit: sed priùs esse, vt veriùs dicatur.* Cùm hæc beatus Benedictus diceret, nè iactantiæ vitiosæ succumbat monachus, prudenter eum & breuiter castigat, & admonet. Sunt enim aliqui monachi, qui non esse, sed dici cupiunt sancti. Nomen sanctitatis volunt habere, sed sanctitatis opus non cupiunt exercere.

Isaiæ 55.

Pœnitens, cur de peccatis suis non debeat habere securitatem.

* al. vitia pristina

59. Instrumentum.

Galat. 5.

Ibidèm.

Desideria carnis perficere, quid sit.

2. Petr. 2.

* al. deliniatur,

Voluntas propria, quæ dicatur.

Eccli. 18.

Ioan. 6.

60. Instrumentum.

Heb. 13.

Abbatis præcepta, iusta & sancta esse debent.

Acto. 5.

Lucæ 10.

Hebr. 13.

* meliùs. Samuel 1. Reg. 15.

1. Thess. 5.

Abbas, in monasterio Christi vices agere.

Matt. 23.

61. Instrumentum.

Matth. 6.

Monachus non dici, sed esse sanctus debet.

ercere. Ergò qui sanctitatis nomen habere desiderat, necessè est vt priùs sanctitatis opus agere non desistat. Dominus autem filijs Israel non dixit: Dicimini sancti, quia & ego sanctus dicor: sed, Estote, inquit, sancti, quia & ego sanctus sum Dominus Deus vester. Vndè necessè est, vt, qui vult dici sanctus, sanctitatis priùs festinet agere opus, & spiritales sagaciter quærere fructus, quibus refertus, iustè possit dici, & esse sanctus. Nemo ritè dici potest sanctus, nisi qui spiritûs sancti meruerit accipere fructus. Fructus autem spiritûs est, vt ait Apostolus: Charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia, mansuetudo, & cęterarum omnium congregatio virtutum, quibus omnibus, vt dictum est, monachus repletus, & dici ritè poterit, & esse sanctus. *Præcepta Dei factis quotidiè implere.* Hinc Iacobus ait: Estote autem factores verbi, & non auditores tantùm. Hinc Paulus ait: Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. In Apocalypsi autem sua cùm dixisset Ioannes, Beatus qui legit & qui audit verba prophetiæ libri huius: protinùs adiunxit, Et seruat ea, quæ in illo scripta sunt. Hinc in Euangelio Dominus dicit: Si diligitis me, mandata mea seruate. Hinc iterùm ait: Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. id est, qui habet in memoria, & seruat in vita: qui habet in sermonibus, & seruat in moribus: qui habet audiendo, & seruat faciendo: aut qui habet faciendo, & seruat perseuerando. Hinc iterùm ipse Dominus dicit: Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit regnum cælorum: sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Et, Amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Hinc nos per Salomonem admonet, dicens: Fili mî, nè obliuiscaris legis meæ, & præcepta mea custodiat cor tuum. Longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi. Hinc iterùm idem dicit Salomon: Fili mî, custodi sermones meos, & præcepta mea reconde tibi. Serua mandata mea, & viues. *Castitatem amare.* Castitas, dicitur corporis & cordis incorruptio. Quidam autem dixerunt castitatem esse in mente, virginitatem in corpore: sed illa est vera & veraciter castitas, quæ nec mentem sinit maculari, nec corpus pollui: quæ non solùm in virginibus, sed & in continentibus fulget, & pulchritudinis suæ candore nitescit. Cuius pulchritudinem admirans scriptura, dicit: O quàm pulchra est casta generatio. Nam virgines feliciores fore in vita æterna, Isaias testatur, dicens: Hæc dicit Dominus Eunuchis: Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Amanda est ergò pulchritudo castitatis, quæ amatores suos à mundi curis separat, & in Hierusalem cælesti nomen sublimissimum, & lucidissimum locum præparat: quæ suis cultoribus cōtinentiæ præmium, & nomen tribuit filiorū. Donat nomen æternum, & choro sociat angelorum. Amanda est ergò pulchritudo castitatis, quæ virgines & continentes angelis facit æquales. Castitas enim corporis, humilitate & puritate cordis sanctificatur atque perficitur. Nam nihil prodest incorruptio carnis, vbi non est integritas mentis: nihilque valet eum mundum esse corpore, qui pollutus est mente. Nam sicut castus corde & corpore, angelis & hominibus facit suauem odorem: ità pollutus corde & corpore vbiquè horridum spergit fœtorem. Castus enim * charitatis virtute nitescit, pollutus sordibus immundis fœtet. Castus & purus sanctis coniungitur angelis, immundus immundis sociatur dæmonibus. Pollutum polluti dæmones mergunt in tartarum: castum verò sancti angeli suscipiunt in cælum. Ille, quia semper in tenebris committere non erubuit malum, iustè damnatus in tenebrosum demergitur barathrum: iste quia castitatis nitorem positus dilexit in luce, lucidus lucidæ æternitatis semper regnabit in lumine. Amemus ergò castitatis munditiam, quæ nos præsenti castos conseruet in vita, & in futuro æterna faciet recipere præmia. *Nullum odire.* Flebiliter autam deplorandi sunt, qui odio in fratrem tabescunt, & contra alios perniciosum animæ dolum seruant. A regno enim Dei se separant, qui semetipsos à fraterna charitate dissociant. Hinc Ioannes Apostolus ait: Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc. Item ipse ait: Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quoniam tenebræ obcæcauerunt oculos eius. id est, propter odium fraternum, nescius in inferni gehenna præcipitatur, & ignarus & cæcus in tenebrosam inferni pœnam demergitur. Ipse iterùm dicit: Qui odit fratrem suum, homicida est. Non mouetur manus ad occidendum hominem, & homicida iam tenetur à Deo. Nam vbi retributionis tempus aduenerit, cum Cain, qui ex maligno erat, damnabitur, qui hoc genere homicidij, id est, odij reus tenetur. Ipse iterùm dicit: Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax

Marginalia: Leuit. 11. & 19. — Galat. 5. — 62. Instrumentum. — Eccli. 6. — Iacob. 1. — Roma. 2. — Apoc. 1. — Ioan. 14. — Ibidèm. — Habere & seruare mādata Dei, quid sit. — Matth. 7. — Ioan. 8. — Prouerb. 3. — Prouerb. 7. — 63. Instrumentum. — 1. Timot. 5. — Castitas vera, quæ sit. — Sapien. 4. — Isaiæ 56. — Castitas, cur vehemēter amāda. — Castitas, virgines facit angelis æquales. — Casti & immundi, multiplex differentia. — * al. puritatis — 64. Instrumentum. — Leuit. 19. — Odiū, quàm operè detestandum. — 1. Ioan. 2. — Ibidèm. — 1. Ioan. 3. — Ibidèm. — 1. Ioan. 4.

mendax eſt. In hoc enim probatur eſſe mendax, quòd dixit ſe diligere Deum, quē non videt: quoniā non diligit, ſed odio
1. Ioan. 4.
habet fratrē, quem videt. Hoc enim mandatum accepimus à Deo, vt qui diligit Deum,
65. Inſtrumentum. Gala. 5.
diligat & fratrem ſuum. *Zelum & inuidiam non habere.* Liuor alieni boni, ſuum punit authorem. Nam vndè bonus proficit, indè inuidus contabeſcit. Vndè & mem-
Sapien. 2.
brum eſt diaboli, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum. Nam zelare &
Inuidere, magnū eſt peccatum.
inuidere alterius bono, non eſt paruum, ſed grande & magnum peccatum. Diabolus inter initia mundi, ſtatim zeli liuore
Gene. 3.
perculſus, perijt primus, & ſic perdidit
Inuidiæ & liuoris incommoda quanta.
alios. Radix omnium malorum eſt & fons vitiorum, zelare & inuidere alterius bono. Inde odium ſurgit, animoſitas indè procedit, auaritiam zelus excitat. Per zelum timor Dei ſpernitur, iudicij dies non prouidetur, inflatur ſuperbia, exacerbatur humilitas, perfidia præuaricatur, patientia concutitur, furit diſcordia, ferueſcit ira. Hinc omne pacis vinculū rūpitur, hinc fraterna charitas violatur, hinc adulteratur veritas, ſcinditur vnitas: hinc vultus minax, toruus adſpectus, pallor in facie, tremor in labijs, ſtridor in dentibus. Quid plura referam? De zeli liuore, fons omnium vitiorum conſurgit, ſicut Iaco-
Iacob. 3.
bus ait: Vbi eſt zelus & contentio, ibi inconſtantia & omne opus prauum. Vndè
66. Inſtrumentum. 2. Timo. 2.
& hic aptè ſubditur: *Contentionem non amare.* Contentio dicitur controuerſia, pertinacia, vel diſceptatio contentioſa. Non ergò debet monachus amare contentionem verborum, ſed potiùs firmiter debet tenere amorem fraternum. Si enim mortui ſumus peccato, non debemus viuere mundo, & fratri proferre verbum contentioſum: quoniam omnium malorum
* al. addūt, vitiorum,
fomes eſt contentio *, periculum animarum, & ſubuerſio eſt auditorum. Hinc
2. Tim. 2.
Paulus Timotheo ait: Noli verbis cōtendere, ad nihil enim eſt vtile, nisi ad ſubuerſionem audientium. Penſandum nanq; eſt, quomodò cōtentio inutilis facientes concutit, quandò & audientes ſubuertit. Niſi enim priùs concuſsio praua in corde fuiſſet, contentio in publicum non ve-
2. Cor. 12.
niſſet. Hinc iterùm Paulus ait: Nè fortè contentiones, æmulationes, animoſitates & diſſenſiones ſint inter vos. Hinc &
Iaco. 3.
Iacobus ait: Quòd ſi zelum amarum habetis, & contentionem in cordibus veſtris,
Contentio inter monachos malos oritur.
nolite gloriari. Inter carnales enim monachos contentio ſemper conſurgere ſolet, ſicut ſcriptum eſt: Semper iurgia quæ-
Prou. 17.
rit malus. Hinc ipſe Paulus ait: Cùm enim
1. Cor. 3.
ſit inter vos zelus & contentio, nónne
Contentionis mala.
carnales eſtis, & ſecundùm carnem ambulatis? Per contentiones enim inutiles ſuſcitantur iræ, generantur inter fratres diſcordiæ, nutriuntur animoſitates, * proce-
* al. procedunt
dunt lites, efficiuntur diſſenſiones, emergunt æmulationes, ſuſcitantur ſcandala, &, vt breuiter dicam, naſcuntur inter fratres omnia mala. Vndè verum eſt illud, quod Salomon ait, dicens: Honor eſt ho-
Prou. 20.
mini, qui ſeparat ſe à cōtentionibus. Contentionem enim Apoſtolus inter opera tenebrarum annumerat, dicens: Abijciamus
Rom. 13.
ergò opera tenebrarum. De quibus operibus ſubiecit, dicens: Non in comeſſa-
Ibidem.
tionibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione. Contentio enim in eis eſt, qui ſecundùm carnem viuunt, & qui in tenebris ambulant. Qui autem in luce eſt, nihil per contentionem aut elationem, neque per gloriam gerit humanam. Vndè &
67. Inſtrumentum. Pſal. 130.
ſequitur: *Elationem fugere.* Elatio dicitur iactantia mentis, & audacia cordis, confidentia virtutum, vel temeritas & timor cordium. Niſi enim præceſſerit, vt beatus ait Iſidorus, occulta elatio mentis, non ſequitur aperta iactantia laudis. Vtilius eſt, inquit, à ruentibus quocunque vitio labi, & humiles poſt caſum Deo fieri, quàm per elationem ſuperbire. Nonnunquàm gemino vitio Chriſtianus à diabolo appetitur, & occulto per elationem, & publico per libidinem. Sed dum vitat quis libidinem, cadit in elationem. Item dum incautè declinat elationem, cadit in libidinem. Sicque ex occulto elationis vitio, itur in apertum libidinis: & de aperto libidinis itur in occultum elationis. Sed Dei ſeruus vtrunque diſcretè penſans, ſic cauet libidinem, vt non incurrat in elationem: ſic vitat elationem, vt non reſoluat
68. Inſtrumentum. Leuit. 19.
animum in libidinem. *Et ſeniores venerari.* Humilitas enim bonorum ſubditorum, veneratio eſt fratrum ſeniorū. Neq; enim ſincerè poterit venerari ſeniorem, qui nō humilem, ſed tumidam & elatam habue-
Veneratio ſeniorum, in duobus ſita eſt.
rit mentem. Veneratio enim ſeniorum, in verbis debet eſſe & in factis. In verbis, vt & pauca, & rationabilia verba humiliter loquatur, & cum reuerentia. In factis autem, vt illo tranſeunte iunior ſurgat, illo iterùm iubente ſedeat, illo loquente audiens taceat, interroganti humiliter reſpondeat, iubenti obediat, tranſeunti inclinato capite benedictionem humiliter petat, & in omnibus, vbi rationabiliter res poſtulat, iunior monachus ſeniori obediat. Hinc
1. Tim. 5.
Paulus Timotheo ait, dicens: Seniorem nè increpaueris, ſed obſecra vt patrem. Et:
Coloſſ. 3.
Filij, obedite parentibus veſtris in Domi-
Lucæ 2.
no. Nam & Dominus deſcendit de Hieruſalem cum parentibus ſuis in Nazareth, & erat ſubditus illis. Hinc per quendam ſa-
Eccli. 7.
pientem dicitur: In tota anima tua time

Deum,

Ibidèm.

Deum, & sacerdotes illius sanctifica. Ipse iterùm dicit: In omni virtute tua dilige eum, qui te fecit, & ministros eius non derelinquas. Sed & hoc intuendum, nè accepta à iuniore senior reuerentia in tumorem se extollat, & sic scandalum nutriat: sed magis magisque se humilians, vt filios amore paterno diligat, & ità eos ad humilitatis obedientiam compellat.

69. Instrumentum. 1. Timot. 5.

Vndè & sequitur: *Iuniores diligere*. Geminam dilectionem à senioribus debent accipere iuniores. Vnam, quia fratres sunt.

Seniores geminam dilectionem debent iunioribus. 1. Ioan. 4. Eccli. 7.

Scriptum est enim: Hoc mandatum accepimus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Alteram, quia obedientes senioribus humiliter seruiunt. Hinc enim scriptum est: Seruus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta. Si hoc de seruo, quantò magis hoc intelligendum est de filio & fratre dilecto? *In* CHRISTI

70. Instrumentum. Matth. 5.

amore, pro inimicis orare. Amor enim CHRISTI facit nos diligere inimicum, facit etiam orare pro illo: quia si filij eius sumus, inquantùm possumus, imitari eum debemus. Ipse enim pro persecutoribus

Lucæ 23.

suis orauit, dicens: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Vt simus ergò filij eius imitatione, sicut iam gratia

Orandũ pro inimicis.

illius sumus per adoptionem, secundùm eius imperium diligamus inimicos etiam, & oremus pro illis. Ipse enim impera-

Matth. 5.

tor nobis imperans, ait: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus & calumniantibus vos: vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Cùm enim dixisset, Vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est: addidit, Qui solem suum facit oriri super bonos & malos, &c. Vndè nos hæc intelligentes, faciamus inimicis nostris benè, & nostram ad eos extendamus dilectionem, & pro illorum salute fundamus orationem: vt, qui iam filij Dei facti sumus per adoptionem, efficiamur & nati per imitationem. Christus pro no-

1. Pet. 2.

bis passus est, ait Apostolus Petrus, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius. Quod non solùm de passione, sed & de imitatione, & inimici dilectione, & pro eis facta debemus intelligere ora-

71. Instrumentum. Ephe. 4.

tione. *Cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire*. Sicut pia mater Ecclesia ab omnibus malè viuentibus siue hæreticis premitur, sed tamen eos ad se venientes benigna charitate amplectitur: ità & nos, quoscunque inimicos sustinemus, reuer-

Ira fratris citò reconcilianda cur sit.

tentes ad nos materna imitatione amplexare statim debemus: quia qui fratrem tardiùs sibi reconciliat, Deum sibi tardiùs placat. Hinc enim Dominus ait: Si

Matth. 5.

offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersùm te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens, offeres munus tuum. Hinc Paulus Apostolus ait:

Ephe. 5.

Irascimini, & nolite peccare: Sol non occidat super iracundiam vestram. Hinc ostendit, quia ante solis occasum, & culpatus petendo recipere veniam, & [illegible] lædenti dimittendo debet indulgere delicta. Citò enim ignoscendum est cuiquam, dum veniam postulat, quia nihil proficit immaculatum esse à culpa, qui non est paratus ad veniam. Crescit enim & augetur culpa, quandò tardiùs relaxantur fraterna delicta.

72. Instrumentum. Ezech. 18.

Et de Dei misericordia nunquàm desperare. Et si mille sint peccata, non est desperandum de venia. Deus enim & pius est ad ignoscendum, & omnipotens ad

De venia peccatorũ consequenda, nunq̃ est desperandum.

saluandum. Tantùm est, vt vnusquisque peccator declinet à malo, & faciat bonũ: confiteatur Domino sua peccata, & secundùm modum culpæ faciat pœnitentiam: Quia omnis peccator, qui ad Do-

Psal. 36.

minum ex toto corde conuersus fuerit, saluus erit, ipso dicente, qui peccatoribus

Isaiæ 45.

ait: Conuertimini ad me, & salui eritis.

Ezech. 18.

Ipse iterùm dicit: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Ergò cùm pius Dominus non desideret mortem peccatoris, sed vitam: ipse sibi misericordiæ claudit ianuam, qui ab eo peccatorum veniam recipere desperat. Hinc iterùm per

Ibidèm.

Prophetam dicit: Peccator in quacunque die conuersus fuerit ex toto corde ad Dominum, desinit esse peccator. Hinc Hieronymus ait: Nemo de Domini indulgentia dubitet, nemo desperet. Ad hoc enim missus aduénit, vt peccatores confitentes non perderet, sed saluaret. Nemo de multitudine suorum criminum desperet: quia pius & misericors Dominus, paratus semper est ad ignoscendum. Si discipulo suo

Matt. 18.

Petro vsque septuagiès septiès iussit fratri dimittere peccatum: multò magis ille fons pietatis & indulgentiæ, vsque millies mille in se peccantibus, & veniam petentibus, dimittit delictum. Ipse enim totius mundi lauat crimina, quantò magis vnius lauabit delicta? Tantùm est, vt vnusquisque conuertatur ab impietate sua, & factis dignis pœnitentiæ fructibus viuat inæternùm, bonorum omnium virtute refertus. *Eccè hæc sunt instrumenta artis spiritalis*. Eccè hæc sunt, dicit, id est, hæc suprà dicta diuina mandata, quæ sunt singula iam per ordinem superiùs exposita. Hæc sunt itaque instrumenta artis

 spiri-

Ars vndè dicta sit. spiritualis. Ars dicta est, eò quòd artis præceptis regulisque constricta, benè & iustè ducat. Sicut enim ars corporalis est, ità & ars spiritalis. Sed sicut est corporali vita spiritalis melior, ità & ars est eiusdem vitæ subtilior. Vndè & illa paucis, hæc verò instrumentis indiget plurimis. Sicut enim instrumenta sunt fabrorum, scriptorum, vel aliorum artificum, quibus eorum opus perficitur: ità & sunt instrumenta virtutum, quibus spiritalis vita componitur.

Artis corporalis & spiritalis discrimen.

Ars regendarum animarum, est spiritalis. past. 1. cur. past. cap. 1. Nisi regendarum suarum, & aliorum animarum ars non esset spiritalis, Gregorius non diceret: Ab imperitis ergò pastoribus magisterium pastorale suscipitur in magna temeritate: quoniam est ars artium, regimen animarum. Hinc Paulus ait: Scio & humiliari, & abundare, & satiari, & esurire, & penuriam pati. (Philip. 4.) Hæc enim omnia minùs intuentibus non videntur ars esse spiritalis, sed simpliciter necessitas actionis. Sed si ars non esset, scio, Apostolus non dixisset: sed cùm, scio, dixit, in huius operis actione artem inesse demonstrauit. Quem enim penuria sua non frangit, à gratiarum actione non retrahit, in rerum temporalium desiderium non accendit, scit humiliari. (Humiliari quis sciat.) Qui enim acceptis rebus non extollitur, & eas ad vsum vanæ gloriæ non intorquet, nec solus possidet, sed cum indigentibus misericorditer diuidit, scit abundare. (Abundare quis sciat.) Qui acceptis alimentis non ad ingurgitationem ventris vtitur, sed ad reparationem virtutis, scit satiari. (Satiari quis sciat.) Qui alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat, nec pro necessitate victûs agit aliquid, vndè anima peccati laqueum incurrat, scit esurire. (Esurire quis sciat.) Quem ergò nec in * abundantia superbia eleuat, nec in necessitate cupiditas irritat, nouit abundare, nouit & penuriam pati. (* al. abundanti) Qui ergò in prosperitate non eleuatur, aduersitate non frangitur, suasionibus ad malum non trahitur, vituperationibus à bono opere non reuocatur, spiritali arte refertus, non infirmatur in pœnis, sed proficit sanus semper in melius. *quæ cùm fuerint à nobis die noctúq; incessabiliter adimpleta, & in die iudicij reconsignata.* Hæc enim sacratissima suprà dicta Domini præcepta nobis præsenti consignantur in vita, vt operemur in eis, & operantes custodiamus illa. * Item nobis in vita reconsignabuntur æterna, vt laboris nostri digna recipere mereamur præmia, illa videlicet, quæ ipse Dominus operarijs suis promisit, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Et, Venite benedicti patris mei: percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Et de qua Apostolus dicebat: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt Deum. *Officina verò, vbi hæc omnia diligenter operemur, claustra sunt monasterij, & stabilitas in congregatione.* A faciendo enim, officium: & ab officio, officina deriuatur. Sunt enim operantium domicilia, & omnium monachorum ibidem habitantium claustra. In quibus qui vult habitare, fraternitatem in mente, & stabilitatem debet habere in congregatione, nè vagari incipiat per diuersa terrarum spatia, aut transmigrare de cella ad alteram, & de proprijs ad non propria loca, & dicatur de illo, quod in Salomonis scriptum inuenitur libro: Sicut auis, inquit, migrans de nido suo, sic vir relinquens locum suum. Quid enim per auem signatur, quæ relinquit nidum suum, nisi monachus qui relinquit locum & propositum suum? Meliùs enim relinquit mentis vagacitatem, & cordis firmiter locique teneat stabilitatem, & ad perfectum ducat bonum quod cœpit agere, quia scriptum est: Non qui inchoauerit, sed qui perseuerauerit in finem, hic saluus erit.

* al. Iterùm

Matth. 11.

Matth. 25.

1. Cor. 2.

Quæ requiruntur ab eo, qui vult habitare in monast.

Prouer. 27.

Matth. 10. & 24.

De obedientia.

CAPVT V.

PRimus itaque humilitatis gradus, est obedientia sine mora. Quæritur à plurimis, cur beatus Benedictus in hac regula duos humilitatis gradus dixerit esse primos. Vnum istum, quem in manibus tenemus: alterum verò, qui in duodecim gradibus ponitur primus. Sed sciendum est, quia ille est primus in corde, & iste secundus in actione. Sicut enim ille est primus in ordine, ità & in cogitatione, voluntate, desiderio & conuersione. Iste tamen qui hic ponitur primus, illic inuenitur in ordine esse secundus. Sic enim dicit in isto: Hi tales relinquentes statim, quæ sua sunt, & voluntatem propriam deferentes, illam Domini imitantur sententiam, qua dicit: Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me. In illo verò dicitur: Secundus humilitatis gradus est, si propriam quis non amans voluntatem, desideria sua nô delectetur implere, vocè illam Domini factis imitetur, dicentis: Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me. Eccè quomodò probatur, quia ipse, qui hic ponitur primus, illic positus inuenitur esse secundus. Ergò ille est primus in ordine & cogitatione, iste primus in operis actione. Ille primus in conuersionis, iste primus initio actionis. Ille primus in anima spiritualiter, iste primus in obediêtia corporaliter.

Quæstio. Cap. 7.

Solutio.

Ioan. 6.

Vndè

Vndè istius capituli titulus non de humilitate, sed de obedientia discipulorum est prænotatus: in illo autem de cogitatione, voluntate & desiderio tractatur. In isto verò, de discipulorum obedientia disputatur. Obedientia verò discipulorum, priùs Deo in corde, posteà exhibenda est magistro in actione. Interiùs enim vnusquisque timore Domini tactus, egreditur ad publicum * obedientiæ, quasi discipulus magistro. Nisi enim Domini cópellente timore, nunquàm se in regulari vita alter alteri subderet. Sed Domini compulsus timore pariter & amore, fit vt alter subdatur alteri, regatur alter ab altero. Postquàm enim timor Domini cor penetrat, festinus sibi alium ducem quærit ad vitam, vt quò per se ire non valet, altero ducente perueniat. Vndè & hic beatus Benedictus volentibus æternam peruenire ad vitam, ordinatissimè initium operis viæque demonstrat, dicens: *Primus humilitatis gradus est, obedientia sine mora.* De obedientia beatus Benedictus disputaturus, non ordinis, vt prædictum est, gradum, sed laboris rationabiliter hic posuit primum, quem sine mora cóuenit implere discipulum, qui sine mora vult cælorum conscendere regnum. Sine tarditatis enim mora monachus debet facere obedientiam, qui sine tarditate laboris sibi vult recipere præmia. Sine tarditate enim habet victoriam, qui humiliter obediens, contra hostem fortiter dimicat. Scriptum est enim: Vir obediens loquitur victorias. Quid enim mirú, si peccator homo obedientiæ in præsentis vitæ breuitate se subijcit, quandò ipse mediator Dei & hominum semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, factus est obediens vsque ad mortem, & charum habens hominem, quem propterea morte redemit, charum se omnibus sanctis suis exhibuit. Vndè & sequitur: *Hæc conueniunt his, qui sibi nihil Christo charius aliquid existimant.* Nihil omninò, vt Christum, Christianus debet habere charum, quia idem ipsum, & non alium suum creatorem, redemptorem esse cognoscit & Dominú. Nihil ergò, vt Christum, debemus habere charú, si vacat, quia ille nihil sic charum, sicut electorum habuit cunctum. Sic enim nos dignatus est charos habere, vt pro nobis non recusaret, suum sacrum sanguinem fundere. Sit ergò nobis ille charus, vt pater: nos illi, vt filij. Diligamus ergò Dominú IESVM CHRISTVM, quia ille prior dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Nihil enim amori illius debem⁹ præponere, sed super omnia eum debemus amare, atque diligere: quia cum illo speramus in æternú regnare. Ipse enim ait: Qui amat patrem, aut matrem plùs, quàm me, non est me dignus. Quis tam stultus & hebes potest effici, vt vitam & salutem suam non velit diligere? Christus enim vita & salus nostra est, qui dixit: Ego sum via, veritas, & vita. Christus est ergò, dum in hoc mortali corpore viuim⁹ spes nostra, Christus defensio nostra, Christus gubernatio nostra, Christus fortitudo nostra, Christus solatiú nostrum, Christus redemptio nostra, Christus pastor noster, salus & protectio nostra, Christus iustificatio, sanctificatio, & illuminatio nostra, & in futuro seculo erit gloria nostra, Christus exultatio nostra, Christus glorificatio nostra, Christus pax nostra, Christus hæreditas nostra, Christus æternitas nostra, Christus lux nostra, Christus claritas nostra, Christus sanitas nostra, Christus corona nostra, Christus sapientia nostra, Christus regnum nostrum, Christus præmium nostrú, Christus gaudium nostrum, Christus munus nostrum, Christus decus nostrum, Christus refectio nostra, Christus requies nostra, Christ⁹ omnia hona nostra, omnia sancta, omnia amabilia, omnia desiderabilia nostra. Et ideò nihil charius cóuenit nobis habere, quàm Christum. In illo enim & per illú viuimus, mouemur & sumus, propterea nihil charius illo aliud aliquid habere debemus. Sed qui volunt in æternú cum ipso regnare, debét sine mora imperanti obedire, & hoc quod sequitur, facere, *i. propter seruitium sanctú, quod professi sunt, seu propter metum gehennæ, vel gloriã vitæ æternæ, mox vt aliquid imperatum à maiore fuerit, àc si diuinitùs imperetur, moram pati nesciunt in faciendo.* Propter seruitium sanctum quod professi sunt, dixit: id est, pro illa professione, quam monachus coram omnibus promisit ante altare, dicens: Promitto * stabilitatem meam, & cóuersionem morum meorum, & obedientiam coram Deo & sanctis eius. Ista ergò regularis professio, si vsque ad calcé vitæ in monasterio operibus impleatur, rectè seruitium sanctú vocatur, quia per istam sanctus effectus monachus, sancto Domino sociatur. Et siue pro isto seruitio, i. vt possint implere illã: quia melius est nó vouere, q̃ post votú * retrorsùm abire. Seu propter metum gehennæ, i. nè in gehennam descendãt, crucienturq; in æternùm. Vel gloriã vitæ æternæ, i. ad illam perueniant gloriam, vt sicut sol in conspectu patris fulgeant, clarescãt, luceant. *mox vt aliquid imperatum à maiore fuerit, àc si diuinitùs imperetur, moram pati nesciunt in faciendo. De quibus Dominus dicit: Obauditu auris obediuit mihi.* Id est, in ipso auditu, quo vocem meam audit, statim & sine mora mihi obtemperauit, & obediuit. Hoc enim testimonium de psalmo decimoseptimo sumptum est, vbi populi gentium facilitas credulitatis laudatur à Domino, qui oculis cor-

Marginal notes: *al. obedire. — Cur in religione alter alteri se subijciat. — Obedientia præstanda sine mora. — Prou. 21. — Phil. 2. — 1. Pet. 1. — 1. Ioan. 4. — Gal. 2. — Christianũ cur nihil debet esse charius Christo. — Matth. 10. — Ioan. 14. — Act. 17. — *al. de stabilitate mea, & cóuersióe &c. — Eccl. 5. — *al. promissa non reddere. — Matt. 13. — Psal. 17.

corporeis Dominum nostrũ Iesum Christum non viderunt, sed de illo prædicantibus Apostolis velociter crediderũt. Quorum exemplar & monachi obedientes modò sequuntur, qui senioribus à Deo missis faciliter obediunt. Et vt intelligant nõ tantùm se homini, sed magis Deo obedire, & obedientiam, quam maioribus exhibẽt, retributori omnium bonorum Domino commendare, audiant Dominum doctoribus dicentem quod sequitur: *Qui vos audit, me audit.*

Matt. 10.

Dominum enim probâtur audire, qui doctoribus ad obediendum cordis inclinant aurem: & obedientiæ suæ à Domino recipient mercedem, qui senioribus non tardant humiliter obedire. Qui ergò talem merentur habere operis sui retributorem, necessè est vt semper obediant cum magna cordis alacritate. De quibus & subditur: *Ergò hi tales, relinquentes statim quæ sua sunt, & voluntatem propriam deserentes, mox ex occupatis manibus, & quod agebant, imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede iubentis vocem factis sequuntur.* Hi nimirùm, quæ sua sunt relinquunt, qui propter aliorum vtilitatem, suam imperfectam dimittunt, & plùs proximis, quàm sibi, placere contendunt, & nõ propriam voluntatem, sed magis proximorum implere conâtur. Et mox ex occupatis manibus, id est, à cunctis operibus quæ operabantur, disiũcti, & ab omnibus actionibus separati vel expediti, quod agebant, imperfectum relinquunt.

Ob obediẽtiæ perfectionem alia opera sunt relinquenda.

Propter obedientiæ enim perfectionem, omnium aliorum actio relinquenda est operum: quia magis placet Deo obedientia, quàm victima. Obedientia quippe victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. *vicino obedientiæ pede iubentis vocem factis sequuntur.*

1. Reg. 15. Greg. li. 35. Mor. ca. 12.

Propterea appropinquat pes obedientiæ, vt festinanter currere, & quod ei iniungitur, velociter & sine tarditate possit implere. Cuius non solùm corpore, sed & corde est imperanti exhibenda velocitas, vt nec corpori tarditas, nec cordi tepida resistat voluntas: sed iubentis vocem velox auditor digno compleat opere, vt, cùm tempus retributionis aduenerit, dignam à Domino mercedem accipere possit. Pro cuius mercedis desiderio, efficaciter, quod sequitur, est implendum. Dicit enim, *& veluti vno momento prædicta magistri iussio, & perfecta discipuli opera in velocitate timoris Dei ambæ res communiter citiùs explicantur.*

Momentũ vndè dictũ.

Momentum à breuitatis tempore est dictum, eò quòd in breui compleatur obedientiæ opus iniunctum. Cùm enim charitatis causa boni magistri iussio, & obedietis discipuli operatio, vnanimiter cõiunguntur, sine dubio bonum fructũ parturiunt: quia non est infructuosa spiritûs sancti coniunctio, vbi non est animarum nociua disiũctio. Corda enim timore Domini copulata, velociter parturiunt infirmantibus animabus salutis medelam. *quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit, ideò angustam viam arripiunt, vndè Dominus dicit: Angusta via est, quæ ducit ad vitam.*

Matt. 7.

Hoc in loco beatus Benedictus, hi, pronomen in subauditione reliquit: Quod si addideris, clariùs ea, quæ dicuntur, aduertis: id est, si dixeris, hi, quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit, ideò angustam viam arripiunt, vt non suo arbitrio viuentes, & quæ sequuntur. Miro modo & à Domino sic compositum, vt per viam angustam & arctam ascendant electi ad cæli latissimam patriam, & per viam amplam & latissimã descendant reprobi ad inferni angustissima claustra.

Iter ad cælum, angustum: ad infernũ, spatiosum.

Per iter enim angustissimum veniunt sancti ad amplissimũ regnum, & per iter amplum ad angustissimum iniqui perueniunt barathrũ. Mutatur enim tempus malignis diuitibus, mutatur & sanctis pauperibus. Illis, vt de spatiosa voluptatis via, ad angustas inferni trãseant pœnas: Istis, vt de præsenti angustia, ad cæli latissimam atque clarissimam trãseant gloriam. Illi, vtq; de molli & dissoluta via, ad angustum mittantur tartarum: isti, vt de angusto & violento corporis actu, ad amplum cæli transeant regnum. Hinc Dominus ait: Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Matth. 11.

Non enim qui molliter & dissolutè viuit, regnum Dei possidet, sed is, qui pro illo viriliter agit. Hinc beatus Hieronymus ait: Lata via, est seculi voluptas, quam appetunt homines: angusta, quæ per labores & ieiunia panditur. Sed per latam multi ambulant, arctam autem pauci inueniunt.

in cap. 8. Matth.

vt non suo arbitrio viuentes. Periculosum est enim monacho, suo proprio viuere arbitrio, nè fortè dicat esse bonum, quod ab alijs non bonum, sed iudicatur, & est malum: Et dum se putat per rectam videns currere viam, in damnosam cæcus incidat foueam.

Arbitrio suo viuere, monacho periculosum est.

Sicut scriptum est: Est via, quæ videtur ab hominibus recta, sed nouissima eius deducunt ad tartara.

Prouer. 14.

Et propterea non desiderijs suis viuere & seruire, sed præceptis Domini debẽt monachi humiliter obtemperare. Nec voluptatibus seruire proprijs, sed in timore Domini humiliter eius subijci debent mãdatis, vt cum Dauid possint dicere, Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.

Psal. 118.

sed ambulantes alieno iudicio & imperio. Hic iudiciũ pro discretiõe vel arbitrio posuit. Alter enim debet discernere opus, quod bon⁹ & mortificatus pro Christo debeat agere monachus: & vt operis sui mercedẽ cõsequatur à Dño, alterius debet subdi imperio. Suauiùs enim

currit

currit mandatorum viam Domini, cuius opus alter discernit & iudicat. *in cœnobys degentes, Abbatem sibi praeesse desiderant.* Cœnobia enim multorum & in commune viuentiũ vocantur monasteria monachorum, quia ex Græco vocabulo nomen videtur habere compositum. κοινὸν Græcè dicitur, quod nos commune vocamus.

Monachi cur Abbatẽ sibi præesse desiderent.

In cœnobijs ergò degentes, id est, in communi cum pluribus habitantes, ideò Abbatem sibi præesse desiderant, vt illo gubernante viam mandatorum Domini leuiùs currant, illoque regnante leuiùs viuant, & præmia, quæ illis in futuro promissa sunt, suauiùs appræhendant: scientes, quia quanto se alterius potestati pro Christi amore subdi cõsentiunt, tanto in futuro seculo cum ipso Domino feliciter exaltati gaudebunt: & quia ipsum Dominum, qui dixit, Nõ veni facere voluntatem meam, sed eius, qui me misit, factis imitantur, cum illo sine dubio felices in æternum regnabunt.

Ioan. 6.

Sed hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, & dulcis hominibus: si, quod iubetur, non trepidè, non tardè, nõ tepidè, aut cum murmure, vel cum responso nolentis efficiatur.

Obedientia qñ Deo sit acceptabilis.

Acceptabilis est obedientia Deo, si corde puro velociter fit, & sine murmuratione. Et dulcis hominibus, si sine pigredine, cum alacritate vel iucũditate fit mentis.

Eadẽ qñ sit hominibus dulcis.

Vndè & subditur: *non trepidè.* Trepidare dicitur timere vel dubitare. Ille enim obedientiam facere trepidat, qui in Domini adiutorio firmiter non sperat: qui verò de Christi auxilio confisus fuerit, obedientiam pro Christo facere non trepidabit, quia scriptum est: Qui timent Dñm, sperauerunt in Domino, adiutor eorũ & protector eorum est.

Obedientiã quis trepidè faciat.

Psal. 113.

non tardè. Ille monachus tardè facit obedientiã, qui non ex illa desiderat ęterna recipere pręmia. Quẽ enim ad obediendũ Dei amor nõ excitat, corporis ocio delectatus, obedire senioribus tardat, ignorans, quia qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictione, i. in abũdantia benedictionis, abũdanter & in benedictione metet vitã æternam.

Tardè quis obedientiã faciat.

2. Cor. 9.

non tepidè. Tepidè, dicitur molliter, segniter, vel dissolutè. Ille enim monachus obedientiam tepidè facit, qui nõ timet, quod Dominus de tepidis dicit. ait enim: Quoniam tepidus es, & nauseam facis, incipiã te euomere de ore meo. Nec Paulo accommodat aurem, dicenti: Spiritu feruentes, Domino seruientes. Feruentes, & non tepidos, decet esse in Christi seruitio monachos, vt igne charitatis accensi, quæ faciũt, non tepidè faciant, sed velociter & expeditè. Ille enim ignis diuinus, quem Dominus, volens vt arderet, misit in terram, ad obediendum monachorum bonorum velociter excitat corda, vt tanto illi obediendo citiùs placeant, quanto cum illo citiùs regnare desiderant.

Tepidè qs obedientiã præstet.

Apoc. 3.

Rom. 12.

aut cum murmurio. Qui enim cum murmurio facit obedientiam, nec ab imperante laudem, nec à Domino recipiet mercedem: sed potiùs ab Abbate corporis disciplinam, & à Domino eam, quæ murmurantibus debetur, iustam recipit pœnam. Infeliciter enim perdit vtrunq;, & pœnaliter conquirit vtrunque. Perdit laudis atq; mercedis gratiam, & conquirit corporis simul & animæ pœnam.

Obedientia cum murmure, mala cur sit.

vel cum responso nolentis efficiatur. Ille enim monachus, qui cum nolentis responso inchoat obedientiã, aut emendet citò peccatũ, voluntatem pariter & respõsum, aut festinus in murmurationis labitur peccatũ. At verò si citò emendauerit responsum pariter & voluntatem, obedientiæ suæ non perdet mercedẽ: quia misericors & miserator Dominus, pœnitentibus citò dimittit. *quia obedientia quæ maioribus præbetur, Deo præbetur* Cum magno enim cordis amore, corporisq; velocitate fieri debet obedientia, quam ipse Dominus factam in suam recipit personã: vt facientibus eam, cùm retributionis tempus aduenerit, plenissima tribuat præmia. Ipse enim omnibus in laboris obedientia positis, cùm tempus æternę * retributionis aduenerit, dicet: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã vos.

*al. refectionis

Matt. 11.

Ergò cum magna cordis alacritate debet monachus obedientiam facere, qui talem sperat ex illa habere retributorem. Vndè & sequitur: *Et cum bono animo à discipulis præberi oportet, quia hilarem datorem diligit Deus.*

2. Cor. 9.

Hilariter obediendũ.

Hæc enim sententia nõ solùm de illa, quæ specialiter pauperibus tribuitur, eleemosyna, sed etiam generaliter de omniũ monachorum intelligitur obedientia: quia quidquid obediendo bonus monachus agit, totum Deo tribuit, cui se & totum vouit. Ieiunium enim, vigilias, abstinentiam, super impositum cursum, & omnem omninò corporis & cordis actum Deo tribuit totum, à quo laboris sui centuplum sperat recipere fructum. Ergò qui cum hilaritate & multiplicatione vult à Domino obedientiæ suæ recipere fructum, cum hilaritate debet maioribus obedire: quia qui maioribus obedire contemnit, sine dubio Domini imperio contradicit, qui discipulis & omnibus doctoribus dicit: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.

Matt. 10.

Non est ergò obedientia, quæ à maioribus iniungitur, spernenda, sed potiùs amanda & diligenda, & inquantùm vires suppetunt, cum hilaritate est operibus exequenda. Scriptum est enim: In omni dato hilarem fac vultum tuum: In omni ergò dato hilarem facit vultum, qui non cum tristitia aut rancore, sed sereno vultu animoque læto prębet auditoribus sermonem, pauperibus

Eccli 35.

Hilarem vultum in omni dato quis faciat.

panem,

panem, maioribus autẽ cor humile & obediens. Iste enim in omni dato hilarem facit vultum, & ideò omne suum datum, à Domino credit esse receptum & aptum. Qui autem ieiunant, sed non cum hilaritate: vigilant, sed non cum hilaritate: abstinent, sed non cum hilaritate: & cætera multa bona faciunt, sed non cum bono animo & hilaritate: non accipiunt à Domino laboris sui mercedem, sed à maligno murmurationis condemnationem. Vndè & subditur: *Nam cum malo animo si obedit discipulus, & nõ* Ibidẽm. *solum ore, sed etiam corde si murmurauerit, etiamsi impleat iussionem, tamen acceptum iam nõ erit Deo, qui cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullã consequitur gratiam, immò pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendauerit.* Bono animo, & corde puro, est obediendũ. Cum bono enim animo, & corde puro, & humili spiritu debet obedire discipulus magistro, vt obedientiæ suæ gratiam accipiat apud Deum. Nam quandò cum malo obedit animo, & superbus, & murmurans, & Heb. 4. inobediens, tenetur à Deo. Deus autẽ, cui omnia nuda & aperta sunt, murmurantiũ etiam & tacentium corda condemnat. Propterea quidquid faciunt monachi, absque murmuratione faciant, nè, (quod absit) murmurando ea sententia pereant, qua illi 1. Cor. 10. perierunt, qui in deserto contra Dominum murmurauerunt, & perierunt manna manducando, & isti in monasterio scripturas legẽdo & recitando, & insupèr murmurãdo. Illi manna manducando mortui sunt, & isti scripturas legẽdo & audiendo, spiritali fame quotidiè moriũtur. Illi murmurãdo terrã ꝓmissionis nõ introierũt, & isti murmurando paradisum perdẽt, & ꝓmissionis terram, id est, æternam cæli patriam, non ingredientur. Quid enim prodest murmurantibus, exteriùs agere opus iniunctum, & interiùs à mercedis præmio remanere vacuos? Melius est ergò, maioribus obedire cum gaudio, & recipere præmium sempiternũ, quàm tristi animo obedire, & laboris sui præmia perdere, & si factis compleat iussionẽ magistri, iussionẽ Phil. 2. tamẽ nõ implet Apostoli, qui dixit: Omnia facite sine murmurationibus, & hæsitationibus.

De taciturnitate.
CAPVT VI.

Taciturnitas qualis sit virtus. Taciturnitas virtus est humilitatis & indicium grauitatis, nutrix virtutum, & custos est animarũ. Prou. 21. Hinc Salomon ait: Qui custodit os suum & linguam suam, custodit ab angustijs animam suam. Ab angustijs videlicet æternę pœnę liberat animam suam, qui taciturnitatem amans, à malo & prauo vel omni * multiloquio custodit & refrenat *al. stultiloquio linguam suam, dicens cum propheta: Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam Psal. 38. in lingua mea. Ille benè vias, id est, actus vitæ suæ, custodit, qui in lingua minimè offendit. Vias suas quis custodiat. Modicũ enim membrum est lingua, sed multas rixas & multa sæpè committit scandala. De qua Iacobus Apostolus ait: Linguam nullus hominũ domare potest, Iacobi 3. inquietum malum, plena veneno mortifero, & reliqua. Qui ergò in lingua sua nõ vult delinquere, priùs vias suas, id est, actus vitæ suæ, solicite debet prouidere, nè subitò labatur in lingua, qui antè suas prouidere neglexit vias. Ori custodiam quis ponat. Sequitur: *Posui ori meo custodiam.* Ille benè custodiã ori suo ponit, cuius lingua nec in vaniloquium, nec in multiloquium, nec in maliloquium procaciter *labitur: sed secundùm Salomonẽ, *al. fluit. tempus tacẽdi, & tempus expectat loquendi. Eccles. 3. Item scriptum est: Homo sapiens tacebit vsque ad tempus: lasciuus autem & imprudens non seruat tempus. Eccli 20. Sed & ille custodiam ori suo ponit, qui se non iustum, sed, quod magis verum est, peccatorem fatetur. Nè ergo in maliloquium labatur lingua, ponat vnusquisq; ori suo custodiam, & diligenter, quid de * maliloquio Apostolus dicat, attendat. *al. maleloquentib. Ait enim inter cætera superiùs vel subteriùs nominata mala: Neque ebriosi, neq; maledici, neque rapaces 1. Cor. 6. regnum Dei possidebũt. Sed & in lege Dominus filijs Israel præcepit, dicens: Maleficos nõ sinas viuere in terra. Exodi 22. Nè ergò in vaniloquium defluat lingua, audiamus quid Psalmista de vaniloquijs dicat. Ait enim: Vana locuti sunt vnusquisq; ad proximũ Psal. 11. suum, labia dolosa in corde, & corde locuti sunt malum. Disperdet Dominus vniuersa labia dolosa &c. Nè in multiloquiũ incõsideratè lingua cadat, audiamus quid Salomon dicat. Dicit enim: In multiloquio non effugies peccatum. Prouerb. 10. Et qui multis vtitur verbis, lædit animam suam. Ponenda est ergò custodia ori nostro, nè effrenatè loquentes, aut per maliloquium, aut per vaniloquium, aut per multiloquium offendamus Dominum Deum nostrũ. Per effrenationem enim linguæ, sicut beatus Augustinus ait, irarum seminãtur stimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faces Greg. lib. 7. Mor. ca. 24. odiorũ, pax tota extinguitur cordium, & cæterorum multorum redundat copia vitiorum. *Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis.* Hanc sententiam beatus Benedictus in taciturnitatis exposuit laude, dicens: *Hic ostendit Propheta, si à bonis eloquijs interdum propter taciturnitatem debet taceri: quanto magis à malis verbis, propter pœnam peccati, debet cessari?* Sic enim quidam ait: Pro vitioso verbo, ratio ponitur: pro sermone iniusto, pœna exoluetur. *Obmutui,* i. silentium mihi, nè in loquacitate peccarem, voluntarius imposui.

Eccli. 19. posui. Scriptum est enim: Qui odit loqua-
citatem, extinguit malitiam. Hinc Isaias
Esa. 32. ait: Cultus iustitiæ, silentium: videlicet
indicans, quia mentis iustitia desolatur,
* al. locuti-one quandò ab immoderata * loquacitate lin-
gua non compescitur. Taciturnitas, vt di-
Taciturnitas cur dicatur humilitatis virtus. ctum est, virtus est humilitatis: quia quan-
tò taciturnitatis freno constringitur lin-
gua, tanto mens humilitatis erigitur ad
summa: Et quanto se sub silentio depri-
mit, tanto compunctionis aciem in cęlum
figit: Et quantùm se ad compunctionis
gratiam humiliatus animus eleuat, tantùm
se iterùm compunctus humiliat. Vndè &
sequitur: *humiliatus sum, & silui à bonis.* Nisi
enim priùs humiliatus esset, à bonis malisq;
non siluisset. Humiliatus enim, intelligi-
tur humi prostratus. Qui ergò taciturnita-
tis virtutem veraciter amat, necessè est vt
ad tempus etiam à bonis locutionibus ta-
ceat, vt virtutes cæteras ad tempus tacen-
do nutriat, quas nutritas iterùm tempore
cõgruo sapiẽter proferat. Hinc per quen-
Eccli. 20. dam sapientem dicitur: Est tacens, qui in-
uenitur sapiens: & est odibilis, qui procax
est ad loquendum. àc si diceret: Ille se ta-
cendo sapienter componens nutriuit: iste
procaciter loquendo odibilem fecit. Ille,
quia tacuit, inuentus est sapiens: iste, quia
loquendo excessit modum, inuentus est
procax. *Ergò quamuis de bonis & sanctis ad ædifi-*
Eloquia Domini cur bona, sancta, & ad ædificationem apta dicantur. *cationem eloquijs, perfectis discipulis propter taciturnitatis grauitatem, rara loquendi concedatur licen-*
tia. Bona & sancta, & ad animarum ædifi-
cationem apta Domini dicit eloquia: quia
nisi anima illis composita, ad cælorum mi-
nimè poterit conscendere regna, aut cum
sanctis sancta recipere pręmia. De his enim
Psal. 11. eloquijs dicit Psalmista: Eloquia Domini,
eloquia casta: argentum igne examinatum
Psal. 18. &c. Hinc iterùm ipse: Iudicia Dei iustifi-
cata in semetipsa, desiderabilia super aurũ
& lapidem preciosum multùm: & dulcio-
ra super mel & fauum. Etenim seruus tuus
custodit ea, in custodiendis illis retributio
multa. Hinc Paulus ait: Scimus quia lex
Rom. 7. bona & sancta & iusta est. Hæc sunt elo-
quia Domini, quæ credentibus & facien-
tibus ea æternam præparant vitam. Quæ
propter taciturnitatis grauitatem tenen-
dam, rarò conceduntur discipulis prædi-
canda, nè fortè dum taciturnitatis suæ in-
cauti egrediuntur claustra, in elationis
præcipites foueam cadant: aut silentij sui
transeant terminum, & suæ patiantur ani-
mæ detrimentum: perdant taciturnitatis
proficuam grauitatẽ, & in damnosam in-
cidant animæ leuitatem. Vndè & sequitur:
Prouerb. 10. *quia scriptum est: In multiloquio non effugies pec-*
lib. 7. Mor. cap. 25. *catum.* Hinc beatus Gregori⁹ ait: Quia mul-
tiloquio quisque seruiens, rectitudinem
iustitiæ tenere nequaquàm possit, testatur

Propheta qui ait: Vir linguosus non di- Psal. 139.
rigetur super terram. Hinc beatus Ambro-
sius dicit: Est homo qui silentium affectat
quidem, sed cor eius multùm se conde-
mnat. Iste tàlis multùm loquitur. Est ali-
us qui manè vsque ad vesperum loquitur,
& cum discretione silentium magnum cu-
stodit. Melius est enim, silentium tenere, Culpa tacendo facilius, quàm loquendo refugitur.
quàm aliquid malitiosè dicere. Faciliùs
enim tacendo culpa refugitur, quàm lo-
quendo. Hinc enim scriptum est: Noli
citatus esse in lingua tua. Et, Priusquàm Eccli. 4.
audias, nè respondeas verbum. Et, In me- Eccli. 11.
dio seniorum nè adijcias loqui. Et, Non Eccli. 12.
loquaris, nisi interrogatus fueris. Interro-
gatio enim os monachi aperiat. Maneat in
verbo eius mensura, in sermone eius state-
ra: semper verba eius sint moderata, modũ
loquendi nòn transeat, & plùs diligat sem-
per audire, quàm loqui. *Et alibi: Mors & vi-* Prouer. 14.
ta in manibus linguæ. Lingua namq; manus nõ
habet, sed per Metaphoram, pro operibus
manus dicitur habere linguã, sicut & Psal-
mista ait: Erue à framea Deus animã me- Psal. 21.
am, & de manu canis vnicam meam. In Mors & vita in lingua.
manibus ergò linguæ, mors & vita consi-
stit: Quia, vt Iacobus Apostolus ait, Ex Iacobi 3.
ipso ore procedit maledictio & benedi-
ctio. Quandò enim veritatem loquimur ad
Dominum qui dixit, Ego sum via, veritas Ioan. 14.
& vita: benedicimus Deum, & in manibus
linguæ vitam tenemus. Quãdò verò men-
timur, maledicimus fratrem nostrum, odi-
entes detrahimus: in manibus linguæ mor-
tem tenemus, quia scriptum est: Os quod Sap. 1.
mentitur, occidit animam. Et, Qui odit fra 1. Ioan. 3.
trem suum, homicida est. Hinc iterùm Ia-
cobus ait: Lingua ignis est, vniuersitas in- Iacob. 3.
iquitatis. Ignis lingua est, quia virtutum Lingua cur ignis dicat.
syluam male loquendo deuorat, & cuncta
ferè facinora per eam concinnantur, aut
patrantur, aut defenduntur. Concinnan-
tur, vt latrocinia vel stupra. Patrantur, vt
periuria & falsa testimonia. Defenduntur,
quandò commissa delicta interroganti ne-
gantur. Ipse iterùm dicit, Eccè quantus Ibidèm.
ignis, quàm magnam syluam incendit. Sic-
ut enim à modica scintilla ignis excrescẽs,
magnam sæpè syluam incendit: ità incon-
tinẽtia linguæ suis nutrita leuitatibus, ma-
gnã bonorũ operum materiẽ, multos vitæ
spiritales fructus vbi attaminauerit, per-
dit: sed & innumera plerunq; optima, quę
videbantur locutionis folia, consumit.
Nam loqui & docere, magistrum condecet: tacere Magistrum loq. & docere decet.
& audire, discipulo cõuenit. Loqui & docere, ma
gistrum decet: quia illi per Prophetam di-
citur: Clama, nè cesses, dicit Dominus: Esa. 58.
quasi tuba exalta vocem tuam, & annun-
cia populo meo scelera eorum, & domui
Iacob peccata eorum. Ipsi iterùm per eun-
dem Prophetam præcipitur: Super mon- Esa. 40.

Discipulis audire & tacere conuenit.

Lucæ 8. Iacobi 1.

tem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion. Dic ciuitatibus Iudæ, & reliqua. *Tacere & audire, discipulo conuenit.* Discipulis enim dicitur: Qui habet aures audiendi, audiat. Hinc Iacobus Apostolus ait: Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Rectè primò admonet, aurem quenquam citiùs accommodare docenti: serò autem os ad docendum aperire. Qui ergò sapientiam diligit, primò hanc à Deo postulet, dehinc magistrũ veritatis humilis auditor inquirat: & inter agendum suam cautissimè linguam nõ solùm ab ociosis sermonibus coërceat, verùm & ipsa quam nupèr didicit veritatem prædicanda contineat. Nam, & tutius est, vt audiatur, quàm prædicetur: quia cùm auditur, humilitas custoditur: cùm autem prædicatur, vix non subripit cuiuis homini quantulacunq; iactantia. Hinc Ieremias bene iustam adolescenti viam describens, modestiam taciturnitatis inter prima virtutum studia computat: Bonum est viro, inquit, cùm portauerit iugum ab abdolescentia sua. Sedebit solitarius & tacebit. *Et ideò, si qua requirenda sunt à Priore, cum omni humilitate & subiectione requirantur.* Qui enim à Priore cõsilium salutis & verba doctrinæ requirit, cum omni humilitate vel subiectione quærere debet: quia summa monachi virtus, est humilitas: summum vitium eius, superbia. Tunc autẽ se quisq; monachum iudicet, quandò se minimum existimauerit, etiam cùm maiora virtutum opera gesserit. Semper enim conscientia serui Dei, humilis debet esse & tristis: scilicet, vt per humilitatem non superbiat, & per vtilem mœrorem cor ad lasciuiam nõ dissoluat. *Scurrilitates verò, vel verba ociosa, & risum mouentia, æterna clausura in omnibus locis damnamus, & ad talia eloquia discipulo aperire os non permittimus.* Scurrilitates autem dicuntur ioca turpia vel improba, vel irrisionibus digna, quæ à monachis omnimodò debent esse aliena. Decet enim monachum doctrinæ proferre sermonem, non ioci scurrilitatem. Mentis debet habere grauitatem, non ioci vel scurrilitatis leuitatem. Iustum, honestum, & rationabile debet habere verbum, non leue, vacuum, & à grauitatis gratia alienum. Meditetur ergo necessè est monachus, in hymnis, psalmis & canticis, non in verbis vacuis, vanis, vel ociosis. Plerunq; per quosdam gradus desidiosa mens in foueam lapsa impellitur, & dum ociosa verba cauere negligimus, ad noxia peruenimus, vt priùs loqui aliena libeat, & postmodùm detractionibus vitam, de quibus loquitur, mordeat. Hæc nos cauere Dominus admonet, dicens: Omne verbum ociosum, quod locuti fuerint homines, rationem reddent de eo in die iudicij. Si ergò ratio de ocioso sermone exigitur, pẽsemus quæ pœna de multiloquio maneat, in quo etiam per noxia verba peccatur. Nam ociosa verba, ipsa solent esse & risum mouentia. Propterea cauendum est omnibus nobis à ioci & risûs immoderata luxuria, per quam plerunque amarissima inter fratres nascuntur scandala. Vndè & Salomon ait: Quasi per risum operatur stultus scelus. Nam & risum supra modum, quis nesciat indisciplinationis & leuitatis esse ianuam, per quam perniciosum cibum miseræ animæ diabolus subtiliter ministrat?

Tutius est audire, quàm prædicare veritatem.

Thren. 3.

Humilitas summa monachi virt⁹ est: superbia, summũ vitium.

Scurrilitates à monachis debent prorsùs alienæ esse.

Matth. 12.

Prou. 10.

De humilitate.

CAPVT VII.

Clamat nobis scriptura diuina, fratres, dicens: Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.* Hoc planè sciendum, & firmissimè à nobis retinendum, quia omnis qui se incautè de meritis, aut, quod peius est, sine meritis alleuauerit, iustè à Domino humiliabitur: & qui prouidè se de benefactis humiliauerit, iustè ab eo exaltabitur. Hinc Salomon ait: Superbum sequitur humilitas, & humilẽ spiritu suscipiet gloria. Superbum sequitur humilitas: quia qui in præsenti superbum perseuerãs viuit, post mortem humiliatus in infernum descendit. De superbis enim scriptum est: Deducunt in bonis dies suos, & in pũcto ad inferna descendunt. Hæc enim damnabilis & misera superbum sequitur humilitas. Et humilẽ spiritu, gloria suscipiet. i. gloria regni cælorum suscipiet omnes, qui humiliato viuunt spiritu. Hinc Dominus de humilib⁹ ait: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Hinc iterùm ait: Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum. Et paruulos ergò, & pauperes spiritu humiles dicit, quibus post mortem misericorditer regnum cælorum promittit. *Cùm hæc ergò dicit, ostendit nobis omnem exaltationem genus esse superbiæ.* Omnis superbia tãto in imo iacet, quanto in alto se erigit: tantoque profundiùs labitur, quanto excelsiùs eleuatur. Qui enim per propriam superbiam attollitur, per Dei iustitiam * declinatur. Superbia ergò sicut origo est omnium criminum, ità ruina est omnium virtutum. Ipsa est enim in peccato prima, ipsa in conflictu postrema. Hæc enim aut in exordio mentem prosternit per peccatum, aut in nouissimo de virtutibus deijcit. Indè & omnium peccatorum est maxima, quia tam per virtutes, quàm per vitia humanam mentem exterminat. *quod se cauere Propheta indi-*

Lucæ 14.

Prou. 29.

Superbum cur humilitas sequat.

Iob 21.

Matt. 5.

Matth. 19.

* al. inclinatur

Superbia origo omnium criminum, & ruina omniũ virtutum.

Superbia cur sit oĩm peccatorũ maxima.

Psal. 130.

indicat, dicens: Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Iste enim psalmus humilitatem prædicat, temperantiã docet, patientiam monet, & benefacientibus omnem humilitatem ostendit, concinnat atque componit. Si ergò humiliatum cor sacrificium obtulit, qui dixit: Domine, non est exaltatum cor meum. Si hoc aliquis eremita, vel cellæ suæ vacans, diceret, magnæ patientiæ laude fulgeret: quanto magis, quia hoc purpuratus rex, & prophetarum dicebat eximius? Si igitur sancti viri etiam cùm agunt fortia, de semetipsis vilia sentiunt, quid in sua excusatione dicturi sunt, qui sine opere virtutis intumescunt?

Opera nulla sunt, nisi condiantur humilitate

Sed quælibet sint opera, nulla sunt, nisi & humilitate condiantur. Miranda quippe actio cum elatione, non eleuat, sed grauat. Qui enim sine humilitate virtutes congregat, in vento puluerem portat: & vnde ferre aliquid cernitur, indè deteriùs elati oculi excæcantur.

Greg. in expositione 3. psal. pœ.

Psal. 130.

Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. Hoc est dicere: Nihil meritis meis reputaui, nihil scientiæ meæ contuli: sed si aliquid boni habui, totum gloriæ Dei dedi. Nolui quasi mirabilibus innotescere hominibus, & nec quæsiui aliquid super vires meas, vnde me apud imperitos iactarem. Aliter: In magnis enim ambulare, est magna de se vnumquenque sentire: In mirabilibus ire, est mirabile aliquid de se existimare. Quod se hîc negat propheta facere, cùm dicit: Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me.

Humilitas non tam in sermone est, quàm in mente.

Omnis autem humilitas non tam in sermone, quàm in mente est, vt humiles nos esse conscientia nouerit, & nunquàm nos vel scire aliquid, vel intelligere, vel esse existimemus, & nihil meritis nostris tribuamus, quia nihil de nostro nisi peccatum habemus.

Humiliter de nobis quandò sentiamus.

Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam. In cunctis ergò quæ agimus, humiliter de nobis sentimus, si in radice boni operis humilitatem tenemus, nec quibus superiores, sed quibus adhuc inferiores sumus, adspicimus, vt cùm meliorum nobis exempla proponimus, ad maiora semper ascendere ex humilitate valeamus.

Animã nostrã qñ exaltemus.

Exaltamus autem animam nostram, cùm in hac corporis habitatione humilia meditamur, dicẽte scriptura: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

1. Pet. 5.

Ibidèm.

Et illud: Humiliamini in conspectu Dei, & exaltabit vos. Tanto ergò quisque fit vilior DEO, quanto preciosior sibi: & * quãto preciosior Deo, tanto vilior sibi: quia humilia respicit, & alta à longè cognoscit.

*al. tanto preciosior Deo, quãto per eum vilior sibi:

Psal. 112.

Hoc autè esse proprium specimen electorum solet, quòd de se semper minora, quàm sunt, sentiunt: & infrà quàm sunt, de se humilia profe-

runt. *Sicut ablactatum super matrem suam, ità retribues in animam meam.* Qui non eleuat cor suum, neque in altum attollit oculos suos, neque ambulat in magnis, neque in mirabilibus super se, similis lactenti reperit, dicente scriptura: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.

Lactenti quis similis sit.

Psal. 8.

Hæc enim virtus ideò maximè inter eximias virtutes honorata consurgit, quoniam eam dignatio maiestatis assumpsit. Denique consideremus quantùm honorata sit humilitas, quæ superbiæ contraria, in * duodecim gradibus noscitur collocata.

*al. duodecimo gradu

Illa enim per septem principalia vitia demergit in tartarum: hæc per duodecim humilitatis gradus deducit ad cælum. *Vndè, fratres, si summa humilitatis volumus culmẽ attingere.* Summæ humilitatis culmen, vt quidam volunt, quatuor modis completur.

Culmen summę humilitatis quot modis compleatur.

Primo, si mortificatas monachus in semetipso omnes habeat voluntates. Secundo, si non solùm suorum actuum, verùm etiam cogitationum nil suo celauerit Abbati. Tertio, si nihil discretioni suæ, sed iudicio eius vniuersa committat, ac monita eius * sitiens, ac libenter auscultet.

*al. sciens

Quarto, si in omnibus obseruet obedientiæ, mansuetudinis, patientiæque constantiam. Beatus ergò Benedictus non solùm in quatuor, sed in duodecim gradibus summam atque perfectã esse voluit & definiuit humilitatem.

Humilitas perfecta & summa in quo consistat.

Nam & in hoc summa atque perfecta potest videri humilitas, si quis humiliter & patienter impleat, quod Dominus ait: Ego autem dico vobis, Nolite resistere malo: sed si te quis percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & aliam, &c.

Matth. 5.

Qui enim ista patienter & humiliter sustinet, insupèr & illud audit, quod Dominus iussit, dicens: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est: summam mihi videtur habere humilitatem, summumq; humilitatis tenere cacumen.

Ibidèm.

& ad exaltationem illam cælestem, ad quam per præsentis vitæ humilitatem ascenditur, volumus velociter peruenire. Exaltationem cælestem illam dicit, de qua Dominus ait: Fulgebunt sancti sicut sol in conspectu patris mei.

Matth. 13.

Et de qua Daniel dicit: Et qui ad iustitiam erudiunt plurimos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Dan. 12.

Hinc Psalmista ait: Nimis * honorati sunt amici tui, Deus, nimis cõfortatus est principatus eorum.

Psal. 138.

*al. exaltati

Exaltatio cælestis & summa est, vt sint sancti monachi similes Angelis, vt sint filij & hæredes Dei, cohæredes autem CHRISTI: & vt audiant à Domino, Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi: Et vt faciat eos in eodem regno discumbere, & trans-

Marci 12.

Rom. 8.

Matt. 25.

Lucæ 12.

transiens eis dignetur omnia bona ministrare, *actibus nostris ascendentibus*.

Actus nostri qñ ad superna ascendunt.

Tunc actus nostri ad superna benè ascendunt, quandò de die in diem benè viuendo ad meliora proficiunt, quandò varijs & multis fulti virtutibus, ad contemplationem nostri creatoris humiliter surgunt, & quasi per gradus ad visionem illius per animæ virtutes cõscendunt, ità vt de nobis dicatur:

Psal. 83.

Ibunt de virtute in virtutem, & videbitur Deus Deorum in Sion. *Scala illa erigenda est,*

Genes. 28.

quæ in somno Iacob apparuit, per quam ei descendentes & ascendentes Angeli monstrabantur. Non aliud sine dubio descensus ille & ascensus à nobis intelligitur, nisi exaltatione descẽdere, & humilitate ascendere.

Ascensus & descẽsus angelorum in scala, quã Iacob vidit, quid designet.

Quamuis alij Doctores aliter hanc voluissent intelligere scalam, & angelos descendentes & ascendentes per eam: beatus tamen Benedictus nostrã in hoc loco voluit negligere vitam, quæ virtutibus plena, ad cælum est quotidiè erigenda. Angelos verò ascendentes & descendentes, animas intellexit in regulari vita degentes. De quibus aliæ se humiliando ascendunt ad cælum, aliæ verò superbientes, de ipsis virtutum gradibus, profundum cadunt in

Luc. 14. & 18.

tartarum, & impletur in eis: Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. *Scala verò ipsa erecta, nostra est vita in seculo: quæ humiliato corde, à Domino erigitur in cælum.*

Scala nostra ad cælum quãdò erigatur.

Tunc scala, id est, vita nostra ad cælum benè à Domino erigitur, quandò corda nostra cum manibus, id est, cum bonis operibus, à nobis sursùm leuantur,

Coloss. 3.

quandò secundùm Apostoli cõmonitionem, quæ sursùm sunt, sapimus, non quæ super terram: quandò ad cælum suspirãtes cælestia meditamur & quærimus: quandò ea, quæ retrò sunt, obliuiscimur, & ad ea, quæ priora sunt, nos extendimus: quandò tota mentis intentione ad

Phil. 3.

palmam sequimur supernæ vocationis: quandò de cælestibus meditantes, cum

Ibidèm.

Paulo dicere possumus, Nostra autẽ conuersatio in cælis est. *Latera enim eius scalæ, dicimus nostrum esse corpus & animam.* Prouidè autem & sapienter nostrum corpus & animam huius scalæ duo dicit esse latera, quia ex vtroque omnis homo compositus constat, & pro amore CHRISTI, & vita æterna in vtraque substantia solicitè satagit Domini custodire mandata. Tunc enim totam nostram ad cælum erigimus scalam, quandò, auxiliante Deo, nostras etiam in hostiam offerimus illi animas & corpora, obsecrante nos Apostolo ac di-

Roman. 12.

cente: Obsecro vos, fratres, per misericordiam DEI, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.

Scala vndè sit dicta.

Scala, à scandendo, id est, ab ascendendo nomen accepit, quæ non aliter perfecta, nisi lateribus & gradibus constat. *in qua latera diuersos gradus humilitatis vel disciplinæ euocatio diuina ascendendos inseruit.*

Humilitas & disciplina quarè rectè sociẽtur.

Gradus isti ideò humilitatis & disciplinæ dicuntur, quia istæ ambæ virtutes pulcherrimè sibi inuicèm sociantur: quia quem humilitas mãsuetum, disciplinæ eruditio componit, & facit doctum. Et quem humilitas tranquillum & mitem, disciplinæ eruditio facit prouidum & sapientem. Et quia scriptum est, Neminem diligit Deus

Sapien. 7.

nisi eum, qui cum sapientia commoratur: necessè est, vt humilitati disciplina iungatur, quia eruditio disciplinæ custos est humilitatis, & humilitas temperatio est eruditionis. Euocatio dicitur, quandò ad summum bellum non solùm milites, sed etiam cæteri vocãtur. Vndè euocare, educere seu prouocare intelligitur: Quod verbum aptè satis in hoc loco est positum: quia vt ad bellandum contra diabolũ duodecim gradibus humilitatis armati fortiter consurgamus, quotidiè à Domino euocamur, educimur, ac prouocamur, vt illo duce, de victoria triumphantes, ad cælorum regna per duodecim humilitatis gradus ascendentes, perueniamus gaudentes.

De duodecim humilitatis gradibus.

1. grad. humilitatis.

P*Rimus itaque humilitatis gradus est, si timorem Dei, sibi ante oculos semper ponens.* Meritò inter duodecim gradus, iste & in dignitate, & in ordine ponitur primus.

Timor Dñi cur rectè cõstituatur primus humilitatis gradus.

Ideò primus in ordine, quia primus est in cogitatione, in corde, & voluntate. Ideò primus est in dignitate, quia à Domini incipit timore. De timore enim scriptũ est: Initiũ sapientiæ,

Eccli. 1.

timor Domini. Et, Timor Domini, disci-

Prouer. 15.

plina sapientiæ. Timor Dñi, gloria & glo-

Eccli. 1.

riatio & lætitia, & corona exultationis, & dabit lætitiam & gaudium in longitudine dierum. Hæc omnia bona, & alia multa illis timor Domini demonstrabit, qui illum sibi iugiter ante oculos posuerint, & cum beato Iob dixerint: Quasi tumentes fluctus

Iob 32.

super me semper timui Dominum, & pondus eius ferre non potui. *obliuionem omninò fugiat.* Quia in vno cordis habitaculo non potest memoria pariter, & obliuio retineri, necessè est vt à cordibus nostris obliuionem pellamus nociuam, & retineamus memoriam proficuam. Cùm enim à cordis claustro obliuio fugatur damnosa, tunc in nobis fructifera crescit & redundat memoria, quæ nobis ante oculos mentis & Dominum, & præcepta eius reducit, & quomodò illi placeamus, & eius præcepta custodire possimus, in-

qui-

quirit, & quæ facienda, & quæ non facienda ſint, vigilãter intendit. Hinc Iudęorum populum Dominus admonet, dicẽs:

Deute.4.

Cuſtodi igitur temetipſum & animam tuã ſolicitè, & nè obliuiſcaris verborum Domini, & nè éxcidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ.

Pſal.102.

Hinc Pſalmiſta ait: Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius.

Memoria timoris Domini, quot quantaque bona adferat.

Memoria enim timoris Domini facit hominem cautum, modeſtum, iuſtum, rectum, & honeſtum, pium, benignum, miſericordem, prudentem, humilem, mitem, ſobriũ, & in omnibus actionibus temperatum, & prouidum.

Obliuio mentis quę adducat commoda.

Econtrariò mentis obliuio facit hominem ſtultum, incautum, inſenſatum, fatuum, improuidum, iniuſtum, iniurioſum, iracundum, inuidum, impurum, immitem, incontinentem, irriſorem, detractorem, inflatum, ſuperbum, elatum, vanum, & in omnibus omninò actionibus deprauatũ hominem facit & miſerum. Non enim ad memoriam Dominum ſuum, & præcepta eius reducit, & ideò velut cæcus, & errans, peccat & perit. Qualiter autem hæc obliuio fugiatur damnoſa, audi ſequentia: *& ſemper ſit memor omnium, quæ præcepit Deus.*

Memoria præceptorũ Dei quãdò ſalutẽ præbeat, quandò non.

Tunc enim memoria præceptorum Dei animæ præbet ſalutem, quandò ea quæ Domini præceptis ſagaciter memorantur in mente, efficaciter complentur in opere & corpore. Domini enim memorata, & non completa præcepta, damnationem magis animæ, quàm ſalutem, miniſtrant. Memorata verò & operibus conſummata, à facientibus procul repellunt peccata, & perſeuerantibus ſalutem continuam, & præmia promittunt æterna. Tribuent facientibus gloriam, non facientibus gehennam minantur æternam. Vndè & ſequitur: *vt qualiter contemnentes Deum, in gehennam pro peccatis incidunt.*

a

Contemnentes enim ſunt, qui audiunt quidem præcepta Domini, ſed obedire contemnunt.

Monachi Deum contemnunt, cùm Abbati non obediunt.

Deũ enim monachi contemnunt, quandò Abbati ſuo obedire renuunt, & dura ceruice reſiſtunt. De omnibus enim à ſe miſſis prędicatoribus Dominus ait:

Lucæ 10.

Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Hos autem contemnẽtes, & Abbatis pręcepta iuſta deſpiciẽtes, rectè gehenna pro peccatis incẽdit, quã euadere potuiſſent, ſi Domini & Abbatis ſui pręceptis obtẽperaſſent. Quaſi enĩ ignis ligna, ſic gehenna inobedientium recipit peccata.

Similitudo pulchra.

Et ſicut ignis ſuccẽditur ex lignis, ſic gehenna contemptorum Dei ſuccenditur peccatis, vt vnũquenq; ſecũdùm quantitatem ſuorum cruciet delictorum. Vnuſquiſq; enim quantum gehẽnæ miniſtrauerit * peccatũ, tantũ ſibi gehennæ ignis incẽdit flammã.

* al. peccata,

Quãtùm vnuſquiſq; portauerit peccatorum ligna, tantùm miſer cruciabitur in gehenna. Et quantum ibi peccatorum ſuorum compoſuerit aceruum, tam grandem & * dirum inueniet cruciatum.

* al. durum

Et hoc modo vnumquenque de proprijs peccatis gehennæ incẽdit ignis. Hinc beatus Iſidorus ait:

lib. 1. de ſum. bon. cap. 32.

Sicut vnuſquiſq; ſanctus in futuro iudicio pro quantitate virtutum glorificabitur, ità & vnuſquiſq; impius pro quantitate facinorum condemnabitur. Nec deerit in ſupplicio futuro damnationis ordo, ſed iuxta qualitatẽ criminum, diſcretio erit pœnarum. Hinc beatus Gregorius ait:

lib. 15. Mor. cap. 14.

Omnipotentis Dei iuſtitia, futurorum præſcia, ab ipſa mundi origine gehennæ ignem creauit: qui in pœna reproborũ eſſe ſemèl inciperet, ſed ardorem ſuum etiam ſine lignis nunquàm finiret, vt eſſet miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu: quia & mors viuit, & finis ſemper incipit, & deficere defectus neſcit, & mors perimit, & nõ extinguit: dolor cruciat, ſed nullatenùs pauorem fugat: flamma cõburit, ſed nequaquàm tenebras decutit. *& vitam æternam, quæ timentibus Deum præparata eſt, animo ſuo ſemper reuoluat.* Id eſt, hoc in corde ſuo ſemper reuoluat, quod de contemnentibus Dominum dicitur:

Matth. 25.

Ibunt in ſupplicium æternum. De timentibus Deum: Iuſti verò in vitam æternam,

Ibidèm.

vbi eſt gloria ſempiterna, exultatio magna, corona virtutibus florida, claritas veri ſolis illuminatione fulgida, * iubilatio omnium ſanctorum ſolida, pax æterna, & ſemper * manens bonitas tota: ad quam qui bonorum operum virtutibus fulti peruenerint, beatis angelis ſimiles erunt, & ſimul cum Deo ſuo felices gaudebunt, & in perpetuo ſine fine regnabũt.

* al. habitatio
* al. permanens

Et cuſtodiens ſe omni hora à peccatis & vitijs, id eſt, cogitationum, linguæ, oculorum, manuum, pedum, vel voluntatis propriæ. Quod dicit, à peccatis cuſtodire ſe omni hora, ſubauditur, ab omnibus prauis operibus, quæ fiunt cogitatione, locutione, & opere. Vndè hic aptè poſuit, cogitationum, linguæ, manuum, pedum &c. Iſtis fomitibus quaſi quibuſdã gradibus coaleſcit omne peccatum. Cogitatio nanque praua delectationem parit, delectatio conſenſum, conſenſus actionem, actio conſuetudinem, conſuetudo neceſſitatem. His ergò vinculis homo implicatus, catena vitiorum tenetur adſtrictus: ità vt ab ea euelli non valeat, niſi diuina gratia manum iacentis appræhendat.

Omnia corporis membra, quomodò Deo pręſtare poſſint obſequium.

Sic ergò nos omni corpore oportet aptare, vt creatori noſtro totis membrorum viribus, obſequiũ valeamus præbere. Tunc enim oculus Deo præſtat obſequium, cùm turpia declinat adſpicere. Tũc lingua merebitur præmium, quandò benedictionibus occupatur. Tũc auditus placebit Deo, ſi detractionibus non miſceatur. Et pedes

laudare Deum poterunt, si cursum suum ab omni malitia reuocare festinêt. Et manus Deum benedicût, si rapinis renunciauerint, & ad misericordiā properauerint. Quòd verò dicit, custodire se à vitijs: subauditur, à septem principalibus, id est, à gula, fornicatione, auaritia, ira, tristitia, acedia, vana gloria, & ab octaua eorum genitrice superbia, & ab omnibus prorsùs illorum nociuis ramusculis, qui quasi venenatæ soboles, è venenatis nascuntur parentibus, quorum hîc catalogum enumerare nimis est longum. Nam in cordibus reproborum inuicèm sibi catalogus succedit vitiorum, vt dum vnum abierit, succedat alterum, iuxta Prophetę testimonium, qui ait: [Ioel. 1.] Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo &c. [Ierem. 1.] Hinc iterùm per Prophetam dicitur: Omnes cognationes terræ ab Aquilone venient, & ponent vnusquisque solium suum in * circuitu portarū Hierusalem. [* al. in introitum] Regna Aquilonis, vitia sunt, quę in ipsis portis, id est, in ipsis sensibus animæ regnant. Neque enim aliundè peccamus, nisi videndo, audiendo, attrectando, gustando, atque tangendo. [Ierem. 9.] Vndè & alibi dicitur: Intrauit mors per fenestras nostras, & ingressa est domos nostras. Quòd verò dicit, voluntatis proprię: subauditur, custodiat se à peccatis & vitijs propriæ voluntatis. *Sed & desideria carnis*, subauditur, nô delectetur implere. Quid enim in hac vita laboriosius, quàm carnalibus * vitijs æstuare? [* al. desiderijs] Aut quid hic securius, quàm desideria carnis non implere, & seculi huius nihil appetere? Qui enim hunc mundum diligunt, & desideria carnis implere côtendunt, à turbulentis seculi solicitudinibus conturbantur. Qui autem ità huic mundo moriûtur, vt soli Deo viuere delectentur, futuræ pacis requiem, quam illic expectant, hic quodammodò habere iam inchoant. Ergò iam perseueranter intendere oportet animum nostrum orãdo atq; pulsando, quousquè importunas desideriorum carnaliū suggestiones, quæ nostris obstrepunt sensibus, fortissima intentione superemus, ac tã diù insistere, quousquè persistêdo vincamus. *Aestimet se homo de cælis à Deo semper respici omni hora: & facta sua in omni loco ab adspectu diuinitatis videri, & ab angelis omni hora renûciari.* Quanto enī vnusquisq; * soliciter se à Deo æstimet respici, [* al. solicitus] tanto debet cautiùs viuere, & vitam suam honestissimè custodire, ne illos diuinitatis offendat oculos, quos vult habere propitios. [Hebr. 4.] Respicit ille abdita & secreta, & occulta considerat, nec Dei oculos aliquis potest euadere, dicentis: [Ierem. 23.] Ego Deus approximans tibi, & non Deus de longinquo. Si absconsus fuerit homo in absconditis, ergò ego non videbo eum. Nônne & terrā ego impleo? Hinc psalmista ait: [Psal. 33.] Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Quòd autem dicit, Et ab angelis omni hora renunciari: ab illo loco intelligitur, vbi angelus Tobiæ dixit: [Tob. 12.] Quandò orabas cum fletu, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationes tuas Domino. Sed Dominus cùm dixisset in Euangelio, [Matth. 18.] Quicunq; humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorum: Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit. post paululùm addidit: Videte nè contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei. [Hiero. in ca. 18. Mat.] Magna dignitas animarum est, vt vnaquæque anima habeat ab ortu natiuitatis in custodiam suum angelum delegatum, vt illam custodiat, ne peccet, & quæ bona fecerit, nunciare Deo non cesset. *Demonstrat nobis hoc Propheta, cùm in cogitationibus nostris ità Deum semper præsentem ostendit, dicens: Scrutans corda & renes Deus.* [Psal. 7.] Hæc propria virtus, vt Cassiodorus ait, solius Dei est, & corda nostra discutere, & animi nostri vigorem, potentiæ suæ luce penetrare. Nam licèt nobis multò celsiores sunt * potentiæ cælorum, [* al. potestates.] nulli tamē creaturarum datum est, cogitationum nostrarum plenissimè secreta cognoscere. Agnoscit tamen perfectè in nobis solus ipse, qui iudicat. Ipse autem dicit: [Apoc. 2.] Scient omnes ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes & cor. Hinc Ieremias ait: [Ierem. 20.] Tu Domine exercituum, probator iusti, qui vides renes & cor. Hinc iterùm scriptum est: [Sapien. 1.] Quoniam renum illius testis est Deus, & cordis eius scrutator est verus. [Deus quandò scrutetur corda nostra.] Corda ergò nostra scrutatur D E V S, quandò cogitationes cordium nostrorum subtiliter inuestigat, vt quæ hominibus sunt occulta, illi fiant in palàm. Scriptum est enim: [1. Reg. 16.] Homo videt in facie, Deus autem in corde. [Quandò scrutetur idem renes nostros.] Scrutatur autem renes, quandò animi nostri constantissimum intendit vigorem, siue corporeas liquidè penetrat delectationes. *Et iterùm: Dominus nouit cogitationes hominû.* [Psal. 93.] Hinc Ieremias ait: [Ierem. 16.] Oculi mei super vias hominum. Non sunt absconditæ à facie mea, & non est occulta iniquitas eorum. Hinc Salomon ait: [Prouer. 5.] Respicit Dominus vias hominis, & omnes gressus eius considerat. Hinc Dauid dicit: [Psal. 118.] Seruaui mandata tua & testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. [Cogitationibus quandò peccemus.] Non solùm factis, sed etiam cogitationibus delinquimus, si eis illicitè occurrentibus delectemur. Nam si priùs prauæ cogitationi resistimus, in lapsum operis non incurrimus. *Et item dicit: Intellexisti cogitationes meas à longè.* [Psal. 138.] Hinc per Salomonem dicitur: [Prouer. 16.] Omnes viæ hominis

[Prouer. 15.] hominis panduntur oculis Dei. Infernus & perditio coram Domino, quanto magis corda filiorum hominum? A longè enim quod dicit, non locum significat, sed tempus: quia non solùm facta nostra præuidet Deus, verùm etiam antequàm nosipsi existimamus, cogitationes nostras cognoscit. Non est timendum, si bona malaque in cogitationem veniant, sed magis gloriandum est, si mens mala à bonis intellectu rationis discernat: & quod inter bonum & malum sensu prudentiori discernit, aut mala cognita caueat, aut intellecta bona faciat. [Psal. 75.] *Et, Quia cogitatio hominis confitebitur tibi.* [Cogitatio hominis, quàdò Deo côfitcatur.] Cogitatio hominis Deo confitetur, quandò peccata præterita humili satisfactione ab illo damnatur: quia dum vnusquisque diuina illuminatione præuenitur, statim molestijs turpium cogitationum pulsatur, sed eas Domino confiteri humiliter non veretur. *Nam vt solicitus sit, circa cogitationes suas peruersas, dicat semper vtilis frater in corde suo: Tunc ero immaculatus coram eo, si obseruauero me ab iniquitate mea.* [Psal. 17.] Subtiliter beatorum monachorum vita describitur, [Monachorum beatorum vita qualis.] qui quandò ad aliquam se gratiam Domini peruenisse cognoscunt, caueant nè iterùm iniquitatis antiquæ calamitatibus * innectantur. [* al. innodentur.] Nam cogitationes illicitas immittere, dæmonum est: cogitationibus verò oblectari peruersis, nostrum est. Iniquitatem hoc in loco pro cogitatione posuit. Omne enim quod æquũ non est, iniquum est. Ergò qui se à prauis obseruat cogitationibus, leuiùs se obseruat à prauis operibus. Et ideò dixit: Tunc ero immaculatus coram eo, si obseruauero me ab iniquitate me. àc si diceret: Tunc immaculatam potero ducere vitam, si me non maculauerit cogitatio praua. Neque enim potest sine macula viuere, cuius iniqua cogitatio polluit mentem. [Immaculatus quis viuat.] Sed ille tantùm benè immaculatus viuit, qui se ab iniquitate prauæ cogitationis custodit. Et nè aliquis dicat, cogitare tantùm, & non facere, non est grande peccatum: audiat quid de * malis cogitationibus sit scriptum. [* al. malorum] Dicit enim Scriptura: Cogitatio stulti peccatum est. [Prouer. 24.] Et vt intelligeres, quale peccatum, dicit eadem Scriptura in alio loco: Peruersæ cogitationes separant à Deo. [Sapien. 1.] Non enim paruum est, sed grande, peccatum, separari à Deo, & iungi diabolo. A quo se benè obseruat, qui cogitationes iniquas, dum adhuc sunt paruulæ, tenet & allidit ad petram. [Psal. 136.] *Voluntatem verò propriam ità facere prohibemur, cùm dicat Scriptura nobis: Et à * voluptatibus tuis auertere.* [Eccli. 18.] [* al. voluntatibus] In multis iam dictum est, quia propriam voluntatem nulli vnquàm facere permittendum est, nisi iudicio & probatione, vel multorum, vel eorum, qui præsunt. Nam illam dicimus esse perfectam continentiam, qua se quis à proprijs voluntatibus suis continet. Quantum autem habeat periculi, qui voluntatem propriam facere vult, & non Domini, ex his Apostolus dicit: Facientes voluntatem carnis & cogitationum, eramus aliquandò & nos natura filij iræ, sicut & cæteri. [Ephe. 2.] *Et iterùm: Rogamus Deum in oratione, vt fiat illius voluntas in nobis.* [Matth. 6.] Dominus infirmitatem hominis, quem portabat, ostendens, ait: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. [Matth. 26.] Et exemplum discipulis suis tribuens, vt non voluntatem suam faciant, sed Dei, addidit: Veruntamen non quod ego volo, sed quod tu. [Marc. 14.] Et alio loco dicit: Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me. [Ioan. 6.] Quòd si filius obediuit facere voluntatem patris, quantò magis seruus debet obedire, & non suam, sed Domini voluntatem facere? *Docemur ergò meritò nostram non facere voluntatem, cùm caueamus illud, quod dicit Scriptura: Sunt viæ, quæ videntur hominibus rectæ, quarum finis vsque ad profundum inferni demergit.* [Prouer. 16.] Hæc est illa lata & spatiosa via, quæ per se gradientes ducit ad perditionem, per quam multi, voluntates suas sequendo, pereunt, & descendunt in infernum. Hinc quidam sapiens dicit: Via peccantium complantata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ. [Eccli. 21.] De quibus & in libro Iob legitur: Exultant in lusibus, tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi: deducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. [Iob 21.] Nam & de illis intelligi potest, qui nunc electi esse videntur: sed quia non sunt, à Domino reprobantur, dicente Propheta: Vocauit Dominus iudicium ad ignem, & deuorauit partem domûs. [Amos 7.] Pars quippe domûs deuorabitur, quia illos etiam infernus absorbebit, qui nunc se in præceptis cælestibus stare gloriantur. Potest & de illis non inconuenienter intelligi, quos vitia sub simulatione virtutu[illegible]cipiunt. Quædam vitia speciem virtu[illegible] habere videntur, sed tamen virtutes non sunt. Nam interdùm sub prætextu iustitię crudelitas agitur: & indè nonnulli iustos se esse confidunt, vndè maximè apud Dominũ reprobantur. Carnales autem plerunquè per insensibilitatem mentis nõ agnoscunt vitium esse culpabile, quod dignũ videtur damnatione. Hinc per Salomonem dicitur: Vias, quæ à dextris sunt, nouit Dominus: peruersæ verò sunt, quæ à sinistro sunt. [Prouer. 4.] Intelligitur hoc & de hæreticis, quorum dogma illis videtur rectum, sed à Catholicis viris discernitur & iudicatur esse prauum, quia sequaces suos seducit ad tartarum.

Hinc

Ibidèm. Hinc Salomon ait: Via impiorum * vm-
* al. tenebrosa, brosa, nesciunt vbi corruant. Hinc iterùm
Prouer. 13. dicit: In itinere contemptorum vorago.
Et cùm item caueamus illud, quod de negligentibus
Psal. 52. *dictum est: Corrupti sunt, & abominabiles facti*
* al. loquendo. *sunt in voluptatibus suis.* Corrupti sunt, * se-
quendo libertatem arbitrij sui: & abomi-
nabiles facti sunt, sequentes volũtates pro-
prij cordis sui. De his enim Apostolus ait:
2. Timot. 3. Homines corrupti mente, reprobi circa fi-
1. Timot. 4. dem, sine affectu, præuaricatores, immites,
cauteriatam habentes conscientiam, &c.
In desiderijs verò carnis, ità nobis Deũ cre-
damus semper esse præsentem, cùm dicat
Propheta Domino: Ante te est omne desi-
Prouer. 37. derium meum. Nõ enim ante homines, in-
quit, qui cor videre non possunt, sed ante
te, est omne desiderium meum, cui non la-
tent, quę sunt in cogitatione vel desiderio
cordis mei. *Cauendum ergò est malum desideriũ,*
quia mors secus introitum delectationis posita est.
Mors vndè dicta. Mors dicta vel à morsu, vel quia amara est.
Ideò à morsu dicta est mors, quia delectata
Gene. 3. est Eua de ligno paradisi comedere vetito,
& suasa à diabolo accepit pomum, & mo-
mordit illud, & statìm mortẽ glutiuit ama-
ram cum morsu. Delectata est, & momor-
dit, & statìm mortis periculũ incurrit. In-
trauit delectatio pomi in animam, intra-
Mors secus introitum delectationis cur posita dicatur. uit pariter & mors cum illa. Et ideò secus
introitum delectationis, mortem positam
beatus esse Benedictus dicit. Nã eodẽ blan-
dimento delectationis, homines decipiun
tur nunc per diabolum, quo protoplasti
in paradiso sunt decepti. Diabolus enim
quandò decipere aliquem cupit, priùs na-
turam vniuscuiusq; intendit, & indè se ap
* al. apertũ plicat, vndè * aptum hominem ad pecca-
tum inspexerit. Diabolus enim serpens est
lubricus, cui si in capite suggestionis non
resistitur, totus in interna cordis, dum nõ
sentitur, illabitur. Si autem ei fortiter in ca
pite à sanctis viris resistatur, tota eius sug-
gestio citiùs annihilatur. Vndè & Psalmi-
Psal. 14. sta ait: Ad nihilum deductus est in cõspe-
Psal. 136. ctu eius malignus. Et, Beatus qui tenebit &
allidet paruulos suos ad p ... ʒın. Vndè scri
Eccli. 18. ptura ait: Post concupi ... stias tuas non
Iacob. 1. eas. Hinc Iacobus Apost. ait: Vnusquisq;
verò tentatur, à concupiscentia sua abstra-
ctus & illectus. Abstractus, videlicet à re-
cto itinere, & illectus in malum. Hinc ite-
Ibidèm. rùm ipse dicit: Dehinc cõcupiscentia cùm
conceperit, parit peccatum: peccatum ve-
rò, cùm cõsummatum fuerit, generat mor-
1. Reg. 11. tem. Tentatus est Dauid visu vxoris alie-
næ, & concupiscentia sua abstractus & il-
1. Reg. 12. lectus est, atq; vbi conceptum scelus perfe-
cit, reatum mortis etiam proprio ore iudi-
catus incidit, quem tamen pœnitendo eua-
Matth. 26. sit. Tentatus est Iudas per philargyriam, id
est, auaritiam: & quia erat auarus, ab ipsa
concupiscentia sua abstractus & illectus,
ad interitum consentiendo est perductus.
Tentatus est Ioseph verbis dominæ, sed Gene. 39
quia nec cõcupiscentiam libidinis, nec de-
lectationem habuit carnis, à tentatione vi-
ctor euasit. *Ergò si oculi domini speculantur bonos* Psal. 11. 13.
& malos, & Dominus de cælo semper respicit super
filios hominum, vt videat si est intelligens aut requi-
rens Deum: & si ab angelis nobis deputatis, quotidiè
Domino factori nostro opera nostra nunciãtur. Ocu-
li Domini, respectio est diuina, * qua sem- * al. quia
per respicit super bonos, vt eos ab insidijs
inimici defendat, à peccatis custodiat, &
in bonis operibus iugiter persistere faciat.
Respexerunt ergò oculi Domini Petrum, Matth. 26.
& ille statim reuersus à negationis vitio,
cognouit Dominũ: & amarè flendo, emen
dauit delictum. Speculãtur ergò oculi Do- Oculi Domini aliter iustos, & aliter malos speculantur.
mini bonos & malos, vt bonis bona, & ma-
lis mala retribuat: vt illis pro bonis operi-
bus præmia, istis pro prauis actionibus pœ
nam retribuat sempiternam. Istos, vt exau-
diat & saluet: illos, vt perdat & damnet,
sicut scriptum est: Oculi Domini super iu Psal. 33.
stos, & aures eius in preces eorum. Vultus
autem Domini super faciẽtes mala, vt per-
dat de terra memoriam eorum. Respicit & Psal. 13.
super filios hominum, vt videat si est ali-
quis inter eos intelligens, aut requirẽs Deũ.
Ille enim apud Deum intelligens habetur, Intelligens apud Deũ quis habeatur.
qui rectè credẽs in Euangelium, præceptũ
Domini custodit, & operatur in eo. Ille re-
quirens Dominum habetur, qui in opere Requirens quis.
& oratione, non alium, sed ipsum audito-
rem solum requirit & * exorat: qui non in Psal. 54.
alio curam, spem, vel fiduciam, nisi in ipso * al. orat.
solo Domino ponit Iesu Christo: Curam,
vt est id: Iacta in Domino curam tuam. Psal. 70.
Spem, vt: Spes mea Dominus à iuuentute
mea. Fiduciam, vt: Bonum est confidere in Psal. 117.
Domino. Angelos nobis deputatos dicit,
de quibus Dominus ait: Angeli eorũ sem- Matth. 18.
per vident faciem patris mei, qui in cælis
est. Et pro quibus Paulus Apostolus mu- 1. Cor. 11.
lieres prohibet in Ecclesia non velatis in-
trare capitibus. Et de quibus idem alio lo-
co dicit, quòd angeli missi sunt in ministe- Heb. 1.
rium propter eos, qui hæreditatem capiũt
salutis. *Cauendum est ergò omni hora, fratres, sicut*
dicit Propheta in psalmo, nè nos declinantes in malũ, Psal. 52.
& inutiles factos, aliqua hora adspiciat Deus, & par-
cendo nobis in hoc tempore: quia pius est, & expe-
ctans nos conuerti in melius, nè dicat nobis in futuro:
Hæc fecisti, & tacui. Ille enim declinat in ma- Psal. 49.
lum, qui priùs stetit in bono. Et qui priùs
in statu rectitudinis stetit, si declinauerit
in malum, factus est inutilis seruus & pra-
uus. De tali enim anima dicit Propheta: Ierem. 2.
Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas.
Illa misera efficitur anima, quæ de statu re- Quę anima misera efficiatur.
ctitudinis crebrò descendens, cõmittit cul-
pam. Vndè & misera & inutilis facta est.
Sed

Sed nec de talibus interdicenda est venia.
Sed hoc necessè est, vt custodiat, & sic præ-
* al. plangenda — teritam plangat culpam, nè iterùm * plan-
gendam committat, & eum frequẽter Do-
minus peccantem adspiciẽs, & reuerti diù
ad pœnitentiam expectans, illi nolenti di-
Psal. 49. — cat: Hęc fecisti, & tacui. Superiùs enim pec-
Ibidèm. — catori Dominus dixerat: Tu verò odisti
disciplinam, & proiecisti sermones meos
retrorsum &c. quæ ibi descripta peccatorũ
multa retinentur mala: & tunc ista subijci-
ens dixit peccatori in vindicta, àc si dice-
ret: Hæc supradicta frequẽter commisisti
peccata, & non tibi reddidi dignam ope-
ris tui praui vindictam, sed potiùs tacui, &
expectaui te conuerti ad pœnitentiam. Nõ
tibi pro malis volui reddere mala, sed tacui
& expectaui, vt pœnitentiam agenti red-
Domini est ad pœnitentiam diù expectare. — derem pręmia. Tacere etenim Domini, est,
peccatori malum pro malo nõ reddere, sed
diù ad pœnitentiam expectare. Peccatori
enim Dominus non taceret, sed responde-
ret, si vindictam de eius prauis actionibus
expeteret. Sed quem diù expectat vt pœni-
teat, si pœnitentiam non egerit, subitò fe-
rit, vt pereat.

De secundo humilitatis gradu.

2. grad. humilitatis. — *SEcundus humilitatis gradus est, si propriam*
quis non amans voluntatem, desideria sua nõ
delectatur implere, sed vocem illam Domi-
Ioan. 6. — *ni factis imitetur, dicentis: Non veni facere*
voluntatem meam, sed eius qui misit me. Sicut non
Matth. 6. — potest homo Deo similiter & mammonæ
seruire, sic non potest voluntatem propri-
am, & Dei pariter voluntatẽ implere. Vno
enim vas poculo plenum, impleri poculo
* al. exhauriet — non poterit altero. Nisi enim * exhaurierit
nociuum, non potest * hauriendo imple-
* al. exhauriendo — ri proficuo. Nec vna pectoris vrna carnis
simul & maiestatis sustinere poterit desi-
* al. vanæ, succedunt aliæ. — deria, sed vndè recedunt * vna, succedunt
alia. id est, * à qua mente recedunt vitia,
* al. à quo — succedens virtutum copia possidet. Ergò
à nostri peccatoris arca, exhaurienda sunt
carnalia desideria: vt & impleri possit vir-
tutum spiritaliũ copia, & à Deo venientia
tenere posit spiritalia desideria. Hinc enĩ
Prouer. 13. — scriptum est: Lignum vitæ, desiderium ve-
Prouer. 10. — niens. Et, Desiderium suum iustis dabitur.
De impiorũ autem desiderio ità scriptum
Prouer. 12. — est: Desiderium impiorum, munimentum
Sapien. 19. — est pessimorum. Et alibi scriptum est: In
allocutione desiderij, ascendit illis de
mari ortygometra, & vexationes peccato-
ribus superuenerunt. Ergò relinquendæ
sunt nostræ voluntates & desideria, vt fa-
ctis vocẽ illam Domini imitari possimus,
Ioan. 6. — qua dicit: Non vẽni facere voluntatem me-
am, sed eius qui misit me. Quod autem
* al. voluptas — sequitur, *Item dicit Scriptura: * Voluntas habet*
pœnam, & necessitas parit coronam. Fateor me,
nisì fallar, nunquàm hoc in diuinis legisse
scripturis. Et ideò non huius sententię so-
num, sed magis eiusdem intellectum quæ-
rere volo. Dicit enim, Voluntas habet pœ-
nam, & necessitas parit coronam: àc si di-
ceret, Lata & spatiosa via est, quæ ducit ad — Matth. 7.
mortis pœnam, arcta & angusta quæ du-
cit ad perennis vitæ coronam. Nam quid
est aliud, dicere, Voluntas habet pœnam:
nisi, lata & spatiosa est via, quæ ducit, vbi
voluptuosis pœna debetur ęterna? Et quid
est dicere, necessitas parit coronam: nisi, ar
cta & angusta est via, quæ ducit ad vitam:
vbi necessitatem pro Domino patientes,
coronas recipiat sempiternas? Hinc iterùm
Dominus dicit: Qui vult post me venire, — Lucæ 9.
abneget semetipsum, & tollat crucem suã,
& sequatur me. quid est aliud, semetipsum — Abnegare semetipsũ quid.
abnegare: nisì, latam & spatiosam viam de-
serere, & voluntates proprias odire? Quid — Crucem suam tollere quid.
est, tollat crucem suam, & sequatur me: ni-
si, arctam & angustam viam arripiat, vbi
pro me multas necessitates sustineat, & sic
ad gaudia perpetua, me sequẽs, veniat, vbì
æternam coronam, me donante, percipiat?

De tertio humilitatis gradu.

TErtius humilitatis gradus est, vt quis pro — 3. grad. humilitatis.
Dei amore omni obedientia se subdat ma-
iori, imitans Dominum, de quo dicit Apo-
stolus: Factus est obediens vsque ad mor- — Philip. 2.
tem. Si enim, vt decet, Deum diligimus,
nõ solùm in omni obediẽtia subdi maio-
ri, sed si necessè fuerit, parati debemus esse
etiam pro illo mori, sicut & ille pro nobis
mortuus est, sicut ait Apostolus, dicẽs: Cõ- — Roma. 5.
mendat Deus suam charitatem in nobis,
quoniam cùm adhuc peccatores essemus,
Christus mortuus est pro nobis. Et nõ so-
lùm pro illo mori, sed etiam pro fratribus
animas ponere debemus esse parati, sicut
idem Apostolus ait: In hoc cognouimus — 1. Ioan. 3.
charitatem eius inquit, quoniã ille pro no-
bis animam suam posuit, & nos debemus
pro fratribus animas ponere. Diligamus er
gò Deum, vt filij patrem, & simus pro il-
lius amore maioribus subditi vsq; ad mor-
tem: quia & ille, cùm in forma Dei esset, — Philip. 2.
non rapinam arbitratus est esse se ęqualem
Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam
serui accipiens, in similitudinem hominũ
factus: & habitu inuentus vt homo, hu-
miliauit semetipsum, factus obediens vs-
que ad mortem. Videte ergò, idem ait Apo — 1. Ioan. 3.
stolus, qualem charitatem dedit nobis pa-
ter, vt filij Dei nominemur & simus. Ità
enim perfecti erimus in charitate, si, sicut
ille nullius, nisì salutis nostræ gratia, prior
nos dilexit: ità nos nullius alterius rei, nisì
tantùm sui amoris dilectione, & maiori-
bus subdi, & pro illo mori simus parati.

De quarto humilitatis gradu.

4. grad. humilitatis.

Quartus humilitatis gradus est, si in ipsa obedientia duris & contrarijs rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis iniurijs, tacita conscientia patientiam amplectatur. Frequenter solet contingere, vt quantùm se monachus humilitati & obedientiæ subdiderit, tantùm inuenit, quod duriùs portet. Vndè necessè est, vt vnusquisque, cùm ad Dei accedit seruitium, ad omnia toleranda, suum fortiter præparet animum, sicut scriptum est: Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Deprime cor tuum & sustine, siue irrogatas iniurias ab alio, siue tentationes venientes ex animo, tacita conscientia sustine, & auxiliante Deo, cum patiẽtia omnia vinces. Scriptum est enim: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Hinc Iacobus ait: Scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet. Ideò inquit aduersis tentamini, vt virtutem patientię discatis, & per hanc ostendere possitis ac probare, quia firmam fidem futurę retributionis in corde gestatis. Hinc & Paulus similiter ait, dicens, quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem operatur: quia cuius patientia vinci nõ potest, ille perfectus esse probatur. Illa enim ratio facit fideles per patientiam exerceri, vt per hanc fides eorum quæ sit perfecta, probetur, dum ex rebus prosperis vtilia iustiùs exempla præstet hominibus, necessè est iterùm tangi aduersitatibus, quatenùs eius patiẽtia bonum cæteris det exemplar, & patiẽtiæ suæ post mortem recipiat præmia: quia qui Deum pro irrogata laudat iniuria, & commissa sine dubio perdet facinora, & promissa quandoquè recipiet præmia. *& sustinens, non lassescat vel discedat, dicente Scriptura: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Nam inchoantibus præmium promittitur, sed perseuerantibus datur.

Eccli. 2. — Lucæ 21. — Iacob. 1. — Roman. 5. — Matth. 10. & 24.

Cõuersatio nostra, Deo quandò placeat.

Tunc enim Deo placet nostra cõuersatio, quandò bonum quod incipimus, perseueranti fine complemus. Ille monachus lassescit vel discedit, qui regulare opus quod cœpit, ad perfectum nõ ducit: qui in ipso opere quod agere feruenti animo cœpit, paulatim lãguescẽs tepescit, & aut ab opere tantùm, aut simul ab opere & monasterio tepefactus recedit, nõ ponens ante oculos illud, quod scriptura maximè monachos hortatur, dicens: Confide in Domino, & mane in loco tuo. Vndè & sequitur: *Item, Confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Ac si diceret: Viriliter age, nè cadas in desperationem, & non tibi negatum putes, quòd diù promissum non * accipis. Sustine Dominum, & sine defectione spera in eum, vt tẽpore oportuno accipias vel metas, quod hic sagaciter quotidiè operaris. Exhortatio ista bonorũ est monachorum, necnon omnium Christianorum, nè se carnis imbecillitate à recto subducãt proposito: sed in bonis operibus perseuerantes, ad perseuerantiam tendant, & in his, quę illis regulariter iniunguntur, constanter perseuẽrent. Sic enim sustinentium pectora roborantur, si spem suã in Domini virtute ponẽtes, ad boni operis perseuerantiam tendant: & promissa Domini sustinẽtes, à Domino mercedem recipere non desperent.

Eccli. 11. — Psal. 26. — * al. acceptisti.

Et ostendens, fidelem pro Domino vniuersa etiã contraria sustinere debere, dicit ex persona sufferẽtium: Propter te morte afficimur tota die, æstimati sumus vt oues occisionis. Morte verò affici, est per longas passiones præsentis vitæ * exitum reperire. Boni monachi fortitudo, nec diuersis pulsata molestijs vinci, nec vllis voluntatum illecebris debet succumbere, nec aduersis deijci, nec debet prosperis eleuari, sed contra omnia vitia roborata persistere debet & inconcussa. Et sicut ouis ad occisionẽ ducta nec vociferatur, nec repugnat: ità monachus patientiam habẽs, nec vociferans murmurare, nec repugnans iniuriæ debet resistere, sed magis multis tribulationibus affectus, debet cum Psalmista Domino dicere: Propter verba labiorum tuorũ ego custodiui vias duras. *Et securi de spe retributionis diuinæ, subsequuntur gaudentes, & dicẽtes: Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos.* Sancti enim cũ Deo, & propter Deum omnes pręsentis seculi superant tribulationes, fortiter agentes propter æternam retributionem. Superant enim aduersa omnia, & Dominum habentes, à nullis superãtur aduersis. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? Hinc Petrus Apostolus ait: Et quis vobis nocebit, si boni ęmulatores fueritis? De his dicit, quæ nobis ab aduersarijs per verba contumeliosa, per dãna rerum temporalium, per tormenta corporis accidunt. Hæc enim omnia cùm fidelibus irrogantur, eis nocere nõ possunt, sed magis palmam patientiæ æquanimiter tolerantibus afferunt. Si quis autẽ huiusmodi aduersis victus deficit, non huic ille, qui malum intulit, sed ipse sibi qui hęc patienter ferre recusauit, nocuit. *Et itẽ alio loco scriptura: Probâsti nos Deus, igne nos examinâsti, sicut examinatur argentum.* Monachorum enim probatio in tentationum & diuersarum tribulationũ fit camino. Oportet nos, inquit Apostolus, per multas tribulatiões introire in regnum Dei. Igne nos examinâsti, sicut examinatur argentum, dicit. Examinantur ergò igne tribulationis electi, vt ab omnibus sordibus mundati, venire mereantur ad diadema regis æterni. Argentum

Psal. 43. — * al. exitiũ — Monachi boni fortitudo qualis esse debeat. — Psal. 16. — Rom. 8. — Ibidẽm. — 1. Per. 3. — Psal. 65. — Monachorum probatio vbi fiat. — Acto. 14.

enim,

enim, nisi examinetur per ignem, sordidū manet ex sua * rubigine: ità & corda hominum, nisi igne sancti spiritûs fuerint mundata, naturaliter sordida manent & immunda. Propterea nè in fornace humilitatis & tribulationis in plumbi mollescant naturam, necesse est fortiter abstinentiæ, patientiæque teneant arma. Scriptum est enim: Sustine tentationes Domini, coniunge te Deo, & sustine, vt crescat in nouissimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò * receptibiles, in camino humiliationis. *Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro.* Induxisti nos in laqueum, propter exaggerationem dicit tribulationis, vt intelligas omne genus tribulationis in hoc seculo super electos venire, quia * omnem gloriam à Domino in futuro expectant recipere. Quia qui vitæ futuræ præmia accipere expectat, mala omnia præsentis vitæ æquanimiter tolerat, vt ex illius dulcedine, huius vitæ amaritudinem temperet. Quod autem dicit, posuisti tribulatiões in dorso nostro, conuenit cum sententia psalmi, qua dicit: * Incuruatus sum, & humiliatus sum nimis, & rugiebam à gemitu cordis mei. Tribulationes enim in dorso, & humilem significant animum, & curuum corpus. Indicant corpus ieiunijs castigatum, & cor contritum & humiliatum. Qui enim disciplinæ salutaris tribulationes in dorso minimè portant, erecto incedunt corporis collo, ferum vultum, & tumidum gestant animum. Quod autem sequitur, *Et vt ostendat sub Priore nos esse debere, subsequitur, dicens: Imposuisti homines super capita nostra.* Secundùm beati Benedicti expositionem significantur Abbates, sub quibus monachos regularis institutio decreuit viuere, & illorum dictis obtemperare, sub quibus & capita mittere, & iussa illos iusta decet implere. *Sed & præceptum Domini in aduersis, & in iniurijs per patientiam adimplentes, qui percussi in maxillam, præbent & aliam: auferenti tunicam, dimittunt & pallium: angariati milliario, vadunt & duo: & cum Paulo Apostolo falsos fratres sustinent & persecutionem, & maledicentes se benedicunt.* Hanc alij doctores mysticè interpretati sunt sententiam. Beatus verò Benedictus tantùm, vt in hoc loco humilitatis & patientiæ nobis daret exemplar, posuit illam, quam qui in aduersis & in iniurijs veraciter implere conatus fuerit, ad humilitatis culmen ascendere citò poterit. Nam nullus hanc implere perfectè poterit, nisi qui priùs grandis patientiæ fundamentum in corde radicauerit, & summæ humilitatis priùs culmen attigerit. Qui enim in iniurijs irrogatis, non reddit malum pro malo, ille maxillam vnam percutienti, præbet aliam. Ille qui maledictum non reddit pro maledicto, auferenti tunicam, dimittit & pallium. Ille qui non vincitur à malo, sed vincit in bono malū: angariatus milliario, voluntariè pergit duo. Iste sine dubio talis patienter, cum Paulo falsos fratres sustinet: & maledicentes se, benedicendo, veracis humilitatis implet præceptum.

* al. origine:
Eccl. 2.
* al. reptibiles,
Psal. 65.
* al. omne genus gloriæ
* al. afflictus
Psal. 37.
Psal. 65.
Matth. 6.
Lucæ 6.
2. Cor. 11.

De quinto humilitatis gradu.

QVintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo aduenientes, vel mala à se absconsè commissa, per humilem confessionē Abbatem suum non celauerit. Hinc Salomon ait: Qui absc ondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiā consequetur. Amaritudo enim pœnitētiæ, facit animum & sua facta subtiliùs discutere, & dona Dei quæ contempsit, flendo commemorare. Magna iam iustitiæ pars est, semetipsum nôsse interiùs hominem, quòd prauus est, vt ex eo diuinæ virtuti humiliùs subdatur, ex quo sua cognoscens peccata, alteri confitetur ea. Hinc iterùm Salomon ait: Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ. Vndè & subditur hîc: *Reuela Domino viam tuam*, id est, reuela per confessionem Abbati, quem tibi Dominus pro se vicarium dedit, actiones tuas, in quibus peccati conscientia latet. *Et spera in Dominum*, qui tibi veniam de commissis, misericorditer donet. Hinc Cassiodorus dicit, velum quoddam est densitas peccatorū, vndè via, id est, vita nostra tenebrosi amictûs circundatione vestita est. Hāc reuelamus, quādò delicta nostra tenebrosa promptissimè confitemur. Reuelauit enim Paulus Domino viam suam, quandò dixit: Caro concupiscit aduersùs spiritum, spiritus autem aduersùs carnem. Sperauit autem in Domino, dum clamaret: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum CHRISTVM Dominum nostrum. Hinc Augustinus ait: Quod habes in corde, patefac in sermone per confessionem. Spera in eum, & ipse faciet, hoc est, ipse tibi dimittet peccata tua, & deducet in claritatem opera tua. Sequitur: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.* Hinc Cassiodorus dicit: Confessionem istam ad medicinam pœnitudinis applicandam designat. Sed & hoc quoquè ad præconia Domini pertinere, non dubium est: quandò maior gloria est pietatis, cōfitenti parcere, quàm

5. grad. humilitatis.
Prouer. 28.
Prouer. 16
Psal. 36.
in Psal. 56.
Gala. 5.
Roma. 7.
Psal. 105.
in Psal. 105.

viuenti sine offensione præstare. Et nè aliquis de culparum suarum numerositatibus terreretur, addidit, quoniam bonus. Quis enim dubitet ad eum recurrere, quē sibi audit posse celerrimè subuenire? Addidit, quoniam in seculum misericordia eius. Audito bono Domino, nè se humana negligentia à studiosa & sedula supplicatione suspēderet, remedij causam dicit, vt ad confessionem celerem Domini debeat munere festinare. In seculum, vitæ huius significat cursum, vbi miseri sunt quicunque delinquunt: vbi fas est corda nostra conuerti, & misericordiam postulari. Ibi enim damnatio est confiteri peccatum, vbi iam constat esse iudicium. *Et item Propheta: Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitias meas non operui.* Hoc est cognitū facere, in confessionem delicta deducere. Operire est autem, vtile aliquid silētio tegere, aut cordis dissimulatione celare. Hoc faciunt stulti, qui putant Deum ignorare posse, quod agunt. Contrà, qui illum nouerunt res omnes habere manifestas, ad humilem confessionem, & pœnitentiæ vota descendunt, nè iudicem patiantur infensum, quem propitium habere poterant aduocatum. Sequitur: *Dixi, pronunciabo aduersum me iniustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei.* Hinc magna pietas diuinitatis ostēditur, vt ad solam promissionē deuotionis subitò laxauerit peccata, quandò sic iudicat pium votum, quemadmodùm operationis effectum. Dixit enim in corde suo Domino, non tacere quæ gesserat, & tanquàm iam cuncta prodiderit, ità illi remissa sunt, quæ voluit confiteri. Confessio ergò mea adhuc in corde erat, & ad os nōdùm venerat. Dixerā enim, Pronunciabo aduersùm me. Veruntamen Deus audiuit deuotionem cordis mei, & dimisit impietatem cordis mei.

Psal. 31.
Cassiod. in psal. 31.
Cassiod. ibidèm.

De sexo gradu humilitatis.

6. grad. humilitatis.

SExtus humilitatis gradus est, si omni vilitate vel extremitate contentus sit monachus. Magna apud Deum refulget gratia, qui huic mundo cōtemptibilis fuerit & vilis. Nam reuerà necessè est, vt quem odit mundus, diligat Deus. Sancti qui vilitatem diligunt, & rebus honoribusque renunciant, ideò se ab omni terrena possessione mortificant, vt in æterna hæreditate, cum Deo feliciter viuant. Ideò vilitatem extremitatemque amant, vt validiores ad vitam illam quæ illis præparatur æterna, de huius vitæ mortificatione consurgant. Sequitur: *Et ad omnia, quæ sibi iniunguntur, velut operarium malum se iudicet & indignum.* Ideò monachus operarium se iudicat malum, quia quomodò opus eius recipiatur à Domino, nescit. Operamur enim nos exteriùs, sed quomodò opus nostrum à Domino recipiatur, nescimus interiùs. Ideò indignum se iudicat, quia sicut non sunt cōdignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: ità non sunt digna, quanuis sint bona, opera nostra ad conquirendam gloriam, vel præmia sempiterna. *dicens sibi cum Propheta: Ad nihilum redactus sum, & nesciui.* Hæc vox humilitatis est, non timoris: sapientis potiùs, quàm nescientis sunt verba: humiliantis, non exaltantis se, est sententia. Apud enim seculum istud, se iustus cognoscit stultum, vt inueniatur sapiens apud Deum. Hinc Paulus ait: Stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit, vt confundat fortia. Nesciui, dixit, id est, nescientem esse cognoui, stultum & paruulum deputaui, & velut insipientem despexi. Qui enim modò se apud se humiliter nescientem cognoscit, quandoquè sapiens apud Deum & exaltatus gaudebit. *vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Non tale iumentum, quòd insipientiam cordis haberem, sed qui toto corpore & corde Deum baiularem. Iumentum enim * domitum, non recusat ferre quodcunque illi fuerit pondus impositum, sed patienter tolerans portat, donèc ad destinatum locum perueniat. Ità & monachus omnia, quodcunque ab Abbate illi vel ab alio aliquo Priore regulariter fuerit impositum, patienter tolerare, & sine murmuratione debet sufferre, donèc ad vitæ suæ perueniat calcem, vbi deposito laboris onere, expectet à Domino dignā operis sui recipere retributionem.

Sancti, cur hìc diligāt vilitatem.
Monachus operarium malum cur se iudicet.
Roman. 8.
Psal. 72.
1. Cor. 1.
Psal. 72.
* Domini.

De septimo gradu humilitatis.

7. grad. humilitatis.

SEptimus humilitatis gradus est, si omnibus se inferiorem & viliorem, non solùm sua lingua pronunciet, sed etiam intimo cordis credat affectu. Qui enim in regno vult esse superior, necessè est, vt in hoc mundo fiat inferior. Et qui vult esse honoratior, fiat vilior & despectior, secundùm Domini sententiam, qua ait: Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Et quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, &c. Tunc ergò se quisque monachum iudicet, quandò se minimum, inferiorem, & viliorem cæteris existimauerit. Ad hoc monachus viuit in monasterio, vt humiliatum habens animum, cæteris præbeat humilitatis exemplum. Vndè & Petrus Apostolus ait: Omnes inuicèm humilitatem insinuate. Ille benè cæteris humilitatem insinuat, qui eam veraciter in corde portat. Qui non se magnum & altum

Matth. 20.
Monachū quādò quis existimare se debeat.
Monachus ad quid in monasterio viuat.
1. Pet. 5.

tum

tum, sed vt vilem, & despectum compo-
nit & aptat mancipium. Qui se pauperem
spiritu, & puerum paruulum in medio ex-
istimat & exhibet fratrum. Hinc beatus
lib. 18. Mor. cap. 22. Gregorius ait: Sciendum magnopere est,
quia tanto vnaquæque anima preciosior
ante oculos Dei est, quanto præ amore
virtutis despectior fuerit ante oculos su-
os. *humilians se, & dicens cum Propheta: Ego au-*
Psal. 21. *tem sum vermis:* propter exaggerationem di-
cit humilitatis. Vermis enim humilior cũ-
Monachus vermi quarè cõparetur. ctis animantibus esse videtur, & vilior. Nu-
tritus enim vermis ex ligno, quanto fra-
gilior, tanto probatur esse & purior. Cui
cõparatur & monachus, qui quato in hoc
seculo fuerit despectior, infirmus & vili-
or, tanto apud Deum sanctior inuenitur
Prou. 30. & mundior. De quibus Salomon ait: For-
micæ populus infirmus, qui præparat in
messe cibum sibi. Quod autem dicit, *op-
probrium hominum, & abiectio plebis:* contra su-
perbos & rusticos respicit populares, qui
semper despiciunt humiles, & abijciunt
pauperes. Opponunt illis quę possunt op-
probria, obijciunt cõtraria verba, & sem-
per in abscondito detrahere non cessant.
Prou. 29. Hinc Salomon ait: Viri sanguinum ode-
runt simplicem: iniusti autem quærunt
animam eius. Hæc ratio discernit inter fi-
lios Dei & filios diaboli: quia filij diabo-
li amant & diligunt mundum, filij autem
Dei amant & diligunt Deum. Sed & filij
diaboli filium Dei, à mundi amore sepa-
ratum, & cælestibus tantùm desiderijs in-
tentum, amare non possunt. abominatio
est enim, vt suprà dictum est, peccatori re-
Psal. 87. ligio. *exaltatus & humiliatus sum & confusus.*
Hoc specialiter cõuenire probatur electis.
Exaltatum se dicit quis illorum, quandò
*al. mũdo priùs res humanas cogitabat * tumido cor-
de. Humiliatus, inquit, sum, quandò ad
*al. confessionem *confessionis medicabile donum, diuina
gratia miserante, peruenit. Confusus, quã-
dò illa quæ malè gesserat, pœnitentiæ pro-
fessione damnauit. O beata confusio, quæ
æternum tollis opprobrium. Nam quid-
quid in reatum venerit pœnitentum, per-
petuis seculis redditur absolutum. *Et item:*
Psal. 118. *Bonum mihi, quòd humiliâsti me, vt discam manda-
ta tua.* Cœperat enim de illa dulcedine gu-
stare, quæ omnes suauitates probatur ex-
cedere ei, & dicere: Bonũ mihi, quòd hu-
miliâsti me, i. humiliâsti me, vt mandato-
rum tuorum discerem copiam, quam anteà
recipere tumidus vel superbus non pote-
ram. Humilitas enim ista Hierusalem tan-
git gloriosa fastigia. Nam sicut superbia
mergit ad tartarum, ità ista tollit ad cæ-
lum. Ista quippe humiliatio, quale præ-
mium habeat, consequenter exponit, cùm
dicit: Vt discam mandata tua. Tunc enim
perfectè discuntur mandata, quãdò Do-
mini fideliter implentur præcepta, quan-
dò quæ rectè intelliguntur corde, * efficaci *al. efficaciter
complentur & opere.

De octauo humilitatis gradu.

O*Ctauus humilitatis gradus est, si nihil* 8. gradus humilitatis.
*agat monachus, nisi quod communis mo-
nasterij regula, vel Maiorum cohortan-
tur exempla.* àc si diceret: Non ali-
quam inueniat monachus arbitrio suo in-
stitutionem nouellam, sed potiùs omnia
quæ ab alijs viderit agi, agat: & quæ cæte-
ros viderit facere, faciat: & quæ descri-
pta tenentur in regula, firmiter custodi-
at, & expeditè cuncta operibus compleat.
Et sic demùm ordinatim ad exemplar ma-
iorum perueniat patrum, & exemplum Matth. 18.
accipiat humilitatis à CHRISTO, de- Ioan. 21.
uotionis à Petro, charitatis à Iohanne, Gen. 22.
obedientiæ ab Abraham, patientiæ ab Isa- Gen. 26.
ac, tolerantiæ à Iacob & Iob, castimoniæ Gen. 29.
à Ioseph, mansuetudinis à Moyse, con- Iob 1.
stantiæ à Iosue, benignitatis à Samuel, Gen. 39.
misericordiæ à Dauid, abstinentiæ à Da- Num. 14.
niel; Sic & cætera facta priorum, quo la- Iosue 10.
bore, quo moderamine, quáve intentio- 1. Reg. 8.
ne vel compunctione gerantur, * sanctos 2. Reg. 9.
imitando consideret monachus, vt eius, Dan. 1.
àuxiliante CHRISTO, vsque ad eorum *al. sanctus
exemplar proteletur opus.

De nono gradu humilitatis.

N*Onus humilitatis gradus est, si linguam* 9. grad⁹ humilitatis.
*ad loquendũ prohibeat monachus, & ta-
citurnitatem habens, vsque ad interro-
gationem non loquatur, monstrãte scri-
ptura: Quia in multiloquio nõ effugietur peccatum.* Prouer. 10.
Ideò linguã suam prohibere debet mona- Linguam cur monachus prohibere debeat.
chus ad loquendum, nè in multiloquij ca-
dat peccatum. Taciturnitas enim virtutes
plurimas nutrit: loquacitas verò etiã nu-
tritas dispergit. Hinc Salomon ait: Sicut Prouer. 25.
vrbs patens, & absq; murorum ambitu: ità
vir, qui non potest in loquendo cohibere
spiritum suũ. Ciuitas enim patens & absq;
clausura murorũ, nõ seruat interiùs, quod
tenet illæsum, nisi tempore cõgruo aut se-
ris claudatur, aut muro: ità & monachus
nisi linguam prohibeat ad loquendũ, vir-
tutes, quas tenet interiùs, per loquacitatis
perdit vitium, nisi ori suo posuerit custo-
diam & ostium. Sequitur: *Quia vir linguosus* Psal. 139.
nõ dirigetur super terrã. Quanuis linguosi pos-
sint dici & illi, qui linguæ vbertate facũdi Linguosi q̃ dicantur.
sunt, tamẽ illis hoc specialiter nomẽ cõstat
impositũ, qui incõsiderata locutione ver-
bosi sunt. Sic enim cõtrarios sapiẽtibus, &
diuerso se more tractãtes, monet Iacobus
Apostolus, dicẽs: Sit aũt omis homo velox Iacob. 1.
ad audiendũ, tardus autẽ ad loquendũ. Ta-
les enim super terram minimè diriguntur,

*al. facilitate quia * fabellitate sua frequenter excedunt. Difficilè enim est, indeliberatum rectum esse sermonem.

De decimo gradu humilitatis.

10. gradus humilitatis. Eccli. 21. DEcimus humilitatis gradus est, si non sit facilis ac promptus in risu: quia scriptũ est: Stultus in risu exaltat vocem suam. Leuitas animi facit monachum facilem ac promptum esse semper in risu. Non enim timorem Domini gestat in corde, ideò in cachinno vult & alta semper ridere voce. Non enim attendit, quod nos Iacobi 4. Iacobus Apostolus admonet, dicens: Miseri estote, lugete & plorate. Risus vester conuertatur in luctum, & gaudiũ in mœ- Prou. 14. rorem. Hinc Salomon ait: Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occu- Ecclés. 2. pat. Hinc iterùm ipse: Risum reputaui errorem: & gaudio dixi, quid frustrà deci- Monacho magis luctus q̃ risus conuenit. peris? Magis ergò conuenit monacho luctus, quàm risus, quia per luctum venitur ad gaudium, sicut scriptum est: Beati Matt. 5. qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Per risum verò venitur ad fletum, sicut Lucæ 6. scriptum est: Væ vobis qui ridetis, quia flebitis & plorabitis. Ridere enim homini, vt iam superiùs dictum est, penitùs non vetatur, quia illi soli hoc inter omnes creaturas concessum naturaliter esse cognoscitur. Sed vt leuitatis caueatur vitium, facilitas & alta vox fieri prohibetur in risu.

De vndecimo humilitatis gradu.

11. gradus humilitatis. VNdecimus humilitatis gradus est, si cùm loquitur monachus, leniter & sine risu, humiliter cum grauitate, vel pauca vel rationabilia loquatur. Leniter, id est, temperatè, vel placidè decet monachũ Eccli. 21. loqui, quia scriptum est: Verba prudentium statera ponderabuntur. Lenitas enim de fonte dulcedinis pariter procedit & Eccli. 6. pacis. Hinc Salomon ait: Verbum dulce, multiplicat amicos, & mitigat inimicos: & lingua gratiosa in bono homine abun- Prou. 16. dabit. Hinc iterùm ipse: Fauus mellis verba composita. Verba enim composita benè, & proferentem honestant, & gratiam *al. audientibus * dulcedinis subministrant. Addidit, dicens: *& sine risu*. Verba enim risu plena, aut Monachi verba qualia esse debeant. stultum, aut leuem, aut certè vanum esse monachum demonstrãt. Humiliter enim & cum grauitate debet monachus loqui, Eccli. 4. quia scriptum est: Noli citatus in lingua Eccli. 19. esse. Et, Qui odit loquacitatem, extinguit malitiam. *& pauca verba & rationabilia loqua-* Prouer. 10. *tur.* Ideò pauca, quia scriptum est: In mul- Eccli. 20. tiloquio non effugies peccatum. Et, Qui multis vtitur verbis, lædet animam suam. Ideò rationabilia, quia scriptum est, Qui moderatur labia sua, prudentissimus est. Ideò pauca, quia scriptum est: Stultus ver- Prou. 10. ba multiplicat. Et, Vbi sunt verba pluri- Ecclés. 10. ma, ibi frequenter egestas. Ideò rationabi- Prou. 14. lia, quia scriptum est: Homo sapiens ta- Eccli. 20. cebit vsque ad tempus: lasciuus autem & imprudens, non seruabit tempus. Et, Est Ibidem. odibilis, qui procax est ad loquendum. Et, Qui inconsideratus est ad loquendum, Prou. 13. sentiet mala. *& non sit clamosus in voce.* Christi enim imitator monachus, tacitus debet Monachus clamosa voce vti non debet. esse, non clamosus. De Domino enim scriptum: Nõ clamauit, nec * audiebatur foris vox eius. Plùs enim silẽtium, quàm clamor, *al. audiebatur conuenit monacho. Honestatem ergò vox submissa, & leuitatem ostendit vox clamosa. Sæpè enim vox clamosa hominem odibilem facit, submissa autem amabilem reddit. Vnde scriptũ est: Sapiens in ver- Eccli. 20. bis seipsum amabilem facit. Ideò amabilem, quia prudenter rationabilia & amabilia verba loquitur. Hinc Basilius ait: In qst. cõp. explicat. q. 151. Vocis mensuram definit audiendi modus. Si enim maior fuerit vox, quàm requirit, cùm possit ille audire cui loquitur, etiam si leuiùs loquatur, iam non erit vox, sed clamor. Hoc tamen excepto, nisi vbi grauior sit eius auditus, cui loquimur, & necessitas cogat ad clamandum. Hinc Fructuosus ait: Clamosum in locutione monachum, aut ridiculosum esse non decet. Qui autem eiusmodi est, & sæpè castigatus non fuerit emendatus, flagellis curandus est & acriter emendandus. Sequitur: *Sapiens verbis innotescit paucis.* Innotescit, dicit: id est, qualis apud semetipsum sit interiùs, cæteris se innotescit exteriùs. Sapientiam, quam secretò tenet in corde, alijs ostendit proferendo sermonem. Et qui sibimet iam notus latebat occultè, semetipsum loquendo producit in publicum. Vbi enim ista traditio dicit, Sapiens in Prouer. 10. verbis innotescit paucis: alia dicit, Sapiens in verbis producit seipsum: id est, qualis interiùs extat tacendo, talem se producit exteriùs * in loquendo. *al. alijs

De duodecimo humilitatis gradu.

12. grad. humilitatis. DVodecimus humilitatis gradus est, si non solùm corde monachus, sed etiam ipso corpore humilitatem se videntibus, semper indicet. Humilitatem Monachus internã & exteriorẽ humilitatem habere debet. veraciter interiùs retinere, & eam debet exteriùs videntibus se monachus demonstrare: vt & interiùs interno placeat iudici, & exteriùs cunctis exemplum præbeat humilitatis. Sic in vtroque humilitatis virtute compositus, humilis corde, humi-

humilis inueniatur & corpore. Interiùs humilis animo, & exteriùs corporis inueniatur habitu humilis, vt eius videntes exemplum, laudent & glorificent DEVM, qui illi fundamentum humilitatis concessit, & constantiam operis. *in opere, in oratorio,* dum orat videlicet, cantat psalmos, hymnos, cantica, vel aliquod opus Dei in sanctuario exercet, semper capite debet esse humiliato. *in monasterio, in horto, in via, in agro, vel vbicunquè sedens, ambulans, stans, inclinato sit semper capite, defixis in terram adspectibus, reum se omni hora de peccatis suis existimans, iam se tremendo iudicio repræsentari existimet, dicens sibi in corde semper illud, quod publicanus ille Euangelicus, fixis in terram oculis dixit: Domine, non sum dignus ego peccator leuare oculos meos ad cælum.*

al. pœnitentibus

Quantùm veniæ fiduciam dignè * intentibus præbeat, publicanus, qui reatum suæ nequitiæ perfectè cognouit & fleuit, confessus est. Et si iniustus ad templum venit, iustificatus à templo rediit. Vnus enim superbiendo recessit humiliatus, alter lamentando appropinquare meruit exaltatus. Quia, Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Quapropter & de verbis elati Pharisæi, quibus humiliari meruit, possumus è diuerso formam humilitatis, qua sublimemur, assumere: vt sicut ille consideratis & peiorum vitiis, & suis virtutibus est elatus in ruinam, ità nos non solùm nostra pigritia, sed & meliorum virtutibus inspectis humiliemur ad gloriam, quatenùs vnusquisque nostrûm hæc apud se ac * submissiùs obsecret: Deus omnipotens miserere supplici tuo, quia non sum sicut innumeri serui tui, contemptu seculi sublimes, iustitiæ merito gloriosi, castitatis laude angelici, velut etiam multi illorum, qui post flagitia publica pœnitendo, tibi meruerunt esse deuoti. Qui etiam si quid tua gratia largiente fecero, quo fine hoc faciam, quáve à te districtione pensetur, ignoro. *Et item cum Propheta: Incuruatus sum, & humiliatus vsquequaquè.* Qui recordatur altitudinem quietis æternæ, ipse videt, quantùm sit humiliatus in hac carnis corruptione. Plangamus ergò & gemamus in confessione, agnoscamus vbi simus, recordemur altitudinem æternæ quietis, & patienter expectemus, quod ille promisit, qui nobis in semetipso exemplum patientiæ & humilitatis ostendit. Incuruatum se dixit, à statu elationis, & humiliatum ab inflatione tumoris. Incuruatus sum, & humiliatus, id est, qui dudùm * exaltatus eram in gloria, incuruatus & humiliatus sum modò sub Deo: qui seculari eram dudùm in gloria, incuruatus & humiliatus sum nunc in pœnitentiæ penuria: qui dudùm exaltatus eram in seculari habitu, incuruatus sum & humiliatus sum modò sub omnipotentis Dei manu. Siue incuruatus corpore, humiliatus animo. Quod autem dicit, vsquequaquè: intelligitur, ex omni parte, & ex omni consideratione. Quia humilitas, quę magistra est omnium materque virtutum, & corde necessè est firmiter teneatur, & cunctis corpore demonstretur. *Ergò his omnibus humiliatis gradibus assensis, monachus mox ad charitatem Dei perueniet illam, quæ perfecta foràs mittit timorem.* Dominus dicit in Euangelio: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in cælis est. Hæc enim est perfecta charitas, de qua Ioannes Apostolus ait: Timor non est in charitate. In tali videlicet charitate, quæ ad imitationem diuinæ benignitatis, etiam inimicis benefacere, & hos diligere nouit. Sed perfecta, inquit, charitas foràs mittit timorem: Illum videlicet, de quo dicitur: Initium sapientiæ, timor Domini. Quo timet quisque incipiens opera iustitiæ, nè veniat districtus iudex, & se minùs castigatum inueniens, damnet. Sed & pręsentium aduersitatum timorem perfecta charitas eiicit ex animo. Quam habere quærebat, qui Domino supplicans aiebat: A timore inimici eripe animam meam. Quam & ille habebat, qui dicebat: Quis nos separabit à charitate CHRISTI? Tribulatio, an angustia, an persecutio? &c. Stimulat nanque timor, sed noli timere. Intrat charitas, quæ foràs expellat timorem, & sanat quod vulneratum erat à timoris dolore. *per quam vniuersa, quæ priùs non sine formidine obseruabat, absque vllo labore velut naturaliter ex consuetudine incipiet custodire.* Priùs enim homo cum animi timore, & metu formidinis ad habitum venit conuersionis. Sed postquàm temporè diuturno in CHRISTI perstiterit seruitio, & eius in bona consuetudine perdurauerit actio, succedente charitate, metu caret atque formidine. Et quæ anteà faciebat cum timore formidinis, incipit custodire cum amore dulcedinis. Et velut naturaliter incipit suauiter custodire, quæ priùs duriter & formidando cœperat agere. Vndè & sequitur: *non iam timore gehennæ, sed amore CHRISTI, & consuetudine ipsa bona & delectatione virtutum, quæ Dominus iam in operarium suum mundum à vitiis & peccatis, spiritu sancto dignabitur demonstrare.* Multi, vt suprà dictum est, timore pœnarum incipiunt agere bonum, sed amore CHRISTI illud perficiunt. Inchoant à timore, sed euntes de virtute in virtutem, ad perfectam CHRISTI transeunt charitatem. Et quæ priùs agere, ignoran-

Marginal notes: Lucæ 14. & 18. — * submissus — Psal. 37. — * al. elatus in seculo. — Humilitas magistra est & mater omnium virtutum. — Matth. 5. — 1. Ioan. 4. — Eccli. 1. — Psal. 63. — Rom. 8.

rantia nocente, timebant: consuetudine & scientia iam docente, agere non formidant. Copiam virtutum habere desiderát, & ideò opus bonum agere satagunt, & à vitijs celeriter mundari festinant. Accepto sancti spiritûs dono, in his quæ iusta & sancta & recta sunt, delectantur: & quæ delectant, sagaciter implere contendunt, vt eius sacratum mereantur effici templũ, cuius se ab initio cõuersationis esse nouerunt, vt impleatur illud Apostolicũ: Templum Dei estis, & spiritus sanctus habitat in vobis. Quo spiritu sancto docente, quæ facienda sunt, faciunt: & quæ faciunt, illo adiuuante ad perfectum deducunt. Illo trahente, desiderando * stadium bonæ actionis percurrunt, & currendo de virtute in virtutem, proficiunt, & ad brauium sempiternum peruenire contendunt, vbi omni bono & gaudio repleantur æterno, Amen. Et nè istos duodecim humilitatis gradus esse cõfusè positos à beato Benedicto, existiment imperiti, eorum discretionem breuiter patefactam ministrabo. Primus itaque humilitatis gradus incipit à timore. Secundus, vt non suam monachus, sed Domini, impleat voluntatem. Tertius, de obedientiæ dicit perfectione. Quartus, de patiẽtiæ longanimitate. Quintus, vt vnusquisque Abbati suo occultas patefaciat cogitationes. Sextus, vt vilitatem & extremitatem diligat monachus. Septimus, vt inferiorem se cæteris & viliorẽ proclamet monachus voce, credat corde, ostendat & opere. Octauus, vt nihil agat monachus, nisi quod communis monasterij regula, & maiorum cohortantur exempla. Nonus, si linguam ad loquendum prohibeat monachus. Decimus, si non sit facilis ac promptus in risu. Vndecimus, si leniter loquatur & sine risu. Duodecimus, vt in omni loco humilitatẽ omnibus corde & corpore, se videntibus demonstret. His enim omnibus humilitatis ascensis gradibus, ad visionem omnipotentis feliciter veniet monachus, vbi cum suo Domino felici fruatur gaudio, quod in sempiternum non auferetur ab eo. Ibunt enim de virtute in virtutem, i. de vno virtutis gradu ascendent in alium, & sic Deũ Deorum videbunt in Sion & Hierusalem cælesti cum exultatione & gaudio.

1. Cor. 3.

al. studiũ

12. graduũ humilitatis discretio.

Psal. 83.

De officijs diuinis in noctibus. CAPVT VIII.

Ad matutinas preces qñ sit surgendũ monachis.

Hiemis tempore, id est, à Calendis Nouembris vsque in Pascha, iuxta considerationem rationis, octaua hora noctis surgendum est, vt modicè amplius de media nocte pauseetur. Istud, modicè ampliùs de media nocte, potest intelligi hora septima noctis tota, & octaua dimidia. Tunc pulsato signo, omnes pariter surgant, & sic illa quæ restat dimidia hora de octaua, inter signorum explicetur interualla: vt ab hac hora nona noctis, inchoetur psalmi laus ipsa nocturna. Nam & in alio loco sic dicit: Post sextam surgentes à mensa, pausent in lectis suis cum omni silẽtio: & agatur nona téperiùs, * inchoante octaua hora. Vbi ostendit, septima diei tota, & octaua dimidia hora dormire. Talis & hîc mihi videtur esse sensus positus, vt post sex noctis horas pausetur, adhuc septima tota, & octaua hora dimidia. Et interuallo signorum facto quasi hora dimidia incipientes à nona hora noctis, alacres animo, & corpore non pigro, diuinæ laudis officiũ reddant Domino Iesu Christo. Quod autem dicit, & iam digesti surgant, ab imperitis absurdum esse positum videtur, & ridiculosum. Sed à rectè intelligentibus vtiliter esse probatum, & congruè probatur esse dictum. Digestũ enim dicitur esse coctum, cõsumptum, vel iam deductum, aut certè exaltatum. Vndè & hic intelligitur, digesti surgant, i. iam cibo ab stomachi olla cocto, & in ventriculum deducto, somnoque surgant ex alto. Nam & in alio loco de hac eadem re quidam monachorũ magister sic ait: Ideò post pullos * nocturnas cum matutinis dixerimus iungi, vt digesti à somno fratres, vigilanti & digesto sensu opus Dei sobriè compleant, & quod dicunt, agnoscant. Et ideò interuallum ponitur, vt prolixa nocte somni grauitas finiatur, nè ante pullorum cantum in breuibus noctibus coacti fuerint fratres surgere, adhuc crudi ab inchoato somno, cùm in ipso impetu venarum sanguis & humor per venas bullescit, & harmonia grauedinis suscitati somni discoquunt membra escam, quam sumpserát, in ipso adhuc incocti incendio occisi, non suscitati, sed potiùs occisi, cùm inchoati fuerint, fratres surgere, graui adhuc capite & indigesti ruptu, effugiunt spiritûs sancti charisma. Sequitur: *Quod verò restat post vigilias à fratribus, qui psalterij vel lectionum aliquid indigent, meditationi inseruiatur.* Non hîc dormire, sicut quidam volunt, beatus Benedictus, sed vigilare iubet. Non in lectulo sanè quiescere, sed meditationi iubet inseruire. Scriptum est enim: In lectulo meo quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui, & non inuéni illum. Non enim in lectulo carnalium voluptatum dilectus Christus inuenitur, sed in laboribus sanctis, excubijs sacris, & orationibus inuenitur crebris. Nõ in somni torpore, sed in vigiliarum oratione, & orationis inuenitur compunctione. Hinc Cassianus ait: Nõnulli ignorantes expletis matutinis hymnis, rursùs reuertuntur ad somnum, quod omnimodis non oportet, nè puri-

Cap. 48.

al. mediante

al. nocturnos

Cant. 3.

Christus in lectulo quali inueniatur.

lib. 3. inst. mon. ca. 5.

Post matutinas preces num ad

lectum re- dendũ sit.

purificationem nostram supplici confessione, & ante lucanum acquisitam, vel emergens quædam redundãtia humorum naturalium polluat, vel illusio corrumpat inimici, vel certè intercedens etiam puri ac simplicis somni refectio interrũpat spiritûs nostri feruorẽ, ac tepefactos somni torpore, per totũ diei spatiũ inertes deincèps ignauosq; traducat. Hinc iterùm ipse: Nec vlteriùs quisquam post purificationẽ nocturnarum vigiliarum, in requiem somni iterùm resoluatur, donèc superueniente die nocturnę meditationi operatio diuina succedat, nè fortè puritatem nostram, psalmis & orationibus acquisitam, inuidus diabolus quadam somni illusione contaminet. Hinc Aurelius in regula sua ait: Post matutinas orationes, ad somnum reuerti non liceat. Sed vt regula ait: *A Pascha vsq; ad supradictas Calendas Nouembris, sic temperetur hora Vigiliarum agenda, vt paruissimo interuallo, quo fratres ad necessaria natura exeant, custodito, mox matutini, qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur.*

lib. 2. inst. mon. ca. 13.

Quanti psalmi dicendi sint in nocturnis horis.

CAPVT IX.

Cap. 8. *al. loco

H*Yemis tempore suprà scripto*, id est, iam superiùs in alio *capitulo nominato, *in primis versu præmisso, id est, Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina: in secundo tertiò, dicendum: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Sicut enim pro reuerentia sanctæ Trinitatis, ter dicitur, sanctus: ità & in hac supplicatione, ter apertione labiorum, ab ipsa sancta precatur Trinitate, vt post labiorũ apertionem dignè possit os seruorum Domini, annunciare Domino laudem. Os autẽ dicitur, & corporis membrum, & cordis arcanum, vndè efficaciter laus diuina cantatur. *Cui subiungẽdus est tertius psalmus, & Gloria.* Psalm9 p operatione ponitur. Gloria, laus est diuina, quã angeli in cælo, & homines cantant in terra, sicut ille diuin9 inchoatur hymnus, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Post hunc psalmus nonagesimusquartus cum antiphona aut certè decantandus.* Antiphona, ex Græco interpretatur vox reciproca, duobus scilicet alternatìm psallentibus ordine commutato. Quod genus psallendi Græcos inuenisse, traditur. Apud Latinos autem primitùs beatissimus Ambrosius antiphonas instituit. *Indè sequatur Ambrosianũ*, id est, hymnus. Ambrosianum dicit, diuinum vel cæleste, id est, diuinitùs vel cælitùs inspiratum. Alij Ambrosianum, ab Ambrosio hymnorum magistro, dici volunt. *deindè sex psalmi cum antiphonis: quibus dictis, dicto versu, benedicat Abbas*, id est, post versum à cantante dictũ, dicat Abbas: Precibus omnium sanctorũ suorum saluet & benedicat nos Dominus. Vel aliquam aliam huiusmodi benedictionem. *Et sedentibus omnibus in scamnis, *legatur vicissim à fratrib9 in codice.* Vicissìm dicit, id est, per vices, alternatìm, vel mutuò, id est, tũc iste, tunc ille, nunc hinc, nunc indè. *super analogium tres lectiones.* Analogium, dictum ab eo, quòd indè sermo diuinus aut legatur, aut prædicetur, λόγος enim apud Græcos sermo dicitur. *inter quas & tria responsoria cantentur. Duo responsoria sine Gloria dicantur. Post tertiam verò lectionem, qui cantat, dicat Gloriam. Quam dum incipit cantor dicere, mox omnes de sedilibus suis surgant, ob honorem & reuerẽtiam sanctæ Trinitatis. Codices autem legãtur in vigilijs *Dominicæ authoritatis, tam veteris Testamẽti, quàm noui.* Id est, quinq; libri Moysi, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomiũ, Iesu Naue, Iudicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Iob, Psalmorum, Salomon, Sapientiæ liber, *Ecclesiastes, Tobias, Hester, Iudith, Esdras: Prophetarum, id est, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, Osee, Iohel, Amos, Abdias, Ionas, Michęas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, & Machabæorum. Euangeliorum libri quatuor, id est, Matthæus, Marcus, Lucas, & Ioannes. Epistolæ Pauli quatuordecim, id est, ad Romanos vna, ad Corinthios duæ, ad Galatas vna, ad Ephesios vna, ad Philippenses vna, ad Thessalonicenses duæ, ad Colossenses vna, ad Timotheum duæ, ad Titum vna, ad Philemonẽ vna, ad Hebræos vna. Iacobi vna, Petri duæ, Ioannis tres, Iudæ vna. Actus Apostolorum & Apocalypsis. *Sed & expositiones earum, quæ à nominatis & orthodoxis catholicis patribus facta sunt.* Orthodoxi dicuntur, viri catholici, in fide recti, in vita probabiles. ὀρθῶς enim apud Græcos rectè dicitur, δόξα autem gloria vocatur. Ergò orthodoxi viri, rectè gloriæ dici possunt. Catholici verò, vniuersales, siue generales interpretantur. Non enim per hæresin aut schisma ab vniuersali segregantur Ecclesia. *Post has verò tres lectiones cum responsorijs suis, sequantur reliqui sex psalmi cum Alleluia canendi: post hos lectio Apostoli sequatur ex corde recitanda: & versus, & supplicatio litania, id est, Kyrie eleison: & sic finiãtur vigiliæ nocturnæ.* Κύριος enĩ apud Gręcos, dñs dicitur, ἐλέησον, miserere interpretatur.

Cur tertiò dicatur, Dñe labia mea aperies.

Lucæ 2.

Antiphona quid.

Ambrosianum vndè dicatur.

*al. legantur

*al. diuinæ

*al. Ecclesiasticus,

Orthodoxi viri qui dicantur.

Catholici qui vocentur.

Qualiter æstatis tempore agatur nocturna laus.

CAPVT X.

A *Pascha autem vsque ad Calendas Nouembris, omnis (vt suprà dictum est) psalmodia quantitas teneatur: excepto, quòd lectiones in codice, propter breuita-*

tem noctium, minimè legantur: sed pro ipsis tribus lectionibus, vna de veteri Testamento memoriter dicatur: quam breue Responsorium subsequatur, & reliqua omnia, vt dictum est, impleantur, id est, vt nunquàm minùs à duodecim Psalmorum quantitate, ad Vigilias nocturnas dicatur, exceptu tertio & nonagesimoquarto psalmo.

Qualiter Dominicis diebus vigiliæ agantur.

CAPVT XI.

D*Ominico die temperiùs surgatur ad vigilias: in quibus vigilijs teneatur mensura, id est, modulatis (vt suprà disposuimus) sex psalmis & versu.* Temperiùs dixit: id est, citiùs, priùs, vel anteà. Tēperiùs enim, à tempeti primitiuo aduerbio fit comparatiuus, sicut à tardè tardiùs, & à citò citiùs fit. Modulatis sex psalmis, dixit, id est, cantatis, in voce compositis vel formatis. Modulatio enim dicitur dulcedo vel suauitas cantûs, quæ fit in modulata canora vocis. *residentibus cunctis dispositè, & per ordinem in subsellijs, legantur in codice, vt suprà diximus, quatuor lectiones cum responsorijs suis, vbi tantùm in quarto responsorio dicatur à cantante, Gloria.* Subsellia, cęterorum hominum sunt: Doctorum autem sedilia, cathedræ vocantur. Nam sedes singulariter & propriè, regni est. Subsellia autem, à sedēdo quasi subsessia nuncupantur. *Quam dum incipit, mox omnes cum reuerentia surgant. Post quas lectiones sequantur ex ordine alij sex psalmi cum antiphonis, sicut anteriores, & versu. Post quos iterùm legantur aliæ quatuor lectiones cum responsorijs suis ordine, quo suprà.* Sicut enim die Dominico duodecim vult pleniter psallere psalmos, ità vult duodecim legere lectiones, & totidem responsoria decantare. *Post quas dicantur tria cantica de Prophetis, quæ instituerit Abbas.* Ea enim instituere debet Abbas cantica, quæ temporibus, festiuitatibus congruant & diebus. *quæ cantica cum Alleluia psallantur.* Canticum tunc Moyses primùm inuexit, quandò, percussa Aegypto decem plagis, & Pharaone submerso cum populis, per insueta maris itinera ad desertum gratulabundus egressus est, dicens: Cantemus Domino, gloriosè enim honorificatus est. Deindè Delbora, non ignobilis fœmina, in libro Iudicum hoc ministerio functa reperitur. Posteà multos nō solùm viros, sed etiam fœminas spiritu diuino completas, DEI cecinisse mysteria. *Dicto etiam versu, & benedicente Abbate, legantur aliæ quatuor lectiones de nouo Testamento ordine quo suprà. Post quartum responsorium incipiat Abbas hymnum, Te Deum laudamus. Quo perdicto, legat Abbas lectionem de Euangelio cum honore & tremore stantibus omnibus. Qua perlecta, respondeant omnes, Amen. Et subsequatur mox Abbas hymnum, Te decet laus. Et data benedictione, incipiant Matutinos.*

Exodi 14. & 15.

Iud. 5.

Dan. 3. Lucæ 1. 1. Reg. 2.

Dicit enim, incipiat Abbas hymnū, lectionemque Euangelij legat: tamen non hæc omnes debent valentq́; facere Abbates. Sūt enim, qui aut impediente culpa nō debēt, aut impossibilitate nocente non valent. Igitur sunt Abbates, qui nec sacerdotis, nec Leuitæ funguntur ministerio, & ideò nec sacrosanctū legere possunt Euangeliū. Cātoris non gestant officium, & ideò non possunt Ambrosianum altè boando hymnum incipere. Gregem tamen cum superno iuuamine possunt gubernare sibi commissum, & propterea eligūtur ad Abbatis ministeriū peragendum. Attamen si ipsum opus benè facere debet, aut præualet Abbas, faciat: si autem nō valet, valentem facere permittat, secūdùm quod idem beatus Benedictus alio loco præcepit, dicens: Cantare autem & legere non præsumat, nisi qui potest ipsum officium implere, vt ædificentur audientes. Quòd autem dicit, perlecta Euangelij lectione, respondeant omnes, Amen: incongruè dictum à plerisque videtur & factum. Dicunt enim, non in omnibus Euangelij finibus conuenit respōdere, Amen: & ideò superfluum videtur esse descriptum atque prolatum. Quibus respondendum est: Amen enim apud Latinos duas habet significationes: Vnā orantis vel optantis, alterā verò affirmantis: orantis vel optantis, quandò ponitur pro fiat, vt est, Et dicet omnis populus, Amen amen: pro, fiat fiat. Affirmantis, vt, Amē dico vobis, &c. Sine vna ex his duabus significationibus nō * finitur Euāgelium, & ideò nō incōgruè, sed satis aptè & rationabiliter in omnibus Euangeliorū finibus à nobis respondendū est, Amen: vt dicēdo Amē, aut prędicta fideliter credere, aut, quæ promittuntur proficua, obtinere nos velle, optando & orando mōstremus.

Cap. 47.

Amē, duas habet significationes apud Latinos.

Psal. 105.

Matth. 5.

* al. finem Euangelij nunq̄ inuenies.

Qui ordo vigiliarum omni tempore, tam æstatu quàm hyemis, æqualiter in die Dominico teneatur, nisi fortè, quod absit, tardiùs surgant, & aliquid de lectionibus breuiandum est aut responsorijs, quod tamē omninò caueatur, nè proueniat. Quod si contigerit, dignè indè satisfaciat Deo in oratorio, per cuius euenerit neglectum. Dignè satisfacere, est, secundùm modū culpæ, regularē vindicta sustinere. Nam qui pro leui culpa grauiter, aut pro graui leuiter iudicatur, dignè satisfacere non videtur. Ideò autē per cui⁹ culpā euenerit, in oratorio eum satisfacere iubet, vt quia in omnibus fratribus negligēter agēs deliquit, ab omnibus satisfaciens videatur, & pro eius delicto ab omnibus cunctipotentis imploretur misericordia.

Qua-

Qualiter matutinorum solennitas agatur.

CAPVT XII.

SOlennitas, dicitur festiuitas religiositatis, conuētus lætitiæ, quæ cum conuentu iocunditatis fieri solet. Solennitas enim ab eo, quod solet, nomen accepit. *In Matutinis Dominico die in primis dicatur sexagesimussextus psalmus sine antiphona in directum. Post quem dicatur quinquagesimus cum Alleluia. Post quem dicatur centesimus septimusdecimus, & sexagesimussecundus. Indè benedictiones & laudes: lectio de Apocalypsi vna ex corde, & responsorium, Ambrosianum, versus, canticum de Euangelio, litania: & completum est.*

Qualiter priuatis diebus matutini agantur.

CAPVT XIII.

PRiuatis enim dicit, diebus, id est, officijs publicis extraneis, vel segregatis. Priuari enim ponitur pro malo, vt Iacob Racheli ait: Gene. 30. Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui? Dicitur & priuatus amicus, id est, ab alijs segregatus, & familiariùs cæteris in amicitijs iunctus. *Diebus autem priuatis Matutinor um solennitas ità agatur, id est, vt sexagesim[illegible] as psalmus dicatur sine antiphona, subtrahendo modicè sicut in Dominica, vt omnes occurrant ad quinquagesimum, qui cum antiphona dicatur. Post quem alij duo psalmi dicantur secundùm consuetudinem, id est, Secunda feria, quintus & trigesimusquintus: Tertia feria, quadragesimussecundus & quinquagesimussextus: Quarta feria, sexagesimustertius & sexagesimusquartus: Quinta feria, octogesimusseptimus & octogesimusnonus: Sexta feria septuagesimusquintus & nonagesimusprimus: Sabbato autem centesimus quadragesimussecundus, & canticum Deuteronomij, quod diuidatur in duas Glorias. Nam cæteris diebus Canticum vnumquodque ex Prophetis die suo, sicut psallit Ecclesia Romana, dicatur. Post hæc sequentur laudes. Deindè lectio vna Apostoli memoriter recitanda: Responsorium Ambrosianum, Versus, Canticum de Euangelio, Litania, & completum est. Planè agenda Matutina vel Vespertina non transeat aliquandò, nisi in vltimo per ordinem oratio Dominica omnibus audientibus dicatur à Priore, propter scandalorum spinas, quæ oriri solent in monasterio: vt conuenti per ipsius orationis sponsionem, qua dicunt, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: purgent se ab huiusmodi vitio. Cæteris verò agendis vltima pars eius orationis dicatur, vt ab omnibus respondeatur: Sed libera nos à malo.* Planè, aliquoties pro, verè & certè, aduerbio affirmantis, ponitur, vt propheta ait: Ierem. 10. Ego dixi, planè hæc iniquitas mea est, & portabo illam. Hîc autem pro, tamen, vel enim, coniunctione ponitur. Scandalorum autem spinæ, hoc in loco intelliguntur, iræ, rixæ, dissensiones, detractiones, æmulationes, vel aliquæ contentiones, commotiones, quæ inter fratres solent oriri, à quibus inter se pacem habentes, charitatemque continuam conseruantes, manè & in vespere monachi se debēt purgare. Manè, nè aliquid ex his vitijs vsque ad occasum solis permaneat: quia scriptū est, Sol non occidat super iracundiam vestram: vesperè, nè vsque ad ortum solis pernoctans vitium maneat, & manè reum monachum de peccatis fœdumque in conspectu Domini reddat. Vt conuenti, id est, ab hoc persuasi vel attracti, per orationis eius sponsionem, id est, per ipsius orationis Dominicæ promissionem, quæ dicit: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: dimittat vnusquisque fratri de corde suo, vt sic purgatus, id est, à vitijs emundatus, aut ad opus manè accedat obedientiæ peragendum, aut vesperè ad nocturnas excubias celebrandas. Cæteris verò agendis, id est, cæteris horis celebrandis, tantùm vltima pars eius orationis, id est, Et nè nos inducas in tentationem: alta voce dicatur, vt ab omnibus audita, Sed libera nos à malo, respondeatur.

Scandalorū spinæ quæ dicantur.

Ephe. 5.

Matt. 6.

In natalitijs Sanctorum qualiter agantur vigiliæ.

CAPVT XIIII.

IN natalitijs Sanctorum, dicit, in festiuitatibus & solennitatibus eorum, in quibus de hoc seculo felices migrauerunt ad cælum. Nobis enim moriuntur, sed Deo, & angelis, & sanctis eius viuunt in æternum. Nobis absentes, illis autem sunt perspicui & præsentes. Nobis mortui, illis verò suntnati. Nec nouū debet cuiquam videri, si natus dicitur, qui ex vita migrauerit. Quomodò enim consuetè nasci dicitur, cùm quis de vtero matris procedens, hanc in lucem ingreditur: ità etiam potest rectissimè natus appellari, qui solutus à vinculis carnis, ad lucem sublimatur æternam. Vndè mos obtinuit Ecclesiasticus, vt dies beatorum Martyrum siue Confessorum Christi, quibus de seculo migrauerunt, natales vocitemus, eorumque solennia non funebria, sed natalitia dicantur. *In Sanctorum verò festiuitatibus vel omnibus solennitatibus, sicut diximus die Dominico agendum, ità agatur, excepto quòd psalmi aut antiphona vel lectiones ad ipsum diem pertinentes dicantur. Modum autem suprà scriptum teneatur.*

Cur diem mortis sanctorum vocemus natalem.

Quibus tēporibus dicatur Alleluia.

CAPVT XV.

A Sancto Pascha vsque ad Pentecosten, sine intermißione dicatur Alleluia, tam in psalmis, quàm in responsorijs. Sine intermissione, dicit, vt vbi dici debet tam in psalmis, quàm in responsorijs, non passim prætermittatur, sed sedulè firmiterque dicatur. *A Pentecoste autem vsque ad caput Quadragesima, omnibus noctibus cum posterioribus psalmis tantùm ad nocturnos dicatur.* Quamuis beatus Benedictus à Pentecoste vsque ad caput Quadragesimæ, cum sex posteriorib⁹ psalmis, iubeat ad nocturnos dicere Alleluia: placuit tamen synodo in Francorum regno cõgregatæ, vt sicut Romanæ principes Ecclesiæ in Septuagesima dimittunt Alleluia, ità dimittat & monachi, qui in eodem sunt regno constituti. *Omni verò Dominica extra Quadragesimam, Cantica Matutini, Prima, Tertia, Sexta, Nonaq́ cum Alleluia dicantur: Vespera verò cum antiphona. Responsoria verò nunquàm dicantur cum Alleluia, nisi à Pascha vsque ad Pentecosten.*

Qualiter diuina opera per diem agantur.

CAPVT XVI.

Psal. 118. *VT ait Propheta, Septiès in die laudem dixi tibi.* Quod ait, Septiès in die; significat, semper. Solet quippe iste numerus, vniuersitatis indicium esse: quia per septem dies vniuersus voluitur mundus, & eorum numero dierum vniuersa Dominus creauit tempora. Qui numerus propter septiformis spiritûs gratiam, quæ misericorditer timentib⁹ Deum distribuitur, maximè sacratus esse perhibetur. Vndè & sequitur: *Qui septenarius sacratus numerus à nobis sic implebitur, si matutino, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, Completorijq́ tempore, nostra seruitutis officia persoluamus: quia de his horis dicit Propheta: Septiès in die laudẽ dixi tibi. Nam de nocturnis vigilijs idem ipse Propheta ait:* Ibidem. *Media nocte surgebam ad confitẽdum tibi. Ergò his temporibus referamus laudes creatori nostro, super iudicia iustitiæ: id est, matutino, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, Completorio, & nocte surgamus ad confitendum ei.* Et de eisdẽ horis Cassianus dicit: lib. 3. inst. mon. cap. 3. Horarum autem ipsarum, in quibus Deo per totum diei spatium obsequia reddimus, ratio hæc est: Prima, pro inchoatione diei. Tertia, quia spiritus sanctus in eadẽ hora super Apostolos descendisse primitùs comprobatur. Act. 2. Sexta, pro eo quòd immaculata hostia Dominus noster Iesus Christus, eádẽ hora in cruce suspensus, obnoxios de æternis peccatorum vinculis liberauit. Matt. 27. Lucæ 23. Ioan. 19. Nona, pro eo quòd eádem hora Dominus noster descendens ad inferos, sanctorum animas, quæ clausæ tenebris tenebantur, exinde liberauit, & secum Zach. 9. Eccli. 24. transuexit ad cælos. * Duodecima verò, *al. decima propter terminationem diei, sicut prima pro inchoatione cantatur. Prima verò & duodecima, pro inchoatione & terminatione diei, posteà à patribus sunt * adinuẽtæ. *al. adiunctæ. Tertiam autẽ & Sextam & Nonam etiã ab Apostolis legimus fuisse celebratas. Nã Act. 2. tertia hora super Apostolos in orationum officio cõstitutos, spiritus sanctus descendit. Sexta autẽ hora legimus Petrum, dum Act. 10. & 11. in cœnaculo oraret, subitò in excessu mentis, vas illud quod quatuor initijs quasi linteum de cælo submissum est, vidisse. De nona autem legimus: Petrus & Ioãnes ascendebant in templum ad horã orationis nonam. Act. 3. Vespertinas autẽ vel matutinas orationes, non solùm ab Apostolis, sed etiam in veteri Testamẽto legimus eas in templo semper fuisse oblatas. Vndè & Dauid dicit Psal. 140. de vespertinis: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. De matutinis autem dicit: Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Psal. 62. Et, In matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus. Ibidem.

Quanti Psalmi per easdem Horas dicantur.

CAPVT XVII.

IAm de Nocturnis vel Matutinis digessimus ordinem psalmodiæ: nũc de sequentibus horis videamus. Prima hora dicãtur psalmi tres singillatim, & non sub vna Gloria. Hymnus eiusdem horæ post versum, Deus in adiutorium meum intende, antequàm psalmi incipiantur. Post expletionem verò trium psalmorum recitetur lectio vna, versus, & Kyrie eleison, & missa sint. Tertia verò & Sexta & Nona, eodem ordine celebratur: Oratio, id est, versus, hymni earundem horarum, terni psalmi, lectio, & versus, Kyrie eleison, & missa sint. Si maior congregatio fuerit, cum antiphonis: si verò minor, in directum psallãtur. Vespertina autem synaxis quatuor psalmis cum antiphonis terminetur. Post quos psalmos Apostoli lectio recitanda est. Indè responsorium Ambrosianum, versus, canticum de Euangelio, litania, & oratio Dominica, & fiant missæ. Completorium autem trium psalmorum dictione terminetur. Qui psalmi directanei sine antiphona dicendi sunt. Post quos hymnus eiusdem horæ, lectio vna, versus, Kyrie eleison, benedictio, & pòst missæ fiãt. Quod alijs in locis dicit, Et completum est, Cap. 12. hac in clausula, & missæ sunt, dicit: & missæ sunt, repetit. Orationes enim officij, quæ à nobis sunt cõpletæ, Deo sunt missæ: quia in illius honore sunt celebratę. Aliter orationes, id est, collectæ, q̃ in fine cursûs à * sacerdote dicũtur, missæ, i. Deo transmissæ vocantur. *al. non habent, à sacerdote A sacerdote enim mittuntur, sed à Deo excipiuntur. Hinc & Leuitæ, solennitate aliqua in ecclesia celebrata, eleuata voce, Ite, missa est, quid sit.

Ite,

Ite, missa est: populo clamat, hoc est, solennitas est completa, & per sacerdotis ministerium iam Deo est missa.

Quo ordine Psalmi dicendi sunt.

CAP. XVIII.

IN *primis semper diurnis Horis dicatur versus: Deus, in adiutorium meum intende: Domine, ad adiuuandum me festina &c.* Hinc Cas-
in exposit. psal. 69. siodorus ait: Tunc enim adiutorium poscimus, quandò periculis subiacemus, vt aliquo remedio subleuati, calamitates diuersarum possimus vincere passionum. Intende, dicit, propitius respice, quia *
* al. omnia omnipotens Dominus, etiam cùm non rogatur, agnoscit. Festina, ergò dicit, Domine: qui festinabat de huius seculi clade liberari. Generaliter hunc locum facundis-
Cap. 10. simus Cassianus, in decima collatione de huius vtilitate plurima differens, tanto honore côcelebrat, vt quicquid monachi assumpserint, sine huius versiculi trina iteratione non inchoent, quem repetita sæpiùs laude congeminans, nimis vtilem esse probat eius memoriã. *Indè Hymnus vniuscuiusque horæ. Deindè prima Hora Dominica dicẽda quatuor capitula psalmi centesimi octauidecimi dicãtur. Reliquis verò Horis, id est, Tertia, Sexta, vel Nona, terna capitula suprà scripti psalmi centesimi octauidecimi dicantur. Ad Primam autem secunda feria, dicantur tres psalmi, id est, primus, secundus, & sextus. Et ità per singulos dies ad Primam vsque ad Dominicam dicantur per ordinem terni Psalmi, vsque ad nonumdecimum Psalmum. Ità sanè, vt nonus Psalmus, & septimusdecimus partiantur in duas Glorias, & sic fiat, vt ad Vigilias Dominica semper à vicesimo incipiatur. Ad Tertiam verò, Sextam, Nonamq; feria secunda, nouem capitula, quæ residua sunt de centesimo decimooctauo Psalmo, ipsa terna per easdem Horas dicantur. Expenso ergò Psalmo centesimo octauodecimo duobus diebus, id est, Dominica & secunda feria, tertia feria iam ad Tertiam, Sextam, vel Nonam psallantur terni Psalmi à centesimo nonodecimo vsque ad centesimum vicesimumseptimum, id est, Psalmi nouem. Quique Psalmi semper vsque ad Dominicam per easdem Horas iidèm repetantur. Hymnorum nihilominùs, lectionum, vel versuum dispositione vniformi cunctis diebus seruata. Et ità scilicet, vt semper Dominica à centesimo octauodecimo incipiatur. Vespera autem quotidiè quatuor Psalmorum modulatione canatur. Qui Psalmi incipiantur à centesimo nono vsque ad centesimum quadragesimumseptimum: exceptis his, qui in diuersis Horis ex eis sequestrantur, id est, à centesimo septimodecimo, ad centesimum vicesimumseptimum: & centesimo tricesimo tertio, & centesimo quadragesimo secundo. Reliqui omnes in Vespera dicendi sunt. Et quia minùs veniunt tres Psalmi, ideò diuidendi sunt, qui ex numero suprà scripto fortiores inueniuntur, id est, centesimum tricesimumoctauum, & centesimus quadragesimustertius, & centesimus quadragesimusquartus. Centesimus verò sextusdecimus, quia paruus est, centesimo quintodecimo coniungatur. Digesto ergò ordine Psalmorum Vespertinorum, reliqua, id est, lectiones, responsoria, hymni, versus, vel cantica, sicut suprà taxauimus, impleantur. Ad Completorium verò quotidie iidem Psalmi repetantur, id est, quartus, nonagesimus, & centesimus trigesimustertius. Disposito ordine Psalmodiæ diurnæ, reliqui omnes Psalmi qui supersunt, æqualiter diuidantur in septem noctium vigiliis, partiendo scilicet, qui inter eos prolixiores sunt Psalmi, & duodecim per vnamquanque constituantur noctem. Hoc præcipuè commonentes, vt si cui fortè hæc distributio Psalmorum displicuerit: ordinet, si meliùs aliter iudicauerit.* Hanc autem Psalmorum distributionem, non totum officium, beatus Benedictus in iudicantis posuit arbitrio, hoc præcipuè commonens, vt qui vult hanc Psalmorum distributionem secũdùm suam tenere dispositionem, teneat: qui autem aliter meliùs iudicauerit, illam tenens, istam sine culpa dimittat. Nos autem hortamur eum, qui secundùm hanc promisit se viuere regulam, inquantùm valet, firmiter teneat, & conseruet eam: & confidens de Dei misericordia, credat, quia custodiẽtibus eam patebunt cælica regna. Sequitur: *dum omnimodis id attendatur, vt omni hebdomada Psalterium ex integro numero centum quinquaginta Psalmorum psallatur, & Dominico die semper à capite repetamur ad Vigilias. Quia nimis iners deuotionis suæ studium vel seruitium ostendunt monachi, qui minus Psalterio cum Canticis consuetudinariis per septimanæ circulum psallunt, dum quandò legamus sanctos patres nostros vno die hoc strenuè implêsse, quod nos tepidi vtinàm septimana integra persoluamus.*

De disciplina psallendi.

CAP. XIX.

V*Biquè credimus diuinam adesse præsentiam.* Nuda enĩ & aperta sunt omnia, vt ait Apostolus, oculis Dei, & non est vlla creatura in- Heb. 4.
uisibilis in conspectu eius. Et ideò sic assistere ante oculos eius debemus, sicut ante Oratio, attenta esse
oculos creatoris & iudicis. Nullus enim vi- cur debeat.
dens Principem vel Iudicem suum, & loquens cum eo, & audet vagari oculis, & aliorsùm adspicere: quanto magis qui accedit ad Deum, nusquàm debet mouere oculum cordis, sed intentus esse in eũ, qui scru-
tatur renes & corda? Quandò enim pro Psal. 7.
peccatis nostris humiliter supplicamus, ad Dominum nos loqui cognoscimus, *& oculos Domini in omni loco speculari bonos & malos intelligimus, maximè tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, quandò ad opus diuinum assistimus.* Et ideò timere debemus, nè fortè si aliud, q̃ id, quod petimus, cogitamus, diuinæ

maiestati, antequam stare videmur, iniuriam faciamus. *Ideò semper memores simus quod ait Propheta: Seruite Domino in timore. Et iterùm: Psallite sapienter.* [Psal. 2.] [Psal. 46.] Ea ergò semper lingua proferat, quæ conditori placeant, iuxta illud Psalmographi præconium: [Psal. 2.] Seruite Domino, inquit, in timore, & exultate ei cũ tremore. Tunc ergò creatori * timendo seruitur, [* al. tremendo] si opus bonum vocis laudibus iungitur, sicut alibi per Psalmistam dicitur: Psallite sapienter. [Psal. 46.] Sapienter etenim quisq; psallit, qui voci laudanti, noxijs operibus non contradicit: & qualiter oporteat diuinæ potẽtię famulari, solicita cura omnique studio prosequitur. Sic ergò mens nostra, intenta ad psallendum, incedat, qualiter nullo præpedita secularis desiderij obstaculo, nullo temporis fuscata vitio, sed semper intenta in cælestibus, humilitate ac puritate, promptissimaq; deuotiõe ornata, ad æterna præmia peruenire contendat. Sic cordis compunctione flagret, qualiter in se creatoris misericordiam excitet. *Et, In conspectu angelorum psallam tibi.* [Psal. 137.] Tanta debet esse reuerentia, grauitas, vel disciplina psallendi, vt amabiliùs à Domino, quàm à nobis dicitur, audiatur, sicut ait Scriptura: Exitus matutini & vespere delectabis. [Psal. 64.] Et item: Psallite Domino sapienter. [Psal. 46.] Ergò si sapienter & cũ timore iubet psalli, oportet psallentem immobili corpore, inclinato capite stare, & laudes Domino moderatè canere, [Psallens quomodò stare debeat.] quippe qui ministerium suũ ante diuinitatem implet, docẽte hoc Propheta, cùm dicit: In conspectu angelorũ psallam tibi. [Psal. 137.] Nam considerare debet, qui psallit, semper, nè aliò sensus ei* demigret, nè, cùm in aliam cogitationem sensus nostri migrauerint, de nobis dicat Deus: [Matth. 15.] Populus hic labijs me honorat, cor autem eorũ longè est à me. *Ergò consideremus qualiter oporteat nos in conspectu diuinæ maiestatis & angelorum eius esse, & sic stemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostræ.* Ad tantum ergò & tale officium, cor pariter cum lingua conueniat, cum timore Domino quotidianum debitum reddiderit. Et notet sibi in corde, qui psallit, ad singula omnia testimonia quę dicit: Quia singuli versus si notentur, proficiunt animæ ad salutem, & in eis totũ inuenitur, quod quæritur, quia omnia ad ædificationem loquitur psalmus, dicente Propheta: Psallam & intelligam. [Psal. 100.]

De reuerentia orationis.

CAP. XX.

S*I, cùm hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non * possumus, nisi cum humilitate & reuerentia: quanto magis Domino Deo vniuersorum, cum omni humilitatis & puritatis deuotione supplicandũ est:* [* al. præsumimus] Si hominibus carnalibus, nisi cum humilitate, nõ fit precatio, cùm beneficia eos aliqua temporalia postulamus: quanto magis conuenit, vt pro peccatis nostris, vel facinoribus omni, qua possumus, Christum prece rogemus? Nulla ergò debet esse in oratione duplicitas. Nõ vnus in ore, alter in corde inueniatur. Puritas cordis omnia vitia excludit, omnes virtutes obtinet. Lætetur cor quærentium Dominum: [Psal. 104.] quia ibi est habitaculum spiritûs sancti, vbi fuerit puritas cordis. Vndè & sequitur: *Et nõ in multiloquio, sed in puritate cordis & compunctione lachrymarũ nos exaudiri sciamus.* [Matth. 6.] *Et ideò breuis debet esse & pura oratio.* Ideò breuis debet fieri oratio, nè per occasionem prolixæ orationis obdormiãt, [Breuis cur debeat esse oratio.] aut fortè diù iacẽtes, diabolus eis ante oculos diuersa ingerat, vel in corde aliud subministret. Ergò oportet orare cum timore suppliciter, vt qui orat, præsentis Christi videatur pedes tenere. Et cum tanto debemus orare timore, vt cognoscamus quia cum Deo loquimur, nec se in multiloquio quisquam, sed potiùs in puritate cordis & lachrymarum vbertate exaudiri credat. Non enim longæ orationis prolixitas, sed promptę mentis intẽtio pietatem clementis iudicis excitat. Orãdus ergò semper est, vt largiatur delinquentibus veniam, qui languenti mũdo per crucis passionem infudit medicinam, salus mũdi æterna Christus Iesus Dominus noster. *nisi fortè ex affectu inspirationis diuinæ protendatur. In conuentu tamen omninò breuietur oratio.* Ideò ergò vtiliter patres nostri ipsam orationem celeri fine concludi iusserunt, nè fortè immorantibus nobis in ea, quædam tussis vel phlegmatis, aliarumque rerum, interrumpat strepitus, & dum adhuc feruet oratio, velut ex faucibus diaboli velociter rapiatur, qui cùm nobis semper sit infestus, tũc quàm maximè assistit infest*, cùm nos contra se offerre preces Domino viderit, festinans mentem nostram ab intentione orationis, aut cogitationibus, aut excitatis humoribus reuocare. Propterea ergò breues quidem orationes, sed frequentes fieri patres nostri iusserunt. Breues ideò, vt insidias diaboli insistentes tunc pręcipuè, cùm oramus, in ipsa breuitate vitare possimus. Frequentes autem ideò, vt per ipsam frequentiam Deum precantes, iugiter ei cohærere possimus. Propter hanc frequentiam orationis, & illud vtile est, vt longiores psalmos non vsque ad finem continuata pronũciatione, sed æquali numero versus diuisos duabus vel tribus incisionibus cum orationis intentione finiamus: quia nõ in multitudine versuũ, sed mentis intelligẽtia delectari debemus. Illud virtute sectantes: Psallam spiritu, psallam & mente. [1. Cor. 14.] *Et facto signo à Priore, omnes pariter surgant.* Istemos

mos fuit apud antiquos monachorum cuneos, vt audito vniuſcuiuſq; horæ ſigno, celeriter omnes ad orationem conuenirēt, orationi ſimul incumberent, ſimul orarēt, & ab oratione, facto ſigno à Priore, omnes pariter ſurgerent. Modò verò iam apud nos aliter atque aliter habetur. Quanto enim ſerotini à primitiuis, tanto longiùs vitæ merito ab antiquis diſtamus patribus. Illi enim erant ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes: nos autem tepidi & nauſeam facientes, ſumus tamen in miſericordia Domini ſperantes.

De Decanis monaſterij.

CAP. XXI.

Si maior congregatio fuerit, eligātur de ipſis fratres boni teſtimonij & ſancta conuerſationis, & conſtituantur Decani, qui ſolicitudinem gerant ſuper Decanias ſuas in omnibus, ſecundùm mandata Dei, & præcepta Abbatis ſui. Præcepta enim Abbatis concordare debent cum Domini mandatis: & ideò illi pariter Decani, pariter & alij obtemperare debent ſubditi. Nam ſubditi Decanis, & Decani debēt obedire Præpoſitis, & omnis ſimul congregatio Abbatis debet obtemperare præceptis. Decani enim priùs dicti ab eo, quòd decem militibus prēferrentur. Modò autem & qui decem, & qui pluribus præferuntur, Decani vocantur.

Decani officium quod ſit.

Decani autem ſolicitudo & eruditio hæc erit erga vnumquenque quem ſibi ab Abbate traditum ſuſceperit, vt doceat eum primitùs ſuas vincere voluntates: in quibus eum diligenter exercens, illa ei ſemper de induſtria imperet, quæ ſenſerit animo eius eſſe contraria. Quia multis experimentis hoc doctum eſt, nunquàm poſſe monachum ſuas concupiſcentias refrenare, niſi priùs per obedientiam mortificare didicerit ſuas voluntates. Nec poterit iram aut triſtitiā, aut ſpiritum fornicationis extinguere, nec cum fratribus humilitatem firmam & perpetuam retinere, nec in cōgregatione diutiùs permanere, qui prius voluntates ſuas non didicerit ſuperare. *Qui Decani tales eligantur, in quibus ſecurus Abbas partiatur onera ſua, & non eligantur per ordinem, ſed ſecundùm vitæ meritum & ſapientiæ doctrinam.* Decani, qui ſuper Decanias ſunt conſtituti, tantam ſolicitudinem gerant, ſuper quos delegatos habēt fratres, vt nullas proprias faciant voluntates. Non loquantur, niſi interrogati: ſuo arbitrio nihil faciant, niſi mandati: alibì non pergant, niſi ordinati. Seniores timeant vt dominos, ament vt parentes, faciāt quicquid ab eis imperatum acceperint. Credant ſibi ſalutare, quicquid illi præceperint, ſi hoc ſine murmuratione cum hilaritate & taciturnitate fecerint, dicēte Moyſe: Audi Iſrael, & tace. Onera alteri⁹ vnus portet, & nemo aliū iudicet. Nemo alij detrahat, quia ſcriptū eſt: Omnis detractor eradicabitur. Vnus ab alio, quod nō habet, accipiat: vnus ab alio diſcat humilitatem, vnus ab alio charitatē, vnus ab alio patientiam, vnus ab alio ſilentium, vnus ab alio manſuetudinem. Comedant ſine querela, quicquid eis appoſitum fuerit: veſtiant, quod acceperint. Non celent fratres Decanos ſuos, quicquid ſingulis diebus cogitauerint. Decani verò ſint eis quaſi rectores & cuſtodes, tanquàm pro ipſis Domino rationem reddituri. Negligētias cunctorum ipſi præuideant, & emendandi poteſtatem habeant, & quod ipſi nō valuerint emendare, Præpoſito non morentur accuſare. Qui & ipſi Præpoſiti ſic hoc diſtrictè & rationabiliter agant, vt Abbates ſuos nullo modo præſumant inquietare, excepto de his, quæ vtriq; non valuerint * corrigere. Et in hoc vnus erga alterum tantam humilitatem habeat, vt nūquàm vllus vllum offendat, ſed vnus in altero tanquàm ſibi impenſo perſiſtat, id eſt, iuniores in Decanis, Decani in Præpoſitis, Præpoſiti in Abbatibus, vnus alium portās, tanquàm in muro lapides quadrati, Apoſtolo atteſtante ſicut ſuprà, Vnus alterius onera portates, ſic adimplebitis legem Chriſti. *Qui Decani, ſi ex eis aliqua fortè quis inflatus ſuperbia, repertus fuerit reprehenſibilis, correptus ſemèl & iterum, atq; tertiò, ſi emendare noluerit, deijciatur, & alter in loco eius, qui dignus eſt, ſubrogetur. Et de præpoſito eadem conſtituimus.* Nō enim ſuperbi, ſed humiles eſſe debent, qui alios corrigere, caſtigare, & in omnibus cuſtodire debēt. Proindè primū ipſi Abbates cū ſuis Prēpoſitis atq; Decanis ſemetipſos diſcutiant, & inſtàr ſui iuniores arguant, & omne malitiæ fermentum à corde radicitùs euellāt, & ſic alios diuerſis curis & vitijs implicatos, caſtigare, corrigere, & emendare contendant. Id eſt, ſi audierint fratrem, non interrogatum, loqui, moneant eum, dicentes: Quid agis frater? quid regula prohibet? habeto taciturnitatem vſq; ad interrogationē. Dicēſi propheta: Pone, Dñe, cuſtodiā ori meo, & oſtium circunſtantiæ labijs meis. Non declines cor meum in verba malitiæ. Sedeat ſuper os tuum ſapientia, cum claue iuſtitię, & timoris Dei, & ipſa bonis eloquijs aperiat, & malis eloquijs claudat labia tua. Si mentientem audierint fratrem, admoneant eum, dicentes: Quid mētiris, frater, cùm ſcias ſcriptū: Os quod mētitur, occidit animā? Et, Perdes oēs qui loquuntur mendaciū. Si audierint multū fratrē iurantē, moneāt eū, dicentes: Retine, frater, linguam tuā. Vt quid iuras, cùm ſcriptū ſit: Non iurabis per cælū, quia ſedes Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum pedum eius eſt: neq; per caput tuum iurabis,

Gala. 6. Hebr. 13. * al. accelerare. Gala. 6. Math. 18. Quales eſſe debeant, qui corrigunt, caſtigant, & cuſtodiunt alios. Pſal. 140. Sapien. 1. Pſal. 5. Math. 5. Iacob. 5.

iurabis, &c. Sed sit sermo vester, est est, non non. Si viderint eum irascentem, moneant eum, dicentes: Quid agis, frater? In mansuetudine & charitate opera tua perfice,
Psal. 36. quia scriptum est: Desine ab ira, & derelinque
Matth. 5. furorem. Et, Qui fratri suo dixerit, racha, reus erit iudicio. Similiter & in alijs his similibus impedimentis varijs, & diuersis occupatos fratres admonere quotidiè & castigare præpositi debêt, quia dum hæc quotidiè soliciti in commissis sibi fratribus faciunt, & ipsi proficiunt, & alios admonendo proficere faciunt. Multos enim & de multis & varijs habêt præpositi compescere monachos curis. Solent nonnulli pro suis vxoribus atque filijs, aut etiã quibusdam propinquis curam habere more pietatis: Plerique verò, qui non sunt in talibus implicati, pro alimento sunt soliciti: Alij verò tristitiæ morbo interiùs consu-
Iob 13. muntur, & tanquàm vestimentum à tinea intrinsecùs mentis suæ auiditate deuorantur, & cum ipso rãcoris languore dilabuntur in desperationem: alij nanque spiritu fornicationis inflammantur, & sæpè tali stimulo carnis incitati, interiori oculo cæcati, captiui ducũtur, vinculo perditionis ligati: Alij acediæ spiritu inflati, ocio & somno vacare cupiunt, & curiosis fabulis solicitantur, &, quod peius est, à proprio monasterio se auferre disponunt: Alij vanæ gloriæ elationis telo in diuersis partibus confodiuntur, & alij alia defendẽtes, & suas causas magnificantes, dum nolunt Christi pauperibus similes esse, singuli in vanis istis cogitationibus elabũtur, & quasi nihil à Deo acceperint, de proprijs viribus extolluntur: & cùm laudatores nõ inueniunt, ipsi sibi in suis laudibus prosiliũt: alius de genealogia & de sua gente fatetur esse principes: alius de parentibus: alius de germanis: alius de cognatis: alius de fratribus & cõsanguineis & idoneis: alius de diuitijs: alius de specie iuuentutis: alius de bello fortitudinis: alius de perlustratione terrarum: alius de artificio: alius de sapiẽtia, alius de assertionis eloquentia, alius de taciturnitate, alius de largitate munerum, alius de humilitate, alius de charitate: alius de castitate, alius de virginitate, alius de paupertate, alius de abstinẽtia: alius de orationum frequentia, alius de vigilãtia, alius de obedientia, alius de abrenunciatione rerum, alius de legendo, alius de scribendo, alius de voce modulationis. Hæc omnia, quę suprà perstrinximus, vnusquisq; dum aliquoties talia non iussi, immoderatè loquuntur, toties in elationem vanæ gloriæ labuntur, & ex ipso morbo, dum quod dicunt, vindicare cõtendunt, in superbiam præcipitantur. Contra ergò ipsum vitium debet vnusquisque pugnare, contra quod se cognoscit certamen habere, & de ipso se correctus emendare, vt emendatus possit saluari, vt & ipsi salutem æternam, & doctori suo mercedem præparet sempiternã.

Quomodò dormiant monachi.

CAPVT XXII.

Singuli per singulos lectos dormiant. Hinc Isidorus ait: Lux autem nocte dormientium locũ illustret, vt depulsis tenebris testimonium pateat singularis quietis. Monachi stratus in nulla turpi cogitatione versetur, sed in sola cõtemplatione Dei accubans, & requiem corporis, & quietem habeat cordis, cogitationesque prauas à se repellat, bonisque obiectis, turpes à se reijciat. Nam animi motus imaginibus suis agitur, & qualis vigilanti cogitatio fuerit, talis & imago per soporem occurret. Fructuosus dicit: Duo in vno lecto non iaceant, nec dormire extra cubile proprium cuiquam licentia pateat: interuallum singulorũ lectulorum singulis cubitis intercedat, nè, dum adinuicèm proximant corpora, nutriant libidinis incentiua. In tenebris nemo loquatur alteri, nec accedat vllo modo iunior quilibet ad lectũ alterius post completorium. Ferriolus ait: vt duo quamlibet proximi vel amici, propter secretam orationem, quæ meliùs ad Deũ nullo teste dirigitur, vno lectulo non teneantur, vt maiorem licentiã orandi credat sibi mens compuncta concessam, dum neminem vigiliæ suæ, aut testem pertimescit, aut iudicem. *Lectisternia pro modo conuersationis secundùm dispensationem Abbatis sui accipiant.* Lectisternia dicuntur, vbi homines iacere, sedere, consueuerũt. Augustinus autem dicit: Populus diù multumq; fatigatus, noua lectisternia, quod nunquàm antẽà fecerat, exhibenda arbitratus est. Lecti autem sternebantur in honorem deorum, vndè hoc factum, vel potiùs sacrilegiũ nomen accepit. *Si potest fieri, omnes in vno loco dormiant. Si autem multitudo non sinit, deni aut viceni cum senioribus, qui super eos soliciti sint, pausent.* Nã & Isidorus ait: Fratres omnes, si possibile est, in vno conclaui commorari decet. Quod si difficile fuerit, certè vel decẽ, quibus vnus præponendus est Decanus, quasi rector & custos. *Candela iugiter in eâdem cella ardeat vsque manè.* Quæ candela ante Cõpletorium quotidiè accendatur, vt videãt diuersi, quomodò vnusquisq; lectum suum componat, seque collocans lectulo ponat, in quo frequenter decantans, dicat: Lauabo per singulas noctes lectũ meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Quo factis impleto, subiungat & dicat: Memor fui nocte nominis tui Domine, & custodiui legem tuam. Hoc ergò vt deuotus quisque

Marginal notes: Singuli seorsim vt dormiant. — lib. 3. de ciuit. Dei, cap. 17. — Psal. 6. — Psal. 118.

vaca-

vacitione conceſſa, vtiliùs poſſit implere, ſtratûs ſui, vt ſuprà diximus, erit ſolus ipſe poſſeſſor, habens ſecum meliori commutatione pro dormiente fratre Dominum vigilantem. *Veſtiti dormiant, & cincti cingulis aut funibus, & cultellos ſuos ad latus non habeant, dum dormiunt, nè fortè per ſomnũ vulnerentur dormientes.* Hinc quidam Magiſter ait: Cùm dormiunt monachi, veſtiti dormiãt, & accincti, id eſt, aut cingulis, aut retibus, aut corrigia. Bracale fratrem in * nocte vti ideò prohibemus, nè dũ ſe regyrat per ſomnũ oppreſſus, exiens per thecã mucro cultelli carni eius * infigatur. Vel ideò veſtitos & accinctos dixim⁹ fratres, vt cùm hora operis Dei aduenerit, & oratorij index ſonauerit noctù, mox parati conſurgant. Vel propterea veſtiti & cincti debent fratres dormire, quia nõ licet fratri nuda ſua membra contingere. Nam exindè * incentiua libidinum animo ingerſitur: cùm membrorum nuditas tactu contingitur, fœminarũ ilicò cordis deſiderio titillatur, & indè per ſomnũ membra ſordidè coinquinantur. *& vt parati ſint monachi ſemper, & facto ſigno abſque mora ſurgentes, feſtinent inuicèm ſe præuenire ad opus Dei, cum omni tamen grauitate & modeſtia.* Grauitas, fortitudo vel firmitas intelligitur animæ: modeſtia autem, mãſuetudo, honeſtas, vel temperantia dicitur: cũ quibus virtutibus parati ſemper debent eſſe monachi, & facto ſigno ad curſum, cum feſtinatione ſurgentes, ſignum crucis frontibus inferant ſuis, ſimulque cum ſilentio dicant: Deus, in adiutorium meum intende: Domine, ad adiuuandum me feſtina. *Adoleſcentiores autem fratres iuxta ſe non habeant lecta, ſed permixti cum ſenioribus. Surgentes verò ad opus Dei, inuicèm ſe moderatè cohortentur propter ſomnolentorum excuſationes.* Adoleſcentiores fratres iuxta ſe non debent habere lectos, ſed lectis eorum lectos habeant præpoſiti propè, propter aliquam, vt diximus, vitiorum culpam in eis emendandam, vt reuerentiùs præſente maiore dormiant, & à maioribus cuſtoditi, & honeſtè admoniti ſurgant, & alacres officium Domini compleant.

[Margin notes: * al. in lecto; * al. figatur; Veſtiti cur monachi dormire debeant.; * al. immũdiciates]

De excommunicatione culparum.

CAP. XXIII.

SI quis frater contumax, aut inobediens, aut ſuperbus, aut murmurans, vel in aliquo contrarius exiſtens ſancta regula, & præceptis ſeniorum ſuorum, contemptor repertus fuerit, hic ſecundùm Domini præceptum admoneatur ſemèl & iterùm, ſecretò à ſenioribus ſuis. Quod autem dicit, vel in aliquo contrarius ſanctæ regulæ exiſtens, non de grauioribus, ſed de leuioribus dixiſſe intelligendum eſt culpis. De grauioribus enim criminibus * publicæ pœnitentiæ ſubijciendus eſt monachus, regulariter ſemèl & ſecundò à ſenioribus admonendus eſt, ſi non emendauerit, obiurgetur publicè coram omnibus. *Si verò neque ſic ſe correxerit, ſi intelligit qualis pœna ſit, excommunicationi ſubiaceat. Si autem improbus eſt, vindictæ corporali ſubdatur.* Quid de hoc capitulo diuerſi patres ſenſerunt, hoc in loco ratum duximus ponere. Ait quidam patrum: Si quis frater inſtigante diabolo, contumax vel ſuperbus, ſeu inobediens vel murmurans apparuerit, vel etiam in quocunque caſu lapſus, ſeniorum præcepta, vel ſanctæ regulæ normam violare tentauerit, hic ſecundùm præceptum Domini ſecretò à ſenioribus ſemel verbis corripiatur. Si emendare noluerit, tunc * ſimiliter ab omni congregatione obiurgetur. Et ſi ſic emendare noluerit, tunc, prout culpæ magnitudo popoſcerit, ſecundùm regulam iudicetur, id eſt, aut excommunicationi ſubiaceat, ſi eius anteà intellectus viguit: aut ſi obſtinatæ & duræ mentis tenacitas culpæ & improbitas perſeuerat, tunc corporali diſciplinæ ſubiacebit. Hinc beatus Fructuoſus ait: Mendacem, furem, percuſſorem quoquè & periurum, quod ſeruum Dei eſſe non decet, corripi primùm à ſenioribus verbis oportet, vt recedat à vitio. Poſt hæc, ſi nec ſic emendauerit, tertiò coram fratribus conueniatur, vt deſiſtat tãtiſpèr errare. Si nec ſic ſe emẽdauerit, flagelletur acerrimè, & trium menſium ſpatio excommunicationis vindictam ſuſcipiens, ſub pœnitentiæ diſtrictione ſolus recludatur in cella, de veſpere in veſpere ex hordeacei panis ſex vncijs, & aquę menſura paruula ſuſtentandus. Hinc & beatus Baſilius ait: Si de omni ocioſo ſermone reddituri ſunt homines rationem in die iudicij, nihil oportet tãquàm paruum ſperni. Qui enim ſpernit minima, paulatim defluet. Sed & quomodò quis audebit breue dicere, aut paruũ delictum, cùm Apoſtolus dicat, quia per præuaricationem legis Deus honoratur? Sed & aculeus mortis peccatum eſſe dicitur: Et non dixit, tale vel tale peccatum, ſed omne peccatum. Magìs ergò immiſericors eſt, qui intermittit & negligit, quàm ille qui arguit: Sicut is qui in morſu ſerpentis permittit deliteſcere venenum, quàm ille qui educit & attrahit. Sed & charitatem deſtruit ille, qui ſecundùm ſcripturam, parcens baculo, odit filium: Qui autem diligit, diligenter corripit eum. Hinc beatus Auguſtinus in regula ſua dicit: Si poſt admonitionem iterùm vel alio quocunque die idipſum eum facere videritis, iam velut vulneratum ſanandum prodat, quicun-

[Margin notes: Matth. 18.; * al. ſub publicam pœnitentiam regulariter; * al. ſimul; Roma. 2.; Prouer. 13.; Cap. 21.]

que potuerit hoc innenire. Priùs tamen & alteri vel tertio demonstrandum, vt duorum vel trium possit ore conuinci, & competenti seueritate coërceri. Nec vos iudicetis maleuolos esse, quandò hoc indicatis. Magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacẽdo perire permittitis. Si enim frater tuus haberet vulnus in corpore, quod vellet occultare, cùm timet secari: nonne crudeliter abs te sileretur, & misericorditer indicaretur? Quanto ergò potiùs debes manifestare, nè perniciosiùs putrescat in corde? Sed anteq; alijs demonstretur, per quos conuincendus est, si negauerit, priùs Præposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi, nè fortè possit secretiùs correptus, non innotescere cæteris. Si autẽ negauerit, tũc neganti adhibẽdi sunt alij, vt iam coram omnibus possit non ab vno teste argui, sed à duobus vel tribus cõuinci. Cõuictus verò secundùm Præpositi, vel etiam Presbyteri iudiciũ, ad quẽ dispensationis pertinet arbitriũ, debet emẽdatoriã sustinere vindictam. Quam si ferre non curauerit, etiã si ipse nõ abscesserit, de vestra societate proijciatur. Non enim & hoc crudeliter fit, sed misericorditer, nè contagione pestifera plurimos perdat. Nã & de hoc capitulo Paulus & Stephanus Abbates itã scripserunt: Si quis alterum in quacunq; parte viderit illicitũ quicquam vel sermone, vel opere faciẽtem, & Priori distulerit publicare: cognoscat se esse nutritorẽ peccati, & per omnia æqualem peccanti, quia & animæ suæ, & illius est, quem tegit, durissimus inimicus. Ex hoc apud Deum qui malè odit, & apud cunctam fraternitatem execrabilis & infidelis habebitur, quia per abundantiam malitię noluit prodere, vt * corrigeret errantem, & odio disciplinę dilexit malitiã, & adstitit omni viæ nõ bonę.

* al. corrigere potuisset.

Qualis debet esse modus excommunicationis. CAP. XXIIII.

Secundùm modum culpæ, excommunicationis vel disciplinæ mensura debet extendi. Interrogatus beatus Basilius, qualibus correptionibus vti oportet inter fratres, ad emendationem eorum, qui delinquunt, respondit: Hoc sit in iudicium eorum positum, qui præsunt, vel quanto tempore, vel quali modo corripi debeant: quia & ætas, & eruditio multam haberi facit differentiã pœnæ. Item ex regula cuiusdam: Excommunicationis mensura qualis esse debeat, iustum scientibus librare iudicium culpæ modus ostendat. Leuioribus enim culpis, leuior adhibẽda est correptio: grauioribus verò feruentior exhibẽda est damnatio. Proindè Abbatis studio pensandũ est, vt si aliquis frater in leuioribus culpis obnoxius inuenitur, vsq; ad indictam sibi horam mẽsa ptiuetur. De grauioribus verò seu dierum, vel hebdomadarum, vel mensiũ definitio in longius protracta correptione finiatur. *Si quis tamen frater in leuioribus culpis inuenitur, à mensæ participatione priuetur.* Leuioris culpæ reus est, vt ait Isidorus, qui ociosus esse dilexerit: qui ad officium, vel ad collationem, vel ad mensam tardus venerit: qui in choro riserit, fabulis ve vacauerit: qui multiloquus fuerit: qui ministerium cuiuslibet operis iniunctum, sine benedictione susceperit, aut peracto opere, benedictionem minimè postulauerit: qui, relicto officio vel opere, extra necessitatis causam foràs discesserit: qui torporẽ aut somnum amauerit: qui sæpiùs iurauerit: qui iniunctum opus neglıgẽter vel tardiùs expleuerit: qui casu vas aliquod fregerit: qui damnum rei paruæ aliquod attulerit: qui quotidiè negligenter visus fuerit: qui alicubì ad momentum secesserit: qui occultè ab aliquo literas, vel quodlibet munus acceperit & occultauerit, vel epistolam acceperit, & absconderit, aut sine consensu Abbatis rescripserit, vel quẽlibet parentum seu secularium sine iussu seniorũ, aut viderit, aut cum eo locutus fuerit: qui seniori inobediens fuerit: qui contumaciter seniori responderit: qui erga seniorem linguam non represserit: qui lasciuus in lingua fuerit: qui inhonestè incesserit: qui iocauerit: qui satis riserit: qui cum excommunicato locutus fuerit, orauerit, comederit: qui illusionem nocturnam patri nõ patefecerit. Hęc, & his similia, triduana excommunicatione emẽdanda sunt. Nam & alibì inter leuiores culpas has inuenimus memoratas, id est, si decantãs quis psalmũ, vel modicum quid titubauerit: si vel leuiter murmurauerit: si dimissa synaxi, non cóncitus ad cellam recurrere festinauerit: si lectionem operi vel obedientiæ præferens, officia statuta segniùs fuerit executus: si cum aliquo vel ad modicum substiterit: si alterius manum tenuerit: si iocularare aliquid vel risui aptum, in conuentu fratrum proferre præsumpserit, vel qui cum iunioribus verba ociosa narrare voluerit, aut habere amicitias ætatis infirmæ, increpationi, vt dignus est, subiacebit. Si quis quælibet inuenerit, inuenta * celet, & cognoscenda occultet: quòd si reperta, vnius diei spatio conuincitur retentãsse, furti contagio maculatum se esse cognoscat. Si quis eum, qui districtionem monasterij non ferens, fugam meditari agnouerit, & non statim prodiderit, perditionis illius participem non dubitet se esse.

Ser. 4. exercit. ad pietat.

* al. adduntur, non celet, cognoscenda non occultet.

se esse. Et tam diù est à conuentu fratrum sequestrandus, quàm diù ille valeat reuocari. Si quis hæc non omni virtute studuerit Domino placitura seruare, & semel ac secundò correptus, non emendauerit reprehensa, iuxta ætatis formam, cónuenit iudicari. Huc vsque in huiusmodi ac similibus admissis procedit animaduersio spiritalis. Residua verò, quæ apud nos indifferenter admissa, à nobis quoque repræhensibilibus sustinentur, id est, aperta conuicia, manifestus contemptus, contradictiones tumidæ, libera & effrenata processio, familiaritas apud fœminas, iræ, rixæ, simultates, & iurgia, operis peculiaris præsumptio, philargyriæ contagio, affectus atque possessio rerum superfluarum, quæ à cæteris fratribus non habentur, extraordinaria & furtiua cibi refectio: Hæc & his similia, non illa, qua diximus, increpatione spiritali, sed vel plagis emendâtur, vel expulsione purgantur. *Priuati autem à mensa consortio illa erit ratio: vt in oratorio Psalmum vel Antiphonam non imponat, neque lectionem recitet, vsque ad satisfactionem.* Hinc quidam monachorum magister ait: Frater qui leuem culpam habuerit, & post primam, secũdam & tertiam monitionem de vnoquoque vitio non emendauerit, à mensa excommunicetur, non ab oratorio. Quæ excommunicatio tam diù inoffensa permaneat, quàm diù à reo maioris humilitatis satisfactio, humiliato ad genua capite, se decætero promiserit emendare. Ille verò frater, qui excommunicatus à mensa, non ab oratorio, fuerit: tam diù Antiphonam aut lectionem non imponat, quàm diù de culpa illa, emendatione promissa, satisfecerit, aut Abbatis præsentis, aut Præpositi sui ad genua incuruatus. Excommunicati verò fratres si ità superbi extiterint, aut in superbia cordis perseuerantes in tertia diei hora nona satisfacere Abbati noluerint, custoditi * cædantur virgis: & si placuerit Abbati, de monasterio expellantur: quia talis vita necessarios non habet corporales, vel societas fratrũ, quos in anima superba possidet mors. Nam meritò tales debẽt, plagis mactati, expelli: qui esse cum CHRISTO humilitatis Domino non merentur, sed sint à perpetuis promissis Dei cum authore suo diabolo separati, qui de cælorum regnis propter superbiam suam proiectus est. *Refectionem autem cibi, post refectionem fratrum, solus accipiat: vt si, verbi gratia, fratres reficiunt sexta hora, ille frater nona: si fratres nona, ille vespera, vsque dum satisfactione congrua veniam consequatur.* Congrua dicitur satisfactio, quandò secundùm modum culpæ agitur pœnitudo. Est enim prouidendum, nè

* al. addũt, vsque ad necem

grauia leuibus, nec leuia pro culpis grauibus pœnitentiæ vltio inferatur. Mensura nanque & pondere æquo, iustitiaque pia, & miseratione continua pater vel præpositus debet excellere, vt sic vulnus curet ægroti, quatenùs salutem, & non debilitatem, inferat membro: quia sicut subditorum vitia præpositus, ità & præpositorum negligentias per semetipsum Deus iudicabit.

De grauioribus culpis.

CAP. XXV.

IS *autem frater, qui grauioris culpa noxa tenetur.* Noxa, dicitur culpa, vel criminalia delicta. Noxia enim, nociua, vel noxia dicuntur grauia peccata. *Suspendatur à mensa simul & ab oratorio.* De hoc beatus Isidorus ait: Grauioris autem culpæ obnoxius est, si temulentus quisque sit, si discors, si turpiloquus, si fœminarum familiaris, si seminans discordias, si iracundus, si altæ & erectæ ceruicis, si mente tumidus, vel iactanti incessu immoderatus, si detractor, susurro vel inuidus, si præsumptor * peculiaris, si pecuniæ contagio implicatus, si aliter præter regularem dispensationem superfluum possidẽs, si fraudator rei acceptæ, aut commissæ sibi, aut minùs commissæ. Inter hæc, si de rebus allatis secum extulerit, vel de his per inobedientiam murmurauerit, si rei maiori damnum intulerit, si furatus fuerit, si periurauerit, si falsum testimonium dixerit, si contentiones vel rixas amauerit, si manifestum conuicium fratri intulerit, si personam innocentis falso crimine maculauerit, si contumaci animo seniorem despexerit, si rancorem aduersùs fratrem tenuerit, si peccanti in se, & posteà supplicanti, veniam non concesserit: si cum paruulis iocauerit, riserit, vel eos osculatus fuerit: si cum altero in vno lecto iacuerit, si extra communem mensam priuatim vel furtim quippiam sumpserit, si alicubi extra consultum Præpositi vel Abbatis discedens, medio die, vel ampliùs commoratus fuerit, si vt ociosus sit, falsam infirmitatem prætenderit. Hæc & his similia, iuxta arbitrium Prioris diuturna excommunicatione purganda sunt, vt qui grauiter peccare noscuntur, acriori seueritate coërceantur. Nam & hæc vitia grauia Paulus Apostolus in epistola ad Galatas enumerat, dicens: Manifesta autem sunt opera carnis, Gal. 5. quæ sunt, fornicatio, immunditia, luxuria, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia,

* al. vel familiaris.

quæ prædico vobis, ficut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Et eos qui talibus sunt vitijs implicati, idem Apostolus in epistola ad Romanos blasphemat, dicens: Roma. 1. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam fœminæ illorum immutauerunt naturalem vsum, in eum vsum, qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali vsu fœminæ, exarserunt in desiderijs suis inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidijs, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractatores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Qui cùm iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: non solùm qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus. Hæc, secundùm Apostolum dicta, satisfaciant. Videamus quomodò de his noxijs grauibusq; culpis cæteri Patres, & ipse videlicet beatus Benedictus. Ait enim idem in subsequentibus: *nullus ei fratrum in vllo iungatur consortio, neque in colloquio. Solus sit ad opus sibi iniunctum, persistens in pœnitentiæ luctu.* Hinc & alij Patres dixerunt: Si quis verò monachus fecerit furtum, quod potiùs sacrilegium dici potest, id censuimus ordinando, vt iunior virgis cæsus, tanti criminis reus, nunquàm officium clericatûs accipiat. Si verò iam clericus in id facinus fuerit depræhensus, nominis ipsius dignitate priuetur, cui sufficere potest pro actûs sui leuitate, impleta pœnitentiæ satisfactione, communio. Hinc beatus Ferriolus ait: Furti conscium, si adhuc vocare monachũ possumus, quasi adulterum flagellis subdi, & magna conteri afflictione iubemus, dantes illi vnam cum fornicatione sententiam, quia & ipse luxuriatus est, cùm furaretur. Similes enim eos nõ incõgruè dicimus, quos in sacra lectione pariter positos inuenimus. Dicit enim Domi-
Osee 4. nus per Prophetam: Non est scientia Dei
Ibidem. super terram. Et paulò pòst: Furtũ & adul-
Psal. 49. terium inundauerũt. Et iterùm in psalmo: Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Legimus etiam Dominum in Euãgelio dixisse:
Matth. 15. De corde enim exeunt adulteria, fornicationes, furta, & reliqua. Et nec moratus, addidit: Hæc sunt quæ coinquinant hominẽ. Ex his profectò intelligere possunt horum scelerum serui, quia sicut æqualiter his dominantur vitia, æqualiter debentur & pœnæ. Hinc & beatus Fructuosus episcopus ait: Monachus paruulorũ aut adolescentium consectator, vel qui osculo, vel qualibet occasione turpi depræhensus fuerit inhiare, comprobata patenter per accusatores verissimos siue testes huius rei causa publicè verberetur. Coronã capitis, quam gestabat, amittat: decaluatusq; turpiter, opprobrio pateat, omniumq; sputis in facie probraq; æquè suscipiat, vinculisq; arctatus ferreis, carcerali sex mensibus angustia maceretur, & triduana per hebdomadas singulas refectiõe panis exigui hordeacei vespertino tẽpore subleuetur. Pòst deinde expletis mensibus his, alijs sex mensibus succedẽtibus sub senioris spiritualis custodia segregata in corticula degens, in operibus manuum & oratione continua sit contentus, vigilijs & fletibus & humilitate subiectus, & patientiç lamentis veniã percipiat, & sub custodia semper & solicitudine duorũ spiritualiũ fratrum in monasterio ambulet, nulla priuata locutione vel consilio deinceps iuuenibus coniungendus, sciens illam terribilem Apostoli sententiam, dicentis: Traditum huiusmodi hominem in 1. Cor. 5. interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini. De hac sententia Hieronymus ait: Tradere huiusmodi satanæ in in 1. Corin. cap. 5. interitum carnis, vt arripiendi illum corporaliter habeat potestatem. Quod dum viderit, se nec carnis hic, nec in futuro spiritûs requiem habiturum, de facto pœniteat, vt saluetur. Siue sic quisque pro meritis suis de Ecclesia pellitur, satanæ traditur potestati: vt, dum caro eius per pœnitentiam afflicta, quendam interitum patitur, spiritus conseruetur. Habet enim hanc consuetudinem scriptura, vt hominem in parte, totum intelligat. Siue ità, quòd & hic scripturæ mos est, vt in carne carnales actus interire, in spiritu verò spiritualis conuersatio salua fieri demonstretur. Item hic ostendit eiectum extra Ecclesiam rabido ore dæmonum lacerandum, si permanserit, nolens carnis vitia mortificare, vt possit vitam sanctam recuperare, vt spiritus saluus sit in die Domini: quoniam in spiritum satanas accipere non potest potestatem, vt Domini iudicio reseruetur. *Cui autem refectionem solus percipiat mensura vel hora, quam prouiderit Abbas ei competere.* Proinde enim considerare debet Abbas, cui qualis conueniat disciplina, vel pœnitentia. Considerare enim debet puerile, vel senectute infirmum, vel delicatum corpus, forte, vel imbecille, & secundùm vniuscuiusque quali-

qualitatem, sic debet pœnitentiæ modum inferre, & disciplinæ pondus imponere: vt *medicina cum disciplina sanet, non opprimat, vitaliter eleuet, & non mortaliter grauet. *Nec à quoquam benedicatur transeunte, nec cibus qui ei datur.* De hac sentétia sic aliqui Patres dixerunt: Nullus eum eloquio consoletur, tacito omnium pertranseatur adspectu. Petenti benedictionem, nullus respondeat. Quicquid ei porrigitur, à nullo signetur. Quicquid verò extra opus assignatum peculialiter, vel vltrò effecerit, dispergatur, vel dissipetur. Sit vbiq; solus, & *sibi ipsi solus solatium.

* al. disciplina cum medicina

* al. in sola culpa solatium

De his, qui sine iussione Abbatis iungunt se excommunicatis.

CAPVT XXVI.

S*I quis frater sine iussione Abbatis præsumpserit fratri excommunicato quolibet modo se iungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, similem sortiatur excommunicationis vindictã.* Hinc beatus Isidorus ait: Ad excommunicatum nulli liceat ingredi citra imperium senioris. Cum excommunicato neque orare, neque loqui cuiquam licebit. Cum excommunicato nulli penitùs vesci licet, neque ipsi quidem, qui alimentum victui præbet. Hinc Cassianus ait: Si quis auté pro qualibet culpa sua fuerit ab oratione suspensus, nullus cum eo orãdi habeat licentiam, antequàm submissa in terram pœnitentia, coram omnibus fratribus supplicanti, ei venia ab Abbate tribuatur. Nam qui se orationi, vel cõfabulationi eius, antequàm à Priore recipiatur, inconsiderata pietate sociare præsumpserit, similis damnationi eius efficitur, tradens semetipsum voluntariè satanæ, cui ille secundùm Apostoli sententiam pro sui reatûs emendatione fuerat deputatus. Et in hoc grauiùs peccat, qui se ipsi coniungit, quia solatium ei tribuens, cor eius ampliùs facit indurari, & non permittit eum per hoc, quòd ab oratione fuerat segregatus, de satisfactione & venia cogitare, sed maiorem superbiæ fomitem & contumaciam delinquentis nutrit in peius. Hinc quidam magister monachorũ ait: Si quis verò frater aut palàm, aut absconsè cum eo fuerit locutus aut coniunctus, cõmunem cum eo statim excõmunicationis cõtrahat pœnã, & ab omnibus reus sit, atque in alio laboris ipse opere sequestretur à Præposito suo, & sit ipse tam ab illo reo, quàm ab omnibus separatus & solus, & mox ab omniũ & ipse alienus eloquio. Nam non ad veniam maioris & ipse pertineat, nisi pœnitentiæ similis satisfactio ab eis æqualiter fuerit operata. Illius, propter quod extiterit inobediens in vitio & in peccato: istius, ꝗ mercedé consolationis tribuit malorũ artifici.

lib. 2. inst. mon. ca. 16.

1. Cor. 5.

Qualiter debeat esse Abbas solicitus circa excommunicatos.

CAPVT XXVII.

O*Mni solicitudine curã gerat Abbas circa delinquentes fratres: quia nõ est opus sanis medicus, sed malè habentibus.* Omnẽ solicitudinẽ dicit, omnẽ curam, omnẽ sagacitatẽ, omnem industriã. Circa delinquentes, i. circa peccãtes fratres. Hinc delinquentes fratres malè habentibus assimilat, Abbatẽ verò medico comparat. Sine dubio enim anima, quãdò peccat, malè habet: quia à bonitate recedit, pariter & sanitate. Sicut enim est infirmitas corporis, est & sine dubio infirmitas animæ. Et sicut indiget medico infirmus corpore, indiget & infirmus anima. A qua infirmitate volés liberari Psalmista, Dño vero medico dicebat: Ego dixi, Dñe, miserere meĩ: sana animam meam, quoniã peccaui tibi. Cuius vicé bonus in monasterio tenens Abbas, curam de infirmis habere debet animabus, vt sanétur à peccatis & vitijs, & pristina recepta salute, iterũ sani seruiãt creatori. *Et ideò vti debet omni modo, vt sapiens medicus, immittere debet senipectas.* Senipectas, Græcũ est nomé, nõ Latinum, quo, secundùm ipsius B. Benedicti interpretationé, *seniores & sapientes fratres intelliguntur, qui quasi secretè cõsolentur fratrẽ fluctuantem.* Fluctuanté dicit, i. hęsitanté, titubãtem, vel in diuersis cogitationibus variantem. *& prouocent eũ ad humilitatis satisfactionem.* Humilitatis satisfactio est, quandò se cognoscit homo per superbiã peccâsse, & humiliato corde & corpore pro peccatis suis fructus dignos pœnitétiæ facit. Qué ad humilitatis satisfactioné seniores fratres prouocare debét, dicétes: Humilia te per pœnitentiã, sub potéti manu Dei, vt te exaltet in tépore visitationis: quia Deus superbis resistit, humilibus aũt dat gratiã. Et, Omnis qui se exaltat, humiliabitur. *& cõsolentur eũ, nè abundantiori tristitia absorbeatur.* Abundantiorem dicit tristitiã, i. maiorem & profundiorem, ꝗ anteà habuit, quandò peccauit. Absorbeatur dixit, i. deuoretur vel deglutiatur. Solet enim infirmus animo frater, de correptiõe immoderata ampliùs, quàm de perpetrata contristari culpa. Vndè necessè est, vt cùm peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magna solicitudine etiam districtio ipsa moderetur: quatenùs sic * curã disciplinæ circa delinquẽtes exerceat, vt pietatis viscera nõ amittat. De hac sententia Hieronymus ait: Nè fortè abundantiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est. Ne fortè per desperationem indulgétiæ, absorbeatur gurgite vitiorum, & à diabolo persuasus, ad infidelitatis & blasphemiæ maiora præcipitia deducatur. Propter quod obsecro vos, vt

Math. 9.

Psal. 40.

1. Pet. 5.

Lucæ 14.

* al. iura

in 2. Cor. cap. 2.

confirmetis in illum charitatem, qua perfectè se agnoscat veniam consecutum.

2.Cor. 2.

sed sicut ait idem Apostolus: Confirmetur in eo charitas, & oretur pro eo ab omnibus. Hinc Gregorius Nazianzenus ait:

In orat. in sancta lumina.

Eum qui in Corintho peccauit peccatum tale, quale nec inter gentes, ad pœnitentiam Paulus suscepit; & non solùm suscepit, verùm etiam in eo charitatem confirmauit: quandoquidem emendationem vidit, & causam facti exposuit, dicens: Nè forte ampliori tristitia absorbeatur, qui huiusmodi est, correptionis scilicet nimietate prægrauatus. *Magnoperè enim debet solicitudinem gerere Abbas.* Magnoperè dicit, magno studio, magna cura, vel magno certamine, quia non molliter aut segniter, sed fortiter & vigilanter animarum debet Abbas curam sibi gerere commissarum. Vndè & sequitur: *& omni sagacitate & industria curare, nè aliquam de ouibus sibi creditis perdat.* Sagacitas, vigilantia, solicitudo, vel proficua intelligitur curiositas. Industria autem, solertia vel prouidentia est, qua fretus quisq; prouidere debet, & non corpore, sed mentis & intelligentiæ gressibus currere, nè aliquam de ouibus suis perdat per suam negligentiã, tarditatem vel segnitiem.

Monachi boni, oues Christi sunt.

Monachi enim boni, propter innocentiam vitæ, oues Christi vocantur. De quibus ipse Dominus & pastor eorum dicebat:

Ioan. 10.

Oues meæ vocẽ meam audiunt, & cognosco meas, & cognoscunt me meæ.

Ibidem.

Et, Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis. *Nouerit enim se curam suscepisse infirmarum animarum, non super sanas tyrannidem.* Propriè tyrannus dicitur, qui in republica nõ iure principatur.

Superbus omnis tyrãnidem exercet.

Ergò omnis superbus, iuxta modum proprium, tyrannidem exercet. Superbiã ergò impij rectè tyrannidem vocant. *τύραννος* Græcum nomẽ est: intelligitur enim vsurpatio regni iniusta, honor indebitus, potestas iniusta, actio superba, ordinatio iniqua, de animo tumido & corde procedens superbo. Quod ministerium non suscepit Abbas super sanas animas exercere, id est, super firmos, & benè viuentes monachos: sed super infirmas animas, quæ ad tolerandas passiones & tentationes seculi fortiter adhuc non sunt consolidatæ, curam medendi suscepit atque sanandi. Suscepit enim peccatores curare, infirmos animo roborare, titubãtes in Dei seruitio solidare, non sanos aut rectè viuentes subuertere, deuiare & cõturbare. *& metuat Prophetæ comminationem, per quem dixit Deus:*

Ezec. 34.

Quod crassum videbatis, vobis assumebatis: & quod debile erat, proijciebatis. Quòd aũt dicit, Quod crassum erat, assumebatis: intelligitur, deuorabatis, interficiebatis, vel consumebatis.

lib. de pastorib. ca. 4.

De hac sententia B. Augustinus ait: Sanæ atq; crassæ oues, perpaucæ sunt, i. solidæ in cibo veritatis, vtẽtes pascuis benè de munere Dei. Sed mali isti pastores non parcunt talibus. Parùm est, quòd illas languentes, & infirmas & perditas & errantes non curant, sed istas fortes & pingues necant, quantùm in ipsis est. Illæ viuunt de misericordia DEI, tamen quantùm ad pastores malos attinet, occidunt malè viuendo, malum exemplum præbendo. Attendit enim ouis etiam fortis plerunquè præpositum suum malè viuentem, si declinet oculos à regulis Domini: & intendit in hominem, incipit dicere in corde suo: Si præpositus meus sic viuit, ego qui sum, qui non faciam quod ille facit? Si fortem ergò occidit ouẽ, iam de cæteris quid faciet, qui illud, quod non ipse fortificauerat, sed forte aut robustum inuenerat, malè viuendo interfecit? Dico charitati vestræ, iterùm dico, & si viuunt oues, & si fortes sunt oues in verbo Domini, & tenent illud, quod audiêrunt à Domino suo: Quæ dicunt, facite: quæ autem Matt. 23. faciunt, facere nolite: tamẽ qui in conspectu populi malè viuit, quantùm in illo est, eum, à quo attenditur, occidit. Sic omnis qui malè viuit in cõspectu eorum, quibus præpositus est, quantùm in ipso est, occidit & fortes oues. qui ergò imitatur præpositum malum, moritur: qui non imitatur, viuit: tamen quãtùm ad illos pertinet, ambos occidit. *Et pastoris boni, pium imitetur exemplum.* Pastor bonus, Christus est, qui dixit: Ioan. 10. Ego sum pastor bonus. Et de se iterùm ait: Ibidem. Bonus pastor animã suam ponit pro ouibus suis. Cuius pium debet Abbas imitari exemplum, & diligere debet gregem ouiũ suarum, id est, monachorum suorum, sicut & ille dilexit genus humanum, intantũ, vt pro illo morti traderet semetipsum: & surgens à mortuis, eleuauit illud in cœlũ, & choro sociauit angelico, & sic ouium suarum redintegrauit numerũ. Nam & Abbas errantem debet corrigere monachum, & correctum pariterque dilectum cuncto cæterorũ suorum debet sociare monachorum, & tunc benè illum imitatur. *qui, relictis nonaginta nouem ouibus in montibus, abijt, vnam quæ errauerat, ouem quærere: cuius infirmitati in tantum compassus est, vt eam suis sacris humeris imponere dignaretur, & sic reportare ad gregem.* Luca 16. Centum oues, vniuersitas est angelorum & hominum. Vna autem errauit, id est, humanum genus peccauit. Nonaginta nouẽ reliquit in mõtibus, id est, nouem ordines angelorum in cælis: & venit quærere vnam in valle lachrymarum, qua inuenta, fit gaudium super eam, magis, quàm super nonaginta nouem, quæ non errauerant.

De his, qui sæpiùs correpti, emendare noluerint.

CAPVT XXVIII.

SI quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus nō emendauerit, acrior ei accedat correptio, id est, vt verberum in eū vindicta procedat. Correptus, dicit castigatus vel obiurgatus. Inter corripere enim, castigare, vel obiurgare, hoc interest: Corripimus enim verberibus, Obiurgamus verbis, Castigamus verò & verbis & verberibus. *Quòd si nec ità se correxerit, aut fortè (quod absit) in superbiam elatus, etiam defendere voluerit opera sua, tunc Abbas faciat quod sapiens medicus: Si exhibuit curationū fomenta, si vnguenta exhortationum, si medicamina diuinarum scripturarum, si ad vltimum, vstionem excommunicationis, vel plagas virgarum.* Castigationes cum pietate & mansuetudine, rectè fomenta vocantur. Exhortationes verò cum dulcedinis lenitate, vnguenta dicuntur. Diuinarum verò scripturarum testimonia, vel sacra legis præcepta, non incōgruè vocantur medicinæ: sanant enim animarum custodientium & obseruātium ea, peccatorum vulnera. Vnde Psalmista Domini custodiens præcepta, dicebat: Ego dixi, Domine, miserere mei: sana animam, quia peccaui tibi. Excommunicationis autem seuera districtio, quæ peccatori iniūgitur pro peccato, conuenienter vstio vocatur. Sicut enim ignis vstulat, atque concremat corpus: ità districtio excommunicationis, animam affligit pariter atq; concremat corpus. Sed vstio ista à peccati rubigine purgat animam humilem, superbam verò in plumbi conuertit naturam. De virgæ verò flagello Salomon ait: Percute filium virga, & liberabis animam eius à morte. Et, Si diligis filium tuum, assidua illi flagella. *& si viderit nihil suam praualere industriam, adhibeat etiam, quod maius est, suam & omnium fratrum pro eo orationem, vt Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum fratrem.* Hinc & Apostolus ait: Confitemini alterutrùm peccata vestra, & orate pro inuicē vt saluemini. Multùm enim valet deprecatio iusti assidua. Elias erat homo similis nobis passibilis: & oratione orauit &c. Si hæc vnus Elias tanta impetrauit, quanto magis valebit frequens plurimorum oratio iustorum? Iubemur itaq; orare & psallere Domino, quotiès aliquibus pulsamur aduersis, & non solùm pro salute corporum, sed etiam pro sanitate animarum orare debemus Si enim magnæ mercedis est, à morte eripere carnem quandoque morituram: quanti est meriti, animam liberare à morte, in cælesti patria sine fine victuram? *Quòd si nec isto modo sanatus fuerit, tunc iam vtatur Abbas ferro abscisionis, vt ait Apostolus: Auferte malum ex vobis.* Hinc in cuiusdam Patris scriptum est regula: Frater si sæpiùs correptus emendare noluerit, excommunicatione pro modo culpæ corrigatur. Si nec sic aliquid profecerit increpantis correptio, tunc verberum vindictæ subiacebit. Quòd si sic emendare noluerit, sed magis in tumorem superbiæ elatus, opera, vel actus, de quibus corrigitur, defenderit: tunc Abbatis scientiæ regimine corrigatur, quia scriptum est: Qui abijcit disciplinam, * insipiens est. Moderante ergò scientia saniè, medendi cura adhibeatur. Si verò tale vulnus per fomenta castigationum, & pietatis ac lenitatis vnguenta sospitati non redditur, tunc excommunicationis sententiam vel disciplinæ corporalis pœnam incurrat. Et si nec excommunicationis metu, nec flagelli pœna frangitur, augeatur pietatis fomes, ità vt ab omni congregatione pro eo communis Dominus orationum officio deprecetur, vt qui laqueo diaboli irretitus tenetur, Domini misericordia ac pietate curetur. Quòd si nec sic corripi voluerit, intra septa monasterij sub pœnitentiæ tenore ab omnibus, * præter custodibus, segregatus, tam diù castigetur diuersis correptionibus, vsque dum eius humilitas, vera credulitate patefiat, quia & inuitis sæpè salus præstatur. Nam ideò separandus est à congregatione, vt suo vitio non maculet innocentes. Tenera verò ætas, quæ excommunicandi vim nescit, nō excommunicatione, sed flagello, corrigenda est. Hinc Isidorus ait: Qui graui vitio sæpè excommunicatus negligit emendare, tam diù subiaceat * emendationi, quousquè vitia inolita deponat, vt quem semèl illata animaduersio non coercuit, frequens seueritas censeat emendandum. Quanuis frequentium grauiorumque vitiorum voragine sit quisque immersus, non est tamen à monasterio projciendus, sed iuxta qualitatem delicti est coercendus: nè fortè qui poterat per diuturnam pœnitudinem emendari, dum projcitur, ore diaboli deuoretur. Beatus autem Macarius aliter in sua regula ait: Qui sæpiùs, inquit, corripitur, & non se emendauerit, extraneus habeatur, sicut dixit Dominus, Sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Beatus Basilius ità ait: Qui pro peccato non pœnitet, abscindatur, tanquàm putrefactum membrum à corpore. Scriptum est enim: Quia expedit vt pereat vnum membrorum tuorum, & non omne corpus tuum mittatur in gehennam. quia ei parcere, quem Dominus damnauit, velle tuum non est. In orientali enim regula sic inuenimus: Si fuerit aliquis tam durus & tam alienus à timore Domini, vt tot correptionibus & remissionibus non emendetur, projciatur de monasterio, & velut extraneus habeatur, nè vitio ipsius alij perdantur. Vndè & sequitur: *Insi-*

Psal. 40.

Excommunicationis pœna, cur vstio rectè dicatur.

Prou. 13. & 23.

Eccli. 30.

Iacobi 5.

Orandum pro animarum salute.

1. Cor. 5.

Excommunicandus quis sit.

Prou. 15.

*al. infelix

*for. præterquàm à custodibus.

*al. dānationi.

Matth. 18.

Marci 9.

Infidelis, si discedit, discedat. i. si vult abire, abeat. Et non hoc Abbas grandi pendat, aut culpatum se iudicet, si suus infidelis iam discedit monachus: quia si ille proprio vitio à monasterij discesserit claustro, in Abbatem non redundat eius peccati macula. Qui enim priùs discessit mente, necesse est vt postmodùm discedat & corpore, nè ab illo fiat quod sequitur: *nè vna ouis morbida totum gregem * commaculet.* Morbum ideò veteres appellauerunt, vt appellatione ipsa vim mortis, quæ ex eo nascitur, demonstrarent. Nam inter sanitatem & morbum, media est curatio, quæ nisi morbo congruat, non producit ad sanitatem. Quod autem dicit, contaminet: intelligitur, polluat vel inquinet. Contagium enim, dicitur contaminatio criminum, miseria animi, morbi calamitas, vel inquinatio mentis. Contagium enim, à contingendo dictum. quicquid enim contigerit, polluit.

*al. contaminet.

Si debeant fratres iterùm recipi, exeuntes de monasterio.

CAPVT XXIX.

FRater qui proprio vitio egreditur, aut projcitur de monasterio, si reuerti voluerit, spondeat priùs omnem emendationem vitij, pro quo egressus est: & sic in vltimo gradu recipiatur, vt ex hoc eius humilitas comprobetur. Quòd si denuò exierit, vsq; tertiò ità recipiatur. Iam verò posteà sciat omnem sibi reuersionis aditum denegari. Hinc quidã magister dicit Monachorum: Frater si frequenter exierit de monasterio, vsque in tertium reuersus, recipiatur. ampliùs non iam. Vt quid in monasterio iam opùs sit, quem Deus non possidet?. Ideoque post tertiam correptionem, iustè monasterio sit vt ethnicus & publicanus. Hinc Ferriolus ait: Fugitiuum verò monachum deserentem disciplinam, & perdentem se, velut contemptorem placuit reuocare. Hinc sanctus Fructuosus Episcopus ait: Cùm aliquis per vitium elapsus fuerit à monasterio, in aliud non recipiatur cœnobium, neque in humanitatis charitatem, neque in pacis osculum, sed continuò vinctis post tergum manibus, Abbati reducatur proprio. Item ipse: Si certè ipsi apostatæ ab omnibus fuerint expulsi, & huc illucq́ue vagantes diuersis locis instabiles atque vacillantes suo monasterio se * reuerti petierint, necessitate cõpulsi, & in conuentum maiorum deducãtur, & vt vasa figuli in fornace probentur. Et cùm probati fuerint, suo monasterio reformentur, & non prima, sed vltima, cathedra recipiantur. Item ex regula cuiusdam: Si vllo tempore (quod absit à Christiana religione) frater à septis monasterij discesserit, & foràs fugiens, posteà recordatus pristinę religionis, & ęterni iudicij perculsus timore, reuersus fuerit, priùs omnium morũ emendationé pollicentur. Posteà si probabilis eius * patientia agnoscatur, tunc demùm intra septa monasterij recipiatur: Et si bis aut tertiò hoc fecerit, simili pietate foueatur: sic tamen, vt extremo loco inter pœnitentes receptus, tam diù examinetur, vsque dum probabilis eius vita inueniatur.

Matt. 18.

Apostatæ quò sint iterũ recipiendi.

*for. restitui

*al. pœnitentia

De pueris minoris ætatis qualiter corripiantur.

CAPVT XXX.

OMnis ætas vel intellectus, proprias debet habere mensuras: id est, iudicij disciplina nó vniformiter est omnibus exhibenda, sed secundũ vniuscuiusque ætatem vel intellectũ, cum magno est moderamine inferẽda. Aliter enim paruuli, aliter adolescentes & iuuenes, aliter senes, aliter verò in decrepita positi debent iudicari ætate. *ideò quotiès pueri vel adolescentes ætate, aut qui minùs intelligere possunt, quanta pœna sit excommunicationis. hi tales dum delinquunt, aut nimijs ieiunijs affligantur, aut acribus verberibus coerceantur vt sanentur* De talibus enim Salomon ait: Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eã. Hinc Isidorus ait: In minori ætate constituti, non sunt coercendi sententia excommunicationis, sed pro qualitate negligentiæ congruis emendãdi plagis, vt quos ætatis infirmitas à culpa non reuocat, flagelli disciplina compescat. Illi verò fratres post quindecim annos ætatis vapulét, qui satis grauem, aut * fasti fugacis, aut criminalem aliquam commiserint culpam.

Pueri delinquentes ieiunijs vel verberibus coercendi.

Prouer. 22.

*al. forti

De cellerario monasterij.

CAPVT XXXI.

CEllerarius monasterij eligatur de congregatione sapiens. Cellerarius, qui seruis Dei substãtiam ministrat, eorum cibaria dispésat, prudentia plenus, & sapientia debet esse præditus, vt prudenter sapienterq; dispensanda dispenset: & quæ sunt conseruanda, conseruet: quia qui secundùm Dominum sapiens est, beatus est. Et neminem diligit Deus, nisi eum, dicit scriptura, qui cum sapientia moratur. Hinc Isidorus ait: Nihil prodest scire omnem * prudentiam, cum ignorantia Dei, & nihil obest scientibus Deum ignorantia mundi. Perfectè autem scit, qui Deum priùs, & ista non pro se, sed pro Deo scit. *maturus moribus.* Maturi enim mores, dicuntur modesti, suaues, & multarum rerum experientia & diuturno tempore

Cellerarius qualis esse debeat.

Sapi. 7.

*al. scientiam

Sap. 4. pore temperati. Scriptum est enim: Cani
sunt sensus hominis: & ætas senectutis, vi-
ta immaculata. Ergò canities honoranda,
senectusq́; venerãda, & ætas matura nõ tan-
tùm in corpore, sed in sensib⁹ hominis in-
uenitur, vbi omnia bona, quæ à Deo acci-
piuntur, & discretè cõponuntur, & ratio-
nabiliter discernũtur, & firmiter cõseruan-
*al. cautus tur. *sobrius.* Sobrius intelligitur * castus, vel
cõsideratus, in cibo & potu frugalis & par-
cus, verbo & opere temperatus. Hinc Pau-
Rom. 12. lus ait: Non plùs sapere, q̃ oportet sapere,
sed sapere ad sobrietatẽ, i. temperatè. Tem-
peratè enim debet sapere cellerarius, tem-
peratè viuere, tẽperatè loqui, & ea quæ mi-
nistrãda sunt fratrib⁹, tẽperatè ministrare.
Sobrius mẽte, discretus in opere, suauis in
verbo, & dulcis eloquio, scriptũ est enim:
Eccli. 20. Sapiẽs in verbis, seipsum amabilẽ facit. Et,
Prouer. 16. Qui sapiens corde est, appellabitur prudẽs.
Et qui dulcis est eloquio, maiora percipiet.
non multũ edax. Multùm enim edax, dicitur,
gluto, vorator vel cõsumptor, quod mo-
nachum & maximè cellerariũ esse nõ decet.
Abstinẽtis monachi quot, quantaq́; bona. Non enim glutonis, sed abstinentis mona-
chi oratio penetrat cælum. Abstinẽs enim
homo spiritalis efficitur, angelis socia-
tur, & creatori suo faciliùs appropinquat,
Iacobi 4. sicut scriptum est: Appropinquate DEO,
& appropinquabit vobis. Bonum est ergò
cauere ventris ingluuiem, nè in æternum
viuens anima, destruendo subdatur vẽtri,
& à destruendis dominetur escis. De ven-
tre autẽ & esca scribit Apostolus: Esca vẽ-
1. Cor. 6. tri, & venter escis: Deus autem & hunc &
hanc destruet. Nemo ergò potest domina-
ri vitijs cæteris, nisì priùs ingluuiẽ restrin-
xerit ventris. Hinc quidam monachorum
magister ait: Cellerari⁹ verò ipse frater or-
dinetur, qui probatus fuerit ab Abbate fi-
delis & abstinens esse, quem nunquàm vin-
cit aliquandò aliqua desideriorũ gula, vel
qui non multùm amat manducare aut bi-
bere: nè magis locus detur diabolo, sicut
dicit scriptura, Nolite dare occasionẽ quę-
rentibus eam: & videatur gastrimargiæ gu-
læ vorantibus, vel glutonibus fratribus ꝓ-
uideri magis quàm refrenari. *non elatus.* Ela-
tus, dicitur in superbia eleuatus, audax, ia-
Prouer. 16. ctans vel arrogãs. De talibus enim Salomon
ait: Abominatio Domini est omnis arro-
Prouer. 25. gans. Et, Qui se iactat & dilatat, iurgia cõ-
Superbia gignit arrogãtiam. citat. De superbia nanq; nascitur arrogan-
tia. Nisì enim præcesserit occulta elatio mẽ-
tis, non sequitur aperta iactantia laudis.
Eccli. 6. Talem enim diuina increpat scriptura, di-
*al. elidatur cens: Non te extollas in cogitatione animę
tuæ velut taurus, nè forte * dilabatur vir-
tus tua, & relinquaris velut lignum aridũ
in eremo. *non turbulentus.* Turbulentus vo-
catur à turbine furoris commotus, siue ab
ira mentis oculo cordis cæcatus, sicut scri-
ptum est: Turbatus est præ ira oculus me- Psal. 6.
us. De tali & Salomon ait: Qui conturbat Prouer. 11.
domum suam, pascit ventos. Domũ enim
suam conturbat, qui præ leuitate mentis,
ad iracũdiam mentem suam citò commo-
uet. Impatiẽs enim cellerarij anima, videns
sibi multos quærere multa, præ leuitate tur
batur animo, & petentibus sibi non dulce
reddit responsum, sed magis sermonẽ pro-
fert iniuriosum: quod illi facere magno-
perè vetatur, cùm subditur: *non iniuriosum.*
Iniuriosus dicitur, qui fratribus infert in-
iurias, vel irrogat cõtumelias. De tali enim
scriptum est: Vir iracundus prouocat ri- Prou. 15.
xas. Et, Os impiorum redundat malis. Et, Prouer. 16.
Semper iurgia quærit malus. Angelus enim Prou. 17.
crudelis mittetur contra eum. Et illud, In- Prou. 13.
ter superbos semper iurgia sunt. Superbi Superbi monachi qui dicantur.
dicũtur monachi mali, qui, neglectis con-
silijs seniorum suorum, prout illis libitũ
fuerit, suis legibus viuunt, & inter se fre-
quenter litigant, & crebrò iurgia concitãt.
Cõtra quos angelus crudelis mittitur, quia
illis locum dantibus contra eos animarum
bellator infestus diabolus concitatur. *non
tardus.* Tardus, dicitur piger, lentus, vel te-
pidus. Non enim decet cellerariũ esse tardũ Prou. 19.
vel pigrũ, nè fortè dicatur de illo: Abscõ- & 26.
dit piger manũ sub ascella, nec ad os suum
applicat eam. Eum autem non decet esse
tardum, qui multis debet impẽdere serui-
tium: sed necessè est vt sit velox ad audiẽ-
dum, velox ad seruiendum, tardus autẽ ad
accusandum, & tardus ad iram. *non prodigus.*
Prodigus enim dicitur, nimìs largus, pro-
fusus siue naufragus, consumptor vel rerũ
dilapidator monasterij, vel stirpator sub-
stantiæ fratrum: *sed timẽs Deum, qui omni con-
gregationi sit sicut pater.* Timere enim & amare
debet cellerarius Deum, & pro illius amore
vel timore, diligere fratres, & obedire illis *al. iunioribus
* in omnibus vt pater, senioribus vt filius.
Pietatem tamen habens paternam, congruè
& aptè seruiens omnibus. Scriptũ nanque
est: In tota anima tua time Deum, & sa- Eccli 7.
cerdotes illius sanctifica. In omni virtute
tua dilige eum qui te fecit, & ministros il-
lius non derelinquas. *Curam gerat de omnibus:
sine iussione Abbatis nihil faciat.* Multi enim di-
cunt, si sine iussione Abbatis nihil illi licet
facere, quomodò de omnibus potest cu-
ram gerere? Sed ille hoc exponit cùm sub-
dit, dicens: *quæ iubentur, custodiat.* ac si di-
ceret: Quòd superiùs dixi, de omnibus cu-
ram illum gerere, de his, quæ custodire ius-
sus fuerit, curam gerat: de cæteris verò
rebus sine iussione Abbatis nihil faciat. *fra-
tres non contristet.* Quarè fratres non contri-
stet, sequentia audi: *Si quis frater ab eo for-
tè aliqua irrationabiliter postulat, non spernendo
eum contristet, sed rationabiliter cum humilitate
malè petenti deneget.* Malè enim petere, est,

quandò irrationabiliter, quæ petenda non sunt, aut ea quæ petenda sunt, non congruo tempore petuntur. Tali enim modo petere, culpabiliter petitur, accipitur, vel habetur, quæ dare taliter cellerarius prohibetur, maximè cùm de eo in sequentibus dicit: *animam suam custodiat*, id est, non offendat in his, quæ non sunt danda, dando: aut quæ respondenda non sunt, respondendo. *memor semper illud Apostolicũ: quia*
1.Tim.4. *qui benè ministrauerit, gradum bonum sibi acquirit.* Gradum itaque illum, quem sibi fidelis & prudens dispensator acquisiuit, quem
Lucæ 12. cõstituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram.
Ibidem. Cum illo vtiquè audiet: Beatus ille seruus, quem, cùm venerit Dominus, inuenerit ità facientem: id est, benè ministrantem. Verè dico vobis, quia super omnia, quæ
Benè ministrás, bonũ gradũ sibi acquirit. possidet, constituet eum, id est, super omnia cælestis regni gaudia. Ecce qui benè ministrauerit, quàm bonum gradum sibi acquirit, id est, vt sit inter dispensatores & ministros Domini honoratus in cælo. Quia qui in seruitio Domini plùs laborat in præsenti, plùs mercedem accipiet in futuro. *Infirmorum, infantum, hospitum, pauperum, cum omni solicitudine curam gerat.* In infirmitate positis fratribus diligenti cura & promptissimo affectu ministret. Scri-
Matt.25. ptum est enim: Infirmus fui, & visitastis me. Infantibus, considerans in eis ætatis fragilitatem, & corporis teneritudinem, quæ necessaria sunt, paterno ministret affectu. Hospitibus necessaria porrigat,
Ibidem. quia scriptum est: Hospes fui, & suscepistis me. Et quia præceptum est: Omni pe-
Lucæ 6. tenti te, tribue. A pauperibus non subtrahat eleemosynam, quia scriptum est: Qui
Prou. 21. obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur: sed magis, quæ necessaria sunt, eis cum hilaritate porrigat, quia scriptum est: Hila-
2.Cor.9. rem datorem diligit Deus. *sciens sine dubio, quia pro his omnibus in die iudicij rationem redditurus est.* Oportet nos, ait Apostolus, stare
2.Cor.5. ante tribunal CHRISTI, vt referat vnusquisque prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum. Et sic vnusquisque nostrûm dignam mercedem laboris sui recipiet. *Omnia vasa monasterij, cunctamq; substantiam, quasi altaris vasa sacrata conspiciat.* Hinc antiqui monachorum Patres dixerunt: Debet enim talis cellerarius eligi, qui possit in omnibus euangelico ordine fratribus suis victum gubernare, qui timeat Iudæ sentẽ-
Ioan.12. tiam, qui ab initio fur fuit. Studere debet, qui huic officio deputatur, vt videat, quia
1.Tim.3. qui benè ministrauerit, gradum bonum sibi acquirit, & animæ suæ lucrũ facit. Nôsse etiam debent fratres, quia quicquid in monasterio tractatur, siue in vasis, siue in ferramentis, vel cætera, omnia esse sanctificata. Si quis de fratribus aliquid negligenter tractauerit, partem se habere noluerit cum illo rege, qui in vasis domûs Dei Dan.5.
sanctificatis cum suis bibebat concubinis, & qualem meruit vindictam. Custodienda sunt ista præcepta, & per singulos dies in *aures fratrum recitanda sunt, vt non *al. auribus
condemnentur pro peccatis suis. *nihil ducat neglegẽdum. Neq; auaritiæ studeat, neque prodigus sit, aut exstirpator substãtiæ monasterij, sed omnia mensuratè faciat, & secundùm iussionem Abbatis.* Hinc secundùm regulam Patrum orientalium dicitur: Ad condiendos cibos det cellerarius necessaria, secundùm quotidianæ expensæ consuetudinem, neque profusè, neque auarè: nè vitio ipsius, vel monasterij substantia grauetur, vel fratres patiantur iniuriam. Sed & necessitatem infirmorum fratrum ac laborem considerãs, nihil ægrotantium desiderijs neget ex his quæ habuerit, quantùm illis necesse fuerit. Aduenientibus diuersis fratribus escas parabit. Hæc erit cura custodis cellerarij seniorum recurrens semper ad consilium & requirens de omnibus vel præcipuè de his, quæ proprio suo intellectu non potuerit adimplere. *Humilitatem ante omnia habeat: & cui substantia non est, qua tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus, vt scriptum est: Sermo bonus super datum optimum.* Eccli. 18.
Sine dubio autem, qui veram humilitatem habuerit, in corde, sermonem bonum profert de ore. Et siue sit, siue desit, quod tribuatur, sermonem dulcẽ omnibus porrigit atque bonum. In Ecclesiastico autem scriptum est: Nónne ardorem refrigerabit ros? sic Ibidem.
& verbum melius, quàm datum. Nónne ecce verbum bonum super datum? *Omnia quæ ei iniunxerit Abbas, ipse habeat sub cura sua: A quibus eum prohibuerit, non præsumat.* Hinc ostenditur, quia si alia iuri suo subiugauerit, quàm ea, quæ ab Abbate suo iniuncta susceperit, aut de his, quæ illi prohibita sunt, præsumpserit: non ei mercedis obedientia, sed inobedientiæ deputabitur culpa. Si enim in monasterium non venit suam facere voluntatem, quæ illi nõ fuerint iniuncta, timere debet contingere. *Fratribus constitutam annonam sine aliquo typo vel mora offerat, vt non scandalizentur.* Annonam, dicit alimoniam ciborum, & omnem victum monachorũ. Hora enim nona veteres comedere solebant, & ideò à tempore ipso horæ nonæ, quo illi cibos sumebant, omnis victus hominis non incongruè nomen accepit annona. Ab actu enim & tempore, multa deriuantur nomina. Quod autem dicit, sine aliquo typo, quæ offerẽda sunt, offerat: intelligitur, non corde turbato, neque vultu corporis mutato, sed hilari animo, & vultu sereno vel placido, quæ tri-

tribuenda sunt, tribuat: & quæ offerenda sunt, offerat. *τύπος* enim, Græcus sermo est, quem nos figuram dicimus, seu formã. In typo enim res declaratur ex rebus, & exterius interiora monstrantur. Nam & typus * herba dicitur, quæ se ab aqua inflat. Vndè etiam ambitiosorum & sibi placentium tumor, typus vocatur. *memor diuini eloquij quid mereatur, qui scandalizauerit vnũ de pusillis.* Scriptũ est in Euangelio: Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Quid enim per molam asinariam, nisi circuitus curæ præsentis seculi: & quid per mare, nisi idem præsens seculum designatur? Leuius enim fuerat monacho, qui alios in monasterio positus scandalizat, vt mola asinaria in collo suo ligata, in mare huius seculi proiectus, id est, in cura seculi implicatus, secularia negocia in circuitu terrenæ curę perageret, quàm in portu monasterij, & se & alios scandalizando perimeret. Hinc beatus Gregorius ait: Per molam asinariam, secularis curæ circuitus, ac labor exprimitur: & per profundum maris, extrema damnatio designatur. Qui ergò ad sanctitatis speciem deductus, vel verbo cæteros destruit vel exemplo, melius profectò erat, vt hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quàm sacra officia in culpa cæteris imitabilem demõstrarent: quia nimirũm si solus caderet, vtcunquè hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret. *Si maior congregatio fuerit, solatia ei dentur, à quibus adiutus, & ipse æquo animo impleat officium sibi commissum.* Ideò maximè illi solatium est accommodandum, nè cum murmurio sibi commissum agat officium. Nam si solus laboriosum sibi iniunctum non potuerit peragere ministerium, alijs sine dubio periculosum generabit murmurium. *horis competentibus & dentur quæ danda sunt, & petantur quæ petenda sunt.* Horas competentes, dicit, horas conuenientes vel congruentes, quandò vtrunque licet vtrisque, id est, & petenti petere, & dare donanti. Nam quandò vel lectioni, vel orationi debent vacare, silentiumque tenere, nisi causa necessitatis, nec petere vni, nec donare licebit alteri: nè sub ordine regulari, indiscretè petendo donandoque, turbentur vtrique. Vndè & sequitur: *vt nemo perturbetur, neque contristetur in domo Dei.* Domus enim Domini, bonorum monachorum sanctissima corda, & eorum sunt purissima habitacula, in quibus mundissimum Domino suo præbent habitaculum. Ipse enim Dominus ait: In habitabo in illis & inambulabo, & ero illorum Dominus, & illi erunt mihi populus. Et Apostolus ait: Templum Dei estis, & spiritus Domini habitat in vobis. In quo templo, id est, in qua domo Domini, non licebit alteri alterum perturbare, vel contristare, quia pacificos semper conuenit esse filios pacis.

*al. arba · Matth. 18. · part. 2. cur. past. ca. 2. · 2. Cor. 6. · 1. Cor. 3.

De ferramentis, vel rebus monasterij.

CAPVT XXXII.

Substantia monasterij in ferramentis, vel vestibus, seu quibuslibet rebus prouideat Abbas fratres, de quorum vita & moribus securus sit, & eis singula, vt vtile iudicauerit, consignet custodienda atque recolligenda. Ex quibus Abbas breuem teneat: vt dum in ipsa assignata fratres vicissim succedunt, sciat quid dat, aut quid recipit. Si quis autem sordidè aut negligenter res monasterij tractauerit, corripiatur. Si non emendauerit, disciplina regulari subiaceat. Interrogatus beatus Basilius, quomodò debent hi, qui operantur, curam gerere ferramentorum vtensilium eorũm, de quibus operantur, respondit: Primùm quidem sicut vasis Dei vel his, quæ iam Deo consecrata sunt, vti debent. Deindè tanquàm qui sine ipsis non possunt deuotionis & studij sui emolumenta consequi. Item interrogatus, quid, si per negligentiam pereat aliquid ex his, aut per contemptum dissipetur, respondit: Is quidem qui contemnit, velut sacrilegus iudicandus est: & qui perdiderit per negligentiam, & ipse simile crimen incurrit pro eo, quód omnia quæ ad vsus seruorum Dei deputata sunt, Deo sine dubio consecrata sunt. Hinc Isidorus ait: Instrumentorum custodia ferramentorum ad vnum, quem Pater monachorum elegerit, pertinebit, qui ea operantibus distribuat, recepta custodiat. Et licèt hæc cuncta specialiter singulis maneant distributa, omnia tamen à Patre monasterij ordinata, ad curam Præpositi pertinebunt. Hinc quidam monachorum magister dicit: Ferramenta monasterij in vno contineantur cubiculo, & vni fratri, cuius diligentiam Abbas cognouerit, eorum cõseruandam curam committat, qui quotidiè fratribus ad facienda opera consignet ad numerum, & à * distinguẽtibus similiter munda ipse recipiat, & reponat, breuem de omnibus tenente Abbate.

*al. disiungentibus

Si debeant monachi aliquid habere proprium.

CAPVT XXXIII.

P*Racipuè hoc vitium radicitùs amputandum est de monasterio, nè quis præsumat aliquid dare vel accipere sine iussione Abbatis.* Non enim oportet monachum de his, quæ pro necessitate præsentis temporis ab Abbate suscepit, aut dare aut commodare cuiquam, nisi ab Abbate illi fuerit ordinatum. Quid enim de rebus mundi alteri fratri conferat, qui suas in omnibus voluntates propter Christum in Abbatis tradidit potestatem? Hinc beatus Fructuosus ait: Peculiare opus constitutum est, vt nullus exerceat monachus aliquid, quasi sibi propriè vendicandum, aut cuilibet, cùm voluerit, sua præsumptione distribuendum, nec quodlibet opus sine præceptione & conscientia senioris suscipiendum, inchoandum siue faciendum est: sed in omni re, quicquid Abbas vel Præpositus præceperit, hoc agendum est. *neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omninò. Quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate.* Quid enim proprium potest habere sanctus monachus, qui nec corpus suum, nec voluntatem suam, in suam propriam reseruauit potestatem, sed totum abnegauit sibi, vt sequeretur CHRISTVM? Quid de mnndo habere potest proprium, (Galat. 6.) cui mundus crucifixus est, & ille mundo? qui semèl mortuus est mundo, nec desiderando, nec possidendo res mundi, debet iterùm viuere mundo? Semèl enim relicto implicare se non debet mundo. *Omnia verò necessaria à Patre debet sperare monasterij.* Monachus enim, cui Dominus partem dedit, qui de omnibus illis solicitus curam gerat necessarijs, quid solicitus est de rebus terrenis, Domino maximè dicente: (Matt. 6.) Nolite soliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut vndè operiemur? Primùm enim nobis quærendum est regnum cælorum, & posteà hæc omnia, non à nobismetipsis, sed à Domino per Patrem speranda sunt monasterij. Non ergò necesse est monacho aliquid habere peculiare, cui omnia monasterij administrantur à Patre. *nec quicquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit.* Quod Abbas non dederit, dicit, id est, manibus: aut permiserit, subauditur, aut dari, aut haberi. Hic ostendit, quòd nec ab exterioribus propinquis, nec ab interioribus fratribus aliquid accipere, vel cum alio aliquo familiariter commutare, sed quod ei ab Abbate Abbatisque iussione distribuitur, hoc libens teneat, placideque delectetur. (Acto. 4.) *Omniaque omnibus sint communia, vt scriptum est, nec quisquam suum aliquid dicat vel præsumat.* Hinc Ferriolus ait: Hoc tantùm iudicet proprium, quicquid cum fratribus possederit indiuisum. Nam & lectio Apostolorum Actuum, tempore surgentis Ecclesiæ taliter fideles CHRISTI vixisse commemorat. Nullus, inquit, ex bonis suis dicebat aliquid suum esse, sed (Ibidèm.) erant illis omnia communia. Item alibi: Nam de peculiari Ananias & Sapphira fidem ab Apostolis non meruerunt percipere, quia omnia sua cùm ante pedes Apostolorum assignarent, de peculiaribus fraudulenter subtractis, iudicio subitæ mortis damnati sunt: quia fraus DEO fieri non potest, cùm nihil est occultum, (Matt. 10.) quod ab eo non reuelabitur. *Quòd si quisquam huic nequissimo vitio deprahensus fuerit delectari, admonitus semel & iterùm, si non emendauerit, correctioni subiaceat.* Hinc Cassianus ait: Et nec verbo quidem quis audeat (lib. 4. instit. mon. ca. 13.) dicere aliquid suum, quòd magnum sit crimen, ex ore monachi processisse, tunicam meam, codicem meum, tabulas meas, graphium meum, & cætera his similia. Nam si huiusmodi verbum per surreptionem, vel ignorantiam eius de ore effugerit, * dignam pro hoc satisfaciens pœnitentiam veniam petat in terram prostratus. (*al. digna pro pœnitentia satisfaciens veniã petat in terra prostratus.) Item alius monachorum Magister ait: Si quid ergò peculiare, aut aliquid cùm inuentum in aliquo fuerit, grandi eum Abbas & diuturna excommunicatione condemnet, vt exemplum illius vindictæ nullus hoc audeat imitari.

Si omnes æqualiter debeant necessaria accipere.

CAPVT XXXIIII.

S*Icut scriptum est: Diuidebatur singulis,* (Act. 4.) *prout cuique opus erat. Vbi non dicimus, vt personarum (quod absit) acceptio sit, sed infirmitatum consideratio. Vbi qui minus indiget, gratias agat DEO, & non contristetur: Qui verò plùs indiget, humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro misericordia: & ità omnia membra erunt in pace.* Hinc beatus Augustinus ait: (In Reg. c. 1.) Victus & tegumentum non æqualiter omnibus distribuatur, quia nõ æqualiter omnes valetis, sed potiùs vnicuique, sicut cuique opùs fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apostolorum, quia erant eis (Acto. 4.) omnia communia, & distribuebatur vnicuique, prout cuique opùs erat. Item alibi scriptum est: (August. in Reg. cap. 1. & 2.) Nihilque vos habere proprium reputetis, sed sint vobis cũcta communia,

munia, quæ vobis Abbatis imperio dif-
penfantur, non æqualiter omnibus, fed
ficut ratio difpenfationis, aut caufa in-
Ibid. ca. 14. firmitatis exegerit. *Vnicuique tamen, fe-
cundùm quod opùs fuerit, tribuatur.
Nec feliciores iudicent, quibus in infir-
mitate præftatur, quod fanis pro obfer-
Ibid. ca. 15. uantiæ rigore fubtrahitur. Et fi eis, quos
parentes deliciofiùs aluërunt, victus aut
veftimenta largiùs tribuuntur, non ob
hoc debet commoueri fraternitas: fed for-
tioribus corpore pro conftitutione regu-
læ denegatur, quod illis charitatis con-
fideratione tribuitur.* *Ante omnia nè murmu-
rationis malum pro qualicunque caufa in aliquo
* al. fignificatione qualicunque verbo vel * confideratione appareat.
Quòd fi quis deprahenfus fuerit, diftrictiori difci-
* al. Fructuofus plinæ fubdatur.* Hinc * Ferriolus ait: Vt nul-
lum in congregatione murmur feu detra-
ctio, quod familiarifsimum habent mo-
nachi, contra Abbatem, aut quemlibet ali-
um de fratribus audiatur: nè ira Dei, quæ
fæpè ob hanc culpam miferabilem popu-
Num. 11. & 14. lum condemnauit in perditionem, fimili-
ter murmurantium turbæ excitetur, & ter-
ram repromifsionis, quam nos rectè acci-
pimus, locum futuræ beatitudinis, per-
dat murmuratio propria, quæ debetur
fponfione diuina. Sic enim damnandos
huius vitij fectatores, Pfalmifta annun-
Pfal. 100. ciat: Detrahentem aduersùs proximum
fuum occultè, hunc perfequebar. Et ite-
Roma. 1. rùm arguit Apoftolus, dicens: Sufurro-
nes, detractores, Deo odibiles. Et iterùm:
Iudæ. Hi funt murmuratores, querulofi, fecun-
dùm defideria fua ambulantes, & os illo-
rum loquitur fuperbiam.

De feptimanarijs coquinæ.

CAP. XXXV.

*FRatres fic fibiinuicèm feruiant, vt nullus
excufetur à coquinæ officio, nifi aut ægri-
tudine, aut in caufa grauis vtilitatis, quis
occupatus fuerit: quia exindè maior mer-
Aegroti à coquinæ officio excufantur. ces, & charitas acquiritur.* Aegrotos à co-
quinæ officio ipfa excufat corporis ægri-
tudo. Charitatis enim & fraternitatis di-
lectione tolerandi funt, non ad opera com
pellendi, ægroti. Quod autem dicit, gra-
uis vtilitatis: magnæ vel grandis intelli-
gitur vtilitatis. Graue enim, pro grandi,
magno, vel pro perfecto, fæpè intelligi-
Pfal. 34. tur pofitum, ficut Pfalmifta ait: Confi-
tebor tibi in Ecclefia magna, in populo
graui laudabo te. Quod autem dicit, quia
exindè maior merces & charitas acquiri-
tur: intelligitur, quòd apud Deum maior
merces acquiritur, & charitas apud Deum
& homines augetur. Qui enim omnibus
æquo animo cibaria præparat, ab omni-
bus gratiam charitatis, & præ omnibus
accipiet fempiternam mercedem. Scriptũ
eft enim: Quia qui plùs laborat, plus mer-
cedis accipiet. *Imbecillibus autem procurentur
folatia, vt non cum triftitia hoc faciant, fed habe-
ant omnes folatia fecundùm modum congregatio-
nis ac pofitionem loci.* Imbecilles autem, fra-
giles, delicatos, vel debiles corpore, di-
cit. Imbecillis, quafi fine baculi confo-
latione intelligitur effe. Quod autem di-
cit, fecundùm modum congregationis:
fecundùm numeri modum & quantita-
tem intelligitur monachorum. Secun-
dùm enim multitudinem congregationis,
& numerus miniftrorum, aut minor, aut
amplior deputetur. Quod autem dicit,
ac pofitionem loci, intelligitur ædifica-
tio vel conftructio monafterij. Conftru-
ctio enim monafterij fi congruo poni-
tur loco, vbi fecundùm huius regulæ ca-
pitulum omnia in clauftra contineat ne-
ceffaria, minùs cocus aliorum indiget ad-
iutorio. Si verò in arcto loco & angu-
fto vel arido ponitur fitu, vbi nec aquam
fine labore, nec hortum habere poffint
fine penuria, plura cocis * adminiftren- * al. adminiftrari debent
tur folatia. *Si maior congregatio fuerit, celle-
rarius excufetur à coquina, vel fi qui, vt diximus,
maioribus vtilitatibus occupantur. Cæteri fibi fub
charitate inuicèm feruiant.* Charitatis enim of-
ficio omnes omnibus feruiant, & ab inui-
cèm feruitium recipientes, feruitium red-
dant, fupportantes inuicèm, & laboris fui Ephe. 4.
vnufquifque à Domino dignam expe-
ctantes mercedem. *Egreffurus de feptimana,
fabbato munditias faciat. Lintea, cum quibus fibi
fratres manus ac pedes tergunt, lauet. Pedes verò
tam ipfe, qui egreditur quàm ille, qui intraturus
eft, omnibus lauent. Vafa minifterij fui fana & mun-
da reconfignet cellerario. Qui cellerarius item in-
tranti confignet: vt fciat quid dat, aut quid recipit.*
Hinc Caffianus ait: Peracto autem Do- li. 4. inftit.
minico ingredientes fecunda feria alijs mon. ca. 19.
iterùm fuccedentibus, hi qui egrediun-
tur, vtenfilia in quibus miniftrauerant,
ac vafa confignent: quæ tanta folicitu-
dine curaque fufcipientes cuftodiant, nè
aliquid ex eis minuatur aut pereat, vt
credant fe etiam pro minimis quibufque
vafculis tanquàm pro facrofanctis & ma-
gnis rebus rationem non folùm difpenfa-
tori præfenti, fed etiam Domino red-
dituros, fi fortè ex his aliquid negligenter
fuerit fractũ aut perditum. Ità enim fepti-
manarius obfequium fuum peragat, vt ne
vnum quidem granum leguminis negli-
gẽter perire de fuis manibus patiatur, quia

omnia, quæ in monasterium semèl fuerint ingressa, tãquàm sacrosancta, & quasi iam Dominó consecrata, cum summa reuerentia patres nostri tractare iusserunt. Ipsi hebdomadarij omne seruitium, & omnem diligentiam, & munditias monasterij exerceant: aquam manibus ipsi ministrent, pedes lauent, mappas & faba-

* al. faci. tergia

na * & manutergia ipsi lauent? *Septimanarij autem, ante vnam horam refectionis accipiant super statutam annonam singulos biberes, & panem: vt hora refectionis sine murmuratione & graui labore seruiant fratribus suis.* Quod autem dicit, ante vnam refectionis horam: subintelligitur, in vna hora illa antequàm fratres reficiantur, in ipsa accipiant super statutam annonam, idest, super sua mensurata cibaria, quæ illis communiter & regulariter statuta sunt, accipiant singulos biberes super mensuram suam, & modicum panis super libram suam, nè grauati seruitio, grauentur & ieiunio. *In diebus tamen solemnibus vsque ad Missas sustineant.* Quod autē dicit, vsq; ad Missas sustineant: intelligitur, vsq; ad Missam principalem, quæ omnibus solenniter canitur. Nam sunt plerique monachorum ministeriales, qui manè audiunt Missam, & comedunt, & pergunt, quò volunt, & dicunt se Missam audisse, & ità comedisse. Quod vitium præuidens & prohibens beatus Benedictus, dixit: In diebus solennibus vsque ad Missas sustineant. *Intrantes & exeuntes hebdomadarij, in oratorio mox matutinis finitis Dominica, omnium genibus prouoluantur, postulantes pro se orari.* Hanc ab eis

* al. retributionis

benedictionem, & * remunerationis mercedem pro labore totius septimanæ fideliter expetentes, vt complentes CHRISTI mandatum, eos generaliter ab omnibus fratribus emissa prosequatur oratio, quæ & eorum consummata obsequia velut pium Deo sacrificium commendet, & quicquid per ignorantiam, aut per humanam fragilitatem peccauerint, suppliciter intercedant. *Egrediens autem de septimana, dicat hunc versum: Benedictus es Domine Deus, qui adiuuisti me, & consolatus es me.* (Psal. 85.) *Quo dicto tertiò, accepta benedictione egrediens, subsequatur ingrediens, & dicat: Deus, in adiutorium meum intende: Domine, ad adiuuandum me festina.* (Psal. 69.) *Et hoc idem tertiò repetatur ab omnibus. Et accepta benedictione, ingrediatur.* Hanc egrediens à sacerdote accipiat benedictionem: Deus qui dixisti, Venite ad me qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: (Matth. 11.) hos famulos tuos laborum suorum præmio refice sempiterno. Per CHRISTUM Dominum nostrum. Et hanc ingrediens accipiat benedictionem: Adiuua, quæsumus, Domine, hos famulos tuos in obsequio laborantes fraterno, & sine murmuratione illis perseuerantiam, & proprij laboris mercedem concede perpetuam. Per &c. Egrediens autem hebdomadarius, ritè Dominó dicit: Benedictus es Domine Deus, qui adiuuisti me. Quia ipse Dominus adiuuat hominem in labore, & ipse laboranti præmium promittit consolationis. Ingrediens autem rectè Domino dicit: Deus, in adiutorium meum intende: quia laboris ingreditur officium, vbi necessarium Domini habet adiutorium, illius videlicet qui pro se laborare volentibus dixit: Sine me nihil potestis facere. (Ioan. 15.) Quod autem dicit, accepta benedictione ingrediatur: siue ab omnibus fratrib⁹ oratione præmissa, siue à sacerdote intelligitur petitione collecta.

De infirmis fratribus.

CAP. XXXVI.

INfirmorum autem cura ante omnia adhibenda est, & super omnia, vt sicut reuerà Christo, ità eis seruiatur, quia ipse dixit: Infirmus fui, & visitastis me. (Matth. 25.) *Et, Quod fecistis vni de his minimis, mihi fecistis.* (Ibidèm.) Hinc interrogatus beatus Basilius, quali affectu debemus infirmis fratribus ministrare, respondit: Sicut ipsi Domino offerentes obsequia, qui dixit: Quia cùm fecistis vni ex his minimis fratribus meis, mihi fecistis. (Infirmorũ quanta sit habenda cura.) Hinc & alius monachorum Pater ait: Horum cura qui in infirmitatibus detinentur, qualis debet esse, pietas authoris declarat, cùm dicit: Quæcunque vultis vt vobis faciant homines, & vos facite illis similiter. (Matth. 7. Lucæ 6.) Licèt hoc in omnibus sit agendum, præcipuè tamen in infirmantium cura hæc præceptio est exhibenda, quia Dominus dixit: Infirmus fui, & visitâstis me. (Matth. 25.) Ità ergò cura infirmis quærenda est, àc si præsente Christo ministrari putetur. Reuerà etenim quicunque pro Christo infirmis curam impendit, Christo in infirmis ministrat. *Sed & ipsi infirmi considerent, in honorem Dei sibi seruiri, & non superfluitate sua contristent fratres suos seruientes sibi.* Hinc beatus Basilius ait: Expedit ad considerandum affectum obsequij nostri, vt hi infirmi, qui obsequia à nobis suscipiunt, tales sint, quibus meritò deferri debeat obsequium: & non tales, qui carni indulgeant & ventri, sed potiùs in amore Dei, & CHRISTI eius probabiles inueniantur, & per patientiam suam ac vitæ meritum, fratrum mereantur obsequia, vt habeantur ad gloriam Christi & opprobrium diaboli, sicut fuit sanctus Iob. Qui tamen patienter portandi sunt, quia de talibus copiosior merces acquiritur.

Hinc

Hinc de talibus beatus Isidorus ait: Qui enim sani sunt, infirmos tolerare debent: Qui autem infirmi sunt, sanos & laborantes anteponendos sibi non dubitent. Qui sani sunt corpore, sani debent esse & mente. Et ideò conuenit sanis, infirmos portare, & magis, quàm ab infirmis portari. Necesse est enim, vt patienter portemus infirmos, vt iterùm infirmi patienter portemur à sanis. Tempore enim infirmitatis eorum copiosam mercedem seruiendo conquiramus ab illis, vt & illi tempore infirmitatis nostræ copiosam mercedem seruiendo conquirant de nobis. Hinc Apostolus ait: Inuicèm onera portate, & sic adimplebitis legem CHRISTI. *Ergò cura maxima sit Abbati, nè aliquam negligentiam patiantur. Quibus fratribus infirmis sit cella super se deputata, & seruitor timens Deum, & diligens ac solicitus.* Sit ergò Abbatis cura, vt separatim cellam habeant cum omnibus opportunitatibus, vt nullum exteriorem laborem sentiant, qui in infirma carne laborant, pœnam portantes. Infirmantibus quoque, vel aliqua inæqualitate laborantibus, satis fidelis & strenua debet persona præponi, quæ & ægrotis cum pietate seruiat, & monasterialem disciplinam regulariter custodiat, & quæ conueniunt infirmis, rationabiliter * expendat: qui & pulmenta strenuè præparet, & deuoto eis ministerio obsecundet, & de his, quæ illis residua sunt, neque fraudem faciat, neque occultè comestione se illicita polluat. Tanta enim misericordia foueantur infirmi, vt nec propinquorum affectus, nec vrbium delicias requirant, sed quod necessè habuerint, cellerarius & Præpositus prouideant. Ipsi verò infirmi tanta solicitudine admoneantur, vt de ore eorum nec quantulumcunque vel leuis sermo murmurantis procedat, sed in sua infirmitate, cum mentis hilaritate, & vera cordis compunctione, semper Deo gratias agant. quos absque concessione maiorum nullus audeat visitare: nec propinquus aut germanus, sine imperio Præpositi, ministrandi habeat potestatem. Id etiam pro custodienda fama specialiter statuimus, vt nullus monachus in infirmitate positus, relicto monasterio, parentum suorum studio commendetur: quia magis eum secularium spectaculorum visu, auditu pollui censemus, quàm ab ægritudine posse purgari. *Balnearum vsus infirmis, quotiès expedit, efferatur. Sanis autem, & maximè iuuenibus, tardiùs concedatur.* Hinc Isidorus ait: Lauacra nulli monacho * adhibenda studio lauandi corporis, nisi tantùm pro necessitate languoris. Nec differendum est propter medelam, si expedit: nec murmurandum est, quia non fit pro appetitu voluptatis, sed pro remedio tantùm salutis. Pro cura medendi, balnearum vsus summo adhibeatur studio. Sanis verò, & præcipuè iuuenibus, tardiùs concedatur. Hinc beatus Augustinus ait: Lauacrum infirmis, si necessitas cogit, minimè denegetur, sed etiam, si nolit, iubente Præposito, fiat pro salute: si autem ipse velit, & fortè non expedit, suæ cupiditati non obediatur. *Sed & carnium esus infirmis omninò debilibúsque, pro reparatione concedatur. At vbi meliorati fuerint, à carnibus more solito omnes abstineant.* Hinc iterùm ipse Augustinus ait: Sanè, quemadmodùm ægrotantes necessè habent, minus accipere, nè grauentur: ità exposita ægritudine sic tractandi sunt, vt citiùs recreentur. Sed cùm vires pristinas reparauerint, redeant ad feliciorem consuetudinem suam, quæ famulos Dei tantò ampliùs decet, quantò minùs indigent. Nec eos ibi teneat voluptas iam vegetatos, quos necessitas leuârat infirmos. Illos æstiment ditiores, qui in sufferenda parcitate fuerint fortiores. Melius est enim, minùs egere, quàm plus habere. Diligenti enim curiositate debet Abbas agnoscere vel probare, nè quis se fingat propter refectionem edacitatis infirmum. Nam qui se dixerit esse ægrotum, & ad opus Dei non surrexerit, & continuò iacuerit, ad culpam non vocetur, sed in refectione solummodò succum, aut oua, aut calidam aquam accipiat, vt si se fingit, vel fame cogatur leuari. Qui autem ad laborem proclamat se non posse, item ad manducandùm iudicetur non posse: quia vtrunque non posse, iustitiæ conuenit. Si verò ad laborandum, non possumus, dicimus: & ad manducandum, non possumus, dicamus. O iniustitiæ nefas, caput torquetur doloribus propter laborem, & venter non torquetur propter cibi distensionem. *Curam autem maximam habeat Abbas, nè à cellerarijs vel seruitoribus negligantur infirmi: quia ad ipsum respicit, quicquid à discipulis delinquitur.* Hinc quidam monachorum Magister ait: Abbas talem curam de infirmis habeat, qualem se à Domino recipere sperat: vt nec à cellerario, nec à ministro aliquam negligentiam infirmi sentiant. Ad Abbatem enim respicit, vt emendetur, quicquid à discipulis delinquitur. Quòd si ab illo non emendatur, à culpa negligentiæ non liberatur.

Margin notes:
Galat. 6.
Infirmis cella separatìm procuranda.
* al. expediat,
* al. adeūda
In Reg. cap. 51.
Ibidèm cap. 16.
Cap. 17.

De senibus vel infantibus.

CAP. XXXVII.

Senũ & infantium quanta sit habenda cura.

Licèt ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in his ætatibus, senum videlicet & infantum, tamen & regulæ authoritas eis prospiciat. Hic, licèt, ꝓ quanuis ponitur. ác si dicat: Quanuis ipsa naturaliter humana natura pietatis viscera plena, hominem ad misericordiam pertrahat, vt senibus misereatur & infantibus, tamen & regulæ authoritas eis prospiciat. Quomodò autem prospiciat, sequentia audi: *Consideretur semper in eis imbecillitas, & nullatenùs eis districtio regulæ teneatur in alimentis, sed sit in eis pia consideratio, & præueniant horas canonicas.* Hinc beatus Isidorus ait: Hi qui vetustate corporis cõsumpti, aut teneræ ætatis * fragilitate detenti sunt, non sunt quotidianis exercendi ieiunijs: nè aut senescẽs ętas, antequàm moriatur, deficiat: aut crescens, priusquàm proficiat, cadat: & antè intereat, quàm bonum facere discat. Hinc quidam & alius monachorũ magister ait: Infantuli quarta, sexta & sabbato, in diebus tantùm minoribus, hoc est, in hyemis tempore, ieiunent: alijs verò diebus, ad sextam reficiantur horam. In æstatis verò diebus, quarta, sexta, & sabbato, infantuli sexta hora reficiantur: alijs verò diebus, tertia recreentur. Quia in maioribus diebus minor est ætas in viribus, sicut & sustinẽdi sensu discreta. Sed infantes ad hanc relaxationẽ tales permittimus, qui intra * quindecim annos degunt ætate. Ampliori verò ætate qui fuerit, ad formam teneatur maiorum. Nã iusto iudicio, infantuli, & senio prouecti, & infirmi, æquali debent refectionũ iudicio relaxari. *præueniant horas canonicas.* Canonicas horas, dicit regulares. Canon enim regula interpretatur. Canonicę horę, quas præuenire, id est, anticipare rogat in cibo & potu senes & paruulos, sextæ & nonæ sunt horæ. Præueniant, dicit, horas canonicas, id est, si fratres sexta comedunt, illi tertia hora reficiant: si fratres nona, illi sexta cibum accipiant. Eos verò senes, quos quietos, simplices, humiles, obediẽtes, & in oratione frequenter assistentes, & Christũ semper in ore habentes, & sua peccata plorantes, & non suo, sed maiorum arbitrio pendẽtes, & propinquitatis affectum perfectè deserẽtes, & dilectionem Dei & proximi tota mente tenentes, & die noctuque in lege Domini meditantes cognoscimus, pia miseratione, sicut infantulos, foueri, & sicut patres honorare, mandamus.

* al. singularitate

* al. duodecim

De hebdomadario lectore.

CAP. XXXVIII.

Lectio ad mensam, cur fiat.

Mensis fratrum edentium lectio deesse non debet. Ideò lectio comedentibus minùs esse non debet, vt lectioni sacræ intendentes, secundùm Apostolum, cum silentio panem suum comedant fratres. Oportet enim, vt, sicut corporali cibo reficitur corpus, ; ità spiritali reficiatur animus. Sedẽtes ergò ad mensam, taceãt: & lectio quotidiè, & omni tẽpore, dũ cibus sumitur, legatur: vt vterq; homo, & exterior cibo, & interior verbo Dei reficiatur: quia scriptum est, Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei. *Nec fortuitu casu qui arripuerit codicem, legere ibi,* subaudiatur, debet, vel audeat. Fortuito casu dicit, subito vel improuiso. Diligenter enim debet lectio præuideri, quæ pro ædificatione tantis debet hominibus legi, nè improuisa lectio audientibus non vitale pabulum præstet, sed nociuum magis murmuriũ generet. Sic enim debet esse sacra lectio lecta, vt sicut cibus edentium corpora, ità & illa audiẽtium repleat corda. *sed lecturus tota hebdomada, Dominica ingrediatur. Qui ingrediens post Missas & communionem, petat ab omnibus pro se orari, vt auertat Dominus ab eo spiritum elationis.* Rationabiliter enim primo omnium dierum debet lector ingredi ad * legendum, & sic hebdomada tota lectionis opus perficere cœptũ. Quod opus non est incipiendum ab illo, nisi præmissa oratione tam sua, quàm fratrum. In omnibus enim quæ monachi agere debent, oratio fratrum assiduè præcedere debet. Oratio enim bonorum monachorum citò penetrat cælum. Dignum est ergò vt lector petat ab omnibus pro se orari, vt auertat ab ipso Deus spiritum elationis: quia de superbia nascitur elatiõis arrogantia, & nisi præcesserit occulta elatio mentis, non sequitur aperta iactantia laudis. *Et dicatur hic versus in oratorio tertiò ab omnibus, ipso tamen incipiente: Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Et sic accepta benedictione, ingrediatur ad legendum.* Ab illo enim quærenda est labiorum apertio, à quo primùm facta est linguarum omniũ distributio. Ab ipso enim qui disertas fecit esse linguas infantium, & labiorũ apertio, & cordis quærẽda est illustratio, vt os lectoris illi annunciet laudis officium, à quo se misericorditer esse cognoscit apertum. Quod autẽ dicit, & sic accepta benedictione, ingrediatur ad legendum: subintelligitur, à fratribus oratione accepta, & à sacerdote benedictionis collecta, ingrediatur ad lectionẽ perficiẽdã. quę collecta hoc modo, si placet lectori, à sacerdote ante altare detur, Missa peracta, dicaturq;: Auerte, quæsumus Domine, ab hoc famulo tuo spiritũ elationis, vt humiliter legens, sensum & intellectum capiat lectionis. Per Dominũ nostrum &c.

Matth. 4.

Lectio cur sit præuidenda.

* al. legem Domini,

Lector mẽ. sæ cur aliorum orationes petere debeat, antequàm legat.

Psal. 50.

Et

Et summum fiat silentium ad mensam, vt nullius mussitatio vel vox, nisi solius legentis ibi audiatur. Inter silentium tamen, & summum silentium, distantia est. Summum silentiũ est, vt nulla vox nullaq́; mussitatio sonet: Silentium (* al. silēter) tantùm est, vbi loquuntur, sed * leniter & cum silentio. Vndè in Euangelio Martha (Ioan. 11.) vocauit Mariam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te. De hoc silentio dicit regula: (Cap. 42.) Omni tempore silentio studeant mo(Cap. 38.)nachi. De illo: Ad mẽsam, & in nocte summũ silentiũ fiat. *Quæ verò necessaria sunt comedentibus & bibentibus, sic sibi vicißim ministrent fratres, vt nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, sonitu cuiuscumque signi potius petatur, quàm voce.* Hinc beatus Fructuosus ait: Si quid deest in mensa, is qui præest, dato signo, vel nutibus silenter petat, & indicet ministranti, quid inferri vel quid auferri à (Cassia. li. 4. inst. mon. cap. 17.) mensa sit necessè. Item alibi: Si aliquid necessarium fuerit in mensa, nemo audeat loqui, sed ministrantibus signum sonitu det. *Nec præsumat ibi aliquis de ipsa lectione, aut aliundè quicquam requirere, nè detur occasio,* Subintelligitur, nè detur occasio, vel maligno diabolo ad tẽtandum, vel fratribus ad superflua (Ibidem.) loquendum, sicut beatus Cassianus ait: Reficientibus, inquit, fratribus sanctæ lectiones legantur, propter superfluas & ociosas fabulas, & maximè contentiones, quæ frequenter solent ad mẽsam edentium generari. *nisi fortè Prior pro ædificatione voluerit breuiter aliquid dicere.* Hinc quidam monachorũ Magister ait: Ad mensam penitùs nullus præter Abbatẽ, vel cui ipse præceperit, pro communi necessitate loqui præsumat. Sed omnes intento animo gratias agentes creatori in cordibus suis, cibi ac potûs solitæ mensuræ largitione fruãtur. Et quantùm alius reficiat, nullus inuicẽm vagãtib* ocu(* al. curiosius)lis * curiosus notet, sed vnusquisq; ante se adspiciat. *Frater autem lector hebdomadarius accipiat mixtũ, priusquàm incipiat legere, propter communionem sanctam, & nè fortè graue sit ei ieiunium sustinere. Posteà autem cum coquina hebdomadarijs & seruitoribus reficiat.* Quod dicit, accipiat mixtum, panis intelligitur simul & vinũ. In multis enim prouincijs panis tantùm & vinum, quod super altare offertur, mixtũ vocatur. Propter cõmunionem sanctam, dicit, nè aliquid indè sumptum excreans proijciat in sputo. *Fratres autem non per ordinem legant aut cantent, sed qui ædificent audientes.* Hinc iterùm monachorum Magister ait: Legat nanq; dispositè lector nõ vrgẽdo, vt apertiùs occupati ea auditores agnoscant, quę eos factis oporteat adimplere, & si qua sunt ambigua, aut obscura, apertiùs lecta, faciliùs intelligant.

De mensura ciborum.
CAP. XXXIX.

SVfficere credimus ad refectionem quotidianam, tam sexta, quàm nona, omnibus mensibus cocta duo pulmentaria propter * diuer(* al. diuersorum)sas infirmitates, vt fortè qui ex vno non potuerit edere, ex alio reficiatur. Ergò duo pulmentaria cocta fratribus omnibus sufficiant. Et si fuerit vndè poma aut nascentia leguminum, addatur & tertium.* Hinc Isidorus ait: In vtrisque temporibus refectio mensæ tribus erit pulmentis, Olerum scilicet, & leguminum, & si quid tertium fuerit pomorum. Hinc & quidam monachorum Magister ait: Sufficere nanque credimus ad refectionem quotidianã, tam sextæ quàm nonæ, omnibus mensibus cocta duo pulmẽtaria, & tertium, quodcunque fuerit, crudum cum pomis. Festis verò diebus, pro reuerentia sacræ solennitatis, pluribus cibis, id est, ternis vel quaternis ferculis sunt corpora reficienda: sic tamẽ, vt si pluriora sunt cibaria, numero sint minora, vt corpora necessario cibo reficiantur, non nimia saturitate dãnentur. Quandò in mensa cibus administratur, nullus priùs cibum comedat, quàm signum ad benedicendum insonet. Et cùm signum audierint, vna voce benedictionem rogent. Quorum vocẽ Abbas subsequatur, dicens: Dominus dignetur benedicere. Illud præcipuè decernimus, vt nullus alteri dare ex mensura sua, vel ab altero accipere præsumat, præter Abbatem, vel Præpositum, cui ab Abbate cõmissum est. *Panis libra vna propensa sufficiat in die: siue vna sit refectio, siue prandij & cœnæ. Quod si cœnaturi sunt, de eadẽ libra tertia pars à cellerario reseruetur reddenda cœnaturis.* Hinc idem supradictus Magister ait: Medius panis pensans libram singulis fratribus in die sufficiat, secundùm formã diuinæ dispensationis, cùm mediũ panis cælestis coruus Paulo seruo Dei quotidiè vescendum pa(Hiero. in vita Pauli.)rauerit. Quandò ergò ad sextam horã, tempore æstiuo, vel alijs temporibus reficiunt, tertia quadra ipsius dominici panis à cellerario per omnium annonas, in cellario subtracto, serò ante illum crudum pulmẽtarium inferẽdum mensis ponatur. Quod autem dicit, panis libra vna propensa, antè pensata vel librata intelligitur. Nam & supradictum pulmentum, à pulte nomen idem deriuatur. Siue enim sola pultis, siue aliud, quod eiusdem permixtionis ordine componitur & sumitur, pulmentum propriè dicitur. Leguminum autem nascẽtia, eorundem leguminum intelliguntur germina, quæ cum aceto, vel alijs fructibus composita, ad comedendum sunt apta. *Quòd si labor fortè factus fuerit maior, in arbitrio & potestate Abbatis erit, si expediat aliquid augere.* Hinc Basilius ait: Hi, qui præsunt, obseruabunt regulam illam, quæ dicit: Di(Acto. 4.)uidebatur singulis, prout cuiq; opus erat. Debet vnumquenque præuenire, & se-

cundùm laborem etiam solatia refectionis inueniat. Quantùm enim spectat ad vitia, penitùs abstinendum est: Quantùm autem ad cibos, prout vsus deposcit, vel ætas, vel labor, vel robur corporis, vel incommoditas eius, ità etiã modus & quantitas temperabitur cibi. *remota præ omnibus crapula, & vt nunquàm surripiat monacho indigeries: quia nihil sic contrarium est* ª *omni Christiano, quomodò crapula, sicut ait Dominus noster: Videte nè grauemur corda vestra in crapula.* Crapula dicitur immoderata voracitas. Crapula enim dicta, quasi cruda epula: cuius cruditate cor grauatur, & stomachus indigestus efficitur. vndè & sequitur: Et vt nunquàm subripiat monacho indigeries, id est, inductio ventris. De crapula enim Dominus ait: Videte nè grauentur corda vestra in crapula & ebrietate &c. Repleri enim ventrem & grauari ex cibis, valdè inutile est monacho, & ad omne opus bonum contrarium: quia qui nimiùm cibis vtitur, quanto magis pascit ventrem, tanto ampliùs sensum mentis obtundit. *Pueris verò minori ætate, non eadem seruetur quantitas: sed minor quàm maioribus, seruata in omnibus parcitate.* Hinc quidam Magister ait: Minoribus verò duodecim annis, minùs à libra panis in die sufficiat. Quantitas enim, dicitur modicitas vel granditas. Dicta autem à mensura, quæ est, quantum sit. Per eam enim vel plus, vel minus ostenditur. Parcitas enim temperantia est, quæ à parcendo nomen accepit. *Carnium verò quadrupedum omninò ab omnibus abstineatur comestio, præter omninò debiles & ægrotos.* Hinc Aurelius ait: Carnes in cibo nunquàm sumantur. Pulli verò & altilia cuncta, in congregatione non ministrentur. Infirmis vero tantùm prouideantur, & accipere liceat. Hinc Fructuosus ait: Carnem cuiquam nec sumendi, nec gustandi est concessa licentia: non quòd creaturã Dei iudicemùs indignam, sed quòd carnis abstinentia vtilis & apta monachis æstimetur, seruato tamen moderamine pietatis erga ægrotorum necessitudines, vel longè proficiscentium, qualiter vt & volatilium esibus infirmi sustententur, & longinquo itinere destinati, si autà Principe vel Episcopo separantur, pro benedictione & obedientia degustare non metuant, seruantes apud se de reliquo continentiam consuetam. Quod si quis monachus violauerit, & contra sanctionem regulæ, vsumque veternum vesci carnibus præsumpserit, sex mensium spatio retrusioni & pœnitentiæ subiacebit. Quod autem dicit, debiles ægrotos, non duas, vt plerique arbitrantur, sed vnam tantùm significat esse personam. Ergò debilis ægrotus dicitur, qui longa & dura ægritudine pressus, est ad debilitatem perductus, cui reparationis causa victus est carneus adhibendus.

ª al. homini

Lucæ 21.

Crapula vndè dicta sit.

Ibidèm.

De mensura potûs.

CAP. XL.

Vnusquisque proprium habet donum ex Deo, alius sic, alius verò sic. Quod autem dicit, alius sic, alius verò sic: intelligitur, quòd alius ex Deo habet abstinentiæ donum amplius, alius verò minus. Et ideò cum magna cautela, eorum cibus est temperandus, vel potus: nè, dum ille, qui minùs indiget, temperatur: ille qui plùs indiget, inopiæ penuriam patiatur. Propereà sequitur: *Et ideò cum aliqua scrupulositate à nobis mensura victûs aliorum constituitur* Scrupulositas dicitur mœstitia vel anxietas, solicitudo vel molestia animi. *Tamen infirmorum contuentes imbecillitatem, credimus eminam vini per singulos sufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem sciant.* Hic infirmorum imbecillitatem non pro corporis ægritudine, sed pro animi dicit impossibilitate. Non enim abstinentiam exteriùs corpus valet implere, nisi ei interiùs animus consenserit abstinere. Multi enim abstinere poterant propter sibi concessam salutem, sed non valent propter animi imbecillitatem. Emina enim vini, appendit libram vnam: quæ geminata, sextarium facit. *Quòd si aut loci necessitas, vel labor, aut ardor æstatis amplius poposcerit, in arbitrio Prioris consistat, considerans in omnibus, nè subrepat satietas aut ebrietas.* Hinc Ferriolus ait: De ebrietate verò superfluò puto monachũ cõmoneri, cùm vel si parùm vini accipiat, à præposita corporis contritione declinat. Et ideò monachum si ebrium, quod dici nefas est, videri aliquandò contigerit, zelans illi plenus ira præcipio, vt triginta diebus à vini potione suspendatur, qua tenùs anima infusione cõcessa digestione hoc spatio vacuetur. *Licèt legamus vinum monachorum omninò non esse.* Vbi hoc scriptum beatus Benedictus legerit, audi. At enim quidam antiquus patrum: Caro enim & vinum siue potus, in quo sit ebrietas, refutanda sunt à monachis, nec suscipienda, quibus pro Christo crucifixus est mundus, & ipsi mundo. Et ferias monacho non esse super terram, nisi modicum in aduentu fratrũ tanquàm Christi lætior fuerit cibus gratia charitatis. *sed quia nostris temporibus id monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, vt non vsque ad satietatem bibamus, sed parcius: quia vinum apostatare facit sapientes.* Apostatare dicitur, à via iustitiæ recedere, à fide trãsgredi, retroire, vel à bono præuaricari. Verùm quomodò vinũ apostatare faciat sapiẽtes, diligen-

1. Cor. 12.

Galat. 6.

Eccli. 19.

Gene. 9. diligenter attende. Noë enim sapiens, sanctus & antiquissimus vir, quem tantæ moles aquarum non vicerant, à modico vino deuictus est, & ab ebrietate dormiens, nudatus. Gene. 19 Patriarcham verò Loth vinum apostatare fecit, quandò contra naturam in filiabus suis impudenter se commiscuit. Si ergò sanctis & magnificis viris vini ebrietas non pepercit, quantò magis exiguum atque infirmum monachum superabit? *Vbi autem necessitas loci exposcit, vt nec suprà scripta mensura inueniri possit, sed multò minùs, aut ex toto nihil, benedicant Deum, qui ibi habitant, & non murmurent.* Quia & Apostolus infirmo Timotheo scribit, 1. Timot. 5. dicens: Modico vino vtere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Quantum monachis secundùm vires monasterij per singulos dies iussu vel dispensatione Abbatis vini offertur, accipiant, & amplius penitùs non requirant. *Hoc ante omnia admonentes, vt absque murmurationibus sint fratres.* Decet enim monachos sine murmuratione esse, nè pereant 1. Cor. 10. murmurando, sicut & illi periêrunt, qui in deserto murmurauerunt: & perdito filiorum Dei nomine, aliud secundùm Apo Iudæ. stolum accipiant nomen, id est, murmuratores, querulosi, Deo odibiles.

Quibus horis oporteat reficere fratres.

CAP. XLI.

A *Sancto Pascha vsque ad Pentecosten, ad sextam reficiant fratres, & ad seram cœnent.* Hinc beatus Isidorus ait: Hæ sunt feriæ monachorum, in quibus ieiunia conquiescunt. In primis venerabilis dies Dominicus nomini Christi dicatus, qui sicut propter mysterium resurrectionis eius solennis est, ità & apud omnes seruos eius celebritatem conuiuij votiuo gaudio retinebit. Item à prima die Paschæ vsque ad Pentecosten, ità scilicet côntinuis diebus ieiunium à sanctis patribus dissolutum est, propter resurrectionem videlicet Christi, & aduentum spiritûs sancti, vt hi dies non in figura laboris, quod Quadragesimę tempus significat, sed in quiete lætitiæ laxatis ieiunijs cele- lib. 2. inst. mon. ca. 18. brentur. Hinc Cassianus ait: A vespera sabbati, quæ lucescit in Dominicum diem, vsque ad vesperam ipsius Dominici, & totis quinquagesimæ diebus, nec genua curuari, nec ieiuniorum regulam custodiri patrum constituta sanxerunt. Quod dixit, ad seram cœnent: pro tardè, posuit seram, sicut vespera dicitur pro vespere. Cœna vocatur à communione vescentium. κοινὸν quippe commune dicunt Græci, vndè & cœnaculum à communitate vescentium, & cœnobium à communitate vocatur viuentium. *A Pentecoste autem tota æstate, si labores agrorum non habuerint monachi, aut nimietas æstatis non perturbat, quarta & sexta feria ieiunent vsque ad nonam.* Hinc iterùm Isidorus ait: Secundum ieiunium interdianum post Pêtecosten alia die inchoatum, vsque ad æquinoctium autumnale protenditur, ternis scilicet diebus per singulas hebdomadas propter æstiuum solis ardorem. Hinc Fructuosus ait: A Pascha vsque ad Pentecosten reficiendum est ad sextam: A Pentecoste autem vsque 18. Cal. Octobris, interdiana ieiunia retinenda sunt. *reliquis verò diebus ad sextam prandeant. Quæ prandij sexta, si opera in agris habuerint, aut æstatis feruor nimius fuerit, continuanda erit, & in Abbatis sit prouidentia.* Prandium autem, ab apparatu refectionis est dictum. Prandij enim sexta dicit esse continuanda, id est, iugiter & quotidiè peragenda. Propter fatigationē enim operis, & feruorem caloris, iugiter soluenda sunt ieiunia tempore æstatis. Continuare enim dicit, quotidiè agere, congeminare, vel sine intermissione facere. *Et sic omnia temperet atque disponat, quatenùs & animæ saluentur, & quod faciunt fratres, absque iusta murmuratione faciant.* Omnis sagacitas curaque Pastoris ad hoc debet quotidiè tendere, vt ouium suarum animæ saluentur, & virtutibus sacris, pascuisque saginentur æternis: & quod faciunt oues, absque iusta murmuratione faciant. Iusta enim murmuratio illa dicitur, Murmuratio iusta quæ dicatur. quam non voluntariè, aut sine causa, sed inuiti & coacti monachi faciunt: alterius enim malo commota, surgit alterius murmuratio iusta. Iusta enim murmuratio monachorum, ab iniusta oppressione solet consurgere magistrorum. Sicut beatus Gre Homil. 17. in euangel. gorius dicit, Terra etenim contra possessorem clamat, quandò contra pastorem suum iustè Ecclesia murmurat. *Ab Idibus autem Septembris, vsque ad caput Quadragesima, ad nonam reficiant fratres.* Quæstio oritur, quo- Quæstio. modò hic ab Idibus Septembris ieiunandum quotidiè dicat, cùm in capitulo 48. dicturus sit, à Pascha, vsque ad Calendas Octobris, Post sextam surgentes à mensa, pausent. Quæ ità soluitur, Si habuerint Solutio. opera in agris, vel vindemiam in vineis, vbi per se occupentur vsque ad Calendas Octobris, ad sextam reficiant: Sin autem non habuerint, ab Idibus Septembris generale ieiunium inchoetur. *In Quadragesima verò vsque in Pascha ad vesperam reficiant.* Hinc iterùm Isidorus ait: Primum ieiunium Quadragesimæ quotidianum, in qua maior abstinentiæ obseruantia manebit in monachis, quando non solùm à pran- Monachi cur vespere cœnent. dijs, sed etiam à vino & ab oleo abstinetur. Quòd vespere monachi reficiāt, ipsius

Domini vtuntur exemplo, qui non prandisse, sed cœnâsse legitur, cùm dicit Scri-
Matth. 26. ptura: Vespere autem facto, recubuit Ie-
Marc. 14. sus cum duodecim Apostolis: & cœnan-
Lucæ 22. tibus illis, dixit. Nam ideò vniuersis diebus ad nonam horam constituta sunt ieiunia solui, vt sit aliquid prolixius, quod Quadragesimæ diebus addatur, id est, vsque ad vesperam. *Ipsa tamen vespera sic agatur, vt lumine lucernæ non indigeant reficientes, sed luce diei omnia consummentur. Sed & omni tempore, siue cœna, siue refectionis, hora sic temperetur, vt cum luce fiant omnia.* Ideò luce diei consummanda, perficienda & peragenda sunt omnia, vt nec lumine indigeatur lucernæ, & horis competentibus omnia prouidè peragantur & temperatè, & vt citiùs, & alacriùs in noctibus consurgentes, impleatur ab illis, quod Propheta hor-
Psal. 133. tatur, dicens: In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Domino. Quod autem dicit, siue cœna: subaudiatur, sit. Intelligitur tamen cœna, quæ post prandium fit, quandò duabus vicibus reficiuntur fratres. Refectionis autem hora hîc intelligitur, quandò ieiunio peracto, vna tantùm vice in vespera reficiuntur.

Vt post Completorium nemo loquatur.

CAP. XLII.

OMni tempore silentio studere debent monachi, maximè tamen nocturnis horis. Hinc & alibi legitur: Regulam silentij omni tempore seruandam, sanctarum scripturarum series de-
Esaiæ 32. clarat, dum per Prophetam dicit: Cultus
Psal. 140. iustitiæ, silentium. Et illud: Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labijs meis. Ideò factis Comple-
** al. ingrediatur* torijs, mox inter fratres * custodiatur silentium, & sic se suis collocent lectis, vt
Post Completorium cur tacendum sit. nemo alteri loquatur. Ideò post Completorium tacere debemus, vt meritò in nocturnis primò dicamus: Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Hoc est, petamus Dominum in nocturnis aperire labia nostra, quæ sua custodia in completorijs clauserat. *Et ideò omni tempore, siue ieiunij, siue prandij tempus fuerit, mox vt surrexerint à cœna, sedeant omnes in vnum, & legat vnus collationes, vel vitas Patrum, aut certè aliud quod ædificet audientes. Non autem heptaticum, aut regum: quia infirmis intellectibus non erit vtile, illa hora hanc scripturam audire: alijs verò horis legantur.* Quod autē dicit,
Post mensam qui libri potissimum inter- aut certè aliquid, quod ædificet audientes: de homilijs intelligitur dixisse patrum, in quibus ædificationes pleniter scriptæ sunt audientium: Vel certè de expositio- *ligiosorum congressu sint legēdi.*
nibus librorum catholicorum, quæ ab orthodoxis factæ sunt viris, in quibus sancta sufficienter sanctis doctrina redundat monachis. Cùm autem dicit, non heptaticum, aut regum: diligēter attendendū est quod sequitur: Quia infirmis intellectibus non erit vtile, illa hora hanc scripturam audire. Synceris autem, sanis & acutis intellectibus, nullo tempore vetatur, heptaticū, aut regum, vel quamcunque historiam diuinarum legere scripturarū: quia possunt in eis figuras & sensus cognoscere, & exemplum salutis ab illis legendo recipere. Illis verò qui nequeunt ab illis spiritalem capere intelligentiam, heptaticum aut regum illa hora iustè prohibet legendum. Debet enim tunc vnusquisque diuino ædificatus sermone, & ad Completorij officium, & ad suum ædificatus pergere lectum. Cæterùm alijs horis, aut coram hominibus tempore suo in ecclesia, aut vnusquisque pro legēdi doctrina debet eos legere in schola. *Si autem ieiunij dies fuerint, dicta Vespera paruo interuallo mox accedant ad lectionem collationum, vt diximus, & lectu quatuor aut quinque folijs, vel quantum hora permittit, omnibus in vnum occurrentibus per hanc moram lectionis, si quis fortè in assignato sibi commisso, fuerit occupatus, occurrat.*
Collatio dicitur confessio, collocutio vel *Collatio*
confabulatio, vbì de scripturis diuinis, *quid sit.*
alijs conferentibus interrogationes, conferunt alij congruas responsiones, & sic quæ diù latuerant occulta, conferentibus patefiunt perspicua. Quod autem dicit, Si quis fortè in assignato: subauditur, obedientiæ officio: Sibi commisso fuerit occupatus, intelligitur, omnibus in vnum occurrentibus occurrat. Commissum enim, dicitur creditum vel commendatum. Vndè & sequitur: *Omnes ergò in vnum positi, compleant.* Non hîc excipit Abbatem, non Præpositum, non Decanos, qui aliquotiès alijs in ecclesia cantantibus, potibus aut fabulis aut consilijs vacant in hac hora: sed omnes in hac col-
lationis * hora occurrere, omnes in vnum ** al. mora*
Completorium iubet cantare. *& exeuntes à Completorio, nulla sit licentia denuò cuiquam loqui aliquid. Quòd si inuentus fuerit quisquam præuaricari taciturnitatis regulam, grauiori vindictæ subiaceat, excepto, si necessitas hospitum superuenerit, aut fortè Abbas alicui aliquid iusserit. Quod tamen & ipsum cum summa grauitate & moderatione honestissimè fiat.* Hinc & alibi scriptum legimus: Ab hora verò completionis cùm oratio ad somnum capiendum datur, nullus omninò loqui præsumat, nisi grandis monasterij necessitas popofcerit. Cui ab Abbate fuerit ordinatum, loqui studeat, vel etiam Præposito, qui curam aliorum portat.

De

De his qui ad opus Dei, & ad mensam tardè occurrunt.

CAPVT XLIII.

AD horam diuini officij, mox vt auditum fuerit signum, relictu omnibus, qualibet fuerint in manibus, summa cùm festinatione curratur, cum grauitate tamen, vt non scurrilitas inueniat fomitem. Ergò nihil operi Dei præponatur. Hinc quidam monachorum magister ait: Quandocunquè vel diurnis, vel nocturnis horis ad opus diuinū signū insonuerit, mox cum summa festinatione surgendum est, àç si præco regis insonet, omni opere, quod in manibus habebatur, postposito, nihil vt operi DEI præponatur, sed mens ad sonitum præconis intenta, & operi Dei innixa, cum omni grauitate & mansuetudine ad intonādam gloriam maiestatis eius, & pietatis eius gratias referendas festine currat. Hinc Cassianus ait: Ad has ergò orationes cùm fuerit signi sonitus auditus, tanta celeritate debet monachus exilire, ità vt is, qui opus scriptoris exercet, in eodem pūcto, quo ad aures eius sonitus pulsantis aduenerit, cœptam literam nō audeat cōsummare. Hinc & alius magister ait: Cùm index in oratorio percussus fuerit, mox omnes audientes, antequàm currant, faciant sibi crucem in fronte, respondentes, Deo gratias: & tunc laborantes, opus proijciant, artifices ferramenta dimittant, scriptores literam non integrent, omnis fratrum manus deserat, quod agebat: festinet statim mox cum grauitate pes ad oratorium, sensus ad Deum, vt mox ad primam orationem occurrant, & tanquàm apes ad mel intrantium in oratorium fratrum examen ebulliat, vt qui tacitus erat sancti oratorij locus, statim psalmorum clamoribus impleatur. *Quòd si quis nocturnis vigilijs post Gloriā psalmi nonagesimiquarti, quem propter hoc omninò subtrahendo, & morosè volumus dici, occurrerit, non stet in ordine suo in choro, sed vltimus omnium stet, aut in loco quem talibus negligentibus seorsùm constituerit Abbas, vt videatur ab ipso, vel ab omnibus, vsque dum cōpleto opere Dei, publica satisfactione pœniteat. Ideò autem eos in vltimo, vel seorsùm iudicauimus debere stare, vt visi ab omnibus, vel ipsa verecundia sua emendentur.* Hinc Cassianus ait: In nocturnis autē orationibus vsque ad secundum psalmum datur tardandi dilatio: attamen antequàm finito eodem psalmo, fratres in orationes procumbant, congregationi se inserere atque immiscere festinet. Quòd si ampliùs vel modicum retardauerit, finitis vigilijs, vera humilitate submissus veniam negligentiæ, sicut superiùs diximus, expetere non omittat, id est, in vltimo loco qui talibus negligentibus fuerit deputatus, iubeatur adstare, & impletum cursum prolixa venia ibi cum metu verecundiæ expectare, & post impletum cursum, prolixa venia ante cœtum fratrum egredientium satisfacere. *Nam si foris * oratorio remaneat, erit fortè talis, qui se aut recolloce, & dormiat: aut certè sedeat sibi foris, vel fabulis vacet, & datur occasio maligno: sed ingrediatur intùs, vt nec totum perdat, & de reliquo emendet.* Hinc & alibì scriptum legimus: Nam foris omninò non segregentur, nè à somno detenti dormiant, aut in aliquo maligno hosti detur occasio adeundi. Intùs etenim positus, nec totum perdit, quod cœperat, & verecundia ac metu frangitur, dum ab omnibus videtur. Et quandò cæteri expletò officio foràs egrediuntur, iste in ecclesia pro ipsa tarditate positus, duodecim psalmos supra cursús seriem cantet: Si verò ex toto cursum suum perdiderit, præcipuè nocturnis horis, in quibus nullum aliud opus impendit, super positione damnetur. *Diurnis autem horis, qui ad opus Dei post versum & Gloriam primi psalmi, qui post versum dicitur, non occurrerit, lege, qua suprà diximus, in vltimo stet loco, nec præsumat sociari choro psallentium, vsque ad satisfactionem, nisi fortè Abbas licentiam dederit permissione sua: ità tamen, vt satisfaciat reus ex hoc.* Hinc sanctus Fructuosus ait: Ad orationes diurnas, qui ad primum psalmum non occurrerit, introire in oratorium cum cæteris non audeat, sed pœnitentiæ delegabitur. Hinc Cassianus dicit: Si quis autem antequàm finiatur psalmus inceptus, non occurrerit, vlteriùs in oratorium inter psallentes fratres introire non audeat, sed stans foris, ad ianuam sustineat, donec finitis psalmis congregatio relaxetur: & tunc submissa in terra pœnitentia negligentiæ suę vel tarditatis coram omnibus ab Abbate impetret veniā. Quòd si contempserit satisfacere, nullo modo inter fratres orandi societatem habebit. Quod autem dicit, ità tamen, vt satisfaciat reus: ex hoc intelligitur, sic eum per licentiam Abbatis in choro recipi, vt post actum cursum satisfaciat adhuc reus pro negligentia à se commissa, donèc ab Abbate recipiat veniam, & eum remissio plena subsequatur ac pacifica. *Ad mensam autem, qui ante versum non occurrerit, vt simul omnes dicant versum & orent, & sub vno, omnes accedat ad mensam, qui per negligentiam suam aut vitium non occurrerit, vsque vice secunda pro hoc corripiatur. Si denuò non emendauerit, non permittatur ad mensæ communis societatem vel participationem, sed sequestratus à consortio omnium, reficiat solus, sublata ei portione sua de vino, vsque ad satisfactionem & emēdationem. Similiter autem patiatur, qui & ad illum versum non fuerit præsens, qui post cibū dicitur.* Hinc quidam monachorum magister ait:

Marginal notes: lib. 4. insti. mona. c. 12. — Litera incepta relinquenda, dū signum ad opus Dei, vel ad mensam datur. — lib. 3. inst. mon. ca. 7. — *al. monasterio — lib. & cap. paulò ante citatis.

Ad mensæ verò antiphonam vel versum priorem qui non affuerint, semotè & nõ signatum, & sine data & accepta benedictione manducent & bibant, & sine alicuius eloquio. Et meritò sine hominis eloquio debet reficere, qui * ante refectionem cum Deo non est locutus. Qui verò posteriori versu mensæ non affuerit, talem pœnã suscipiat, qualem ille, qui ante refectionem non est locutus cum Deo. Hæ verò correptiones, vel excõmunicationes, his dumtaxàt constitutæ sunt, qui sunt voluntate & negligentia tardi, & nullis necessitatibus occupati. Nam pro vtilitate monasterij occupati, dignè absentes à præsentibus in * oratione memorantur. Hinc Isidorus dicit: Qui ad mensam tardiùs venerit, aut pœnitentiam agat, aut ieiunus ad suum opus vel cubile recurrat. Hinc Basilius ait: Si, cùm possit, non satis egit occurrere, fateatur culpam negligentiæ suæ, & maneat sine cibo vsque ad illam horam, qua conuenitur ad cibum in posterum diem. *Nec præsumat ante statutam horam, vel posteà quicquam cibi aut potûs sumere.* Hinc Fructuosus ait: Quilibet ex monachis ieiuniũ soluere non præsumat, nec priusquàm in cõmune reficiant cum cæteris, vel postquàm refecerint, quicquam, quod ad potandum vel edendum pertinet, gustare vel contingere audeat, vel occulte quodlibet peculiariter recondere, vel habere præsumat. Hinc Cassianus ait: Omnimodis autem & hoc caueri debet, nè ante illam vel post illã horam, qua omnes fratres in commune reficiunt, extra mensam, quodcunq; vel modicum aliquis mãducare præsumat, vt etiã poma, quæ tempore suo sub arboribus iacent, non tantùm degustare, sed etiam tangere absque his, quæ in commune comeduntur, * sacrilegium sit. Excommunicationis enim sententiam subibit, qui vel occultè, vel extra ordinariã mensam aliquid degustauerit. *Sed & cui aliquid offertur à Priore, & accipere renuerit, hora, qua desiderauerit hoc, quod priùs recusauit, aut aliud omninò, nihil accipiat, vsque ad emendationem congruam.* Hyperbaton hoc est, quod aliter ordinatum intelligitur ità: Cui aliquid à Priore offertur & renuerit accipere, hora qua desiderauerit, subauditur accipere, aut hoc percipiat, quod priùs recusauit, aut aliud omninò nihil. Hinc B. Basilius ait: Hoc enim quod hîc de esca dictũ est, etiã de omni re, quæ ad vsus corporis pertinet, eadem forma seruari potest. Ergò iste talis, qui oblata accipere renuit, dignus est, vt etiã si quærat, non accipiat, vsquequo probet is, qui præest, & cùm viderit vitium animi curatum, tunc etiam, quod corporis vsibus fuerit necessarium, præbebit.

* al. ad

* al. oratorio

lib. 4. inst. mona. c. 18.

* al. sacrilegum ducatur.

De his qui excommunicantur, quomodò satisfaciant.

CAPVT XLIIII.

QVi pro grauioribus culpis ab oratorio, & à mensa excommunicatur, hora qua opus Dei in oratorio percelebratur, ante fores oratorij prostratus iaceat, nihilq; dicens, nisi tantum posito in terra capite, stratus pronus omniũ exeuntiũ de oratorio pedibus, & hoc tamdiù faciat, vsque dum Abbas iudicauerit satisfactum esse. Quæ grauiores sint culpę, iam superiùs dictum est. Hîc verò de congrua culpatorũ satisfactione dicendũ est, quorum, vt Isidorus ait, sola panis & aquæ in vespertinum erit adhibenda refectio. Amictus eorum aut tegmẽ rasum, aut fortè cilicium. Lectus eorum aut nuda humus, aut fortè storia, i. matta super humum. Hinc quidam monachorũ magister ait: Qui verò frater grauem culpam admiserit, ipse ab vtroq; excommunicetur, i. ab oratorio, & à mensa: & non ipse ad indulgentiã maioris perueniat, nisi ante limen oratorij prostrat9, lachrymabili voce interuallo cessantium in psalmis horarum Deo, & omnibus satisfecerit emendatione repromissa. *Qui dum iussus ab Abbate venerit, voluat se ipsum Abbatis pedib9, deindè omnium vestigijs fratrũ, vt orent pro illo. Et tũc si iusserit Abbas, recipiatur in choro psallẽtium, vel ordine quo Abbas decreuerit. Ità sanè, vt psalmũ aut lectionẽ, vel aliud quid non præsumat in oratorio imponere, nisì Abbas iterùm iubeat. Et omnibus horis, dum completur opus Dei, proijciat se in terram in loco, quo stat, & sic satisfaciat, vsque dum ei iterùm iubeat Abbas, vt quiescat iam ab hac satisfactione.* Hinc Isidorus ait: Satisfactio delinquẽtium hæc est: Peracto * pœnitẽtiæ tempore vocatus veniat, humo prostratus iaceat: iussus ab Abbate, de terra consurgat: surgens, ab omnibus pro negligentia veniã poscat, adepturus indulgentiã, post huius emendatoriæ satisfactionis censuram. *Qui verò pro leuibus culpis excõmunicantur tantũ à mensa, in oratorio satisfaciant, vsque ad iussionem Abbatis hoc perficiant, vsque dum benedicat, & dicat, sufficit.* Quod autẽ dicit, benedicat: intelligitur, dimittat tibi Dominus. Quod dicit, sufficit: subauditur, pro hac culpa satisfactio acta.

* al. satisfactionis

De his qui falluntur in oratorio.

CAPVT XLV.

SI quis dum pronunciat psalmum, Responsorium, aut antiphonam, vel lectionem, fallitur, nisi satisfactione ibì coram omnibus humiliatus fuerit, maiori vindictæ subiaceat: quippe qui noluit humilitate corrigere, quod negligentia deliquit. Infantes autem, pro tali culpa vapulent. Quod autem dicit, maiori vindictæ subiaceat, subauditur, quàm si ibì coram

ram

ram omnibus humiliatus fuiſſet. Quod verò dicit, Infantes pro tali culpa vapulēt: ſubintelligitur, niſi ibi coram omnibus humiliati fuerint. Hæc de illis, qui raró falluntur. Illi verò, qui crebrò falluntur, & ſæpè correpti nō emendantur, etiamſi ibi humiliati fuerint, vapulēt, vt emendētur, & ſæpè iam non fallantur.

De his qui in aliquibus leuibus delinquunt.

CAPVT XLVI.

SI quis dum in labore quouis, in coquina, in cellario, in miniſterio, in piſtrino, in horto, in aliqua arte dum laborat, vel in quocunque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quippiam, aut perdiderit, vel aliud quid exceſſerit, vbi & vbi, & non veniens ante Abbatem continuò, vel congregationem, ipſe vltrò ſatisfecerit, & prodiderit delictum ſuum, dum per alium cognitum fuerit, maiori ſubiaceat emendationi. Hinc Caſſianus ait: Si quis aliquid fregerit, aut perdiderit, non aliter negligentiam ſuam delebit, niſi corā omnibus fratribus tam diù ſupplicauerit Deo in terram proſtratus, donec orationę ſoluatur Abbatis. Suprà enim * nominatæ negligentiæ ſecundùm modulum proprium ſunt penſandæ, & iuxta ætatem delinquentium, id eſt, vel teneram, vel ſenilem, vel virilem ſunt corrigendi. Si quis verò in his negligentijs fuerit dilapſus, & ſtatim Abbati vel Præpoſito puram dederit confeſſionem, & compertum fuerit, non ſuæ voluntatis fuiſſe, quod caſu accidit, ſufficiat ei emendare cum veniæ ſatisfactione, quod deliquit. Si verò nōn ſua confeſſione, ſed alterius proditione cognitum fuerit, prout culpæ magnitudo popoſcerit, pœnitentiæ ſubiacebit. *Si animæ verò peccati cauſa fuerit latens, tantùm Abbati, aut ſpiritualibus ſenioribus patefaciat, qui ſciant curare & ſua & aliena vulnera, non detegere & publicare.* Hortamur autem, ſi ex maioribus culpis, quod ad animæ maiorē pertineat damnationem, aliquam commiſerit frater, ſecretiùs per puram confeſſionem ſuo manifeſtet Abbati: nè, dum tempore hoc animi culpam detegere verecundatur, cum reatu culpæ faciem diaboli interiùs abſcondat.

* al. memoratæ

De ſignificanda hora operis Dei.

CAPVT XLVII.

NVncianda hora operis Dei die noctúque ſit cura Abbatis, aut ipſe nunciare, aut tali ſolicito fratri iniungat hanc curā, vt omnia horis competentibus compleātur. Hinc quidā pater ait: Horas verò ad curſum * procurare iuxta diſpēſationem Abbatis debet, cuicunque ordinatum fuerit, id eſt, qui mente ſolicita & impigra ad hoc opus idoneus fuerit inuentus, vt opus Dei non tardetur: qui nō qua hora illi libitum fuerit, fratres ad vigilias ſuſcitare præſumat, ſed ſic totam congregationem ad officiū orationis inuitet, ne in vtroq; inueniatur incautus, id eſt, nè vel oppreſſus ſomno, ſtatutam noctis tranſeat horá, vel eandem feſtinus anticipet. Si verò qualibet occaſione à iuſto ordine deuiatū fuerit, vt non ſecundùm ordinem ſuum horæ cuſtodiantur, ſuper poſitione damnetur. *Pſalmos autem vel Antiphonas poſt Abbatem ordine ſuo, quibus iuſſum fuerit, imponant. Cantare autem & legere non præſumat, niſi qui poteſt ipſum officium implere, vt ædificentur audientes. Quod cum humilitate & tremere fiat, & cui iuſſerit Abbas.* Quod dicit, poſt Abbatem ordine ſuo imponant: non de illo, quo ingreſſi ſunt, ordine dicit, ſed de illis, quibus ab Abbate iuſſum eſt, & qui hoc opus benè agere poſſunt. De quibus etiam ſuperiùs dixit: Fratres non per ordinem legant, aut cantent, ſed qui ædificent audientes. Quod & illi ſicut ordinatim, ità & cautè, & cum humilitate agere debent. Vnde & ſequitur: *Cantare & legere non præſumat, niſi qui poteſt &c.*

* al. præparare

Cap. 18.

De opere manuum.

CAPVT XLVIII.

OCioſitas inimica eſt animæ. Ocioſus enim corpore monachus, mente à ſordidis cogitationibus nunq̄ poterit eſſe ocioſus. Per ocium enim libidines, & noxiarū cogitationū deſideria creſcunt, dicente Salomone: In deſiderijs eſt om̄is ocioſus. Et multa mala excogitat ocioſitas. Hortamur ergò, fratres, vt ociū non ametis, ſed per ſyncerum vnanimitatis cōſenſum vnuſquiſq;, vt præualet, ſic laboret, & abiecto à ſe, qui hucuſq; talis fuit, hoc vitio, promptus ad omne opus occurrat, quia ſcriptum eſt: Nō oderis laborioſa opera, & ruſticationē ab altiſſimo creatam. Si enim Apoſtoli corporale opus faciebant, vndè vitā corporis ſuſtentabant: quāto magis monachi, quibus oportet nō ſolùm vitæ ſuæ neceſſaria proprijs manibus exhibere, ſed etiam indigentiam aliorum, laboribus ſuis, reficere? Qui dum viribus corporis & integritate ſalutis ſani conſiſtunt, ſi ſine opere ocioſi ſunt, dupliciter peccare noſcuntur: quia non ſolùm non laborant, ſed etiam alios vitiant, & ad imitationem ſuam inuitāt. Propterea enim quiſque ad Deum conuertitur, vt ei deſeruiens laboris habeat curam, non vt ocio deditus, inertia pigritiaque paſcatur. Qui ſic volunt vacare lectioni, vt nō operētur, ipſi lectioni contumaces exiſtūt, quia nō faciunt quod ibi legunt. Ibi enim ſcriptum eſt: Operantes ſuū panem manducent. Hinc per Prophetam de ocioſa anima

Ocioſus monachus corpore nūquàm à ſordidis cogitationibus eſt ocioſus.

Eccl. 33.

Eccl. 7.

1. Cor. 4.

2. Theſſ. 3.

anima dicitur: Viderũt eam hostes, & deriserunt sabbata eius. (Thren. 1.) Hostes enim sabbata videntes irridẽt, cùm maligni spiritus ipsa vacationis ocia ad cogitatiões illicitas pertrahunt. *Et ideò certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum: certis iterum horũ in lectione diuina. Ideoq́, hac dispositione credimus vtraq́, tempora ordinari, id est, vt à Pascha vsque ad Calendas Octobris, à manè exeuntes, à prima vsque ad horã penè quartam laborent, quod necessarium fuerit.* Agent, dicit: festinent, vel satisagant. hoc enim intelligitur, agent. Hinc Isidorus ait: Proprijs autem temporibus oportet operari monachum, & orationi lectioniq́; incumbere. Horas enim debet habere cõgruas monachus, & ad singula officia deputatas, partes autem temporum suis quibusq́; operibus taliter deputantur. Aestate enim à manè vsque in horam tertiam laborare oportet: à tertia verò vsque ad sextam lectioni vacare, dehinc vsque ad nonã quiescere, post nonam autem vsq; ad tempus vespertinum iterùm operari. *Post sextam autem surgentes à mensa, pausent in lectis cum omni silentio, aut fortè qui voluerit legere, sic sibi legat, vt alium non inquietet. Et agatur nona temperiùs mediante octaua hora, & iterùm, quod faciendũm est, operentur vsque ad vesperũ. Si autem necessitas loci aut paupertas exegerit, vt ad fruges colligẽdas per se occupentur, non contristentur: quia tunc verè monachi sunt, si labore manuum suarum viuunt, sicut & patres nostri & Apostoli.* (Psal. 127.) Scriptum est enim: Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & benè tibi erit. Ergò monachũ, vt beatus Ferriolus ait, absq; certis solennitatibus, vel manifesta ægritudine diem sine operatione transeuntem, à conuiuio decernimus excludendum, iubente Apostolo: Qui non laborat, non manducet. (2. Thess. 3.) *Omnia tamen mensuratè fiant, propter pusillanimes.* Pusillanimis dicitur, pusillum animum habens, paruulum vel modicum, aut certè desperatum. Hinc beatus Pachomius ait: Nè plus operis fratres compellantur facere, sed moderatus labor omnes ad operandũ prouocet, sitq́ue inter eos pax atque concordia, & libenter maioribus subijciantur sedentes & ambulantes ac stantes in ordine suo, & in inuicèm de humilitate certãtes. *A Calendis autem Octobris, vsque ad caput Quadragesimæ, vsque in horam secundam plenã, lectioni vacent. Hora secunda agatur tertia, & vsque nonam omnes opus suum laborent, quod eis iniungitur. Facto autem primo signo nona hora, disiungantur ab opere suo singuli, & sint parati dum secundum signũ pulsauerit. Post refectionem autem vacent lectionibus aut psalmis.* Operis Dei recordatio teneatur, id est, dum exteriùs per temporalem opportunitatem manus operibus occupantur, interiùs mens cum linguæ * meditatione psalmorum & scripturarum recordatione dulcescat. (*al. modulatione,) Nam si violator huius regulæ fabulatione delectetur, silẽtij pœna castigetur. *In Quadragesima verò diebus, à manè vsque ad tertiam plenam, vacent lectionibus suis: & vsque decimam horam plenam, operentur, quod eis iniungitur.* Monachi autem operantes, meditari & psallere debent, vt carminis verbique Dei delectatione consolentur ipsum laborem. (Monachi operantes, cur psallere & meditari debeant.) Maximè autem Quadragesimæ tempore laborandum est corpore, fixa in Deo animi intentione. Sicq́; manus implicanda est in opere quotidiano, vt mens non auertatur à Deo. *In quibus diebus Quadragesimæ accipiant omnes singulos codices de bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant, Qui codices in * capite Quadragesimæ dandi sunt.* (*al. caput) De bibliotheca dicit, id est, de cellula vbi libri reconduntur. Nam quod Gręcè βιβλιοθήκη, Latinè repositio librorũ dicitur. *Ante omnia sanè deputentur vnus vel duo seniores, qui circumeant monasterium horis, quibus vacant fratres lectioni, & videant, nè fortè inueniatur frater acediosus, qui vacat ocio aut fabulis, & nõ est intentus lectioni, & non solùm sibi inutilis est, sed etiam extollit alios. Hic talis si (quod absit) repertus fuerit, corripiatur semèl & secundò. Si non emendauerit, correptioni regulari subiaceat, & taliter vt cæteri * timeant.* (*al. metum habeant.) Acediosus dicitur, tædiosus, anxius, vanæ mentis, vel animo leuis, qui tædio mentis commotus, vel leuitate animi subleuatus, nec se sinit legere, nec alios lectioni sinit vacare, qui & sibi vagando inutilis, & alijs legentibus inuenitur esse contrarius. Ocium enim & fabulas diligit, & ideò & se & alios à sacra lectione distollit, id est, segregat & disturbat. Qui taliter corripiendus est, vt cæteri eius videntes acerrimam correptionem, talem vlteriùs non audeant committere disturbationem, neque ad talem audeat frater fratri se horis incompetentibus iungere confabulationem. Illæ enim sunt horæ incompetentes fabulis vanis, quæ sunt cõpetentes lectionibus sacris. Quod autem dicit, neque frater ad fratrem iũgatur hòris incompetentibus, non proficuam vel sanctam inter sanctos prohibet coniunctionem, sed nociuam nociuisque fabulis plenam coniunctionem inter ociosos acediososque vetat. *Dominico item die lectioni vacent omnes, exceptis his, qui varijs officijs deputati sunt.* Hinc Patres antiqui dixerunt: Die autem Dominico nihil aliud agant, nisi Deo vacent, nè pro aliqua occasione se velint aut alios excusare. Tamen cõtestor fratres, ꝙ nulla operatio in die illa sancta cõperiatur, nisi tantùm hymnis & psalmis & canticis spiritualibus dies illa transeatur. *Si quis verò ità negligens & desidiosus fuerit, vt non velit aut non possit meditari aut legere, iniungatur ei opus quod faciat, vt non vacet.* Desidiosus dicitur, id est, desidia vel negligentia plenus. Desidiosus enim à desidendo, id est, valdè seden-

Prou. 19. & 26.

sedendo, ocijumque diligendo vocatur. De tali enim Salomon ait: Abscondit piger manum sub ascella; nec ad os suũ applicat eam. De duabus hîc personis loquitur, vna est, quæ cùm possit legere aut meditari, per desidiam cordis neutrũ vult agere, sed magis ocio vel vanis vult fabulis vacare. Alia persona est, quæ quanuis velit, per ignorantiam tamen nec legere valet, nec meditari. Et ideò nè ocio vacet, vtrisque illis opus iniungendum est, in quo laborent vtrique. *Fratribus infirmis, aut delicatis, talis opera aut ars iniungatur, vt nec ociosi sint, nec violentia laboris opprimantur, vt effugentur. Quorum imbecillitas ab Abbate consideranda est.*

Delicatus quis dicatur.

Delicatus, dicitur delicijs pastus, & diuersis epulis enutritus, & ideò fortioribus laboribus inscius, qui propter corporis teneritudinem & imbecillitatẽ piè cũ infirmis est tolerandus, & humaniùs clementiusque tractãdus. Nec contra eos murmurandum est eis, qui vires laborandi habẽt, sed magis & isti & infirmi à sanis sunt consulendi, &, vt dictũ est, humaniùs clementiusque tractandi. Quorum imbecillitas, id est, fragilitas vel impossibilitas, ab Abbate quasi à pio considerada est patre pariter atque rectore.

De Quadragesimæ obseruatione.
CAPVT XLIX.

Licèt omni tempore vita monachi Quadragesimæ debeat obseruationem habere. Licèt, hîc, pro quanuis, positum est. Oportet enim monachũ sine dubio, cui mundus crucifixus est, & ille mundo, vt castiget corpus suum, & in seruitutem redigat, & omni tempore exhibeat semetipsum sicut Dei ministrũ, in varijs necessitatibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, cæterisque virtutibus se exercendo. *tamen quia paucorum est ista virtus*, eorum videlicet, de quibus scriptum est: Multi sunt vocati, pauci verò electi. *ideò suademus istis diebus Quadragesimæ omni puritate vitam suam custodire.* Omni puritate, dicit, omni synceritate & simplicitate cordis, nihil facientes pro vana gloria vel laude humana, sed simplici corde & pura mente, quod sequitur, agere, *id est, omnes pariter negligentias aliorum temporum his diebus sanctis diluere.* De hoc enim tempore Quadragesimæ scriptum est: Eccè nunc tempus acceptabile, eccè nũc dies salutis. In quibus diebus vnusquisq; nostrũ, inquantùm illi vires suppetunt, carnẽ maceret, eiusque desideria affligat, concupiscẽtias turpes de corde suo repellat, & hoc modo aliorum negligẽtias his diebus sanctis pœnitendo deleat. Vndè & sequitur: *Quod tunc dignè fit, si ab omnibus vitijs temperemus.* Temperamus dicit, id est, abstinemus, vel coërcemus nos à vitijs omnibus. *orationi cũ fletibus.*

Gal. 6.
1. Cor. 9.
2. Cor. 6.
Matt. 20. & 22.
2. Cor. 6.
Quadragesimæ diebus quæ sint potissimũ agenda.

Scriptum est enim: Beati qui lugẽt, quoniam ipsi consolabuntur. Et, Qui seminant in lachrymis, in gaudio metent. *lectioni, & compunctioni cordis, atque abstinentiæ operam demus.* Hinc Isidorus ait: Omnis profectus ex lectione & meditatione procedit. Geminum enim donum confert lectio sacrarum scripturarum, siue quia intellectum mentis erudit, siue quòd à mundi vanitatibus abstractum hominem, ad amorem Dei perducit. Compunctio cordis, est humilitas mentis cum lachrymis, exoriens de recordatione peccati & timore iudicij. Illa est conuersis perfecta cõpunctionis affectio, quæ omnes à se carnalium desideriorum affectus repellit, & intentionem suam toto mentis studio in Dei contemplationem defigit. Ille enim bene abstinet à cibis, qui & à malitiæ actibus, & à mundi abstinet ambitionibus. *Ergò his diebus augeamus nobis aliquid solito penso seruitutis nostræ.* Solitum pensum dicit, consuetum vel vsitatum abstinẽtiæ nostræ ieiunium, cui adhuc diebus Quadragesimæ aliquid amplius est augendũ. Vnde & subditur: *orationes peculiares, ciborũ & potùs abstinentiã, vt vnusquisque super mensuram sibi indictam aliquid propria voluntate cum gaudio sancti spiritûs offerat Deo.* Cũ gaudio enim sancti spiritûs offerre debet monachus Domino Deo suum votũ, qui & ab illo sperat accipere regnum cælorum. Qui enim cum gaudio & hilaritate Domino seruit, vel donat aliquid, centuplũ ab illo accipiet, insupèr & vitam æterna possidebit. Offerat ergò cum gaudio, & faciat quòd sequitur, *id est, subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de scurrilitate, & cum spiritualis desiderij gaudio, sanctum Pascha expectet.* Meritò enim de resurrectione Domini tales cum Christo debẽt in Pascha lætari, qui corpus suum per abstinentiam pro eo consenserunt crucifigi. Qui enim in præsenti vita aliquid desiderijs vel substantijs carni subduxerint, debent meritò de diuinis animę delicijs abundãter in perpetuo saginari. Qui in hoc paruo tempore pro Domino voluerit ad modicũ contristari, iustè cum eo merebũtur in futurò lætari. *hoc ipsum tamen, quod vnusquisque offert, Abbati suo suggerat, & cum eius fiat voluntate & oratione: quia quod sine permissione spiritualis patris fit, præsumptioni deputabitur & vanæ gloriæ, nõ mercedi. Ergò cum voluntate Abbatis omnia agenda sunt.* Hinc quidam monachorum Magister ait: Dicat Abbas omnibus fratribus: Qui voluerit pro anima sua laborare, & aliquid abstinere, liberam ei voluntatẽm concedimus. Qui verò noluerit, regulæ de hoc titulo constituta accipiet, & Quadragesimæ contentus erit mensura. Iam qui de fratribus voluerint aliquid abstinere, humilient se ad genua Abbatis, agentes gratias de bo-

Matt. 5.
Psal. 125.
lib. 3. de sum. bono, cap. 8.
Compunctio cordis quid sit.
al. configit.
Cum gaudio votum Dño Deo offerendũ.
Matt. 19.

ni actûs volũtate concessa, & post impensam humilitatem, simul & ore suo indicet quis quod voluerit abstinere.

De fratribus qui longè ab oratorio laborant, aut in via sunt.

CAPVT L.

FRatres qui omninò longè sunt in labore, & non possunt occurrere hora competenti ad monasterium, & Abbas hoc perpẽdit, quia ità est, agant ibidem opus Dei, vbi operantur, cum tremore diuino flectentes genua. Similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereãt horæ constitutæ: sed vt possunt, agant ibi, & seruitutis pẽsum non negligant reddere. Hinc beatus Pachomius ait: Et si in naui fuerint, & in monasterio, & in agro, & in itinere, & in quolibet ministerio, orandi & psallendi tempora non prætermittant. Hinc & Basilius dicit: Vnusquisque in opere suo obseruare debet propriam regulam, sicut membrum in corpore: quia damnum sibi est, si neglexerit implere quod sibi iniunctũ est, & de communi fratrum vtilitate negligens, ampliùs periclitabitur. Et ideò mente & deuotione complere debet id, quod scriptũ est: Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. Si enim corporaliter cum cęteris non occurrerit ad deuotionis locum adesse, in quocunque loco inuentus fuerit, quod deuotionis est, expleat. Oportet tamen obseruare, nè fortè quis possit implere in tempore suo, quod complendum est, & occurrere: sed dum loqui vult, occasiones nectit, tanquàm in ministerij opere occupatus. Quod qui facit, & offendiculum cæteris præstat, & ipse negligentis crimen incurrit. Hinc alius quidam monachorum Magister ait: Cùm fratres spiritales sine laico ambulant, iuncti ad se & cantantes, modicè de via flectant genua, & post orationem redeant in viam, mox ab omni verbo alieno à Deo tacentes propter reuerentiam operis Dei, & sic ambulando, petita priùs benedictione, impositũ prorumpant psalmum.

Nusquàm orandi tẽpus prætermittendũ.

Ephe. 5.

De fratribus qui non longè satis proficiscuntur.

CAPVT LI.

FRater qui pro quouis responso dirigitur, & ea die speratur reuerti ad monasterium, non præsumat forìs manducare, etiam si omninò rogetur à quouis, nisi fortè ei ab Abbate suo præcipiatur. Quòd si aliter fecerit, excommunicetur. Hinc antiqui Patres dixerunt: Nemo tamen extra monasteriũ manducet aut bibat. Hoc enim regulæ non recipit disciplina, vt vel poma vilia resumantur. Aquã ipsam ante refectionem legitimã bibere nõ præsumat. Si quis verò extra conscientiam Abbatis vel Præpositi qualemcunq; locum egressus, gulę vel ebrietati se sociauerit, aut si in proximo transmissus, pro suî leuitate vel gulæ, non statìm, expedita necessitate, ad cellulam redierit, aut cùm in id facinus fuerit detentus, vt canones docent, aut triginta diebus à communione separetur, aut virgis cæsus emendetur.

Extra monasterium nec mãducare, nec bibere licet.

De oratorio monasterij.

CAPVT LII.

*ORatorium hoc sit, quod dicitur: nec ibì quicquam aliud geratur aut condatur. Expleto opere Dei, omnes cum summo silentio exeant, & * habeatur reuerentia Dei, vt frater qui fortè sibi vult peculiariter orare, nõ impediatur alterius improbitate. Sed & si aliter vult sibi fortè secretiùs orare, simpliciter intret, & oret, non in clamosa voce, sed in lacbrymis & in intentione cordis. Ergò qui simile opus non facit, non permittatur, expleto opere Dei, remorari in oratorio, sicut dictum est, nè alius impedimentum patiatur.* Hinc beatus Augustinus ait: In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, vndè & nomen accepit: vt si fortè aliqui etiam præter horas constitutas, si eis vacat, orare voluerint, non eis sint impedimẽto, qui ibì aliquid agendum putauerint. Item alibì: In oratorio præter orandi & psallendi Dei cultum, penitùs nihil agatur, vt nõmini huic & opera iugiter impensa cõcordent: vt si aliquis præter constitutas horas Domino supplicaturus ingreditur, votũ suum occupatio aliena non retardet.

** al. agatur reuerentia Deo.*

In Reg. c. 2.

De hospitibus suscipiendis.

CAPVT LIII.

OMnes superuenientes hospites, tanquàm Christus suscipiantur: quia ipse dicturus est: Hospes fui, & suscepistis me. Hinc & Apostol⁹ nos inter cætera hortatur, dicẽs: Hospitalitatem sectantes. Dicit enim hospitalitatem esse sectandam, nõ illud solum ostendit, vt veniẽtem ad nos hospitem suscipiamus, sed & requiramus, & soliciti simus, & sectemur, & perquiramus vbiq; hospites, nè fortè in plateis sedeant, nè extra tectum iaceant. Recordare Loth, & inuenies quòd non illum hospites, sed ipse quæsierit hospites. Et hoc erat hospitalitatem sectari. Hinc & beatus Macarius ait: Hospitalitatem sectãtes per omnia, & nè auertas oculum, aut inanem dimittas pauperem, nè fortè Dominus in hospite aut in paupere ad te veniat, & videat te hæsitantem & contemnentem, sed omnibus hilarem te ostẽde, & fideliter age. Aduenietibus ergò hospitibus alacris susce-

Matth. 25.

Rom. 12.

Hospitalitatem sectari quid sit.

Gen. 19.

ceptio adhibenda est. Scientes ob hoc nouissimam consequi retributionem, quandò in iudicio his, qui à dextris erunt, dicturus est Dominus: Hospes fui, & collegistis me, quia quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. *Et omnibus congruus honor exhibeatur.* Congruus dicitur conueniens, competens, vel condignus: qui fit, quandò vnicuique, quod expedit, & quomodò expedit, impenditur. Nam quanuis vna charitas omnes amplectatur interiùs, aliter pauperibus, aliter verò exteriùs congruit ministrare potentibus. Neque enim æqualis omnibus paranda est sessio, neque omnibus æqualis ciborum conuenit præparatio: sed vnicuiq; necesse est cum charitatis discretione, congruus locus, congruus cibus, congruus lectus, congruus omnibus exhibeatur & honor: vt cógruè à nobis recepti, sine murmurio ad propria reuertantur amici. *maximè domesticis fidei & peregrinis.* Domesticus dicitur, amicus familiaris, vel sodalis: quos duobus modis intelligere debemus, siue omnes generaliter Christianos vnam nobiscum fidem, vnum habentes baptisma: siue specialiter monachos, qui nobiscum Deo * peculiariter fidei cultum & religionis seruant famulatú. Peregrinus dicitur, in longæ patriæ agro positus. *Vt ergò nunciatus fuerit hospes, occurratur ei à Priore, vel à fratribus cum omni officio charitatis.* Quia enim duæ ad monasterium solét venire personæ, duas & illis personas rationabiliter iubet occurrere. Prioribus enim necesse est occurrat Prior, fratrib9 occurrat frater. Si enim venit rex, episcopus, aut aliquis de summo apice potens, exeat illi obuiam Abbas. Si autem venerit alter, obuiàm illi exeat alter. *& primitùs orent pariter, & sic sibi socientur in pace.* In pace dicit, id est, in osculo pacis. Pacificos enim esse oportet filios pacis, & sibimet inuicé in osculo sancto sociari oportet. Vndè & sequitur: *Quod pacis osculum non priùs offeratur, nisi oratione præmissa, propter illusiones diabolicas.* Si enim, cùm sit diabolus tenebrosus, transfigurare se valet in angelum lucis, valet vtiq; trãsformari & in personam hospitis: quod factum iam fuisse, & in Dialogorú libro, & in Vitis legitur Patrum. Quæ phantasmatis illusio stare nocereque non valet, si oratio prompta ex corde sancti monachi procedit. *In ipsa autem salutatione omnis exhibeatur humilitas.* Omnis humilitas dicitur, tota, plena, atque perfecta, non ficta, sed de corde puro manans, vera atque syncera. Quæ quomodò exhibeatur, audi sequentia: *Omnibus venientibus siue discedentibus hospitibus, inclinato capite, vel prostrato omni corpore in terram, Christus in eis adoretur, qui & suscipitur.* Et hic, sicut & superiùs, duas aduenientium inducit personas: Vnam mediocré, cui tantùm caput inclinatur à fratre: aliam verò summam, quæ in terram toto prostrato adoratur & corpore. Sed tamen in vtrisq; Dominus IESVS CHRISTVS adoratur, qui & suscipitur. *Suscepti autem hospites ducantur ad orationem, & posteà sedeat cũ eis Prior, aut cui iusserit ipse. Legatur corã ipso lex diuina, vt ædificetur, & post hæc omnis ei exhibeatur humanitas.* Omnis humanitas, dicitur omnis miserantis affectus, & obsequium plenum & perfectú amoris, quod hospitibus exhiberi oportet in cibis & potis, & omniú illis competétium administratione. *Ieiunium à Priore frangatur propter hospitem, nisi fortè præcipuus dies sit ieiunij, qui non possit violari. Fratres autem consuetudines ieiuniorum prosequantur.* Dies ieiunij qui violari non possunt, dies intelliguntur sanctæ paschalis Quadragesimæ, litaniarum, & quatuor anni temporum, aut si alicuius diei festi fuerit agenda vigilia, quandò non solùm à canonicis clericis, verùm etiã à laicis catholicis ieiunatur. *Fratres autem consuetudines ieiuniorum prosequantur.* Nè pro vno hospite, à toto monasterio ieiunij solennitas auferatur. Nam vt charitatem monstretur habere in hospitem, solúmodò ieiunium mandat frangi à Priore, & maximè propter ipsius hospitis honorem solui mandat ieiunium, ab ipso monasterij * Priore. Sed & hoc pro omnibus hospitibus non est agendum, sed tantùm pro peregrinis fratribus, aut illis summis personis, quæ tardè visitant monasterium. *Aquam in manibus Abbas hospitibus det: pedes hospitibus omnibus tam Abbas, quàm cuncta congregatio, lauet.* Hinc Fructuosus ait: Hospitibus vel peregrinis fratribus, cum summa reuerentia charitatis & ministrationis obsequia sunt prębenda, & ad vesperum lauandi pedes, & si ex itinere sunt confecti, oleo sunt perungendi: lectaria, lucerna, & stramina mollia exhibéda, ac proficiscentibus, iuxta pensum cœnobij, viaticum imponendum. *Quibus lotis, hunc versum dicant: Suscepimus, Deus, misericordiam tuã in medio templi tui.* Ac si dicat: Suscepimus in isto hospite misericordiæ tuę visitationem in medio templi tui, id est, in medio templo monasterij tui. Aliter: Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui, id est, in medio cordis nostri, quod tuum dicit Apostolus esse templum. Suscepimus istius hospitis cum charitatis dilectione aduentum. *Pauperum & peregrinorũ maximè susceptioni cura solicitè exhibeatur.* Hinc Pachomius ait: Quandò ad * hospitium monasterij aliqui venerint, si clerici fuerint aut monachi, maiori honore suscipiantur, lauentque pedes eorum iuxta Euangelij præceptum, & deducent ad locum xenodochij, præbebuntque omnia quæ apta sunt vsui monachorum. Hinc

Matt. 25.

Discretio in tractandis hospitibus qualis adhibenda.

* al. peculiarem

2. Cor. 11.

Hospites suscepti, ad orationem sunt ducendi.

Qui ieiunij dies non possint propter hospites violari.

* al. seniore

Psal. 47.

1. Cor. 6.

* al. ostium

Ioan. 13.

Isidorus ait: Et licèt omnibus hospitalitatis honorem cum gratia oporteat referre, vberior tamen monachis & clericis deferenda est honorificentia hospitalitatis. Præbeantur eis habitacula, lauētur eorum pedes, vt præceptum Dominicum impleatur, congruis etiam sumptibus eiusdem humanitatis gratia præbeatur. *Nam diuitum terror ipse sibi exigit honorem.* Quia in omnibus congruus honor est exhibendus, non tantum metu terroris, quantum etiam præparandum est diuitibus obsequiū causa discretionis. Rom. 13. Debemus enim secundùm Apostolum reddere, cui timorem, timorem: & cui honorem, honorem. *Coquina Abbatis & hospitum per se sit, vt in certis horis superuenientes hospites, qui nunquàm desunt monasterio, non inquietent fratres. In quam coquinam ad annum ingrediantur duo fratres, qui ipsum officium benè impleant. Quibus, vt indigent, solatia administrentur eis, vt absque murmuratione seruiāt. Cæterùm quandò occupationem minorem habent, exeant, vbi eis imperatur, in opera. Et non solùm ipsis, sed & in omnibus officijs monasterij ista sit cōsideratio, vt quādo indigent, solatia accommodentur eis: & iterùm, quandò vacant, obediant imperanti.* Aestimatur enim à multis, quia sicut coquina alia q̄ fratrum, & in alio erat constituta loco, ità & mensa Abbatis non tunc in communi refectorio erat cum cæteris mensis posita, sed in alia erat cellula segregata, quam crebrò venientes hospites frequenter cibis inuenirent paratam. Sed modò ab episcoporum Abbatum & cæterorum Francorum magno concilio salubre inuentum est consilium, vt pro sua & fratrum custodia habeat in cōmuni refectorio mensam, vbi, quandò adfuerint, cum hospitibus, quandò verò defuerint, cum quibus voluerit, reficiat coram fratribus. *Item & cellam hospitum habeat assignatam frater, cuius animam timor Dei possidet, vbi sint lecti strati sufficienter, & domus Dei à sapientibus sapienter administretur.* A sternendo enim, lecti strati dicuntur. Strati, quasi storiati. Storia enim dicitur, quod nos mattam vel nattam dicimus. In his autem solis antiqui monachi dormire solebant, & his solis lectulos suos sternebant. Cuius enim animam timor Domini possidet, sine dubio iam inter sapientes debet haberi. Scriptū est enim: Eccli. 1. Initium sapientiæ timor Domini, intellectus bonus omnibus facientibus eum. A talibus enim sapientibus domus Domini, id est, domus, quæ in monasterio pro pauperibus Domini ædificatur, aut pro eius implendo mandato constituitur, necessè est sapienter administretur. Hinc & quidam monachorum Magister ait: Cella peregrinorum semotim à monasterio constituatur cum lectis stratis, vbi superuenientes fratres, maximè ignoti, dormiant, & bisacias suas ponant. *Hospitibus autem, cui non præcipitur, nullatenùs societur, neque colloquatur. Sed si obuiauerit, aut viderit, salutatis, vt diximus, humiliter, & petita benedictione, pertranseat, dicens, sibi non licere colloqui cum hospite.* Hospitibus non societur, dicit, id est, ad fabulas faciendas non eis iungatur. Sed si obuiauerit eis, aut prope se stare viderit, petita benedictione, transeat. Quòd si interrogatus aliquis ab hospite fuerit, respondeat ei, dicens: Non licet mihi cum hospite loqui. Hinc & beatus Macarius ait: Nullus, nisi cui cura circa hospitale fuerit iniuncta, responsum det venientibus: neq; sermocinari alicui fratri licebit, nisi soli qui præest, aut quos ipse iusserit.

Quòd non debeant monachi literas vel eulogias suscipere.

CAPVT LIIII.

NVllatenùs liceat monacho, neq; à parentibus suis, nec à quoquam hominum, nec sibi inuicèm literas, eulogias, vel quælibet munuscula accipere, aut dare, sine præcepto Abbatis. Quòd si etiam à parentibus suis ei quicquam directum fuerit, non præsumat suscipere illud, nisi priùs indicatum fuerit Abbati. Quod si iusserit suscipi, in Abbatis sit potestate, cui illud iubeat dari: & non contristetur frater, cui fortè directum fuerat, vt non detur occasio diabolo. Qui autem aliter præsumpserit, disciplinæ regulari subiacebit. Hinc B. Augustinus ait: Quicunq; in tantum progressus fuerit malum, vt occultè ab aliquo literas, vel quælibet munuscula accipiat, si hoc vltrò confitetur, illi parcatur, & oretur pro illo: Si autem depræhenditur aut conuincitur, secundùm arbitrium Præpositi grauiùs emendetur. In Reg. cap. 25. Hinc & B. Basilius ait: Munus quodlibet siue epistolas nemo monachus accipiat, nec dare sine iussione Abbatis cuiquam præsumat. Hinc & alibi scriptū est: Qui verò literas, vel munuscula cuiuscunq; accipere præsumpserit, si nō statim, à quo accepit, & quæ accepit, publicauerit, districtiōi seuerissimæ subiacebit. Illa verò quę transmissa sunt, peregrinis & ignotis deputabuntur, aut certè incendio cremabuntur. Sanè qui suis filijs, vel aliqua ad se necessitudine aliquid pertinentibus, cōtulerit, in rem communem redactū, cui necessarium fuerit, tribuatur. Si verò cui trāsmissum est, Abbas pręceperit dari, tanquàm reliqua fideliū munera accipiat cum gratiarum actione. Quòd autem dicit, non contristetur, nè forte detur occasio diabolo: subintelligitur, aut per tristitiā, aut per inuidiam, aut per murmurium. Per tristitiam enim, quam in suo pectore tenet, nocendi monacho diabolo datur occasio:

quia

2.Cor. 7. quia secundùm Apostolum est tristitia, qua impediente diabolo datur occasio nocendi in anima. Nam & si illi, cui datum est, inuidetur, per inuidiam nocendi monacho diabolo datur occasio. quia scri- Sapien. 2. ptum est: Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Imitantur enim illum, qui sunt ex parte illius. Aut si fortè murmuratur, quia quod sibi directum est, sibi non datur: & ità per murmurationem nocendi monacho diabolo datur occasio: 1.Cor. 10. quia & qui in deserto murmurauerunt, à serpentibus periêrunt. Omnis enim monachus, qui vnum ex istis fecerit, quia illi non datur, quod illi dirigitur, regulari disciplinæ subiaceat, nè indisciplinatus in æternum pro his vitijs pereat.

De vestimentis vel calcearijs fratrum.

CAP. LV.

V*Estimenta fratribus, secundùm locorum qualitatem vbi habitant, vel aërum temperiem, dentur: quia in frigidis regionibus ampliùs indigetur, in calidis verò minùs. Hæc ergò consideratio penès Abbatem est.* Quod autem dicit, secũdùm qualitatem locorum vestimenta dari: mihi videtur de operoso, & non tam de operoso dicere loco. Sunt enim monasteria iam perfecta & in amœno loco posita, vbi minùs operatur, & ideò vestimentis minùs indigetur. Sunt verò alia adhuc imperfecta, & in aspero, petroso, atque syluoso posita loco: vbi quia plùs & duriùs operatur, plùs vestimẽtis & calceamentis indigetur. Quod autem dicit, vel secundùm aërum temperiem dentur: ipse exponit, cùm dicit: quia in frigidis regionibus ampliùs indigetur, in calidis verò minùs. Hęc prudentissimè ille considerans, dixit: *Nunc verò prudens Abbas consideret diligenter aërum temperiem, & loca, in quibus habitat, quomodò sint calida, frigida, vel temperata, aspera, dura, vel suauia: & secundùm possibilitatem suam, quod necessarium est, suis ministret monachis*: vt sine necessitate Domino seruiant, & absque iusta murmuratione pacificè viuant. *Nos tamen in mediocribus locis sufficere credimus monachis, per singulos cucullam & tunicam: cucullam in hyeme villosam, in æstate puram aut vetustam, & scapulare propter opera.* Mediocribus locis, dicit, id est, temperatis, nec multùm frigidis, nec multùm calidis. Cucullam dicit ille, quod nos modò cappã dicimus. Per diminutioné enim à casula dicitur cucull(a), & à casa casulla, & à casulla diminuitur cuculla. Quod verò ille dicit, scapulare propter opera, hoc nos modò dicimus cucullam. *Indumenta pedum, pedules & caligas.* Pedules autẽ dicit ille, quod nos modò dicimus calceos. Caligas ille, quod nos subtalares vel soccos vocamus. Caligæ autẽ vel à callo pedũ dictæ, vel quia ligãtur, nam & calcearei vocantur. De pedulibus autẽ Isidorus ait: Pedules vtentes in monasterio, quã diù hyemis coëgerit violentia, siue dũ fratres gradiũtur in itinere, vel ꝓficiscuntur ad vrbem. Hinc & Fructuosus dicit: In hyeme pedules calceent, qui voluerint, i. à die Calend. Nouẽb. vsq; ad Cal. Maias. Reliquis mensibus æstiuis caligarũ tantùm solatijs muniendi sunt. *De quarum rerũ omnium colore non causentur monachi, vel grossitudine, sed quales inueniri possunt in prouincia, qua degunt, aut quod viliùs comparari possit.* Hinc Ferriolus ait: Colorem etiam in his album vel nimis rufum, per quẽ sæpè species corporis ad perniciem suam vidẽtibus cõmendatur, vitet, hoc est, habere non ambigat, nè iactantiæ suę secum testimoniũ ferat, & dum corpus velit vestimẽtis ornare, de animæ ornamẽtis non curet. Hinc Isidorus ait: Munitus debet esse monachus, non delicatus. Sicut autem in monacho non debet esse notabilis habitus, ità nec satis abiectus. Nam preciosa vestis animum ad lasciuiã pertrahit, nimis vilis aut doloré cordis parit, aut morbum vanæ gloriæ contrahit. Hinc Basilius In quæst. ait: Si enim studiũ nobis habendũ est, oĩm diffusè explic. q. 28. esse minimos, & omniũ nouissimos: certũ est, quia & indumẽtis omnium nos nouissimos deputare debemus. Hinc Cassianus dicit: Oportet vt talis sit vestis monachi, lib. 1. instit. mon. cap. 3. quæ corpus cõtegens tantũ verecundiam nuditatis repellat, & frigoris retũdat iniuriam, nõ quæ occasioné vanitatis enutriat: quæ ità sit vilis, vt nulla coloris vel cõpositionis nouitate inter cæteros fratres spirituales habeatur insignis: & ità sit à studiosis & superfluis accurationibus aliena, vt nullus inter eos per incuriam collectis aut fœdatis sordibus sit deformis. Postremò sic ipsa vestis ab huius mundi separetur ornatu, vt in oĩm seruorũ Dei cultu cõmunis sit. Nam quicquid inter famulos Dei nõ ab omnibus tenetur, sed ab vno vel à paucis præsumitur, aut superfluum, aut elatũ est, & propterea noxium iudicandum est, magisque non virtutis speciem, sed vanitatis ostentat. *Abbas autem de mensura prouideat, vt non sit curta ipsa vestis vtentibus ea, sed mensurata.* Si enim fuerint vestimenta curta, erunt ridiculosa: si nimis longa, erunt damnosa. Nam sicut de vestimento curto generatur ridiculum, ità fiet de nimis longo panno damnum. Ergò nè ista proueniant, fiant omnia mensurata. *Accipientes noua, vetera semper reddant in præsenti, reponenda in vestiario propter pauperes.* Hinc beatus Fructuosus ait: Quicquid in vestimentis, calceamentis, vel electarijs monachorum vetustum fuerit, dum noua percipiunt, totum ab Abbate pauperibus erogetur. Hinc

& Aurelianus dicit: Si quid verò superfuerit ex vsibus fratrum in auro, aut in vestibus, aut cellerario, sanctus Abbas per manus prouisoris, aut per quamlibet fidelem personam pauperibus, peregrinis, aut captiuis faciat dispensari. Vestimenta verò vetera, cùm noua accipiunt, Abbati refundant, indigētibus aut pauperibus eroganda. *Sufficit enim monacho, duas tunicas & duas cucullas habere propter noctes, & propter lauare ipsas res. Iam quod superfuerit, superfluum est, amputari debet. Et pedules, & quodcunque est vetustum, reddant, dum accipiunt nouum.* Hinc Isidorus ait: Ternis tunicis & binis pallijs singulisque cucullis contenti sint monachi, nihil præter hæc in habitu aliud præsumentes. Hinc & Fructuosus ait: Vestimenta nō multa, nec superflua sint monachis. Duabus tātùm cucullis villatis, & simplici vno pallio ternisque tunicis, & stramis duabus cuiusque necessitatis querimonia sufficienda est. Hinc Ferriolus ait: Vestimenta superflua monachi non requirant, dicente

Lucæ 9. Domino ad discipulos: Neque duas tunicas habeatis. Quas duas tunicas intelligere debemus non numero, sed propter hyemem necessarias esse, & supra vsum si reseruatæ fuerint, computari. Supèr ergò si quid fuerit, putabitur alienum. Dum quicquid possessor alienus includit, magis vtitur arca, quàm Dominus. Quod vt vitetur, maximus nobis beatus Apostolus te-

1. Timo. 6. stis assurgit, dicens: Habentes victum & vestitum, his contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidūt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa & inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. *Femoralia hi, qui in via diriguntur, de vestiario accipiant: quæ reuertentes, lota ibi restituant. Et cuculla & tunicæ sint aliquanto à solito, quas habent, modicè meliores, quas exeuntes in via accipiant de vestiario, & reuertentes restituant.* Hinc beatus Fructuosus ait: Femoralium vsus cuiquam est permittendus, maximè his qui in ministerio implicantur altaris. Sed & hoc qui studere noluerit, repræhendendus non erit, cùm non vsquè constet, pleraque hunc vsum monasteria etiam in his regionibus nō habere. Quòd verò dicit de cucullis & tunicis, sint aliquāto pro via meliores, quàm soliti sunt habere: in illis est regionibus faciendum, vbi multùm vilib⁹ soliti sunt vti vestimentis: Vbi verò * meliora sunt vestimēta, nō sunt propter itinera cōmutanda. Femoralia enim sunt dicta, eò quòd femora tegant: ipsa & feminalia ipsa & brachas dicimus. Ideò brachas, quia sunt breues. βραχὺν enim Græce, breue dicitur. *Stramēta autem lectorum sufficiant, matta, sagum, lena, & capitale.* Sagum, Gallicū nomen est. Dictū est autē sagum, quadrū, eò quòd apud eos pri-

* al. mediocria sunt indumēta.

mùm quadratum vel quadruplex esset. Nos autem modò per diminutionem à sago sagellum dicimus. Lena, species vestis villosa est, quam nos * tonxam vocamus: alij verò galnapem eam vocant. Capitale autē dicit, quod nos plumaceum dicimus. De hac sententia & Isidorus dicit: Speciosam vel variam supellectilem monachum habere non licet, cuius stratus erit storia, vel stragulum, pellesq; lanatæ duæ, galnapis quoquè & facitergiū, geminosq; ad caput puluillos. *Quæ tamen lecta frequenter ab Abbate scrutanda sunt, propter opus peculiare nè inueniatur: & si cui inuentum fuerit, quod ab Abbate non susceperit, grauissima disciplina subiaceat. Et vt hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dētur ab Abbate omnia, quæ sunt necessaria, id est, cuculla, tunica, pedules, caliga, bracile, cultellus, graphium, acus, mappula, tabulæ, vt omnis auferatur necessitatis excusatio.* Hinc & beatus Fructuosus dicit: Lectula singulorū Abbas vel Præpositus bis in hebdomada reuoluat atq; perscrutetur, vt videat nè quis superfluū ibi aliquid vel occultū habeat. Subula sanè, acus, aut fila diuersa pro cōsuendis * tantùm dandisq; vestib⁹ ipsis tribuenda sunt ab Abbate, vt cùm necessitas popoſcerit, lauandi atq; emendandi habeant facultatem. Hinc & sanctus Pachomius ait: Nemo habeat præter ea, quæ in communi monasterij lege præcepta sunt; non tunicam, non palliū, non pellem, non nummum, nec ad caput puluillū, exceptis his, quæ à Patre monasterij per Præpositos diuiduntur. *A quo tamen Abbate semper consideretur illa sententia Actuum Apostolorum: quia dabatur singulis, prout cuique opùs erat. Ità ergò & Abbas consideret infirmitatos indigentium, non malam voluntatem inuidentium. In omnibus tamen iudicijs suis Dei retributionē cogitet.* Hinc Isidorus ait: Vestimenta non erunt æqualiter distribuēda in omnibus, sed cum discretione, vt cuiuscunq; ætatis gradusq; expostulat. Ità enim & Apostolos fecisse legimus, sicut scriptū est: Erant illis omnia cōmunia, & distribuebatur vnicuique, prout opùs erat. Vniuscuiusque fratris autem supplementum vel indigentia inspiciatur: vt, qui habēt, contenti sint: & qui non habent, accipiant.

* al. toxam

* al. emendandisq;

Acto. 4.

Act. 2. & 4.

De mensa Abbatis.

CAP. LVI.

MEnsa Abbatis cum hospitibus & peregrinis sit semper. Quoties tamen minus sunt hospites, quos vult de fratribus vocare, in ipsius sit potestate. Seniorem tamen vnum vel duos semper cum fratribus dimittendum procuret, propter disciplinam. Hinc Patres antiqui dixerunt: Nō licebit peregrino fratri cū fratribus manducare, nisi cum eo, qui præest, Patre, vt possit ædificari. Quandò tamen defuerint hospites, cum quibus

vult

vult de fratribus, Abbas manducet. Seniores tamẽ pro custodia cũ fratrib⁹ dimittet.

De artificibus monasterij.

CAP. LVII.

Artifices si sunt in monasterio, cum omni humilitate faciant ipsas artes, si tamen permiserit Abbas. Quòd si aliquis ex eis extollitur pro scientia artis suæ, eò quòd videatur aliquid cõferre monasterio, hic talis euellatur ab ipsa arte, & denuò per eam non transeat, nisi fortè humiliato ei iterùm Abbas iubeat. Hinc Cassianus ait: Si quis autem de opere ac sudore proprio plus ab alijs reditus confert monasterio, in nullo infletur, nec sibi de tãto operis sui acquisito blãdiatur, nec amplius sibi aut delicatius aliquid solita quotidiani victûs parcitate præsumat, sed tanquàm peregrinum se huiusmodi reputans, arreptæ nuditatis virtutem ad finẽ vsq; perducat. Quod autem dicit, hic talis euellatur ab ipsa arte: intelligitur, suspẽdatur ab ipso, cui incumbebat, operãdo artis officio, nec ampliùs transeat per eum, id est, nõ operetur in eo, nisi humiliat⁹ fuerit denuò. Erigere enim atq; suspendere, vnum intelligitur esse. *Si quid verò ex operibus artificum venundandum est, videant ipsi per quorum manus transigenda sunt, nè aliquam fraudem præsumant inferre. Memorentur semper Anania & Saphira, nè fortè mortẽ, quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti, vel omnes, qui aliquam fraudem de rebus monasterij fecerint, in anima patiantur.* Peior enĩ & durior est mors, quam fraudẽ faciẽdo monachi patiũtur in anima, quàm mors corporis, quã passi sunt Ananias & Saphira. Mors enim corporalis, omnium est communis & temporalis: Mors verò animę, impiorũ est, & pœnalis. Hæc animam disiungit à corpore, illa verò separat à creatore. Hæc corpus in sepulcrum, illa verò mittit animam in infernũ. *In ipsis autem precijs non subripiat auaritia malum, sed semper aliquantulùm vilius detur, quàm ab alijs secularibus dari potest, vt in omnibus glorificetur Deus.* Hinc quidam monachorum Magister ait: Cùm vnaquæque ars aliquem profectum superuacuum vsibus monasterij, vel mittendarum eulogiarum abundauerit, interrogata qualitate precij, quantum à secularibus distrahi potest, tantum infra nummorum minori semper distribuatur precio, vt agnoscantur in hac parte spirituales à secularibus actibus distãtiaq; * separari. Cùm negocij causa, quæ inimica est animæ, lucrũ super iustitiam quærant, sed etiam ab ipsa iustitia minus accipiẽdi precij humanitate consentiant, vt propter cupiditatem & auaritiam artes operari credantur. Auaritia enim non est paruum malum, sed grãde. Ignis est, in corde auari inextinguibiliter ardẽs, & incessabiliter vrẽs. Hinc in libro beati Iob scriptum est: Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. Quod beatus Gregorius exponens, ait: Ignis tabernacula deuorat, cùm æstus auaritiæ, cogitationes mentis deuastat. Hinc & Salomon ait: Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam. Et, Auarus nõ implebitur pecunia. De auaritia enim multa alia vitia pullulant, sicut scriptum est: Radix omnium malorum est auaritia. Hoc enim vitium non solùm occulta plurima, sed & aperta multa generat mala.

lib. 4. instit. mon. ca. 14.

Mors animæ, quid distet à corporis morte.

* al. separati.

Auaritia quàm graue malum sit.

Iob 15.

lib. 12. Moral. cap. 27.

Prouer. 15.

Ecclẽs. 5.

1. Timo. 6.

De disciplina suscipiendorum fratrum.

CAP. LVIII.

Nouiter quis veniens ad conuersionem, non ei facilis tribuatur ingressus, sed sicut ait Apostolus: Probate spiritus, si ex Deo sunt. Hinc & Patres antiqui dixerunt: Si quis fidei ardore succensus, renuncians seculo, monasterium magnæ dispositionis elegerit expetendum, nouitati eius non confestim licentia tribuatur intrandi, sed primùm studiosiùs indagetur, vtrùm voluntariè, an necessitate aliqua coactus, aduenerit. Sed dicẽte Apostolo, Probate spiritus, si ex Deo sint: diligenter probetur, nè fortè sit, de quibus Dominus ait: Veniẽt ad vos in vestimentis ouiũ, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Probatio ergò discernit, vtrùm eum tentatio diaboli, an vocatio ad monasterium adduxerit Iesu Christi. *Ergò si veniens perseuerauerit pulsans, & illatas sibi iniurias, & difficultatem ingressûs, post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare, & persistere in petitione sua, annuatur ei ingressus, & sit in cella hospitum paucis diebus.* Illatas iniurias, siue eas dicit, quas propter difficultatem ingressûs patitur, siue eas, quas à portario probationis causa in cella hospitum patitur, sicut beatus Fructuosus de talibus ait: Hospitibus & peregrinis stramina comportabit, aquam calefaciens pedibus, & omnia humiliter ministeria exercebit, fascemque lignorum suo quotidiè dorso ferens hebdomadario tribuet: atque ità in omni penuria & vilitate subactus, expleto anno probatus moribus, & laboribus elimatus, percepta in ecclesia benedictione, fratrum societati donetur. Sequitur: *Posteà autem sit in cella nouitiorum, vbi meditetur, & manducet, & dormiat.* Nouitiorum cella dicitur, non hospitum, sed pulsantium. Vbi nouiter veniens, siue cum his, quos ibi inuenerit, siue cum magistro, quem habuerit, meditetur in canticis & psalmis & hymnis, siue in regularibus præceptis, quibus tradendus est, obseruandis.

1. Ioan. 4.

Suscipiẽdi in monasterium, diligenter sunt probandi.

1. Ioan. 4.

Matth. 7.

Nequa-

Nequaquàm ergò debet à tẽpore inchoare, qui mundo renunciat, nè per ipsum temporem rursùs in amorem seculi cadat. *Et senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eum omninò curiosè intendat, & solicitus sit, si reuerà Deum quærat, si solicitus sit ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria.* Si solicitus est ad opus Dei, dicit, id est, ad ea quæ propriè ad Deum pertinent, videlicet ad orationem, ad lectionem diuinam, ad vigilias nocturnas, cursusque diurnos, ad ieiunium, & ad omne diuinum officium. Ad obediẽtiam, 1.Reg.15. dicit, quia melior est obedientia, quàm victima. Ad opprobria, dicit, vt si venerint pro nomine Christi, patienter ea toleret. De hoc beatus Fructuósus ait: Cõuersum de hoc seculo, vt Patrũ decreta docent, nõ suscipiendum, nisi priùs experimentũ suî in opere & penuria & opprobrijs dederit In quæst. diffusè explic. q. 10. & cõuicijs. Hinc & beatus Basilius ait: Priusquàm nouitius corpori fraternitatis inferatur, oportet ei iniungi quædam laboriosa opera, & quæ videâtur habere opprobria, & obseruari oportet, si libẽter hæc ac fidutialiter expleat, nec cõfusionem corũ grauiter ferat, vel etiã si in labore impiger inueniatur & prõptus. *Prædicẽtur ei omnia dura & aspera, per quæ itur ad Deum.* Prædicentur ei dura, dicit: id est, rigida, fortia, vel laboriosa, Psal. 16. vt possit dicere cum Psalmista: Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras. Aspera dicit, districta, violẽta, vel arcta & angusta, de quo Dominus Matth. 7. dicit: Arcta & angusta via est, quæ ducit ad vitam, illum videlicet, qui dixit: Ego Ioan. 14. sum via, veritas, & vita. Hinc & antiqui Patres dixerunt: Hi qui tales sunt, cùm seculi latebris liberari voluerint, appropiantes monasterio, hebdomada præ foribus iungãtur, & semper dura & laboriosa eis * imponantur. * al. proponantur. Si verò perseuerauerint pulsantes, nõ negetur eis ingressus, sed is, qui preest Pater, huiuscemodi homines introire permittat, & qualiter vitã fratrũ vel regulam tenere possint, ostendat. *Si promiserit de stabilitate sua perseuerantiam, post duorum mensium circulum legatur ei hæc regula per ordinem, & dicatur ei: Eccè lex, sub qua militare vis. Si potes obseruare, ingredere: si verò non potes, liber discede.* Si potes obseruare, inquit, ingredere: subauditur, si potes præcepta istius regulæ obseruare, ad militandum ingredere: Sin aũt nõ potes, priusquã iugo regulæ colla submittas, & eius seruituti subdaris, liber discede. Notandum, quia non ait, eccè lex sub qua quiescas, vel vacãs ocio, quietus viuas: sed, sub qua militare vis, inquit: vt intelligas, Iob 7. quia militia est vita hominis super terrã, & sicut dies mercenarij, dies eius. Ergò pro mercede æterna omnia debet pro Domino sustinere, qui in eius cupit transire militiam, & tanquàm aurũ lima, malleis & igne fornacis probari, vt ad diadema & coronam Dominicam possit peruenire. *Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam cellam nouitiorum, & iterùm probetur in omni patientia.* Hinc Isidorus ait: Neq; enim intùs suscipi quenquã cõuenit, qui relicto seculo ad militiã Christi pia & salubri humilitate conuertitur, nisi priùs foris posito eius humilitas, siue patientia cõprobetur. Ideò autẽ probationibus sub Abbatis imperio militamus, & dura & aspera ab Abbate * imperata gratãter portamus, * al. imperante vt post peregrinationem vitæ huius cum Domino regnare mereamur. Quod autem dicit, tunc ducatur in cellam nouitiorum supradictã, cùm anteà dixisset: iam sit in cella nouitiorum, intelligitur exisse eum ab ipsa cella nouitiorum, & venisse ad auditoriũ, siue ad eũ, quem Abbas elegit, locum, & ibi audire regulæ præceptum, & tunc iterùm reuerti in cellam nouitiorum. Hinc sanctus Aurelius ait: Hoc iubente Deo in primis statuimus tenendum, vt si quis ad conuersionem venerit, regula ei in solitario legatur. *Et post sex mensium circulum legatur ei regula, vt sciat ad quid ingreditur.* Hinc Ferriolus ait: Post hoc monasterij regula, Abbátis ei iussione legatur, vt in posterum nihil nouum, vel inusitatum, aut si discessurus prætereat, aut si permansurus agnoscat. Vni ergò de senioribus deputatus, informetur regularibus disciplinis, vt quæ facere debeat, quibusque eum seruire conueniat, deincèps omnia recognoscat. *Et si adhuc stat, post quatuor menses iterùm relegatur ei eadem regula.* Hic anni cursus impletur nouitio à tempore, quo pulsans venit ad monasterium. Cui & ordinatim in hoc anni circulo ter lecta est regula demoranti adhuc in nouitiorum cella. Quod tempus non solùm beatus Benedictus, sed & alij patres iusserũt in conuersione nouitiorum obseruari. Dixerunt enim, nisi expleto anno, nullus mutare habitum permittatur. Sed si pœnitentis fuerit tanta compunctio, vt hoc sibi supplicatione assidua exigat non negari, tamen quod vni fideliter poscenti conceditur, non quasi licitum habeatur. Hinc beatus Fructuosus ait: Sicque anno vno spiritali traditus seniori, non statìm commiscendus erit congregationi, sed priùs cunctis bonorum operum exercitijs edocendus. Quòd si quilibet conuersus bonis ac puris moribus enitens, Abbatis vel aliorum spiritualium fratrum fuerit iudicio comprobatus, pro merito & puritate conscientiæ suæ clericus poterit fratrum consortijs misceri, secundùm quod Abbatis vel fratrum optimorum censuerit deliberatio faciendum. *Et si habita secum deliberatione promiserit se omnia custodire, & cuncta imperata sibi seruare, tunc suscipiatur in congregatione, sciens se*

sub lege regula constitutum, quòd ei ex illa die non liceat egredi de monasterio, nec collum excutere de sub iugo regulæ, quã tam morosa deliberatione, licuit ei aut excusare, aut suscipere. Habita enim, ab habendo vocatur. Deliberatio autem, meditatio vel tractatio dicitur. Ergò habita deliberatio, iam definita est tractatio. De hac enim sententia quidam Magister monachorum ait: Qua regula in lectione nouitio expleta, respondeat ei primò Abbas hoc, non fortè eum posse constituta regulæ conseruare. Cùm verò ille dixerit, posse se omnia obedire, & omnia Abbatis verbis prædicta cùm se responderit nouus frater seruare, & ad omnia facta se esse paratum, & si professus fuerit omnia impleturum, tunc recipiatur in congregatione monachorum. Exceptus verò vsque ad mortem suam non præsumat, nec permittatur de monasterio egredi, propter illud prophe-

Psal. 26. ticum: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. *Suscipiendus autem, in oratorio coram fratribus omnibus promittat de stabilitate sua, & conuersione morum suorum, & obedientia coram Deo & sanctis eius, vt si aliquandò aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat, quem irridet.* Promittat autem & dicat hoc modo: Ego N. in hoc monasterio sancti illius promitto stabilitatem meam, & conuersionem morum meorum, & obedientiam secundùm regulam sancti Benedicti, coram Deo & sanctis eius. Cùm hac promissione se constrinxerit, subijciatur regulis suprà scriptis, per bonorum operum industriam quãdoquè Domino placiturus. Quòd si aliquandò aliter fecerit, id est, à regulari vita volens discesserit, à Deo damnandum se, quem irridet, sciat. *De qua promissione sua faciat petitionem ad nomen sanctorum, quorum reliquiæ ibi sunt, & præsentis Abbatis.* Quæ petitio hoc tenore à nouitio dicatur: Monachatûs mei tyrocinium diligenter attendens, considero quòd petitioni primùm non facilis meæ monasterij concessus est introitus, sed diù mihi pulsanti, vix hospitij locus est attributus misericorditer, in quo per paucos dies demoratus, nouitiorum sum domum progressus, in qua mihi dura & aspera primò diligẽter à seniore sunt prædicata, & stabilitatis meæ promissio suppliciter adimpleta, qui senior comminans mihi hæc terribiliter verba auribus intimabat: Sciendo scias, quoniam si post promissionem regularis obseruan-

Lucæ 9. tiæ retrò conuertens respexeris, aptus regno cælorum non eris. Insuper qualibus te tectum vestibus monasterij claustra susceperunt, in talibus te fore ab illis proijciendum cognosce. Et quia te pannis expoliatum veteribus, pariterque expoliatum vitijs perdiderat mundus, fas est vtroque vestitum suum recipiat seruum, ad ignominiam omnium, in perpetuo seruãdum. Ego autem Dauidico consortatus exemplo, Domino clamãs, aiebam: Propter ver- Psal. 16.

ba labiorum tuorum ego custodiui vias duras. certissimè sciens, quia si particeps CHRISTI passionis fuero, ero & resurrectionis. His & similibus consortatus diuinis oraculis, omnia me constanter perpeti pro vita profitebar æterna. Hãc nostram cernens Pater constantiam, ter iussit in anno per ordinem nobis legere pariterque tradere regulam, cum protestatione monentis atque dicentis: Eccè lex, sub qua militare vis. Si potes obseruare, ingredere: si non potes, liber discede. Hunc ergò videns ordinatissimum atque morosum mihi spatium attributum, dubitationis aditu prætermisso, vt me iam vestro corpori sociare dignemini, lachrymabiliter rogans deposco. Ego verò iam mecum saluationis deliberatione salubriter adhibita, promitto me in omnibus huius regulæ custodire, Domino iuuante, instituta, libenterque Abbatis mei seruare præcepta, fratrumque maiorum cunctis, Domino sauente, obtemperare mandatis, & propter æternam libertatem, legibus huius regulæ deincèps me polliceor fideliter mãcipari, ità vt iam non mihi ex hac die liceat egredi de monasterio, collumque sub regulæ excutere iugo, quod sub annali optione aut excusare licuit, aut suscipere: sed, vt præfatus sum, omni excusatione postposita, promitto stabilitatem monasterij, morumque meorum conuersionem, & propter professionis meæ seruitium, & vitæ æternæ præmium, metumque gehennæ, sanctæ me obedientiæ coram Deo & angelis eius militaturum subijcio. Et vt hæc promissionis meæ petitio à vobis firmiter teneatur, ad nomẽ sanctorum, quorum hic reliquiæ continentur, & præsentis Abbatis illis conscriptam petitionem trado in perpetuum habendam, & manu mea roboratam super altare pono, in hoc monasterio perenniter cõseruandam. Vndè & sequitur: *Quam petitionem manu sua scribat, aut certè si non scit literas, alter ab eo rogatus scribat, & ille nouitius signum faciat, & manu sua eam super altare ponat.* Hinc & alibi scriptum legimus: Si cum rebus suis introierit nouitius, tunc ille breuis, vel donatio rerum suarum Deo vel monasterio facta, ipsius donatoris manu super altare ponatur, dicente ipso fratre: Eccè Domine, cum anima mea & paupertate mea, quicquid mihi donãsti, tibi reconsigno & offero, & ibi volo vt sint res meæ, vbi fuerit cor meum, & anima mea, sub potestate tamen & Abbatis monasterij, quem mihi, Domine, in vice tua timendum prẹponis, cùm ipse dicas:

Lucæ 10. Qui vos audit, me audit: & qui vos sper-
nit, me spernit. *Quam dum posuerit, incipiat ipse*
Psal. 118. *nouitius mox hunc versum: Suscipe me, Domine, se-
cundùm eloquium tuum, & viuam, & non confun-
das me ab expectatione mea. Quem versum omnis con
gregatio tertiò respondeat, adiungentes: Gloria pa-
tri. Tunc ille frater nouitius prosternatur singulorum
pedibus, vt orent pro eo: & iam ex illa die in congre-
gatione reputetur.* Vox pœnitentis & conuer-
tentis ad Dominum est, qui dicit: Suscipe
me, Domine, secundùm eloquium tuum,
& viuam, &c. Qui enim peccando longè à
Deo recessit, & velut mortuus à cognitio-
* al. latuit, ne Dei, longo vsu in sepulcro peccati * ia-
cuit, pœnitendo humiliatur iterũ, & vt re-
ceptus inæternùm viuat, flebiliter Domi-
num deprecetur. Vndè & fratrum omniũ
ꝓstratus pedib⁹, pro se orare, eos rogitare
debet assiduus, etiam in congregatione re-
ceptus. Hinc quidã monachorũ Magister
ait: Post hæc dicta, dicat ipse nouitius fra-
ter respon soriũ hoc: Suscipe me secũdùm
Psal. 67. eloquiũ tuũ, & viuam, &c. Post hoc respõ-
soriũ dicat Abbas hunc versum: Confirma
hoc Deus, quod operatus es in nobis. Post
quem versum dictũ, mox data ei ab omni-
bus pace, compleat Abbas. Hinc datur in-
telligi, quia post illam Gloriam ab omni-
bus superiùs dictam, omnes iterùm cum
illo nouitio, silentiò, vt mos est, debent di-
cere orationem Dominicam, & Abbate
dicente, Et nè nos inducas in tentatio-
nem: more solito respondeant omnes, Sed
libera nos à malo: & tunc orans Abbas,
super nouitium dicat hanc orationem:
Suscipe, quæsumus, Domine, hunc famu-
lum tuum ad te, de procella seculi huius,
laqueisque diaboli, fugientem, vt à te sus-
ceptus, & instanti seculo saluatum, & in
futuro se gaudeat à te feliciter rèmunera-
tum. Per Christum. Et tunc osculo omni-
bus dato, & iam in congregatione repu-
tetur. *Res, si quas habet, aut eroget pauperibus
priùs, aut facta solenniter donatione, conferat mona-
sterio, nihil sibi reseruans ex omnibus, quippe qui ex
illa die nec proprij corporis potestatem se habiturum
sciat.* Quod dicit, facta solenniter dona-
tione: intelligitur, religiosè coram testi-
bus, & vniuersa monasterij congregatio-
ne. Vndè & alibi monachorum Patres di-
xerunt: Si aliquam nouitius in cellulam
voluerit inferre substantiam, in mensa po-
natur coram omnibus fratribus. Hinc &
quidam monachorum Magister ait: Vnà
cum anima sua Deo & oratorio monaste-
rij per donationem offerat totum, subscri-
bentibus religiosis testibus, Episcopo, pre-
sbytero & Diacono, vel ipsius territorij
clero, & in ipsa cautione taxans hoc, quòd
si aliquandò de monasterio discedere vo-
luerit, sine rebus suis de monasterio, vel
sine indulgentia peccatorum à Deo rece-
dat. *Mox ergò in oratorio exuatur rebus proprijs,
quibus vestitus est, & induatur rebus monasterij.*
Hic autem & mihi videtur, si in laicali
habitu est, priùs tondeatur, & sic vestibus
monasterij induatur. Hinc & quidam an-
tiquus monachorum Magister ait: Cùm
ergò cum cæteris fratribus inculpabiliter
in monasterio integrum annum impleue-
rit, tunc demùm sine aliqua dubitatione
tondeatur, vel sancti propositi vestes mu-
tentur. Hinc & Cassianus dicit: Cùm verò lib 4. instit.
receptus quis in monasterium fuerit, ità fi- mon. cap. 5.
deliter omni pristina facultate nudatur,
vt nec indumentum ipsum, quo à seculo
venit indutus, habere amplius permitta-
tur: sed in medium productus, exuatur
proprijs, ac per manus Abbatis induatur
monasterij vestimentis. Tondendo autem
nouitium, priusquàm tondeatur, hęc ora-
tio à sacerdote dicatur: Præsta, quæsumus,
omnipotens Deus, vt sicut hic famulus tu-
us comam amittit capitis, vitia similiter
amittat corporis & cordis, vt corpore pa-
riter innouatus & mente, tecum feliciter
valeat inæternùm regnare. Per Christum.
*Illa autem vestimenta, quibus exutus est, reponan-
tur in vestiario conseruãda: vt, si aliquandò, suaden-
te diabolo, consenserit vt egrediatur de monasterio,
quod absit, tunc exutus rebus monasterij, proijciatur.*
Hinç Cassianus ait: Illa verò, quæ deposu- lib. eod.
it vestiméta, Pręposito tradantur, quę tam cap. 6.
diù ab eo seruentur, donèc profectus con-
uersationis eius diuersis tentationibus ac
probationibus euidẽtiùs agnoscatur. Et si
quidem posse eum inibi perdurare tempo-
re procedente perspexerint, & in eodem,
quo cœpit, feruore persistere, indigenti-
bus eadem largiantur. Si verò aliqua mur-
muratio, aut inobedientia in eo fuerit de-
præhensa, exuatur monasterij vestibus,
quibus indutus fuerat, & reuestitus suis
antiquis, quæ à Præposito conseruantur,
foràs expellatur: quia non est fas cum ve-
stimentis monasterij, quæ accepit, abscede-
re. Hinc quidam monachorum Magister
ait: Vestes verò seculares, quas dum mu-
tat, exutus fuerit, cum diligentia repositæ
conseruentur, tam de laicis, quàm iam de
firmato conuerso, nè fortè quod non in
conuersis contingat, cùm ad suos denuò
vomitus redire voluerit, & seculi elegerit
iteratò repedare itinera, & nullis scriptu-
rarum vel admonitionum poterit vincu-
lis retineri, reddat Christo quod suum est,
id est, exutus sanctis vestibus, vel habitu
sacro, suis, quibus venerat vestitus, vesti-
bus resimilans seculum, ad suasorem dia-
bolum reuertatur, & à CHRISTI præ-
datus habitu, polluatur in seculo fugaci.
*Illam tamen petitionem eius, quam desupèr altare
Abbas tulit, non recipiat, sed in monasterio conser-* Petitio
uetur. Ideò illam petitionem in monaste- apostatæ

rio

tur, reseruanda.

rio iubet reseruari, vt per illam, etiam illo nolente, si voluerit Abbas, possit eum iterùm in monasterium reducere, ibique subiectum tenere: aut fortè si dixerit se esse nō monachum, ab illa petitione victus, in monachatûs redigatur seruitium.

De filijs nobilium vel pauperum, quomodò offeruntur Deo.

CAP. LIX.

S*I quis fortè de nobilibus offert filium suum Deo in monasterio, si ipse puer minor ætate est, parentes eius faciant petitionem, quam suprà diximus, & cum oblatione ipsam petitionem, & manum pueri inuoluant in palla altaris, & sic eum offerant.* Hinc Basilius ait: Oportet tamen infantes voluntate & consensu parentū, immò ab ipsis parētibus oblatos sub testimonio plurimorum suscipi, vt omnis occasio maledicti gratia excludatur hominum pessimorū. Cùm autem fuerint suscepti, si fortè propositum suum transgressi fuerint, nec videri eos oportet ampliùs, tanquàm eos, qui in Domino deliquerūt, quod est confessionis suæ pactū, cùm professi sunt. Quòd si peccauerit, inquit, homo in hominem, orabit pro ipso ad Dominum: si autem in Deum peccauerit, quis orabit pro eo? Hinc Isidorus ait: Quicunque à parētibus proprijs in monasterio fuerit delegatus, nouerit se ibi perpetuò permansurum. Nam Anna Samuel puerū natū & ablactatum, Deo cum pietate obtulit, quiq; in ministerio templi, quo à matre fuerat functus, permansit, & vbi constitutus est deseruiuit. Hinc datur intelligi, quia parentes non alios, quàm patrem aut matrē, qui eum genuerūt, dicit: quia Anna Samuelem quem genuit, ipsa & non alius, eū seruiturum in templo Domini obtulit. *De rebus autem suis, aut in præsenti petitione promittat sub iureiurando.* Sub iureiurando, dicit, id est, cū iuramento. Omnis enim homo per superiorem suum iurat. Et ideò dicit, sub iureiurando: quia sub iuratione qua iurat, & sub illo est, per quem iurat, ipse qui iurat. *quia nūquàm per se, nunq̄ per suffectam personā, nec quolibet modo ei aliquandò dent, aut tribuāt occasionē habēdi.* Suffecta persona, dicitur supposita vel subrogata. Suffectus dicitur, in loco alterius suppositus, quasi * suffactus. Vndè & proconsulem dicimus suffectum, qui pro alio substituitur. *Vel certè si hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluerint in eleemosyna monasterio, pro mercede sua, faciant ex rebus, quas dare volunt monasterio, donationem, reseruato sibi, si ità voluerint, vsu fructuum.* Vsum fructuum dicit, quod nos dicimus vsum fructuarium, id est, illas res donent monasterio per testamentum, sibi vsu fructuario reseruato. De quibus rebus soluant omni anno sibi indictum censum. *Atque ità omnia obstruantur,* id est, omnis occasio claudatur, obturetur & abnegetur, vndè puer vlteriùs periclitetur. Nefas est enim, vt qui decipulam huius seculi intendit euadere, reseruet, vndè eum infestatio diabolica valeat irretire. *vt nulla remaneat suspicio puero, per quam deceptus perire possit, quod absit, quod experimento didicimus.* Viderat enim ille tali occasione de monasterio iuuenes foràs exire, & pro terrenis rebus seruitium Dei relinquere, seculumque diligere: & ideò ait, quod experimento didicimus. Quod si & tunc raró fiebat, nunc verò factum nos frequentissimè esse cognoscimus. De hoc enim capitulo quidam monachorum Magister ait: Cùm alicuius nobilis filius propter Dei seruitium in monasterium voluerit conuolare, non priùs suscipiatur, nisi, vt superiùs diximus, omnem à se obedientiam promiserit adimplendam. Deindè conueniant eius parentes, vt eorum quale sit votum, agnoscatur de eo. Quòd si magis fuerint consentientes eius votis parentes, conuocatis eis ab Abbate in monasterium, votum filij conuertentis exquiratur ab eis, vt ab ipsis potiùs videatur deuoueri vel offerri, qui eum genuerunt. Cùm ergò magis responderint parentes gratanter se velle adimplere, quæ cupit, tunc dicat eis Abbas: Ità enim nos considerantes, ô parentes, iustè vobis secundùm Deum pro vestris filijs suademus, vt, si filium vestrum dignè Deo cupitis offerre, à seculo eum priùs exuite. Quòd si aliquid apud vos ei in seculo remanserit conseruandum, habebit aliquandò titillationem diabolici desiderij, sicut canis delectatur redire ad suum vomitum: & posita manu super aratrum, respiciens retrò iam non sit aptus regno cælorum. Relicto quandoquè monasterio, securus de portione sua, ei reseruata à vobis: cupiens in secularem domum vestram reuerti, fratribus suis volens esse cohæres, in suarum redire incipiat sponsus & dominus facultatum, & pristinis delicijs restitutus & pompis, non aliud desiderans quàm nuptias. Ergò, sicut superiùs diximus, si dignè eum vultis Deo offerre, de portione eius tres fiant æqualiter partes. Vna distributa * ab eius manibus, pauperibus vel indigentibus erogetur: aliam vobis vel fratribus suis pergens ille ad comitatum sanctorum, exagilario munus titulo derelinquat: tertiam verò partem in viatici sui vtilitatem deferat secum monasterio, sanctorumque vsibus profuturam. Quòd si vtræque graues vobis sunt vo-

Marginal notes: 1. Reg. 1. — * al. subfactus — 2. Pet. 2. — Lucæ 9. — * al. Abbatia

ces, vt nec Deum audiatis pauperibus erogando, & filij animam redimendo, nec nostrum consilium in partibus diuidendo, & auferendo ab eo secularem substantiam: vel nudum & solum filium * largimini, itá vt iureiurando per sacrosancta Euangelia promittatis ei, vlteriùs eum de vestra patrimonij substantia nihil habere, vt firmiter iam perseuerans in Domino, sciat de hoc seculo nihil sperare, cùm se à vobis & ab eo viderit alienum: tantum est, vt nihil habeat de seculo, quod, viuis vobis aut mortuis, de vestris facultatibus iam speret. Quia cui semèl crucifixus est mundus, denuò ab eo delectari non debet. *Similiter & pauperiores faciant. Qui verò ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant, & cum oblatione offerant filium suum coram testibus.* Quæ traditio filiorum siue nobilium, siue ignobilium, siue diuitum, siue pauperum, cùm agitur, hoc tenore dici insinuetur. Dum legaliter sancitum antiquitùs teneatur & cautum, cum oblationibus Domino parentes suos tradere filios in templo Domini, Domino fideliter seruituros, procul dubio hoc de nostris faciendum filijs nobis salubriter præbetur exemplum. Aequum etenim est, creatori nostro de nobis reddere fructum. idcircò hunc filium nostrum nomine N. cum oblatione in manu atque petitione altaris palla omnia inuoluta, ad nomen sanctorum, quorũ hîc reliquiæ continentur, & Abbatis præsentis, trado coram testibus, regulariter permansurum: itá vt ab hac die iam non liceat illi collum de sub regulæ excutere iugo, sed magis eiusdem regulæ fideliter se cognoscat instituta seruare, & Domino cum cæteris gratanti animo militare. Et vt hæc nostra traditio inconuulsa permaneat, promittimus cum iureiurando corã Domino & angelis eius, quia nunquàm per nos, nunquàm per suffectã personam, nec quolibet modo per rerum nostrarum facultates aliquandò egrediendi ei de monasterio tribuemus occasiones. Et vt hæc petitio firma permaneat, manu nostra eam firmauimus, & testibus roborandam tradidimus.

* al. Deo ligare.

De sacerdotibus, qui volunt in monasterio habitare.

CAP. LX.

SI quis de ordine sacerdotum se suscipi in monasterio rogauerit, non quidem ei citiùs assentiatur. Ideò dicit, non ei citiùs assentiatur, vt eius inquirendo constantia approbetur, & in pulsando perseuerantia cognoscatur, quia scriptum est:

Sacerdotes cur nõ sinicitò ad monasterium admittẽdi.

Quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Matth. 7. Lucæ 11. Vel certè ideò, vt probetur, vtrùm spiritu sancto afflatus, an alio veniat spiritu commotus atque tentatus. *Tamen si omninò persliterit in hac supplicatione, sciat se omnem regulæ disciplinam seruaturum.* Regulæ disciplinam dicit, regularem in omnibus doctrinam, & eruditionis sanctæ præcepta. Disciplina enim, à discendo nomen accepit. Quicquid enim in schola regulari sancta discitur, non incongruè disciplina vocatur. Eruditio enim regularis disciplinæ, in præceptis eiusdem regulæ custodiendis, & in castigationibus & increpationibus, & in varijs iudicijs constat, in quibus qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Matth. 10. & 24. *nec ei aliquid relaxabitur: vt sit, sicut scriptum est: Amice, ad quid venisti?* Matth. 26. Tradere enim Iudas venerat Dominum, & * excusationis causa, falsum illi porrigebat osculum, cui Dominus ait: Amice, ad quid venisti? subauditur, hoc age. Venisti enim me tradere, non osculari. Dimitte ergo osculum falsum dare, & festina magistrum & Dominum tuum tradere. Hoc enim modo dicendum est sacerdotibus, & omnibus in vita regulari degentibus, qui eius in omnibus non curant obedire præceptis. Dicatur enim: Amice, ad quod venisti, hoc age. Venisti enim obedire, non imperare: operari, non ociari: operibus exerceri, non fabulis vacare: humiliari, non superbire. Ergò amice, ad quod venisti, hoc age. Regularia venisti obseruare præcepta, inquantùm vales, Domino adiuuante, obserua illa, vt iustificeris illa obseruando, non pericliteris contemnendo. *Concedatur tamen ei post Abbatem stare, & benedicere, aut Missas tenere, si tamen iusserit Abbas. Sin aliás, nullatenùs aliqua præsumat, sciens se disciplinæ regulari subditum, & magis humilitatis exempla omnibus det.* Sacerdos, qui benè in seculo custoditus, ob amorem Dei, morumque suorum honestatem, vitæque regularis temperamentum, venit ad monasterium, & vt quietus ibi Domino seruiat, & ampliùs ampliusque in virtutibus crescat, & vt pater monachorum in * monasteriũ venit, & sanctitatis exemplum ostendens in virtutibus sanctis cæteros præcellit, huic ritè conceditur, & post Abbatem stare, & benedicere, & Missas tenere. Et hoc non sua temeritate, sed iussus, & ordinante debet agere Abbate. Qui verò peccati pondere pressus, iam in cõspectu Dei à sacerdotali est honore depositus, & vt saluetur, claustra petit monasterij, vt ibi pœnitentiæ subactus, viuat semper humiliatus, non ei talis est locus quærendus, sed sui ordinis humiliter loco debet esse contentus. Vndè & sequitur:

* al. occasionis

* al. monasterio venit.

Et si

Et si fortè ordinationis aut alicuius rei causa fuerit in monasterio, illum locum attēdat, quando ingressus est in monasteriū, non illū, qui ei pro reuerentia sacerdotij concessus est. Quod dicit, si fortè ordinationis, aut quia sacerdos est ordinatus, aut quia ordinationis ministerium, id est, vt aliquid ordinaret, potestatem accepit ab Abbate in monasterio: aut alicuius rei causa, subauditur, fuerit exaltatus in monasterio, illum locum attendat, &c. De hoc capitulo quidam monachorum Magister ait: Sacerdotes si hoc elegerint, vt pro amore Dei, & propter disciplinam, vel mensuram vitæ sanctæ, in monasterijs habitent, in solo nomine patres monasterij nuncupentur, & nihil aliud eis in monasterio liceat, nisi orationes colligere, complere & signare. Aliud verò nihil aut præsumant, aut eis liceat, vel aliquid ordinationis, aut donationis, aut dispensationis vendicent: sed omnem formam licentiæ vel ordinandæ dominationis monasterij Abbas, qui super gregem vniuersum est ordinatus, cum regula iudicet vel defendat. Nam solo honoris nomine ideò statuimus eos Patres monasterij appellari, ꝓpter sanctionem sacerdotij, aut ordinationem. Nam ipsi sacerdotes si victum aut amictum, aut calcearium monasterij vti magis quotidiè eligunt, & operari communiter, secundùm præceptum Apostolicum, memores semper sancti Pauli Apostoli formam ostendentis de se, & dicentis: Non gratis panem vestrum manducauimus. Et item dicit: Laborauimus manibus nostris, nè quem vestrûm grauaremus. Et item ipse dicit: Qui non laborat, non manducet. Ergò quòd si diutissimè ociosi labore manuum suarum quærere victum noluerint, cum reuerentia per multorum religiosorum testimonia * conuicti, ab Abbate ecclesijs reddantur. Si verò, quod absit, non pacificè, sed magis per scandalum exire voluerint, tenti & exuti rebus monasterij clausa regia excludantur: quia magis ipsi agere debent, quod alijs prædicant. *Clericorum autem si quis eodem desiderio monasterio sociari voluerit, loco mediocri collocetur, & ipse tamen si promittat de obseruatione regula, vel propriam stabilitatem.* Et hic illos clericos mediocri iubet collocari loco, qui non peccati pondere pressi, sed amore Dei, & regularis vitæ desiderio, fratribus se sociare voluerint in monasterio. Cæteri verò, vt iam superiùs est de sacerdotibus dictum, ordinis sui vnusquisque humiliter contentus sit loco.

2.Thess.3. Ibidem. Ibidem. *al. conuenti.*

De monachis peregrinis, qualiter suscipiantur.

CAPVT LXI.

SI quis monachus peregrinus de longinquis prouincijs superuenerit, si pro hospite voluerit habitare in monasterio, & contentus est cōsuetudine loci, quam inuenerit, & non superfluitate sua perturbat monasterium, sed simpliciter contentus est, quod inuenerit, suscipiatur, quanto tempore cupit.* Contentus dicit, in cibo, in potu & vestimento, siue in laboribus, vel aliarum rerum cōsuetudinibus monasterij. Si verò in his omnibus superfluitate sua, id est, quærendo vel reprehendendo superfluè, non conturbat monasterium, recipiatur, quanto tempore cupit. Hinc Basilius dicit: Concedi ei quidem conuenit ingressum propter incertos exitus rerum. Interdùm enim potest fieri, vt per tempus proficiat, & delectetur sanctitate vitæ, & permaneat in cœptis, sicut & frequenter factum scimus. Oportet tamen circa eum cautiùs agi & diligentiùs, vt siue in veritate permaneat, vel proficiat, siue institutionum nostrarum libertas exploratur, probabilis inueniatur & pura. Ità nanque & nos Deo placebimus, & ille aut proficiet, si verax est: aut, si simulator est, erubescet. *Si qua sanè rationabiliter, & cum humilitate charitatis reprehendit, aut ostendit, tractet Abbas prudenter, nè fortè propter hoc ipsum eum Dominus direxerit.* Quod dicit, si quid cum humilitate charitatis reprehendit: de seruitio Dei, & obseruationibus regulæ, & custodiendis præceptis Domini, dicit. De quibus omnibus si cum charitate aliquid emendauerit hospes, aut emendare iusserit, libenter audiatur, & quæ emendanda sunt, citiùs emendentur, quia operante Domino, alius frequēter per alium emendatur. *Si verò postea voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas, & maximè, quia tempore hospitalitatis potuit eius vita dignosci.* Quomodò firmet stabilitatem suam, siue in corde tantùm, siue in corde simul & verbo, hic apertè non dicit: sed, vt datur intelligi, sicut ille nouitius promittit de stabilitate sua coram Deo & sanctis eius, vt si aliquandò aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat, quem irridet: ità & iste, quanuis non promittat, quia iam promissum habet, firmet tamen stabilitatem suam corde, similiter & verbo coram Deo & sanctis eius, & idoneis testibus, nè mereatur accipere damnationem pro multa sua & illicita vagatione. *Quòd si superfluus aut vitiosus inuentus fuerit tempore hospitalitatis, non solùm non debet sociari corpori monasterij, verùm dicatur ei etiam honestè, vt discedat, nè eius miseria etiam alij vitiētur.* Superfluus dicitur in cibo, vt superiùs dictum est, & potu, vel cæteris regulæ obseruationibus. Vitiosus verò, dicitur, vitijs plenus, & crebrò in vitij maculam lapsus. Qui enim amat vitiū, frequēter visitat eo, & miser ab illo fact⁹, cōueniēter

 vi-

vitioſus vocatur. Vndè & hìc ſequitur: *nè eius miſeria alij vitientur.* Miſeria enim dicitur, vitijs & peccatis ſordida vita. Quæ ideò vocatur miſera, quia miſeros facit diligentes ſe, ſicut ſcriptum eſt: Peccata nos miſeros fecerunt. *Quòd ſi non fuerit talis, qui mereatur proijci, non ſolùm, ſi petierit, ſuſcipiatur congregationi ſociandus: verùm ſuadeatur etiam, vt ſtet, vt eius exemplo alij erudiantur. Et quia in omni loco vni Domino ſeruitur, vni regi militatur.* Mali enim proijciendi ſunt & expellendi, nè ſocietate eorum vitientur alij. Boni verò ſuſcipiendi, tenendi ſunt atque trahendi, vt ſocietate eorum melíorentur alij. Illi verò proijciendi, vt eorum caueantur vitia: iſti tenendi, vt ab alijs iſtorum imitetur ſancta & honeſta vita. Suaſio verò boni & tenendi hoſpitis, iſta erit: Dicatur ei, Sta, frater, nobiſcum immobilis in hoc monaſterio, vt tuo bono alij erudiantur exemplo. Non enim opùs eſt, Deum in alio quærere loco, qui vbiq; eſt ſemper & totus. Ipſi enim Domino & nos in hoc loco ſeruimus, & ipſi regi militamus. Vnus enim Dominus eſt in omni loco, cui à ſeruis ſuis quotidiè ſeruitur: & vnus rex regum, cui à militibus ſuis ſemper & in omni loco militatur: & ideò non eſt tibi opùs alium quærere locũ, vbì meliùs ſeruias Domino, quia hic benè laborando, Dominoq; bene ſeruiẽdo, cęlorum poteris conquirere regnũ. *quem ſi etiam talem perſpexerit Abbas, licet eu in ſuperiori aliquãtulum loco conſtituere.* Quem ſi talem perſpexerit, dicit: id eſt, talẽ, qui mereatur in ſuperiori loco cõſtitui. Vitam enim ſanctam atque probatam exaltari oportet in monaſterio, non nobilem perſonã: non ſecundùm generoſitatem parentum, vel ſecundùm veſtimentorum cultum, ſed ſecundũ vitæ meritum, honorandus eſt Dei ſeruus. *Non ſolùm autem monachum, ſed etiam de ſupraſcriptis gradibus ſacerdotum, vel clericorum, ſtabilire poteſt Abbas in maiori quàm ingrediuntur loco, ſi eorũ talem perſpexerit vitam eſſe.* Nec ideò iſti ſunt exaltandi, quia ſunt ſacerdotes vel clerici ordinati: ſed quia ſunt vitæ merito probati, & in cõuerſatione ſancta cæteris ſanctiores inuenti. Et ideò nõ eos temeritas Abbatis, ſed exaltat ſanctitas actionis. *Caueat autem Abbas, nè aliquãdò de alio noto monaſterio monachum ad habitandum ſuſcipiat, ſine conſenſu Abbatis eius, aut literis commendatitijs, quia ſcriptũ eſt: Quod tibi non vis fieri, alij nè feceris.* Hinc Patres antiqui dixerunt: Non licebit de alio monaſterio ſine volũtate eius, qui præeſt, Patris, fratres recipere. Non ſolùm recipere, ſed nec videre oportet, dicente Apoſtolo: Quia qui primam fidem irritã fecit, eſt infideli deterior. Quòd ſi precatus fuerit ab eo, qui præeſt, Patre, vt in aliud monaſterium ingrediatur, commendetur ab eo, ei, qui præeſt, vbi eſſe deſiderat, & ſic ſuſcipiatur. Ille verò monachus quantos fratres in alio monaſterio inuenerit, tãtos ſe nouerit habere priores. Sed nec attendendum eſt, quid fuit anteà, ſed probandum qualis eſſe cœperit. Suſceptus verò, ſi habere videtur aliquid, ſiue in rebus, ſiue in codicibus, vltrà ei poſſidere non licebit, vt poſſit eſſe perfectus, qui alibì non potuit eſſe ſenex. Hinc beatus Ferriolus ait: Monachum omninò ſiue clericum alterius loci vel monaſterij, recipi ſub qualibet cauſa nolumus, interdicimus, prohibemus, ꝓſpicientes talia ſtudio charitatis, nè nouum aliquid ſordidè ſcandali ſurgente inducat. Dicit enim ſcriptura: Quidquid tibi non vis, alij nè feceris.

Monachi peregrini, ſi mali ſint, cur expellẽdi: ſi boni, cur retinẽdi.

Tobiæ 4. Matt. 7.

1. Tim. 5.

Tob. 4.

De ſacerdotibus monaſterij.

CAPVT LXII.

SI quis Abbas ſibi presbyterum vel diaconum ordinari petierit, de ſuis eligat, qui dignus ſit ſacerdotio fungi. Confeſſionem omnium ſuorum debet Abbas cognoſcere monachorum, & tũc, quem ex omnibus elegerit eſſe dignum, ordinari ſibi iubeat diaconum vel presbyterum, diligens in eis regularis vitæ meritum & ſapientiæ intellectum. *Ordinatus autem, caueat elationem aut ſuperbiam, nec quicquam præſumat, niſi quod ei ab Abbate præcipitur, ſciens ſe multò magis diſciplinæ regulari ſubditum: nec occaſione ſacerdotij, obliuiſcatur regulæ obedientiam vel diſciplinam, ſed magis ac magis in Deum proficiat.* Scriptũ eſt enim: Quãtò magnus es, humilia te in omnibꝰ, & coram Deo inuenies gratiã. Caueat ergò monachus neceſsè eſt elationis iactantiam, & omnium vitiorũ matrẽ ſuperbiã: quæ ſicut origo eſt omniũ criminũ, ità ruina eſt cunctarum virtutum. Nam ſuperbia ideò omni vitio eſt deterior, quia à ſummis perſonis & primatibus aſſumitur, & de operibus iuſtitiæ atq; virtutibus exoritur. Rectè ergò initium omnis peccati, ſuperbia eſt: quia niſi præceſſerit inobedientia, tranſgreſſionis non ſequitur culpa. *Locum verò illum ſemper intendat, quo ingreſſus eſt monaſterium, præter officium altaris.* id eſt, humilitatem ſemper intendens, locũ ſuum in omnibus regulariter obſeruãs cuſtodiat, & ſic accedat ad pacem, ad communionem, ad pſalmum imponendũ, in choro ſtandũ, & in omnibus omninò locis, pręter officium altaris, i. quãdò altario miniſtrat. Altario enim aſſiſtens, primus ſtat, ſacrificat, & primus pro omnibus orat, etiã ſi vltimus inueniatur in ordine. Et ideò nec locus ibi * cõſtituendꝰ eſt, nec ordo tenẽdus. *& ſi fortè electio congregationis, & voluntas Abbatis pro vitæ merito eum promouere voluerit.* Promoueri, id eſt, honorari,

Abbas ſuorum monachorum confeſſionẽ audire debet.

Eccli. 3.

Superbia omni vitio deterior cur ſit.

Eccli. 10.

* al. cuſtodiendus

vel

vel exaltari, & ab humiliori loco in superiori sublimari. Dignum est enim, cũ apud homines sublimari, qui, * feruens amore [* al. fretus] Dei, consentit præ cæteris humiliari. Monachus enim, qui cautela, & moderatione, pudicitia, fide, humilitate, charitate, obedientia, & omni puritatis synceritate, præ cæteris ornatur, oportet vt præ cæteris honoretur. *qui tamen regulam à Decanis vel Præpositis constitutam sibi, seruare sciat. Quòd si aliter præsumpserit, non sacerdos, sed rebellio iudicetur.* Si enim regulam sibi institutam, benè seruauerit, & dignitate, & nomine sacerdotis honorificabitur: Si autem non seruauerit, nec sacerdos, nec monachus, sed rebellio vocabitur: quia pactum, quod priùs voluntariè & pacificè promisit, posteà superbus & contumax irritum fecit. Rebellio enim dicitur, qui post pacem factam, rursus reiterat bellum. *Et sæpè admonitus si non correxerit, etiam episcopus in testimonium adhibeatur. Quòd si nec sic emendauerit, clarescẽtibus culpis, proijciatur de monasterio: si tamen talis fuerit eius contumacia, vt subdi aut obedire regulæ nolit.* Si enim tam peruersus extiterit, vt nec amore Christi, nec pro reuerentia emendare velit episcopi, omnibus notum factũ vicinis, proijciatur à monasterio clarescẽtibus culpis.

De ordine congregationis.

CAPVT LXIII.

O*Rdines suos in monasterio ità conseruẽt, vt conuersionis tempus, & vitæ meritum discernit, vtq; Abbas constituerit.* Hinc beatus Fructuosus ait: Qui primus in monasterio conuersus fuerit, primus ambulet, primus sedeat, primus eulogiam accipiat, primus communicet in ecclesia, primus loquatur cũ interrogantur fratres pro aliqua quæstione, prior psalmum dicat, in choro primus consistat, hebdomadam prior faciat, manũ in * mensam primus extendat. [* al. mensa] Nec ætas sola inter fratres requirenda, sed conuersatio est, & laboris studijq; propositum. Vndè & hęc discretio senioris est postulanda, vt quem quomodò erga Dei amorem cultumq; feruentem viderit, sic honoret. Non enim generis dignitas, aut rerum opulentia, quã quisque habuit in seculo, vel ætatis grandæuitas exquirenda, sed vitæ rectitudo, & ardentissimæ fidei merita debent esse pensanda. Ille enim potior, qui DEO proximior, iudicandus est. *Qui Abbas non conturbet gregem sibi commissum.* Quomodò conturbet Abbas gregem sibi commissum, sequentia declarant, cùm dicitur: *nec quasi libera vtens potestate, iniustè disponat aliquid.* Iniustè ergò aliquid disponendo, conturbat Abbas gregem sibi commissum. Pro qua re & illum facit esse peiorem, & sibi pro iniusta dispositione multiplicat cumulũ damnationis. Vndè & sequitur: *sed cogitet semper, quia de omnibus iudicijs & operibus suis redditurus est Deo rationem.* Alij autem homines de suis tantùm operibus Domino rationem in iudicio sunt reddituri: Abbates verò, & omnes, qui præsunt alijs, nõ solùm de prauis operibus suis, sed & de iniustis iudicijs rationem reddituri sunt Domino, cùm venerit cum illo in * summo iudicio. [Abbas pro se & sibi commissis Deo rationẽ est redditurus.] [* al. supremo] Valdè enim debet Abbas timere, qui pro cogitationibus suis & operibus, pariterque iudicijs Domino debet reddere rationem. Diligenter autem debet attendere & illud, quod Dominus ait: In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. [Matt. 7. Marci 4. Lucæ 6.] Sed & illud terribiliter debet expauescere, quod scriptum est: Iudicium durissimum in his, qui præsunt, fiet. [Iacobi 2.] Potentes autem, potenter tormenta patientur. [Sapi. 6.] *Ergò secundum ordines, quos constituerit, vel quos habuerint ipsi fratres, sic accedant ad pacem, ad communionem, ad psalmum imponendum, in choro standum. Et in omnibus omninò locis ætas non discernat ordines, nec præiudicet: quia Samuel & Daniel pueri, seniores iudicauerunt.* [1. Reg. 7. Dan. 1[...].] Hinc Isidorus ait: Quicunque autem monasterium primus ingreditur, primus sedet, primus ambulat, primus psalmum dicit, primus in * mensam extendit manum, in ecclesia prior communicat: [* al. mensa] nec ætas inter eos quæritur, sed professio. Quod dicit, Samuel & Daniel pueri presbyteros iudicauerunt: de Heli, & de illis, qui Susannam opprimere voluerunt, intelligitur. Samuel presbyteros iudicauit, quandò filios Heli peccare vidit, & eos in corde suo præuaricatores iudicauit, & cõdemnauit. Heli autem, quia districta animaduersione eos non repressit, & ab iniquitate non compescuit, similiter repræhendit & iudicauit. Daniel quoq; tunc presbyteros iudicauit, quandò illos iniqua cogitatione plenos, qui Susannam voluerunt falso crimine & testimonio cõdemnare, repræhendit, condemnauit, & angelico eos gladio trucidandos esse prædixit. *Ergò exceptis his, quos, vt diximus, altiori consilio Abbas prætulerit, vel degradauerit certis ex causis, reliqui omnes, vt conuertuntur, ità sint: vt, verbi gratia, qui secunda hora diei venerit in monasterium, iuniorem se illius nouerit esse, qui prima hora venit, cuiuslibet ætatis vel dignitatis sit.* Hinc alibi scriptum est: Abbati verò studendum est, vt per ordinẽ, sicut conuersi in monasterio fuerunt, ità in suo ordine constituantur, pręter si vberis conuersatio religionis meruerit, vt anteà promoueatur, vel grauis culpa exegerit, vt retrò regradetur. *Pueris per omnia ab omnibus disciplina seruetur.* Quanto enim fragilio-

liorem in delinquendo videt Abbas ætatem, tantùm debet magis mittere in custodiendo certamen. *Iuniores igitur, priores suos honorent.* Non hic honor exigitur rerũ, sed reuerentia expetitur verborum & morũ. *priores, suos iuniores diligãt.* Dominus enim Ie-
Rom. 8. sus Christus, qui est primogenitus in multis fratribus, dilexit iuniores suos Aposto-
Ioan. 13. los, exemplum dans illis, & dicens: Hoc mandatum do vobis, vt inuicèm vos diligatis, sicut ego dilexi vos. *In ipsa appellatione*
Iuniores quomodò appellandi. *nominum, nulli liceat alium puro nomine appellare, sed priores, iuniores suos fratres nominent: iuniores autem, priores suos Nonnos vocent, quod intelligitur*
Priores quõ vocandi. *paterna reuerentia.* Sicut tunc apud illos paterna exhibebatur reuerẽtia, vt priores vocarentur Nonni: ità nunc apud nos exigitur hodiè, vt ipsa paterna reuerentia priores nostri à nobis vocentur domni. Siue enim Nonni priores nostri, siue vocentur domni, siue iuniores vocentur fratres, omnia bene congruunt: tãtum est, vt nullus fratrũ puro vocetur nomine. *Abbas autem, qui vices Christi videtur agere, domnus & Ab-*
Abbas quõ sit vocandus. *bas vocetur, non sua assumptione, sed honore & amore Christi. Ipse autem cogitet, & sic se exhibeat, vt dignus sit tali honore.* Notandum quia non dixit, Abbas, qui cunctis præest, cũctos præcellit, & super omnes est, ideò domnus vocetur & Abbas: sed ait, quia vices Christi agere creditur, domnus & Abbas vocetur. Ergò Abbas qui rectè inter fratres non agit, hoc nomen indignus recipit, & assumit. Vndè & sequitur, *non sua assumptione, sed honore & amore Christi* Debet enim moribus, lingua, iudicijs & vita, & in omnibus omninò præceptis Domini, viuere sine querela, dicens Domino veraciter: A iu-
Psal. 118. dicijs tuis non declinaui, & sic ob honorẽ & amorem Christi hoc nomine fungi. Priùs rectè debet agere Christi vicẽ, & sic eiusdem sacrosanctum assumere nomen: nè, si fortè indignus, aut temerè illud voluerit assumere, magis sibi cõdemnationem suscipiat, quàm iustificationẽ assumat. Quòd autem dicit, ipse autẽ cogitet: subauditur, de sua salute, & timeat, si prauè vixerit, tali nomine condemnari: si autem rectè vixerit, gaudeat tali nomine iustificari. *Vbicunque autem sibi obuiant fratres, iunior à seniore benedictionem petat. Transeunte maiore, iunior surgat, & det ei locum sedendi: nec præsumat consedere iunior, nisi ei præcipiat senior suus, vt fiat quod scriptũ*
Rom. 12. *est: Honore inuicèm præuenientes.* Hinc & alius Pater monachorum ait: Quandò sibi fratres mutuatim in via, vel in quocunque loco occurrerint, cũ omni humilitate ad in-
* al. capita uicèm flectentes * genua, benedictionem rogent. Et si ex eis vnus senior fuerit, priùs iunior benedictionem postulet: tunc demùm senior prosequatur. In consessu verò fratrum, si alius superuenerit, qui iuniores sunt, ordine assurgant, & seniori locum præbeant. Iuniores verò senioribus nullatenùs superbiendo contradicant, sed cum omni humilitate vel interrogati, vel correpti, respondeant. Si labentẽ in quodlibet delictum iunior seniorẽ adspexerit, non exprobrando, sed magis dolendo, ad confitendum Abbati vel Præposito dirigat. Similiter senior iuniori faciat. *Pueri paruuli, vel adolescentes, in oratorio, vel ad mensas, cum disciplina ordines suos consequantur.* Consequantur, dicit, id est, accipiant, & cum disciplina, & honesto castoque timore ordines suos custodiãt, & ordinatim, vbicunq; fuerint, ambulent, stent, atq; sedeant. Vndè & sequitur: *Foris autem vbi vel vbi custodiam habeant, & disciplinam, vsque dum ad intelligibilem ætatem perueniant.* Sicut iam suprà dictum est, quanto magis viderit Abbas fragiliorem ætatem ad peccandum, tanto ampliùs maiorem illi mittat custodiam ad saluandum.

De ordinando Abbate.
CAPVT LXIIII.

IN Abbatis ordinatione semper illa consideretur ratio, vt hic constituatur, quem omnis concors congregatio secundùm timorem Dei, siue etiam pars quamuis parua congregationis saniori consilio elegerit. Vitæ autem merito & sapientia doctrinæ eligatur, qui ordinandus est, etiam si vltimus fuerit in ordine congregationis. Hinc beatus Fru- Quæ requirantur in Abbate.
ctuosus ait: Abbas autem de proprijs semper cœnobijs monachus eligatur, vir sanctus, discretus, grauis, castus, charus, humilis, mãsuetus & doctus: qui diutinis experimentatus est documẽtis, omnibus præfatis rebus benè fuerit eruditus: qui in abstinentia præcellat, in doctrina refulgeat, exquisitas epulas mensæ lautioris consuetudinemq; cõtemnat, vini nimis perceptionem respuat, cunctis in commune fratribus, vt pater proprius pijssimusque prouideat: quem nec ira subita & immoderata deijciat, nec superbia extollat, nec mœror ac pusillanimitas frangat, nec libido corrumpat: qui & in patientia discretionem, & cum ira exhibeat lenitatem: quique sic egentibus aut pauperibus pareat, vt ministrum se, & non prælatum, tantùm Christi visceribus recognoscat: cuiusque tanta debet esse sermonis & vitæ cõsonantia, vt id, quod docet verbis, confirmet operibus sedulis, & bis acuto præcedẽs gladio, quicquid alijs informat verbo, iugi ipse gerat studio, vt nec sermonem operatio destruat, nec econtrà operationem bonam sermo inconueniens frangat. *Quòd si etiã omnis congregatio vitijs suis (quod quidem absit) consentientem personam pari consilio elegerit, & vitia ipsa aliquatenùs in notitiam Episcopi, ad cuius diœcesim pertinet locus ipse, vel ad Abbates aut Christianos vi-*

cinos

tinos claruerint, prohibeant prauorum praualere consensum, sed domui Dei dignum cõstituant dispensatorem: sciẽtes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud castè & zelo Dei faciant, sicut ediuersò peccatum, si negligant. Ideò iubet vt episcopus, vel Abbates, vel etiam Christiani vicini, vitiosum Abbatem fieri prohibeant, quia in cõgregatione nõ remãsit, qui hoc prohibere debeat. àc si diceret: Si etiam omnes, qui intùs sunt, habere vitiosum Abbatem consentiant, hi, qui foris sunt catholici viri, fortiter resistant, & nõ consentiant eis: nè vitiũ malè ab omnibus nutritum, inolescat in monasterio, & in eo inolito habitatores eius cunctis vicinis veniant in odium, sed meliùs repudiatum ab omnibus vitiũ depereat, & calcatum euanescat: vt & inter monachos virtutes crescant, & vitia depereant, & vicini videntes illorum bona opera, glorificent Deum, qui & illis benè velle concessit, & dignum pastorem atque dispensatorem retribuit. *Ordinatus autem Abbas cogitet semper, quale onus susceperit, & cui redditurus est rationem villicationis suæ.* Qui enim monachos * suscepit ad regendum, non paruum, sed grande onus recipit ad portandum. Vnde illi sudor laboris, non vndè delectatio crescat honoris. Animas enim fratrum cœpit regere, de quibus & Domino rationem villicationis suæ cogetur ponere. Villicationis dicit, id est, dispensationis vel gubernationis suæ. Villicus autem propriè est villæ gubernator, vndè & nomen accepit. Interdũ autẽ non à gubernatione villæ villicus, sed à gubernatione vniuersæ domûs vocatur. *Sciatq́; sibi oportere prodesse magis, quàm præesse.* De eo enim quod ꝓdest Abbas, & sibi proficit & alijs. Sibi enim generat lucrum, & alijs parit profectum: sibi conquirit Domini gratiam, & alijs salutis infundit doctrinam: alios erudit ad iustitiam, & sibi præmia cõquirit æterna. De eo quòd præest dum viuit, sibi semper laborem, & alijs * enutrit timorem: sibi curam superfluam, & alijs laboris generat pœnam: sibi solicitudinem multam, & alijs iniurias irrogat frequenter iniustas. Hæc enim omnia si benè, qui præsunt, discretè & propter Deum egerint, & peccare volentibus, nè peccent, timoris pœnas ingesserint: peccantes verò seuera districtione, iudicioque recto constrinxerint, non modicam apud Deũ gratiam consequentur. Si autem hæc facere neglexerint, sed tantùm, quia sunt Prælati, se extollere voluerint, non solùm à mercedis præmio vacui remanebunt, sed etiam elationis suæ in inferno pœnas lugebunt. Et ideò dixit, sciat sibi oportere prodesse magis, quàm præesse: quia de præesse aliquoties paruum bonum, aliquoties verò grande sibi conquirit malum. De prodesse autem, semper sibi bonũ, & semper præmium conquirit æternum. *Oportet ergò eum doctum esse lege diuina, vt sciat & sit, vnde proferat noua & vetera.* àc si diceret: Sit Abbas doctus lege diuina, quæ ex nouo & veteri testamento constat, & ex illa sciat, & cognoscat fratribus proferre noua & vetera testimonia. Quòd autem dicit, & sit: subintelligitur, sit in eius pectore thesaurus sapientiæ & scientiæ * reconditus. vndè cùm necessè fuerit, possit proferre noua & vetera testimonia. Vel certè ipse Abbas sit doctus & intelligens, peritus, sapiẽs, & tale vas plenum sapientiæ, vndè cùm voluerit, in promptu habeat proferre nouum & vetus testimonium. *Castum, sobrium, misericordem, & semper superexaltet misericordia iudicio, vt idem ipse consequatur.* Scriptum est: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiã consequentur. Et econtrariò, Iudiciũ sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam. Ille verò misericordiam superexaltat iudicio, qui post actum iudiciũ, non districtè punit impium, sed misericorditer parcit ei, & à damnatione debita liberat eum. Hinc & alibì scriptum est: Superexaltat misericordia iudicium: id est, superponitur misericordia iudicio: quia in quo inuentum fuerit, opus misericordiæ, etsi habuerit aliquid fortè in iudicio, * quod puniatur, tãquàm vnda misericordiæ, peccati ignis extinguitur. *Oderit vitia, diligat fratres* In vno enim homine & fraternitatem similiter diligere, & vitia simul, si fuerint, possumus odire. Aliud est enim, quòd frater est: aliud, quòd vitiosus homo est. Diligamus ergò in eo fraternitatem nostram, & odio habeamus vitiositatem suam. Persequamur in eo vitium, & emendatum, vt nosmetipsos, diligamus proximũ. Hinc & B. Gregorius ait: Sic sic nimirùm exhibere proximis nostris odij discretionem debemus, vt in eis & diligamus, quod sunt: & habeamus odio, quod in Dei nobis itinere obsistunt. *In ipsa autem correptione prudenter agat*, i. cautè, temperatè, cum magno moderamine, quod facit, faciat. *& nè quid nimis.* Hæc sententia à Poëtis & Doctoribus, & à multis Catholicis & eruditis viris est iam multis & cõgruis dicta locis, quæ & in bonis, & in malis actibus intelligi potest. In bonis, vt est illud: Non sis nimis iustus, & similia. De malis autem non est nostrũ, dare exemplum: quia & nimis & parùm videri, penitùs à Domino prohibetur. Hîc autem cur à B. Benedicto ponatur hæc sententia, sequentia audiamus: *nè, dum nimis eradere cupit * æruginem, frãgatur vas.* Hîc æruginẽ, pro peccati ponit contagione: vas autem, pro animi fragilitate. àc si dicat: Sic munda animum monachi à delicti cõtagione, nè fractum mergas in desperationem: & quem

Margin notes: * al. recipit — Lucæ 16. — Abbas magìs prodesse debet, quàm præesse. — * al. incutit — Abbatem cur doctum esse oporteat. — * al. absconditus. — Matt. 5. — Iacobi 2. — Ibidèm. — * al. quo — Monachi quõ sint ab Abbate corripiẽdi. — * al. rubiginem.

quem lucrari potes moderatè iudicatum, non perdas asperrimè condemnatum. Vas etenim monachi tunc malè sanum citiùs frangitur, quandò mens eius prò culpa duriter increpata, aut desperatiōe veniæ fortiter conturbatur, aut de fugæ lapsu vel monasterij discessu quotidie meditatur. Quod nè fiat, semper Abbas solicitè, sapienter & cautè prouideat: & quod sequitur, diligenter attendat. Sequitur enim: *Suamq́; fragilitatē semper suspectus sit.* Dum enim suam fragilitatem suspectus attendit Abbas atque considerat, aliorum fragilitatem patienter, discretè & cautè diiudicat. Hinc

Galat. 6. & Apostolus Paulus ait: Fratres, si præoccupat* fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, nè & tu tenteris. ac si diceret: Quia & tu homo es, & potes in aliquo tentari, & adiutorio indigere, & ideò debes sustinere tentatum. Qui enim sub conditione positi infirmitatis sunt, meritò infirmos sustinent.

Esaiæ 42. Sequitur: *meminerit́q; calamum quassatum non esse conterendum,* id est, monachum maculis

*al. confractum, peccatorum * confectum, varijsque vitijs conquassatum, ad desperationis foueam, vel fugæ lapsum, vt prædictum est, nō impellendum. Calamum enim quassatum sine dubio conterit, qui peccatori non salutis, sed perditionis, præbet occasionē. Hinc

Calamum quassatum quis conterat.

In cap. 12. Matth. beatus Hieronymus ait: Qui peccatori nō porrigit manum, nec portat onus fratris sui, iste quassatum calamum confringit. *In quibus nō dicimus, vt permittat nutriri vitia.* Quia enim superiùs iustæ correptioni posuit temperamentum, hîc autem nè crescat vitiorum admonet nutrimentum. Nè, dum, temperatur districtio peccatoris, crescat ac pullulet vitiorum fomes. Vndè & aptè sequitur: *sed prudenter & cum charitate amputet, vt viderit cuique expedire, sicut iam diximus.* Quidquid enim charitatis officio geritur, ad salutis profectum sine dubio venit. Aliter enim vni, & aliter cōuenit ipsa salutis impensio alteri. Et ideò more medici Abbas aliter vnum, aliter, secūdùm quantitatem vel qualitatem delicti, studeat sanare alterum. & in his omnibus sanctis discretisque actionibus, *studeat plus amari, quàm timeri.* id est, plus exerceat in subditis opus amoris, q̄ timoris: & plùs eos paternitatis amore demulceat, quàm tyrannidis suæ pœna deterreat. Vndè & sequitur: *Non sit turbulentus & anxius.* Turbulentus dicitur, commotionis ira turbatus, mœstus, molestus, vel atrox. Anxius verò dicitur, acedia vel anxietate plenus. *non sit nimius & obstinatus.* Nimius dicitur, dilargus, ꝓdigus, vel rerū monasterij nimius & superfluus dispensator. Obstinat* verò dicitur, insuperabilis, obfirmatus, pertinax & obdurat*. *nō sit ze-*

Abbas medici more sibi cōmissos fratres sanare debet.

Ab Abbate quæ abesse debeant.

lotypus & nimis suspiciosus, quia nūquàm requiescit. Zelotypus dicitur, zelo solicitudinis plenus, & suspicionis typo repletus: qui etiā ea, quę nō fiūt, fieri in absentia suspicatur: & ea, q̄ nemo cōmittit, cōmitti in abscōdito pertimescit: & ideò spiritus eius nunq̄ quiescit. *In ipsis aūt imperijs suis sit prouidus & cōsideratus, siue secundùm Deū, siue secundùm seculum *sit. Opera quæ iniungit, discernat & tēperet.* Opera secundū Deum, sunt hæc: Vigiliæ, ieiunia, abstinentia, & his similia. Secundùm seculum autē, sunt opera, quę corpori tantùm exhibentur, nō animę: id est, arare, fodere, metere, & omnia similia corporis opera. Sed in his omnibus tam spiritualibus, quàm corporalibus operibus, discretionis tenenda est temperantia: nè superfluè laborantibus pariter deficiāt corda & corpora, & remaneat tantùm nociua murmuratio sola. *cogitans discretionem sancti Iacob, dicentis: Si greges meos plus in laborando fecero laborare, morientur cuncti vna die.* Hoc in loco per Iacob, rectores: per oues autem, subditi eorum designantur. Qui secundùm eius exemplū, siue in actione spirituali, siue sint in corporali opere occupati, sic eorum in laboribus actio & possibilitas est temperanda, vt nec animi virtus succūbat, nec corporis fortitudo lassescat: sed sic omnis eorum laborum actio tēperetur, vt alacri animo plùs se adhuc cupiant in operibus exerceri, quàm illis sui velint præpositi commendare. Vnde & sequitur: *Has ergò aliaq́; testimonia discretionis matris sumens virtutum, sic omnia temperet, vt & fortes sint, qui cupiant, & infirmi non refugiant.* Sic enim cum discretione, quæ est omnium mater virtutū, monachorum opus est temperandum, vt sit, i. tale opus, & fortes quod cupiant, subauditur, agere vel implere, & infirmi non refugiāt, subauditur, ipsum opus, vel ipsius operis pondus. *Et præcipuè, vt præsentē regulam in omnibus conseruet.* Præcipuè autē & super omnia B. Benedictus iubet Abbatem regulam obseruare, vt, qui est primus in nomine, sit & primus in operatione: & quod ore prædicat, opere cōpleat: & prior in humeris vel in ceruicibus suis portet, quæ portare fratres iubet, vt vtrū sint leuia aut grauia, quę fratribus imponit onera, experimento cognoscat, primatumq́; suū, quem prior ad mēsam tenet, primus ad virtutis parcimoniam indicet, & abstinentiam, quam lingua prædicat, experimento cognoscat: nè fortè subditi tacitis cogitationibus dicant: O quàm pulchrè nobis prædicat abstinentiam plenus venter. Illa ergò de abstinentia prædicatio acceptabilis est, quam ieiuna ora decantant. Et in his omnibus hoc sibi conuenire nouerit Abbas, vt angustū regulæ callem, per quem alios admonet intrare, prior ingrediatur ipse. *vt dū benè ministra-*

Zelotypus quis dicatur.

*al. fint. Quæ opera sint secundùm Deū, & secūdùm seculum.

Gen. 33.

Abbas regulam cur præcipuè iubeatur obseruare.

Matt. 24. *nistrauerit, audiat à Domino, quod seruus bonus, qui erogauit triticum cõseruis suis in tempore suo: Amen dico vobis, ait, super omnia bona sua constituet eum.* Bonus enim minister, i. bonus Abbas à bono Domino, omnium bonorum retributore, audiet, quod seruus ille bonus audire meruit, qui conseruis suis triticum fideliter erogauit. Audiuit enim, Amẽ dico vobis, super omnia sua constituet eum. Hãc desiderabilem amabilemq; vocẽ & bonus Abbas audiet, qui triticum, id est, prædicationis verbum, conseruis suis, id est, fratribus suis, fideliter ministrauerit, & factis ipse impleuerit. Quod autem dicit, super omnia bona constituet eum: intelligitur, super omnia cælestis regni gaudia. Non q ibi isti soli dominum teneant, sed vt eorum abundãtiùs cæteris sanctis æterna possessione fruantur. Qui enim docti fuerint,
Dan. 12. fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt plurimos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Et Apo-
1. Tim. 5. stolus ait: Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habentur, & maximè qui laborant in verbo & in doctrina.

De Præposito monasterij.

CAP. LXV.

S*Aepiùs quidem contingit, vt per ordinationem Præpositi scandala grauia in monasterijs oriantur.* Quod enim sæpiùs iam factum audiuimus, nũc autẽ emendare debemus, & talem sub Abbate eligere debemus personam, quæ curam monasterij nomenq; Præpositi suscipiat, & vt officia sibi iniuncta fideliter impleat, atque custodiat, & nihil temerè per superbiam agat, nè de his sit, quos sequẽtia mõstrant, cùm dicitur: *dum sint aliqui maligno spiritu superbiæ inflati, & æstimantes se secundos esse Abbates, assumentes sibi tyrannidem, scandala nutriunt, & dissensiones in congregatione faciunt.* Tyrannis enĩ dicitur, honor indebitus, & per cordis superbiam acquisitus: quem Præpositus superbè assumit, cùm indebitum sibi Abbatis honorem impendi requirit, & ideò inter fratres nutrit scandala, & dissensiones in monasterijs præparat. *& maximè in illis locis, vbi ab eodem sacerdote, vel ab eis Abbatibus, qui Abbatem ordinant, ab ipsis etiam Præpositus ordinatur.* Mos eorum tunc erat, vt quandò Abbas ordinabatur, tunc ab eodẽ episcopo, & ab alijs corã adstantibus Abbatibus & Præpositus ordinaretur. Sed quia indè superbiæ vitium nascebatur, iam non ab alio hodiè apud nos ordinatur, sed à proprio Abbate Præpositurę illi iniungitur obedientia, vt quandocunq; Abbati visum fuerit, ab ipso ministerio Præpositi mutetur, nè fomes illi superbiæ nascatur. Vnde & sequitur: *Quod q̃ sit absurdũ, facilè aduertitur: quia ab ipso initio ordinationis materia ei datur superbiendi, dum ei suggeritur à cogitationibus suis, exutum eum esse à potestate sui Abbatis, quia ab ipsis est ordinatus, à quibus & Abbas.* Vt hæc mala caueãtur fieri, talem Præpositum oportet eligi, vel ordinari, qui alios ædificare vitæ suæ probetur exemplo, non qui destruat malè viuendo: qui humilitatis præbeat formam, non superbiæ suæ prætendat contumaciam. Quia sicut inferius scribitur, *hinc suscitãtur inuidia,* i. inter Præpositũ & Abbatẽ, dum alter superiorẽ se nõ vult videre alterũ. Nulla est enim virtus, & penè nullum ministerium, quod non habeat contrarium inuidiæ malum. *rixæ, detractiones, æmulationes, dissensiones, exordinationes.* Fiunt enim rixæ, & detractiones, & hæc omnia quæ dicuntur, inter Præpositum & Abbatem, maximè per eorum sequaces. Fiũt dissensiones, quia quod vnus cum suis fieri cõsentit, alius cum suis fieri dissentit. Fiũt exordinationes, quia quod vnus exordinãdo disponit, alius destruit cõtraria ordinãdo. Vndè & fit quod sequitur: *& dum contraria sibi Abbas Præpositusq; sentiunt, & ipsorum necessè est sub hac dissensione animas periclitari, & hi qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem. Cuius periculi malum *illos respicit in capite, qui talibus in ordi-* *al. illis *natione se fecerunt authores.* Heu mihi misero, qui se saluare debuerunt & alios, & se malè viuendo perdunt, & cæteros: & qui ire, aliosq; ad cælorũ debuerunt ducere regnũ, eunt ipsi & sequaces eorum in perditionis foueam, inferniq; barathrum merguntur. Quod autem dicit, cuius periculi malum illos in capite respicit, qui talibus in ordinatione se fecerunt authores: de illis dici videtur, qui sicut Abbatem, ità & Præpositum ordinauerunt, qui vnius monasterij ordinationem, non duobus, sed vni debuerũt imponere: & nè inter duos *nasce- *al. miscerentur rentur periculosa scãdala, soli Abbati cõgregationis suæ debuerũt cõmittere curã. Vnde & sequitur: *Ideoq; nos prævidemus expedire, propter pacis charitatisq; custodiam, in Abbatis* Ordinatio monasterij cur debeat ab Abbate pendere. *pendere arbitrio ordinationem monasterij sui.* Ipse enim per semetipsum debet omnium monachorum suorum necessitatem, tam corporis quàm animæ, prouidere, & subsidia præsentis necessitatis porrigere, & corda subditorum suorum ad laudem creatoris admonendo *sustollere, & eos, quos tar- *al. sustinere, ditate vel segnitie culpabiles repererit, prout culpa vel ætas fuerit, aut increpatione, aut flagello corripere. *Et si potest fieri, per Decanos ordinetur, vt antè disposuimus, omnis vtilitas monasterij, prout Abbas disposuerit, vt dum pluribus cõmittitur, vnus non superbiat.* *In medio enim *al. Nobis enim modò nostri, & Abbas, & Præpositus, & Decani pariter & *similiter & semper sunt neces- *al. simul sarij, vt vnusquisq; in officio sibi commisso, vel ordine conuenienti, humiliter la-

borare non cesset. Nec datur illis regulariter locus superbiēdi, sed imponitur fascis, quo gemendo pergant oppressi. *Quòd si aut locus expetit, aut congregatio petierit rationabiliter cum humilitate, & Abbas iudicauerit expedire, quemcunque elegerit Abbas cum consilio fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi Præpositum. Qui tamen Præpositus illa agat, cum reuerentia, quæ ab Abbate suo ei iniuncta fuerint, nihil cōtra Abbatis voluntatem & ordinationem faciens: quia quātùm prælatus est cæteris, tantū eum oportet solicitiùs obseruare præcepta regulæ.* Et hunc Præpositum, sicut & Abbatem in omnibus beatus Benedictus diligenter iubet regulam obseruare.

*al. Qui Præpositus ad regulæ tenetur obseruationē.

*Quòd si vel superbia vel negligentia vel desidia aliqua ex his prætermiserit, quæ in regula continentur, omnibus condemnationibus, quas regula continet, subiacebit. Vndè & hîc aptè subditur: *Qui Præpositus si repertus fuerit vitiosus, aut elatione deceptus superbia, aut contemptor sanctæ regulæ fuerit comprobatus, admoneatur verbis vsque quater. Si non emendauerit, adhibeatur ei correptio disciplinæ regularis. Quòd si neque sic correxerit, tunc deijciatur de ordine Præpositura, & alius, qui dignus est, in loco eius subrogetur. Quòd si & posteà in congregatione quietus & obediens non fuerit, etiam de monasterio expellatur.* Hactenùs, qualis esse non debeat Præpositus, digestum est: deincèps autē, qualis esse debeat, ex sententijs Patrum demonstrandum est. Præpositus ergò monasterij non ætate senili, sed moribus constituendus est. Multos etenim prolixitas annorum attollit, sed dedecus torpentis vitæ, ad infantiæ immaturitatem tepescēdo reducit.

Præpositus qualis sit constituendus.

Constituendus est ergò Præpositus moribus grauis, sermone solers, ingenio fortis, consideratione vigil, cursu impiger, correptione pius, disciplina moderatus, actu castus, moribus sobrius, dispensatione æquus, humilitate ornatus, patiens, mitis, non turbulentus, nō iracundus, non superbiæ vel arrogantiæ vitio maculatus, non prodigus, non garrulus, in omni actu religionis armatus: qui sciat languentium moribus subuenire, & tepescentium ignauiam excitare, super quem Abbas requiescat, vt in nullo ab eius præceptis deuiet, sed in omnibus subditus, & in iussu senioris detentus, nihil quod Abbatis voluntati sit contrarium, aut faciat, aut ordinet faciendum, sed omnia per omnem eius interrogationem, iuxta illud quod scriptum est: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi. Interrogandum semper est, vt in nullo à seniorum consilio animæ subditæ discrepent. in nullo oues absq; pastoris voluntate debent declinare. Ipse autem Præpositus nihil faciat, nisi quod Pater iusserit, maximè in re noua. Nam quod ex more descendit, seruabit regulas monasterij, ità agens, vt nec Abbati tædium generet, nec fratres intemperantia illius laborent. Hæc obseruabit senior monasterij, qui fratribus præpositus est, referens ad Abbatem omnia, vel præcipuè illa, quę per se non valuerit explicare. *Cogitet tamen Abbas se de omnibus iudicijs suis Deo reddere rationē, nè fortè inuidiæ aut zeli flamma vrat animam.* Non inter laicos debet esse inuidiæ liuor, quantò magìs inter religiosos viros, & monasterij Præpositos. Abbas enim Præpositum, & Præpositus Abbatem, vt frater debet diligere fratrem. Memorari enim debet Abbas, si eum aliqua inuidiæ vel liuoris tangit flamma, nè cum Cain iniquam communicet inuidiam, qui per zeli liuorem Abel fratrem suum iustum occidit. Et per zeli liuorem factus est Esau inimicus fratri suo Iacob: & per zeli liuorem à fratribus suis venditus est Ioseph. Zeli enim liuor quanquàm vnius vitij censeatur nomine, plurimos per diuersa vitia generat ramos. Cūcta enim virtutum germina inuidiæ liuor concremat: cuncta bona ardore pestifero deuorat, sensum comedit, pectus vrit, mentem afficit, & cor hominis quasi quædam pestis depascit. Contra quod vitium præparanda sunt pacis & charitatis arma, in Abbatis & * suorum omnium, seu subditorum anima.

Deut. 32.

Inuidiæ liuor detestandus à viris religiosis.

Gen. 4.

Gen. 27.

Gen. 37.

*al. rectorum.

De ostiarijs monasterij.

CAPVT LXVI.

A*D portam monasterij ponatur senex sapiens, qui sciat accipere responsum & reddere, cuius maturitas eum non sinat vagari.* Notandum quia non dixit, ad portam ponatur senex ætate: sed ait, ponatur senex sapiens: vbì datur intelligi, quia non ætas in portario quærēda est corporis, sed sapientia & intellectus. Hinc nanque per quendam sapientem dicitur: Senectus venerabilis est, nō diuturna, neq; numero annorum computata. Cani autē sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Hinc ad Moysen dicitur: Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nôsti, quòd senes populi sunt. In quibus quid aliud, quàm senectus cordis requiritur? Cùm enim dicit, quos tu nôsti, quòd senes populi sunt: profectò liquet, quia senectus mentis, nō corporis, eligenda requiritur. *Qui portarius cellam debet habere iuxta portam, vt venientes semper præsentem inueniant, à quo responsum accipiant.* Hinc & alij antiqui monachorum Patres dixerunt: Ostiario cura sit, vt omnes venientes, intra ianuas recipiat, dans eis responsum * honestè, cum humilitate & reuerentia, nuncians Abbati vel senioribus, quis venerit, & quid petierit. Si quid verò

Ostiarius qualis ad portam cōstituendus.

Sap. 4.

Num. 11.

* al. honestum.

rò cuicunq; de fratribus missum vel mandatum fueri, * non ad ipsum perueniat priùs, quàm Abbati vel senioribus indicetur. *& mox vt aliquis pulsauerit, vel pauper clamauerit, Deo gratias respondeat, aut benedicat.* Eleganter hic duas venientium beatus posuit Benedictus personas: vnam potentis, qui si ianuam monasterij inuenerit clausam, manu vel fuste pulset eam: aliam verò pauperis posuit personam, qui nō pulsat, sed tantùm humiliter ad ianuam clamat. Quibus & satis apta à portario respōdenda composuit responsa: videlicet, vt voce pauperis audita, Deo gratias agat: Potenti verò occurrens obuiam, humiliter ab eo benedictionem petat. *& cum omni mansuetudine timoris Dei reddat responsum festinanter, cum feruore charitatis.* Hinc & alius quidam monachorum Magister ait: Portarij monasterij tales debent esse, qui omnium simul mercedem ædificent, ætate senili, quibus mūdus si qui iam ex præsentibus pompis nihil desiderent, sed in toto cordis affectu creatori inhærentes, dicant singuli: Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Tale semper superuenientibus ostendant exemplum, vt & foris ab extraneis nomen Domini glorificetur, iuxta quod Dominus ait: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. & intùs cum sodalibus suis mercedis præparent lucra, dum omnium vice foris gerunt curam. Sic cauti moribus cum virtutum magistra humilitate existāt, vt omnis patientię blandimenta ex colloquio affabili ostendant. Pauperum peregrinorum & hospitum curam inter omnia habentes, quia in his CHRISTVS suscipitur, sicut ipse ait: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Foris aliquid dare, vel cuilibet ministrare, vel a foris aliquid accipere, nullatenùs sine commeatu Abbatis facere præsumant. A signo vespertino vsque ad secundam impletam nullatenùs portarum fores aperiantur, neque a foris introitus patefiat, sed si necessitas aduenerit, per fenestram totum deliberetur. *Qui portarius si indiget solatio, iuniorem fratrem accipiat.* Hinc & alius Pater ait: Duobus fratribus cella intra regias monasterij constituatur, qui & claudāt monasterium post exeuntes, & aperiant intrantibus, & aduenientes nuncient Abbati. Vasa vel reliqua vtensilia, quæ ad hospitum vsus baiulant, ac si sacrata Deo custodiant: nè per ipsorum neglectum ab ipso mercedem non recipiant, cuius res diripiendo non seruant. *Monasterium autem, si possit fieri, ità debet constitui, vt omnia necessaria, id est, aqua, molendinum, pistrinum, hortus, vel artes diuersæ, intra monasteriū exerceantur, vt non sit necessitas monachis vagandi foràs, quia omninò non expedit animabus eorum.* Hinc & alius monachorum Pater ait: Omnia necessaria intùs intra regias esse oportet, id est, furnos, machinas, refrigerium, hortos, vel omnia necessaria, vt non sit opùs frequenter foràs egredi fratres. Cùm ergò hæc omnia intùs fuerint constituta, clausa sit semper monasterij regia, quæ a foris cercellum habeat ferreum, quo à veniente concusso, cuiuslibet intùs indicetur aduentus. Ars autem pistoria ad laicos pertinebit. Ipsi enim triticum purgent, ipsi ex more molant, massam tantundem monachi conficiant, & panem sibi proprijs manibus faciant. *Hanc autem regulam sæpiùs volumus in congregatione legi, nè quis fratrum se de ignorantia excuset.* Hinc beatus Augustinus ait: Vt autem vos in hoc libello, tanquàm in speculo possitis inspicere, nè per obliuionem aliquid negligatis, semèl in septimana vobis legatur. Et vbi vos inueneritis ea, quæ scripta sunt, facientes, agite gratias Domino, bonorum omnium largitori. Vbi autem sibi quicunque vestrûm videt aliquid deesse, doleat de præterito, caueat de futuro, orans vt sibi & debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Hinc & Aurelius Episcopus ait: Nè per obliuionem aliquid negligatis, semèl ea in triginta diebus relegite, id est, in Calendis. Nos autem regulam nostram non solùm semèl in Calendis vel in hebdomada, sed etiam quotidiè in collatione legimus, vt eius præcepta cognoscere, & ad purum intelligere valeamus, & eam intelligentes, vel secundùm possibilitatem memoria retinentes, adiuuante CHRISTO, implere operibus valeamus.

Marginalia: *al. nihil — Psal. 72. — Matth. 5. — Matth. 25. — Monasteriū quò cōstitui debeat. — In Reg. ca. 45. — Regula cur sæpiùs sit legenda.

De fratribus in viam directis.

CAPVT LXVII.

D*Irigendi fratres in * viam, omniū fratrum vel Abbatis se orationibus commēdent.* His verò fratribus in viam dirigendis, & ante altare prostratis, & ab omnibus orationem poscentibus, dicat sacerdos hos versus, ipso tamē incipiente, & alijs respondentibus: Saluos fac seruos tuos, Deus meus, sperantes in te. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea. Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, & lumen semitis meis. Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiat te in omnibus vijs tuis. His peractis, hanc sacerdos orationis dicat collectam: Angelus Domini bonus comitetur vobiscum, vt peracto obedientiæ cursu, ad nos iternm reuertamini

Marginalia: *al. via — Psal. 16. — Psal. 118. — Psal. 90.

cum gaudio, Per Christum. Sed nè frater in via dirigatur solus, sententia Patrum nos docet, quæ dicit: Ad necessaria quærenda bini egrediantur, vel terni fratres, & tales, quibus creditur, non qui verbositatem aut gulam sectentur. *& semper ad orationem vltimam operis Dei, commemoratio omnium absentium fiat.* Hoc in loco priusquàm quinquagesim⁹ inchoetur psalmus, à sacerdote dicatur: Oremus pro fratribus nostris absentibus: Fratribus respondentibus, Saluos fac seruos tuos, Deus meus, sperantes in te: prosequatur sacerdos, & dicat: Mitte eis, Domine, auxilium de sancto: Fratresque respondeant, Et de Sion tuere eos. Item sacerdos dicat: Domine, exaudi orationem meam. Respondeant fratres: Et clamor meus ad te veniat.

* al. vnus

Et tunc subsequatur * quiquagesimus psalmus, ab omnibus decantandus. *Reuertentes autem de via fratres, ipse die, quo redeunt, per omnes canonicas horas, dum expletur opus Dei, prostrati sole oratorij, ab omnibus petant orationem propter excessus, nè quid fortè subripuerit in via, aut auditus malæ rei, aut ociosi sermonis.* Propter excessus, dicit, id est, propter transgressionis lapsum. Sed pro quibus excessibus dicat, ipse exponit, dicens: *nè fortè subripuerit in via visus aut auditus malæ rei, aut ociosi sermonis.* Cuius malæ rei dicat, propheta loquente

Esaiæ 33.

intellige. Ait enim: Qui excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas nè audiat sanguinem, & claudit oculos suos nè videat malum, iste in excelsis habitabit. Reuertentibus autem de via, & oratorij solo prostratis, orationemque petentibus, hanc eis collectam sacerdos dicat: Quæsumus, omnipotens Deus, vt his famulis tuis, quos ad nos incolumes de via redire fecisti, quicquid illic impediente fragilitate deliquerunt, tu propitiatus dimittas, Per Christum. Hinc & Isidorus ait: Quandò fratres foràs proficiscuntur aut redeunt, congregatis omnibus in vnum in ecclesia, benedictionem accipiant. *Nec præsumat quisquam referre alijs, quodcunque * foris monasterij viderit, aut audierit: quia plurima destructio est. Quod si præsumpserit, vindictæ regulari subiaceat.* Hinc beatus Pachomius ait: Quandò fratres reuersi fuerint in monasterium, non audebunt alijs, quicquid foris gesserint, aut audierint, narrare. Hinc & alius Pater ait: Fabulis, quas à secularibus, vel à quibuslibet audierint, nullatenùs aurem accommodent: & si nolentes audierint vel intellexerint, nullatenùs con sodalibus suis referant. Quòd si horum aliquid, quæ diximus, transgressi fuerint, regulari pœnitentia castigentur. Quòd si humili satisfactione pateriant, prout humilitas conitentis cernitur, ità delinquentis culpa iudicetur. Si verò contumaciæ crimen incurrit, & modum pœnitentiæ augebit. *Similiter & qui præsumpserit claustra monasterij egredi, vel quocunque ire, vel quippiam, quamuis paruum, sine iussione Abbatis facere.* Hinc beatus Pachomius ait: Nullus neque exeundi in agrum, neque ambulandi in monasterio, neque extra murum monasterij procedendi, habeat facultatem, nisi interrogauerit Præpositum domûs, & ille consenserit. Hinc & Cassianus ait: Tanta obedientia regulæ debet iunior imbui, vt absque senioris sui permissu, non solùm de cella exire, sed nec naturali necessitati satisfacere, sua authoritate præsumat: nec illa etiam, quæ vtilia sunt, id est, aut cellam mundare, aut aquam deferre, aut si quid aliquid oportunum est, sine conscientia & ordinatione sui * Abbatis vsurpet. Meditantibus etiam fratribus nulli liceat se rebus alijs implicare, nec liberum iudicet ab schola discedere. Qui verò in hanc præsumptionem proruperit, excommunicationi dignus subiacebit. Si verò pro vtilitatibus monasterij missus ire noluerit, aut certè ambulans murmurauerit, vel cum aliqua tarditate exire voluerit, si placuerit Abbati, iam non mittatur, & statum excommunicationis pœnam suscipiat, & sciat se acceptum superbiam, & præceptioni repugnare diuinæ.

* al. foràs monaste. rio

Foràs audita non sunt in monasterio fratribus referenda.

lib. 4. instit. mon. ca. 10.

* al. senioris

Si fratri impossibilia iniunguntur.

CAP. LXVIII.

S*I cui fratri aliqua fortè grauia aut impossibilia iniunguntur, suscipiat quidē iubentis imperium cum omni mansuetudine & obedientia. Quòd si omninò virium suarum mensuram viderit pondus * operis excedere, impossibilitatis suæ causas ei, qui sibi præest, patienter & opportunè suggerat.* Cum omni mansuetudine, dicit: id est, cum omni modestia & lenitate. Mansuetus enim est, qui nulli iniuriam irrogat. Dictus est autem mansuetus, quasi manu assuetus. Talis enim debet esse monachus, non contumax, aut superbus. Vndè & sequitur: *non superbiende, aut resistendo, vel contradicendo.* Superbiendo enim magistro resistit, qui verbis imperijsque eius despiciendo contradicit. Resistendo contendit, qui ea, quæ implere iubentur, in facie renuit. Contradicendo repugnat, qui à se ea, quæ fieri iubentur, non fieri aperta voce reclamat. Quod facere * monachum prohibetur, cùm subditur: *Quòd si post suggestionem suam in sua sententia prioris imperium perdurauerit, sciat iunior ità sibi expedire, & ex charitate confidens de adiutorio Dei, obediat.* Hinc Basilius ait: Omne quod iniunctum fuerit

* al. oneris

Mansuetus quis, & vndè dicatur.

* al. monacho

fuerit tibi, religionis gratia libēter obtempera: etiamsi supra vires tuas fuerit, nè sperne illud, sed causam impossibilitatis tuæ ei, qui tibi iniungit, fideliter enarra, vt eius quidē moderamine, quod tibi onerosum fuerit, subleuetur, & cōtradictionis vitio carere possis. Qui enim fideliter, & purè Deum diligit, & certus est de retributione Domini, nec sufficere sibi putat *, quæ ei iniunguntur, sed semper augmenta operis quærit, & maiora, quàm iniunguntur, desiderat & exoptat, etiamsi supra vires videatur esse, quod facit. Hinc Cassianus dicit: Illa est vera obedientia, quæ, quanuis aliquid difficile ei imperetur, nihil tamen discutiens, sine aliqua hæsitatione perficere nititur, nihil de impossibilitate murmurans, sed plena fide atque deuotione, quicquid dictum fuerit, non tanquàm ab homine, sed tanquàm à Deo sibi suscipit imperatum. Ità enim omnibus virtutibus præferri debet obedientia, vt huic omnia postponantur, & vniuersa dispendia monachus subire contentus sit, dummodò hoc bonum in nullo violare videatur.

* al. ea, quæ iniunguntur.

Obedientia omnibus virtutibus præferēda.

Vt in monasterio non præsumat alter alterum defendere.

CAP. LXIX.

*Præcauendum est, nè quauis occasione præsumat alter alterum defendere monachum in monasterio, aut * quasi tueri.* Tueri, dicitur sustinere, opem ferre vel * præsidium. Hinc & terribiliter Basilius ait: Qui consentit peccantibus, & defendit talium delinquentem, maledictus erit apud Deum & homines, & corripietur increpatione seuerissima. Hinc & beatus Papa Gregorius dicit: Peccatores in quo sibi sunt conscij, in eo & alium peccantem defendunt. Sibi enim quisque timet, cùm alium videt corripi, ideò contra verba corripientium vnanimiter surgunt. Hinc Salomon ait: Stuppa collecta, synagoga peccantium. Sequitur: *etiamsi qualibet consanguinitatis propinquitate iungantur. Nec quolibet modo id à monachis præsumatur: quia exindè grauissima occasio scandalorum oriri potest. Quòd si quis hæc transgressus fuerit, acriùs coërceatur.* Hinc & alius Pater ait: Si quis errori alterius consenserit, & illi consilium dederit, vt se tardiùs humiliet, sciat se cum illo, simili modo iudicandum culpabilem. Hinc & beatus Columbanus ait: Defendere proximum vel consanguineum in monasterio, nullo modo permittimus. Vt quid enim alium defendat, qui iam sibi non viuit, sed Christo, quem imitatus, manet crucifixus? Qui ergò proprias perdidit voluntates, vt CHRISTI in se voluntatem impleret, cur aliorum delicta defendat? Sit ergò ei æquus amor, tam in consanguineo, quàm in cætero fratre, qui ei sanguinis affinitate non iungitur: Nec quenquam sub disciplinæ moderamine positum tueri studeat, nè vitium defendendo in alijs dimittat. Qui enim timet Dominum, si viderit fratrem suum errare, quæ sancta sunt, debet ei demonstrare, & rectum iter ostendere: vt cum timore Dei incedens, illam Salomonis impleat sententiam, quæ dicit: Libera eos, qui ducuntur ad mortem, & de interitu liberare non cesses. Prouer. 24.

* al. præsidio esse.

lib. 33. Mor. cap. 5.

Eccli. 21.

Vt non præsumat passìm quisquam alium cædere in monasterio, vel excommunicare.

CAP. LXX.

Passim, dicitur inordinatè, incongruè, & sine rationis modo. *Vetetur in monasterio omnis præsumptionis occasio. Ordinamus atque constituimus, vt nulli liceat quenquam fratrum suorum excommunicare aut cædere, nisi cui potestas ab Abbate fuerit data.* Nō enim secundùm commotionem, vel animositatem cordis, debet frater in fratrē manus ad percutiendum extēdere, sed studio charitatis castigare eum humiliter debet atque corrigere. Hinc & beatus * Aurelius ait: Frater in fratrem si ausus fuerit mittere manum, legitimam disciplinā accipiat. *Peccantes autem, coram omnibus arguantur, vt cæteri metum habeant.* Et in Deuteronomio scriptum est: Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, nè habeas super illo peccatū. Hinc & beatus Augustinus ait: Non est contrarius Apostolus Domino, qui dicit: Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeāt, cùm ille dicat: Corripe eū inter te & ipsum solum. Vtrunq; enim faciendum est, sicut infirmitatis diuersitas admonet eorū, quos vtiquè non perdendos, sed corrigēdos curandosq; suscepimus, & alius sic, alius autem sic sanandus est. *Infantū verò vsq; ad quindecim annorum ætatem disciplinæ diligentia ab omnibus & custodia sit: sed & hoc cum omni mensura & ratione.* Hinc & quidam monachorum Magister ait: Infantulos verò vsq; ad quintū decimum annū nō excōmunicari, sed præcipimus vapulare pro culpis: post quindecim verò annos iam non vapulare, sed excōmunicari cōdecet, quia iam intelligunt quomodò pœnitere & emendare debeant. *Nam in forti ori ætate qui præsumit aliquatenùs sine præcepto Abbatis, vel in ipsis infantibus sine discretione exarserit, disciplinæ regulari subiaceat.*

* al. Aurelius ait.

1. Timo. 5.

Leuit. 19.

Simile quid habet Ser. 5. de verb. Domini.

Matth. 18.

Hinc

Hinc Ferriolus ait: Monachus in monachum inflammatus, quod est turpissimũ, manus inijcere non præsumat propter illos, ad quos pertinet correctionis vel nôsse modum, vel tenere iudiciũ: nè vno peccante, cæteris crescat audacia præsumendi.

Tob. 4.

Sequitur: *Quia scriptum est: Quod tibi non vis fieri, alteri nè feceris.* Nemo enim à quoquam sibi vult noceri, nec ipse ergò cuiquam debet nocere, sed potiùs inter vtrosq; debet fraterna charitas crescere, & ad eos, quos aliquis increpat, talem debet affectum seruare, qualem pater ad filium, & medicus ad ægrotum.

Vt obedientes sint sibi inuicèm fratres.

CAP. LXXI.

O*Bedientiæ bonum non solùm Abbati exhibendum est ab omnibus, sed etiam sibi inuicèm ità obediant fratres, scientes per hanc obedientiæ viam se ituros ad Deũ.* Hinc & alij Patres dixerunt: Virtus obedientiæ expetẽda est, & secundùm vires vniuscuiusque exercenda, & ad primum verbum senioris omnes, qui audierint, ex fratribus assurgere oportet. Et qui non surrexerit, veniam petat, & pœniteat, quantũ iudicauerit senior, & adimpleat quod iussum est. *Præmisso ergò Abbatis aut Præpositorũ, qui ab eo constituuntur, imperio.* Præmisso, dicit, antepósito, antè imperato, ordinato vel mandato. *cui nõ permittimus priuata imperia præponi.* Priuata dicit, id est, sigillata vel propria, & communia singulorum. Quæ imperia singulorum priuata, dimittẽda sunt propter Abbatis vel Præpositorum imperia, non super illorum imperium agenda. *de cæterò omnes iuniores prioribus suis cũ omni charitate vel solicitudine obediant. Quòd si quis contentiosus reperitur, corripiatur.* Licèt durum videatur, obedientia vsque ad mortem facienda est, secundùm exemplum Domini, obedientis patri vsque ad mortem: & vnũquenque oportet fratri suo seruire, sicut Abbati proprio vel patri, sicut Apostolus dicit: Seruite inuicèm in timore Christi. *Si quis autem frater pro quauis minima causa ab Abbate, vel à quocunque seniore vel priore suo corripitur qualibet modo, vel si leuiter senserit animũ prioris cuiuscunq; contra se iratum, vel cõmotum quamuis modicè, mox sine mora tam diù prostratus in terra ante pedes eius iaceat satisfaciens, vsque dum benedictione sanetur illa commotio.* Hinc beatus Basilius ait: Eo affectu obedire oportet ei, qui nos ad opus mandati cohortatur, quo esuriens paruulus nutrici obtẽperat ad vbera * inuitanti, vel quo affectu omnis homo suscipit ab aliquo ea, quæ ad vitã pertinẽt. immò & si quid amplius, pro eo, quòd est multò preciosior futura vita quàm præsens, sicut & Dominus dixit, quia mãdata mea vita æterna sunt. *Quod si qui contempserit, aut corporali vindictæ subiaceat, aut, si contumax fuerit, de monasterio expellatur.* Hinc alibi scriptum est: Ad primum verbum discussionis senioris siue * æquinomi, siue alicuius fratris, venia petenda est, & tam diù in terra prostratus iaceat, donèc senior discussionem consummauerit. Si autem senior discussionẽ reiterauerit, & ipse veniam reiterare debet. Si quis tardior ad veniam inuentus fuerit, siue aliqua verba religioni cõtraria, siue pro excusatione sui delicti protulerit, mittendus est in carcerem, & pœniteat secundùm quod iudicauerit senior, vsque quò corrigatur. Si autem obstinatus inuenitur, separandus est à fratribus.

Philip. 2.

Galat. 5.

* al. imperanti.

Ioan. 12.

* fortè œconomi.

De zelo bono, quem debent monachi habere.

CAP. LXXII.

S*Icut est zelus amaritudinis malus, qui separat à Deo, & ducit ad infernum: ità est zelus bonus, qui separat à vitijs, & ducit ad Deum, & ad vitam æternam.* Zelus amaritudinis malus, qui separat à Deo, & ducit ad infernum, sine dubio de inuidia & odio * nascitur fraterno. De hoc etẽm zelo & beatus Cyprianus ait: Zelare & inuidere alterius bono, non est paruum, sed grande & magnum malum. Salomõ quoquè ait: Zelus & iracundia minuunt dies. Sine dubio enim non paruum, sed grande est malum, quod hominem separat à Deo, & subdit diabolo: separat à patre, & ducit ad deceptorem: separat à vita, & ducit ad mortẽ: separat à gloria, & ducit ad pœnam. Hoc enim inuidiæ zelo percussus Cain, occidit Abel fratrem suum. Hoc zelo perculsi filij Iacob, fratrem suum Ioseph vendiderunt. Hoc zelo perculsi Pharisæi & scribæ, morti Dominum tradiderunt per fraudulentum osculum Iudę. Hunc ergò amaritudinis zelum, Dei non oportet habere seruũ, sed potiùs illum, qui separat à diabolo, & ducit ad Christum: qui separat à morte, & ducit ad vitam: qui separat à vitijs, & ducit ad virtutes: qui separat à tormentis, & ducit ad regnum cælorum. Iste enim zelus de amore nascitur virtutum, non de odio fraterno: de charitatis fonte, non de odij fomite. Iste enim zelus animæ salutem tribuit, fidem retinet, & omnem rectitudinẽ diligit. Hunc zelum Dominus exercuit, quandò vendentes & ementes de tẽplo flagellatos eliminauit. Nam & Phinees pro zelo rectitudinis principatum & honorem accipere meruit sacerdotis. *Hunc ergo zelum feruentissimo amore exerceant monachi, id est, vt bo-*

Iacob. 3. Psal. 68.

Zelus amaritudinis grande malum est.

* al. procedit

De zelo & liuore.

Eccli. 10.

Gene. 4.

Gene. 37.

Matth. 26.

Zelus bonus quæ bona tribuat homini.

Marc. 11. Lucæ 19. Ioan. 2. Num. 25. 1. Mach. 2.

nore

more se inuicèm præueniant. Hinc & Apo-
Roma. 12. stolus ait: Charitatem fraternitatis inui-
cèm diligentes, honore inuicèm præueni-
entes, spiritu feruentes, Domino seruien-
tes. Tunc enim spiritu feruemus, si seculo
frigidi simus. Et quia frigidos Dominus
* al. in tepidis non amat, & * tepidos nauseatur: vult
nos, qui sub lege spiritu viuimus, nihil re-
missum, nihil in nobis habere tepidum,
sed cum seruore spiritûs, & calore charita-
* al. peragere. tis & fidei cuncta * peragamus. Vnde &
aptè sequitur: *Infirmitates suas, siue corporum,
siue morum, patientissimè tolerent.* Hæc ille vera-
citer implet, qui charitatem in se veraciter
1. Cor. 13. habet. De qua scriptum est: Charitas pati-
Galat. 6. ens est. Hinc & Apostolus ait: Inuicèm
onera vestra portate, & sic adimplebitis le-
gem Christi, id est, charitatem. *obedientiam
1. Reg. 15. sibi certatim impendant.* Scriptum est enim: Me-
lior est obedientia quàm victima. Et Apo-
stolus ait: Obedientes inuicèm in vinculo
pacis. *Nullus, quod sibi vtile iudicat, sequatur, sed
1. Cor. 13. quod magis alijs.* Hinc Apostolus ait: Chari-
tas non quærit, quæ sua sunt, id est, non
cogitat tantùm, quod sibi vtile est, sed
quod alijs vtiliter seruiendo ministret.
charitatem fraternitatis castè impendant amore.
Charitas enim non est duplex, nec alicui
Ibidem. inuidet, sicut scriptum est: Charitas non
æmulatur, non agit perperàm, id est, per-
uersè, quia omnia secundùm ordinem fa-
cit, & omnia vitia foràs penitùs excludit,
& alterius felicitatem quasi suam liben-
ter amplectitur. Vndè & aptè sequitur:
*Deum timeãt, Abbatem suum syncera & humili cha-
ritate diligant.* Scriptum est enim: Qui De-
um timet, nihil negligit. Et quia verè De-
um timet, ideò Abbatem suum syncera &
humili charitate diligit. Syncera & hu-
milis charitas est, quam nos Dominus ha-
Ioan. 15. bere præcipit, dicens: Hoc est præceptum
meum, vt diligatis inuicèm, sicut dilexi
1. Ioan. 4. vos. Ad hoc enim nos diligere debemus, vt
habeamus Deum, & maneamus in Deo. Et
* al. quia facit hæc dilectio est, * qua fit Deus omnia in
omnibus, & qua nos alterutrùm diligere
debemus. *Christo omninò nihil præponat, qui nos
pariter ad vitam æternam perducat.* Cùm ergò
Dei amori nihil præponendũ. Christo nihil præponere debeamus, quæ
consequenter dicuntur, attonitis auribus
audiamus. Ait enim: Qui nos pariter ad
vitam æternam perducat. Nullus enim nos
alius ad æternam perducere vitam, nullus
ad æternum, nisi ipse tantùm, valet perdu-
cere regnum. Ipse enim, secundùm Psal-
Psal. 94. mistam, Ipse est Dominus Deus noster,
nos autem populus eius, & oues pascuæ
1. Pet. 1. eius. Ipse enim cùm sit omnipotens, non
aliud dedit precium, sed morti solum pro
nobis tradidit semetipsum. Ipse nos mise-
Gala. 4. ricorditer in filios adoptauit, & vt cohæ-
Ephe. 1. redibus, cælorum regna promisit. Et ideò
illi, vtpotè Deo nostro, nihil præponere,
nec debemus in rerũ natura, rerum omni-
um creatori aliquid coæquare.

De hoc, quòd non omnis obseruatio iustitiæ in hac regula sit constituta.

CAP. LXXIII.

R*Egulam autem hanc descripsimus, vt hanc obseruantes in monasterijs, aliquatenùs vel honestatem morum, vel initium conuersationis nos demonstremus habere.* Tanto enim huius regulæ faciliùs obseruare debemus instituta, quanto in ea conuersationis leuiorem inesse descriptam cernimus formam. Nam qui ista obseruare negligit minima, non potest recto tramite conscendere ad maiora, quæ illi perfectam valeant componere vitam. Nam sequitur: *Cæterùm ad perfectionem conuersationis qui festinat, sunt doctrinæ sanctorum Patrum, quarum obseruatio perducat hominem ad celsitudinem perfectionis.* Et Eliæ enim, & aliorũ 4. Reg. 1.
illius temporis vita, doctrina, & actio prophetarum, nihil sunt aliud, nisi exemplar & norma istius temporis monachorum.
Nam & in nouo testamento, Iohannis & Matth. 3.
omnium Apostolorũ, norma sunt omni- Matth. 19.
um rectè viuentium monachorum. Vndè & sequitur: *Quæ enim pagina, aut quis sermo diuinæ authoritatis veteris ac noui Testamenti, non est rectissima norma vitæ humanæ? Aut quis liber sanctorum catholicorum Patrum hoc non resonat, vt recto cursu perueniamus ad creatorem nostrum? Necnon & collationes Patrũ, & instituta, & vita eorum, sed & regula beati Basilij patris nostri, quid aliud sunt, nisi benè viuentium, & obediẽtium monachorum instrumenta virtutum?* Hinc beatus Isidorus ait: Plura sunt præcepta vel instituta monachorum, quæ à sanctis Patribus sparsim prolata reperiuntur, quæque etiam nonnulli ad altius vel obscurius posteritati cõposite tradiderũt. Quisquis ergò vestrûm illam vniuersam veterum disciplinam contendit appetere, pergat, inquãtùm placet, & ad arduum illum limitem atque angustum leuigato cursu incedat. Qui verò tanta iussa priorum explere nequiuerit, in huius liminis disciplinam gressum ponat, néve vltrà declinandum studeat: nè, dum delicatiùs appetit inferiora, tam vitam, quàm nomen monachi perdat. Quapro-
ter sicut illa præcepta * priora perfectum * al. priorũ
reddunt ac summum, ità facient ista vel vltimum. Illa custodiũt perfecti, ista sequantur post peccatum conuersi. Hæc igitur, ô serui Dei, milites Christi, contemptores mundi, ità volumus custodiri, vt maiora præcepta Patrum per omnia conseruetis. Plenitudo autem sanctæ conuersationis,

& spiritalis atque perfecta doctrina in eorum sanctorũ Patrum regulis nobis quotidiè recitatur, quorum & probata vita diuino munere, & docendi est attributa authoritas. *Nobis autem desidiosis, & malè viuentibus, atque negligentibus, rubor confusionis est.* Cùm enim priorum sanctorum vitam tantis audimus pollere virtutibus, confusionis verecundia ruboreque * confundimur, quia ad illorum perfectionem venire minimè valemus. Sed nobis * confidentiæ audaciam tribuant verba, quæ sequuntur: *Quisquis ergò ad patriam cælestem festinas, hanc minimam inchoationis regulam descriptam, adiuuante Christo, perfice: & tunc demùm ad maiora, quæ suprà commemorauimus, doctrinæ virtutumq́; culmina, Deo protegente, peruenies. Amen.* Facienti hæc, vita erit æterna. Paterno nos more beatus hortatur Benedictus, vt si ad cælestem volumus asscendere patriam, hanc minimam priùs festinemus inchoationis perficere regulam: & sic, adiuuante Christo, ad maiorum studeamus Patrum doctrinam, & ad virtutum sublimia properemus scandere culmina. Cui nos libenter obtemperare, & eius præcepta libenter debemus audire: quia felix, qui hanc rectè implere poterit regulam: felix, qui in præsenti adhuc positus vita, ad virtutum poterit asscendere culmina. Sed his omnibus felicior, cui post præsentem vitam, vita erit æterna. Felix, qui semper cum sanctis regnare, cum angelis viuere, cum vtrisque gaudere, & cum ipso Domino in perpetuum feliciter poterit viuere. Ad quam vitam ille nos feliciter ducat, qui in præsenti misericorditer regit atque gubernat,

Iesus Christus Dominus noster, qui
cum Patre & Spiritu sancto
vnus Deus viuit & regnat in secula
seculorum,
Amen.

* al. perfundimur,

* al. confidentem

EXPLICIT EXPOSITIO SMARAGDI ABBATIS IN REGVLAM S. BENEDICTI.

D. IO.



D. IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEIMENSIS, DE VIRIS ILLVSTRIBVS, ORDINIS S. BENEDICTI, LIBRI QVATVOR.

PRAEFATIO.



COGITANTI mihi, ac crebriùs animo reuoluenti pristinum ordinis nostri sacrati decorē, fortis eius dolor incutitur: quòd, cùm in omnibus ordinibus cæteris, fortia ac memorabilia gesta patrum, scriptis commendata sunt, in solo ordine nostro (quibus antiquitate, dignitate, & authoritate præstat) nihil aut parùm cernimus singulariter esse conscriptum: vel si quid in laudem illius ab antiquis editum est, ad manus meas minimè peruénit, quamuis non mediocriter inquirendo laborârim. Nam, vt dicere cœperam, alij penè omnes ordinis sui historias in vno codice habere nóscũtur, quibus iuniorum animos ad præcedentium patrum exempla imitanda prouocent. Habent etiam illustriũ virorum catalogos, habent sanctorum actus cõscriptos suorum: quorũ notitia quantùm conferat infirmioribus fratribus, nemo expertus, qui dubitet. Noster autem ordo, cùm sit cæteris penè omnibus antiquior tempore, stabilior authoritate, non æstimandus est, doctis sanctissimisque ab olim vnquam caruisse luminibus, qui vita & doctrina sanctam illustrauerunt ecclesiam. Cuius rei gratia ego frater Iohannes in Trittenhem, Abbas in Spanheim eiusdem ordinis, ad preces amicorum & fratrum persuasus, ex diuersis Chronicis veterum atque historijs. præsens opusculum comportare institui ad laudem omnipotentis Dei, & præfati ordinis Benedicti honorem: in quo breuiter me expediam, nè prolixitas tædium pariat, & vt memoriæ lectoris conferat puritatē operis compendium. Nam si vitam singulorum, quos in hoc volumine breuiter signaui, latiùs voluissem exponere: opus profectò prolixum, & ingentis magnitudinis conarer efficere. Vndè breuitati consulens, gesta eorum non dilataui: satis fore computans, si nomina, dignitates, ac tempora compendiò designem. Nemo autem, qui præsentem librum dignabitur inspicere, putet me omnium, qui in nostro ordine floruerunt, facere mentionem: cùm hoc mihi non solùm difficile, verùm & impossibile sit. Ab initio etenim ordinis nostri multi doctrina excelluerunt & vita, quorum nec scripta cognoscimus, nec tempora: quorum numerus intantùm creuisse dicitur, vt ad multa millia extendatur. Ego autem syluam historiarum transacti temporis, quantùm licuit, ingressus, paucos collegi de pluribus: sequentibus viam, qui restant, præbiturus, nō terminũ.

EXPLICIT PRAEFATIO.

INCIPIT LIBER PRIMVS IOANNIS TRITHEMII, SPANHEIMENSIS ABBATIS, DE VIRIS ILLVSTRIBVS ORDINIS SANCTI BENEDICTI.



ORDINIS itaque nostri principium perstringentes, ab illo sumamus loquendi exordium, qui nobis regularis obseruãtię primus pbuit institutũ. BENEDICTVS igitur, à quo nomen benedictionis hæreditamus, huius nostri ordinis primus institutor est: qui normam religiosè viuendi in cœnobijs edidit: qui pater & dux monachorum ab initio fuit. Hic Nursiæ prouincia exortùs, de claris parentibus vir clarissimus enituit: cuius pater prouidus Iustiniani Imperatoris nepos, Comes Nursensis: mater verò, Abundantia dicta, marchionissa Monteserratensis fuit. Hæc periclitata in partu, geminos edidit: filium, scilicet, Benedictum, & filiam nomine Scholasticam: qui ambo seculum CHRISTI amori postponentes, Domino in monastica vitamilitârunt. Nam Benedictus cùm adhuc paruulus esset, Ro-

S. Benedictum ab vtroque parente illustre fuisse.

mæ ſcholis traditur: ſoror autem in domo paterna reſeruatur. At Benedictus puer, cùm Romæ ad literas poſitus, multos per abrupta vitiorum ire in mortem cerneret: relicto ſtudio, ſecularique philoſophia deſpecta, ſoli Deo ſeruire cupiens, deſerti locum, Dei ſpiritu vocatus, petiuit. Ibi multis annis carnem macerans, in virum ſanctum, atque perfectum euaſit: qui tandèm cœnobia multa conſtruxit, in quibus monachis viuendi regulam tradidit, ſecundùm quam viuere pro noſtra poſſibilitate profitemur vſque in hodiernum diem. Ipſe autem ſanctus Benedictus, conſtructo monaſterio in monte Caſſino, in quo caſtrum & ara Apollinis habebatur antiquitùs, locum ab omni immunditia diaboli purgatum, monachis fecit habitabilem: in quo geſſit Abbatis officium triginta & quatuor annis, & regulam ſcripſit omni diſcretione præcipuam, ſermone luculentam: ordinemque ſuum, dum adhuc viueret, in multas mundi partes dilatauit. Audientes enim principes catholici, & eccleſiarum præſules deuoti, ſanctiſſimam vitam patris Benedicti, cupiebant ſinguli cœnobia illius inſtitutionis in ſuis prouincijs & regionibus à fundamentis erigere. Palmites etenim ſuas Benedictus extendit vſque ad mare, & propagines vſque in longinquum: qui non ſolùm ſibi laborauit, ſed omnibus exquirentibus veritatem. Nam quantùm ad conuerſationem eius pertinet, fuit fide firmus, ſpe robuſtus, gemina charitate feruidus: mente purus, deuotione præcipuus: in oratione ardens, in meditatione accenſus: in lectione ſanctarum ſcripturarum ſedulus, in contemplatione altus: &, vt breuiter concludam, omnium virtutum ornatu inſignis: humilis, pudicus, ſobrius, caſtus & quietus. Cuius ſi conuerſationem interiorem & exteriorem ſcire deſideras, regulam, quam ſcripſit, legas. Sanctus enim vir, qui vſque ad prophetiæ ſpiritum exaltari meruit, nequaquàm aliter viuere potuit, quàm ſuis viuere præcepit. Ad exteriorem conuerſationem totus erat igneus, totus exemplaris, humilis, charitatiuus, benignus, manſuetus, & ouium Chriſti paſtor vigilantiſſimus: qui amori Dei nihil vnquàm præpoſuit. Et tamen, cùm ratio exigebat, zelo diſciplinæ accenſus, peruerſorum vitam conſtanter arguebat. Huius conuerſionem, vitam, & admiranda geſta ſi quis pleniùs nôſſe deſiderat, ſecundum librum dialogorum beati Papæ Gregorij legat. Hic itaque Benedictus legifer noſter, natus fuit anno Domini quadringenteſimo octogeſimo. Venit ad conuerſionem anno ætatis ſuæ quartodecimo. Moritur anno Domini quingenteſimo quadrageſimoſecundo, ætatis ſuæ LXII. indictione V. viceſimaprima die menſis Martij: ſepultus in eccleſia ſancti Martini, quam ipſe in eodem cœnobio conſtruxerat. Et ab hinc ordo noſter incepit ſancti Benedicti nomen retinere, & regulam.

De multiplicatione ordinis, & profectu, & de fundatione cœnobiorum.

CAP. II.

COepit exhinc ordo ſancti Benedicti valde multiplicari, & vſque in longiſſimas terrarum prouincias extēdi. Nam, vt diximus, cùm ſanctus Pater adhuc viueret, nobiles terræ, & eccleſiarum pontifices de remotis regionibus legatos ſuos ad eum miſerunt, poſtulantes ſibi fratrés deſtinari monaſticæ inſtitutionis magiſtros: qui apti eſſent & alios docere, & Benedicti conuerſationē, quam vidiſſent, inſtruere. E quibus in Cenomaniam beatus Maurus Abbas ab epiſcopo poſtulat⁹ mittitur, qui fundato cœnobio multos filios in Chriſto cōgregauit. Placidus etiā in Siciliam dirigitur, vbi poſt aliquot annos cū triginta fratribus ꝓ fide Chriſti martyr efficitur. Poſt deceſſum verò beatiſſimi patris Benedicti, ordo ſacratus per annos fermè ſexcentos magnificè dilatatus eſt, &, multis cœnobijs vbiquè fundatis, inter oēs ordines & numero, & merito obtinuit principatū. Sed Ciſterciēſium, & Mendicantiū ordinibus nouiſsimè exortis, nō adeò monaſteria fundabātur ordinis noſtri, quēadmodū tēporibus conſtruebantur præteritis. De his autē poſteriùs habendus eſt ſermo. O quanta principū vetuſti tēporis ad ordinē noſtrū deuotio: ô quanta præſulū eccleſiarū pro monachorū neceſſitatibus ſolicitudo: qui cōſtruendis cœnobijs pro laude Dei omne ſtudiū impenderunt & cenſum. Et quanq̄ oīm monaſteriorū noſtri ordinis, fundationes deſcribere ſingulatim non valeam: multorū tamē fundatores, & tēpora principij memoria teneo: quorū idcircò recordatus nō ſum, nè cæteris viderer feciſſe iniuriā. Generaliter aūt, quē reperi, numerū perſtringam, vt multiplicationem ordinis promiſſam inſinuem. Nā, vt fertur, numerus monaſteriorū ordinis noſtri Abbates habentiū, exceptis Præpoſituris, Prioratibus, & cœnobijs monialium, vltra quindecim millia extenditur. Vnde, ſi vnuſquiſq; ſua poſſideret, tertiam partem Chriſtianitatis ſanctus Benedictus habere crederetur. Si cui hæc videātur incredibilia, hiſtorias veterum legat, geſta tranſacti temporis reuoluat: & maiora noſtri ordinis laudū præconia inueniet, quàm ego aut dicere

Abbatiarū ordinis Benedictini numerus quantus.

velim,

velim, aut possim. Vt autem magnorũ fidem adstruam minimis, nemo tantã multitudinem cœnobiorum abbatialiũ in tot mundi partibus velut incredulus miretur: cùm in sola prouincia Moguntina adhuc habeamus Abbatias nostri ordinis centum xxiiij. præter illas, quæ ab ordine dimembratæ sunt: quarum numerus denarium superat. Igitur à tempore sancti Benedicti per multos annos ordo noster in maxima religione viguit, & Ecclesiã Dei per annos septingentos laudabiliter sustentauit: dum fratres in eo degentes, nõ solùm sanctitate conuersationis sibi proficerent, immò etiam populis doctrina, & librorũ multiplicium editione prædicarent. De quibus omnibus, quantùm nobis cõcedere dignabitur altissimus, in sequentibus sub compendio dicemus. Quidni multiplicaretur hic sacer ordo, cuius institutor sanctissimus, regula discretissima est? Scripserunt multi sancti Patres monachorum proposito regulas: sed Benedicti regula iure omnibus præfertur, quæ discretior, solidiorque in singulis comprobatur. Laudet quisque suum propositum: nos Benedicti præ omnibus amplectimur institutũ.

Abbatiarũ Benedictinarum solius prouinciæ Mogũtinæ, numerus quis.

De multis ordinibus, qui regulam sancti Benedicti profitentur, statutis tantùm singularibus appositis.

CAP. III.

Commendant nõ mediocriter diuersorum ordinum principes regulam Benedicti, qui discretione & securitate cõscientiæ eandem præcipuam intuẽtes, colla suæ conuersationis eidem humiliter voluerunt submittere, gaudentes se ducẽ habere sacrati exercitûs, quem patrem monachorum sanctissimum non ignorabãt. Militãt enĩ sub eius regula multi ordines monachorũ, statutis singularibus dũtaxat appositis. De quibus primus est ordo, quẽ ipse princeps monachorũ Benedict⁹ instituit: ordo quoq; Specuẽsis, ordo Carthusiẽsis, ordo Cistercienſis, ordo sancti Vuilhelmi, ordo Scotorum, ordo montis Oliueti album portans habitum, ordo Cælestinorum, ordo Sclauorũ, ordo vallis Vmbrosæ, ordo fontis Ebrandi, ordo Humiliatorum sub albo habitu, qui primus cœpit in Alemania: sed puto, quòd iam ex toto defecerit: ordo Grandimontensis, ordo sancti Ambrosij, ordo Gamaldulensis album portans habitum, ordo vallis Scholarium, ordo sancti Pauli primi eremitę, ordo de sancta Burga vidua. Omnes hi ordines sub regula sancti Benedicti militare feruntur. Si qui plures eam obseruent, ad notitiam meam non venerũt. Ecce quemadmodùm Pater sanctus non tantùm sibi laborauit, sed omnibus exquirentibus veritatem. Nullus dubitet, quin sub hac regula in tot ordinibus multi sanctissimi viri Domino militauerint, qui iam cũ Christo coronati regnent in cælestibus: sicut de nostris ex parte dicemus in sequentibus.

De sanctis, & canonizatis ex ordine sancti Benedicti.

CAP. IIII.

Gloriosus Deus in sanctis suis, hunc ordinem præteritis ab initio multis sacratissimis viris mirabiliter decorauit, qui vita claruerunt, atque virtutibus: sicut diffusè in gestis eorum continetur. Et quid mirum, si tot luminibus claruit, qui tantò iam tempore durauit? Nam per septingentos fermè annos nunquàm sine viris ordo fuit illustribus. Et quidem nobis impossibile est, omnium sanctorum huius ordinis vel sola nomina describere: quorum tantus est numerus, vt multis in summa videatur incredibilis. Et, vt promissus locus seruetur compendio, clarorũ virorũ huius instituti summa paucis afferatur. Temporibus Ioannis Papæ vicesimisecundi ex annalibus summorum pontificum, & historijs veterum reperti sunt de ordine sancti Benedicti, tam ex monachis simplicibus, quàm ex Prælatis diuersarum dignitatum, sanctorũ catalogo inserti quindecim millia, quingenti, quinquaginta nouem. Quis omnium horum singularẽ posset facere mentionem? In tertio aũt huius operis libro, quorundam memoriam, Deo largiente, habiturus sum: quorum nomina, gesta, & tempora potui inuenire, sicut ibidẽ patebit. Gaude pater Benedicte, qui tuis sacratissimis institutis, Christo regi tot animas adduxisti, vt se nullus ordo præsumat tuo gregi numero ꝓfiteri ęqualem. Iam exultans cum angelis in cælestibus regnis, propheticis verbis ouando testaris: Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus. Esa. 8. Quemcunq; igitur, fratres charissimi, præmia sanctorum clara delectãt, laboriosa exempla non terreant. De multitudine autem sanctorum nostri ordinis vanè gloriamur, nisi eorum vestigia pro posse imitemur. Quid enim prodest nobis, si nos millia sanctorum habuisse legimus, & conuersationem illorum fugiamus? Cùm itaque sanctos nostros extollimus, per bonos mores ad eorum consortium peruenire festinemus. Tunc enim de sanctorũ nostrorum multitudine fructuosè gloriabimur, si benè viuendo eorum numerum augere sedulò conemur. Idcircò nobis tanta sanctorum multitudo proponitur, vt, dum mundum vicisse multos conspicimus, pusillis & nobis, Deo iu-

uante, idem facere possibile confidamus. Multi autem sanctos ordinis sui laudibus extollendo prædicant, qui conuersatione morum ab eorum vita discordant: de quibus per sapientem dicitur: Non est speciosa laus in ore peccatoris. Vos auté, fratres, non sic: sed qui sanctos nostros verbis extollitis, eorum vos imitatores esse moribus probetis. Homines illi fuerũt, similes nobis, mortales, & corruptibiles: sed gratia Dei facti sunt immortales. Quod ergò gratia illis contulit, nobis amantibus non negabit. Cor tantùm & animum gratiæ cõformemus: & quod illi poterant, Deo largiente, poterimus.

Eccli. 15.

De summis pontificibus, cardinalibus, archipræsulibus, atq; episcopis ex ordine nostro assumptis.

CAP. V.

Matt. 5.

VEra Domini sententia est, & nostro etiam cõpleta ordine, qua dicit: Nõ potest ciuitas abscondi supra montẽ posita: & nemo accendit lucernam, vt abscondat eam sub modio, sed super candelabrũ ponat, vt luceat domum intrantibus. Non latuit ordo sancti Benedicti sub modio abiectionis & obliuionis: sed supra cãdelabrum Ecclesiæ exaltatus est, vt doctrinæ & sanctitatis lumẽ eius præberet fidelibus. Vnde mox ab exordio plantationis suæ, multipliciter in Ecclesia Dei meruit exaltari, dum populi quique fideles, de grege Benedicti patris ecclesiarum suarum maximoperè sibi eligerent sacerdotes. Quænã ecclesia non summis tunc optâsset desiderijs, de ordine tanti patris habere pastorẽ, in quo Christianæ religionis amor viguit, sacræ scientiæ lumen effulsit, honestas morum resplenduit? Factum est itaque, vt multi fratres ex hoc ordine ad diuersas ecclesiarum dignitates vocarentur: aliqui propter eximiam sanctitatem, aliqui verò propter sacræ doctrinæ excellentiam, nõnulli ob singularem agẽdorum industriã, quidam etiam propter generis claritatem: omnes autem ob regularis vitæ disciplinã. In omnibus enim amor religionis monasticæ miro populũ modo in sacerdotibus afficiebat. De hoc sacratissimo Benedicti ordine fuerunt sanctæ, Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ summi põtifices decem & octo: qui sibi succedentes diuersis temporibus, ordinem magnificè dilatârunt. Cardinales quoq; sanctæ Romanæ ecclesiæ nostri ordinis fuerunt cẽtum octogintaquatuor, viri in omni literatura scripturarum doctissimi. Archiepiscopi autem in diuersis mundi partibus ex nostra religione fuerunt mille, quingenti, sexagintaquatuor. Episcopi verò hui⁹ instituti reperti sunt tria millia, quingẽti, duodecim. Hi omnes de nostro ordine pontifices fuisse inuenti sunt ante concilium Constantiense, quod fuit anno Domini millesimo, quadringẽtesimo, septimodecimo. Si qui postmodũ venerint, in præscripto numero nõ sunt. Et de his etiã singulariter dicemus in quarto huius operis tractatu: nõ quòd omniũ vel nomina signaturi simus, vel tempora: sed paucos recensentes de pluribus, argumento fidem adstruemus. Floruit ordo diui Benedicti olim in ecclesia Dei multis decoratus præsulibus, quandò Spiritus sanctus sibi sacerdotes elegit moribus & conuersatione lucidos, scientia scripturarum illustratos. Sed nunc monachorum tepet deuotio: amor scripturarũ extinctus est: & ideò ab ecclesiarum regimine, velut inutiles, repulsam iustè patiũtur. Olim nanque monachi ad gubernandas ecclesias vocati, nouerunt se Deo in monastico proposito exhibere fideles, & populo nihilominùs idoneos in omnibus præbere pontifices. Nunc verò si monachum ducem populorum constituas, statim in superbiam elatus, obliuiscitur, quod anteà fuerat. Nec tamẽ hoc de omnibus generaliter dixerim: quoniam & nostra ætas in ordine viros, licèt paucos, doctrina & merito excellẽtes continet: qui, si ad regimen animarũ positi fuerint, ab antiquis nequaquàm degenerarent. Sed nobis sufficiat nostra curare, aliena non appetere, in officio nostræ professionis firmiter militare. Officium autem monachorum est, tam sua, quàm aliorum peccata deplangere: vitia fugere, virtutes colere: humilitatem custodire, solitudinẽ amare. Felix talis monachus, qui etymologiam sui nominis actione confirmat. Felix, qui vnus est puritate simplicis conscientiæ, qui duplicitatem cordis refugit, qui dolos nescit, qui mundi vanitatẽ contemnit. Felix, inquam, ille monachus, qui, omnibus curis seculi postpositis, super custodiam sui solicitè vigilat: qui à sancto proposito, quod semel assumpsit, non declinat. Ad hanc summam nobis ex ordine nostro pontifices recẽseantur: vt sanctitatem & religionem imitemur, non ambiamus officium. Meritis enim & sanctis moribus debetur præmium, non gradibus dignitatum. Si fortè nos delectat, cùm legimus numerum pontificum ex ordine nostro intantùm creuisse, vanè gloriamur: quoniam durum infortunij genus est, aliquandò fuisse felicem. Nec dixerim, quòd sublimitas personarũ ordinem felicẽ reddiderit: sed doctrinarum eruditio, & merita sanctitatis. Fateor tamen dolorem meum, quem ex recordatione tam excellentium

18. Papas ex S. Benedicti ordine assumptos.

tium virorum in nobis deficientium, accipio. Verecundor enim, & contristor, quod nostris temporibus tantis honoribus monachi indignos se exhibent. Qui tantùm gloriatur in alio, se non habere, vnde gloriari possit, ostendit. Heu perit à monachis sacræ studium lectionis, quod veteres olim insignes reddidit, & tātis dignos honoribus. Iam sanctis moribus pauci deseruiunt: scientiæ scripturarum, pauciores. Et ex hoc vtilium personarum defectus in ordine surrexit monachorum.

De doctoribus nostri ordinis, & mirabili studio monachorum antiquitùs.

CAP. VI.

A Principio autem ordinis nostri vsque ad tempora Henrici Imperatoris quarti, multi viri doctissimi in eo floruerunt: sicut in secūdo libro huius opusculi ex parte, quantùm poterimus, explicabimus. Nam adhuc sancto Benedicto viuente, & ordine per diuersa terrarum spatia diffuso, plerique nobiles, eruditissimiq́; iuuenes, monasticis institutis secundùm regulam eius colla submiserunt: qui non solùm in scripturis diuinis, sed etiam in secularibus literis peritissimi habebantur. E quibus clarissimus ille senator Cassiodorus, vir vndecunque doctissimus, senatoria dignitate deposita, pro Dei amore monachus cœnobialis efficitur. Succedente verò tempore summum monachis erat studium scripturarum, & in omnibus doctrinis bonarum artium amor discendi continuus. Nam qui docti ad conuersionem venerant, iunioribus fratribus præcepta discendi vtiliter ministrabant. Nec minor ætas proficiendi desiderium impedire potuit, quæ magistrorum imperio regebatur. Vt verò paucos è pluribus in exemplum demus, Bonifacium, & Rabanum archiepiscopos Mogūtinos, Bedam quoque presbyterum intueamur: quorum primus Bonifacius adhuc puer quinq; annorū, in Anglia monasterio traditur: vbi intātum profecit iugi studio scripturarū, vt Doctor & Apostolus Germanorū habeatur. Extant eius ad diuersos elegantes epistolæ, extant & varia syntagmata, quibus ingenij eius vena redundans, fluenta sacræ doctrinæ effudit. Rabanus etiam, qui eidē Bonifacio in archiepiscopatu sextus ex ordine successit, in monasterio Fuldensi puer ad conuersionem venit: qui quantùm in scripturarum scientia profecerit, infinita pene testantur volumina, quæ cōposuit. Et non solùm in expositione sacrarum literarum, sed etiam in omnibus humanitatis artibus peritissim⁹ fuit. Quātùm in Poesi valuerit atque carminibus, mirabile opus de sancta cruce indicat: quātùm in historijs veterū exercitatus fuerit, insigne volumen eius, de vniuerso prænotatum, declarat: Rhetoricæ artis notitia, in scriptis & epistolis eius copiosè relucere dinoscitur. Beda monachus & presbyter venerabilis, totó notus in orbe, cùm esset annorum septem, à parentibus cœnobio traditur: cuius opera in vniuersa Ecclesia laudibus attolluntur. Hi sanctissimi viri, atque in scripturis peritissimi doctores, quicquid de scientia scripturarum nôrunt, in monasterijs sub regula ordinis didicerunt. Non mittebantur causa discendi ad exteras nationes, cùm in cœnobijs semper haberent bonarum artium præceptores. Taceo de cæteris pluribus eruditissimis viris, qui ad monasticam vitam in pueritia venientes, tam doctrina, quàm sanctitate gloriosi effulserunt. Amor enim & vsus discendi, ætatis supplent defectum. Legimus autem de sanctis patribus huius sacratæ religionis multa laudum præconia, quæ ad imitationem eorum nobis proponuntur. Magna in eis feruebat deuotio: arsit in eorum mentibus regularis disciplinæ zelus commendandus, qui eos nunquàm sinebat esse ociosos. Saluo enim officio diuino, cui omnes deuotè insistebant, de reliquo monachi studio vacabāt scripturarum: quibus non solùm illuminabantur intellectu, sed etiam compungebantur affectu. In exercitio monachorum sancto semper viget amor, qui de lectione ad orationis vigilantiam vocat studiosos. Nam qui se in sanctis scripturis ampliùs exercitâssent, vacantibus horis, studió & expositionibus earundem intendebant: libros conficiētes & varios tractatus, quibus studia fratrum suorum ad Deū quotidiè prouocabant. Cæteri autē fratres, iuxta quod regula vetat, ocio non vacabant: sed post orationes operi manuum deuotè insistebant. Libros scribebant, qui ad hoc erant idonei, & à doctorib⁹ edita, ex schedis ad mundum redigebant. Alij scriptos codices artificiosè conglutinabāt, corrigebant alij, rubro minio cæteri exornabant. Nullius manus huic sancto deerat officio: gaudebant se omēs participes haberi studiorū, quæ in expositionibus scripturarū gerebātur. Iuniores etiā fratres disciplinis instituebantur scholasticis, prout vnicuique eorum conueniebant: alij in Grammatica, alij in Orthographia: in Rhetorica nonnulli, vel Dialectica: quidam in Musica, Arithmetica & arte Computistica: alij in Philosophia: atque alij in his iam fundati, ad scripturas introducebantur Theoreticas. Nullus in cœnobijs locus dabatur ocio, sed suis studijs atque laboribus singuli

guli insistebant. Vndè etiam multi sanctissimi, doctissimiq; in omni sciētia scripturarum viri, cum magna laude nominis sui & ordinis, euaserunt: quorum suo loco inferiùs, inquantùm Deus dederit, faciemus mentionem. O, si nunc in ordine diui Benedicti ferueret tantus amor scripturarum, quàm felices nos essemus eius professores. Nil monachis olim iucundius erat, quàm in sacratissimis scripturis commorari, illas legere & exponere, & nouos semper ad laudem Dei libros compilare. Mittebāt quæ perscripsissent opuscula imperatoribus, regibus, principibus, & ecclesiarum prælatis: quorū authoritate comprobata, ad posterorum ædificationem securè in lucem prodirent. Hoc testantur, quos scripserunt, librorum exordia: testātur præfationum capita, diuersis authoritatibus destinata. Sed vbi nūc est veterum studium & disciplina monachorum? vbi sanctus amor perdiscendi scripturas? Periit studium, periit disciplina monachorum. Iam magnus, & vtilis dicitūr, non qui scientia scripturarum clarus effulserit: sed qui diuitijs colligendis inhians, temporalibus sordescit. Verùm non est huius temporis, laudibus ordinis vituperia inserere personarum: ad finem propositi stylum conuertamus. Iam nunc igitur, charissimi fratres, sancta studia veterum pro possibilitate nostra imitemur: amemus scientiam scripturarum, vt vitia carnis intereant. Nemo à sancto studio se excuset, nemo præceptorem in culpam vocet: quoniam amor omnia vincit, charitas omnia potest, omnia quoq; suffert humilitas. Si autem præceptor desit, sanctos patres in suis opusculis legito, tibi opportunè de omnibus præcipiētes. Semper enim, si quæras, doctores bonos, qui doceant, inuenies. Prouerbio nanque dicitur: Non petit amor verus discendi Athenas: domi sufficiens Minerua cōsistit. Semper enim, quod discas, inuenies. Sed caueamus, fratres, nè magistri nobis simus erroris. Solitudinis studiū, nisi ardeat amore Christi, frequenter parit errorem. Nulla ars absque magistro discitur. Habent singularum artiū instituta suos præceptores, qui principia artis tradant discentibus. Et hoc in scripturis discendis nihilo minùs obseruandū est.

De mirabili profectu ordinis nostri antiquitùs.

CAP. VII.

Sancta quoquè studia monachorum antiquitùs, magnam deuotioné principum & populi meruerunt: quibus auxiliantibus, ordo noster in altum succrescens, mirabiliter profecit. Videntes enim nobiles, atque rectores terrarum, sanctissimam conuersationem monachorum, multa cœnobijs eorum beneficia contulerunt, quatenùs ipsi fratres in Dei seruitio quietiores permanerēt. Alij ædificabant ordini monasteria bonis proprijs, quæ suis eleemosynis magnificè dotārunt: alij fundata iam dudum, copiosis beneficijs ampliārunt. Gaudebant omnes, & lætabantur singuli, se monachis ob honorē Benedicti aliquid contulisse. Sancti etenim monachi quāto plùs amabant cælestia, tanto magis terrena substātia, deuotione populi aucta, crescebat. Amabant Deum, & omnia possidebant: contempserunt mundum, & Christus eis necessaria copiosè prouidebat. Hoc enim in Euangelio ità fieri ipse præceperat, dicens: Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis. Matth. 6. Vbi autem spiritualibus præponuntur temporalia, vtraq; citò deficiunt. Crescebat tunc quotidiè numerus personarū seruientiū Deo: crescebat substantia temporalis, sine cuius adminiculo spiritualia diù nō possunt subsistere. De diuersis cū mundi partibus ad monachorum studia homines properabant: nobiles & ignobiles, docti & indocti vitam seruorum Dei assumebant. Multi quoquè reges & principes suos filios, sub norma Benedicti enutriendos, monachis tradiderunt. Stetit ergò multis annis in sancta constantia, & magnificè profecit, donèc tandem deuotio in pluribus tepuit, studium periit, curiositas subintrauit. Cōseruauit autem ordinem multis tēporibus in sua prima institutione industria prælatorum, scripturarum studium, zelus disciplinæ, & correctionis seueritas.

De ordinis defectu in obseruantia regulari.

CAP. VIII.

Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: Deut. 32. impinguatus & dilatatus, dereliquit primę institutionis sancta exercitia, abijt post vanitates & insanias falsas, inopem quem copia fecit. Peperit olim religio diuitias: at nunc matrem filia suffocauit. Nam qui 1. Tim. 6. volunt diuites fieri, incidunt in tentationes diaboli. Ditauit ordinem nostrum aliquandò cultus Dei, sincera deuotio, quem nunc cæca monachorum ambitio bonis omnibus denudauit. Mox enim, vt cœperūt terrena sapere, & commoda temporalia amare, defecit color sanctæ religionis optimus, deuotio tota expirauit. Spiritualibus autem neglectis, iusto Dei iudicio etiam temporalia defecerunt. Causa verò primi defectûs in ordine, negligentia prælatorum. Cœperunt enim paulatim fratres suos negligere, diuina postponere, pompam seculi colere, necessaria vitę monachis

nachis denegare. Iactabant se quidam ex eis de nobilitate generis, &, ne professione monastica parentibus viderentur iniuriam facere, despectis statutis regularibus, mundo, quàm Deo, maluerunt militare. Alij autem, vt diximus, diuitijs affluentes, Deum obliti sunt: & post desideria carnis suæ ambulantes, in vanitatibus suis euanuerunt. Nonnulli etiam rudes, inexperti, & sine scientia scripturarum, cùm non haberent vbi cor suum delectabiliter figerent, ad amorem seculi conuersi, disciplinam ordinis miseri destruxerunt. Duo enim sunt, quæ ordinem in obseruantia tenuerunt: amor videlicet Dei, & studiū scripturarum: quibus deficientibus, monachi quoque à sancta institutione recesserunt. Qui amat Deum, ordinis sui præcepta magno zelo custodit: quoniam charitas Dei, statutum disciplinæ non negligit. Qui amat scientiam scripturarum, à bono proposito non recedit: quia stimulis scripturarum, ad studia sanctæ compūctionis quotidiè reducitur. Qui autem Dei amorem non habet, ab omni opere bono vacuus est: ordinis statuta floccipendit, animam suam negligit, obliuiscitur cælestium, de solo amore pendet terrenorum. Cor enim hominis amoris impatiēs, & instabile, semper circa aliquid speciali intentione versatur: quia sine amore nō viuit. Amor autem duplex est, spiritualis, videlicet, & carnalis. Qui ergò cælestium amorem deserit, solis caducis huius habitationis intendit. Et hic amor terrenus, religionem destruit, ordinem disciplinæ confundit, æquitatem nescit, charitatem fraternā de cœnobio repellit. Perit omnis deuotio, zelus disciplinæ regularis deficit, vbi amor Dei non consistit. Homo, qui charitatem Dei abijcit, quid aliud diligere potest, quàm mūdum, & desideria carnis? Amator sui nunquàm potest diligere Deum: & omne opus, cuius radix in charitate Dei non figitur, citò dissipatur. Scientia quoq; scripturarum, non parùm facit ad timorem Dei, si tamen, vt oportet, religiosè tractetur. Huius amorem & studium non habebant, qui disciplinam regularem olìm destruxerunt. Sed ista transeamus, nè veterum defectibus diù immoremur. Non latet nos causa ruinæ regularis, non latet monachorum deformitas: de remedio opportunè conferamus.

De diuersis reformationibus ordinis.

CAP. IX.

Quanuis autem à prima institutione ordinis, multi successu temporis defecerint: nunquàm tamen Deus ordinem sacrum ex toto deseruit, nunquàm perire totaliter obseruātiam permisit. Semper enim inueniebantur, qui ad synceritatem regulæ studerent ambulare. Nam per annos fermè ducentos ordo in magna sanctitate perdurauit, donèc tandē curiositas à monachis depulit simplicitatē. Et quidē collapso in multis ordine, omnipotēs Deus bonis eum viris non destituit: sed eorum studio diuersis illum temporibus magnificè reformauit. Surrexerunt enim viri misericordiæ, quorum iustitiæ nunquàm obliuioni tradentur: qui tantis calamitatibus ordinis compatientes, humerum labori submiserunt, & Deo largiente, ordinem in pluribus locis restaurārunt. Adfuit enim huiusmodi reformationibus clementissima semper diuina benignitas, per quā pristinus decor ordinis in multis cœpit reflorere cœnobijs. Vndè etiam plures sanctissimi patres in ordine instaurato diuersis tēporibus posteà claruerūt. E quibus Berno, vir integerrimæ cōuersationis, ordinem in Cluniacensi monasterio gloriosè restaurauit. Huic multi religiosissimi viri successerunt, qui locum ornārunt, & gentem: de quibus non modò dicendum per singulos. Deusdedit, vir valdè venerabilis, abbas Cassinensis, multa cœnobia monachorum suis temporibus ad regulæ obseruantiam reformauit. Temporibus etiam Caroli Magni sacratissimi principis facta est quædam generalis reformatio ordinis in Alemania, in qua multi viri doctissimi claruerunt. Alijs quoquè diuersis temporibus ordo in multis locis reformatus fuit: videlicet, in monasterio Fuldensi, vbi multis annis deuotio maxima viguit monachorum: In Hirsauwe sub abbate Vuilhelmo reuerendissimo valdè viro, anno Domini millesimo, octogesimo: quæ reformatio in multa cœnobia diffusa fuit. In Hirsfeldia etiam specialis reformatio pluribus annis viguit, quæ se ad multa monasteria dilatauit. In alijs quoq; monasterijs pluribus magna olìm reformatio iteratis vicibus incepta est, quæ non paucis annis perdurauit. Sed nullam vnquàm reformationem generalem totius ordinis factam inuenimus. Legimus quidem particulares reformationes in ordine viguisse plurimas, in vno videlicet regno siue prouincia: sicut illa fuit, quæ in monasterio Viuariensi quōdàm inchoata, tandèm per multa cœnobia dilatata, Castellēsium nomine, ad tempus non modicum perdurauit. Mellicensis quoquè reformatio adhuc in quibusdam cœnobijs viget: & si quæ fuerint aliæ, de quibus longum esset loqui per singula, nulla in primo durauit feruore, sed ex tēpore tepuerunt. In his tamē, alijsq; reformationibus pietas Dei magna con-

conspicitur, quæ à nobis continuis laudibus meritò prædicatur: quòd ordinem nostrum nunquàm deseruit, sed tam crebris restaurationibus visitauit. Qui olim filijs Israel temporibus Iudicum peccantibus, & suis demeritis aliquotiès castigatis, misertus, semper prouidit saluatorem: ipse etiam ordinem sancti Benedicti, peccatis nostris totiès collapsum, post diuturnam calamitatem misericorditer intuens, ad libertatem spiritûs pristinam dignatur reformare: & qui deficiétibus iudicibus colliditur, alijs surgentibus denuò restauratur.

De reformatione ordinis per Generalia Côcilia, & summos Pontifices, diuersis temporibus facta.

CAP. X.

ATtendentes autem summi Pontifices ruinam sacratissimi ordinis nostri, & ad memoriam reducentes, quantos olim Domino fructus ,ptulerit suauitatis: magno compassionis afficiebantur mœrore, quòd tanta in eo succreuisset deformitas. Multi itaque ex eis pro reformatione ordinis varia statuta ediderunt, præcipientes etiam rebelles per censuram ecclesiasticam ad eorum obseruantiam compelli: vt, quos amor Dei ad disciplinam non potuisset allicere, timor potestatis adduceret. Vt autem huiusmodi statuta ab omnibus prælatorum vigilantia obseruarentur, Innocentius Papa tertius, Clemens quintus, & Benedictus duodecimus, capitulum generale de triennio in triennium celebrandum instituerunt: in quo conuenientibus abbatibus, diligens haberetur tractatus de obseruantia regulari, sicut in ijsdem constitutionibus adhuc clarè ostenditur. Post hæc etiam patres conciliorum generalium Constantiensis & Basileensis, plura ad ordinis nostri reformationẽ vtilia, per hanc nostram Moguntinensem prouinciam, cæterasque Alemaniæ terras, constituerũt. Anno autem Domini millesimo, quadringentesimo, septimodecimo, vniuersi abbates nostri ordinis per prouinciam Mogũtinam, & diœcesim Bambergensem, authoritate concilij Constantiensis citati & conuocati, capitulum prouinciale celebrârunt in cœnobio Petri domûs Constantiensis, indictione decima, vltima die Februarij cum sequentibus: in quo magna de reformatione ordinis consultatio habebatur. Sed non diù perseuerauit metu assumpta religio. Nam soluto concilio, maior pars in pristinam deformitatem relabitur. Similia quoque in concilio Basileensi inter zelosos abbates authoritate eiusdem concilij tractabantur, sicut patet in bulla super ordinis reformatione, à concilio patribus missa anno Domini millesimo, quadringentesimo, tricesimonono, indictione secunda, cùm celebraretur capitulum prouinciale apud sanctum Aegidium in Nurenburga. Sed & felicis recordationis dominus Nicolaus de Chusa, sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ cardinalis, & Apostolicæ sedis per Alemaniam legatus, ad reformationem ordinis nostri multùm laborauit, multumque profecit. Anno siquidem Domini millesimo, quadringentesimo, quinquagesimoprimo, indictione decimaquarta, vicesimatertia die mensis Maij, patres de ordine huius Moguntinæ prouinciæ, celebrauerunt capitulum prouinciale apud sanctũ Stephanum in Herbipoli, in quo idem Cardinalis præsens fuit, ac summam Missam solenniter cantauit: post cuius finem ante altare sancti Stephani ab omnibus Prælatis tunc præsentibus, & absentium procuratoribus, iuramẽtum ac promissionem, manuumque adstipulationem accepit: quòd omnes, qui per Moguntinam prouinciam nondùm essent reformati, infra anni spatium, sub pœna amissionis omnium priuilegiorum, reformationi cella submitterent. Ad cuius rei executionem visitatores constituit, qui ad meliora singulos compellerent. Sed praua consuetudo multos seduxit, & in pristina deformitate vsque in hodiernũ diem conclusit.

De capitulis prouincialibus, & visitatione monachorum.

CAP. XI.

ANno Dominicæ natiuitatis millesimo, ducentesimo, quintodecimo, indictione tertia, Innocentius Papa tertius in magno concilio Lateranensi mille trecentorum patrum constituit, vt in singulis regnis, siue prouincijs, de triennio in triennium ordinis nostri fieret capitulum generale, in quo de reformatione eius ageretur: vt patet c. in singulis. de statu monachorum. Anno denique Domini millesimo, trecentesimo, decimo, Clemens Papa quintus Romanæ & vniuersali Ecclesiæ præsedit, qui in concilio Viennensi de celebrando capitulo prouinciali, & visitationibus monachorũ, varia statuta edidit, vt patet eodem titulo, Nè in agro. in Clement. circa finem. Benedictus quoquè Papa duodecimus, qui præfuit Ecclesię anno Domini millesimo, trecentesimo, tricesimoquinto, de eâdem re multa edidit, quę in extrauagante continentur. Idem quoq; & Honorius tertius, qui claruit in pontificatu anno Domini millesimo, ducentesimo, vicesimooctauo, de visitationibus mona-

monachorum multa vtilia statuerunt: quæ tamen successu temporis sine practica viluerunt. Nam ante concilium Constantiense, quod fuit anno Domini millesimo, quadringentesimo, decimoseptimo, capitula prouincialia ordinis in prouincia Moguntina defecerant, visitationes interierant: vnde grauem ordo iacturam sustinuit. In ipso autẽ concilio capitulorum celebratio denuò instaurata est, & visitationes monachorũ vtiliter institutę. Exindè igitur in prouincia nostra Moguntina, & diœcesi Bambergensi, & in prouincijs Treuerensi & Coloniensi, capitula celebrari secundùm decreta Patrum vsque in hunc diem cœperunt: quanquàm adhuc multi in suis deformitatibus perseuerent, quos nec capitula emollire vnquàm poterant, nec quæ Cardinali olìm præstiterunt iuramenta. In multis etiam Christianitatis partibus capitula prouincialia non seruãtur, nec visitationes monasteriorum aguntur.

De vltima reformatione Bursfeldensi.

CAP. XII.

EO penè tempore, quo concilium terminabatur in Constãtia, post longos, multosque de ordinis reformatione tractatus, refloruit sacra Benedicti religio, nouiter denuò reformata: quæ indies valdè conualuit, & in longinquas regiones adhuc hodiè diffunditur. Hæc autem reformatio nouissima, cœpit in quodã cœnobio Saxoniæ, quod Bursfeldia dicitur, à quo etiam Bursfeldensis nominatur. Mirabile quidem huius reformationis exordium, cuius seriem, si adsit facultas, sæpè cupio posteris referare: sed non est huius temporis exequi propositum, eò quòd de historia adhuc multa proponam inquirere. De obseruantia igitur Bursfeldensi sermonem prosequentes inceptum, hanc pro virib9 nostris amplectamur vt sanctã, vt veram, vt regulæ sancti patris Benedicti consonam: quam veraciter nemo diligit, nisi bonus: nemo persequitur, nisi deceptus: in qua ad puritatem regulæ securè viuitur: quã Deus plantauit, & rigat: quã diabolus cum suis satellitibus, vt valet, persequitur. Hæc est, quæ diuinum officium in cœnobijs diù neglectum recuperat, obedientiam docet, abdicationem proprietatis suis cultoribus indicit, diligit & amplectitur castitatem. Hæc est schola humilitatis, doctrix sapientiæ, virtutis exemplum, norma disciplinæ. Hæc est, quæ vitam monasticam diuinitùs illustratã commendat, mores sanctos instruit, amat pacẽ, concordiam diligit, conseruat charitatem. Hæc est, quæ carnem castigat, vitia fugat, ieiunium seruat, abstinentiam colit, pauperes pro posse largiter sustentat. O sancta monachorum vnio, in qua charitas imperat, humilis subiectio obtemperat, obedientia militat, castitas sancta triũphat, oratio vigilat, perseuerantia bonorũ operum fructificat. Felix, qui cultor tui verus existit, qui primæ institutionis tuæ præcepta custodit: qui carnẽ macerat, qui vitia domat, virtutibus redolet, discretione nitet, ordinat charitatẽ. Hæc itaq; sancta reformatio post concilium Constantiense mox sumpsit exordium, & intantùm, largiente Deo, creuit, vt sub eius vnione multa iam cœnobia habeãtur. Multi enim principes, multi ecclesiarum in diuersis locis pontifices hãc synceram in Domino vnionẽ conuẽtes, cum magno charitatis desiderio cœnobia nostri ordinis in suis terminis posita, reformationi submiserunt. Sunt autem plura monasteria, quæ ad vltimã paupertatem per monachorum insolentiam detrusa, in temporalis defectũs remediũ, reformationi concedunt ingressum. Et quidem satis iustè. Nam qui spiritualia bona negligit, tẽporalia bona meritò amittit: & quẽ prospera in superbiam erigunt, dignũ est vt contrariorum ictu ad humilitatẽ reducatur. Ad oculum videmus, quæ dicimus: quãuis interdùm parabola fallat. Eccè monachi regulari obseruantiæ rebelles & contrarij, in multa sæpè angustia viuunt: & destruentes cœnobia, in egestate continua conuersantur. Sed cùm causa martyrẽ faciat, non pœna: quicquid isti patiũtur aduersi, virtutis decore priuabitur. Nõ enim propter Deum aduersa sustinent, sed propter voluntatis insolẽtissimæ libertatem. Sed transeant hæc, nostris iam importuna sermonibus: tuas denuò, si liceat, laudes, sacra vnio, canam. Tu Deum famulatu continuo colis: tu spiritualia præfers caducis: tu ad puritatem regulæ sacræ (quantũ hoc tempore infirmitas debilium patitur) gressus tuorum dirigis: tu vanas mundi pompas deuota contemnis, iustitiã diligis, fraternitatis vnitatem custodis. Et, quia Domino Deo tuo in synceritate conscientię famularis, idcircò benedixit te in miserationibus suis: vt, quanto in obseruantia regulari serues ampliùs, tanto in necessarijs corporis abũdantiùs eius pietate cumuleris. Sed caue, nè tibi saturitas panis & ocium, materiem præbeant delinquendi. Intuere pristinas reformationes, feruoris antiquorũ exordia metire: & te quoq; periculis, si negligas, pertimescas obnoxiam. Te lucernis comparandam existimo, quibus si oleum desit, citò extinguũtur. Multæ olim, vt diximus, reformationes diuersis temporibus in ordine viguerunt, de quibus hodiè in vita monachorum nul-

lum inuenitur vestigium. Feruor deuotionis ex tempore consumitur, nisi prouidentiæ fomentis quotidiè renouetur. De tua perseuerantia quid dicam, ô mater fructifera? Peribisne cum tempore more cæterarum? Quàm diù, eredam, subsistes? Non sum ꝓpheta, & nulla mihi de futuris euentibus relucet cognitio. Sed cùm præteritorum notitiâ plerunque futura metiamur, liceat mihi paululùm spei meæ ancoram in altum eleuare. Annis iam fermè quinquaginta reformatio nostra viguit, adeò fortis in pluribus, sicut ab initio feruebat in paucis: quanquàm infirmos semper nobiscum habeamus, quibus fortiorũ industria comprobetur. Non enim omnia volumus omnes: nec est dilectio singulorum communis. Sed paucorum infirmitas, multorũ virtutes non potest minuere. Duo sunt, quæ mihi spem magnam de perseuerantia nostræ vnionis polliceri vidétur: annale, videlicet, capitulũ, & visitatio monachorum. Vnum eorum si tollas, citò reformatio peribit. Quòd si opponens dicas, veteres quoquè cum visitationibus celebrâsse capitula, & nihilominùs defecisse: magnũ nobis labyrinthum nè putes apertum. Benè quidem inceperunt, ad tempus capitula celebrârunt: sed defuit perseuerãtia. De nostris autem præterita rememorari possumus, nequaquàm futura prædicare. Si, inquam, tollatur annale capitulum, si visitationes monasteriorum fuerint intermissę: reformatio Bursfeldensis, vt cæteræ, expirabit. Ad vos nunc igitur, patres venerandi, conuertor: vos, qui nobis ex tempore rectores monachorum succeditis, cõtestor: seruate ordinem in disciplina, mores vestros ad normã sanctæ reformationis corrigite, mũdum fugite, seruate charitatem, annale capitulum, & consuetę visitationis officiũ in robore suo excolite: quia quod duo in capite faciunt, hoc agunt hæc duo in reformatione. Nam si oculos de capite videntis ẽruas, hominem cæcum reddis atque deformem: capitulum & visitationes si intermiseris, reformationem in nihilum redegisti. Igitur, ô patres, veterum instituta seruate, & hæc duo quæ diximus, nolite deponere, si reformationem sanctissimam cupitis inuiolabilem perdurare. Sed vereor, nè post decessum reuerendissimorum Patrum, qui zelum habent disciplinæ, & reformationem magnificè dilatárunt, iuuentus noua sibi quærat concilia, statuta negligat, reformationem contemnat. Scio enim, quia exurgent multi, quales & nunc in ordine surrexerunt: qui reformationem sanctam habebunt exosam, nomen originale detestabuntur, confundent vnitatem. Hi sunt, quos ex humilibus & abiectis, reformatio fecit excelsos, leuansque de stercore, posuit in sublimi: ditauit pauperes, ex miseris fecit gloriosos. Væ tibi, qui tantorum beneficiorum immemor, matrem sanctam, te glorificantem, temeratè contemnis. Nos autem, patres, in adiutorio altissimi confidentes, sedulis cum precibus exoremus, vt ad laudem nominis sui hanc, de qua loquimur, venerandam vineam religionis nouiter instauratam, solita benignitate sua conseruet, & ab omnibus tueatur aduersis.

De persecutione huius sanctæ reformationis, & odio peruersorum.

CAP. XIII.

Moribus bonorum, prauitas æmulorum inuidentium semper ab initio aduersari consueuit: quæ se alioquin tutam non æstimat, nisi laudes innocentium peruerso dente corrumpat. Cùm itaque hac nostra ætate variæ ordinum reformationes vigeant: scilicet, nostri, Canonicorum regularium, Prædicatorum, & Minorum: nulla est, quæ dentes æmulorum non sit experta. Reformatorum enim vita, semper displicuit deformatis: & malis hominibus, bonitas deuotorum nunquàm placere consueuit. Vndè non miramur, si nostræ quoquè reformationi quosdam patiamur infestos: cùm virtutes semper inuidia sequatur, feriantque, iuxta illud Horatij, summos fulgura montes. Solet enim bonos mores odire peruersa conditio, quæ suam innocentiam æstimat, si vitam aliorum velut nocentem corrumpat. Sed consolatio Apostolica nos confortat, dicens: Omnes, qui piè viuere volunt in Christo, persecutionem patientur. 2. Timot. 3. Qui, teste conscientia, in via Domini fortiter ambulat, latratus canum insipientium non formidat. Multi sunt deniquè tam principes, quàm ecclesiarum rectores, qui reformationem nostram Bursfeldensem magno fauore prosequuntur. Cur ergò peruersorum odia timeremus, quibus displicere laudabile est? Sed nunc iam, si libet, aduersariorum argumenta discutienda proponamus, & quanta poterimus breuitate refellamus. Dic mihi, bonarum inuide rerum, dic mihi: quid est, quod te in Bursfeldensi vnione offendit? genus, an species? nomen, an virtus? vita, an meritum? Si tibi genus displicet, audi scripturam: Vos, inquit, genus electum. 1. Pet. 2. Cuius electum? Vtiquè Dei. Quod ergò Deus elegit, qua temeritate condemnas? Ipsius enim genus sumus, cuius exequimur voluntatem. Acto. 17. Sed causaris fortitan de generatione sanguinis, quasi contemptos

temptos ingenuos doleas. Si legem monachorum attendas, nulli nos iniuriam fecisse agnosces. Nō spernimus nobiles, quorum ingenuitas moribus relucet decentibus. Regula omnibus se deuotè subeuntibus sine generis differentia patet: quam nobis non licet in contrarium constringere. Sed habet interdùm elationem amicam generis alti progenies, quam norma Benedicti abhorret. Præfert enim regula illius non genus, sed mores. Esto humilis, quod maximè decet monachum: esto mansuetus, obediens, morumque lenitate decorus: & generis in te nobilitas iure commendabitur. Si species displicet, Dominum audi protestantem: Species agri mecum est. In odore huius agri vnguenta virtutum miris sunt insignita ornatibus. Sed fugit bonos aranea venenata odores. Et quidem decet religiosos, peruersorum moribus fulgere contrarijs. Nomen Bursfeldense si displicet, stolidus es: qui, rerum maiestate omissa, de vocabulo nominis altercaris. Denique infer vlterius, cur nomen Bursfeldēse tantoperè detesteris? Putásne in nomine consistere virtutes, aut vitia? Si humile nomen offendit, non lædit, nisi superbum. Porrò elatum humiles non aduertunt. Si verò nec virtutes in nomine haberi consentis, nec vitia, Bursfeldensibus sine causa indignaris. Si displicet virtus, vitiosissimus es. Virtus enim non potest displicere, nisi peruersis: vita etiam non displicet, nisi contraria. Tu autem, si vitam huius sacratæ vnionis professorum repræhendis, tibi esse contrariam fateris. Cùm autem non lateat sub vmbra, inuidus iudicaberis testimonio euidenti, qui sancta monachorum exercitia corrodis, ieiunia oppugnas, disciplinam peruertis, simplicitatem iudicas, blasphemas vnitatem. Quòd si meritis inuides, gratiam Dei oppugnas, qui merita largitur & præmia. Non curant veri monachi verba detractorum, qui testimonio conscientiæ suæ intùs contenti, probationem foris non quærunt: quanquàm suo exemplo neminem velint abire scandalizatum. Sed veritas scandalo iusta peruertentium præponenda est. Quiescit sub vmbra Apostolici culminis hæc vnio reformata, & ideò non metuit odia detractorū.

Psal. 49.

De approbatione ordinis nostri ab initio, & de confirmatione vnionis Bursfeldensis.

CAP. XIIII.

Etenim summi pontifices, & concilia generalia, quæ vniuersam repræsentant Ecclesiam, hunc ordinem sacrum diui patris Benedicti ab initio sui approbārūt, & magnis donatum priuilegijs, ei inter oēs ordines cæteros concessere principatum: quippe numero, personis, & merito ordines excellit vniuersos. Ad cuius euidentissimam cōfirmationem accedit, quòd multi præstantissimi Romanę, aliarumque ecclesiarum pontifices, de illo noscuntur assumpti: de quibus in quarto libro, adiuuante Domino, sumus habituri sermonē. Succedēte quoquè tempore, post aliquantulam in plerisque locis sacri ordinis ruinam, nouam reformationem denuò inceptam summi pontifices approbārunt, & maximis fauoribus extulerūt, gratū omnipotenti Domino iudicantes, si quid in laudem ordinis Benedicti fecissent, quę olim clarissimis nouerant ornatum luminibus. Sed & hanc nostram quoquè nouissimam reformationem sub alis Apostolicæ protectionis recipientes, confirmārunt, & non spernendis priuilegijs munierunt: quemadmodùm hoc multis possemus manifestare documentis, si nunc immorandum talibus probaremus. Statuta insupèr annalis capituli pro conseruatione reformationis ratificantes, ad monachorum obseruantiam approbata decernunt. Nemo igitur quorūlibet religiosorū instaurationes despiciat, quorum mores & stabilitatem ignorat. Nemo currere non potēs, benè currentes iudicet: nemo agiliter occurrens, stantes cōtemnat. Nō enim omnia possumus omnes: & ergò bonum quod non possumus, vel alios posse gratulemur. Etenim Deus, quam dedit, remunerat voluntatem: contemptus autem ignominiam parit. Non iudicans, tutior est.

Exhortatio conclusiua, & compendiosa finalis.

CAP. XV.

Iam nunc igitur, fratres charissimi, vocationem vestram diligenter attendite, & ad quid sitis vocati, sedula intentione pensate. Vocauit autem nos Deus in sanctificationem, vt simus synceri, virtutumque decorati ornatibus: obedientia maximè, paupertate, & castitate. Hæc est enim via triū dierum, per quam à Domino vocati de Aegypto huius seculi egredimur, vt eidem in deserto monasticę solitudinis immolātes vota reddamus pro liberatione nostra, quæ vouimus. Hic est funiculus triplex, qui difficilè rūpitur, quo caro monachi restricta spiritui subijcitur. Hæc tria si cōsentiāt super terrā, si à monacho perfectè custodiantur, petitiones eius in cōspectu altissimi faciunt esse placabiles. Memo-

1. Thess. 4.

Eccles. 4.

res semper debemus esse venerabilium patrum, qui nos in hoc ordine sacratissimo præcesserunt, & magno studio curare, vt sanctis moribus eorũ inhærentes, filij ipsorum esse mereamur atque participes. Nisi enim sanctorum exempla imitemur, frustrà de professione æquali gloriamur. In hac itaque peregrinatione positi, fratres, ad illam cælestem virtutum gressibus patriam festinemus, in qua legifer noster Benedictus cum imitatoribus suis monachis sine fine lætatur: vbi his, qui veri monachi sunt, summa felicitas in laboris præmium donabitur. Nemo ergò, posita manu ad stiuam, retrò respiciat: nemo tempus gratię, ad pœnitentiam indultum, negligat: nemo à sancto monachali proposito tepescat: quia sicut benè conuersantibus monachis excellentissima præmia, ità negligentibus acerbissima tormẽta parata sunt. Deus autem omnipotens, qui nunquàm deest inuocantibus eum in veritate, meritis & intercessionib⁹ sanctissimi patris nostri Benedicti, donet nobis ità in monastica conuersatione proficere, quatenùs post hanc calamitosam vitam ad ęterna gaudia mereamur peruenire. Amen. Psal. 144.

EXPLICIT LIBER PRIMVS DE laudibus ordinis sancti Benedicti, domini Ioannis Trithemij Spanheimensis Abbatis, Anno Dominicæ natiuitatis 1492.

INCIPIT PROLOGVS DOMINI IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEIMENSIS, IN SECVNDVM LIBRVM DE ILLVSTRIBVS VIRIS ORDINIS S. BENEDICTI.



CVM studia veterum, ad imitationem sui animos prouocent iuniorum, qui exemplis interdùm plùs proficiunt, quàm verbis: post finem primi libri, in quo, auxiliante Deo, initium ordinis diui patris Benedicti breuiter perstrinximus, secundo libro manus imponimus: in quo de scriptoribus agendum est, qui ordinem nostrum scriptis suis atque doctrinis exornantes, sanctam magnificè sustentârunt Ecclesiam. Hos autem viros insignes partim de illo magno volumine, quod nupèr ad dominum Ioannem Vvormatiensem edideram pontificem, extraxi: partim ex eorum voluminibus deincèps agnitos, in subiectum catalogum comportaui. Sed nemo putet, me omnium illustrium scriptorum nostri ordinis fecisse mentionem, quoniam id meis conatibus esset impossibile: sed illorũ duntaxàt, quos ad manum habere potui, de quorum scriptis minimè dubitaui. Fuerunt enim (certus sum) & alij complures illustrissimi viri, quorum nomina signata sunt in libro vitæ iustorum: qui in ordine nostro suis temporibus varia scripserunt, quanquàm ad notitiam meam non venerint, quorum ego nullam feci mentionem. Nec enim mihi ocium erat perquirendi eos, qui deessent, exigẽtibus finem operis amicis, quibus diù erat promissum. Quorundam etiam tempora ad nutum scire non potui, quos tamen, vt poteram, loco conuenientiori ordinaui. Vndè lectorem meum oro & obtestor, nè mihi velut de errore succenseat: quippe, qui nihil veritatis huic operi congruũ, scienter omisi, falsitatis voluntariè nihil inserui. Omnes autem, quos in hoc catalogo recensui, vel ex veterum historijs, vel certè ex proprijs eorum opusculis inuéni. Iam nunc igitur promissam diù narrationem inchoantes, à sancto patre Benedicto loquendi sumamus exordium.

INCIPIT

INCIPIT LIBER SECVNDVS DE ILLVSTRIBVS VIRIS ORDINIS SANCTI BENDICTI, TRACTANS DE DOCTORIBVS ET PRAECIPVIS SCRIPTORIBVS.

CAP. I.



ENEDICTVS igitur dux & princeps monachorum, ac regularis vitæ institutor magnific⁹, patria Nursensis, de nobilissimis parentibus exortus: vir sanctissimæ côuersationis, spiritu prophetiæ illustris fuit. Eius vitam plenam virtutibus beatus papa Gregori⁹ ornato descripsit eloquio, sicut in secundo dialogorũ volumine patet. Hic sacrum ordinem nostrum primus in monte Cassino incepit, anno videlicet Domini quingẽtesimo, vicesimo: vbi multitudinem monachorum ingẽtem Domino colligens, religionem etiam suam vsq; ad extremum terræ dilatauit, quemadmodùm in exordio primi libri iam nos dixisse meminimus. Hic scripsit regulam monachorum omni discretione præcipuã, sermone luculentam: sub qua nos Domino militare gaudemus. Fertur etiã breues quasdam scripsisse epistolas, de quibus nihil certi possum adstruere. Moritur, vt volunt quidã, anno Domini quingentesimo, quadragesimosecũdo, indictione quinta. Sed Marianus Scotus monachus Fuldensis aliter sentit, dicens, eum obijsse anno Domini sexcentesimo primo, indictione quarta, ætatis suæ anno plùs minúsve nonagesimo. Et verisimile est.

De Fausto monacho.

CAP. II.

FAVSTVS monachus, & discipulus sanctissimi patris nostri Benedicti, vir moribus & conuersatione insignis, in diuinis literis non infimè doctus fuit. Hic septennis, sancto magistro à parẽtibus traditur, monasticis institutis imbuendus: à quo in timore Domini diligenter instructus, boni præceptoris imitator magnificus efficitur. qui cum beato Mauro in Galliam missus, Domino ibidem in cœnobio multis annis strenuè militauit: donèc tandèm post eius mortẽ ad cœnobiũ Casinẽse reuersus, petentibus fratribus omnibus, vitam eiusdẽ sancti Mauri claro descripsit eloquio, quam Bonifacius papa confirmauit. Claruit anno sexcentesimo.

De Cassiodoro Abbate.

CAP. III.

CASSIODORVS Theoderici regis Italiæ quondàm cancellarius, ac deindè vrbis Rauennatæ senator, vir in secularibus scripturis eruditissimus, philosophus & rhetor insignis: cùm sancti patris nostri Benedicti famam & religionẽ audisset, diuino amore inspiratus, seculũ contemnẽs, in vno cœnobiorum eius monachus effectus est: in quo omnipotenti Deo ex toto corde seruire cupiẽs, ad studium sanctarũ scripturarum totum se cõtulit, in quibus tum legendo, tum scribẽdo adeò profecit, vt suo tempore vix haberet æqualẽ, in quo tanta vtriusq; literaturę abundaret sciẽtia. Testãtur hoc multa præclara, quæ scripsit, opuscula: de quibus ego ad pręsens tãtùm reperi subiecta. In Psalterium totum, opus egregium, cẽtum quinquaginta tractatus: de ratione animę librum vnum: tripartitã historiã nostrã fecit lib. 12. in Cantica canticorũ lib. vnum: de institutione diuinarum lectionum libros tres: memoriale diuinarum scripturarũ lib. 1. in epistolas Pauli breues cõplexiones lib. 14. in Actus Apostolorum librum vnum: in Apocalypsin lib. vnum: catalogum Romanorum cõsulum lib. 1. de Grammatica, de Dialectica, de Rhetorica, de Philosophia, de Mathematica, de Geometrica, de Astronomia, de Musica, epistolarum ad diuersos, libros vigintiocto: etymologiarum librum vnum: de tropis & schematibus librum vnum. Alia quoquè multa edidit, quæ ad notitiã meã non venerunt. Hic post aliquot côuersionis suæ annos, Abbas electus est, & monasterio multo tẽpore vtiliter præfuit. Cùm esset annorũ nonagintatrium, rogatu fratrũ scripsit de orthographia elegantissimũ librum, cuius regulas de duodecim nominationibus collegit. Claruit autem circa annum Domini sexcentesimum.

De Dionysio Exiguo Abbate.

CAP. IIII.

DIONYSIVS Abbas Romanus, cognomẽnto Exigui, vir in diuinis scripturis valdè eruditus, & in secularibus literis peritissimus: calculator & geometer insignis, Græco & Latino instructus eloquio. qui doctrinæ suæ magnam apud veteres authoritatem consecutus, edidit nõ spernenda opuscula, de quibus pauca ad meam notitiam peruenerunt. De ratione Paschæ librum: cyclum quoquè magnum quingen-

quingētorum trigintaduorum annorum: epistolas etiam nonnullas composuit. De Græco in Latinum transtulit scripta Proterij Alexandrini ad Leonem papam de Pascha celebrando, & librum Gregorij Emiseni de hominis conditione. Vitam quoquè sancti Pachomij Latinam fecit. Claruit anno Domini quingentesimo septuagesimo.

De Columbano Abbate.
CAP. V.

COLVMBANVS fundator, & primus Abbas Luxouiensis, natione Scotus, vir meriti & sanctitatis eximiæ, multos pro Christo sustinens labores, cùm adhuc in Hybernia adolescens degeret in monasterio, tantùm in scripturis studēdo profecit, vt non contemnenda opuscula ediderit: è quibus extat opus insigne limato sermone in toto psalterio, lib. 1. De cæteris, quæ cudisse dicitur, nihil ad meam recolo peruenisse notitiam. Erat autem verbi Dei prædicator zelosus, & valdè egregius: qui amore Dei natale solum dulce relinquens, peregrinus Christi factus est: & veniens in Alemaniam, Galliam, & Burgundiam, multos verbo & exemplo ab iniquitate auertit. Construxit multa cœnobia tam in his nostris regionibus, quàm in Hybernia. Claruit anno Domini sexcentesimo.

De Iona monacho.
CAP. VI.

IONAS monachus, & discipulus sancti Columbani, & socius beati Galli, vir in diuinis scripturis studiosus, & secularium literarum nō ignarus, ingenio purus, eloquio compositus: multorum sanctorum vitam scripsisse dicitur. de quibus ego tantùm reperi vitam sancti Columbani Abbatis magistri sui, lib. 1. vitam sancti Eustasij Abbatis, qui Columbano expulso in regimine Luxouiēsis cœnobij successit, lib. 1. vitam sancti Attilæ monachi & discipuli sancti Columbani, lib. 1. Claruit anno Domini sexcētesimo tricesimo, sub Heraclio.

De Eugipio Abbate.
CAP. VII.

EVGIPIVS Abbas in diuinis scripturis studiosissimus, & librorum beati Augustini feruentissimus indagator & lector, ingenio subtilis, & clarus eloquio: hortatu Randucis episcopi Neapolitani, deflorauit ex omnibus libris Augustini codicē magnæ vtilitatis ad Probam virginem, quem per manus præfati pontificis, ecclesiæ Neapolitanæ obtulit. Scripsit etiā vitam sancti Seuerini monachi, lib. 1. & regulam viuendi monachis eiusdem cœnobij per modū exhortationis, lib. 1. Si quid ampliùs edidit, ad notitiam meam nō peruenit. Claruit, teste Sigeberto, sub Tiberio Constantino imperatore, & Pelagio papa secundo, anno Domini quingentesimo octogesimo.

De Gregorio papa magno.
CAP. VIII.

GREGORIVS papa primus, ex monacho & Abbate sancti Andreæ Apostoli in vrbe Roma, quod ipse fundauerat, vir sanctissimæ conuersationis, in diuinis scripturis eruditissimus, & in secularium literarum disciplinis valdè peritus: philosophus, & rhetor insignis, eloquio dulcis, & mirabili venustate disertus: cui profunda scripturarum spiritus sanctus visibili specie visus apparere, inuisibili patefecit instinctu. Scripsit multa præclara volumina, de quibus subiecta feruntur: Ad Leandrum episcopum Hispalensem commentariorum Moralium in Iob libros trigintaquinque, opus, pfectò vtile, & omni laude dignissimum: in primā, in vltimam partem Ezechielis homiliarū libros duos: ad Marianum episcopum in quibusdam euangelijs homilias quadraginta lib. 2. ad Ioannem episcopum Rauennat. de cura pastorali libros duos: ad reginam Longobardorum, dialogorum libros quatuor: de conflictu virtutum ac vitiorum, librum vnum: in Cantica cāticorum, homil. quatuor: in quatuor Euāgelia expositionem breuem & succinctam, quā reperi in quodam cœnobio nostri ordinis, in vetustissimo codice, quæ aliàs rarissima est: rationale diuinorum officiorum, lib. 1. procemiorum noui & veteris Testamenti, librū vnum: de sacramentis librum vnum: regulas viuendi, ad Anglos nouiter conuersos, lib. 1. epistolarum libros tredecim. Alia quoquè multa opuscula edidit, quæ inuidia æmulorum igne combussit: videlicet, de Prophetis, de quinque libris Moisi, in Regum, & alia plura: sicut Ioannes Diaconus in vita eius expressit. Hic etiam beatissimus Pontifex antiphonarium dulci melodia centonizauit. Missale ordinauit, & scholas cantorum in vrbe Roma constituit, & alia multa laudabiliter fecit. Moritur anno Domini sexcentesimo tertio, indictione sexta.

De Leandro Hispalensi episcopo.
CAP. IX

LEANDER ex monacho nostri ordinis, episcopus Hispalēsis ecclesiæ prouinciæ Bæticæ, natione Afer, patria Carthaginensis, patre Seueriano genitus, beati papæ Gregorij singularis amicus, à quo commentarios expositionis libri Iob impetra-

petrauit: vir sanctæ, & religiosæ conuersationis, in scripturis diuinis studiosissimus, ingenio præstans, eloquio suauis & compositus: cuius prædicatione & industria tota Vuesegothorum gens ab Arriana impietate ad fidem catholicam est conuersa: scripsit multos ac varios tractatus, in quibus doctum ingenium eius ostenditur, de quibus ista feruntur: Aduersùm hæreticos libros duos: Aduersùm instituta Arrianorum librum vnum: Ad Florentiam sororem de institutione virginum, librum vnũ: orationes pulcherrimas in totũ psalterium secundùm duplicem editionem: de baptismo ad sanctum Gregoriũ papã: ad fratrem de contemptu mundi, librum vnum: Epistolarum ad diuersos, librum vnum: in sacrificij quoquè laudibus multa dulcisonè composuit, & alia plura nobis incognita. Claruit cũ Gregorio papa sub Phoca imperatore, anno Domini sexcentesimo.

De Gregorio Turonensi.

CAP. X.

GREGORIVS Florẽtius, ex monacho nostri ordinis archiepiscopus Turonẽsis, vir sanctus, Deo & hominib' dilectus, in sacris scripturis optimè peritus: in perscrutãdis gestis sanctorum studiosissimus fuit. Hic magna sanctitate beato papæ Gregorio innotuit, quem ad limina sanctorũ apostolorum Petri & Pauli Romam venientem & reuerenter suscepit, & verè sanctum agnouit, sicut in tertio huius opusculi libro pleniùs, Deo largiente, dicemus. Qui cùm esset vir doctus & eruditus, scripsit aperto sermone plura opuscula, de quibus ego tantùm vidi subiecta: Ecclesiasticam historiam de gestis Francorum, libros decem: de laude sanctorum martyrũ librum vnum: de miraculis sancti Iuliani martyris librum vnum: de miraculis sancti Martini, Turonensis quondàm archiepiscopi, libros quatuor: de vita sanctorũ patrum librum vnum: & quædã alia edidit, quæ necdùm vidi. Claruit anno Domini sexcentesimo.

De Claudio Abbate.

CAP. XI.

CLAVDIVS Classitanæ vrbis Abbas, in scripturis diuinis studiosissimus, & beato papæ Gregorio magna familiaritate coniunctus, multa de Prouerbijs & Canticis canticorũ, de Heptatico, de Prophetis, de libris Regum, quæ loquente Gregorio audierat exponi, nec tamen ab Gregorio propter infirmitatem absoluta erant, ipse suo sensu dictauit, ne periret: vt apto tempore emẽdatiùs dictarentur. quę cùm Pontifex comperisset valdè in multis permutata esse, studiosiùs recollegit, & oportunè correxit. Si quid Claudius ampliùs cõposuit, ad notitiam meam non peruenit. Claruit anno Domini sexcentesimo.

De Hæderico monacho Romę.

CAP. XII.

HAEDERICVS monachus sancti Gregorij papæ, tãto ad libros eius flagrabat desiderio, vt in eorum versari lectionibus summas æstimaret delicias. Fuit enim vir in diuinis scripturis studiosissimus: vndè fertur nõnulla perscripsisse opuscula, quibus doctum ingeniũ eius ostẽditur. Extat volumen insigne, quod ex commentario eiusdem sacrati Pontificis libri Iob, in vnum multo labore deflorauit, in quo sententias optimas congessit. Claruit anno Domini sexcentesimo quadragesimo.

De Martino Dumiensi episcopo.

CAP. XIII.

MARTINVS ex Abbate Dumiẽsis cœnobij episcopus Galliarũ, veniens ex partibus Orientis in Galliam, populos Sueuorũ ab Arriana impietate ad fidẽ conuertit catholicam, regulamq; fidei & sanctæ religionis cõstituit, ecclesias reformauit, cœnobia condidit, ac pię institutionis præcepta copiosa ꝑmulgauit. Scripsit, inter alia ad Mitonem regem de differentia quatuor virtutum, librum vnum, & alia. Claruit anno 650.

De Eutropio episcopo Valentino.

CAP. XIIII.

EVTROPIVS Abbas monasterij Sirbitani, & episcopus Valẽtianæ vrbis, vir in diuinis scripturis admodũ eruditus, & regularis disciplinæ zelosus amator, ingenio clarus, & fulgens eloquio: scripsit nõ contemnendæ lectionis opuscula, de quibus ad meam notitiam pauca peruenerũt: Ad Licinianum Carthaginensem Spartarum episcopum, de baptizandis infantibus librum vnum: ad Petrum episcopum de coërcione monachorum librum vnum: epistolas etiam multas scripsit ad diuersos. Claruit anno Domini sexcentesimo decimo.

De Ioanne Gerundensi episcopo.

CAP. XV.

IOANNES ex monacho Gerundensis sanctissimus antistes, natione Gothus, prouinciæ Lusitanię, vir scientia & doctrina, morumque religione venerabilis fuit. qui cùm adolescens esset, & amore discẽdi Orientem peteret, apud Cõstantinopolim literis tam Latinis, quàm Græcis per septennium vehemens studium impendit: deindè ad Hispaniam doctissimus reuertitur. Hũc rex Leuigildus Arriana impietate fœdatus, cùm eum ad errorem suum inflectere non posset, per decem annos continuò

damnauit exilio, vbi pro fide catholica multas sustinuit iniurias. Tandèm liberatus Biclarense monasterium condidit, in quo deincèps Domino militauit. Scripsit exhortatorium ad monachos librum vnũ: additionem chronicarum librum vnum. Alia insupèr multa scripsisse dicitur, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit anno Domini sexcentesimo decimo.

De Cæsario Arelatensi episcopo.
CAP. XVI.

CAESARIVS monachus & Abbas Lirinẽsis cœnobij, & posteà episcopus Arelatẽsis, vir doctus & sanctus, & egregiꝰ ꝑdicator: ingenio prõptus, eloquio suauis & dulcis, & pulchra varietate distinctus, ad persuadendum satis idoneus: scripsit ad instructionem monachorum pulchros, vtilesque sermones, de quibus nos viginti & duos duntaxàt legimus, in quorum tertio se beati patris nostri Benedicti imitatorem profitetur & discipulum, dicens: Hæc itaque, fratres charissimi, cogitantes, & in hoc agone desudantes, gloriosi & præclari patris nostri Benedicti nos discipulos nouerimus esse, & filios. Cætera, quæ scripsit, nõ vidi. Claruit anno Domini sexcentesimo nonagesimo.

De Adamanno Abbate.
CAP. XVII.

ADAMANNVS presbyter, & Abbas Scotorum insulæ Huensis, vir in diuinis scripturis valdè studiosus & eruditus, secularium quoquè literarum non ignarus, ingenio cautus, & dulcis eloquio, vita & moribus venerabilis: pater multorum millium monachorum fuit. Huius cum laude meminit Beda in quinto ecclesiasticæ historiæ libro. Qui cùm vir doctus esset, & vndecunquè peritus, scripsit de locis terræ sanctæ opus insigne librum I. & alia nonnulla, præsertim epistolas. Claruit anno Domini sexcentesimo nonagesimo.

De Theodoro archiepiscopo.
CAP. XVIII.

THEODORVS monachus Romanus, natione Græcus, à Vitaliano papa septimus archiepiscopus Cantuariensis in Anglia destinatus, vir in diuinis scripturis valdè eruditus, & in obseruãtia catholicæ traditiõis studiosissimus: habita synodo in Anglia, multa ad vtilitatem Ecclesiæ constituit. De cuius laude sanctissimisque laboribus, Beda in quarto & quinto ecclesiasticæ historiæ pluriès fecit mentionem. Scripsit autem librum de pœnitentię qualitate notabilem, quem Gratianus decreti compilator sæpè allegat. Moritur anno Domini sexcentesimo nonagesimo, indictione tertia, ætatis suæ anno octogesimo octauo, pontificatûs autem vicesimo secundo.

De Benedicto Abbate in Anglia.
CAP. XIX.

BENEDICTVS Abbas sanctorum Petri & Pauli apostolorum in Anglia, sub cuius magisterio Beda, cùm esset puer septem annorum, à parentibus traditur, vir in sanctis scripturis admodùm studiosus, & regularis disciplinæ gubernator zelosus, qui non sine sanctitatis opinione decessit: scripsit librum vnum ad monachos, quem vocauit Concordiam regularum, multorum patrum regulas regulæ sancti Benedicti Cassinensis cõferens & ostendens, quòd illa omnibus regulis patrũ consentiat. Claruit autem anno Domini sexcentesimo septuagesimo.

De Ceolfrido Abbate ibidèm.
CAP. XX.

CEOLFRIDVS eiusdẽ cœnobij post Benedictum Abbas, sub quo Beda monachus multa volumina scripsit, vir doctus & deuotus: fertur nonnullas scripsisse epistolas eruditione plenas ad diuersos, de quibus ego illam duntaxàt legi, quam ad regem Pictorum de legitima ratione Paschæ consulentem satis idoneam dedit, in qua regi satisfaciens, ad vnitatem Ecclesiæ gẽtem Pictorum reduxit. Claruit anno Domini septingentesimo. Qui dum Romam amore apostolorum visitâsset, reuertens cum multis alijs, vbi Lingonas peruenisset, tactus infirmitate, moritur, anno ætatis suæ septuagesimoquarto, presbyteratûs quadragesimoseptimo, Abbatiæ autem tricesimoquinto.

De Beda presbytero & monacho.
CAP. XXI.

BEDA presbyter, & monachus cœnobij sanctorum Petri & Pauli apostolorum in Anglia, discipulus Benedicti & Ceolfridi Abbatum, vir in diuinis scripturis studiosissimus, vita & conuersatione insignis: non minima pars doctorum fuit. Qui cùm septem esset annorum, præfato cœnobio cura parentum traditur, in quo sub dictis Abbatibus mirabiliter proficiens, in virum doctum & sanctissimum euasit. Omne tempus vitæ suæ studio scripturarũ impendit: qui non solùm in sacris literis, sed etiã in omnibus humanitatis artibus lõgè doctissimus fuit. Nunquàm torpebat ocio, quod multi nostrorum iam faciunt, nunquàm à studio cessabat: semper legit, semper scripsit, semper docuit, semper orauit, sciens, quòd amator scientiæ salutaris, vitia carnis facilè supe-

superaret. Vndè officium Abbatis oblatum nunquàm voluit suscipere: nè curis rei familiaris distractus, ab amplexu speciosæ Rachelis vel ad modicum se cogeretur elongare. Nam si Abbas fuisset, nunquàm tot & tanta volumina edidisset. Officium quippe curam requirit, cura mentem distrahit, distractio studium literarum impedit. Scripsit autem multa præclara opuscula in omni varietate scripturarum, de quibus ista feruntur: in Genesim, in Exodum, in Leuiticum, in Numerorum, in Deuteronomium, in principium libri Regum libros tres: quæstiones triginta de libris Regum, librum vnum: de tabernaculo & vasis eius, libros quatuor: de ædificatione templi, libros duos: in Iosue, librum vnum: in Iudicum, librum vnum: in Paralipomenon, libros duos: in Prouerbia Salomonis, libros tres: in Ecclesiasten, librum vnum: in Cantica canticorum, libros octo: item in Cantica canticorum ex dictis beati Gregorij papæ, deflorauit librum vnum: in psalterio, librum vnum: in Esdram & Neemiam, libros quatuor: in Tobiam, librum vnum: in Esaiam prophetam, libros duos: in Ezechielem prophetam, libros duos: in Danielem, librum vnum: in duodecim prophetas minores, libros duodecim: in euangeliũ Matthæi, in euangelium Lucæ, libros sex: in euãgelium Marci, libros quatuor: in euangelium Ioannis: homiliarum in diuersis euangelijs, libros duos: sermones quoquè in diuersis materijs, librum vnum: in epistolas Pauli omnes, libros quatuordecim: in epistolas Canonicas, libros septem: in Actis Apostolorum, libros duos: in Apocalypsin Ioannis, libros tres: de temporibus volumen minus, librũ vnum: de temporibus volumen maius, libros duos: scintillarum ex sententijs patrum, librũ vnum: de gestis quorundam sanctorum, librum vnum: martyrologium, librum vnum: de passione sancti Felicis, librum vnum: de vita sancti Alberti episcopi, librum vnũ: Chronicon sui monasterij, libros duos: Ecclesiasticæ historiæ de gestis Anglorum, libros quinque: Hymnorũ diuerso metro, librum vnum: epigrammata heroicis versibus, lib. 1. de locis sanctis, lib. 1. de Christo & ecclesia, lib. 2. distinctiones in Ieremiam, librum vnum: in Iob distinctiones, librum vnum: in vetus Testamentum lectiones, lib. 2. in nouum Testamentum lectiones, lib. 2. de Orthographia, lib. 1. de Arithmetica, lib. 1. de arte Poetica, lib. 1. de cõputo ecclesiasticò, lib. 1. epistolarum ad diuersos, lib. 1. Alia quoquè multa edidit, quę ad notitiam meam non venerunt. Huius eruditissimi viri opuscula etiam adhuc eo in carne viuente, ac semper noua scribẽte, tantæ authoritatis habebãtur ab omnibus, vt, iubentibus ecclesiarum prælatis, in ecclesijs & conuentibus fidelium publicè legerentur. Vndè factum est, vt, cùm in homiliarum titulis viuentem nõ possent sanctitatis nomine appellare, venerabilẽ nuncupabãt: qui titulus tunc libris eius semel insertus, nunquàm posteà deleri potuit. Vndè vsque in hodiernum diem non sanctus Beda, sed venerabilis, appellatur, quãuis de sanctitate eius dubium non sit. Sed non refert, quo nomine appelletur in terris, qui cum sanctis omnibus regnat in cælis. Sunt qui huius tituli alias fingant causas, cùm eius epitaphium non ità habeat, quemadmodùm isti putant: nec cęcus fuerit, vt somniant. Moritur anno Domini 733. indictione prima, ætatis suæ anno 72.

De Aegidio monacho & Abbate.

CAP. XXII.

AEGIDIVS Abbas, natione Græcus, vir in diuinis scripturis eruditus, & in secularibus literis valdè peritus: philosophus, poeta, ac medicus insignis, metro excellens & prosa: scripsit metricè opus egregium de pulsibus, librũ vnum: de venis quoquè eodem genere dicendi, librum vnum. Si quid ampliùs edidit, ad notitiam meam non peruenit. Hunc nonnulli æstimant sanctum illum fuisse Abbatem, cuius festum Kalendis Septembris colitur: quod an ità sit, nõ satis perspicuum habeo. Hoc autem scio, quòd tempus & patria in eam consentiunt, nec duo huius nominis monachi in chronicis reperiuntur, sed vnus. Et verisimile est, quòd sanctus Aegidius ante conuersionem suam philosophiæ ac medicinæ operam dederit. Claruit circa annum Domini 710.

De Ioanne Damasceno.

CAP. XXIII.

IOANNES monachus & presbyter de Damasco Syriæ, vir vita & doctrina clarissimus, animatus scriptis Gregorij papæ secundi (quem nostri ordinis plures fuisse asseuerant) scripsit Græco sermone contra Leonem imperatorem Constantinopolitanum, imagines sanctorum deponentẽ, magnæ authoritatis opuscula. Sed & alia quædam edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit temporibus eiusdem Gregorij papæ secundi, anno Domini 720.

De Bonifacio archiepiscopo.

CAP. XXIIII.

BONIFACIVS ex monacho primus archiepiscopus Moguntinus, natione Scotus, vir doctrinæ & sanctitatis in-

comparabilis fuit. Qui cùm puer esset adhuc quinque annorum, in quodam cœnobio Angliæ nostri ordinis, quod Muschellæ dicitur, à parentibus Domino seruiturus oblatus est: in quo proficientibus ex tempore meritis, presbyter ordinatus, tantum diuinis literis studium impendit, vt doctor omnium opinione clarissimus haberetur & esset. Tandem amore CHRISTI, & zelo animarum accensus, cum licêtia sui Abbatis peregrinus factus, prædicando verbum Dei, venit in Germaniam, vbi multos fide & exemplo ad fidem Christi conuertit. cuius prædicationis instantiam cùm beatus papa Gregorius secundus audisset, episcopum Moguntinensis ecclesiæ ordinauit, quem eius successor Gregorius tertius honore pallij in archiepiscopum sublimauit. qui cùm vir esset doctissimus, scripsit vitam quorundam sanctorum, & breues tractatus: de quibus ego tantùm reperi vitam sancti Lebuini librum vnum: epistolarum ad Zachariam papam, & alios diuersos, librum vnum: opus versibus exaratum insigne de virtutibus & vitijs, librum vnum. Tandem post multos labores in Frisia prædicans fidem Christi, martyrio coronatus est, anno Domini 755. indictione octaua, episcopatûs sui anno 36. Nonis Iunij: & Fuldam relatus, ibidem, sicut antè disposuit, sepultus est.

De Vuillibaldo monacho.

CAP. XXV.

VVILLIBALDVS monachus, & presbyter, discipulus beati Bonifacij Moguntini archiepiscopi, & martyris: vir in diuinis scripturis eruditus, & secularium literarum non ignarus, ingenio clarus, & disertus eloquio: non minùs religionis honestate, quàm doctrina venerabilis: scripsit ad Lullum archiepiscopum successorem sancti Bonifacij, vitam & passionem eius librum vnum. Fertur & alia ingenij sui monimenta reliquisse, quæ in manus meas non venerunt. Claruit anno Domini septingentesimo septuagesimo.

De Alcuino Abbate Turonensi.

CAP. XXVI.

ALCVINVS, siue Albinus, Abbas cœnobij sancti Martini extra ciuitatem Turonicam, de Britannia oriundus, & inde à Carolo Magno euocatus, apud quem tanta familiaritate acceptus fuit, vt magister appellaretur eius deliciosus, quo maxime docente imperator ipse omnes artes, quas liberales vocant, didicit: vir certe tam in diuinis scripturis, quàm in secularibus literis, suo tempore omnium opinione doctissimus. Hic fuit discipulus quondàm venerabilis Bedæ presbyteri in Anglia: post cuius decessum cum tribus socijs monachis venit in Galliam, & aliquandiù in monasterio Fuldensi moratus, plures ex monachis clarissimos enutriuit discipulos: inter quos habuit præcipuos Haymonem posteà episcopum, Isuardum monachum, & Rabanum Maurum tunc puerum, qui in virum magnum posteà excreuit. Tandèm prouisione Caroli Abbas sancti Martini Turonensis effectus, doctrina & sanctitate clarus effulsit. Hic iussu Caroli studium Parisiense à Roma translatum primus instituit, vbi multos etiam ex monachis discipulos insignes educauit. Scripsit autem multa & varia opuscula, de quibus ista feruntur: In Genesim librum vnum: quæstiones Genesis librum vnum: in Cantica canticorum librum vnum: Enchiridion in quibusdam psalmis librum vnum: in Ecclesiasten: in epistolam Pauli ad Hebræos librum vnũ: in omnes epistolas Pauli libros quatuordecim: in euangelium Ioannis libros septem: ad Carolum imperatorem de sancta Trinitate & fide catholica lib. tres: dialogus de sancta Trinitate lib. 1. sententiarum librum vnum: ad Eulaliam virginem de natura & immortalitate animæ librum vnum: ad Guidonem Comitem, de virtutibus & vitijs, summa librũ vnũ: ad discipulos suos dialogus, librum vnũ: in Apocalypsin Ioannis lib. 1. de adoptione filiorum Dei librum vnum: de benedictionibus patriarcharum lib. 1. de vita sancti Vedasti episcopi lib. 1. quæstiones de sancta Trinitate librum vnum: de ecclesiasticis dogmatibus lib. 1. speculum quoquè paruulorum lib. 1 de proprietatibus nominũ, quæ Deo attribuuntur in scripturis librũ vnum: de Grammatica, de Logica, de Orthographia, de Musica, de Astronomia, de arte Poetica, de sparsione literarum in metris, de Arithmetica & Geometria, de Rhetorica: epistolarum ad diuersos, quæ rarò simul inueniuntur librũ vnum: Prognosticon de futuro seculo librum vnũ. Edidit & alia multa, quæ ad notitiam meã non venerunt. Claruit sub Carolo Magno, anno Domini 780.

De Ioanne Scoto.

CAP. XXVII.

IOANNES Scotus monachus in Anglia, auditor quondàm venerabilis Bedę presbyteri, socius & collega domini Alcuini iã dicti: vir in diuinis scripturis doctissimus, & in secularib' literis magnificè instructus: scripsit nõ cõtẽnendę lectionis opuscula, de quibus ad meã notitiã pauca perue-

peruenerunt: in euangelium Matth. lib. 4. de officijs humanis liber vnus, & multa alia. Claruit anno Domini 780. sub Carolo.

De Claudio monacho.

CAP. XXVIII.

CLAVDIVS monachus, & Bedæ quondàm, vt fertur, discipulus, Albinique collega & socius, vir vndecunq; doctissimus, Græco & Latino peritus eloquio: multa scripsisse dicitur, de quibus ista potiora feruntur: in Genesim, in Exodum, in Leuiticum, in Numeri, in Deuteronomium, in Iosue, in Iudicū, in librū Ruth, in euangelium secundùm Matthæum, & alia multa nobis incognita. Claruit anno Domini 800.

De Ysuardo monacho Gallo.

CAP. XXIX.

YSVARDVS monachus, natione Gallus, cœnobij, vt dicunt, Fuldensis in finibus Francorum, auditor Albini abbatis, vir studiosus, atque doctissimus: iussu Caroli Imperatoris ad imitationem Eusebij Cæsareensis gesta & passiones sanctorū martyrum, confessorum, virginumq; sacrarum in vnum volumen comportauit: quod opus Martyrologium Isuardi vsq; in hunc diem perseuérat, & in multis ecclesijs religiosorum legitur. De cæteris, si qua cōposuit, nihil reperi. Claruit sub eodem Carolo Magno, anno Domini 780.

De Paulo Longobardo monacho.

CAP. XXX.

PAVLVS Longobardus, monachus Cassinensis, natione Italus: ante conuersionem suam Aquileiensis Diaconus, & Desiderij regis Longobardorum familiaris secretarius fuit. Hunc Carolus Imperator cum Desiderio rege captiuum duxit in Galliam, cumque propter ingenij acumen in honore maximo habuit, cuius doctrina & eloquentia plurimùm delectabatur qui. tandèm diuino spiritu afflatus, contempto seculo, Cassinense cœnobiū ingreditur, & se habitu, moribusq; monachum profitetur. qui cùm vir doctissimus esset, scripsit multa volumina, de quibus subiecta feruntur: Gesta Lōgobardorum lib. 6. ad Chronicam Eutropij abbatis rogatu Aldebergæ filiæ regis Desiderij edidit libros duos: de vita & miraculis S. Benedicti metricè lib. 1. gesta pontificum ecclesię Metensis lib. 1. de vita sancti Gregorij papæ Magni lib. 1. de vita & miraculis sancti Arnulphi episcopi Metensis lib. 1. iussu Caroli ordinauit historias & Legēdas sanctorum ad vnamquanq; festiuitatem per annum pertinentes. hymnos quoq; plures vario metro composuit, in quibus & ille Sapphicus de sancto Iohanne Baptista: Vt queant laxis, habetur. epistolas etiā ad diuersos, plures edidit, & alia nónulla, quæ ad notitiam meam non venerūt. Sunt qui scribant eum de monasterio Cassinēsi per Carolum propter doctrinam sapiētiæ denuò in Galliam reuocatum fuisse, & multis conscriptis voluminibus, ibidèm vsq; ad mortem in quodam cœnobio permansisse. Claruit sub eodē Carolo, anno Domini 790.

De Hincmaro archiepiscopo Rhemensi.

CAP. XXXI.

HINCMARVS monachus sancti Dionysij Parisiensis, & Rhemensis ecclesiæ pòst archiepiscopus, vir tam in diuinis scripturis, quàm in secularibus literis eruditissimus, ingenio subtilis, disertus eloquio, & ad persuadendum valdè idoneus: scripsit nōnulla cōmendāda opuscula, de quibus ego tantùm reperi subiecta: vitam sancti Remigij primi archiepiscopi Rhemorum lib. 1. epitomen eiusdem operis lib. 1. ad ecclesiam Rauennatensem sub persona Caroli Imperatoris, lib. 1. Alia, quę scripsit, nobis incognita sunt. Claruit sub Carolo Magno anno Domini 790.

De Haymone episcopo Halberst.

CAP. XXXII.

HAYMO monachus Fuldensis, deindè abbas Hirsfeldensis, postremò tertius episcopus Halberstatēsis, Albini auditor, vir vndecunquè doctissimus, ingenio acutus, eloquio compositus: non minùs sanctitate vitæ, quàm eruditione scripturarū venerabilis fuit. Scripsit multa præclara volumina, quæ apud veteres magnæ authoritatis erant, de quibus ego tantùm reperi subiecta: De sancta Trinitate lib. 1. in Esaiam prophetam lib. 3. in Ieremiam prophetam lib. 1. in Ezechielem prophetam lib. 1. in Danielem prophetam lib. 1. in duodecim prophetas minores lib. 12. commentariorum in psalmos lib. 1. in Canticis canticorum lib. 1. in omnes epistolas Pauli apostoli lib. 14. in epistolas canonicas lib. 7. in Apocalypsin Ioannis lib. 1. de Christianarum rerum memoria lib. 1. de varietate librorum lib. 3. homilias in Euangelia per circulum anni, duo magna volumina implentes, composuit. dicitur etiam scripsisse in quinq; libros Moisi, & in totam Bibliam. puto quòd commentarium eius in Genesim aliquādò viderim. Nec te moueat, optimè lector, si nomen eius in diuersis exemplaribus diuersimodè inuenias scriptum: quia etsi pro idiomatum varietate aliter apud Saxones, atque aliter apud nos appelletur, siue Haymo, Heumo, vel

446 Hemmo, vnus atque idem est, de quo loquimur. Moritur autẽ anno Domini 834. indictione duodecima, episcopatus sui anno 14. in maiori ecclesia sancti Stephani Halberstatensis, non sine sanctitatis opinione, sepultus.

De Adelmo episcopo.

CAP. XXXIII.

ADELMVS abbas Maildubẽsis in Scotia, & posteà episcopus occidentaliũ Saxonum sub Cantuariẽsi archiepiscopo, vir deuotus & sanctus, atq; in diuinis scripturis, secularibusq; doctrinis valdè eruditus, ꝓsa & carmine valenter excellens: cùm adhuc esset abbas, iubente synodo gentis suæ, scripsit aduersùs errorem Britonum, quòd vel Pascha suo tempore nõ celebrarent, vel alia plura agerent, paci & consuetudini Ecclesiæ contraria: quo volumine multos ad concordiam ecclesiasticæ vnitatis reduxit. Scripsit etiam insigne volumen de virginitate sanctorum, metro lib. 2. & quasdam ad diuersos epistolas. Scripsit & alia nonnulla, testãte Beda in quinto, vtpotè, vir vndecunquè doctissimus, sermone nitidus, & scripturarum liberalium diuinarumque eruditione mirandus. Rexit episcopatum annos duntaxàt quatuor. Claruit sub Pipino rege patre Caroli, anno Domini 700.

De Hilduino Abbate.

CAP. XXXIIII.

HILDVINVS Abbas sancti Dionysij Parisiensis, ad quem Rabanus Maurus, Fuldensis eo tempore abbas, edidit tractatus in libros Regum, vir in diuinis scripturis admodùm eruditus, & in secularibus literis apprimè instruct⁹, ingenio subtilis, & disertus eloquio: fertur nonnulla scripsisse opuscula, in quibus se virum doctissimum ostendit: sed pauca eorum ad meam notitiam peruenerunt. Reperi enim tantùm opus illud insigne, quod vtroque stylo, prosaico videlicet & metrico, ad Lodouicum Caroli Magni filium, composuit de vita sancti Dionysij Parisiensis, lib. 2. Claruit anno Domini 840.

De Vualafrido Abbate.

CAP. XXXV.

VValafridus Abbas sancti Galli, natione Teutonicus, vir in diuinis scripturis eruditus, & in secularib⁹ literis valdè peritus, rhetor magnificus, & poëta insignis, ac monasticæ disciplinæ gubernator quàm strenuus: scripsit vitam sancti Galli prosaicè lib. 1. eandem posteà metricè lib. 1. de officijs diuinis lib. 1. & alia nonnulla adhuc nobis incognita.

De Vuandelberto monacho.

CAP. XXXVI.

VVandelbertus diaconus & monachus Prumiensis cœnobij in diœcesi Treuerensi, natione Teutonicus, vir in diuinis scripturis doctus, & in secularibus literis valdè peritus, rhetor & poeta insignis, sermone clarus & nitidus: scripsit iussu Marckuuardi abbatis, vitam & miracula sancti Goaris confessoris lib. 1. ad eundem de miraculis eiusdem, suo tempore ostensis, lib. 1. Scripsit etiã metricè martyrologion totius anni lib. 1. & alia plura, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub Lothario imperatore, anno Domini 854.

De Freculfo episcopo.

CAP. XXXVII.

FRECVLFVS monachus quondã Fuldensis, & exindè episcopus Lexouiensis sub Rothomagensi archiepiscopo, ad quẽ Rabanus quatuor libros in Genesim scripsit: vir studiosus & doctus, & non minùs religione, quàm scientia, mirandus: scripsit opus valdè egregium ad Helisacharum, à conditione mundi vsque ad natiuitatem Domini in libris septem, vbi historiæ difficiles interserit quæstiones scripturarum. Epistolas etiam non abijciendas composuit, & quædam alia nobis incognita. Claruit anno Domini 840.

De Ratbodo episcopo.

CAP. XXXVIII.

RAtbodus episcopus Traiectensis, habitu & conuersatione monachus, in episcopatu, vir doctus & sanctus, prædicator egregius, ingenio subtilis, & clarus eloquio: scripsit inter cætera ingenij sui opuscula, vitam quorũdam sanctorum, item sermones & homilias nõ inutiles: de sancta Amalberga virgine tomos etiã duos, & quædam alia nobis incognita. Eius autem memoria inter sanctos relata est.

De Rabano Mauro archiepisc.

CAP. XXXIX.

RABANVS Maurus Magneti⁹, ex abbate Fuldẽsi sextus archiepiscopus Moguntinus, natione Teutonicus ex finibus Francorum in sylua, quæ Buchonia nuncupatur, distans à Moguntia millibus fermè quindecim versùs Thuringiam, Albini quondàm auditor atque discipulus: vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in omni doctrina secularium literarum valdè peritus, philosophus & poeta nulli suo tempore inferior: cùm adhuc puer esset, cœnobio Fuldensi à parentibus traditur, in quo adeò studendo profecit, vt Alemania doctorem similem non haberet. Deindè succedentibus doctrinæ meritis, in abbatem omnium assensu monachorum præfati cœnobij eligitur, & in illo officio 24 annis præsidens, monasticam disciplinam

nam strenuè gubernauit. Scripsit autem multa volumina, de quibus ego tantùm reperi subiecta: ad Frecolfum episcopum Lexouiensem, in Genesim lib. 4. in Exodū lib. 4. in Leuiticum lib. 4. in Numeros lib. 4. in Deuteronomium lib. 4. in Iosue lib. 2. in Iudicum lib. 2. in Ruth lib. 1. ad Hildeuuinum abbatem in Regum lib. 4. in Paralipomenon lib. 4. in Esdram & Neemiam lib. 3. in Tobiam lib. 1. in Iudith lib. 7. in Hester lib. 1. in Iob lib. 1. in psalmos lib. 1. in Prouerbia Salomonis lib. 1. in Ecclesiasten lib. 1. in Cantica canticorum lib. 1. in librū Sapientiæ lib. 3. in Ecclesiasticum lib. 10. in Esaiam prophetam lib. 8. in Ieremiam prophetam lib. in Ezechielē lib. 20. in Danielem lib. 3. in duodecim prophetas minores lib. 12. in Machabæorum lib. 3. in Euangelium secundùm Matthæum lib. 8. in Euangelium secundùm Marcum lib. 3. in Euangelium Lucæ lib. 4. in Euangelium Ioānis lib. 1. in epistolas Pauli lib. 20 in Actus apostolorū lib. 1. in epistolas canonicas lib. 7. in Apocalypsin Ioannis lib. 1. Cùm adhuc monachus esset annos natus triginta, scripsit opº admiratiōe dignum mirabili poemate de laude sanctę crucis lib. 2. quorum primus metro, secundus prosa compositus est: quos postea sancto Petro per manus Sergij papæ obtulit. Scripsit ad Haymonem episcopum Halberstatensem, etymologiarum seu de vniuerso, lib. 22. de vniuersali natura lib. 1. ad Haistulphum quartum Moguntinum archiepiscopum, de institutione clericorum lib. 3. ad Heribertum episcopum de quæstionibus canonum lib. 1. ad Regenbaldum de eâdem re lib. 1. de benedictionibus patriarcharum lib. 1. de officijs diuinis lib. 1. de computo ecclesiastico satis vtilem lib. 1. ad Lodouicum regem lib 1. epistolarum ad diuersos lib. 1. sermōes etiam & homilias scripsit penè innumerabiles. Vidi ego in bibliotheca Fuldēsis cœnobij alios complures libros Rabani, maximè in artibus liberalibus: quorum titulos iam à memoria tulit obliuio. Nam inter omnes Alemaniæ Italiæque doctores nullus Rabanum scribēdo, & numero & vtilitate librorū, excessit. Multa enim volumina scripsit, quæ nos hîc minimè signauimus. Fuit enim vir studiosissimus, qui semper intentus erat lectioni, multosque discipulos doctissimos habuit. In abbatia Fuldensi à sancto Sturmo primo abbate quartus fuit, in archiepiscopatu Moguntino sextus. Rexit autem episcopatum annis octo, vir in pauperes misericordissimus, qui eis tempore famis magnam pietatem exhibuit, & omnes largè sustētauit. Hic habita synodo apud Moguntiam, multa ad vtilitatem fidelium constituit. Moritur anno Domini 855. indictione tertia.

De Theodulpho episcopo.
CAP. XL.

Theodvlphvs ex abbate Floriacensis monasterij episcopus Aurelianensis, vir doctrina & sanctitate venerabilis: fertur nonnulla cudisse opuscula, sed nullum eorum ad manus meas memini peruenisse. Hic nescio ob quam suspicionem à Lodouico imperatore in carcerem coniectus, notissimum hymnum illum: Gloria, laus, dulci melodia composuit: quem cùm in die Palmarum, transeunte imperatore iuxta carcerem, alta voce cecinisset, eius dulcedine placatus, è carcere statim dimisit. Hinc consuetudo ecclesiæ laudabilis inoleuit, vt in die Palmarum hymnus idem quotannis cantaretur. Claruit non sine opinione sanctitatis anno Domini 840.

De Strabo monacho Fuldensi.
CAP. XLI.

Strabvs monachus Fuldensis, natione Teutonicus, Rabani Mauri abbatis quondàm discipulus, & scriba necessarius, vir vndecunquè nobiliter eruditus, qui diuinas scripturas optimè didicerat, bono explanante magistro: scripsit non contemnendæ lectionis opuscula, de quibus ista feruntur: in Genesim, in Exodū, in Leuiticum, & in multos Bibliæ libros. Hic fertur glosam ordinariam super totam Bibliam comportâsse de scriptis & opusculis antiquorum patrum, opus tantæ vtilitatis, vt omnem procùl excedat laudem. Strabus iste, vt diximus, Rabani discipulus erat & scriba: qui opuscula eius de schedis ad mundum scribebat: quo docente, vir & ipse doctissimus euasit. Claruit anno Domini 840.

De Angelomo monacho.
CAP. XLII.

Angelomvs monachus Luxouiēsis, in exponēdis scripturis diuinis vir alti & excellētis ingenij, nōminùs in secularibus q̄ in diuinis literis eruditus: scripsit plura egregia volumina, de quibus ad manus nostras pauca peruenerunt. Iussu & rogatu Drogonis episcopi Metensis nostri ordinis, filij Caroli imperatoris Magni, scripsit in libros Regum, commentariorum libros quatuor, quibus nūnquàm legi simile opus, itâ subtile, itâ mysticum, itâ deniquè in omnibus cōueniens ad propositum. Scripsit etiam ad Lodouicū imperatorē fratrē Drogonis in Cantica canticorū lib. 1. de officijs quoq; diuinis lib. 1. Claruit sub Lodouico Carolifilio, anno Domini 840.

De

De Amulario Fortunato archiepiscopo.

CAP. XLIII.

AMVLARIVS monachus Luxouiensis, ac postea Treuerorum archiepiscopus, in scripturis sanctis valdè eruditus, & in secularibus literis ad plenum instructus, vita & moribus venerandus: tantæ sapientiæ & eloquentiæ fuit, vt missus à Carolo Constantinopolim ad Michaelē Imperatorem, pacem inter eos omninò cōponeret. Fertur nonnulla plena eruditionis cudisse opuscula, de quibus ista feruntur: de officijs ecclesiasticis lib. 1. scripsit de eâdem re latiùs posteà ad Lodouicum Caroli filium, lib. 4. de mysterio quoq; missæ lib. 1. Si quid ampliùs edidit, ad notitiā meam non peruenit. Claruit sub Carolo Magno, & Lodouico eius filio, anno Domini 830.

De Floro monacho sancti Trudonis.

CAP. XLIIII.

FLORVS monachus sancti Trudonis Leodiēsis diœcesis, vir in diuinis scripturis studiosissimus, & satis eruditus, librorum sancti Augustini amator præcipuus, de quibus sententias suo congruentes proposito collegit. omnes epistolas beati Pauli Apostoli ità magnificè exposuit, vt Augustini opus in toto videatur. Nihil enim de suo inseruit. Alia quoq; nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt.

De Ansegiso archiepiscopo.

CAP. XLV.

ANSEGISVS abbas Lobiensis, & posteà Senonensis archiepiscopus: vir vndecunq; peritus, & regum sui temporis necessarius amic⁹: ingenio subtilis, & cautus eloquio: scripsit ad communem ecclesiæ vtilitatem non spernendæ lectionis opuscula, de quibus ego dūtaxàt legi subiecta: edicta Caroli Magni Imperatoris, ad ecclesiasticam legem pertinentia, digessit in lib. 2. eiusdem edicta, ad mundanam legem pertinentia, in lib. 2. edicta Lodouici filij eius ecclesiastica, lib. 2. eiusdem statuta ciuilia, lib. 2. De alijs opusculis eius adhuc nihil vidi. Claruit anno Domini 840.

De Ioanne Abbate Vercellensi.

CAP. XLVI.

IOANNES Erigena abbas Vercellensis, natione Scotus, vir excellentis ingenij, Græca & Latina eruditus lingua, iubente Carolo Lodouici Imperatoris filio, fratre Lotharij Imperatoris, libros beati Dionysij Areopagitæ de Græco in Latinum transtulit, quos etiā suis cōmētarijs primus explanauit. Scripsit etiā de naturæ diuisione lib. 1. & alia nōnulla, quæ ad manus nostras non venerunt. Claruit sub Lothario Imperatore, & Lodouico & Carolo fratribus eius regibus, anno Domini 850.

De Milone monacho.

CAP. XLVII.

MILO monachus sancti Amandi, vir tam in diuinis scripturis, quàm in secularibus literis eruditissim⁹: apud Carolum Caluum magno habitus in precio, scientiæ suæ opinionem in remotas etiam regiones diffudit. Fuit enim ingenio subtilis, eloquio discretus, musicus, rhetor, & poëta insignis: qui carmine excellens & prosa, non contemnenda descripsit opuscula: ad Carolum Caluum de sobrietate lib. 1. de musica lib. 1. vitam sancti Amādi metricè, lib. 1. & quędam alia nobis incognita. Claruit anno Domini 880.

De Bertranno monacho.

CAP. XLVIII.

BERTRANNVS monachus, in diuinis scripturis studiosus, & eruditus, atq; in secularibus literis nobiliter instructus: scripsit non paruipendēdæ lectionis opuscula, quibus suum magnificè exercitauit ingenium. è quibus ego tantùm reperi de corpore & sanguine Domini lib. 1. ad Carolum de prædestinatione lib. 1. Claruit anno Domini 870.

De Hucbaldo monacho.

CAP. XLIX.

HVCBALDVS monach⁹ sancti Amandi cœnobij Elnonensis, peritia liberalium artium ità insignis, vt antiquis philosophis haberetur æqualis, music⁹ & poeta egregius, ingenio valdè subtilis: scripsit tam metro, quàm prosa, multa præclara opuscula, de quibus ego tantùm reperi subiecta: gesta sancti Lebuini lib. 1. de musica lib. 1. ad Carolum Caluum Imperatorē scripsit librum trecentorum versuum, in laudem caluorum, satis mirādo poemate, cuius omnia verba incipiunt ab vna litera, id est, c: vt,

Carmina clarisonę caluis cātate Camœnę.

Scripsit etiam vitam multorum sanctorū, cantusq; varios dulci ac regulari melodia composuit. epistolas etiam edidit nōnullas ad diuersos, & quædam alia nobis incognita. Claruit sub Carolo Caluo, anno Domini 880.

De Almanno monacho.

CAP. L.

ALMANNVS monachus Altuillarensis, in scripturis sanctis admodùm eruditus, & in secularibus doctrinis sufficienter instructus, ingenio clarus, & comptus

ptus eloquio, rhetor & poeta insignis: scripsit non abijciendæ vtilitatis opuscula, de quibus pauca reperi: vitam sancti Vinardi archiepiscopi Rhemensis lib. 1. vitam sancti Sindulphi lib. 1. vitam sanctæ Helenæ reginæ lib. 1. de translatione corporis eiusdem ad cœnobium Altuillarense lib. 1. & quia suo tempore Francia vastabatur à Normannis, exemplo Ieremiæ prophetæ, desolationem Franciæ & sui monasterij quadruplici deplanxit alphabeto, lib. 1. Alia quoquè nonnulla scripsisse dicitur, quæ ad notitiam meã non venerũt. Claruit anno Domini 890.

De Adreualdo monacho.

CAP. LI.

ADREVALDVS, qui & Adelbertus, monachus Floriacensis, vir doctus, & suo tempore celeberrimæ opinionis, scripsit nõnulla opuscula, in quibus abũdantem ingenij sui venam ostẽdit, de quibus tamen ad meam notitiam nihil peruenit. Extat liber vnus, quem scripsisse dicitur, de miraculis sancti patris nostri Benedicti, ab eo tempore, quo corpus eius translatum est ad Floriacense monasteriũ, per Galliam ostẽsis. Et nota, quòd Gallici corpus eiusdẽ sanctissimi patris de mõte Cassino ad se per manus Aigulphi monachi dicunt esse translatum, & in Floriacensi monasterio reconditum, quod multis & innumeris conantur probare miraculis. At contrà negant Itali, seque corpus eius & habere, & semper habuisse cõtendunt, non minùs testimonium miraculorum producentes. Quibus sic certantibus, iuxta quod dicit Horatius, adhuc sub iudice lis est: nisi quòd quidam Romanus pontifex à monachis Cassinensibus interpellatus, inhibuit, nè quisquam translatum corpus Benedicti aliquandò fuisse audeat asserere. & hac de causa non translationis, sed cõmemorationis illius festum quinto Iduũ Iulij celebratur. Claruit anno Domini 900.

De Remigio monacho Antisiodorensi.

CAP. LII.

REMIGIVS monachus Antisiodorensis, & posteà, vt fertur, episcopus: vir in diuinis scripturis eruditus, & in secularibus literis omnium opinione suo tempore peritissimus: scripsit multa in secularibus scripturis, veteres exponendo authores, atque in diuinis literis non pauca volumina fecit, in Cantica canticorũ lib. 1. in canonem Missæ lib. 1. de diuinis officijs lib. 1. de singulis festiuitatibus sanctorum lib. 1. ad episcopum Eduorum de duabus quæstionibus lib. 1. super Donatum quoq; lib. 1. & alia multa, quæ ad notitiam meam non venerunt. Hic fuit præceptor domini Odonis posteà Cluniacensis abbatis, & multorum insignium virorum, quos in omni scientia seculari & diuina instituit. Claruit anno Domini 980. sub Carolo Caluo.

De Odone Cluniacensi.

CAP. LIII.

ODO abbas Cluniacensis, Remigij Antisiodorensis quondàm auditor & discipulus, vir in diuinis & secularibus literis eruditus, musicus excellens, morumq; sanctitate insignis, ex archicantore Turonensi monachus Cluniacensis factus, post Bernonem Abbas omnium consensu electus, doctrina & sanctitate venerabilis fuit. Scripsitaũt magnæ vtilitatis opuscula, de quibus pauca ad notitiam meam peruenerunt: Chronicon breue de temporibus lib. 1. vitam quoq; sancti Geraldi lib. 1. de laudibus S. Martini Turonẽsis lib. 1. sermones & homilias plures & elegãtes cõposuisse dicitur. hymnos quoq; & cantus in honore sanctorũ varios edidit. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 900.

De Reginone abbate Prumiensi.

CAP. LIIII.

REGINO abbas Prumiensis cœnobij in diœcesi Treuerensi, natione Teutonicus, vir in diuinis scripturis eruditus, & secularium literarum non ignarus, historiographus & iurista insignis, qui suo tẽpore inter Alemanos doctor famosus habebatur: scripsit iussu Ratbodi archiepiscopi Treuirorũ, de disciplina ecclesiastica & religione Christiana decretorũ libros duos, nõgenta capitula habentes. ad Adelberonem episcopũ Metẽsem scripsit chronicam temporũ continentẽ præcipuè gesta Francorũ & Alemanorũ à natiuitate Christi vsq; ad annũ eiusdem 908. & quædam alia, quæ ad notitiã meã non venerũt. Claruit sub Arnoldo siue Arnulpho, anno Domini 900.

De Paschasio abbate Corbeiensi.

CAP. LV.

PASCHASIVS Ratbertus abbas Corbeiensis, vir vndecunq; doctissimus, Græco & Latino ad plenum eruditus eloquio, theologus & philosophus suo tempore omniũ laude celeberrimus, ingenio subtilis, scientia profundus, sermone disertus: edidit nõ spernendæ authoritatis opuscula, de quibus ego tantũ reperi subiecta: ad Placidũ abbatẽ de sacramẽto altaris lib. 1. vitã sancti Adelhardi lib. 1. in threnos Ieremiæ prophetæ lib. 1. vitã etiã quorundam patrũ de Græco transtulit in Latinum: & alia scripsit pleraque, adhuc nobis incognita.

De Erico monacho.

CAP. LVI.

ERICVS monachus, cuius nomen cœnobij non inueni, quanuis diu quæsierim, (volunt tamen aliqui, quod fuerit Antisiodorensis) vir quidē in scripturis diuinis eruditus, veterū lectione diues, & secularium literarum non ignarus, carmine excellens & prosa, declamator egregius fuit. Scripsit metrico stylo volumen insigne de vita & virtutibus sancti Germani Antisiodorensis episcopi lib. 1. homilias etiā diuersosq; sermones cōposuit, qui à multis habentur. alia quoq; multa scripsisse dicitur, quæ ad notitiam meam non venerūt.

De Ratherio episcopo Veronensi.

CAP. LVII.

RATHERIVS monachus Lobiēsis, & episcopus Veronensis, vir miræ simplicitatis, sed magnæ literaturæ: ab episcopatu bis pellitur, eò quod Bauaris fauere videretur, totiesq; restitutus, tandē episcopus Leodiēsis factus, & etiā indè repulsus: scripsit varia syntagmata, de quibus ista feruntur: Contra anthropomorphitas lib. 1. agonisticon seu præloquiorum lib. 6. cōfessionum lib. 1. Cùm ab episcopatu Veronensi pelleretur, scripsit librū, in quo facetæ satis vrbanitate deplorat ærumnas suas, multa causæ suæ interserens, quæ legentibus placere valeant, & prodesse. Cùm pulsatus iniurijs etiam à Leodiensi pontificatu pelleretur, scripsit librum, quem prænotauit phrenesim. scripsit aliū, cuius titulus est: inefficax, vt sibi videbatur, garritus. de corpore & sanguine Domini, & de prædestinatione scripsit lib. 2. vitam quoquè sancti Vrsmari Lobiensis episcopi lib. 1. & alia, quæ non vidi. Moritur apud cœnobium Lobiense anno Domini 974. indictione secunda, ibidèm sepultus.

De Amonio monacho.

CAP. LVIII.

AMONIVS monachus Floriacēsis, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, & secularium literarum nō ignarus: exēplo Adreualdi prouocatus, historiā miraculorum sancti Benedicti, vbi ille dimiserat, cōtinuauit, adijciens plura in Floriaco, & per Galliā facta, vsq; ad tēpora Roberti regis doctissimi Francorū. Alia, quæ scripsit, ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub eodē rege Roberto, anno 980.

De Ruperto abbate Cassinensi.

CAP. LIX.

RVPERTVS abbas Cassinensis monasterij, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, ingenio & eloquio clarus, vita & morum honestate spectabilis, ac regularis disciplinæ amator zelosus: scripsit ad vtilitatem fratrum suorum satis elegātes sermones, qui illo tempore studiosè legebantur. Alia quoq; nonnulla edidit, sed ad manus nostras adhuc minimè venerūt.

De Volquino Lobiensi abbate.

CAP. LX.

VOLQVINVS abbas Lobiensis, in diuinis scripturis valdè studiosus & doctus, secularis quoq; eruditionis non ignarus, ingenio promptus, & clarus eloquio, temporum cognitor insignis: scripsit, petentibus fratribus, gesta Lobiensiū abbatum, in quo volumine per digressionem multa inseruit, quæ legentibus iucūda sint & vtilia. Sermones quoque & homilias plures edidit, in quibus abundantē ingenij sui venam ostendit: & alia, quę ad me non venerunt.

De Vuindichino monacho.

CAP. LXI.

VVINDICHINVS monachus Corbeiensis in Saxonia, natione Teutonicus, vir doctus & eloquens, in secularibus literis valdè peritus, & suo tēpore doctor famosus: scripsit nonnulla præclara opuscula, de quibus extant subiecta: historia Saxonū vsque ad mortē Ottonis primi lib. 3. vitam Pauli primi eremitæ alterno stylo descripsit lib. 1. passionē S. Teclæ virginis metrice lib. 1. scripsit etiā vitā & gesta Ottonis imperatoris primi ad filiā eius lib. 1. alia quoq; multa edidit, q̄ ad notitiā meā non venerūt. Huius tempore floruerunt multi doctissimi viri in Alemania nostri ordinis, in cœnobijs pręcipuè Corbeiensi, Fuldensi, Hersfeldensi, cæterisq;: sed paucorum scripta ad notitiā meam peruenerunt. Claruit autem Vuindichinus, aliàs Vuindichildus, temporibus Ottonis imperatoris secundi, anno Domini 970.

De Albone Floriacensi abbate.

CAP. LXII.

ALBO Floriacēsis monasterij abbas, vir sanctæ cōuersationis, & regularis disciplinæ zelosus amator, in diuinis scripturis doct^us^, & secularū literarū nō ignarus: reliquit ingenij sui monimēta cōplura, quæ tamē ad manus nostras nō venerūt. Extat eius tantùm apud nos cōmentarium super calculo Victorij lib. 1. de cæteris, quæ scripsit, nihil vsquàm reperi. Hic beatissimus vir post multos tandem prædicādi labores, in Vasconia pro fide Christi martyrio rubricatus, penetrauit cælestia regna. Claruit sub Ottōe secūdo, anno Dñi 970.

De Herigero abbate.

CAP. LXIII.

HERIGERVS abbas Lobiensis, (cuius meminit Berno Augiensis in lib. de aduentu Dñi ad Aribonem archiepiscopū Moguntinum) vir suo tempore famosus,

&vndecunq; doctissimus, tam in diuinis, quàm in secularibus studijs eruditus, non solùm apud Gallos in precio habitus, sed etiam apud Romanos, Italos, & Germanos excellentis opinionis: scripsit multa præclara volumina, de quibus ista feruntur: Gesta pontificum Leodiensium lib. 1. vita sancti Vrsmari episcopi Lobiẽsis metricè, lib. 1. scripsit dialogum sub persona sui, & Adelboldi episcopi de dissonãtia ecclesiæ: de aduentu Domini lib. 1. quem ad eũdem Adelboldũ tũc Romæ cõmorantem misit, ad Hugonem de quibusdam quæstionibus lib. 1. de diuinis officijs lib. 1. cõgessit etiam contra Ratheriũ multa catholicorũ patrũ scripta, de corpore & sanguine Domini. alia quoq; multa edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub Ottone secundo, anno Domini 970.

De Adelboldo episcopo.

CAP. LXIIII.

ADELBOLDVS monachus Lobiensis, & Traiectensis postmodùm episcopus, ad quem Herigerus de aduentu Domini conscripsit dialogum, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in seculari doctrina multùm peritus, ingenio caut⁹, sermone cõpositus, vita & couersatione deuotus: fertur plura scripsisse opuscula, de quibus ego tantùm reperi subiecta: vitã sancti Henrici imperatoris secundi, lib. 1. vel, vt alij volunt, primi: quia Ottonis filium quidã inter imperatores non ponũt, eô, ꝙ coronam imperij de manu Papæ nõ suscepit. scripsit etiã de laude sanctę Crucis: & in laudibus sanctæ Mariæ metro & prosa varia cõposuit, aliaq; cõplura, quæ ad manus nostras non venerunt. Claruit eiusdem Hẽrici tẽporibus, anno Dñi 100.

De Radulpho monacho.

CAP. LXV.

RADVLPHVS Flauiacẽsis, monachus Fuldensis, (vt plures volũt) vir tãtę doctrinæ & sapientiæ, vt in tota Alemania, Italia, Galliaq; suo tẽpore similem nõ haberet, in diuinis scripturis eruditissim⁹, philosophus nulli secundus, qui velut alter Augustinus, omnibus, eum quæstionibus interrogãtibus, copiosissimè respõdebat: scripsit multa præclara volumina, de quibus ego tantùm reperi subiecta: in Leuiticum lib. 20. in epistolas Pauli lib. 14. addidit ad Chronicam Eusebij vsq; ad sua tẽpora lib. 1. historiã quoq; de gestis Francorum & Alemanorum lib 1. fertur autem in multos Bibliæ libros cõmẽtarios edidisse, & sermões, aliosq; diuersos tractatus, & epistolas, sed in manus nostras nõ venerũt.

De Osberto monacho.

CAP. LXVI.

OSBERTVS monachus Cantuariẽsis, vir in omni literatura seculari peritus, & in diuinis scripturis admodũ studiosus, music⁹ & rhetor insignis: reliquit ingenij sui monimenta clarissima, de quibus ego tantùm reperi vitã sancti Dunstani archiepiscopi lib. 1. de musica lib. 1. cãtus etiã dulci melodia cõposuit, aliosque diuersos tractatus, quos necdùm vidi. Claruit temporibus sancti Henrici imperatoris, anno Domini 1020.

De Christiano monacho.

CAP. LXVII.

CHRISTIANVS, qui & Druthmarus, monachus & presbyter, veniens ab Aquitania in Galliã, in monasterio Corbeiensi aliquãto tẽpore moratus, vir doct⁹ in scripturis diuinis, Græco & Latino eruditus sermone: scripsit nõ spernẽdæ lectionis opuscula, de quibus ego tantũ legi volumen insigne, quod rogantibus fratribus aperto sermone cõposuit, in Euangelium Matthęi lib. 1. Fertur etiã in alios Euãgelistas scripsisse, quemadmodùm in prologo primi voluminis promisit, sed in manus nostras minimè peruenerunt.

De Flaualdo monacho.

CAP. LXVIII.

FLAVALDVS monachus Rhemẽsis, in scripturis diuinis eruditus, & in secularibus literis magnificè peritus, ingenio subtilis, & disertus eloquio: edidit nõ contẽnendæ lectionis opuscula, quibus nomẽ suũ cũ gloria trãsmisit ad posteros. Scripsit aũt gẽsta Rhemensiũ pontificum, orditus narrationẽ suã à cõditione eiusdẽ ciuitatis, in quo quidem opere multa de sanctis martyribus, alijsq; rebus cõmemorat, quæ studiosis lectoribus iucunda sunt. Vitam quoq; pluriũ sanctorũ, & passiões martyrum claro descripsit eloquio, & pleraque alia, quæ ad notitiam meam non venerũt.

De Notgero episcopo Leodiensi.

CAP. LXIX.

NOTGERVS abbas S. Galli, & Leodiẽsis postmodũ episcop⁹, natiõe Teutonicus, vir in diuinis scripturis valdè eruditus, & in secularibus literis suo tempore omniũ fama peritissim⁹: scripsit tã metro, q̃ ꝓsa, multa ꝑclara opuscula, quib⁹ lepor dicendi, subtileq; ingeniũ ostenditur. sed pauca eorũ ad notitia meã peruenerũt: de musicis notis, & symphoniarũ modis lib. 1. ad Salomonẽ discipulũ suũ, Cõstantiensem posteà episcopũ, de expositorib⁹ sacrę scripturæ lib. 1. sequentiarũ per totũ annũ lib. 1. quas Nicolaus papa cõfirmauit, & in ecclesia cãtari ꝑmisit. Scripsit etiã hymnos, cãtus, carmina, epistolas, sermones, diuersosq; tractatus, qui ad manus meas non venerunt. Claruit autem anno Dñi 970.

De Constantino monacho.

CAP. LXX.

CONSTANTINVS monachus Cassinensis, vir in secularibus literis eruditissimus, medicus & philosophus insignis, Græco, Latino, & Arabico ad plenũ imbutus eloquio: cuius præclara opuscula vsque in hodiernum diem apud medicos magnæ authoritatis sunt: multa scripsit, multa de Gręco & Arabico in Latinũ trãstulit, quæ professoribus medicinæ artis nõ reor incognita. Ego enim de omnib⁹, quę scripsit, pauca vidi, scilicet, de dietis vniuersalibus lib. 5. de dietis particularibus lib. 3. de ponderibus lib. 1. De cæteris, quæ scripsit, nihil me vidisse memini. In præfatione illius libri, quem de vrinis ex Arabico transtulit, se monachum Cassinensis cœnobij fuisse fatetur: & alibi pluries.

De Alberto Gemblacensi.

CAP. LXXI.

ALBERTVS monachus Lobiensis, & exindè abbas Gemblacensis: vir in diuinis scripturis valdè eruditus, & secularis doctrinę nõ ignarus, regularisq; disciplinę zelator strenuus: scripsit vitam multorum sanctorum satis ornato eloquio. cantus quoq; varios & dulces in sanctorum honore composuit, quibus adhuc multi in diuino officio vtuntur. alia quoq; nonnulla edidit, quę ad notitiam meam nõ venerũt. Huius discipulus fuit Burckardus episcopus Vuormatiensis, qui decretũ post Isidorũ cõposuit. Claruit anno Dñi 1000.

De Bertorio Cassinensi.

CAP. LXXII.

BERTORIVS abbas Cassinensis, in diuinis scripturis exercitatũ habens ingenium, in secularibus doctrinis multùm erudit⁹, philosophus ac medicus famosus: multa composuisse fertur opuscula, quæ venã abũdantis ingenij ostendãt, è quibus extant præclari sermones ad fratres lib. 1. In medicinis, alijsq; materijs quædam scripsisse dicitur, quæ ad me non venerunt.

De Burckardo episc. Vuormatiẽsi.

CAP. LXXIII.

BVRCKARDVS monachus Lobiensis, deindè Vuormatiensis episcopus, discipulus quondã Alberti abbatis Gemblacensis, cùm adhuc ambo morarentur apud Lobias, magnũ diuinis literis impẽdit studium, vndè & doctor magnus euasit. Scripsit decretum post Isidorũ ex sentẽtijs patrum lib. 20. epistolas etiã plures ad diuersos: & quædã alia quæ nõ vidi. Huius viri mentionẽ facit Gratianus 73. distinctiõe, In nomine Dñi. Claruit anno Dñi 1010.

De Guidone monacho.

CAP. LXXIIII.

GVIDO Aretinus monach⁹ cœnobij de cruce sancti Leufredi, vir doctus, & eloquẽs, musicorũ magister insignis, in hoc meritò pferendus oĩbus, φ ignotos cant⁹ etiã pueri & puellę faciliùs discũt per eius regulã, q̃ per vocẽ magistri, vel alicuius instrumenti, dummodò sex literis, vel syllabis modulatim appositis ad sex voces, quas sola musica recipit: hisq; vocibus per iuncturas digitorũ sinistræ manûs distinctis, per integrũ diapason se oculis auribusque ingerunt intentę vel remissę eleuationes vel depositiones earundem vocũ. Scripsit ergò de musica lib. 1. de corpore & sanguine Dñi librũ vnũ: & quędam alia, quæ ad notitiam meam non venerũt. Claruit sub Henrico sancto Imperatore, anno Domini 1020.

De Odilone Cluniacensi.

CAP. LXXV.

ODILO abbas Cluniacẽsis, vir doctus, & sanctus, multis & in vita, & post mortẽ coruscans miraculis, fertur multos egregios ad fratres sermones edidisse, quos salutis suæ amatores illo tẽpore studiosè legebant: si quid ampliùs edidit, ad notitiã meã non peruenit. Huius vitã Petrus Damiani claro descripsit eloquio. Moritur anno Domini 1048. indictiõe prima, ætatis suæ 87, abbatiæ autem, 56.

De Helperico monacho.

CAP. LXXVI.

HELPERICVS monachus sancti Galli, natione Teutonicus, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, & in secularibus literis nobiliter doctus, philosophus, musicus, astronomus, & calculator insignis: scripsit multa præclara (vt ferunt) opuscula, de quibus ego tantùm legi de cõputo & arte calculatoria opus commendatissimũ lib. 1. de musica lib. 1. Cętera, quæ scripsit, nõdùm potui inuenire. Claruit anno Domini 1020.

De Bernone abbate Augiensi.

CAP. LXXVII.

BERNO abbas Augiẽsis cœnobij, natione Teutonicus, vir doctus, & regularis disciplinæ custos insignis, sanctarũq; scripturarũ studiosissimus interpres, ingenio profundus, sermone disertus, ꝓpter ingentẽ doctrinam suo tẽpore in magno precio habitus, scripsit multa præclara opuscula, è quibus ad me pauca venerunt: ad Aribonem archiepiscopum Moguntinum de aduentu Domini lib. 1. dialogũ de ieiunio sabbati lib. 1. de officio Missæ lib. 1. de ieiunio quatuor temporum lib. 1. de musica & regulis symphoniarum lib. 1. scripsit etiam librum de mensurando monochordo vltra regulam Boethij & Guidonis, supponens vnum tonum tetrachor-

chordo hypaton, & contra vsum Maiorum in ipso vtiliter inseruit synemeticon. Alia quoquè multa edidit, quæ ad manus nostras non venerunt. Claruit anno Domini 1020.

De Alberto monacho Metensi.

CAP. LXXVIII.

ALBERTVS monachus Metensis, tam in diuinis, quàm in secularibus scripturis eruditus, historiarum transacti temporis cognitor insignis, scripsit ad episcopum Metensem, breuem quidē, sed vtilem temporum chronicam lib. 1. Alia etiā nonnulla edidit, quæ ad manus nostras minimè venerunt.

De Adam Abbate Persenna.

CAP. LXXIX.

ADAM Abbas de Persenna, in sacris scripturis studiosus & doctus, non minus conuersatione quàm scientia venerabilis, scripsit ad ædificationem fratrum suorum vtiles sermones, qui monachorū instructioni deseruiunt. Epistolas etiam plures ad diuersos. Et pleraque alia, quæ ad notitiam meam non venerunt.

De Guimundo episcopo.

CAP. LXXX.

GVIMVNDVS monachus cœnobij (vt quidam existimant) sancti Leufredi, Auersanus postmodùm episcopus, vir doctus & eloquens, tam in diuinis scripturis quàm in secularibus literis eruditus, suo tempore magnę opinionis & authoritatis: scripsit tres libros dialogorum sub persona sui & Rogerij monachi, de corpore & sanguine Domini, contra Berengarij errorem Andegauensis diaconi, opus sanè dignissimum, & omni studio legendū. Alia quoquè nõnulla cõposuisse dicitur, sed ad manus nostras non venerunt. Claruit sub Henrico tertio, anno Domini millesimo quadragesimo.

De Rogerio monacho.

CAP. LXXXI.

ROGERIVS monachus, ad quē Guimundus episcopus Auersanus tres libros de corpore & sanguine Domini scripsit, vir studiosus & doctus, ingenio admodùm subtilis, & cautus eloquio: scripsit ad ædificationem fidelium, vitam S. Brunonis Coloniensis archiepiscopi, qui fuit dux & frater Ottonis imperatoris. Alia quoquè nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub Henrico tertio, anno Domini millesimo quadragesimo.

De Erhardo Monacho.

CAP. LXXXII.

ERHARDVS monachus, cuius cœnobij nomen non occurrit, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, ingenio subtilis, sermone disertus, in cõponendis ac declamandis homilijs excellētis peritiæ fuit. Scripsit valdè notabiliter in Genesim, in Exodum, in Leuiticum, in Numeros, in Deuteronomium. Homilias in euāgelijs ex tempore multas declarauit. In alios Bibliæ plerosque libros commentarios edidit, diuersosq; tractatus, qui ad me non venerunt.

De Smaragdo Abbate.

CAP. LXXXIII.

SMARAGDVS Abbas sancti Michaëlis, in diuinis scripturis valdè studiosus & doctus, ingenio promptus, & clarus eloquio, non minùs honestate morum & regularis disciplinę ornatu, quàm studio venerandus, multa præclara volumina scripsit. Exposuit enim Donatum Maiorem commentario perpulchro: & multa in secularibus literis explicuit. Scripsit etiam super Psalterio librū vnū. In quatuor Euangelistas libros quatuor. Euangelia etiam & epistolas per totū annum exposuit. In regulam sancti patris nostri Benedicti librū vnum. In epistolas Pauli libros quatuordecim. Collegit de virtutib⁹ & vitijs opus non contemnendæ lectionis, quod diadema monachorum appellauit, librum vnū. Alia etiam multa composuit, quæ ad manus nostras minimè venerunt.

De Hermanno monacho.

CAP. LXXXIIII.

HERMANNVS monachus, qui dicebatur Cõtractus, natione Teutonicus, filius (vt tradunt) Comitis de Veringen, vir in omni literatura seculari peritissimus, philosophus, astronomus, musicus & poeta celeberrimus, ingenio subtilissimus, ore facundissimus, Græco & Arabico instructus eloquio: multa volumina cõposuit, de quibus ego tantū legi de Musica librum vnum: de sex ætatibus librū vnū: de compositione Astrolabij lib. 3. de vtilitate Astrolabij lib. 1. de Eclipsibus Solis & Lunæ librum vnum: de computo post Helpricum lib. 1. de quadratura circuli lib. 1. Legendas sanctorum plurium & historias cõposuit. Hymnos quoquè, antiphonas & cantus dulces variosq; edidit, quos in Ecclesia Dei cātari ex parte cōspicimus. Hic Hermannus composuit deuotam illā antiphonam in laudem beatæ Dei genitricis Mariæ, videlicet, SALVE REGINA MISERICORDIAE &c. Quam ad eius honorem vniuersa frequētat Ecclesia. Sed & alia plura tam metro, quàm prosa, edidit, quæ ad manus nostras minimè venerunt. Transtulit etiā de Græco & Arabico multa in Latinum, quæ à multis habentur. Iste Hermannus, Comes (vt diximus) de

Veringen, in Sueuia, à iuuẽtute sua cõtractus fuit, vnde & nomen ab infirmitate accepit. Cùm autẽ monachus factus fuisset, magna deuotione sedulisq; precibus beatam Virginem rogauit, quatenùs eum suis dignaretur sanare meritis: à qua per visum tale fertur habuisse responsum: Fili charissime, tuis precibus sedulis inuitata, duorum tibi optionem impetraui, elige quod volueris. Contractus permanebis, & omnium scripturarum scientiam accipies, tam diuinarum quàm humanarum: vel sanitatem corporis accipiens, idiota permanebis, & ecclesiasticam cathedram ascendes. Iam alterum ex ijs, quod volueris, elige: quoniam ambo habere non poteris. Hermannus autem considerans quod Regina cæli singulariter suadebat, elegit permanere contractus, & scientiam scripturarum accipere, magis, quàm corporis sanitatem absque doctrina possidere. Erat enim iam tunc, licèt rudis & idiota, deuotus tamen & scripturarũ amore accensus. Ex illo tempore in omni doctrina scripturarum vltra omnes contemporaneos suos proficiens, excellentißimæ opinionis vir factus est. Trium linguarum, Latinæ, Græcę & Arabicæ ità peritus extitit, àc si natus in eis fuisset. Ad plures libros Aristotelis, & aliorũ antiquorum authorũ, quos de Arabico transtulit in Latinum, videlicet Rhetoricam Aristotelis, poëtriam, & de Astronomia, qũantùm ad rationẽ cõputi Ecclesiastici pertinet, varia. Claruit anno Domini millesimo sexagesimo.

De Brunone archiepiscopo martyre.

CAP. LXXXV.

BRVNO monachus cuiusdã cœnobij in Italia, cuius nomen non occurrit: archiepiscopus Ruthenorũ, vir doctus & sanctus, & verbi Dei prædicator egregius, scripsit præclarũ opus in Genesim, & nonnulla alia, quæ ad manus nostras nõ venerunt. Hic tandèm post multos prædicandi labores, pro fide Christi à Prussis martyrio coronatus est, anno Domini millesimo octauo, Indictione sexta.

De Theoderico monacho.

CAP. LXXXVI.

THEODERICVS monachus Hersfeldensis, natione Teutonicus, vir doctus & eloquens, ingenio subtilis, lectione diuinarũ scripturarũ diues, scripsit ad Richardum Abbatem Fuldensem, de vita & laudibus S. Benedicti librũ vnum: de trãslatione eiusdem in Floriacum, librũ vnũ: de locis terræ sanctæ librum vnum. Et alia plura, quæ videre non merui. Claruit anno Domini millesimo tricesimo.

De Alphano archiepiscopo.

CAP. LXXXVI.

ALPHANVS monachus Cassinensis, & archiepiscopus Salernitanus, philosophus & rhetor sui temporis celeberrimus, in sacris quoquè scripturis magnificè doctus, scripsit ingenij sui nonnulla profunda opuscula, de quibus extãt subiecta: de quatuor humoribus humani corporis lib.1. de vnione corporis & animæ, lib.1. de vnione verbi & carnis, lib.1. Alia quæ scripsit, inuenire non potui.

De Anselmo monacho.

CAP. LXXXVIII.

ANSELMVS monachus Rhemensis, vir in diuinis scripturis doctus, & in artibus humanitatis sufficiẽter instructus, ingenio acutus, & eloquio clarus: fertur nonnulla cõposuisse opuscula, quibus ingenium suũ magnificè dilatauit: è quibus reperi tantùm Itinerariũ Leonis papæ noni, à Roma in Gallias, in quo gesta eius in synodis Rhemis & alibi habitus describit, quãta videlicet iustitia & authoritate causas examinârit Ecclesiasticas: quáve districtione peccantes corripuerit, & quemadmodùm ei virtus sit cooperata diuina: sicut patuit in episcopo Fresingensi, qui cùm in synodo Rhemensi contumaciter ageret contra authoritatem Apostolicam, in conspectu omnium repentè obmutuit. Alia insupèr edidit, quæ ad notitiam meam nõ venerunt. Claruit anno Domini millesimo quinquagesimo.

De Humberto Cardinali.

CAP. LXXXIX.

HVMBERTVS monachus Tullensis, patria Lotharingus, vir incomparabilis doctrinæ, scientia diuinarum ac secularium literarũ apprimè eruditus, non minùs sanctitate, quàm eruditione venerandus. Hunc Leo papa nonus propter excellentiam doctrinæ de Lotharingia secũ traduxit, & ad prædicandum verbũ Dei Siculis, primùm archiepiscopum, deindè Cardinalem Romæ ordinauit, deinde ad cõfundẽdos hæreticos ab eodẽ Cõstantinopolim missus, Leonẽ Bulgarorũ episcopũ superauit. Nicetam Pictoratum monachũ ità confutauit, vt corã imperatore Cõstantino libros suos anathematizare, & manu propria igni cõburere sit cõpulsus. Hũbertus autem, quicquid ibi dixit in hac causa vel fecit, quasi per dialogũ Romani & Cõstantinopolitani, cõscripsit. Alia quoquè nonnulla edidit, quæ ad notitiam meã nõ venerunt. Claruit anno Domini 1050.

De Algero monacho.

CAP. XC.

ALGERVS ex scholastico monachus Corbeiensis in Saxonia, natione Teu-

conicus, vir in diuinis scripturis valdè eruditus, & in secularibus literis doctor peritissimus, subtilis & vehemētis ingenij. Scripsit insigne volumen de sacramento altaris libros tres: de gratia & libero arbitrio librum vnum, & alia complura, quæ ad manus nostras minime venerunt.

De Bernardo monacho.

CAP. XCI.

BERNARDVS monachus Cluniacensis, diuinarum scripturarum studiosus amator, secularium que literarum peritus interpres, scripsit iussu domini Hugonis Abbatis sui consuetudines Cluniacensis cœnobij, quæ pro conseruatione regularis disciplinæ vtiles erant. Alia insuper nōnulla cudisse dicitur, quæ in manus nostras non venerunt. Claruit anno Domini millesimo quinquagesimo.

De Arnulpho monacho.

CAP. XCII.

ARNVLPHVS monachus, in diuinis scripturis studiosus & eruditus, singularis doctrinę cultor singularis, ingenio & eloquio clarus, metro excellens & prosa, fertur nō pauca scripsisse opuscula. E quibus extat opus metricū insigne super Prouerbia Salomonis lib. 1. De cęteris, quę scripsit, nihil vsquàm inueni.

De Petro Damiani episcopo.

CAP. XCIII.

PETRVS Damiani, monachus Vbuariensis cœnobij, episcopus Ostiensis & Cardinalis, vir in diuinis scripturis eruditissimus, ingenio subtilis, & eloquio disertus, & Gregorianæ eloquētiæ instar, dulcis & ornatus, & ad persuadēdū satis: cùm per aliquot annos pōtificatū strenuè rexisset, & vitia impiorū sine delectu personarum corriperet, senio tandem affectus & tędio, ad consulendum propriæ saluti, episcopatum deseruit: & exēplo Gregorij Magni, Nazianzeni quondam episcopi, ad monachorū studia remeauit. Vnde super hoc à trib⁹ Romanis pōtificibus arguitur, quòd vir tā doctus & vtilis Ecclesiæ, deseruit episcopatū, & cōmodū priuatū vtilitati præposuerit cōmuni: cùm ad regimē animarū verbo & exēplo esset idone⁹. At Petrus humiliter se excusans, scripsit pro suo facto apologeticos, quibus ratiōe & exēplo pontifices fecit tranquillos. Scripsit aliàs multa volumina, de quibus ego tantùm reperi subiecta: Ad Nicolaum Papam secundum, Apologeticum lib. 1. ad Alexandrū secundum, & Gregoriū vij. lib. 2. de profectu monachorū lib. 1. Antilogiō cōtra Iudæos lib. 1. de auaritia prælatorū lib. 1. contra episcopos simoniacos lib. 1. de cōtinētia sacerdotū lib. 1. de vxorib⁹ Clericorū lib. 1. ad Leonē solitariū, an solitariè orās canonicas horas, debeat etiam, Dominus vobiscum, dicere, cùm non habeat respondentem, lib. 1. Regulam eremitarum & inclusorum, lib. 1. Exhortatoriū ad fratres lib. 1. de quibusdam incredibilibus suo tempore factis lib. 1. Vitam sancti Odilonis Abbatis Cluniacensis lib. 1. de terrore mortis lib. 1. de meditatione mortis lib. 1. de Flora & Lucilla lib. 1. aliū, qui prænotatur gratissimus seu probatissimus, lib. 1. aduersùs quēdam episcopum, qui monachos ad seculū reuocabat, lib. 1. de insolentia malignorum hominum lib. 1. declamationis Rhetoricæ lib. 1. de natura quorundam animaliū lib. 1. de sancto Cassiano martyre tractatū 1. de sancto Bonifacio tractatum 1. de situ & fundatione Viuariensis cœnobij, lib. 1. Sermones & homilias luculento sermone scripsit penè innumerabiles. Epistolas etiam plures ad diuersos. Et alia multa, quæ in manus nostras adhuc minimè venerunt. Claruit sub Henrico tertio, anno Domini millesimo sexagesimo.

De Gunthero monacho.

CAP. XCIIII.

GVNTHERVS monachus cœnobij sancti Amandi, vir in diuinis scripturis eruditus, & seculariū literarū nō ignarus, theologus & poeta insignis: descripsit metricè passionem S. Cyriaci martyris lib. 1. Alia quoq; multa metro & prosa scripsisse dicitur, quę ad manus nostras minimè peruenerunt.

De Mariano Scoto monacho.

CAP. XCV.

MARIANVS Scotus, monachus Fuldensis, de Anglia pro Christi amore peregrinus venit in Alemaniam, & primò quidem apud sanctum Pantaleonem Coloniæ monachus factus, duobus annis ibidem inclusus stetit. Posteà de Colonia exiens, venit ad Fuldam, vbi vndecim annis in inclusorio stetit. Deindè iussu Abbatis sui & Magūtini archiepiscopi ad Maguntiam veniens, ibidem apud sanctum Martinum annis quindecim pro Christo stetit inclusus, videlicet vsq; ad diem mortis suæ, & maximo in honore habebatur ab omnibus propter excellentiam doctrinæ & vitæ sanctitatem. Scripsit chronicam ab initio mundi vsque ad sua tempora, mira subtilitate ostēdēs errorē priorū chronographorū, ità ponentiū natiuitatē Christi, vt annus passionis eius, quantum ad rationem cōputi, nō concordet veritati Euangelicæ. Vnde ipse 23 apponēs annos illi anno, vbi priores scribūt natū fuisse Christū, ponit in margine libri alternatim, hinc annos euangelicæ veritatis, illinc annos falsę priorū cōputationis: vt nō solū intellectu, sed etiā visu discerni possit veritas à falsitate.

tate. Scripſit etiam de concordantia Euangeliſtarum lib. 1. & quędam alia nobis incognita. Produxit autem chronicam ſuam vſq; ad annos Domini 1082. Moritur anno Domini 1086. Indictione nona, ætatis ſuæ anno 58. Moguntiæ apud ſanctũ Martinum cum honore ſepultus.

De Theoderico Abbate.

CAP. XCVI.

THEODERICVS Abbas monaſterij ſancti Trudonis Leodienſis diœceſis, vir in diuinis ſcripturis admodùm eruditus, & in ſecularibus literis nobiliter exercitatus, metro excellens & proſa, in deſcribendis ſanctorũ geſtis ſtudioſus fuit. Scripſit autem metricè Vitam ſancti Trudonis lib. 1. Vitam ſancti Bauonis lib. 1. Vitam ſancti Reinoldi lib. 1. Alia quoquè multa compoſuiſſe dicitur, quæ ad notitiam meam adhuc minimè venerunt.

De Vuillerammo Abbate.

CAP. XCVII.

VVILLERAMMVS Abbas Merſburgenſis, natione Teutonicus, primò fuit ſcholaſticus eccleſiæ Bambergẽſis: deinde contẽpto ſeculo, factus eſt monachus Fuldenſis, poſtremò Abbas præfati cœnobij Merſburgenſis: vir vndecunquè doctiſſimus, tam diuinis ſcripturis, quàm ſecularib9 literis perfectè inſtructus, carmine excellens & proſa: ſcripſit non ſpernendę lectionis opuſcula, de quibus ego tãtùm vidi opus metro compoſitum in Cãtica canticorum de nuptijs Chriſti & Eccleſiæ, lib. 3. Cætera quæ ſcripſit, ad me non venerũt. Claruit anno Domini milleſimo ſeptuageſimo.

De Luca Abbate.

CAP. XCVIII.

LVCAS montis ſancti Cornelij Abbas, in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, ſeculariumque literarum non ignarus, fertur non contemnendæ lectionis varia cudiſſe opuſcula, de quibus ego tãtùm reperi: ad Milonem epiſcopũ Taruanenſem, in Cantica canticorum opus egregiũ: de cæteris autem, quæ cudiſſe dicitur, nihil vſquàm inuéni.

De Lanfranco archiepiſcopo.

CAP. XCIX.

LANFRANCVS ex Abbate Cadoniẽſi archiepiſcopus Cantuarienſis, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & in ſecularibus literis fama omnium peritiſſimus, dialecticorum ſuo tempore omnium princeps, lumẽ & magiſter Theologorum. Hic Papia ciuitate Italiæ oriundus, cùm literis diu impendiſſet ſtudium, multiſque annis publicam ſcholam glorioſe tenuiſſet, Alpes tranſgreſſus cauſa ſtudiorum, tẽdebat Nortmanniam. Cumque iret Rothomagũ, latrones incurrit, à quibus captus & ſpoliatus, per deuia ſyluarũ noctũ abducitur: qui poſtquàm aliquantulùm murmuraſſet, in ſe reuerſus, tacitus dixit: Væ mihi! Tanto iam tempore ſtudium impẽdi ſcripturis, & Deum laudare in tribulatione non didici. Vouit ergò ſe decæterò ſeruiturum Deo, liberatuſque de periculo, monaſterium Bectenſe ingreditur, ſeq; monachum ſub Abbate Herleuuino profitetur. Ibi tribus annis manſit incognitus, gaudẽs, quòd abiectus eſſet in domo Domini: quouſquè tandem à mercatoribus Italiæ ſuit publicatus. Cùm die quadam ad mẽſam legeret, & omnes doctrina eius adhuc lateret, inter legendum quiddam dixit vt debuit, veluti ſi dixiſſet docere media producta, vt eſt: correxit eum Prior, non multùm literatus: & aliter dicere iuſſit, veluti docere media correpta. Lanfrãcus aũt, qui ex magno humilẽ ſe factũ eſſe ꝓ Dei amore gaudebat, ſciẽs obedientiã Chriſto magis deberi, ꝙ Donato, dimiſit quod benè pronunciauerat: & dixit, quod ſe non rectè dicere ſciebat. Deniquè per illud triennium, quo manſit incognitus, tanta ſe humilitate deiecit, ác ſi nihil vnquã literarũ didiciſſet: ità vt nunquàm aliquid in conuẽtu legere vellet, niſi priùs à magiſtro nouitiorum in priuato audiretur. Manifeſtatus autem, quis eſſet, Prior ibidem conſtituitur, & ſcholam tenere publicè iubetur. Poſteà factus eſt Abbas Cadoniẽſis, & poſtremò Cãtuariẽſis archiepiſcopus, vita & doctrina cõmiſsã ſibi ſtrenuè gubernãs Eccleſiã. Scripſit quædam magnæ authoritatis opuſcula, de quibus ego tãtùm reperi ſubiecta: In omnes epiſtolas Pauli cõmentarios edidit, & vbicunquè oportunũ ſibi videbatur, dialectico more proponit, aſſumit & concludit. Aduersùs Berengarium Turonẽſem clericum, diaconem Andegauenſem, de corpore & ſanguine Domini opus egregium cõpoſuit, lib. 1. Geſta Vuilhelmi Nortmannorum ducis, qui regnum Anglorum primus inuaſit, lib. 1. Alia quæ compoſuit, ad manus noſtras non venerũt. Claruit anno Domini milleſimo ſexageſimo.

De Engelberto Abbate.

CAP. C.

ENGELBERTVS Abbas monaſterij Admontẽſis, vir in diuinis ſcripturis lõgo ſtudio exercitatus, & ſecularib9 literis pro ſuo ſtatu ſufficienter inſtructus, ingenio & eloquio clarus, non minùs conuerſatione, quàm ſcientia venerabilis: ſcripſit ad ædificationem fratrum elegãtes ſermones: vbi, quantùm valuerit in ſcripturis, liquidè oſtenditur. Scripſit etiam de vitijs & vir-

& virtutibus librum vnum. Et quędā alia, nobis adhuc incognita.

De Anselmo Cantuarienſi.

CAP. CI.

ANSELMVS ex Abbate Beccenſis monaſterij, poſt Lanfrancum archiepiſcopus Cantuarienſis, eiuſdem Lanfranci quondàm diſcipulus, & poſt eum Prior Beccenſis, & ſcholæ monachorum rector, vir ſanctus, & tam in diuinis quàm in ſecularib⁹ ſcripturis eruditiſſimus: cùm Abbatis adhuc fungeretur officio, vt fratres ſuos ad ſtudiū ſacræ lectionis prouocaret, omnibus in generali conceſſit, vt quicunque vellet de quæſtionibus ſcripturarum eum audacter interrogare poſſet, neq; deſiſtere vnquàm ab interrogatione deberet, quouſque per ſolutionem reſpōſi ſatis ſibi factū agnoſceret. Hoc ideò fecit, quatenus & ſibi & fratrib⁹ diſcēdi materia ſemp adeſſet atq; occaſio. Scripſit multa pręclara opuſcula, de quibus ego tātùm ad præſens reperi ſubiecta: Cur deus homo lib. 2. aduersùm Iudæos de incarnatione verbi, lib. 1. ad Boſonem de cōceptu virginali, lib. 1. Monologiō, lib. 1. Proſologiō lib. 1. de proceſſu ſpiritûs ſancti cōtra Græcos lib. 1. de caſu diaboli lib. 1. de diuerſitate Sacramentorū lib. 1. de fermento & azymo lib. 1. de voluntate Dei lib. 1. de concordia gratiæ Dei & liberi hominis arbitrij, lib. 1. de libero arbitrio lib. 1. de veritate lib. 1. de ſimilitudinib⁹ lib. 1. de mēſuratione crucis lib. 1. Meditationum ſeu orationum lib. 1. Meditationum redemptionis humanæ lib. 1. de paſſione Domini lib. 1. Cōtra inſipientem lib. 1. pro inſipiente lib. 1. de miſeria hominis lib. 1. de membris quæ Deo attribuuntur in ſcripturis, lib. 1. de Sacramētis & officijs diuinis lib. 2. de domo conſcientiæ lib. 1. de ſancta Trinitate lib. 1. in Cantica canticorum lib. 1. de pace & cōcordia lib. 1. de beata ſufficientia lib. 1. de beata vita lib. 1. de bona occupatiōe lib. 1. de laudibus ſanctæ Mariæ lib. 1. de antichriſto lib. 1. dialogum inter Chriſtianum & gētilem lib. 1. de beatitudinibus lib. 1. de beatitudine cæleſti lib. 1. ad Lanfrācum epiſcopum lib. 1. in Exameron lib. 1. de Grammatica lib. 1. ſermōes & homilias varias, epiſtolas quoq; plures ad diuerſos: è quibus vnam reperi ad Vuilhelmum Hirſaugienſis cœnobij abbatem clariſſimum virum, quem ſpecialiter dilexit, quod epiſtola ipſa teſtatur. Sed & alia nonnulla edidit, quæ ad manus noſtras non venerunt. Claruit anno Domini milleſimo octogeſimo.

De Vuilhelmo Hirſaugienſi.

CAP. CII.

VVilhelmus abbas Hirſaugienſis cœnobij in confinibus Sueuorum, Spirenſis diœceſis, beati Anſelmi Cantuarienſis archiepiſcopi ſpecialis amicus, vir in diuinis ſcripturis eruditus, & ſecularibus literis nobiliter inſtructus, non minùs virtutibus, quàm ſcientia venerandus, ità vt viuens adhuc in carne legatur coruſcâſſe miraculis: dum in ponte versùs ſanctum Aurelium de maiori cœnobio tranſiens, claudum obuiantem ſibi, precibus ad Deū fuſis, ſanauerit. Scripſit nō ſpernendæ lectionis opuſcula, de quibus tantùm vidi ſubiecta: De muſica librū 1. de horologio lib. 1. Conſtitutiones monaſticæ reformationis, per eū in ſuo & alijs multis cœnobijs factæ, lib. 2. Correxit etiā pſalterium. Epiſtolas ad diuerſos plures edidit, quæ rarò inueniuntur ſimul. Monachus antehàc fuit ſancti Hemerāmi Ratiſponenſis, indè ad abbatiā Hirſaugienſem omnium fratrum conſenſu electus, præſedit ibidē annis 20. Moritur tertio Nonas Iulij, anno Domini milleſimo 91. Indictione 14. ſub Henrico quarto.

De Peregrino monacho.

CAP. CIII.

PEREGRINVS monachus Hirſaugienſis, Vuilhelmi abbatis prędicti quondā (vt ferunt) diſcipulus, vir certè tam in diuinis, quàm in ſecularibus literis eruditiſſimus, ingenio ſubtilis, eloquio ſuccinctus, diſertus & nitidus, rhetor & poeta nulli priſcorum inferior: ſcripſit metro & proſa clariſſima quædam opuſcula, de quibus ego tantùm vidi ſubiecta: Opus grande & inſigne volumen, ſub perſona ſuî & Theodoræ virginis Chriſti, ornato ſtylo compoſuit, cuius titulus eſt, Speculū virginum, lib. 8. commentariorum Euangelij lib. 1. de vita ſpiritûs & fructu mortis, lib. 1. dialogum matricularij lib. 1. didaſcolon lib. 1. in laudem ſancti Benedicti verſus quoſdam edidit. Omnia autem opuſcula, quæ ſoluta oratione compoſuit, in dialogi morē ordinauit. Claruit anno Dñi 1100.

De Francone abbate.

CAP. CIIII.

FRANCO abbas Haſſlingenſis, in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, ſecularis doctrinæ non ignarus: cùm adhuc monachus eſſet, iuſſu & inſtantia Fulgentij abbatis ſui, inchoauit opus inſigne, de gratia Dei prænotatum: quod poſt mortem illius, abbas ipſe factus, compleuit. Scripſit etiam metricè de ſtatu futuræ gloriæ ſatis eleganter. Et alia plura ſcripſiſſe dicitur, quæ ad manus noſtras nō venerūt.

De Giſelberto Vueſtenſi.

CAP. CV.

GISELBERTVS Præpoſitus monaſterij Vueſt in Anglia, beati Anſelmi Cantuarienſis quondàm auditor, vir do-

ctus & eruditus, ingenio próptus, & cautus eloquio, scripsit ad eunde Anselmum altercationem, quam habuit cum quodam Iudæo. In Esaiam prophetá lib. 1. In Cãtica canticorum lib. 1. & alia plura nobis incognita. Claruit anno Domini 1100.

De Ansberto monacho.
CAP. CVI.

ANSBERTVS, qui & Ambrosius, monachus, in diuinis scripturis valdè studiosus & eruditus, secularium quoque literarum non ignarus, ingenio promptus & clarus eloquio: scripsit multa præclara opuscula, sed ad me pauca eorú peruenerunt: In Cantica canticorum lib. 1. In psalterium lib. 1. In Apocalyp. Iohãnis lib. 10. De cupiditate lib. 1. Epistolas etiam ad diuersos edidit, variosq; sermones. Claruit anno Domini millesimo centesimo octogesimo. Vel, vt alij nonnulli volunt, anno Domini octingentesimo nonagesimo. Et forsitan hi meliùs sentiunt.

De Eckardo Abbate.
CAP. CVII.

ECKARDVS primus Abbas monasterij sancti Laurentij martyris in Vraugia Herbipolensis diœcesis, natione Teutonicus, vir tam in diuinis, quàm in secularibus scripturis eruditus, theologus, rhetor & poeta insignis, nó minùs vita, quàm scientia spectabilis: scripsit ad imitationé Boethij cósolationes monachorú, vtroq; stylo, metrico videlicet & prosaico, libros 5. Quod opus, Laternam monachorum, prænotauit. Si quid ampliùs scripsit, ad notitiam meã non peruenit. Claruit anno Domini millesimo centesimo vigesimo.

De Honorio monacho.
CAP. CVIII.

HONORIVS monachus in Anglia, & pro Christi amore inclusus, B. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi singularis amicus, ad quem eius nonnullæ extant epistolæ, vir doctus & deuotus, scripsit nonnulla deuota opuscula, de quibus est, Quæstionum & responsionú diuersarum lib. 1. Et quædam epistolæ ad compunctionem vtiles. Claruit temporibus Anselmi, anno Domini millesimo octogesimo.

De Ruperto Tuitiensi Abbate.
CAP. CIX.

RVPERTVS Abbas Tuitiensis cœnobij iuxta Coloniam Agrippinam, natione Teutonicus, vir in diuinis scripturis à spiritu sancto per visum eruditus, nó minùs vita, q̃ doctrina, clarissimus fuit. Nam cùm idiota esset, & parùm de scripturis sanctis posset intelligere, orationibus tamen & deuotioni semper intentus, beatissimam Dei genitricem Mariam sedulis precibus orabat, quatenùs sibi à filio suo Domino nostro Iesu Christo, qui fons est sapientiæ, intellectum & sciẽtiá scripturarum impetraret. Appãtens igitur ei beatissima virgo in visione, dixit: Orationes tuas audiui, postulata impetraui. Ecce omnium scripturarú tibi arcana patescunt, itá, vt similem hoc tẽpore habeas nemině. Tu ergò confortare & esto robustus, ad multorum vtilitatẽ labor tuus proueniet. Tantùm, nè torpescas ocio: nè gratiam tibi collatam prętereas: nè talentum scientię salutaris, quod accepisti, terrenarum cupiditate rerum in terram abscondas. Alia insupèr secretiora sibi dicta fuisse in quodã loco fatetur, quæ tamen non audet exprimere. Ex eo igitur tẽpore vsq; ad diě mortis suæ, tãto amore & desiderio sacras scripturas intellexit & exposuit, vt ab earum studio nũquàm cessaret. Semper legit, orauit, aut scripsit, vt nec horis quidem, iuxta moré cæterorú, parceret nocturnis. Quod vt liberiùs posset facere, curam tẽporalium rerum alijs commisit idoneis: ipse internis tantùm studijs insistebat. Scripsit multa præclara volumina, de quibus ipse per se in quadam epistola, subiecta recensuit: De officijs diuinis libros 12. Cõmentariorum in Iob, lib. 10. In euangelium Iohannis, 14. Opus de operibus sanctę & indiuiduę Trinitatis, lib. 40. In Apocalypsin Iohannis, libro 12. In duodecim prophetas minores, li. 10. De victoria verbi Dei, ad Cunoně Sigebergẽsem Abbatem, posteà Ratisponensem Episcopum, lib. 13. In Euãgeliú Matthæi ad eundem, lib. 8. In libros Regum de glorioso Dauid, ad Fredericum Coloniẽsem Episcopum, lib. 11. In Cantica canticorum, lib. 7. In regulam sancti patris nostri Benedicti, lib. 4. Apologeticú eiusdě operis, lib. 1. De incendio Tuitiensis cœnobij, instàr confessionum Augustini, opus deuotioni conueniens, lib. 3. Fertur etiam in alios Euãgelistas & in multos Bibliæ libros commentarios edidisse, qui ad manus nostras non venerunt. Claruit sub Henrico quinto, anno Dñi millesimo centesimo vicesimo, & sub Lothario tertio moritur.

De Ruperto Limpurgensi.
CAP. CX.

RVPERTVS Abbas Limpurgensis cœnobij in diœcesi Spirẽsi, natione Teutonicus, vir honestatě morum & obseruatia disciplinæ regularis venerandus, in diuinis scripturis studiosus & eruditus, secularium quoque literarum non ignarus, ante cõuersionem suam in Gymnasio Parisiensi philosophiæ seculari multis annis studiosè intẽtus, doctrinam ac gloriá non paruam acquisiuit. Tandem vitæ præsentis instabilitatem considerans, ad patriam remeans, ad Deum se totum conuertit, & in dicto

in dicto cœnobio monachus factus, crescẽtibus meritis, in abbatẽ omnium suffragijs electus est. Tantæ puritatis & religionis fuit, vt multis reuelationibus diuinitùs meruerit recreari. Scripsit autem, per visionem admonitus, in Cantica canticorũ lib. 4. De contemptu mundi & amore Dei lib. 2. Reuelationum quarũdam lib. 1. Sermones etiam de sanctorum laudibus, quorum apud Limpurgense cœnobiũ reliquiæ vel patrocinia habetur. Claruit anno Domini millesimo centesimo vigesimoquarto.

De Bernardo Monacho.

CAP. CXI.

BERNARDVS monachus Corbeiensis in Saxonia, natione Teutonicus, vir in diuinis scripturis satis eruditus, & in secularibus literis excellẽter doctus, scripsit luculẽto sermone, sed amaro, ad Hartuuinum Archiepiscopũ Madburgensem, contra Henricum Imperatorem quartum, rebellem Gregorij septimi Papæ, lib. 1. Alia quoque plura composuisse dicitur, quæ ad manus nostras non veneruut. Claruit sub eodem Henrico quarto, anno Domini millesimo centesimo.

De Sigeberto monacho.

CAP. CXII.

SIGEBERTVS monachus Gemblacensis cœnobij, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in secularibus literis valdè peritus, ingenio subtilis & cõptus eloquio. cuius doctrina magnæ authoritatis suo tempore erat, sicut liquidò patet ex opusculis suis, quæ ad principes Ecclesiarumq; prælatos scripsit, de quibus ipse subiecta quodam loco recensuit: Historiarum seu temporum chronicõ, magnum & insigne volumen. De illustribus viris lib. 1. Vitam sancti Theoderici Metensis Episcopi, heroico metro, lib. 1. Vitã Sigeberti regis lib. 1. Passionem Luciæ virginis, elegiaco carmine, lib. 1. De translatione corporis eiusdem martyris ad Metim, li. 1. Passionẽ sanctorum Thebæorum martyrum, heroico versu, lib. 1. Vitam sancti Guiberti monachi & fundatoris Gemblacensis cœnobij, lib. 1. Gesta Abbatum Gemblacensiũ lib. 1. Ad Henricum quartum imperatorem, cõtra eos, quĩ calumniabantur Missas sacerdotum concubinariorum, lib. 1. Eiusdem rogatu respondit Treuerensibus de ieiunio quatuor temporum, lib. 1. In Ecclesiasten triplici expositione, heroico metro librum 1. Epistolas etiam ad diuersos plurimas scripsit, sermones quoque & varios tractatus, qui ad notitiam meam nõ venerunt. Vitam etiam quorundam sanctorum vrbaniori stylo meliorauit. Responsoria, hymnos & Antiphonas in laudibus sanctorum dulci melodia composuit. Hic primùm de cœnobio Gemblacensi ad monasterium sancti Vincentij Metensis positus ad instruendos iuniores fratres in scientijs primitiuis, nonnulla in laudem eiusdem vrbis composuit. Inde ad monasteriũ suũ Gemblacense reuersus, omne tempus vitæ suæ studio scripturarum impendit, & magnam apud omnes doctrinæ laudem promeruit. Claruit sub Henrico quarto imperatore, anno Domini millesimo centesimo vigesimo.

De Gratiano monacho.

CAP. CXIII.

GRATIANVS monachus Bononiẽsis siue Classensis, vir in diuinis scripturis valdè studiosus, & veterum lectione dicues, secularium(q); literarum non ignarus, exemplo Ruth Moabitidis post terga metentium spicas colligẽs, inclytus factus est, dum patrum sententias ac conciliorũ sanctiones diligenter inquirens, nobile opus Decretorum composuit, quod cõcordiã discordãtium canonum appellauit, lib. 4. Dicitur & alia quædam scripsisse opuscula, sed in manus nostras non venerũt. De varietate Decretorũ notandum, quòd Isidorus iunior Episcopus Hispalensis decretum ex patrũ sententijs & conciliorum ingentis magnitudinis composuit, anno Domini sexcẽtesimo tricesimo. Post hunc Burckardus VVormatiensis Episcopus, cuius suprà fecimus mẽtionem, decretum in viginti libris comportauit, anno Domini millesimo vigesimotertio. Post quẽ sanctus Iuo Carnotensis Episcopus decretum in decẽ libris abbreuiauit, anno Domini millesimo nonagesimoquinto. Postremò Gratianus iste, de quo loquimur, considerans materias sine debito ordine dispersas in præfatorum patrum decretis iacere: apposuit manum, & diligenti studio quæq; ordinatè composuit, anno Domini 1127. Et hoc decreto Ecclesia vtitur in præsentem diem. Scripserunt & alij plures decreta, ex dictis patrum & conciliorũ, vt Ansegises Lobiensis abbas, Regino Pruniensis, & alij multi: sed non erant vniuersalia, neque in Ecclesia Dei adeò dilatata. Claruit Gratianus anno Domini millesimo centesimo 30.

De Emundo monacho.

CAP. CXIIII.

EMVNDVS monachus Cantuariensis, vir studiosus & doctus, fertur ingenij sui nonnulla reliquisse vestigia, in quibus vtriusque literaturæ abundans vena conspicitur. E quibus tantùm reperi Vitam S. Anselmi Cantuariensis, lib. 1. De discordia inter Vuilhelmũ regem & Anselmum Archiepiscopum prædictum. De libertate

Ecclesiastica lib. 1. de cæteris quæ composuit, nihil inuéni. Claruit sub Henrico Imperatore quarto, anno Domini 1120.

De Hugone monacho.

CAP. CXV.

HVGO dictus de Foligeto, monachus Corbeiensis in Francia, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, & in secularibus literis competenter instructus, eloquio dulcis & apertus, non minùs honestate morũ quàm scientia insignis, scripsit experientia magistrante pro ædificatione monachorum nõnulla præclara opuscula, de quib⁹ ego tantũ reperi subiecta: de claustro materiali lib. 1. de claustro spirituali lib. 1. de claustro animæ lib. 1. de claustro paradisi, siue cælesti, lib. 1. alia quæ scripsit, non vidi. Claruit temporibus Henrici quarti, anno Domini 1120.

De Adelpho Abbate.

CAP. CXVI.

ADELPHVS Abbas, in diuinis scripturis exercitatum habens ingeniũ, secularium quoq; literarum non ignarus, scripsit ad fratrum ædificationem (vt ferunt) elegantes & suauissimos sermones, qui à multis habentur. Scripsit etiam contra errores perfidi Mahometis & Saracenorum lib. 1. alia quoq; non pauca scripsisse dicitur, quæ videre non potui.

De Ioachim Abbate.

CAP. CXVII.

IOACHIM Abbas Florensis cœnobij in Calabria, vir in diuinis scripturis admodùm eruditus, sermone simplex & apert⁹, in repræhensione Petri Lombardi Parisiensis episcopi, iure repræhenditur, dum de sancta Trinitate benè sentientem redarguere non veretur. Et huius imprudentis repræhẽsionis libellus debitas exoluit pœnas. Nec tamen ipse Ioachim vel eius cæteri tractatus damnati sunt, quoniã omnia sua opuscula examini Apostolico subiecit, vt extrà de summa Trinitate & fide catholica, Damnamus. Scripsit autem varia in diuinis scripturis opuscula, de quibus ista ferũtur: In Ieremiam prophetam lib. 1. in Danielem prophetã lib. 1. in Euãgelium Ioannis lib. 1. in Apocalypsim Ioannis lib. 1. ad Henricum sextum de oneribus lib. 1. de septem sigillis lib. 1. de Concordantijs lib. 1. de quindecim Pontificibus lib. 1. ad Innocentium Papam, apologeticum lib. 1. & quædam alia, mihi adhuc incognita. Hic Ioachim vt propheta suo tẽpore habitus, multa de futuris temporib⁹ prognosticauit, & in omnibus opusculis suis futurorum temporum nititur euoluere casus. Claruit sub Henrico quinto vel sexto, anno Domini 1170.

De Ottone Abbate.

CAP. CXVIII.

OTTO abbas in diuinis scripturis nobiliter doctus, ingenio subtilis, scientia promptus, & eloquio compositus: scripsit non contemnendæ lectionis opuscula, de quibus extant præcipuè sermones & homiliæ notabiles ad fratres lib. 1. in canonem Missę lib. 1. disputatio, cum quodam Iudæo habita, ad Vuilbodonem monachum Hafflingensem, lib. 1. alia plura edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Hunc Ottonem nonnulli affirmant episcopum post abbatiam fuisse Ecclesiæ Cameracensis.

De Hildegarde Bingensi.

CAP. CXIX.

HILDEGARDIS sanctimonialis virgo, prima abbatissa mõtis sancti Ruperti Bingensis in diœcesi Moguntina, oriunda ex comitatu Spanheimensi, discipula quondàm beatæ Iuttæ, comitissæ ibidèm in monte sancti Disibodi, virgo sanctæ conuersationis, quæ multis in vita legitur claruisse miraculis, quam in scriptorum catalogo non ponere, nisi me authoritas summi Pontificis Eugenij tertij animaret, qui scripta eius in cõuentu Treuerensi corã S. Bernardo Clarauallẽsi & multis Cardinalibus atq; episcopis publicè lecta cõfirmauit, quemadmodùm in libro de Ecclesiasticis scriptoribus dudùm dixisse me memini, vbi & aliã rationem, impellẽtem me, posui. Multis hæc virgo diuinis reuelationibus illustrata fuit, quibus etiam subiecta volumina magnæ quantitatis cõposuit, videlicet: In Regulã S. Benedicti quæstiones lib. 1. ad Guibertũ monachum de 30. quæstionib⁹ li. 1. vitã S. Ruperti ducis lib. 1. vitã S. Disibodi episcopi lib. 1. homilias 58. in Euãgelijs Dominicalibus, lib. 1. de Sacramento altaris cõtra Catharos lib. 1. Sciuias, i. de sciẽtia viarum Dei & hominis, grãde volumẽ, & mirabile opus, lib. 1. Vitæ meritorũ lib. 3. diuinorũ operũ lib. 1. Simplicis medicinæ lib. 1. Cõpositæ medicinæ lib 1. ad Clerũ Coloniẽsem de futuris periculis in Ecclesia lib 1. ad Treuerẽses de eadẽ re lib. 1. in quo calamitatẽ eiusdẽ vrbis propter peccata clericorum citò futuram, nisi præuenirent eam pœnitendo, prædixit. Fuit autẽ personaliter in Treueri, missa à Domino. Cumque mala Ecclesiæ propter delicta sacerdotum prædiceret, omnes clerici responderunt: Dic nobis domina, in quo offendimus Deum, vt hanc iram incurrere debeamus? Respondit, notabile verbum dicens: Spiritus sanctus non confundit. Omnia autem quæ prædixerat super ecclesiã Treuerẽsem venerũt anno Dñi millesimo cẽtesimo 85. sub Volmaro archiepisco-

episcopo, q per septē annos miserabili schismate laborabat. Scripsit etiā exhortatoriū secularium ad quosdam presbyteros lib. 1. ad sorores suas lib. 1. ad monachos Erbacensis cœnobij paregoricon. Epistolas multas ad diuersos numero 136. lib. 1. Carmina & cātica cum dulci & mirabili melodia. de vitis & virtutibus per modū dialogi plura cōposuit. Et quædam alia minora, sed instructa opuscula. Claruit anno Domini millesimo centesimo sexagesimo.

De Elisabeth Schonaugiensi.

CAP. CXX.

ELISABETH monialis & abbatissa Schonaugiēsis cœnobij diœcesis Treuerensis, virgo sanctæ cōuersationis, multas à Deo reuelationes habuit, quas ad vtilitatem fidelium literis demandans, subiecta volumina composuit: Viarū Dei notabile & vtile opus, lib. 1. De reuelatione xj. milliū virginum Coloniensiū lib. 1. Reuelationum suarum lib. 3. Epistolas etiam non paucas ad diuersos. Nō mihi insultet præsentiū lector futurus, quòd fœminas in Scriptorum illustrium catalogo posuerim, quod non sine veterum exemplo fecisse putandus sum, cùm beatus Isidorus Hispalensis Probam Adelphi proconsulis vxorē, inter illustres viros posuerit, propter Virgiliocentonas, (nihilominùs apocryphas) quas scripsit. Nec Probę maritatę nostræ virgines Christo consecratæ, inferiores censendæ sunt. Claruit autem beata Elisabeth eodem tempore, quo Hildegardis, cui amicissima fuit, cuius monasteriū vix tribus milliaribus ab ea distat. Vitæ eius seriem in tertio libro breuiter exponemus. Moritur antè, quàm Hildegardis decederet, anno Domini millesimo centesimo sexagesimoquinto, Indictione 13. ætatis suæ anno 36. 14. Calendas Iunij. In ecclesia sancti Florini sepulta.

De Eckeberto Abbate.

CAP. CXXI.

ECKEBERTVS abbas cœnobij sancti Florini Schonaugiensis, in finibus Treuerensis diœcesis, frater beatæ Elisabeth abbatissæ cœnobij monialium ibidē, cuius iam fecimus mentionem: cùm esset canonicus Ecclesiæ Bōnensis, monitis sororis suæ iam dictæ præbens assensum, seculum contemnens, monachus factus est sub Hildelino præfati cœnobij primo abbate: quo defuncto, in eius locum abbas constituitur: vir quidem in sacris scripturis studiosus & eruditus, & secularium literarum non ignarus, metro excellens & prosa, in declamandis homilijs atq; sermonibus excellentis ingenij fuit. Scripsit aduersùm hæreses librum 1. In principium Euangelij Ioannis, lib. 1. In Euangelium Lucæ, Missus est angelus, lib. 1. super Magnificat lib. 1. Sermones multos & elegātes per totum annum, lib. 1. De obitu sororis suæ. Epistolas plures ad diuersos: orationes quoq; & carmina. Alia quoq; nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Tantæ eruditionis & facundiæ fuit, vt hæreticum quendam Cardensem, malè de corpore & sanguine Domini sentientē, & subtiliter dogmatizantē, omnibus formidabilem, prima (cōgregatis multis doctis viris) disputatione deuicerit. Deniq; anno Domini millesimo cētesimo sexagesimotertio, Indictione vndecima, secunda die mensis Augusti, quæ fuit sexta feria, in ciuitate Coloniensi tres hæresiarchas Cataphrigas seu Catharos, Arnoldū, Marsilium, & Theodericum, disputando conuicit, vt nihil contrà mutire possent. qui pertinaciter in errore manentes, cōbusti sunt cum sex viris & duabus mulieribus extra ciuitatem iuxta sepulturas Iudæorum, in colle qui dicitur Iudaicus. & contra talium hæresim nonnulla scripsit syntagmata. Claruit anno Dñi 1170.

De Petro Cluniacensi.

CAP. CXXII.

PETRVS abbas Clnniacensis, in scripturis sanctis eruditus, & secularis doctrinæ nō ignarus, ingenio & eloquio clarus, non minùs religione & morum integritate, quàm scientia venerabilis, scripsit sermones ad fratres vtiles & elegantes, lib. 1. de vita solitaria lib. 1. epistolarum ad diuersos lib. 1. Scripsit etiam quædam mirabilia & reuelationes varias suo tempore factas, quæ à multis habentur. Alia quoq; nonnulla edidit, quæ necdùm vidi.

De Helmando monacho.

CAP. CXXIII.

HELMANDVS monachus Frigidi montis in territorio Beluacensi, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in secularibus literis magnificè doctus, ingenio subtilis & vehemēs, eloquio disertus, & venusto lepóre decorus, non minùs vita, quàm scientia præstabilis, composuit quædam pręclara opuscula, in quibus vndecunq; peritus ostenditur: Opus magnū & insigne historiarum lib. 48. de reparatione lapsi lib. 1. Sermones etiam varios, & multas ad diuersos epistolas. de alijs quæ scripsisse dicitur, nihil vsquàm inueni. Claruit anno Domini 1020.

De Vuilhelmo monacho Parisiēsi.

CAP. CXXIIII.

VVILHELMVS monachus sancti Dionysij Parisiensis, in scripturis diuinis studiosus & eruditus, secularium que literarum non ignarus, scripsit opusculū insigne historiarum transacti temporis, lib.

lib. 3. Fertur etiam in quosdam Bibliæ libros commentarios edidisse,& alia diuersa opuscula, sed in manus nostras minimè venerunt.

De Simone monacho.
CAP. CXXV.

SIMON monachus Hafflingensis,in diuinis scripturis exercitatum habens ingenium, qui veterum lectione non parùm diues effectus, abbreuiauit Moralia beati Gregorij papæ in Iob, morales tantùm ex eo sententias apponēs textui, totum volumen verbis exposuit alienis. Scripsit etiam elegantes sermones & in Cantica canticorum lib. 1. Alia quoquè multa scripsisse dicitur, quæ ad manus nostras minimè venerunt.

De Vuilhelmo Abbate.
CAP. CXXVI.

VVILHELMVS Abbas Pictauiensis, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus,& secularium literarum nō ignarus, Theologus & Iurista insignis, fertur de Sacramentis notabile cudisse volumen, quo ingenij sui venam abūdantem ostendit. Alia quoquè nonnulla scripsisse dicitur: sed ad notitiam meam non venerunt.

De Henrico monacho.
CAP. CXXVII.

HENRICVS monachus Hafflingensis, patria Brabātinus ex oppido Bruxellensi, vir in diuinis scripturis admodū studiosus & eruditus, & in artibus humanitatis egregiè doctus, calculator & computista insignis. Scripsit de ratione cōputi & Kalendarij librum satis vtilem & necessaria eruditione instructū: Epistolas etiam nonnullas ad diuersos. Alia insupèr multa scripsisse dicitur, quæ ad notitiam meam adhuc minimè venerunt.

De Theoderico Abbate.
CAP. CXXVIII.

THEODERICVS Abbas, natione Teutonicus diœcesis Moguntinensis, vir doctus & eloquens, scripsit ad vtilitatem legentiū, Vitam admirabilis virginis Christi Hildegardis Bingensis, cuius suprà fecimus mentionē, lib. 4. Fertur etiā alia quędā composuisse opuscula, quæ in manus nostras non venerunt. Claruit anno Domini millesimo ducentesimo.

De Philippo monacho.
CAP. CXXIX.

PHILIPPVS de Pergamo, Prior cœnobij sanctæ Mariæ de Auātia de Padua, vir in diuinis scripturis eruditus, & in secularibus literis nobiliter doctus, eloquio dulcis, apertus & compositus, edidit non contemnendæ lectionis opuscula, de quibus ego tantùm vidi volumen magnum & insigne, quod scripsit super Ethicam Catonis, lib. 1. De cęteris quæ cudisse dicitur, nihil vidi.

De Bernardo Cassinensi.
CAP. CXXX.

BERNARDVS Abbas Cassinensis, in scripturis sanctis studiosus & eruditus, regularis disciplinæ zelosus amator, ingenio subtilis, cōsilio promptus, sententia solidus, eloquio apertus & compositus, scripsit quędam pręclara opuscula, de quibus ego tantùm reperi subiecta: In Regulam sancti Benedicti lib. 1. Speculum quoq; monachorum, lib. 1. Vtrùm omnia regulæ cadant sub præcepto. Cætera quæ composuit, ad notitiam meam non venerunt.

De Petro Pictauiensi monacho.
CAP. CXXXI.

PETRVS Berthorij Pictauiensis, monachus & Prior sancti Eligij Parisiensis, vir in diuinis scripturis studiosissimus, & secularīū literarū nō ignarus, scripsit multa præclara opuscula, qui abundantis ingenij venam aperuit: In Genesim lib. 1. In Exodum lib. 1. In Leuiticum lib. 1. In Numerorum volumine lib. 1. In Deuteronomium lib. 1. In Iosue lib. 1. In Iudicum lib. 1. In Ruth lib. 1. In Regum lib. 4. In Paralip. lib. 2. In Esdram & Neemiam lib. 3. In Tobiā lib. 1. In Iudith lib. 1. In Hester lib. 1. In Iob lib. 1. In Isaiam lib. 1. In Ieremiam lib. 1. In Ezechielem lib. 9. In Danielem lib. 1. In duodecim prophetas minores, lib. 12. In Machabæorum, lib. 2. In Euangeliū Matthæi lib. 1. In Euangelium Marci lib. 1. In Euangelium Lucæ lib. 1. In Euangeliū Ioānis, lib. 1. In Epistolas Pauli lib. 14. In epistolas canonicas lib. 7. In actus Apostolorum lib. 1. In Apocalypsim Ioannis, lib. 1. Scripsit etiam grande opus in tribus voluminibus, quod morale repertorium pręnotauit, quod aliâs Dictionarium vocant. Morale reductorium in tribus voluminibus. Morale inductorium in tribus voluminibus. Scripsit breuem summā historiarum Bibliæ lib. 1. Sermones quoquè, epistolas, & alios diuersos tractatus, qui in manus nostras minimè venerunt.

De Lapo Abbate doctore.
CAP. CXXXII.

LAPVS de Castellione, Abbas sancti Miniatis, vir in vtroq; iure peritissimus, & tam humanarū quàm diuinarum scripturarum non ignarus, fertur nonnulla suæ facultatis edidisse opuscula, de quibus ego tantùm reperi: In Clementinas lib. 1. Cętera quæ scripsit, ad notitiam meam nō venerūt. Claruit anno Dñi 1340.

De Clemente Papa sexto, Abbate.

CAP. CXXXIII.

CLEMENS Papa sextus, Petrus Rogerij antè vocatus, Abbas Fiscauiensis, de quo etiam in quarto libro mentionem faciemus, vir certè vndecunq; doctissim°, ingenio subtilis et clarus eloquio, in declamandis ad populum sermonibus valdè egregius fuit. Sermones elegantissimos edidit, qui à multis in precio habetur. Collationes multas in diuersis materijs, aliaq; plurima scripsit. Claruit anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimoquinto.

De Petro Boherij Abbate.

CAP. CXXXIIII.

PETRVS Boherij, Abbas Auiani, doctor Decretorum suo tempore famosus, & in diuinis scripturis admodùm eruditus, ingenio clarus, scientia profundus, sermone scholasticus, edidit nō spernendæ lectionis opuscula, de quibus ego tantū vidi subiecta: Super Speculo Bernardi Abbatis Cassinensis, lib. 1. de signis locutionū pro monachis, lib. 1. Scripsit etiam super Regulam patris nostri Benedicti, opus certè laboriosum & commēdabile: in quo ipsam Regulam iuri & canonibus penè in singulis verbis concordare ostendit. Cætera quæ scripsit, in manus nostras nō venerunt. Claruit anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo.

De Ioanne monacho.

CAP. CXXXV.

IOANNES monachus Castellēsis in diecœsi Eistetensi, vir in diuinis scripturis valdè studiosus, & secularis literaturæ non ignarus, ingenio subtilis & disertus eloquio, edidit venerādæ lectionis nō pauca volumina. de quibus ista feruntur: In Regulā sancti patris nostri Benedicti, lib. 2. Summa compēdiosa in totam Bibliam, lib. 1. Sermones super Epistolis & Euāgelijs per totū annum, tam de tempore q̄ de Sanctis, lib. 2. de Passione Domini sermones 42. Epistolas quoq; multas ad diuersos. Et alia plura, quæ in manus nostras non venerunt.

De Andrea monacho episcopo.

CAP. CXXXVI.

ANDREAS ex monacho nostri ordinis, vt per se in quodam tractatu fatetur, Episcopus Megarensis & Ciuitatensis, & deindè Aiacensis, natione Hispanus, & Romanæ curiæ Pœnitentiarius, doctor in iure peritus, & diuinarum scripturarū non ignarus. Scripsit de pœnitentia lib. 1. de modo & forma confitendi, tractatum breuem, sed vtilem. Alia quoq; plura edidit, quæ ad manus meas non venerunt.

De Petro monacho Mellicensi.

CAP. CXXXVII.

PETRVS de Rosenheim, monachus Mellicensis cœnobij in Austria, vir in diuinis scripturis studiosus, & secularibus literis sufficienter instructus, metro valens & prosa. Scripsit, magistro Nicolao Dinckelspuel rogante, ad Brandam Cardinalem sancti Clementis, Apostolicum legatum, opus metricum in totam Bibliam: quod roseum memoriale diuinorum eloquiorum appellauit, duobus versibus semper exprimens, quid in quolibet capitulo contineatur. Scripsit etiam chronicam historiarum lib. 1. epistolas quoq;, & sermones, & alios diuersos tractatus. Claruit temporibus concilij Constantiēsis, anno Domini millesimo 420.

De Henrico Abbate.

CAP. CXXXVIII.

HENRICVS de Gulpen, Abbas monasterij sancti Aegidij in Nurēberga, natione Teutonicus, doctor Decretorū admodùm eruditus, nō minùs cōuersatione, quàm scientia venerabilis, cuius ingenium laudat Ioānes Nider in suo formicario: scripsit non spernendæ authoritatis opuscula, de quibus feruntur subiecta: Super septem distinctiones de pœnitentia, lib. 1. super distinctione quoq; de cōsecratione, lib. 1. de passione Domini tractatum vnū. Si quid ampliùs edidit, ad notitiam meam non peruenit. Claruit tēpore concilij Basileensis, anno Domini 1430.

De Nicolao Panormitano.

CAP. CXXXIX.

NICOLAVS Abbas Monacensis, natione Siculus, Archiepiscopus Panormitanus, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, vir in vtroq; iure peritissimus, dubiorum cautus interpres, qui apud Iuristas in magno precio habetur: scripsit multa præclara opuscula, de quibus ego tantùm inueni subiecta: Super decretalib° magnum & importabile opus in multis voluminibus, lib. 5. Super Clementinis lib. 1. Super sexto Decretaliū, lib. 1. Apparatū super Decreto inchoauit, sed non perfecit. Consilia multa, numero centum quatuor, lib. 1. de ordine Iudicij lib. 1. Scripsit pro authoritate concilij Basileensis notabilem & prolixum tractatum, quem in audientia principum & cleri Franckfordiæ publicè legit. Disputationes etiam ac varias repetitiones edidit, quæ in manus nostras non venerunt. Claruit in concilio Basileensi, anno Domini 1435.

De

De Ioanne Rode abbate.

CAP. CXL.

IOannes Rode abbas cœnobij sancti Matthiæ Apostoli, extra vrbem Treuerensem, natione Teutonicus, doctor in iure valdè peritus, & in diuinis scripturis multū studiosus, moribus & vitæ conuersatione cōspicuus, regularis obseruantiæ zelator insignis, qui pro restauratione monasticæ disciplinæ in prædicto cœnobio multùm laborans, multùm profecit: scripsit aperto sermone constitutiones ꝓ reformatione ordinis necessarias, quas ibidèm practicauit. Scripsit etiam de regimine abbatis simplicem quidem sermonem, sed vtilem effectu tractatum. Et quædam alia, ad monachorum ędificationem exercitia. Hic primò fuit Officialis curiæ Treuerensis, posteà contempto seculo, domū & ordinem Carthusiensem ibidem ingreditur: vbi per aliquot annos laudabiliter conuersatur, donèc tandèm authoritate Apostolica (procurante id archiepiscopo Treuerorum) ordinē nostrum ingressus, abbas pro reformatione eius cōsecratus est. Erat enim vir doctus, zelosus, & deuotus, de quo nulla vnquàm sinistra opinio haberi potuit, qui Carthusiā coactus deseruit ad Dei solius honorē & nostri ordinis honestatem. Claruit in concilio Basileensi, Anno Domini millesimo quingentesimo tricesimoquinto.

De Andrea monacho.

CAP. CXLI.

ANDREAS monachus cœnobij nostri Spanheimensis, (cui Deo authore, licèt inutilis deseruio) patria Traiectēsis, vir in scripturis sanctis exercitatū habens ingenium, in secularibus quoq; literis satis eruditus, carmine valens & prosa, eloqo dulcis, & pulchro venustatis lepóre cōposit: edidit nō spernēdæ lectiōis opuscula, de quibus extāt subiecta: Soliloquiorum hominis ad Deū li. I. de ꝓfectu virtutum lib. I. de esu carnium à monachis quādò liceat, lib. I. de vsu floccorum ad abbatem sanctæ Mariæ Treueren. lib. I. epistolas multas ad diuersos, collationes etiam & varia carmina composuit. Claruit anno Domini 1440.

De Conrado abbate sancti Ioānis.

CAP. CXLII.

CONRADVS de Rodenberg, abbas mōtis sancti Ioānis Baptistę Rinckaugiensis, vir deuotus, & regularis obseruantiæ nouiter introductæ ardētissimus amator, in diuinis scripturis admodùm studiosus, & declamator sui temporis insignis: scripsit simplici & aperto sermone nonnulla opuscula, quorum lectio deuotis viris non erat inutilis. E quibus extat opus prolixum & insigne de laudibus B. Mariæ semper virginis, cuius amator præcipuus fuit, de singulis mēbris eius sub figuratione botri laudes speciales cōtexens: cui titulum de vinea Domini Sabaoth imposuit. Scripsit etiam quoddam exercitiū deuotionis ad instructionem nouitiorū, lib. I. de accessu Altaris tractatum breuem. Collationes etiam plures & notabiles, diuersis vicibus in capitulis patrum declamauit. Ipse deniq; vnus fuit ex ijs, qui ordinariū & cæremonias reformationis nostræ iussu patrum descripserunt. Moritur senex plenus dierum, octauo Kalendas Ianuarij, anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimosexto, Indictione quarta.

De Nicolao Donis monacho.

CAP. CXLIII.

NICOLAVS Donis, natione Teutonicus, monachus nostri ordinis, cuius cœnobium memoriæ nō occurrit, vir in secularibus literis admodùm eruditus, cosmographus nostro tempore admirandus: scripsit ad Paulum secundum summum pontificem, laboriosum opus cum picturis super Ptolomæi tabulis, de Cosmographia lib. 8. de quibusdam locis & mirabilibus mundi, lib. I. Et quædam alia nobis inuisa. Claruit sub Paulo secundo & Sixto quarto, Anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo, & ante hoc fermè septennium moritur.

De eo, quòd non omnes nostri ordinis scriptores in hoc Catalogo posuerim, propter multitudinem eorum.

CAP. CXLIIII.

NEmo arbitretur hos solos esse monachos & patres, quos nominauimus, qui suis ingenijs & opusculis diui patris nostri Benedicti ordinē illustrârunt: cùm longè plures & maiores propter ingētem eorum multitudinem obmiserimus, eò ꝙ nec ocium nobis esset, nec inserendi, qui desunt, opportunitas. Quis enim dubitet, multos adhuc restare præstantissimos nostri ordinis viros, quorum nos mētionem non fecimus, si tempus, si mores, si dignitatem eius intueatur? Nongentis annis ordo nostri legislatoris viguit: qui nūquàm sine viris in omni scientia doctissimis fuit, quanquàm nos omnium non possimus facere mentionem, properreà quòd eorū nomina ignoramus. Non enim scripserūt ad ambitionē & nominis sui famam perpetuandā, (quod multi faciūt) sed ad gloriam Dei & animarū salutem, cuius amore nominis titulos humiliter transierūt. Vtilis quippe materia etiam absque authoris ne-

nomine valet. Quanquàm tanta sit hominum nostræ ætatis curiositas, vt sine authoris notitia omnẽ lucubrationem æstimet viliorẽ. Cæterùm cùm nos paucos recensuerimus è pluribus, nulli fecisse iniuriam æstimamus, si aut sui cœnobij claros viros, nobis incognitos, silentio transiuimus: aut aliter quosdam, quàm multi volunt, descripsimus. Scio enim nostri ordinis Abbates & fratres cõplures, qui vt cœnobia sua de aliena laude insigniora reddant, doctores aliorum sibi vsurpant. Et vt fidem verbis vel vnico demonstrem exemplo, tacito nomine eorũ, quid de Haymone quidam sentiant, breuiter insinuabo. Constat, Haymonem monachum fuisse Fuldensis cœnobij, & episcopum Halberstatensem tertium: sicut superiùs suo loco descripsimus. Et nihilominùs noui tria monasteria, quæ eum velut suum defendant. Duo autẽ ex eis, ducentis vel trecẽtis annis post mortẽ eius primò fundata sunt. Quomodò ergò fieri potest, vt illius cœnobij monach⁹ fuerit, cui⁹ fundationẽ tot annis præcessit? Stulta est huius rei decertatio, quæ ex laude pendet aliena. Hæc idcircò dixerim, nè quis factam sibi à me causaretur iniuriam, si doctores suos, vt falsò æstimat, asscriptos cerneret alienis. Ego enim non fine maxima diligẽtia multarum gentium historias chronicasq́; sæpè reuoluens, quãtùm possibile mihi erat, ad hoc animũ appuli, nè opinionibus quorundam deceptus, falsa pro veris adstruerem. Veruntamen cùm sim homo & nõ angelus, caro & non spiritus, fallere possum & falli, non ità meam statuo sententiam, quin alterius opinioni probabili acquiescam. Si quis igitur in iis aliquem errorem inuenerit, saniori libentissimè cedam sententiæ. Quanquàm enim diligentiam fecerim immodicam, non audeo affirmare sufficientem, cùm in magna varietate historiarum, magna sit opinio rerum. Si quis autem plures nostri ordinis scriptores inuenire desiderat, veteres scripturas legat. Nos enim, quantùm præ aliis occupationibus licuit, ad ordinis decorẽ paucos conscripsimus, posteris occasionem præbituri, vt si vnquàm futuri sint, qui religionis suæ laudem amabũt, addant eos viros illustres, quos in nostro catalogo nõ viderint contineri.

Exhortatio finalis ad fratres huius professionis, vt se ad studium conferant sacræ lectionis.

CAP. CXLV.

IN fine huius secũdi voluminis libet eos paucis alloqui, q sub regula S. patris nostri Benedicti terrã in fructuosè occupãt, & veterũ exẽpla, cùm possint, imitari dissimulant. Libenter quidem audiunt de ordinis honore, laudibusque tractãtem: sed eorum sequi vestigia, quos laudabiles extitisse nõrunt, suadentem non aduertũt. Credite mihi, patres & fratres, ocium non fecit ordinem nostrum gloriosum: sed labor, sed vigilantia, sed studium. Et vt breuiter summa gloriæ nostræ afferatur, duo sunt, quæ ordinem ad eminentiam honoris prouexerunt, meritum videlicet sanctitatis, & scientia scripturarum. Quibus extinctis, grauiter cecidit, qui priùs fortiter stetit. Si ergò volumus ordinem nostrum (vel in parte) ad pristinum statum reducere, oportebit nos sanctitatem vitæ & doctrinam sapientiæ amare. Neque enim possibile est, disciplinam in ordine consistere, si aut moribus sanctitas, aut disciplinæ scripturarum desit authoritas. Alta cœnobiorum ædificia, magna redditũ substantia, ampla terrarum prędia, non faciũt stabilem in ordine disciplinam. Idcircò ad studium sacræ lectionis, veterum nobis exemplo recurrendum est: vt diuinitùs illustrati, in virtute & sanctitate valeamus pficere, & gloriam ordinis etiã nostris studiis augmentare. Vnusquisq; iuxta datam sibi cælitùs gratiam diligenter inuigilet: nullus à studio scripturarũ cesset. Omnes se vtiliter instruant: omnes scientiæ salutari diligentiam impendant. Nõ est abbreuiata manus Domini, vt nobis possit negare, quod illis tam liberaliter cõdonauit. Hoc solum à nobis exigitur, vt voluntate bona & studio gratiam commẽdemus. Eccè iam opportunè studentibus arrident omnia: quibus nouitas impressoriæ artis, multa millia librorum producit in lucem. Iam enim modico ære quisque doctus esse potest. & felix ætas nostra, quæ hoc donũ à Deo promeruit. Erat olim magna librorum penuria, quandò maximis preciis & expensis parabantur. At nunc in omni varietate scripturarum, ingens copia voluminum est, quibus ad scientiam literarum vnusquisque iam facilè potest accedere. Quid ergò, fratres, negligitis vobis tam necessariam rem? Cur inerti languescitis ocio? Cur oblatam paruipenditis salutem? An putatis virtutem sine labore, scientiã sine studio posse quenquam apprẽhendere? Intueamini eos, quorum in hoc catalogo fecimus mentionem, quomodò in scientia scripturarum mirabiliter profecerunt: & cognoscite, quia nõ est studium sine amore, non scientia sine labore, non victoria sine certamine. Sed habet labor iste solatium, quem diuini amoris confirmat incendium Erant ii, de quibus loquimur, homines similes nobis, mortales, infirmitati & passionibus subiacentes: sed

vicit in eis gratia Dei, amor scripurarum insolētiam carnis superauit. Nouerāt enim optimè, quoniā qui amat scientiā scripturarum, vitia carnis non amaret. Nihil in hac vita dulcius apprehenditur, nihil iucundiùs ac securiùs possidetur, nihil ità mentē à voluptatibus retrahit, sicut amor & scientia vera scripturarum. Hæc est, ô fratres, mater honorificata, quæ diligentes se diligit, & ordinem nostrum à principio exaltauit. O si sciretis, quanti honoris & vtilitatis sit amor scripturarū: ab eius cultu nunquàm torperetis. Vultis vt dicam breuiter, quid de sacra scientia mihi videatur? Audite: Monachus, qui est amator sanctarum scripturarum, sicut leo fortissimus bestiarum, ad nullius pauebit occursum. Quarè? Quia sacra hæc scientia velut turris Dauid, ædificata cum propugnaculis, ex qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium, tantam virtutem & fortitudinem in se continet, vt verū amatorem suum quasi inuincibilem reddat, dum illius mentem ab omni voluptate terrena segregat. Ipsa dat suo amatori in tribulatione constantiam, in aduersitate tolerantiam, in humilitate victoriam. Amorē Dei cordibus infundit fidelium: timorem & pauorem mentibus incutit superborum. Si inuenerit hominem dignum se, ab omni seruitute facit liberrimum. Docet eum vitia fugere, virtutes diligere, terena despicere, cælestia quærere, Deū super omnia amare. Cùm autem nihil in terra diligit, de nullius amissione dolebit. Et hæc est vera libertas, animum terrenis affectibus facere alienum. Ad hanc liberrimam libertatem, sancta scriptura & prouocat, & informat, si cum amoris synceritate tractetur. O quàm dulcis est, Domine, spiritus tuus, qui amore sanctarum scripturarum, ab humilis cordis puritate imbibitur. Nihil hîc talis amare potest terrenum, nihil ambire caducum. Tota mentis illius affectio flagrante desiderio sursùm erigitur: totū eius studium in amore Dei solidatur. Scriptura quippe est, quæ torpentes ad deuotionem nos excitat, mentem ad dilectionem DEI inflammat, contemptum præsentium suggerit, voluptatis carnem occidit. Hanc ergò si ex toto corde amaueris, honorificabit te: si coluēris, exaltabit te. Sine illa, hominis vita aut voluptas, aut vanitas est. Sed in nostris maneamus. Monachus aut Abbas, qui scientiam scripturarum non amat, quid aliud, quàm vana, potest diligere? Etenim si non habeat, vbi cor suum in sancto studio delectabiliter occupet: necesse est, vt vanis inseruiēs, turpiter sordescat. Hinc est, quòd nostri Abbates sine studio scripturarum terrena ambiunt, diuitias vanas quærunt, honores falsos cupiunt, terrenis curis totaliter se immergūt. Oportet enim intentionem eorum circa aliquid versari, siue bonū, siue malum sit. Cor quippe humanum, sine affectione esse non potest, dum viuit intelligens. Qui autem sanctis studijs occupari renuit, sine dubio contrarijs inseruit. Hi ergò in curribus & equis, isti in diuitijs & structuris: illi in conuiuijs & ebrietatibus, isti in ludis & vanitatibus: illi in mulierum factis delectantur. Pauci sunt, qui sine amore scripturarū in clero & monachis benè conuersantur. Multi ergò sunt vocati, pauci verò electi. Scripturas sacras diligunt, qui nouerunt: quia hæc scientia vel maximè non habet inimicum nisi ignorātem. Ordinis igitur nostri pristinum decorem intuentes, sic animum scripturis sanctis curem' apponere, vt per bonorum operum exercitia, fructum earum vitam æternam mereamur possidere. Hoc iam fine secundum tractatum nostri operis concludentes, voluminis tertij deincèps, largiente clementia omnipotentis Dei, sumamus exordium.

EXPLICIT LIBER SECVNDVS de illustribus viris ordinis sancti Benedicti, anno 1492.

INCI-

INCIPIT PROLOGVS DOMINI IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEIMENSIS, IN TERTIVM LIBRVM DE ILLVSTRIBVS VIRIS ORDINIS S. BENEDICTI.



Loriosum in sanctis suis Deum omnipotentem inuocantes, post diuturnum silentium, manus ad laborem denuò relaxamus, tertium librum de illustribus viris inchoantes, in quo, iuxta quod sæpè promisimus, de sanctis & canonizatis sumus habituri sermonem, qui ordinem diui Benedicti professione sua & moribus, veluti astra cæli in generationibus suis ornauerunt. Et licèt multitudo eorum pene innumerabilis, à cœpto nos terreat: confidimus tamé in eo, qui dixit: Omnia possibilia sunt credéti: quoniam sicut illis sua benignitate sanctitatem contulit, ità & nobis virtutem loquendi de sanctis ministrabit. Sed nemo æstimet me sanctorum omnium nostri ordinis fecisse mentionem: quorum tantus fertur numerus, vt solis recensiti nominibus, volumen non paruum implerent. Ego autem vix paucos signaui è pluribus, quorum certam ad manum notitiam habebam. Illos verò, quos in hoc catalogo obmisimus, in libro vitæ conscriptos non dubitamus. Sed & eos, quorum mentioné fecimus, breuiter consignasse sufficiat: né liber iste ampliùs, quàm cæteri, in immésum crescat. Neque enim propositi nostri est, vitam singulorum describere, sed qualitatem conuersationis, vbi poterimus, compendiosè demóstrare. Qui autem gesta sanctorum pleniùs scire desiderat, veteres historias, de quibus nos ista extraximus, inquirat, nobisque de sermonis breuitate indulgeat. Nec moueat lectoré, quòd plerosq; breuiùs, q̃ cæteros, pertransiuimus: quoniá sub necessitate laborantes, non omniũ conuersationes poteramus agnoscere: nec opportunitatem inquirendi cósecuti fuimus, propter curas rei familiaris multiplices, quibus adeò interdùm distendimur, vt vix penès voluntatem incepti possimus consistere. Tempora etiam omnium non potuimus exprimere, quos lector studiosus in veterum chronicis poterit inuenire. Nec multùm refert, quo tempore in terra vixerit, qui sine tempore apud Deum viuit in æternum. Placuit auté mihi, eo modo etiam in hoc tertio libro procedere, quo in secundo scriptores illustres non secundùm excellentiam dignitatum, sed ordinem temporum, vt potui, digessi. Obmissis igitur ordine alphabeti, differentia dignitatum, sexusque discretione, omnes quos reperi de ordine sanctos, secundùm temporis exigentiam, viros ac mulieres, in vnum comportaui: indignum iudicans, vt quos meritum sanctitatis adunauit in cælis, calamus in terris diuideret. A sancto itaque patre nostro Benedicto, huius ordinis principe, inchoantes, tandem loquendi tale sumamus exordium.

Marci 9.

INCIPIT LIBER TERTIVS IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEIMENSIS, DE ILLVSTRIBVS VIRIS ORDINIS SANCTI BENEDICTI, TRACTANS DE SANCTIS ET CANONIZATIS EX EO.

CAP. I.



ENEDICTVS itaq; monachorum nostri ordinis dux sanctissimus & principalis institutor, nobili genere ortus, fide nobilior effulsit: cuius vitam virtutibus plenam, beat' Papa Gregorius in secundo libro Dialogorum descripsit, patria Nursensis, ex patre secundũ carnem prouido genitus fuit. Hic adhuc puerulus, ad studium literarũ Romæ positus, cùm multos seculares philosophiæ sectatores per vitiorum abrupta perire cerneret, vanitatis studiũ deseruit, ad veram se philosophiã spiritualis disciplinæ trãsferre cogitauit. Relictis igitur mundanis literarum studijs, mundũ cum flore pro DEI amore in sua iuuentute contempsit: fugiensq; tumult' hominũ, ad eremi secreta puer sanctus euolauit. Ibi aliquot annis incognitus mundo latuit, & in se præmisit,

sit, quod monachis postmodū prędicauit. O quantus feruor diuini amoris iuuenile pectus possederat, quod cōtra antiquum hostem tam fortiter armabat. Spiritus sanctus iam tunc in Benedicti pueri corde locum mansionis sibi parauerat, quem de seculo excutiens in solitudinem trahebat. O quàm dulcis est, Domine, spiritus tuus, qui etiam infirmorum corda iuuenū, contra aduersarium salutis nostræ tam validè confortat. Tribus igitur annis in specu latuit, nemini cognitus, nisi Romano monacho, qui secretorum eius conscius erat: donèc tandèm celebri fama sanctitas eius ad omnium aures delata est. Hic post multa spiritualis cōuersationis exercitia, Cassinense fundauit cœnobium: in quo multitudinem Deo seruiētium habuit monachorum, quibus bonæ vitæ se viuū exemplum præbuit, ac monasticæ disciplinæ regulam descripsit. Qualis autem conuersatio eius fuerit, quàm sancta, quàm austera, quamq; discreta: & eius, quam scripsit, regula probat, & Gregorius in dicto volumine. Scribit de eo beatus Abbas Faustus, eius discipulus, quòd corpus suum continuis macerauit ieiunijs atque vigilijs, adeò vt in admirationem cunctis cederet atque exemplum. In Quadragesima verò ità duplicauit hæc omnia, tanquàm si de nouo iam videretur incipere. Nocturnas cōsueuit præuenire vigilias, sub cuculla durissimo vestiri cilicio, & duabus tantùm vicibus in hebdomada paruissimum sumere cibum. Denique quis instantiam eius orationis non miretur, quæ tanta fuit, vt ab eius mente nunquàm discederet? Amor quippe Dei, cor, quod semel perfectè inflammauerat, per desiderium sanctum in altum iugiter trahebat. Ad tantum celsitudinis fastigiū diuina gratia promotus est, vt prophetiæ spiritum meruerit accipere: quod multa in eius laudem per præfatum Pontificem conscripta, testantur. Huius beatissimi viri familiarissimus erat amicus Boëthius cōsul Romanus, sub nomine Seuerini canonizatus, quem rex Theodericus occidit, atque Romanorum ciues, senatoresque plurimi, qui sub eius magisterio suos filios Deo militaturos obtulerūt. Sed quid opùs est, me pluribus immorari? Si quis vitam & cōuersationem sancti patris huius scire desiderat, librum, quem sępè diximus, Gregorij Papæ legat. Multi autem de vita & gestis eius scripserunt. E quibus ego paucos potui inuenire. Primus fuit Marcus poeta fidelis, beato patri familiaris amicus, qui conuersationem eius atq; miracula heroico metro descripsit. Paulus etiam Longobardus monachus Cassinensis, cuius in secundo huius operis libro fecimus mentionem, sub Carolo Magno & Lodouico eius filio, vitam & miracula sancti Benedicti metro egregiè satis digessit. Theodericus nostri ordinis monachus, natione Gallus, ad Richardū Abbatem Fuldensem, de vita & laudibus diui Patris nostri varia composuit. Sigebertus quoque monachus Gemblacensis, de vita eiusdem sancti, & miraculis optimè scripsit. Sed & alij quàm plures de vita & conuersatione huius sancti Patris varia scripserunt, quorum singulatim longum est facere mentionem. Moritur autem sanctus Pater anno Domini 542. ætatis suæ 62. sexta feria Parasceues, quæ fuit duodecimo Calendas Aprilis. In oratorio suo, quod in laudem sancti Ioannis ipse construxerat, sepultus, vbi multis postmodū crebrisq; miraculis claruit. Post beatū vero Patrem, Constantinus Abbas Cassinensis fratrū electione efficitur, post quem Simplicius, post hunc Vitalis, ac deinde Bonitus, sub quo Longobardi cœnobium sancti Patris Cassinense nocte inuadentes, omnibus direptis, incenderunt, nec vnum quidem de monachis tenere potuerunt, vt prophetia venerabilis Benedicti Patris, quam longè antè præuiderat, compleretur, qua dixit: Vix obtinere apud Deum potui, vt ex hoc loco animæ meis precibus concederentur. Fugiētes autem ex eodem loco monachi, Romam petierunt, secum codicem sanctæ regulæ, quā præfatus Pater composuerat, & quædam alia scripta, necnon pondus panis & mensuram vini, & quicquid de supellectili subripere potuerant, deferentes. Iacuit itaque desolatum atq; destructum Cassinense cœnobium annis centū duodecim, vsque ad pontificatum Gregorij secundi, cuius exhortatione Petronius ciuis Brixianus, religione & diuitiarum potentia insignis, sua impensa illud à fundamentis reparauit, ac monachorum frequentia magnificentissimè restaurauit. Et hæc de sancto Benedicto ad præsens dicta sufficiant.

De sancto Mauro Abbate. CAP. II.

MAVRVS monachus atque discipulus beatissimi patris Benedicti, patria Romanus, ex clarissimo Senatorū genere ortus, patre Euticio, matre verò Iulia, cùm adhuc puer duodecim esset annorum, sancto patri Benedicto diuinis & eius militaturus præceptis, à parentibus traditus est. Hic in iuuentute sanctis pollens moribus, adiutor magistri cœpit existere, & miraculorū eius cooperator & testis fidelissimus apparere. Vndè à B. Benedicto præ omnibus diligebatur, cuius instructione & exēplo tantū profecit, vt in obseruantia regulari secundū ab ipso magistro

non

non haberet. Cùm esset triginta duorũ annorum ætatis, à sancto Patre in Andegauensem regionem, cum quatuor socijs monachis perfectissimis, ad fundandum cœnobium postulatus mittitur: vbi multorum pater monachorum constitutus, etiam viuẽs innumeris claruit miraculis. Hic est Maurus, qui cum sancto Patre de oratione monachum trahi à nigro puero viderat. Hic est, qui ad præceptũ sancti magistri siccis pedibus calcans vndas, Placidum monachum iam submersum, ad litus sanum trahebat. Hunc nemo vnquàm vidit ociosum, quia totus desiderio in cælestibus figebatur: vndè ab orationis & lectionis studio nunquàm poterat torpescere. Ad tantam autem gratiam omnipotentis dono prouectus est, vt Deo dilectus & venerandus hominibus, Apostolorum imitator præclarus extiterit. Suis enim orationibus mortuos suscitauit, dæmones ab obsessis eiecit, infirmos sanauit, variosque in hominibus curauit languores. Longum est, si vellem viri huius sanctissimi virtutes & miracula calamo vel strictim percurrere, quæ tot ac tanta fuerunt, vt proprium volumen implerent. Beatus etenim Faustus eius condiscipulus, & comes itineris ac laboris, vitam & miracula ipsius pleno stylo digessit: quod volumen, quia publicum est & penè vbiquè habetur, nostrum sermonem facit vt abbreuiemus. Moritur anno ætatis suæ septuagesimo secũdo, aduentûs sui in Galliam quadragesimo, in ecclesia sancti Martini sepultus, octauodecimo Calendarum Februarij. Vbi multis claruit signis. Fuit autem sub magisterio sancti patris Benedicti annis viginti.

De sancto Fausto monacho. CAP. III.

FAVSTVS monachus & discipulus sanctissimi patris Benedicti, cùm septem esset annorum, sub eius magisterio in monasterium à parentibus suis traditus est, & vnus de primis discipulis eius fuit. Hic tantæ humilitatis & obedientiæ extitit, vt eum beatus Pater ob hanc causam in singulari cum dilectione haberet. Enimuerò cernens eum saluti propriæ & regulari obseruantiæ operam dare per omnia, multis sæpè argumentationibus animi sui propositum nisus est experiri: iniungens ei plurima, quæ homini impossibilia esse sciebat. Sed vbi eum ad omnia, quantumcunquè dura & aspera, semper paratum & hilariter obedientem reperit, cœpit eum familiariùs amplecti, eiusque seruitijs & obsequijs præ cæteris specialiùs vti, ac in arcanis atque secretis suis, quæ nullis communicauerat, paterno instructu reaffectu, nihilque ab eo velle abscondere. Dilect⁹ igitur à sancto magistro, & singularis charitatis sinu except⁹, omni conatu studuit in eius voluntate permanere, cupiens in eius iugiter ambulare conspectu, ità vt ne ad horã quidem ab oculis illius facilè pateretur disiungi. Cùm autem sanct⁹ pater B. Maurũ pro amplianda religione destinaret in Galliam, hunc religiosissimũ virum ei in collegam pro solatio assignauit, qui de primis discipulis eius superstes remansit. Quàm diù vixit B. Maurus, mãsit cum eo in Gallia: quo defuncto, ipse & Simplicius ad cœnobium Casinense sunt reuersi, cùm iam propè vltima agerent ætatem. Faustus itaq; ad locum suum regressus, anno post exitum quadragesimo secundo, rogantibus fratribus Cassinensibus & Theodoro venerabili Abbate Lateranẽsis monasterij, vitam & miracula sancti Mauri Abbatis pulchra venustate descripsit, & Bonifacio Papæ obtulit, qui etiam edita laudans, historiam approbauit. Moritur tandem, plenus dierum & religione, cuius approbata conuersatio euidens sanctitatis eius extat testimonium.

De sancta Scholastica Virgine. CAP. IIII.

SCHOLASTICA sanctissimi patris nostri Benedicti soror, virgo Dei electa, ab infantia Christi sponsa consecrata, nequaquàm à sancto fratre degenerans, magna sanctitate spectabilis emicuit. Eius orationes tantæ efficaciæ apud omnipotentem Deum habitæ sunt, vt aquarum inundatione, sancti fratris austeritati obsisteret. Quemadmodùm hoc factum sit, in secundo libro Dialogorum sanctus Papa Gregorius non tacuit. Quæ historia, quia satis nota est, superflue à nobis exigitur. Moritur quarto Idus Februarij: cuius animam sanctus Benedictus in columbæ specie vidit cæli secreta penetrare. Fuit enim casta mente & corpore virgo, & in omni conuersatione sanctissima.

De sancto Placido Abbate, & triginta monachis martyribus. CAP. V.

PLACIDVS monachus & discipulus sancti Benedicti, patria Romanus, Tertullij patricij viri clarissimi filius, cùm septem esset annorum, sancto patri à parentibus oblatus fuit in monasterio Sublacensi, in præsentia Tertullij genitoris sui, Symmachi patricij, Boethij cõsulis, & multorũ nobiliũ Romanorũ. Qui licèt puer esset ętate, cor tamen gerẽs senile, cœpit

ſub regulari magiſterio beatiſſimi patris mirabiliter creſcere, & ſanctã ac Deo placitam vitam in omnibus obſeruare. Quem vir Dei cernens de virtute in virtutem ad alta conſcendere, ex intimo corde diligebat. Hic eſt Placidus puer, qui dum hauriens aquam de lacu, ab vnda per iactum arcûs longè à terra traheretur, Benedicti meritis, ad obedientiam Mauri eius ſocij, de aqua incolumis ad terram reducitur. Cùm autem ſanctus pater Benedictus de ſublacu in montem Caſſinum aſſcendit ad conſtruendum monaſterium, ſecum adduxit Maurũ & Placidum iam adultos, quos præ cæteris in regulari obſeruãtia nouerat ſtudioſos. Conſtructo autem monaſterio in monte Caſſino, Tertullius patricius Placidi genitor, cum nobilibus ſenatoribus venit denuò ad virum Dei, congratulans ei, quòd in ſua hęreditate cœnobiũ conſtruxiſſet. Obtulit ergò Deo & ſancto Benedicto totum montem Caſſinum cum omnibus pertinentijs ſuis, & alias multas poſſeſſiões, caſtra, villas, curtes, piſcationes & inſulas, quas lõgum eſſet nominatim deſcribere. Curtes etiã & poſſeſſiones, quas in Sicilia habuerat, cũ magna hilaritate ſancto patri donauit. Sanctus aũt pater Benedictus, cùm audiſſet eaſdem in Sicilia curtes à quibuſdã deuaſtari, Placidum cũ duobus ſocijs, Gordiano videlicet & Donato, miſit pro defenſione bonorum prędictorum in Siciliã: quò cùm perueniſſent, in ſua poſſeſſione iuxta Meſſanenſem ciuitatem ad litus, in honorem ſancti Iohannis monaſterium conſtruxerunt: quod per quadriennium perficientes, breui tempore triginta monachis repleuerunt. Collegerant enim de cenſibus ſuarum poſſeſſionum multam pecuniam, vndè facilè inſigne monaſterium fabricârunt. Habebant autem Epiſcopum Meſſanenſem cum nobilibus omnibus in auxilium. In itinere autem, quo ſanctus Placidus pergebat Siciliam, multa per eum omnipotens Deus miracula & ſigna fecit: quæ ſanctitati eius teſtimonium euidens perhibebant. Nam cùm ad vrbem Capuanam perueniſſent, vbi à ſancto Germano Epiſcopo ſunt humaniſſimè recepti, ſanctus Placidus primicerium, Zoſſum nomine, à magna infirmitate ſuis orationibus curauit, ac cæcum illuminauit. In alia ciuitate paralyticum curauit, claudo & muto greſſum & loquelam ſuis orationibus impetrauit. Febricitantem à febribus liberauit, podagricum ſigno crucis ſanauit, quendam ſurdum, cæcum, & mutum, incolumem ſtatuit: ità vt loqueretur mutus, videret cæcus, & ſurdus audiret. Ibidèm dæmoniacum grauiſſimè vexatum liberauit. Alia quoquè tam multa fecit miracula, vt longiſſimum ſit ea narrare. In vita tamen eius clariùs habentur. Habuit aũt ſanctus Placidus duos fratres, Euticiũ videlicet & Victorinũ, ac ſororẽ nomine Flauiam: qui, audita eius ſanctitate, eum videre cupientes, de licentia parentum, à Roma ad eum venerunt Siciliam: à quo humaniter ſuſcepti, in eius monaſterio per aliquod tempus conſiſtere ſtatuerunt. Eo tempore Abdala Hiſpaniæ impijſſimus rex Paganus & inimiciſſimus Chriſtianorum, exercitum magnum & copioſum aduersùs Romanum miſit imperium cum centum nauibus: quorum ducem, crudeliſſimum quendam tyrannum, nomine Manucham, conſtituit: cui mandauit, vt ciuitates & caſtra igni cremaret, eccleſias deſtrueret, Chriſtianos ad colendum dæmonem Molachrempham compelleret: non conſentientes diuerſis ſupplicijs interficeret. Cùm ergò Siciliam cum ſedecim millibus octingentis intrâſſent, nec aptè Victorinus & Euticius ac Flauia, de Meſſana poſſent recedere, in cœnobio remanſerunt. Demùm inimici Dei ad ciuitatem illam peruenientes, ad monaſterium Placidi nocte accedentes, omnes vinculis alligârunt. Placidum cum triginta monachis, Euticium quoquè & Victorinum cum ſorore Flauia virgine ſpecioſiſſima, quos ſic ligatos, ad ſuum ducem traxerunt. Cùm aũt nollent à ſancta fide Chriſtiana diſcedere, poſt multos & varios cruciatus, omnes capitis amputatione martyrium compleuerunt. Duo autem ſocij Placidi, videlicet Donatus & Gordianus, qui cum eo de cœnobio Caſſinenſi venerant, in hoc numero computati non ſunt. Donatus enim, irruentibus hoſtibus, cùm eſſet ſenex, ſubitò capite truncatus eſt. Gordianus autem iuuenis, per poſticam domûs fugiens euaſit. Hic Gordianus vitam ſancti Placidi & paſſionem luculento ſermõne deſcripſit, qui inter cætera de ipſo ſic retulit: Placidus orationi & lectioni frequenter inſiſtebat. In meditationibus aſſiduus, compunctionis ſpiritu copioſas lachrymas effundebat. Omni tẽpore quadrageſimalem vitam ducens, vinum nunquàm bibebat. In quadrageſima verò, Dominico die, feria tertia & quinta, pane tantùm & aqua contentus erat, nihil alijs diebus omninò percipiens. Cilicio ad carnem ſemper vſus eſt magiſtri exemplo: & cùm fatigatus eſſet ab oratione ſeu genuflexione, ſedendo potiùs, quàm iacendo, ſomnum capiebat. Nunquàm alicui locutus eſt, niſi neceſſitas coegiſſet, aut rationabilis vtilitas prouidendi monaſterio & alijs. Paſſus eſt autem ſanctus Placidus cum ſupradictis ſocijs tertio Nonas Octobris, anno Domini 541. ætatis ſuæ 26. ad cuius ſepul-

sepulcrum multa miracula fiebant. Septennis siquidem erat, quandò oblatus fuit beato Benedicto, cũ quo in monasterio Sublacensi, & posteà Cassinensi, monachus annis quatuordecim conuersatus, qui sunt anni XXI. tunc in Siciliam missus, ibidèm quinq; annis incompletè Abbatis gessit officium: & sic, vt dictum est, à duce Mamucha martyrio coronatur, anno Imperij Iustiniani 13. adhuc sancto Benedicto viuente.

De sancto Donato martyre.
CAP. VI.

DONATVS monachus & discipulus sancti Benedicti, vir totius religiōis exemplar & decus, humilis, mansuetus, & verus obedientiæ filius, cum sancto Placido in Siciliam missus, nũquàm ab institutione præceptoris sui deuiauit. Erat enim regularis disciplinę ardentissimus amator: adeò, vt nec in minimo à Regula sancti patris Benedicti auderet recedere: talis ac tantus extitit, vt Deo martyr dignus effectus sit, quemadmodùm de sancto Placido iam suprà dictum est. Nam cùm satellites diaboli nocte monasteriũ inuaderent, omnes ibidèm repertos vinculis alligârunt, manè ad ducem impietatis trahendos. Videntes autem sanctum Donatum senio & abstinentia grauatum, ire non posse, suaserunt vt Christum negaret, & viueret: alioquin interficeretur. Christianus & mori, & viuere paratus sum: quia Christum negare non possum, nec volo. Quo audito, carnifices caput eius amputârunt quarto Nonas Octobris, anno Domini 541. adhuc sancto Benedicto viuente.

De sancto Cassiodoro monacho.
CAP. VII.

CASSIODORVS monachus cœnobij Rauennẽsis, vir in omni literatura secularis doctrinæ peritus: in diuinis quoquè scripturis eruditissimus extitit. Hic fuit ante conuersionem suam, Theoderici regis Italiæ cancellarius, & Rauennæ vrbis senator: qui licèt secularibus esset occupatus negocijs, semper tamen animo ad cælestia suspirabat. Occiso autem præcepto Theoderici Boëthio, cœpit Cassiodorus mundum ampliùs abhorrere, & regis velle declinare proterui seruitium. Audiens itaque famam sanctitatis sacratissimi patris Benedicti & fratrum eius, diuino incensus spiritu, seculum cum vanis honoribus deseruit, & sacrum ordinem monachorum intrauit. In monasterio autem constitutus, quàm sanctissimè vixerit, quis sermo explicabit? Secularem nanque philosophiam in spiritualem conuertens, totum se scripturis impendit diuinis, lectioni & expositioni earum adeò intentus, vt multa ad vtilitatem Ecclesiæ volumina ediderit, sicut in secundo libro iam diximus. In orationibus & compunctione lachrymarum, sedulus & deuotissimus fuit: ità vt etiam viuens adhuc in carne, sanctus haberetur & esset. Erat enim charitate feruidus, dilectione proximi beatus, humilitate deiectus, castitate mundus, sermone verus, locutione cautus, oratione deuotus, meditatione profundus, contemplatione sublimis. In aduersis fortis, in prosperis humilis fuit. Fuit scientiæ sacræ scripturæ ardentissimus amator: vndè, iuxta promissum Hieronymi, carnis vitia non amauit. Eius doctrina & sanctitate multi ad religionem sunt attracti. Claruit adhuc sancto Benedicto viuente, in monasterio ab eo fundato, anno Domini 550.

De sancto Constantino Abbate.
CAP. VIII.

CONSTANTINVS monachus & discipulus sanctissimi patris Benedicti, vnus ex illis, quibus narrantibus beatus Gregorius vitam & miracula eiusdem viri Dei conscripsit: vir eximiæ synceritatis & meriti, qui primus in Abbatis regimine sancto patri successit, ab eo dignus & idoneus iudicatus, ordinem & disciplinam regularem tam in se, quàm in alijs strenuè gubernauit. Sub eo deniquè multa nostri ordinis monasteria, in diuersis mundi partibus fundata sunt. Hic in omnibus boni magistri strenuus imitator effulsit. Fuit enim non solùm vitæ sanctitate conspicuus, sed etiam sanctarum scripturarũ scientia insignis. Claruit anno Domini 560.

De S. Valentiniano Abbate.
CAP. IX.

VALENTINIANVS monachus & discipulus eiusdem sancti patris Benedicti, Lateranensis monasterij rector & Abbas, etiam vnus de his, qui Gregorio vitam sancti Benedicti narrauerunt: à sanctis huius catalogi, nequaquàm est reijciendus, quem Faustus sanctissimum virum meritò appellat. Erat enim humilitate & obedientia regularium statutorum insignis, & ob id singulariter dilectus à magistro, quẽ pro modulo semper studuit imitari. Hunc electus Domini Benedictus cõgregationi Lateranensis cœnobij præfecit Abbatem, sciens eum virum sanctum, & ad regimen animarũ satis idoneum, quippe quem sub suo educatũ magisterio secretorum suorum conscium asciuerat. Claruit sub sancto patre anno Do-

Domini 540. & vsque ad beati Gregorij Papæ tempora senex peruenit, sub quo & obijt.

De sancto Simplicio Abbate. CAP. X.

SIMPLICIVS monachus & discipulus sancti Benedicti Abbatis, qui tertius post eum Cassinense gubernauit cœnobium: exempla sanctitatis & incitamenta virtutum à bono sumens magistro, magna religionis claritate effulsit, qui talis ac tantus extitit, vt inter diuos patres meritò sit locandus: siquidem iuxta regulæ traditionem perfecte ambulans, nihil quod obseruantiæ monasticæ conducere potuisset, obmisit. Claruit anno Domini 570.

De sancto Equitio Abbate. CAP. XI.

EQVITIVS Abbas & rector monachorum quamplurium, cùm esset vir sanctus & magnus, coruscans miraculis, maximè humilitatem sectatus, tam se, quàm suos, Benedicti Regulæ & institutis submittere non erubuit, cuius virtutes ex parte Gregorius in lib. 1. dialog. descripsit. Claruit in Valeriæ partib9, anno Dñi 570.

De sancto Valentio Abbate. CAP. XII.

VALENTIVS Abbas cuiusdam monasterij in Valeria, vir sanctus & religionis ardentissimus amator, sub regula & norma sancti Benedicti multas Christo animas est lucratus, è quibus etiam nõnullæ per martyrij palmam ad cælestia regna migrauerũt. Hic post multos labores, quos pro Christo sustinuit in Valeriæ partibus, Romam veniens, præceptor & Abbas beati Gregorij & sui monasterij factus est, cuius etiam idem Papa sanctissimus in suo dialogo plerunquè facit mentionem. Claruit anno Domini quingentesimo septuagesimo, & ante pontificatum discipuli mortuus est.

De sancta Galla Virgine. CAP. XIII.

GALLA sanctimonialis ac Dei famula, Symmachi patricij & Consulis Romani filia, cùm in iuuentute marito fuisset tradita, & infra annum eius viduata consortio, alium ducere renuit: sed deposito habitu mundanæ vanitatis, monasterium apud sancti Petri basilicam intrauit. Quæ cuius meriti apud Deum omnipotentem fuerit, Gregorius in quarto Dialogorum ostẽdit. Claruit eodem tempore, quo sanctus Benedictus, sed iunior.

De sancto Hercolano Episcopo. CAP. XIIII.

HERCOLANVS Episcopus Perusinus ex monacho, vir sanctissimę conuersationis fuit, qui multos pro Christo labores martyrij palma terminauit: quod quomodò factum sit, Gregorius in tertio Dialogorum libro scripsit. Claruit anno 550.

De sancto Isaac Abbate. CAP. XV.

ISAAC monachus & Abbas monasterij, quod iuxta vrbem Spoletanã situm est, natione Syrus, vita & conuersatione sanctissimus fuit: qui multis tã in vita, quàm post mortẽ, fertur claruisse miraculis. De quibus in tertio Dialogorum aliqua narrantur. Fuit enim vir charitate plenus, humilitate summus, deuotiõne præcipuus, & paupertatis spiritûs custos zelosus. Claruit anno Domini 560.

De sancto Euticio Abbate. CAP. XVI.

EVTICIVS Abbas cuiusdam monasterij in Nursiæ partibus, moribus & scientia tãto dignus officio, multas Deo animas sua prædicatione acquisiuit. Habebat enim hanc gratiam, vt alijs prodesse verbo & exemplo voluerit & posset. Magnus fraternæ salutis amor in eius pectore feruebat. Claruit anno Domini 570. signis coruscans post mortem innumeris, sicut beatus Papa Gregorius in tertio Dialogorum libro de eodem testatur.

De sancto Eleutherio Abbate. CAP. XVII.

ELEVTHERIVS presbyter & Abbas monasterij sancti Marci Euangelistæ, iuxta vrbem Spoletanam, vir tantæ sanctitatis ac religionis, vt mortuum orãdo suscitauerit: tantæque simplicitatis & compunctionis, vt dubium non esset, quòd illæ lachrymę ex tam humili simpliciq; mente editæ, apud omnipotentem Deum multa obtinere potuissent: alia enim plura patrauit miracula, de quibus beatus Gregorius ex parte mẽtionem facit. Hic est Eleutherius, cuius orationes tantæ efficaciæ fuerunt, vt eidẽ Gregorio virtutẽ ieiunandi obtinerẽt. Claruit cum eo, sed senex, anno Domini 570.

De sancto Maximiano Episcopo. CAP. XVIII.

MAXIMIANVS Episcopus Syracusanus, ex Abbate monasterij sancti Gregorij papæ, de quo ipse fecit mentionem in tertio libro Dialogorũ, vir sanctus & Deo dilectus, ac monachorum studijs ab infantia imbutus, tali dignus honore habitus, iam cum Christo regnat in cælestibus. Claruit anno 590.

De sancto Spe Abbate. CAP. XIX.

SPES,

SPES, monachus & Abbas monasterij Campliæ in partibus Nursiæ, quem Dominus ad augmentum meritorum suorum misericoditer flagellans, visu oculorum quadraginta annis voluit priuari: vt misericordiam suam in eo ampliorem effunderet, dum ei lumen diutiùs amissum, mirabiliter reddidisset, quod & factũ est anno Domini 570.

De sancto Surano martyre.
CAP. XX.

SVRANVS Abbas monasterij cuiusdam in prouincia Surensi, vir sanctissimæ conuersationis, adeò eleemosynarum largitionibus intentus, vt omnia monasterij bona in vsus pauperum hilari mente expenderet. Hic à Longobardis martyrio coronatus est. Claruit anno Domini 570.

De sancto Ioanne monacho.
CAP. XXI.

IOANNES monachus, & frater germanus sancti Eleutherij Abbatis, cuius superiùs iam fecimus mentionem, vir magnę compunctionis & humilitatis: intantùm omnipotẽti Deo synceritas mẽtis eius placuisse dicitur, vt obitũ suum ei longè antè notũ fecisse memoretur. Fuit enim totius religionis obseruator zelosus, quod etiam mors eius in Dño gloriosa testabatur. Claruit anno Dñi 560. & ante fratrem obijt.

De sancto Theodoro Abbate.
CAP. XXII.

THEODORVS monach⁹ & discipulus sanctissimi patris nostri Benedicti, ac tertius post S. Valentinianũ Lateranensis monasterij Abbas, vir sanctus & Deo dilectus, magnæ charitatis & abstinẽtiæ fuit. Claruit anno Domini quingentesimo septuagesimo.

De sancto Antonio monacho.
CAP. XXIII.

ANTONIVS monachus & discipulus S. Gregorij Papæ, vir sanctę conuersationis, & spiritu compũctionis adeò replet⁹, vt fons lachrymarũ ab eius oculis indesinẽter flueret: qui nũquàm à meditatione scripturarũ & oratiõis studio cessauit, semper in ore psalmodiã reuoluẽs, donèc diuina visione tãdèm vocatus, & de corona immarcescibili certificatus, febre correptus, à morte transiuit ad vitam æternam. Claruit anno Domini 570.

De sancto Gallo Episcopo.
CAP. XXIIII.

GALLVS ex monacho Chrononensis cœnobij, Episcopus Auernorũ, vir tatæ sanctitatis extitit, vt multis & in vita & post mortẽ miraculis legatur claruisse. Hũc Treuerẽses post decessum Aponoculi antistitis sui, à Theoderico rege dari sibi petierũt Episcopũ. quibus rex tale dederat responsum: Ite, & aliũ eligite Episcopum. Gallum enim alibi habeo destinatum. Erat autẽ eo tempore diaconus. Factus aũt Episcopus, tanta humilitate, tantaque charitate omnibus vsus est, vt ab omnibus diligeretur. Huius vitam beatus Gregorius Turonẽsis Episcopus compendiò descripsit, cuius multa narrat miracula. Fuit enim ferè contemporaneus eius. Claruit autem sub Theoderico rege, anno Domini 570.

De sancto Merulo monacho.
CAP. XXV.

MEROLVS monachus & discipulus B. Gregorij Papæ, vir lachrymis & cõpunctioni vehemẽter intentus, qui tãtæ sanctitatis fuit, vt diuina promissione ab hoc exilio ad felicitatem cælestis patriæ sit vocatus. De cuius tumulo post annos quatuordecim fragrantia miræ suauitatis fertur emanãsse. Claruit anno Domini 570.

De sancto Columbano Abbate.
CAP. XXVI.

COLVMBANVS Abbas & pater multorũ monachorũ, de Hybernia veniens in Burgũdiã, permittẽte rege Theoderico, monasteriũ Luxouiense fundauit, vbi fratres secundũ regulã sancti patris Benedicti viuere docuit. Exindè à Brunihilda fugatus, Alemaniam ingreditur, ac depòst in Italiã transiẽs, monasteriũ quod Bouium dicitur, ædificauit. Huius vitam Ionas eius discipulus composuit. Moritur sub Mauritio imperatore, vndecimo Calendas Decembris, anno Domini 598.

De sancto Martio Abbate.
CAP. XXVII.

MARTIVS Abbas Auernẽsis, ex eodẽ territorio ort⁹, vir fide & charitate eximius, qui multa in vita sua patrauit miracula, quibus sanctitas eius ostendebatur. Nam Florentiũ patrẽ Gregorij Turonensis Episcopi, adhuc puerũ decẽ annorũ, sanauit à febribus. Sed & post mortẽ multa infirmis ad eius sepulcrum pręstantur suffragia. Eius vitam virtutibus plenam, idem Gregorius Turonensis ꝑsul descripsit. Claruit annò Dominicæ incarnationis 570.

De sancto Leandro Episcopo.
CAP. XXVIII.

LEANDER ex monacho Episcop⁹ Hispalẽsis ante Isidorũ, ad quem B. Papa Gregori⁹ librũ scripsit Moraliũ in Iob, vir doctissimus atq; sanctissimus: qui sua prædicatiõe atq; doctrina Hermigildũ, Ligildi Gothorũ regis filiũ, ab Arriana impietate cõuertens, vsq; ad martyrij palmã roborauit. Multis & in vita, & post mortẽ, miraculis coruscãsse legitur, quæ in eius vita partim habentur: quam Isidorus ei in Episcopatu Hispalensi succedens, descripsit.

Cuius natale tertio Calēdas Martij festum celebratur.

De sancto Leonardo Abbate.

CAP. XXIX.

LEONARDVS eremita & Abbas Nobiliacensis, ex pago Cenomanico natus, vbi etiam monasterium construxit, discipulus sancti Remigij, vir sanctissimæ vitæ fuit: quod innumera testantur miracula, quæ & in vita & post mortē, ad eius sepulcrum patrauit. Erat erga miseros tantæ pietatis & compassionis, quòd & hoc à Deo precibus impetrauit, vt quicunq; in carcere vel compedibus teneretur, inuocato eius nomine, mox inde solueretur. Miranda, in eius vita reperies. Moritur octauo Idus Octobris, anno Domini 559. & multis claret miraculis, ad cuius corpus dum sepeliretur, duo cæci illuminati sunt.

De sancta Radegunde moniali.

CAP. XXX.

RADEGVNDIS Abbatissa monasterij sanctimonialium Pictauiensis, regio sanguine orta, seculum cum suis honoribus despiciens, feliciter ad regnum cæleste peruēnit. Huius vita sanctissima, infinitis penè fertur claruisse miraculis: quia & dæmones ab obsessis expulit corporib⁹, mortuos suscitauit, cæcis lumina oculorū reddidit, surdis auditū, claudis gressum, ægris sanitatem. Ad eius quoquè sepulcrum innumera quotidiè fiunt miracula. Cuius festum Idibus Augusti colitur. Claruit anno Domini 560.

De sancto Brendano Abbate.

CAP. XXXI.

BRENDANVS Abbas, natus in Hybernia ex parentibus generosis, vir sanctissimę conuersationis, qui exacerbatus à Britannis, eis maledictis, trāsiuit ad Gallias: vbi ad normam Benedicti, cum suis comitibus cœpit militare, & multis clarere miraculis. Hic multos insignēs fertur habuisse discipulos. Eius festū decimoquarto Calendas Ianuarij colitur. Claruit anno Domini 570.

De sancto Senoch Abbate.

CAP. XXXII.

SENOCH Abbas genere Theifal⁹ Pictauipagi, quem Theifaliam vocant, oriundus fuit, in territorio Turonico monasterio fundato, sanctissima conuersatione emicuit: qui tanta corpus suum abstinētia domuit, vt multis in admirationem verteretur. Ab ei⁹ corde feruor deuotiōis nunquàm tepuit, in quo sibi diuina pietas dulce habitaculum præparauit. Orationibus & vigilijs semper erat intentus. Vndè & multis in vita & post mortem claruit miraculis, sicut in eius vita legitur, quam Gregorius Turonensis Episcopus descripsit: cui etiā ipse magna familiaritate erat coniūctus. Claruit anno Domini 580. & quadragesimo ætatis suæ moritur.

De sancto Venantio Abbate.

CAP. XXXIII.

VENANTIVS Abbas monasterij iuxta basilicam sancti Martini Turonensis, ortus ex territorio Bituricensi, vir sanctissimæ vitæ, multis viuēs & mortuus coruscauit miraculis. nam dæmones fugauit, febres curauit, cæcis visum reddidit, surdis auditum, claudis gressum, infirmis sospitatem, sicut in eius vita legitur, quam Gregorius Turonēsis composuit. Claruit circa annos Domini 560.

De sancto Aridio Abbate.

CAP. XXXIIII.

ARIDIVS Abbas Lemonicēsis, quondàm discipulus beati Nicetij Archiepiscopi Treuerensis, virtantæ sanctitatis & virtutis extitit, vt Deus ad preces eius, cæcos illuminauerit, paralyticos curauerit, dæmoniacos mundauerit, atq; infirmis multa præstiterit beneficia. Deniq; in medio pluuiæ, socijs vndiquè madefactis, sæpè nec vna quidē gutta sanctum Aridium tangere præsumebat. Hoc venerabili viro narrante, Gregorius Turonensis vitā sancti Nicetij Treuerorū præsulis descripsit. Claruit anno Domini 580.

De sancto Maclouio monacho.

CAP. XXXV.

MACLOVIVS, qui & Machutes, monachus & discipulus sancti Brandani Abbatis, natione Brito, parētibus ortus generosis, vir charitatis inęstimabilis, fide firmus, spe certus, conuersatione præcipuus: tantæ sanctitatis fuit, vt innumeris claruerit miraculis, ità vt reges & nobiles, inuitū eum ad Episcopatum illius prouinciæ vnanimiter eligerent, in quo sanctitate maxima emicuit. Obijt autē 17. Calendas Decembris: cuius vita & miracula diligenter scripta sunt. Claruit anno Domini 580.

De sancto Vrso Abbate.

CAP. XXXVI.

VRSVS Abbas & fundator monasterij Thuffiriacēsis & Pontiniacensis, Cadurnicæ vrbis incola fuit. Deindè accedēs Turonicā, aliud fundauit cœnobium, in quo deinceps cōsistēs, in magna abstinētia & puritate vitā ducebat. Dedit aūt ei Dns gratiā curationū, ità vt in sufflatis energumenis, immūdū ab eis spiritū protinùs ejceret. Sed & alias per eū Dominus plurimas dignatus est operari virtutes. Eius vitā beatus pręsul Gregorius Turonēsis descripsit. Claruit anno Domini 560.

De

De sancto Leobatio Abbate.
CAP. XXXVII.

LEOBATIVS Abbas monasterij apud Senapariam in terminis Turonicę regionis situm, B. Vrsi supradicti sodalis, vir sanctitate & virtute eximius, qui & verbo & exemplo multorũ corda cõuertit ad Christum, nõ absq; signis & miraculis præsentem trãsegit vitam. Claruit eodem tempore, quo Vrsus, videlicet anno Dni 560.

De sancta Monegunda moniali.
CAP. XXXVIII.

MONEGVNDIS Abbatissa, Carnetenæ vrbis quondàm incola, cùm parentum ad nutum copulata coniugio, duas filias genuisset, & illas inuida mortalium fata citò rapuissent, deserto marito, genitrix pignoribus desolata, se totam conuertit ad Dominum: ac deposita veste seculari, sanctæ conuersationis habitum suscepit: fundatoque cœnobio ad Basilicam sancti Martini, monachas secum in Domino adunauit. Hæc tantis miraculis viuens & mortua claruit, vt veterũ nulli sanctorum inferior iudicetur. Eius vitã Gregorius Turonensis descripsit.

De sancto Elcuto Abbate.
CAP. XXXIX.

ELTVTVS Abbas, monachus & discipulus quõdàm S. Germani, vir omnium scripturarum veteris scilicet & noui testamẽti, & omniũ artiũ philosophiæ peritissimus, præceptor S. Sansonis Episcopi, tantæ sanctitatis extitit, vt prophetiæ spiritu meruerit illustrari, denique multa mirifica in vita sua opera patrauit. Vnde & obitũ suũ lõgè ante præsciuit. Claruit anno Domini 560. Dum aũt moreretur, anima eius in specie aquilæ, duas pennas aureas habẽtis, visa est ad cælum cum angelis euolare.

De sancto Isano Abbate.
CAP. XL.

ISANVS Abbas, monachus & discipulus beatissimi patris Eltuti, qui vidit eius animam angelicis manibus, in similitudine aquilæ duabus pennis aûreis, in cælum deferri, vir magnæ sanctitatis, contemptor mundi, & amator sanctæ paupertatis, velut stella in medio nebulæ, sic Britanniam sua cõuersatione sanctissima & doctrina illustrauit. Claruit anno Domini 560.

De sancto Sansone Episcopo.
CAP. XLI.

SANSON ex Abbate Dolensis Archiepiscopus, de Metiana prouincia, nobilibus parẽtibus ortus fuit. Hic B. Eltuto docẽdus traditur, à quo in timore Domini & sacris scripturis nobiliter imbutus, etiã adhuc iuuenis, miraculis clarescere cœpit. Tanta verò abstinentia carnem suam domuit, vt in tota vita sua nunquàm comederet quod vitã habuisset. Eius vita, qualis fuerit, luculento sermone descripta est. In qua legitur, quòd sæpè totã hebdomadam à cibo abstinuit, & septimo tandèm die reficiebat. Noctes verò lõgissimas sæpè transire solebat stando de luce vsq; ad lucis reciprocum, nec stans omninò lassabatur. Non diebus, non noctibus ab orationibus & diuinis colloquijs cessabat, qui tandèm multis clarus miraculis, requieuit in Domino. Huius natale celebratur quinto Calendas Augusti. Claruit anno Domini 600.

De sancto Similiano Abbate.
CAP. XLII.

SIMILIANVS Abbas monasterij Cauracẽsis, preceptor sancti Ethbini, vir sanctus & Deo dilectus, doctrina & exemplo monachos strenuè gubernans, magna sanctitatis suę dedit indicia. Claruit in Britannia transmarina, anno Domini 600.

De S. Vuingualoco monacho.
CAP. XLIII.

VVINGVALOCVS sacerdos, monachus & discipulus B. Similiani Abbatis in monasterio Cauraconensi, de quo iam diximus, vir sanctissimæ conuersationis: Dominum Iesum in forma pauperis leprosi videre meruit, cuius dum nares ore suo contingeret, quem suscepisset, protinùs agnouit, à quo audire dignus fuit: Non me erubuisti, serue meus, in miserijs meis: nec ego te erubescam in regno patris mei. Hæreditas tua mecum est. Claruit anno Domini 580.

De sancto Ethbino monacho.
CAP. XLIIII.

ETHBINVS monachus & discipulus sancti patris Similiani atq; diaconus, natione Brito, parẽtibus ortus nobilibus, doctrinis liberalibus optimè imbutus, minister pfati Vuingualoci sacerdotis: cùm ille leprosum, de quo diximus, in messe ore mundãdum susciperet, iste per latera Dominũ erigẽs, clamabat: Pater sancte, ipsum, quem teneo manibus, & tu ore, Dominum Iesum Christũ, qui seipsum dedit pro nobis, esse crede. Viderat enim cælũ apertum, & angelos in eius occursum properantes. Postmodùm ad Hyberniã secedẽs, in sylua Nectensi morabatur pauper, vbi multa patrauit miracula, queadmodùm in eius vita clarè legitur: cuius natale 14. Calendas Nouembris celebratur. Claruit anno Domini 610. & moritur, cùm esset annorum octoginta fermè trium.

De sancto Basolo Abbate.
CAP. XLV.

BASOLVS monachus & Abbas in diœcesi Rhemensi, ortus ex territorio Lemonicensi, cùm adhuc iuuenis esset, se totum diuino seruitio mancipauit: egressusque terram cognationis suæ, peruenit ad vrbem Rhemensem, vbi pontificatum tenebat sanctus vir Aegidius post beatum Remigium quartus, cuius authoritate & benedictione locum secretũ petijt, & monasterium fundauit. Hic tanta sanctitate emicuit, vt multis in vita miraculis fuerit gloriosus, quemadmodùm in gestis eius continetur. Huius festum sexto Calendas Decembris agitur. Claruit auté anno Domini 600.

De sancto Sindolpho monacho.
CAP. XLVI.

SINDVLPHVS presbyter & monachus, socius beati Basoli Abbatis, natale solum dulce relinquens, pro Christi amore peregrinus efficitur: & vt mundo mortuus, Deo viueret, eremiticam vitam subiuit, in qua multis annis Dño militans, magnis effulsit virtutibus. Claruit in Frácia anno Domini 600.

De sancto Gilda monacho.
CAP. XLVII.

GILDA monachus & discipulus beati Eltuti Abbatis clarissimi, vir moribus & conuersatione deuotus, & in diuinis scripturis à docto magistro nobiliter imbutus, sanctæ monasticæ disciplinæ zelosus amator in uentus est. Vndè & magnis in vita legitur claruisse miraculis. Huius condiscipuli erant sanctus Samson Dolensis Episcopus, & beatissimus vir Paulus antistes Leonensis. Claruit anno Dominicæ incarnationis 600. in Britannia.

De sancto Paulo Episcopo.
CAP. XLVIII.

PAVLVS Episcopus Leonensis, monachus & discipulus beati Eltuti Abbatis, eius magisterio adhuc puer à parentibus traditur, vt moribus eius sanctis & doctrina informetur. Sub quo intantùm puer sanctus profecit, vt etiam miraculis effulgens, admirandus magistro videretur. Factus autem Episcopus, tanta maceratione carnem suam domuit, vt in cibum nihil aliud, quàm panem siccum & sal, sumere consueuerit. In diebus verò solénibus addebat, quasi pro magno apparatu, paucos pisciculos. Carnes aũt non solùm quadrupedum, secundùm regulam, sed etia bipedũ, in omni vita sua gustu nõ legitur cõtigisse. Huius vita multis corusca miraculis habetur cõscripta: cuius festũ quarto Idus Martij colitur. Claruit anno Domini 600.

De sancto Amando Episcopo.
CAP. XLIX.

AMANDVS ex monacho Episcopus Traiectẽsis, superioris, id est, Leodiensis, vir doct' & sanctus, multos sua melliflua prædicatione ab iniquitate conuertit ad Dominum. Vndè & in vita & post morté infinitis fertur claruisse miraculis, sicut in vita eius, diligenter digesta, habetur. Voluntautem nonnulli, quòd Abbas fuerit ante præsulatũ cœnobij Elnonensis. Festũ eius colitur 8. Idus Februarij. Claruit anno Domini 630.

De sancto Maglorio Episcopo.
CAP. L.

MAGLORIVS monachus & discipulus beati Eltuti patris, ex Britannia oriundus, genere spectabilis, sancti Samsonis consors fuit: qui etiam decedens, in Archiepiscopatu Dolensi eum sibi constituit successorem. Vbi cùm spectabilibus documentis simul & exemplis enite sceret, angelus Dñi in somnis ei apparẽs, admonuit, vt pontificatus culmine relicto, ad remotioris loci latibula pergens, solitariã vitam duceret, vbi monachorum gregẽ pascens, laudes quoque Domini licẽtiùs celebraret: qui expergefact', gratias egit Deo, & in episcopatu viro, nomine Buduco, substituto, mãdatum impleuit, multisq; miraculis coruscauit. Eius festum nono Calendas Nouembris celebratur, quo & obijt. Claruit anno Domini 620.

De sancto Gregorio Episcopo Turonensi.
CAP. LI.

GREGORIVS ex monacho Turonẽsis Episcopus, Aluernicæ regionis indigena fuit, cuius pater Florẽtius Georgij senatoris fili', vir & ipse laudabilis, & sanctæ conuersationis effulsit. Vndè bonus pater filium suum Gregorium in timore Domini instruẽs, sanctorũ illi gesta ad memoriã commendauit, quibus semper ad meliora enituit. Factus aũt Turonẽsis Ecclesiæ post B. Eufraniũ Archiepiscopus, ecclesias plures instruxit, & varios in scripturis sanctis tractatus exposuit: de quib' ex parte in secũdo libro huius operis iam fecimus mentionẽ. Fuit aũt homo charitate & humilitate maximus, ità vt suo tẽpore in terris similem vix habuerit. Sedecim annos hic in Episcopatu exegerat, cùm æquiuocus ille magnus Gregorius Romę in Sede Apostolica subrogatus est. Cùm autem iste ad limina Apostolorum Romã peteret, à sancto Papa Gregorio cum magna reuerentia exceptus est, quem ad B. Petri confessionem introducens, ex latere constitit, præstolans, quousq; ab oratione assurgeret. Interim autẽ, vt erat ingenio profundissimus, secretam DEI dispensationem admirans, cõsiderabat in huiusmodi hominem (erat

(erat enim statura breuis) tantam gratiam profluxisse. Quod ille mox diuinitùs persentiens, & ab oratione surgẽs, placidoq; (vt erat) vultu ad Papam respiciens: Dominus, inquit, fecit nos, & nõ ipsi nos: idẽ in paruis, qui & in magnis. Cumq; illud cogitationi suæ sanctus Papa respõderi animaduerteret, ipsa sua depræhensione gauisus, gratiam, quam hactenùs in Gregorio mirabatur, in magna veneratione deinceps habere cœpit. Sanctus autem Episcopus in suo proposito proficiens atq; succrescẽs, multis & in vita & post mortẽ claruit miraculis: cuius festum colitur 15. Calendas Decembris. Eius vita conscripta habetur. Claruit anno Domini 600.

De sancto Gregorio Papa.

CAP. LII.

GREGORIVS ex monacho & Leuita Romanus Pontifex post Petrum sexagesimussextus, sedit in cathedra Apostolica annis tredecim, mensibus decem, diebus decem: vir quidem suo tempore in scripturis tam diuinis quàm secularibus omniũ opinione doctissimus, humilimus atque sanctissimus, cui⁹ pater Gordianus, senator clarissimus fuit. Fundauit autem beatus Gregorius ante conuersionem suã plura monasteria, ex quibus vnum in vrbe in honorem sancti Andreæ constituit, in quo sub Abbate Valẽtio monachus factus est. Quis, qualis, quantusque fuerit, Ioannes diaconus in eius vita, quam libris quatuor explicuit, luculenter descripsit. Et ideò non est opus iam longam de eo fieri mentionem. Moritur autem anno Domini 603. cuius festum quarto Idus Martij colitur.

De sancto Augustino Episcopo.

CAP. LIII.

AVGVSTINVS ex monacho sancti Andreæ in Vrbe, primus Archiepiscopus Doruernensis in Anglia, quæ nunc etiam Cantuariensis dicitur, discipulus sancti Gregorij Papæ, natione Romanus: quem idem Papa misit in Angliam ad prędicandum verbum Dei, qui magna virtute per multa signa & stupenda miracula gentem illam, hactenùs idolis seruientem, ad fidem Christi conuertit. Quemadmodùm verò hæc cõuersio facta sit, & quàm sanctæ vitæ vir iste fuerit, Beda monach⁹ in primo libro Ecclesiasticæ historiæ luculento sermone digessit. Aliàs etiam vita eius descripta habetur. Claruit in Anglia, anno Domini 620. Cuius festũ 7. Calendas Iunij colitur.

De sancto Marcolpho Abbate.

CAP. LIIII.

MARCOLPHVS Abbas monasterij Baiocacensis in Gallia, vir doctus & sanctus, & monachorum strenuus gubernator, ob miracula & vitæ sanctitatem apud Gallos reges & principes in magno precio habitus est, cuius festũ septimo Calendas Maij colitur. Claruit anno Domini 610.

De sancto Petro Abbate.

CAP. LV.

PETRVS monachus beati Gregorij Papæ, cum Augustino missus in Britanniam socius laboru[m] & miraculorum ei⁹ us clarus effulsit. Fundato autem in honore Apostolorum Petri & Pauli monasterio, eum sanctus præsul Abbatem cõstituit, in quo diuinis se totum mãcipauit obsequijs. Hunc idem Augustinus, conuersis ad fidẽ iam Anglis, Romam destinauit vnà cum sancto Laurentio presbytero, vt beato Papæ Gregorio de factis singulis facerent relationem, & de quibusdam quæstionibus responsum reportârent. Claruit autem in Anglia, anno Domini 620.

De sancto Mellito Episcopo.

CAP. LVI.

MELLITVS ex Abbate vrbis Romæ, Episcopus Londoniensis prouinciæ Orientalium Saxonum, à beato Augustino ordinatus, sua prædicatione totam illam insulam ad fidem Christi conuertit. Fuit enim vir sanctissimæ conuersationis, & propter vitæ & doctrinæ meritum sanctus Papa Gregorius, petente Augustino, cum illo direxit. Vndè & multa miracula fecisse legitur. Deniq; ad Ecclesiam Dornernẽsem post Laurentium, qui Augustino successerat, archiepiscopus translatus est. Moritur autem dierum plenus & sanctitatis, anno Domini 624. nono Calendas Martij, secundùm Bedam.

De sancto Iusto Episcopo.

CAP. LVII.

IVSTVS monachus sancti Gregorij Papæ, missus cum Mellito in Angliã, Episcopus Rofensis à beato Augustino ordinatus, multos pro Christo sustinuit labores, & claruit miraculis. Deindè post mortem Melliti, etiam ipse ad Ecclesiam Doruernẽsem archiepiscopus quartus trãslatus est, sub Bonifacio Papa quinto, à quo authoritatem ordinandi Episcopos accepit. Huius gesta Beda monachus in secundo libro suæ historiæ pro parte descripsit. Claruit anno Domini 625. cuius festum 4. Idus Nouembris agitur.

De sancto Paulino Episcopo.

CAP. LVII.

PAVLINVS monachus beati Gregorij in Vrbe, cum Mellito Abbate cæterisq; viris sanctissimis destinatus in Angliam, animas Christo sua prædicatione innu-

merabiles acquisiuit. Ordinatus autem à Iusto Archiepiscopo in Episcopum Therofenensem, anno Domini 625. sub die duodecimo Calendas Augusti ad Archiepiscopatum Eboracensem tandem translatus est. Vir vtiq; sanctissimæ conuersationis, qui etiam miraculis meruit clarescere. Moritur autem anno Domini 644. sexto Idus Octobris, episcopatûs sui anno vigesimo.

De sancto Laurentio Episcopo.
CAP. LIX.

LAVRENTIVS monach' cœnobij sancti Gregorij Romæ, missus ab eo in Angliam, pro conuersione illius gentis totis viribus laborauit: qui defuncto beato Augustino, in eius locum Doruernensis archiepiscopus fuit ordinatus, quem ipse adhuc viuẽs ordinauerat, nè se defuncto, status Ecclesiæ tam rudis vel ad horàm pastore destitutus vacillare inciperet. Claruit anno Domini 620. cuius festum quarto Nonas Februarij agitur.

De sancto Ioanne monacho.
CAP. LX.

IOANNES monach' cœnobij beati Gregorij Papæ in Vrbe, socius itineris & laborũ sancti patris Augustini, missus cum eo in Angliã, multis annis sua sancta conuersatione & doctrina dignum prædicatoris gessit officium. Claruit anno Domini 620.

De sancto Deicolo Abbate.
CAP. LXI.

DEICOLVS Abbas Luttẽsis cœnobij in Burgũdia, monachus & discipulus sancti Colũbani, vir sanctissimæ conuersationis, qui multis in vita miraculis claruit, sicut in historia vitæ ipsius legitur, quæ satis copiosè conscripta habetur. Claruit anno Domini 600. cuius festũ 15. Calendas Februarij agitur.

De sancto Honorio Episcopo.
CAP. LXII.

HONORIVS ex monacho Archiepiscopus Cantuariensis, post Iustum, vir deuotus & sanctus, qui pro salute Anglorum multos impẽdit labores. Fuit autẽ in Episcopum cõsecratus à beato Paulino, tunc tẽporis Londoniensi Episcopo. Moritur plenus dierũ & bonorũ operũ, anno Domini 653. pridiè Calendas Octobris.

De sancto Bauone monacho.
CAP. LXIII.

ANOVVINVS, qui & Bauo, discipulus sancti Amandi pontificis, qui in iuuentute seculi actibus deseruiens, nobilem vxorem, nobilis & ipse duxerat: qua mortua, aliam ducere recusans, ad consilium sancti Amandi Gandaui solitariè recluditur, vbi tanta se pœnitentia & austeritate macerauit, vt eius cõuersatio omnibus fieret admiranda. Claruit multis & maximis miraculis, ità vt etiam mortuos suscitaret. Moritur anno Domini 631. prima die mensis Octobris, ad cuius honorem iam monasterium Gandense præfulget. Eius vita descripta est.

De sancto Aidano Episcopo.
CAP. LXIIII.

AIDANVS Abbas Scotorum, & postmodùm Episcopus in Angliã ordinatus, moribus sanctus, scientia scripturarũ doctissimus fuit, de quo multa narrantur miracula. Erat enĩ verè monachus, qui nil huius mundi quærere, nil amare curabat, sicut in vita eius diffusè legitur. Claruit anno Domini 658. cuius festum 2. Calendas Septembris agitur. Is manum dextram sancti Regis Osuualdi prædixit nunquàm esse corrumpendam, qua tot eleemosynas dedit pauperibus, quàdo sedit in mensa cum eo, dum scutellam auream daret.

De sancta Fara Abbatissa.
CAP. LV.

FARA Abbatissa monasterij Hibrigensis, quod alio nomine Enoriacas dicitur, in regione Francorum, sanctimonialis nobilissima, quæ multas regum & principum filias in DEI seruitio sanctissimas enutriuit, plurimas in vita sua legitur operata virtutes. Claruit magna sanctitate anno Domini 640. cuius festũ 7. Idus Decembris iure celebratur.

De sancta Eracungota moniali.
CAP. LXVI.

ERACONGOTA sanctimonialis virgo dignissima, Carcõberti regis Anglorum filia, quam ille magisterio sanctæ Pharæ Abbatissæ iam dictæ, in timore domini nutriendam cõmendauit. Quæ virgo postmodùm multarum virtutum effulsit. Claruit in monasterio Brigensi in regione Francorum, anno Domini 660. Eius festum Nonis Iulij agitur.

De sancto Vuinebaldo Abbate.
CAP. LXVII.

VVINEBALDVS Abbas monasterij sancti Lupi Trecassini, vir doctus & sanctus, apud regem Lothariũ, qui Burgundiam obtinuit, in magno precio fuit. Hic etiam beato Lupo Senonensi Episcopo valdè familiaris & dilectus, eum regi offenso reconciliauit. Claruit anno Domini 620. cuius festum 15. Calendas Ianuarij celebratur.

De sancto Anastasio martyrẽ.
CAP. LXVIII.

ANASTASIVS Persa, monachus & martyr, omnibus monachis constantiæ suæ & fidei reliquit exemplum. Hic natus in Perside, magicas artes à patre puer discebat. Sed vbi à captiuis Christianis nomen Christi acceperat, mox toto animo conuersus est: & relicta Perside, post annos tres Chalcedoniam, Hierapolimque pro Christo peregrinus venit, ac deinde Hierosolymam: vbi baptizatus, quarto ab eadē vrbe milliario monasterium Abbatis Anastasij intrauit: in quo septem annis regulariter vixit. Posteà cùm Cæsaream Palæstinæ orationis gratia venisset, captus à Persis, & multa diù verbera inter carceres & vincula, impio Marzabana duce, perpessus, tandem mittitur Persidem ad regem eorum Cosdroën, à quo ter per interualla auditus & verberatus, ad extremum vna suspēsus manu per tres horas diei, & sic decollatus cum alijs septuaginta, martyriū compleuit. Mox tunica eius indutus quidam dæmoniacus, curatus est. Corpus eius Romæ translatū, in monasterio beati Pauli repositum est. Cuius festum vndecimo Calendas Februarij colitur. Passus est anno Heraclij octauo, qui fuit Domini 621.

De sancto Chalnoaldo Episcopo Meldensi.

CAP. LXIX.

CHALNOALDVS discipulus & monachus beati Columbani Abbatis, germanus sanctæ Pharæ virginis Christi, de qua suprà diximus, adhuc puer sancto viro à patre nutriendus traditur, cuius minister deuotus effectus est: qui dum in solitudine moraretur, ei belua paruit ad præceptum magistri. Hic postmodùm præsul in ciuitate Lugdunensi sanctissimus factus est. Claruit anno Domini 640.

De sancto Eustasio Abbate.

CAP. LXX.

EVSTASIVS monachus & discipulus beati Abbatis Columbani, & ab eo Luxouiēsis cœnobij Abbas cōstitutus, magna sanctitate enituit, & multos sanctissimos discipulos enutriuit. Eius vitā virtutibus plenā Ionas discipulus sancti Columbani descripsit, cuius natale quarto Calendas Aprilis celebratur. Claruit anno Domini 620.

De sancto Attalo Abbate.

CAP. LXXI.

ATTALVS monachus & discipulus sancti Columbani, Bobiensis cœnobij Abbas ab eo constitutus, cùm monachos egregiè regeret, & hoc nonnulli posse se sustinere reclamarent, atque ab eo recedentes ei detraherent, omnes miserabiliter in breui perierunt. Fuit enim vir sanctissimæ cōuersatiōis, ob quā causam omnipotens Deus eius iniurias tam seuerè vindicauit. Claruit autē anno Domini 620. Cuius vitam idem Ionas monachus beati Columbani descripsit. Eius festum sexto Idus Martij colitur.

De sancto Vualberto Abbate.

CAP. LXXII.

VVALBERTVS monachus & discipulus sancti Colūbani Abbatis, germanus beatorū Pharæ & Chalnoaldi, post discessum sui Abbatis Columbani, à monasterio Luxouiensi in Britaniam, ab eo sub magisterio sancti Eustasij commēdatus, vir clarus atq; sanctissimus effulsit, ità vt post Eustasium Abbas Luxouiensis tertius sit electus. Eius festum sexto Calendas Maij colitur. Claruit autem anno Domini 630. Hic post Gandoaldum fratrem Meldensis Episcopus factus est.

De sancta Edilburga Abbatissa.

CAP. LXXIII.

EDILBERGA monasterij Brigēsis post beatā Pharā Abbatissa, filia regis Orientalium Anglorum Annæ, virgo moribus & vita sanctissima, quæ multis in vita fertur claruisse virtutibus, sicut in gestis eius pleniùs continetur. Claruit anno Domini sexcentesimo quadragesimo. Eius festum colitur septimo Idus Iulij.

De S. Pharone Episcopo Meldēsi.

CAP. LXXIIII.

PHARO ex monacho & discipulo sancti Eustasij Episcopi Meldensis, germanus beatæ Pharæ Abbatissæ & fratrum eius, vir sanctus & Deo dilectus, multis in vita & post mortē claruit miraculis, sicut in gestis eius diligenter scriptis habetur. Eius festum quinto Calendas Nouembris celebratur. Claruit anno Domini 640.

De sancto Chilleno monacho.

CAP. LXXV.

CHILLENVS monachus & discipulus sancti Columbani & Eustasij eius successoris, natione Scotus, vir magnæ & incōparabilis sanctitatis, à beato Pharone missus ad prouinciam Attrabatēsem, eam sua doctrina sana Christo acquisiuit, & claris miraculis illi attraxit. Hic vas vitreū à casu cōfractum, suis orationibus redintegrauit. Claruit anno Domini 640.

De sancto Gallo Abbate.

CAP. LXXVI.

GALLVS monachus & discipulus sancti Colūbani Abbatis, vir sanctus & multis clarus virtutibus, cum eo de Luxouiensi monasterio recedens, mansit in Alemania, vbi fundato cœnobio, multorum

rum monachorum pater effectus est. Eius sancta conuersatio literis commendata est. Claruit anno Domini 620. cuius festum 17. Calendas Nouembris colitur.

De sancto Columbino Abbate.
CAP. LXXVII.

COLVMBINVS monachus & discipulus beati Deicoli Abbatis Luttensis in Burgundia, vir magnarum virtutū, dignus sui præceptoris successor, in eodē cœnobio clarus sanctitate effulsit. Claruit anno Domini 620. cuius festum Idibus septembris colitur.

De sancto Vualarico monacho.
CAP. LXXVIII.

VVALARICVS monachus & discipulus sancti Columbani, de Aluernica regione ortus, pro Christo magnis carnē suam abstinētiæ laboribus macerans, multis tam in vita, quàm post mortem, effulsit miraculis, sicut in gestis eius diligenter cōscriptis habetur. Claruit anno Domini 620. cuius festū colitur Calendis Aprilis.

De sancto Vuandalino monacho.
CAP. LXXIX.

VVANDOLINVS monachus & discipulus sancti Columbani, & beati Vualarici in peregrinatione socius, vir diuina charitate succēsus, & egregius prędicator, multos sua doctrina & exemplo gentiles ad agnitionem sacræ fidei perduxit. Claruit anno Domini 620.

De sancto Hildeuerto Episcopo Meldensi.
CAP. LXXX.

HILDEVERTVS monachus & discipulus sancti Pharonis, & post eum Meldensis episcopus, cùm esset ab eo presbyter ordinatus, hortatu eius monasterium intrauit: factus postcà Meldensis episcopus, multa sanctitate & miraculis enituit. Eius festum colitur septimo Calendas Iunij. Claruit anno Domini 640.

De sancto Sulpitio Episcopo Bituricensi.
CAP. LXXXI.

SVLPITIVS Abbas in Gallia sub Locthario rege, & post sanctum Austregisilum Bituricēsis Ecclesiæ archiepiscopus, vir tantæ sanctitatis, vt nō minùs per eum signa, quàm dudùm per Apostolos fierent. Nam dæmones verbo fugauit, ægros oratione curauit, mortuum etiam suscitauit. Deniquè qualis fuerit, in vita eius clarè scribitur, vbi multa miranda de ipso narrantur. Qui non solùm in vita, sed etiam post mortem, multis miraculis claruit, anno Domini 640.

De sancta Salaberga Abbatissa.
CAP. LXXXII.

SALABERGA Abbatissa monasterij Lugdunensis, in quo plus quàm trecentas moniales sub regimine suo habuit; vbi multis legitur fulsisse miraculis. Hanc beatus Eustasius Abbas Luxouiensis, in pueritia lumine oculorum orbatam sanauit, quā Vualbertus eius successor ad contemptum mundi & religionis votum demùm induxit. Claruit anno Domini 640. Cuius natale decimo Calēdas Octobris agitur.

De sancto Ioanne Episcopo.
CAP. LXXXIII.

IOANNES ex monacho Gerundensis Episcopus, Vuesegothus natione, vir scientia scripturarū doctus, & vitę cōuersatione sanctissimus, de quo etiam in secundo libro fecimus mentionem: multas pro vera fide ab Arrianis sustinuit insidias, ità vt in exiliū relegaretur. Indè reuersus ad patriam, monasterium cōdidit, vbi multa bona tam scribendo, quàm etiam operando, perfecit. Claruit anno Domini 610.

De sancto Cæsario Episcopo.
CAP. LXXXIIII.

CAESARIVS monachus Lirinensis cœnobij, Arelatensis (vt ferunt) postcà Episcopus, vir sanctus, & Deo dilectus, qui multis claruit virtutibus, monachorū studijs apprimè eruditus, pulchros ad vtilitatem eorum cōscripsit sermones, quemadmodùm in secundo libro expressimus. De tempore, quo claruit, diuersa opinio est, qa chronographi sibi mutuò non consentiunt. Aliqui enim dicunt, quòd tempore sancti Benedicti: alij, quòd anno Domini 610. Quòd autem nostri ordinis fuerit, ipse in tertio sermōe ad monachos fatetur, vt suprà diximus. Vincentius autem dicit, quod claruit anno Domini 700. & hoc mihi verius esse videtur.

De sancta Aurea Abbatissa.
CAP. LXXXV.

AVREA, Abbatissa trecentarum puellarum Parisijs, genere nobilis, fide autem & virtutū excellentia nobilior, tanta sanctitate claruit, vt etiam in vita miracula fecerit: sicut in eius Legenda habetur, quæ satis diligenter scripta est. Claruit anno Domini 630. eius festum celebratur quarto Nonas Octobris.

De sancto Furseo Abbate.
CAP. LXXXVI.

FVRSEVS Abbas monasterij, quod Chaobhersburg dicitur, in prouincia Orientalium Anglorum, natione Scotus genere nobilissimus, verbo & actibus clarus, & signis ac miraculis egregius, per An-

Angliam prædicando verbum Dei, multos ab errore ad viam veritatis conuertit. Qui ab ipso tempore pueritiæ suæ curam non modicam lectionibus sacris simul & monasticis exhibebat disciplinis, & quicquid agendum didicerat, in opera côuertebat. Hic mirabiles visiones habuit, sicut in vita eius legitur. Claruit temporibus Annæ regis Anglorum, anno Domini 650. Cuius natale quarto Nonas Martij agitur. Eius gesta habentur. Hic postmodum nauigauit in Galliam, & nobile cœnobiû Latiniacum construxit.

De sancto Altano monacho.
CAP. LXXXVII.

ALTANVS german⁹ sancti Fursei Abbatis, monachus in eius supradicto monasterio Caobersberg in Anglia, post rudimenta vitæ cœnobialis, eremum petijt, in qua se pro Dei amore affligês, multis effulsit virtutibus. Habebant autem & alium fratrem nomine Follanum, virum reuerendissimum, cui beatus Furseus eremum concupiscens, eiusdem cœnobij curam cômiserat. Claruit anno Domini 650.

De sancto Amato Abbate.
CAP. LXXXVIII.

AMATVS Abbas Luxouiensis post beatum Vualbertum, vir deuotus & sanctus, sua doctrina & exemplo multos egregios discipulos instituit. Erat enim charitate plenus, mitis, humilis, & discretus, atq; sanctarum scripturarum vbertate refertus, qua cunctis prodesse potuit. Claruit anno Domini 660.

De sancto Foilano martyre.
CAP. LXXXIX.

FOILANVS germanus sanctorum Fursei & Altani, vt suprà diximus, Abbas monasterij Caobersberg, cùm sanctus Furseus de Anglia transiret in Galliâ, ipse cum eodem fratre secutus est. Qui dono sanctæ Gertrudis monasteriû Fossense fundauit, vbi etiam martyrio coronatus quiescit. Claruit anno Domini 660.

De sancto Romarico Abbate.
CAP. XC.

ROMARICVS Abbas Luxouiêsis post sanctum Amatum, cuius etiam discipulus fuerat, vir secundùm sæculû nobilis & generosus, qui quôdàm in aula regis Austrasiorû Theodeberti, clarissimus habebatur, côtempsit sæculû amore Christi: quo largiente, tanta sanctitate enituit, vt multis claruerit miraculis. Eius gesta diligenter scripta sunt. Cuius natale 6. Idus Decembris agitur. Claruit anno Domini 660.

De sancto Adone monacho.
CAP. XCI.

ADO monachus in Francia, germanus sancti Andoëni episcopi Rothomagêsis ex oppido Suessionico, nomine Sanciaco ortus, beato Columbano cum fratribus ad benedicendum oblatus, magnus ab eo prædicatur futurus: qui, contempto seculo, Christum per monasticam couersationem studuit imitari, in qua magnis fulsit virtutibus. Claruit anno Dñi 660.

De sancto Agilo Abbate Resbacensi.
CAP. XCII.

AGILVS, primus Abbas Resbacensis, quod sanctus Andoënus Episcopus fundauerat cœnobium, monachus & discipulus beati Eustasij Luxouiêsis, vir doctus & nobilis, fili⁹ fuit Agnoaldi viri nobilissimi, Sigeberti regis consiliarij: tantæ virtutis & sanctitatis fuit, vt in vita multis miraculis effulserit. Erat enim in ieiunijs frequens, in orationibus assiduus, in eleemosynis largus, hospitalitatisq; amator præcipuus, cuius vita satis diligenter scripta est. Claruit anno Domini 670. Et moritur 4. Calendas Septembris, anno ætatis suæ centesimo.

De sancto Geremaro Abbate.
CAP. XCIII.

GEREMARVS Abbas monasterij Pontalli, à beato Andoëno constitutus, cum monachos ibidê m repertos, in magna disciplina conseruaret, quidam malitiosi & impij, nolêtes eius prædicationem recipere, de eius morte cœperût tractare. Supponêtes igitur cultellum sub lectisternijs, manubrium solo hæserunt, acumen verò ferri nudum in aeris spatium erexerunt, vt vir Domini ex vigilijs fatigatus, cùm se ad lectû cû impetu poneret, cultellû incidês, seipsum interficeret. Quod ille præsentiês, declinauit periculum: & secedens, sancto Andoëno cooperante, Flauiacense monasterium fundauit, Abbas ibidêm constituitur. Eius vita plena virtutibus, côscripta habetur. Claruit anno Domini 670. Cuius natale 11. Calendas Octobris colitur.

De sancta Angadrisma Abbatissa.
CAP. XCIIII.

ANGADRISMA virgo sanctissima, & monasterij ancillarû Christi, quod iuxta muros Beluacenses situm est, Abbatissa; cùm sponsum carnalem, videlicet S. Ausbertum, eo consentiente dimitteret, æterni regis spôsa electa est, & à beato Andoëno Rothomagensi episcopo, Domino in sancto proposito consecrata. Claruit multis virtutibus anno Domini 680. cuius festum 6. Calendas Aprilis agitur.

De sancto Ausberto Episcopo.
CAP. XCV.

AVSBERTVS ex Abbate Fontanellę post Andoënum Rothomagensis Episcopus, sponsus olim beatæ Angadrisimæ virginis, vir deuotus & sanctus, multis viuens & mortuus effulsit miraculis. Eius inclytâ gesta habentur. Claruit anno Domini 685. cuius festum 5. Idus Februarij colitur.

De sancto Vuandregisilo Abbate. CAP. XCVI.

VVANDREGISILVS Abbas monasterij Fontanellæ, & presbyter, à beato Andoëno consecratus, præceptor S. Ansberti, de quo iam diximus, vir sanctissimæ conuersationis, multis legitur claruisse virtutibus. Rexit Abbatiã viginti annis: quo defuncto, electus est Lambertus Tauernensis: quo ad Episcopatũ Lugdunensem assumpto, sanctus Ausbertus successit in Abbatia. Claruit sanct⁹ iste anno Dñi 670. Ei⁹ natale est 11. Calẽdas Augusti.

De sancto Philiberto Abbate. CAP. XCVII.

PHILIBERTVS Abbas Resbacẽsis post sanctum Agilum, cuius discipulus fuit, vir secundùm seculi dignitatem diues & nobilis, in aula regis Dagoberti cum sancto Andoëno quôdam in precio fuit: sed mundo contempto, & omnibus suis pauperibus distributis, sub regimine sancti Agili comã deposuit, & monachus factus est, multis signis & virtutibus clarus effulsit. Claruit anno Domini 680. cuius festũ 13. Calendas Septembris agitur.

De sancto Richario Abbate. CAP. XCVIII.

RYCHARIVS Abbas Pontiniacẽsis, natus in villa Centula prouinciæ Pontinæ, qui de rustico factus est, vir religione notissimus. Vescebatur pane hordeaceo cinere commixto & aqua cum lachrymis temperata, leprosos balneis fouebat, & eadẽ post ipsos intrauit. Magnis & innumeris legitur claruisse miraculis. Cuius natale celebratur quarto Calendas Maij. Claruit anno Domini 670.

De sancto Remaclo Episcopo. CAP. XCIX.

REMACLVS Episcopus Traiectensis, vir sanctæ conuersationis, cùm tumultus secularium conuersationũ haberet exosos, episcopatũ deseruit, & ꝓ Christi amore in Stabulẽsi cœnobio monachicæ vitæ habitũ assumpsit, quod monasterium Sigebertus rex eo tẽpore fundauerat, beato Remaclo in omnibus cooperante. Claruit anno Domini 660. cuius natale tertio Nonas Septembris agitur.

De sancto Landolino Abbate. CAP. C.

LANDOLINVS Abbas & fundator monasteriorum Lobiensis, Alnei, Vuasfaris, & Crispiniensis, ab Auberto Cameracensi Episcopo, ex prædone ad Christum retractus, & à B. Papa Martino, huius nominis primo, ad prædicandũ ordinatus, sua doctrina & exemplo multas animas ad Deum conuertit, & multis effulsit miraculis. Claruit anno Domini 660. Cuius festum 17. Calendas Iulij celebratur. Sepultus cum Adelmo & Domitiano suis discipulis in monasterio Crispiniensi.

De sancto Trudone monacho. CAP. CI.

TRVDO monachus cœnobij sancti Quirini, quod modò ad sanctum Trudonem ex eius nomine appellatur, vir Hispaniensis, morum honestate conspicuus, atq; sanctissimus, verus monachus extitit, qui contempto seculo ex toto corde Dominum amauit. Vndè ad tantam gratiam, eo largiẽte, prouectus est, vt multis in vita & post mortem miraculis effulserit. Claruit anno Domini 670. Cuius natale nono Calendas Decembris agitur.

De sancto Leodebaldo Abbate. CAP. CII.

LEODEBOLDVS fundator & Abbas Floriacensis cœnobij, vir secundùm seculi dignitatem diues & nobilis, omnia pro Christo dimittens, prædictum monasteriũ fundauit & ingreditur. In quo secundùm regulã patris nostri Benedicti conuersationem instituens, magnis effulsit virtutibus. Claruit anno Domini 670.

De sancto Theodardo martyre. CAP. CIII.

THEODARDVS monachus Stabulensis cœnobij, & posteà Episcopus Traiectensis superioris, quod nunc Leodium dicitur, vir sanctus & Deo dign⁹ antistes, sua prędicatiõe & exẽplo gregẽ sibi cõmissum virtute magna gubernauit, qui ad tantam gloriã à Deo subuect⁹ est, vt martyrio sacro coronat⁹, Christi testis effici mereretur. Cuius natale 4. Idus Septẽbris colitur.

De sancto Audomaro Episcopo Taruanensi. CAP. CIIII.

AVDOMARVS Episcopus Taruanẽsis, ex monacho & discipulo S. Eustasij Luxouiensis Abbatis, oriũdus ex aurea valle non longè à Constantia ciuitate, vir magnarũ virtutũ, & multorum miraculorũ patrator fuit, sicut in eius vita luculenter describitur. Triginta annis episcopatum strenuè rexit. Claruit anno Dñi 660. cuius natale 5. Idus Septẽbris colitur.

De sancto Bertino Abbate. CAP. CV.

BER-

BERTINVS Abbas monasterij sancti Petri Apostolorum principis, quod Sithiu nominatur, ex diœcesi Constantiensi oriundus, cùm audisset famam sancti Audomari, de quo iam diximus, cum duobus alijs, scilicet Mumolino & Ebertranno, patriam suam relinquens, venit ad eũ, & eius adiutorio fundauit monasterium, in quo multis virtutibus claruit. Cuius vita conscripta est. Claruit anno Domini 680. eiusq; festum Nonis Septembris colitur.

De sancto Mumolino Episcopo.
CAP. CVI.

MVMMOLINVS Episcopus Nouiomensis post Acharium, monachus & discipulus sancti Audomari, sociusque beati Bertini Abbatis, vir doct⁹ & sanctus, & Ecclesiastico regimini satis necessarius, virtute magna in populo effulsit. Claruit anno Domini 680.

De sancto Magno monacho.
CAP. CVII.

MAGNVS, monachus & discipulus sancti Galli, Abbas (vt fertur) in faucibus, vir sanctus & Deo dilectus, multis in vita miraculis claruit sicuti in gestis eius, quæ diligẽter scripta sunt, legitur. Magnam prædicandi gratiam à Deo consecutus, multorum corda populorũ ad diuinum amorem cõuertit. Claruit anno Domini 660. Mortuus est autem anno ætatis suæ 70. octauo Idus Septembris.

De sancto Ebertranno Abbate.
CAP. CVIII.

EBERTRANNVS monachus & discipulus sancti Mummolini, natione Constantiensis, cùm esset vir sanctus & regularis disciplinæ amator zelosus, ab eodẽ Mummolino iam Episcopo, monasterij S. Quintini Abbas cõstituitur. In quo multis virtutib⁹ clarus effulsit. Claruit anno Domini sexcentesimo octogesimo.

De sancto Berchario martyre.
CAP. CIX.

BERCHARIVS Abbas primus Altiuillarensis cœnobij, quõdam monachus & discipulus sancti Eustasij Luxouiensis, vir sanct⁹ & Deo dilectus: cùm regularem disciplinã in suo monasterio strenuè gubernaret, accidit, vt quendam monachũ, exigentibus culpis suis, verbere increpationis feriẽdum decerneret: qui merito suo Satanæ cum Iuda traditus, patris indignè obiurgamina tulit. Et cũ ille fessus lectulo reclinatus, mẽbra sopori dedisset, idẽ peruersus & impius monachus, irruens in eũ, lethali eũ vulnere attẽtauit, arreptumque ferrum, quo eũ percusserat, in piscinã, quæ intra monasteriũ erat, occultandũ proiecit. Videres tunc laticem, velut tanti sceleris cognitorem, ferrum in se receptare expauescere. Nam mox vt aquam tetigit, velut leuissimæ materiei pluma, super aquas natauit. Ipse autem amens factus homicida, ecclesiam petijt, cruentisq; manibus signũ cœpit pulsare. Fratres incõsueta hora cum admiratione surgentes, & sanctum virum interfectũ audiẽtes, ad lectum eius cucurrerunt, & adhuc in eo spiritũ repererunt. Compræhẽsum igitur homicidã, ei obtulerunt, scire cupiẽtes, quid de commisso tanto scelere iudicaret. At ille Dominici non immemor exempli: Deum, inquit, tibi, frater, pœnitẽtialiter placabilem fieri studeto. Nam quantùm ad me attinet, omni liberum te impietate remitto. Ex eius sepulcro longo tempore pòst, oleum pullulãs visum est defluxisse, cunctis morbo obsessis salubre. Cuius festum 17. Calendas Nouembris agitur. Claruit anno Domini 660.

De sancta Itta moniali.
CAP. CX.

ITTA sanctimonialis fœmina, relicta Pipini, & mater sanctæ Gertrudis virginis Christi, instinctu S. Amandi pontificis monasterium Niuellense fundauit, eique filiam suam Deo dignam virginem præfecit, se quoq; & sua eidem submisit. Moritur anno Domini 658.

De sancto Lamperto martyre.
CAP. CXI.

LAMPERTVS ex monacho Stabulensis cœnobij, post sanctum Theodardum martyrem, Episcopus Leodiensis, vir sanctissimæ conuersationis, omniumque custos zelosus & pastor, cùm vitia impiorum exemplo Ioannis constanter argueret, ab iniquis martyrio succubuit. Eius vita & passio literis cõmendatæ sunt. Cuius natalis 15. Calendas Octobris agitur. Claruit anno Domini 670.

De sancta Batilde moniali, regina.
CAP. CXII.

BATILDIS ex regina Francorum sanctimonialis Valensis cœnobij, fundatrix monasterij Corbeiensis in Francia, contemptis diuitijs & honoribus huius seculi, vt Christum regem sponsum acquireret, duram regularis obseruantiæ nõ timuit subire disciplinam. Fuit autem de claro sanguine Saxonũ, adspectu decora, vultu hilaris, incessu grauis, pudica, sobria, prudens & cauta, humilis & gratiosa. In hebdomada sua ministrauit in officio coquinæ secundùm regulam, sicut & ceteræ sorores. Immũditias purgabat etiã plùs q̃ cæteræ sorores. In ei⁹ obitu speciosa lux diuini splendoris apparuit. Et visus est à circunstantibus angelorũ chorus ei obuiàm venisse, & cũ eis sanctus Genesius Epi-

scopus, visiq; sunt angeli animã eius remigio alarum & manibus eleuatam, in cælum portasse. Claruit anno Domini 670. cuius festum 7. Calendas Februarij agitur.

De sancta Gertrude virgine.

CAP. CXIII.

GERTRVDIS Abbatissa Niuigellensis cœnobij, filia beatæ Ittæ, de qua suprà diximus, virgo sanctissimæ conuersationis, Domini nostri Iesu Christi sponsa clarissima fuit. Huius vita plena miraculis, ad ædificationem fidelium scripta est. Moritur autem anno Constantis 21. qui fuit Domini 674. 16. Calẽdas Aprilis, quo die eius festum solenniter agitur.

De sancto Theodoro Episcopo.

CAP. CXIIII.

THEODORVS Cantuariensis Ecclesiæ septimus Archiepiscopus, à Vitaliano Papa ordinatus, natus ex Tarso Ciliciæ, monachus Romanus, vir doctissimus, Græcè & Latinè optimè instruct⁹, de quo etiã in secundo libro fecimus mentionem, multos pro Ecclesiastico statu labores impendit, magnisq; virtutibus claruit. Moritur anno Domini 690. ætatis suæ, 88. Episcopatûs verò, 22.

De sancto Adriano Abbate.

CAP. CXV.

ADRIANVS Abbas Heridanensis cœnobij, quod est non longè à Neapoli Campaniæ, natione Afer, sacris diligenter imbutus, monasterialib⁹ simul & Ecclesiasticis disciplinis institutus, Græcæ pariter & Latinæ linguæ peritissimus, vitæ quoq; & morum honestate deuotus & sanctus, cum beato Theodoro in Angliam à Vitaliano missus, gloriosos in Ecclesia fructus Anglicana produxit. Venit in Angliam anno Domini 678.

De sancto Andrea monacho.

CAP. CXVI.

ANDREAS monachus Romanus, & cuiusdam cœnobij Christi virginũ Præpositus, vir doctrina & morum conuersatione venerãdus, suæ sanctitatis plura monimenta reliquit. Hunc Vitalianus Papa in Archiepiscopum Cantuariensem ordinare disposuit, nisi se corporali infirmitate excusasset. Claruit virtutib⁹ magnis anno Domini 680.

De sancto Ceadda Episcopo.

CAP. CXVII.

CEADDA ex Abbate Lestigahensis cœnobij in Anglia, archiepiscopus Lindisfarorum & gentis Merciorum, vir doctus & sanctus, ac diuini verbi prædicator zelosus, in vita magnis effulsit virtutibus. Claruit anno Domini 680. Cuius natale 6. Nonas Martij, quo die decessit, colitur.

De sancto Osuino monacho.

CAP. CXVIII.

OSVINVS monach⁹ & discipulus beati Ceaddæ pontificis, vir magni meriti, & regularis institutionis zelosus amator, natione Anglicus Orietalis: cùm apud reginam Edildrudem clericus esset, & magno haberetur in precio, omnia cõtemnens, venit ad S. Ceaddam, in cœnobio, cui Lestingen vocabulum est, commorantem: in quo multùm proficiens, magnis cœpit fulgere virtutib⁹. Claruit anno Domini 600.

De S. Earcumuualdo Episcopo.

CAP. CXIX.

EARCVMVVALDVS ex Abbate Londoniensis episcop⁹, frater beatæ Edilburgæ virginis Christi, vir sanctus & Deo dilectus, qui multis tam in vita, quàm etiã post mortem claruit miraculis: antequàm esset episcopus, duo monasteria fundauit: vnũ sibi in loco qui vocatur Cherotesce, id est, insula Cerotę: alterum sorori suæ Edilburgæ, in prouincia Orientalium Saxonum, in loco qui nuncupatur Beretingum. Claruit autem anno Domini 680.

De sancta Edilburga Abbatissa.

CAP. CXX.

EDILBVRGA sanctimonialis virgo, soror (vt diximus) beati Earcũuualdi põtificis, & Abbatissa monasterij Beretingensis, Christo spõsa multũ amabilis, subiectas sibi moniales regulariter & strenuè gubernans, multis virtutibus effulsit & signis. Claruit anno sexcentesimo octogesimo. Cui⁹ festũ 5. Idus Octobris celebratur.

De sancta Hildelide Abbatissa.

CAP. CXXI.

HILDELIDIS Abbatissa Bertingensis cœnobij post beatam Edilburgam, de qua iam diximus, virgo sanctæ conuersationis, & regularis disciplinæ zelosa gubernatrix, cuius vita gloriosa innumeris effulsit virtutibus. Claruit anno Domini septingentesimo.

De sancta Edeldrude virgine.

CAP. CXXII.

EDELDRVDIS sancta & perpetua virgo Christi, filia Annæ regis Anglorũ, nupta primò alteri viro permagnifico, & pòst Egfrido regi cõiunx data, pòst duodecim annis torum incorrupta seruauit maritalem, regnum mundi, rege consentiente, deseruit, & monasteriũ, Christo seruitura, intrauit. Deindè facta magistra & Abbatissa Eilgẽsis monasterij, magnis virtutibus & signis effulsit. De cuius sanctissima conuersatione miranda feruntur, ità vt prophetiæ quoquè spiritu fuerit illustrata. Eius corpus post decem annos in monu-

monumento tam sanum, integrum, & incorruptum repertum est, acsi eodem die fuisset defuncta: & quidem satis dignè, vt integritas corporis, mentis incorruptionem compensaret. Ad eius tumbam multa miracula facta sunt. Claruit anno Domini 680. Cuius festum 14. Calendas Iulij agitur.

De sancta Hilda Abbatissa.

CAP. CXXIII.

HILDA religiosissima Christi famula, Abbatissa monasterij quod dicitur Strenesshalth in Anglia, filia nepotis Eduini regis clarissimi, tam sanctę conuersationis extitit, vt multis in hac etiam vita effulserit virtutibus. Moritur anno Domini 630. ætatis suæ 62. 15. Calendas Decembris.

De sancto Adamanno monacho.

CAP. CXXIIII.

ADAMANNVS monach⁹ & presbyter monasterij sanctimonialium in Anglia, quod Colodi vrbs dicitur, Præpositus, natione Scot⁹, vir austeræ cõuersationis & sanctæ vitæ, ità vt prẹter Dñicam & quintam feriam nihil in hebdomada penitùs comederet, sæpè etiam noctes integras peruigil in oratione transigeret. Magnis effulsit virtutibus. Claruit anno Domini 670.

De sancto Eatta Episcopo.

CAP. CXXV.

EATTA ex Abbate Mailrosensis cœnobij, Episcopus Hagulstatẽsis siue Lindesfarnensis, vir mãsuetissimus ac simplicissimus, sua sancta prẹdicatiõe & religiosissima conuersatione multas ad Christum animas reduxit. Claruit anno Dñi 680.

De sancto Boisilo Abbate.

CAP. CXXVI.

BOISILVS monachus & Præpositus Mailrosensis cœnobij, sub Abbate p̃fato Eatta, vir in diuinis scripturis doctus & eruditus, morumque sanctimonia insignis, beati Cuthberti pontificis in monasterio positi, præceptor fuit. Claruit magnis virtutibus radians, & prophetię spiritu illustratus, anno Domini 680.

De sancto Cuthberto Episcopo.

CAP. CXXVII.

CVTHBERTVS ex discipulo & monacho sancti Boisili, Præpositus primùm Mailrosensis cœnobij post mortem ipsius, ac deindè insulæ Lindisfarnensis, cùm esset vir doctus atque sanctissimus, ob gratiã prædicationis, quam copiosam à Deo acceperat, Episcop⁹ Lindesfarnensis à rege Egfrido constitutus est: in quo officio infinitis fertur claruisse miraculis. Claruit anno Domini 680. Cuius festum 13. Calendas Aprilis agitur.

De sancto Odeuualdo Abbate.

CAP. CXXVIII.

ODVVALDVS monachus & presbyter, successor beati Cuthberti, in exercenda vita solitaria, quam in insulæ Farnæ habitator ante Episcopatum gerebat, vir sanctus atque venerabilis, cuius vita fuit multis virtutibus inclyta, & clara miraculis. Claruit anno Domini 690.

De sancto Iohanne Episcopo.

CAP. CXXIX.

IOHANNES ex monacho post Eatam Episcopus Hagustaldẽsis, vir sanctus & Deo dilect⁹, maximis in vita miraculis clarus effulsit. Et secundùm, quod Eata priùs fuit Episcopus Lindisfarnẽsis, sed ad Hagustaldensem Ecclesiam translatus, beato Cuthberto Lindesfarnensem Ecclesiam, consensu regis & Synodi, regendam commisit. Moritur autem sanctus Iohannes Episcopus anno Domini 721. Episcopatùs autem sui, 33.

De sancto Egberto monacho.

CAP. CXXX.

EGBERTVS monachus & presbyter, ac monasteriorum sancti Columbani in Hybernia & Britãnia rector & Abbas, sanctissimæ conuersationis vir, in prædicatione verbi Dei studium habuit & gratiam. Huius discipulus fuit sanctus Vuillebrordus Traiectensis Episcopus. Claruit anno Domini 700.

De sancto Kiliano Episcopo & martyre.

CAP. CXXXI.

KILIANVS ex monacho Herbipolensis in Franconia Episcopus, natione Scotus, ex insula Hyberniæ, vir sanctus & Deo dilect⁹, pro Christi amore peregrinus effectus, p̃dicans verbum Dei, venit in Germaniam, vbi multas animas ad veram fidem sua doctrina & exemplo adduxit. Tandem martyrio coronatus, ad cælestia regna feliciter transmigrauit 8. Idus Iulij. Claruit anno Domini 680.

De sancto Colonato monacho.

CAP. CXXXII.

COLONATVS monachus & discipulus beati Kiliani martyris, egressus cũ eo de monasterio, amore Christi peregrinatur in Germania: qui bono & sancto præceptori vsque ad mortem fideliter adhærens, martyrij coronam cum ipso meruit accipere immarcescibilem, 8. Idus Iulij. Claruit eodem tempore, quo Kilianus.

De sancto Tornano monacho.

CAP. CXXXIII.

TORNANVS monachus & discipulus sancti Kiliani Episcopi & martyris,

ac socius passionis, vir multùm religiosus & deuotus, à bono magistro non degenerans, stolam carnis suæ cum illo in sanguine agni meruit dealbare. Quorũ vita cum passione scripta est. Martyrizatur autem eodem die cum suo pontifice, 8. Idus Iulij, vt dictum est.

De S. Marino Abbate, martyre.
CAP. CXXXIIII.

MAVRINVS Abbas, vir sanct. & Deo dilectus, virtutibus clarus enituit. Hic ab infirmitate à beato Præiecto Auernorum Episcopo, cùm per eius monasterium ad regem Frãciæ pergeret, curatus, magnam sanctitatis illius cepit experientiam. Cùmq; sanctus præsul à rege reuertẽs ad cœnobium Maurini venisset, beatus Abbas cum eo iuit, vt sicut se inuicèm diligebant, ità simul martyriũ consummarent. Cùm ergò in atriolo cuiusdã basilicæ orarent, irruẽtes Próceres ciuitatis, Maurinum occiderunt, putantes se interemisse pontificem. Cumque Præiectum viderent à latere viuum cõsistere, impetu facto, etiam illum occiderũt, in odium & vindictam Hectoris Massiliensis patricij, ab Hilderico Francorum rege interempti propter iniustitias Aluernẽsi Ecclesiæ ab eo illatas. Claruit autem beatus Marinus anno Domini 670.

De sancto Leodegario Episcopo & martyre.
CAP. CXXXV.

LEODEGARIVS Abbas monasterij sancti Maxentij Pictauiẽsis, & postea Episcopus Augustudunensis, vir sanctus & iustitiæ Christianæ amator, apud reges Franciæ, Lotharium & eius filium Lotharium iuniorem, & Hildericũ, suo tempore in magno precio habebatur. Hic tandèm pro iustitia ab impio Ebroino apostata interfectus, per multos cruciatus martyr gloriosus efficitur. Ad cuius corpus post mortem infinita miracula facta sunt. Claruit anno Domini 685. cuius natale celebratur sexto Nonas Octobris.

De sancto Leufredo Abbate.
CAP. CXXXVI.

LEVFREDVS Abbas monasterij, quod in diœcesi Ebroicensi modò, de cruce sancti Leufredi, appellatur, qui ex eodem territorio de parentibus nobilibus natus, vanam mundi pompam pro Christi amore cõtemnens, eremũ petijt: ac prædictum monasterium fundans, multis monachis impleuit. In quo sanctè viuens, miraculis coruscauit. Eius festum 11. Calendas Iulij colitur. Claruit anno Domini 680.

De S. Vuillebrordo Episcopo.
CAP. CXXXVII.

VVILLEBRORDVS cognomẽto Clemẽs, monachus Ripensis cœnobij in Anglia, discipulus S. Eggeberti, de quo suprà diximᵘˢ, cùm amore pdicandi verbũ Dei ferueret, cum duodecim fratribus exiẽs de Anglia, venit in Galliã: ac demùm rogante Pipino inclyto rege, à Sergio Papa Episcopus Traiectensis inferioris ordinatus est Romæ in die sanctæ Cęciliæ, anno ab incarnatione Domini 693. Suscepto autem Episcopatu, longè lateq; verbum Dei prædicans, plures ecclesias & monasteria construxit. In quibus est illud insigne, vbi corpore quiescit, Epternacẽse in diœcesi Treuerensi, cooperatibus B. Irmina Abbatissa & Pipino principe semp honorando. Durauitq; in Episcopatu vltra annum Dominicæ incarnationis 730. Eius festum 7. Idus Nouembris celebratur.

De sancta Irmina Abbatissa.
CAP. CXXXVIII.

IRMINA prima Abbatissa monasterij, quod ipsa in ciuitate Treuerensi fundauerat, quod Horreum dicitur, vulgariter Oëren, filia inclyti regis Dagoberti, virgo sanctissima, multis & in vita & post mortem fertur claruisse miraculis. Nos igitur cùm sanctissimæ caput eius habeamus incorruptum, sub eiusq; patrocinio non mediocriter gaudere debeamus, libet de conuersatione ipsius modicùm altiùs sermonem contexere, & cuius meriti fuerit virgo, pro posse demonstrare. Hanc, cùm adhuc esset iuuencula, Hermannus quidam Comes Gallicanus permagnificus, magna sibi dote assignata in Tyrasio & alijs locis, desponsauerat, sed antequàm dies nuptiarum aduenisset, morte sublatus, virginem tristem reliquit. Dagobertus autem pater filiæ rex inclytus, eam consolans, aiebat: Quid, filia, tristaris de occubitu sponsi, quẽ non ignorabas mortalem? Num lachrymis putas reuocandum ab inferis? Tu quandoquẽ sequéris: nũquàm ille reuertetur. Quiesce igitur, oro, ab inutilibus lachrymis, ac ego tibi ditiorem potentioremq; maritum polliceor. At virgo iam Christi desponsata castis amplexibus, patri tale fertur dedisse respõsum: Ego, genitor amande, nedùm ditiorem potentioremq; Hermãno sponsum elégi, sed etiam omnibus dominãtem potentissimũ regem Christum, æterni patris filiũ, cui me deuoui, cuius seruitio me mãcipabo. Itaq; rex pietate & religione mirificᵘˢ, cùm audisset natæ verba dulcissimæ, (quanq; eã alicui terreno principi copulare disposuisset) eius sanctę voluntati consensit, eique ad vota concurrens, pro ædificandis cœnobijs magnificentia sua multa prædia & donationes conferebat. Sancta igitur virgo voti sui compos effecta, Dominum

minum laudabat, sed totam in eius amorem transferens, nihil amabat terrenum, nihil dilexit caducum. Proficiens igitur & succrescens in virtute Dei, ne aliorũ quoque salutem videretur negligere, monasterium in honore beatæ Mariæ semper virginis solenne fundauit in Horreo Dagoberti patris sui in vrbe Treuerica, sicut iam diximus: vbi multas in Christi famulatu sorores congregans, mater earum & Abbatissa, omnium consensu constituta est. Qualem verò se in officio suo præbuerit, nec huius temporis est edicere, nec nostræ facultatis. In cuius pectore Christi feruebat amor, quo succensa, magna & stupenda in Dei laudem faciebat. Ab eius mente nunquàm oratio defuit, quæ etiam in precibus sæpè pernoctauit. Carnem suam sedule domabat ieiunijs, dum animam oratione & meditatione scripturarum enutriret. Hanc beatus Vuillebrordus singulari amore in Christo diligebat, cui sanctissima virgo medietatem fisci Epternacensis cum omnibus suis appendicijs, pro construendo monasterio fratrum, contulerat, quē de suo patrimonio hactenùs possidebat. Quódam tempore beatus præsul Vuillebrordus de Traiecto veniēs, sanctam virginem Irminam Treuiris visitauit: Cùm ecce pestis lethifera sanctimoniales de Horreo inuaserat, ità vt subitò infirmatæ caderent, & vsque ad animam mors videretur pertingere. Aduocatus sanctus Vuillebrordus, post castigationis exhortamenta, post consolationis medicamina, pro salute earum salutarem victimam obtulit, & benedicens aquam, omnia habitacula cœnobij adspersit, & exterminatoris angeli gladium mox ab eis propulsauit. Hic etiam beatissimus pontifex parochialem ecclesiam sancti Pauli iuxta Horreum, à sancta Irmina cum duodecim præbendatis fratribus institutam, eodem tempore dedicauit. Sancta autem virgo, vt se dignam Christo sponsam redderet, totis viribus insistebat obseruantiæ regulari, quã suo tempore in eodē monasterio multis virtutibus roborauit: tandem post multos labores à Domino Iesu ad thalamum æternæ felicitatis vocata, non sine manifestis indicijs sanctitatis, beata illa anima carne exuta, transuolauit ad cælos nono Calendas Ianuarij, illucescente iam die ipsa Christi natiuitatis. Eius autem festum, propter natalem Domini diem, ad decimum Calendas Ianuarij, celebrandum præuenitur. Huius corpus post multos annos de sepulcro leuatum, integrum & sine corruptione inuentum est. Sicut etiam capitis eius sacratissimi decor demonstrat, quod nos in nostro habere cœnobio Spanhemensi, suprà iam diximus. Reliqua autem pars corporis, in monasterio sanctorũ Petri & Pauli su Vuissenburg recondita dicitur. nam in monasterio suo Treuerensi, parùm de eius reliquijs nouimus haberi. Claruit anno Domini 710.

De sancto Euualdo martyre.

CAP. CXXXIX.

EVVALDVS cognomento Niger, monachus in Anglia Ripensis cœnobij, vir in diuinis scripturis valde doctus, ac Dei verbi feruentissimus prædicator, prouocatus exemplo beati Vuillebrordi pontificis, cum socio infrà scripto exiuit de Anglia, & veniens in Saxoniam, vt ibidem barbaris fidem Christi annunciaret, ab eis longo cruciatu corporis martyrizatus est quinto Nonas Octobris: nec defuerunt martyrio eius & socij sequentis cælestia miracula. De quibus Beda in quinto volumine Ecclesiasticæ historiæ fecit mētionem. Claruit anno Domini sexcentesimo septuagesimoquinto.

De S. Euualdo alio martyre.

CAP. CXL.

EVVALDVS cognomēto Albus, monachus Ripensis monasterij, socius beati Euualdi iam dicti, qui cum eo de Anglia in Saxoniam verbum Dei prædicaturus aduenιens, martyrium capitis abscissione compleuit, eodem die quintò Nonarum Octobris. Fuerunt autem de Anglia nati, sed in Hybernia pro æterna patria multo tempore exulauerunt, donèc ad imitationem beati Vuillebrordi, prædicationis gratia in Saxoniam venientes, martyrizati sunt. Corpora eorum apud Coloniam sepulta feruntur. Claruerunt anno Domini 675.

De sancto Adelmo Episcopo.

CAP. CXLI.

ADELMVS ex Abbate Maldubiensis cœnobij, Episcopus Occidentalium Saxonum, in Anglia, vir doctus atque sanctissimus, multa ad vtilitatem Ecclesiasticam composuit, sicut ex parte in secundo libro iam diximus. Erat enim prædicator deuotus, & factor verbi eximius. Claruit anno Domini 700.

De sancto Pechtelmo Episcopo.

CAP. CXLII.

PECHTELMVS Episcopus Candidæ Casæ in Anglia, monachus Maildurbiensis, socius beati Adelmi pontificis, & multis annis cum eo in cœnobio conuersatus vir doctus & sanctus, magnis in diebus suis effulsit virtutibus. Huius festum Idibus Iulij celebratur. Claruit anno Domini 710.

De

De sancta Modesta Abbatissa.
CAP. CXLIII.

MODESTA Abbatissa cuiusdam cœnobij in vrbe Treuerica, beatæ Gertrudi valdè familiaris & dilecta fuit. Hæc quadam die ante altare beatæ Mariæ Virginis prostrata, cùm oratione finita surrexisset, subitò vidit ad dexterã altaris sanctam Gertrudem stantem, quæ dixit ad eam: Soror Modesta, certissimè scias me hodiè in eâdẽ hora de habitaculo carnis absolutam. quo dicto, disparuit, & ità factum est. Claruit anno Domini 680. Cuius festum pridiè Nonas Octobris colitur. Volunt autem quidam, quòd hæc sacrata virgo fuerit secunda Abbatissa in Horreo Treuerensi. quod an ità sit, temporis dissensio me non sinit discernere. Probet alius.

De sancto Balthfrido monacho.
CAP. CXLIIII.

BALTHFRIDVS monachus solitarius, cum quo beatus Vuandregisilus Abbas in monte Falconis aliquandiù habitauit, vir deuotus & sanctus, multis in hac vita legitur claruisse virtutibus. Floruit anno Domini 670.

De sancto Eruualdo monacho.
CAP. CXLV.

ERVVALDVS monachus & discipulus sancti Kiliani martyris atque pontificis Herbipolensis, egressus cum eo de Scotia ad prædicãdum verbum in Franconia, martyriũ cum magistro sancto perfecit 8. Idus Iulij. Claruit autẽ anno Domini 680.

De sancto Lebuino monacho.
CAP. CXLVI.

LEBVINVS monachus Ripẽsis in Anglia, discipulus sancti Vuillebrordi Traiectensis Episcopi, & socius peregrinationis eius atque laboris, pro Christo ad exemplum boni magistri ambulans, multas virtutes sermone perfecit & opere.

De S. Vuernfrido monacho.
CAP. CXLVII.

VVERNFRIDVS monachus & discipulus sancti Vuillebrordi põtificis, de Anglia cum eo gratia prædicationis venit in Phrisiam, vbi fortiter instans verbi sanctæ conuersationis laborauit vt bonus miles Christi Iesu: à quo tandem laborum suorum mercedem gloriosam, deposita sarcina carnis, meruit accipere 19. Calẽdas Septembris. Claruit anno Domini 700.

De sancto Bonifacio Papa.
CAP. CXLVIII.

BONIFACIVS ex monacho S. Sebastiani in vrbe, huius nominis quartus, vir sanctus & Deo dilectus, impetrauit à Phoca Cæsare, vt in veteri fano, quod Pantheon vocabatur, & à Domitiano imperatore constructum erat, ecclesiam in honore beatę Marię semper virginis & omnium Sanctorum posset cõsecrare. Sedit in pontificatu secundùm Chronicas annis sex, mensibus octo, cuius festum 8. Calendas Aprilis agitur. Claruit anno Domini 608.

De sancto Adeodato Papa.
CAP. CXLIX.

ADEODATVS ex monacho cœnobij, quod in Cęlio monte situ est, sanctæ Romanæ & Vniuersalis Ecclesiæ, post Vitalianum Pontifex clementissimus, deuotus & sanctus, hospitalitatis cultor insignis, omniq; decorus virtute, sedit in pontificatu annis quatuor, mensibus duobus, cuius natale 17. Calendas Augusti agitur. Claruit anno Domini 670.

De sancto Agathone Papa.
CAP. CL.

AGATHON prim⁹ Papa ex monacho, natione Siculus, vir sanctissimæ vitæ, adeò vt leprosum obuium habẽs, osculando mox à lepra sanauerit. Tãtæ clementię & pietatis extitit, vt neminẽ à se inconsolatum abire permitteret. Sedit in pontificatu annis duobus, mensibus sex. Moritur quarto Idus Ianuarij, anno Domini 677.

De sancto Benedicto Abbate.
CAP. CLI.

BENEDICTVS Abbas monasterij sanctorum Petri & Pauli Apostolorum in Anglia, præcepto venerabilis Bedæ presbyter, vir doctus & valdè religiosus, cuius etiam nonnulla extant opuscula. Hic Bedam puerulum quasi septem annorum, suscepit ad ordinem. Claruit anno Domini 670. Cuius festum pridiè Nonas Decembris celebratur.

De sancto Balderico monacho.
CAP. CLII.

BALDERICVS monachus in monte Falconis, vir deuotus, & sanctæ obseruantiæ monasticæ ex toto deditus, qui verbo & opere multis præbuit exemplum imitandæ virtutis, magna suæ sanctitatis fertur reliquisse indicia. Huius festum 17. Calendas Nouembris colitur.

De sancto Adamãno Abbate.
CAP. CLIII.

ADAMANNVS Abbas monasterij, quod B. Columbanus olim in insula Hu fundauit in Hybernia, vir doctus & sanctus, & pater multorũ monachorum, sua prædicatione sanctissima plurimãm partem Scotorum in Hybernia, & etiam Britones in Britannia, ad debitum paschalis celebritatis tempus reduxit. Claruit anno Domini 700.

De sancto Ceolfrido Abbate.

CAP. CLIIII.

CEOLFRIDVS Abbas monasterij sanctorum Petri & Pauli in Anglia, post Benedictum, sub quo Beda, toto notus in orbe, multa volumina scripsit, vir doctus & monastica religione venerabilis, cùm esset annorum septuagintaquatuor, causa deuotionis Romam venit. Qui vbi in redeũdo Lingonas peruénit, ibi defunctus est, atque in ecclesia beatorum Geminorum martyrum sepultus, anno Domini 717. ætatis (vt diximus) 74. presbyteratus verò, 44. Abbatialis autem officij, 35.

De sancto Beda monacho.

CAP. CLV.

BEDA monachus & presbyter in eodem monasterio sanctorum Petri & Pauli Apostolorum in Anglia, vir doctus & sanctus, per sua studia toto notus in orbe, multa ad vtilitatem Ecclesiæ composuit volumina, de quibus in secundo libro iam fecimus mentionem. Hic in extremo natus orbis angulo, cùm esset puer septem annorum, sub magisterio Benedicti Abbatis in præfato monasterio nutriendus à parentibus traditur: in quo mirabiliter proficiens, Anglorũ doctor clarissimus effulsit. Anno vitæ suæ 19. diaconus factus est, 30. presbyter, ex quo tẽpore vsq; ad vltimum vitæ suæ docere aut scribere non destitit, & sicut ipse per se fatetur, nihil illi dulcius erat, quàm diuinas legere sedulò & exponere scripturas. Huius doctrina tãto precio digna habita est, vt Sergius Papa ab vrbe Roma Ceolfrido Abbati eius scripserit in Angliã, petẽs eum & exhortans, vt sine omni cõtradictione famulum Dei Bedam, ad limina destinaret Apostolorum, eô quòd ei⁹ pręsentia in arduis causis fidei, Ecclesię Dei valdè vtilis esset & necessaria. Iam enim fama eius se longè lateq; per orbem disperserat. Ità iã celebre erat nomen eius, vt in quæstionibus enodandis indigeret eo sublimitas Romana. Et tantis planè condigna laus studijs: quippe qui ex eo tempore, quo legere poterat, à sacra lectione & studio minimè cessabat. Semper mens deuota studijs occupabatur salutaribus: quibus legit, scripsit, vel docuit. Erat ei mos, ex lectione vehementer accendi & compungi, ità vt sæpe inter legendum & docẽdũ lachrymas calidas effunderet. Vndè post lectionem vel studium, ad orationes sanctas doctor deuotus se contulit, sciens magis Dei gratia, quàm ꝓprijs viribus, ad sciẽtiam perueniri scripturarum. O virum, cũctis venerandũ seculis, qui & mentis habitaculum orationibus, & Ecclesiam doctrinis illustrauit. Nullius vnquàm nonnum Bedam vidit ociosum. Vehementissimè amore studij sacri æstuabat, ità vt ne ad momẽtum quidẽ potuerit esse ociosus. Cùm enim ad monasteriũ puer intrasset, intantùm studendo profecit, vt nõ solùm in sacris scripturis, sed etiam in secularibus literis vltra omnes Angliæ doctores peritissimus euaserit. Scripsit de omnibus artibus, quas liberales vocãt, tractatus plures atq; pulcherrimos. In extremo mũdi, vt ità dicam, positus, Græcam linguã magna ex parte didicit, & nec Hebraicæ penitùs indulsit. Habuit multos egregios discipulos, quos suo studio & exẽplo ad amorem scripturarum inæstimabili feruore prouocabat. Nec solùm studijs, sed, quod ijs amplius est, religiõe & sanctitate, quos docuit, fecit insignes. Fuit aũt vir per omnia magnificus, scientia & morum honestate venerabilis. Charitate siquidem refulsit geminata sublimis, deuotione præcipuus, castimonia vitæ gloriosus. Erat aũt decentis staturæ, incessu grauis, voce sublimis, ore facũdus, vultu decorus, & quædam iucunditati mixta seueritas. Vndè bonis & deuotis erat affabilis, superbis aũt & negligentioribus terribilis. Sic ità mansuetum & humilem cũctis exhibuit, vt in toto monasterio vix haberet æqualẽ. Quicquid aũt studendo & meditando de scripturis potuit appræhẽdere, sine inuidia communicabat ijs, quos idoneos viderat, & in amore scientiæ salutaris flagrantes. De tota Anglia viri confluebant ad eum, cupientes sub eius magisterio & morũ & scientiæ scripturarum incremẽta suscipere. Nam eius conuersatio, intuentibus norma totius religionis erat & honesti. Et qd multis nitar sermonibus? talis ac tantus erat vir iste sacratus, vt omnis latus eius virtutibus sit prorsùs inferior. O vtinàm tale iam studium amarent monachi: quàm felix esset status religionis. Amator veræ scientiæ erat is, de quo loquimur: qui non battologiam, sed virtutẽ in studio quærebat. Nam incuriosi fuit, sed dulcis eloquij. Tandèm post multos labores, quos scribẽdo & docendo impenderat, animo toto suspirãs ad patriam, debilitatem incidit, cõtinuisq; septem hebdomadibus ante mortem, stomachi indignatione cibos nauseantis laborans, & angusto spiritu halitum producens, studium tamẽ literarũ nequaquàm obmisit, sed totis ijs dieb⁹ (præter debitũ Psalmodiæ pensum) illi intendebat, Euangeliumq; Ioãnis ijs dieb⁹ Anglica lingua interpretat⁹ est. Discipulis aũt discendi amorẽ ingerens, dicebat: Discite filioli, quàm diù vobiscũ sum. Feria aũt tertia ante ascẽsionem Domini, modicus tumor in pedibus apparuit: tunc accita cõgregatione, cõmunicatus & inunctus est, osculoque cunctis libato, futuram

suū memoriam à singulis implorauit. Nonnullis etiam, ob familiarem amicitiam, xeniola, quæ in secretis habebat, largitus est. Die ascēsionis Domini cōtra oratorium, quo orare cōsueuerat, subiecto cilicio decumbens, illibato sensu & hilari vultu dicebat: O rex gloriæ Domine virtutum, & cætera vsque in finem antiphonæ. Qua finita, spiritum efflauit. Mox tam suauissimus odor subsequutus est, vt omnes, qui aderant, in paradiso se esse putarent. Huius Epitaphium est tale:

Presbyter hic Beda requiescit carne sepultus.
Dona Christe animā in cælis gaudere per æuum,
Daq; sophiæ illum debriari fonte, cui iam
Suspirauit ouans intento semper amore.

Fuit primò sepultus in cœnobio suo, ac posteà cum sancto Cuthberto in Dunelim translatus dicitur. Obijt anno Domini 733. ætatis verò suæ 72. sub Leone imperatore. cuius natale 7. Calendas Iunij colitur.

De sancta Seuera Abbatissa.
CAP. CLVI.

SEVERA Abbatissa sancti Symphoriani Treuerensis, virgo sanctissimę conuersationis, magnis claruit æuo suo virtutibus. Hæc fuit soror beati Rodoaldi Archiepiscopi Treuerorum, & sanctæ Ittæ, matris beatæ Gertrudis virginis. Idem Rodoaldus Episcopus construxit monasterium in Horreo sumptibus beatæ Irminæ, de qua suprà diximus, eamque constituit Abbatissam. Construxit etiam cœnobium sancti Symphoriani, cui Seueram hanc sororem suam præfecit in Abbatissam, quæ mortua, in eodem loco ab eo sepulta est. Cuius festum 13. Calēdas Augusti celebratur. Claruit anno Domini 670.

De sancto Vrsmaro Episcopo.
CAP. CLVII.

VRSMARVS ex Abbate Lobiensis cœnobij Episcopus Bobiensis, vir doctus & sanctus, diuinique verbi prædicator insignis: qui prædicans temporibus Dagoberti, in prouincia Flandrensi multas construxit ac construi fecit ecclesias. Huius vitam Herigerus Abbas luculento stylo descripsit. Claruit anno Domini 700. Cuius festum celebratur nono Calendas Maij.

De sancta Adela virgine.
CAP. CLVIII.

ATHELA filia Dagoberti regis, virgo deuotissima, soror beatæ Irminæ virginis, prima Abbatissa cœnobij sanctimonialium, quod beatus Rodoaldus Treuerorū antistes in palatiolo construxit, ab eodem constituta. Christum sponsum eligens, omnem pompam terreni principatūs pro eius amore contempsit. Claruit anno Domini 710.

De sancto Basino Episcopo. Treuerensi.
CAP. CLIX.

BASINVS Archiepiscopus Treuerensis quinquagesimussextus, ex Abbate monasterij sancti Maximini ibidem, frater ducis Lothringiæ nobilissimꝰ fuit, qui nobilitatem generis fide & moribus ritè commendans, magnis virtutibus clarus effulsit. Eius natale quarto Nonas Martij colitur. Claruit anno Domini 720.

De sancto Heruuino Episcopo.
CAP. CLX.

HERVVINVS Episcopus Lobiensis, ex Abbate ibidem, beati Vrsmari successor, vir doctus & sanctus, & amator obseruantiæ regularis, magnis virtutibus tam in cœnobio, quàm in Episcopatu refulsit, ità vt sancti pōtificis dignus successor haberetur & esset. Eius natale 7. Calendas Maij colitur. Claruit anno Domini 720.

De S. Gregorio Papa secundo.
CAP. CLXI.

GREGORIVS Papa secūdus ex monacho, patria Romanꝰ, vir doctissimus, & hæreticorum expugnator egregius, multa sanctitate & virtute refulsit in populo, successit autem Constantino Pontifici, & sedit in cathedra Petri annis 16. mensibus octo. Hic vir sanctissimus Bonifacium Scotum, nostri ordinis monachum, ad sedem Moguntinensem ordinauit Episcopum, de quo in sequentibus, largiente Deo, dicemus. Huius Gregorij hortatu Petronax, ciuis Brixiensis ditissimus, atque deuotus, monasterium sancti Benedicti, quod Longobardi in Cassino monte olim destruxerant, suis expensis & impensis à fundo restaurauit, anno post desolationem suam 112. Moritur autem hic beatissimus Pontifex anno Domini 732. tertio Idus Februarij, Indictione 14.

De sancto Aegidio Abbate.
CAP. CLXII.

AEGIDIVS monachus & Abbas, natione Græcus, patria Atheniensis, venit de Græcia pro Christo peregrinus ad ciuitatem Arelatensem, vbi cum sancto Cæsario nostri ordinis Episcopo mansit per biennium, & tandem fugiens ad eremum, regis præcepto monasterium construxit, & Abbas monachorum efficitur. Multis tam in vita, quàm etiam post mortem legitur claruisse miraculis. De hoc sanctissimo viro mihi etiam in secundo libro videor fecisse mentionem. Nam & aliqua scripsisse perhibetur. Claruit anno Domini 740. Cuius natale Calendis Septembris agitur.

De

De sancto Vendemio monacho.

CAP. CLXIII.

VENDEMIVS monachus & discipulus sancti Aegidij, qui cum eo per annos aliquot stetit in eremo, antequàm fundâsset cœnobiũ, vir sanctissimæ conuersationis, adeò vt etiam præsente Aegidio, multis effulserit miraculis, sicut in vita ipsius legitur. Claruit anno Domini 730.

De sancto Liefardo monacho.

CAP. CLXIIII.

LIEFARDVS monachus & socius sancti Leonardi Abbatis, vir deuotus & sanctus, ac monasticæ religionis studiosus discipulus, fertur etiam magnis in vita claruisse virtutibus. Cuius natale tertio Nonas Iunij suo loco celebratur & agitur.

De sancto Albino Episcopo.

CAP. CLXV.

ALBINVS Episcopus Andegauensis ex monacho Timlacensis cœnobij, vir deuotus & sanctus, multis in vita claruit miraculis, ità vt etiam mortuum suscitauerit. Hic Veneticæ regionis, Oceani Britannici confinijs, indigena fuit: cuius inclyta gesta habentur. Qui virtutum floribus adornatus, viginti annis & mensibus sex pontificalem dignitatem moderãs, & octogesimum ætatis annum feliciter explens, Calendis Martij migrauit ad Dominum. Claruit anno Domini 720.

De sancto Suuigberto Episcopo.

CAP. CLXVI.

SVVIGBERTVS Episcopus Vuerdensis sub Archiepiscopo Coloniensi, monachus & socius sancti Vuillebrordi pontificis, vir sanct⁹ & prędicator egregius, multis virtutibus in sancta conuersatione effulsit. Eius natale Calendis Martij colitur. Hic cum sancto Vuillebrordo causa prædicationis venit de Anglia, fuitque primus antistes præfati loci. Requiescit autem in imperiali Vuerda super Rhenum, quæ vulgò Keisersuuerda dicitur. Claruit anno Domini 720.

De sancto Vuillico monacho.

CAP. CLXVII.

VVILLICVS monachus & discipulus sancti Suuigberti pontificis, & socius laborũ & peregrinationis eius ꝓ Christo, vir doct⁹ in scripturis diuinis, & Christianæ fidei fortissimus amator & prædicator, etiam suæ sanctitatis euidentia reliquit indicia. Iacet cum suo præceptore in præfata Vuerda sepultus, cuius natale sexto Nonas Martij colitur. Claruit anno Domini 720.

De sancto Vulframo Episcopo.

CAP. CLXVIII.

VVLFRAMVS Archiepiscopus Senonensis, natione Vasconiensis, cuius pater Vulbertus in aula regis Dagoberti & filij eius Lodouici militauit, vir certè doctus & sanctus, qui diuina admonitione fidẽ Christi prædicauit ante Bonifacium in Frisia, & Rathbodum ducem, qui positum ad baptismum pedem stultus retraxit, cum suo diabolo & eius phãtasticã paradiso confudit. Claruit multis miraculis, qui tãdem resignauit Episcopatum, & factus est monachus in cœnobio ꝓfato Fontanellensi. Obijt in eodem monasterio 13. Calendas Aprilis, anno Domini 720. & sepultus est iuxta sanctũ Vuandregisilum.

De sancto Deusdedit Episcopo.

CAP. CLXIX.

DEVSDEDIT ex monacho in Anglia, sextus Archiepiscopus Doruernensis Ecclesiæ, quæ nunc Cantuariensis dicitur, vir monasticis disciplinis optimè institutus, & à iuuentute exercitatus, rexit Episcopatum strenuè cum multis virtutibus nouem annis & quatuor mẽsibus. Moritur 7. Calẽd. Aprilis anno Domini 664.

De sancto Vuillefrido Episcopo.

CAP. CLXX.

VVILLEFRIDVS Episcopus Eboracensis, primùm monach⁹ insulæ Lindesfarnẽsis, & deindè Abbas Ripensis cœnobij, ac postremò ꝓfatæ vrbis Archipontifex, vir deuotus & sanctus: cùm esset puer annorum quatuordecim, mundũ contempsit, & Christum in humilitate sequẽs, intrauit cœnobiũ. Hic fuit Romæ in concilio sub Ioanne Papa, & ab omnibus amabilis Deo præsul comprobatus est. Eius natale 4. Idus Octobris colitur. Claruit anno Domini 700.

De S. Bonifacio Archiepiscopo & martyre.

CAP. CLXXI.

VVINFRIDVS, qui & Bonifacius, primus Archiepiscopus Moguntinẽsis, ex monacho nostri ordinis, in Britannia Angliæ natus, vir doctus & sanctus: qui cùm esset puer quinq; annorum, tãto feruore apud patrem suum pro monachatu legitur institisse, vt vix ab eo potuerit obtinere licentiam. In monasterio igitur positus, qualiter vixerit, Vuillibaldus in volumine, quod de eius vita edidit, partim ostẽdit. Hic amore cęlestis regni suam patriam deserẽs, venit in Germaniam, & vbiquè semina diuini spargens verbi, à beato Gregorio Papa secundo, Episcopus Moguntinensis Ecclesiæ ordinatus est, ac deinde à Zacharia Papa in Archiepiscopum sublimatus. Tandèm prædicaturus Frisonibus fidem Christi, ab eis cum socijs suis martyrizatus est, anno Domini septin-

gentesimo 55. Indictione 8. Episcopatus sui anno 36. Nonis Iunij. Cuius corpus per eius successorem Lullum ad monasterium Fuldese in Bochonia, quod ipse fundauerat, relatum est.

De sancta Tecla Abbatissa.

CAP. CLXXII.

TECLA sanctimonialis fœmina, natione Anglica, quam S. Bonifacius, ob penuriam messorum spiritualis tritici, de Britania euocatam in Alemaniã, Abbatissam constituit iuxta Moganũ in loco, qui dicitur Eizzingen, vt ibi quasi lucerna in caliginoso loco luceret, aliosque ad monasticæ imitationẽ vitę suo exemplo prouocaret. Nam vsq; ad hęc tẽpora, monasteria in Alemania, maxime virginũ, pauca habebantur. Sancta aũt fœmina, multas in eodem loco animas Christo congregans, tandẽ in pace quieuit. Claruit anno Dñi 730.

De S. Lioba virgine Abbatissa.

CAP. CLXXIII.

LIOBA virgo sanctissimæ conuersationis, natione Anglica, à B. Bonifacio de Britania euocata, prima Abbatissa ab eodem constituta est cœnobij, quod ipse in Biscofesheim fundauerat. Quæ multitudini virginũ in eodem loco rectæ vitæ normulam docendo & viuẽdo præbuit. Claruit anno Domini 730. Cuius festum 4. Calendas Octobris celebratur.

De S. Bosone monacho martyre.

CAP. CLXXIIII.

BOSO monachus & discipulus S. Bonifacij Episcopi & martyris, natione Anglicus, qui de Britania vocatus ab eo, venit in Germaniã, & deinceps socius prędicationis & laboris eius, ad extremũ cum eo pro fide Christi occubuit in Frisia, anno Domini 755. Nonis Iunij. Passi sunt cũ eis & alij quinquaginta, monachi, clerici & laici, quorum nomina in libro vitę scripta, à nobis ignorantur.

De S. Adelario Episcopo martyre.

CAP. CLXXV.

ADELARIVS Episcopus Erfordensis vnicus, monachus & socius beati Bonifacij Archiepiscopi Moguntini, vir doct⁹ & sanctus, postquàm multos pro fide sustinuit labores prędicando & docendo, nè bono comite priuaretur Vuinfrido, etiam martyrio rubricatus euolauit ad superos 12. Calendas Maij. Claruit anno Domini 740.

De S. Cobano Episcopo martyre.

CAP. CLXXVI.

COBANVS Episcopus Traiectẽsis, monachus natione Anglicus, B. Bonifacij coadiutor & socius, vir erudit⁹ in diuinis scripturis, & prædicator egregius, morumq; honestate insignis atq; conspicuus, post multos tãdem labores, pro fide Christi effuso cruore sacro, martyr efficitur. Claruit anno Domini 740.

De sancto Gunthero martyre.

CAP. CLXXVII.

GVNTHERVS monach⁹ & discipulus S. Bonifacij Archiepiscopi & martyris, vir deuotus & syncerus, qui lateri boni præceptoris semper adhęrens, cum eo tandem pro fide Christi martyr occubuit, Nonis Iunij in Frisia, anno Domini 755.

De sancto Hamundo martyre.

CAP. CLXXVIII.

HAMVNDVS diaconus, monachus & discipulus S. Bonifacij Archiepiscopi & martyris, natione Anglicus, vir sanctus & Deo dilectus, primus ante oẽs in sacro certamine pro fide Christi occubuit, sicut in passione B. Bonifacij legitur, Nonis Iunij, anno Domini 755.

De sancto Hildebrando martyre.

CAP. CLXXIX.

HILDEBRANDVS frater prędicti Hamũdi carnalis, monachus & discipulus S. Bonifacij, ac minister singularis, qui ad mensam ei seruire consueuerat: vir deuotus, & religionis cingulo magnificẽ decoratus, vnus etiam ex primis extitit, qui in hoc certamine gloriosè occubuerunt, Nonis Iunij, anno Domini 755.

De sancto Haruuolfo martyre.

CAP. CLXXX.

HARTVVOLFVS monach⁹ & discipulus eiusdẽ S. Bonifacij Archiepiscopi, vir & ipse doctus atq; deuotus, cùm sancto viro in vita semper adhærere studuisset, etiã in morte cũ eo martyrio coronatus, euolauit ad æthera, Nonis Iunij, anno Domini 755.

De sancto Adelhero martyre.

CAP. CLXXXI.

ADELLERVS monach⁹ & discipulus S. Bonifacij Archiepiscopi, vir doctus & in diuinis scripturis eruditus, atq; diuini verbi prędicator egregi⁹, simul cum supradictis martyrio coronatus, conscendit ad superos, Nonis Iunij, anno Dñi 755.

De sancto Stierbaldo martyre.

CAP. CLXXXII.

STIERBALDVS monach⁹ & discipulus S. Bonifacij Mogũtini Archiepiscopi sępè dicti & martyris, vir morib⁹ & scientia magnificè ornatus, post multos labores, quos fideliter pdicando impẽderat, vnà cũ sancto magistro socijsq; multis, tãdem martyrio coronatus, de prę̃senti exilio trãsiuit ad patriam, Nonis Iunij, anno Dñi 755.

De sancto Vuattaro martyre.

CAP. CLXXXIII.

VVAT-

VVATTARVS monachus & discipulus sancti Bonifacij præsulis & martyris, vir deuotus, & in verbi Dominici prædicatione zelosus, cum sancto pastore prædicationis gratia descendens in Phrisiam, vnà cum cæteris martyrium cõsummauit, Nonis Iunij, anno Domini 755.

De sancto Vualthero martyre.
CAP. CLXXXIIII.

VVALTHERVS monachus & discipulus sancti Bonifacij Archiepiscopi & martyris, cùm esset in eius seruitio continuus, etiam in morte ab eo non est separatus. Nam & ipse in Phrisia martyriũ consummauit, Nonis Iunij, anno Dñi 755.

De sancto Vuutringo martyre.
CAP. CLXXXV.

VVVTRINGVS monachus & discipulus eiusdẽ S. Bonifacij martyris, natione (vt credo) Alemanus, cum supradictis martyr in Phrisia pro fide Christi efficitur, Nonis Iunij, anno Domini 755. Habuit autẽ Bonifacius & alios socios & ministros multos, tam monachos quàm clericos, qui simul cum eo passi sunt, quorũ nomina in libro vitæ sunt scripta, quamuis à nobis ignorentur.

De sancto Burckardo Episcopo.
CAP. CLXXXVI.

BVRCKARDVS Episcopus Herbipolensis ex monacho, natione Anglicus, vir sanctus & Deo dilectus, qui multis fertur claruisse miraculis: sedit in pontificatu Vuirtzburgensi annis nouem, à sancto Bonifacio Mogũtino Archiepiscopo ordinatus. Claruit anno Domini 750. Cuius festum sexto Idus Octobris colitur. Eius autem vita diligenter conscripta est.

De sancto Vuillibaldo Episcopo.
CAP. CLXXXVII.

VILLEBALDVS primus Episcopus Eistetensis, à beato Bonifacio ordinatus, filius regis Anglorum Richardi, cũ patre & fratre regnũ terrenũ contemnens, pro amore Christi peregrinus factus, multis effulsit virtutibus. Hic cùm esset quinq; annorũ, in monasterio, quod Vualdheim vocatur, traditus est: in quo multùm proficiens, vir doctus & sanctus euasit. Post plures verò annos patriam deserens, venit Romam, ac deinde Hierosolymam: visitatisq; multis sanctorum locis, tandem monachus Cassinensis efficitur, decimo peregrinationis suæ anno. Tandem à Gregorio Papa tertio in auxilium Bonifacio Archiepiscopo dirigitur, & in Eistetensis Ecclesiæ præsulem consecratur. Eius vita scripta est. Claruit anno Domini septingentesimo quadragesimo. Cuius festum octauo Idus Iulij colitur.

De S. Lutuuino Archiepiscopo.
CAP. CLXXXVIII.

LVTVVINVS Archiepiscopus Treuerensis quinquagesimusseptimus, sancti Sabini ex sorore nepos, vir sanctissimæ conuersationis fuit. Hic priùs fuit Dux Lotharingiæ, & cùm omnia cœnobia, quæ reperit destituta præsidijs, dotâsset, cõstruxit aliud monasterium super Saroã, quod Mediolacense dicitur: in quo comam deponens, primùm monachus, ac deinde Abbas ibidem factus est: & postremò, vt diximus, Treuerorũ Episcopus. Claruit anno Domini 730. in eodem cœnobio Mediolacensi sepultus. Cuius festum tertio Calendas Octobris celebratur.

De sancto Vuinbaldo monacho.
CAP. CLXXXIX.

VVINBALDVS monachus Cassinẽsis cœnobij, frater sancti Vuillebaldi Episcopi, & socius peregrinationis eius, veniẽs cũ eo post multos labores ad montem Cassinum, & ibidem monachus effectus, multis effulsit virtutibus. Claruit anno Domini 740.

De sancta Amalberga virgine.
CAP. CXC.

AMALBERGA sanctimonialis, virgo nobilissima, regio genere orta, multas pro castitatis amore persecutiones sustinuit, dum Carolus rex Francorum suo eam vellet toro coniungere, & illa se non pateretur à Christi amplexib⁹ auelli. Multis claruit signis atque virtutibus etiam in pueritia. Fuit enim sanctæ & mũdæ conuersationis, Deoque ab infantia semper deuota. Hanc beatus Vuillebrordus sua cohortatione in Dei amore multùm roborauit, sicut in vita eius legitur, quę satis diligenter & prolixè conscripta est. Moritur autem beata virgo anno Domini 772. Indictione decima, sexto Idus Iulij, ætatis suæ anno 31. Eius corpus in cœnobio sancti Petri in monte Blandinio nostri ordinis, Gandensis territorij, postmodùm translatum est.

De S. Ebbone Archiepiscopo.
CAP. CXCI.

EBBO Archiepiscopus Senonẽsis post beatum Guericũ, qui sancto Vuulfrãno successit, vir sanctissimæ conuersationis, multis & in vita & post mortẽ claruit virtutibus: qui orbatus parentib⁹, à quibus hæreditatem amplissimã relictam sibi contemnens, in monasterio sancti Petri Senonis monachus factus est. Cuius loci postmodùm Abbas factus, indè ad pontificatũ electus est. Claruit anno Domini 740.

De sancto Eucherio Episcopo.
CAP. CXCII.

EVCHERIVS Episcopus Aurelianensis, vir doctus & sanctus, à Carolo rege ab Episcopatu deponitur, pro eo quòd illi contra Raginfredum eunti, vrbē Aurelianensem præ timore Raginfredi, aperire noluit. Qui sic depositus, in cœnobio sancti Trudonis monachorum conuersationi se subdidit, vbi in sanctitate & virtutibus vsque ad finem perseuerauit. Hic est Eucherius, qui animam eiusdem Caroli Martelli in pœnis vidit inferni, pro eo, quòd militibus suis decimas Ecclesiarum permiserat. Claruit anno Domini 760.

De sancto Lullo Archiepiscopo.

CAP. CXCIII.

LVLLVS monachus & discipulus sancti Bonifacij martyris, & post eum Ecclesiæ Moguntinæ Archiepiscopus secundus, natione Anglicus, vir sanctus & Deo dilectus, præfuit Ecclesiæ Moguntinæ trigintaduobus annis. Hic fundauit monasterium Hirsfeldense, cui præfecit Abbatem sanctum atque venerabilē Sturmum. Claruit anno Domini 775. cuius festum 17. Calendas Nouembris colitur.

De sancto Sturmo Abbate.

CAP. CXCIIII.

STVRMVS primus Abbas Fuldensis, beati Bonifacij martyris ac Præsulis quondàm monachus atque discipulus, vir sanctus, & regularis disciplinæ amator zelosus, multis claruit virtutibus. Moritur anno Domini 779. cuius natale 17. Calēd. Ianuarij colitur. Iacet in Fulda sepultus.

De S. Vuilhardo Archiepiscopo.

CAP. CXCV.

VVILHARDVS primus Episcopus Bremensis, monachus Epternacensis, cùm esset vir sanctissimæ conuersationis, & in diuinis scripturis eruditus, à Carolo imperatore Magno, præfatæ vrbis pontifex primus constitutus est. Claruit anno Domini 780. cuius natale sexto Idus Nouembris colitur. Hic multos ad fidem catholicā sua doctrina conuertit. Iacet in ecclesia Bremensi sepultus.

De sancto Lutgero Episcopo.

CAP. CXCVI.

LVDGERVS primus Episcopus Monasteriensis sub Archiepiscopo Coloniensi, monachus sancti Benedicti monasterij Beneuentani, vir sanctus & Deo dilectus, tam in vita, quàm post mortem, infinitis claruit virtutibus. Eius corpus in cœnobio Vuerdenensi requiescit. Claruit anno Domini 790. Cuius festum agitur 7. Calendas Aprilis.

De sancto Albino Abbate.

CAP. CXCVII.

ALBINVS Abbas monasterij S. Martini Turonensis, natione Brito, discipulus quondàm venerabilis Bedæ presbyteri, vir doctus & sanctus, virtutū suarum multa legitur dedisse indicia. De quo etiā in secundo libro fecimus iam mentionem. Hic ob doctrinā eximiamq; sanctitatem, apud Carolum Magnum valde reuerendus fuit & charus, de quo multa bona feruntur. Claruit anno Domini 770. cuius natale 14. Calendas Iunij celebratur.

De sancto Stephano Papa.

CAP. CXCVIII.

STEPHANVS Papa tertius, natione Siculus, monach' cœnobij sancti Chrysogoni Romæ, vir eruditus & sanctus, sedit in Pontificatu annis tribus, mensibus fermè sex: qui, habita synodo, multa ad vtilitatem Ecclesiæ constituit. Claruit anno Domini 770. cuius festum 5. Calendas Ianuarij colitur.

De S. Rabano Archiepiscopo.

CAP. CXCIX.

RABANVS Maurus, ex Abbate Fuldensis monasterij, sextus Archiepiscopus Moguntinus, natione Teutonicus, ex sylua quæ Buconia nominatur, in finibus Franconiæ, de cuius eruditione & excellentia in secundo volumine pauca perstrinximus, non solùm scientia mirabilis, verùm & sanctitatis conuersatione effulsit insignis. De quo monimenta præclara narrantur. Hic in Fuldēsi monasterio vigintiquatuor annis Abbatis gessit officium, quibus & innumerabilia penè conscripsit opuscula, & bibliothecam toto in orbe famosam instruxit. Fuit aūt regularis disciplinæ amator & director zelosus, & multos sub suo magisterio notabiles discipulos enutriuit. Tādem ob quā nescio causam monachorum improbitate offensus, cœnobium deseruit, & ad Imperatorem Lodouicum, Caroli filiū, commigrauit: cum quo longo tēpore permansit. Monachi Fuldēsis cœnobij, pœnitentia ducti, veniam deprecantes, rogabant vt ad monasteriū suū reuerti dignaretur. Sed nō potuerūt, quod postulabat, impetrare. Mansit igitur apud regē vsq; ad obitū Otgarij Archiepiscopi Moguntini, & in eius locū suffectus, annis nouem candē strenuè rexit Ecclesiam. Moritur anno Domini octingentesimo quinquagesimoquinto.

De sancto Leone Papa.

CAP. CC.

LEO Papa quartus, ex monacho sancti Martini in Vrbe, natione Romanus, sedit in Pontificatu annis octo, mensibus tribus, diebus sex: vir doctus & sanctus, etiam in vita multis effulsit miraculis. De quib' in gestis eius prælucida narratur. Cla-

Claruit anno Domini 845. cuius festum 6. Calendas Augusti populus concelebrat.

De S. Genesio Archiepiscopo.

CAP. CCI.

GENESIVS ex Abbate in Francia Bituricensis Archiepiscopus, vir certè religione, pietate, innocentia suo tempore omnium scitu clarissimus, multis miraculis tam in vita, quàm post mortē claruit, sicut in gestis eius scribitur.

De sancto Haymone Episcopo Halberstatensi.

CAP. CCII.

HAYMO ex monacho Fuldensi Hersfeldensis cœnobij Abbas, & deinde Halberstatensis Ecclesiæ tertius Episcopus, vir doct⁹ & sanctus, de quo in secundo libro huius operis præfati sumus, rexit Ecclesiam Halberstatensem annis 13. Tandem post multos labores & continua sanctitatis exercitia migrauit ad Dominum, sepultus in ecclesia sancti protomartyris Stephani in ciuitate prædicta. Claruit anno Domini 840.

De S. Hildulpho Archiepiscopo.

CAP. CCIII.

HILDVLPHVS Archiepiscopus Treuerensis quinquagesimusnonus, à Pipino patre Caroli antistes factus, multa bona fecit. Hic fundauit monasterium sancti Maximini, & procētum monachis præbendauit. Fundauit etiam tres cellas in saltu Vosagi, in quarum media, relicto Episcopatu, ipse Abbas effect⁹, requiescit, multis miraculis clarus. Claruit anno Domini 730. Cuius festū agitur quinto Idus Iulij.

De sancta Anastasia Abbatissa.

CAP. CCIIII.

ANASTASIA monasterij sanctæ Irminæ in Horreo Treuerēsi Abbatissa tertia, virgo sanctissimæ conuersationis, multis effulsit clara virtutibus, quemadmodùm in eius gestis reperitur. Claruit anno Domini 760. cuius natale quinto Idus Septembris festiuatur.

De sancta Basilissa Abbatissa.

CAP. CCV.

BASILISSA sanctimonialis, fœmina præclaræ opinionis & meriti, beatæ Anastasiæ iam dictæ discipula, tam sanctæ & innocentis vitæ extitit, vt etiam in vita claruerit magnis virtutibus. Post mortem verò beatæ Anastasiæ ipsa in Abbatissam quartam omnium consensu in Horreo Treuerensi electa est. Quo suscepto regimine, qualem se exhibuerit omnibus, quàm humilem, quàm piam, quàm deniq; pro disciplina regulari zelosam, quis fermo explicabit? Nihil illi defuit, quod industria regularis magisterij requirit. Claruit autem anno Domini 780. Cuius festum agitur 5. Decembris.

De sancta Erentrude Abbatissa.

CAP. CCVI.

ERENTRVDIS Abbatissa Saltzburgensis, neptis beati Ruperti eiusdem vrbis Episcopi, virgo sanctissimæ cōuersationis, innumerabilibus fertur claruisse virtutibus. Eius festum pridiè Calendas Iulij agitur.

De sancto Altfrido Episcopo.

CAP. CCVII.

ALFRIDVS ex monacho Corbeiensis cœnobij, quartus Episcopus Hildeshemensis, vir sanctus & Deo dilectus, construxit maiorem Ecclesiam ibidèm, in qua etiā iacet sepultus. Claruit anno Domini 840. & rexit Ecclesiam præfatā 28. annis.

De sancto Anscario Episcopo.

CAP. CCVIII.

ANSCHARIVS ex monacho Corbeiensis cœnobij, primus Archiepiscopus Bremensis, vir sanctus & prædicator egregius, sua dulci conuersatione & doctrina Danos cōuertit ad Christum, multasque fundauit ecclesias. Rexit Ecclesiam Bremensem annis 34. in eadem sepultus. Claruit anno Domini 840. Cuius festum tertio Nonas Februarij agitur.

De sancto Meginrado martyre.

CAP. CCIX.

MEGINRADVS monachus Augiensis cœnobij, vir doctus & sanctus, vt omnipōtenti Deo tantò syncerius seruiret, quantò ab hominibus segregatus, secretius viueret, de sui Abbatis licentia eremum petiuit, & in Nigra sylua multis annis solitarius habitauit. Tandèm in cellula sua à duobus latronibus occisus, martyr efficitur, & infinitis miraculis illustratur. Eius inclyta gesta habentur. Compleuit autem martyrium anno Domini 860. duodecimo Calendas Februarij.

De sancto Remberto Archiepiscopo.

CAP. CCX.

REMBERTVS ex monacho Corbeiēsis cœnobij, Archiepiscopus Bremēsis secundus, vir sanctæ conuersationis, fide, innocentia, & pietate singularis, magnis enituit signis. Rexit Ecclesiam Bremensem strenue nouem annis. Claruit anno Domini octingentesimo & septuagesimo. Eius festum agitur pridiè Nonas Februarij.

De sancto Radulpho Episcopo.

CAP. CCXI.

RADVL-

RADVLPHVS Archiepiscopus Bituricensis, ex Abbate sancti Medardi Suessionēsis, vir sanctus & in diuinis scripturis valdè eruditus, magnis virtutibus clarus effulsit. Claruit anno Domini 845. cuius festum agitur 7. Calendas Iulij.

De sancto Ioanne Scoto martyre.

CAP. CCXII.

IOANNES Scotus monachus Malbesberiensis in Anglia, vir doctus & religiosę conuersationis, cuius etiam in secundo volumine fecimus mentionem, apud Carolum Caluum Imperatorem magno in precio fuit: qui tandem martyrio coronatus, à morte transiuit ad vitam. Confossus enim graphijs puerorum, quos docebat, nescio quo instigante, post mortem multis claruit signis. Legi autem in quadam scriptura, quòd fuerit Episcopus Mykelenburgensis sub Bremensi. Eius natale colitur 4. Idus Nouembris. Claruit anno Domini 880. sub Carolo Caluo, & vixit adhuc multis annis post eum. Alij volūt, quòd claruerit sub Henrico quarto, anno Domini 1060. Sed prior opinio mihi videtur chronicis consentanea, & ideò verior. Nisi fortè duo fuissent vno martyrij genere diuersis temporibus interempti.

De sancto Bernone Abbate.

CAP. CCXIII.

BERNO fundator & primus Abbas Cigniacensis monasterij in Burgundia, vir certè fide & religione praeclarissimus, nobili genere ortus, multis virtutibus insignis effulsit. Fundauit etiam monasterium Cluniacense toto orbe famosum, cui praefecit Odonem virum totius literaturę & sanctitatis illustrem. Claruit anno Domini nongentesimo.

De S. Adelgario Archiepiscopo.

CAP. CCXIIII.

ADELGARVS ex monacho Corbeiensis coenobij Bremensis Archiepiscopus, vir doctus & sanctus, rexit Ecclesiam sibi commissam strenuè viginti annis, & fuit tertius in ordine archiepiscopus. Volunt tamen alij, quòd fuerit septimus. Claruit anno Domini 890. Cuius festum Idibus Maij colitur.

De sancto Odone Abbate.

CAP. CCXV.

ODO monachus & discipulus praefati sancti Bernonis, Abbas Cluniacensis coenobij ab eo primus constitutus, tanta sanctitate & religione clarus enituit, vt etiā in vita miraculis coruscarit. Ordinem sancti Benedicti penè collapsum, mirificè restaurauit, ac de nouo multa construxit coenobia. Claruit anno Domini 920. Eius festum 13. Calendas Decēbris agitur.

De S. Vuimone Archiepiscopo.

CAP. CCXVI.

VVIMO ex monacho Corbeiensis coenobij, nonus Archiepiscopus Bremensis, vir sanct9 & deuotus, fide & opere praecipuus, & egregius praedicator: postq̄ rexisset Ecclesiam Bremensem decem & octo annis, resignauit officium, & secessit in Gothiam, amore Christi annuncians & praedicans illis populis verbū Dei, vbi & tandem mortuus, miraculis coruscauit. Claruit anno Domini 920.

De sancto Vuiberto monacho.

CAP. CCXVII.

VVIBERTVS monachus & fundator Gemblacensis coenobij, cùm esset vir secundùm seculi dignitatē nobilis & diues, cingulū militiae mundanae deponens, sanctum monasticae disciplinae habitum assumpsit. Eius vitā Sigebertus monachus eiusdē coenobij, gemino stylo descripsit. Claruit anno Domini 920.

De sancto Adamaro Abbate.

CAP. CCXVIII.

ADAMARVS post Odonem secundus Abbas Cluniacensis monasterij, vir in scripturis sacris eruditus, morūconuersione sanctissimus, lumine oculorum orbatus, velut alter Iob, in medio fratrū suorum exemplar patientiae & humilitatis enituit. Claruit anno Domini 932. Cuius festum agitur apud Cluniacenses Idibus Septembris.

De sancto Sunderoldo Episcopo martyre.

CAP. CCXIX.

SVNDEROLDVS ex monacho Fuldensis coenobij, nonus Archiepiscop9 Moguntinus, vir sanctus & Deo amabilis sacerdos, rexit Ecclesiam Mogūtinam tribus annis. Eo tempore Nortmanni vastabant Germaniā, à quibus hic pontifex sanctissimus Vuormatiae coronatus martyrio 6. Calēdas Iulij, quę fuit Sabbato, anno Domini 891.

De sancto Maiolo Abbate.

CAP. CCXX.

MAIOLVS quartus Abbas Cluniacensis coenobij, vir fide & opere clarissimus, sexto anno cōuersionis suae, Adamaro cedente propter corporis inualitudinem & visus amissionem, pastor Dominici gregis cōstitutus, multis virtutibus & signis enituit. Claruit anno Domini 960. Cuius festum quinto Idus Maij colitur.

De S. Dūstano Archiepiscopo.

CAP. CCXXI.

DVNSTANVS ex Abbate Glasconiensis coenobij Archiepiscopus Cantuariensis, vir sanctissimae cōuersationis, adhuc

huc viuens miraculis infinitis clarus effulsit. Eius vitam Osbertus monachus claro stylo descripsit. Moritur 14. Calendas Iunij, anno Domini 988. ætatis suæ, 70. Patriarchatûs autem sui anno 33.

De sancta Mathilde Abbatissa.
CAP. CCXXII.

MATHILDIS filia regis Henrici Imperatoris primi, soror beati Brunonis Coloniensis Archiepiscopi, fundatrix & prima Abbatissa monasterij sancti Seruatij in Saxonia: virgo sanctæ conuersationis, multis effulsit clara virtutibus. Ad hanc Vuindichinus monachus Corbeiensis, historiam & gesta Saxonum scripsit. Claruit anno Domini 930.

De sancto Vdalrico Episcopo.
CAP. CCXXIII.

VDALRICVS ex monacho sancti Galli, Episcopus Augustẽsis, vir sanctissimæ cõuersationis, claruit multis & penè infinitis miraculis, tam in vita, quàm etiã post mortẽ. Eius gesta satis diligenter conscripta sunt. Moritur quarto Nonas Iulij, anno Domini 973. Episcopatûs sui quinquagesimo, ætatis suæ 83. sub Ottone secundo Imperatore, Indictione 1.

De sancta Vuiberade virgine.
CAP. CCXXIIII.

VVIBERADIS sanctimonialis fœmina, apud monasterium sancti Galli pro Christi amore inclusa, die noctuque orationibus, ieiunijs, ac vigilijs vacans, ad tantam gratiam diuinæ contemplationis ascendit, vt spiritu prophetiæ illustrari meruerit. Hæc prædixit, beatũ Vdalricum Augustensem futurum Episcopum. Claruit anno Domini 920.

De sancto Eberhardo monacho.
CAP. CCXXV.

EBERHARDVS monachus & solitarius apud cellam sancti Meginradi martyris in sylua, quæ dicitur Vmbrosa, nunc ad Eremitas, vir sanctæ conuersationis, & beati Vdalrici supradicti antistitis familiaris amicus: cùm esset Decanus Argentinensis, diuina vocatione & reuelatione ad conuersionem in prædicto loco venit: vbi multa religione & sanctitate enituit, mortemq́; longè antè præsciens suam, beato Vdalrico lachrymanti prędixit. Habuit secũ Gregoriũ quendam presbyterũ regis Angliæ filiũ, virũ magnæ sanctitatis, eiusdem cõuersationis & habitûs: quem etiam diuina vocatione illuc nouimus aduenisse. Clarerũt in eodem loco anno Domini 945.

De sancto Adelboldo Episcopo.
CAP. CCXXVI.

ADELBOLDVS discipulus & monachus beati Dunstani Abbatis in monasterio Glasconiensi, deindè Abbas Abbendoniensis, & posteà Episcopus Vuintoniensis: vir certè literarum studio & morum honestate clarissimus, multa & mirãda legitur patrâsse opera, ordinemq́; monasticum reformauit in multis locis collapsum. Claruit anno Domini 980.

De sancto Osuualdo Episcopo.
CAP. CCXXVII.

OSVVALDVS ex monacho Floriacensis cœnobij Episcopus Vuingoriensis, & pôst Eboracensis Archiepiscopus, vir multarum virtutum, doctus & sanctus, fundator monasteriorum egregius, non infimum locũ creditur obtinere apud Deum inter sanctos ordinis nostri Patres. Claruit anno Domini 980.

De sancto Adelberto martyre, Episcopo.
CAP. CCXXVIII.

ADELBERTVS, qui & Vuitech, ex monacho sancti Bonifacij Romæ Pragẽsis Episcopus, vir fide & opere præclarus: sua prædicatione primò Gillam Hungariæ reginam, deindè ipsum regem Stephanum, & totam Pannoniam ad fidem Christi conuertit. Tandem in Prussia prædicans verbum Dei, pro fide catholica martyrio coronatus, transiuit ad vitam, anno Domini 995. nono Calendas Maij.

De sancto Vuolfgango Episcopo.
CAP. CCXXIX.

VVOLFGANGVS ex monacho Treuerensi Episcopus Ratisponensis, vir sanctus & Deo dilectus, multis virtutibus insignis, vsque in hodiernum diem infinitis coruscat miraculis, non solùm in loco sepulturæ suæ, verùm vbicunquè meritum eius ex fide inuocatur. Hic sanctum Vdalricum Episcopum Augustensem sepulturæ tradidit, quia se mutuò singulariter dilexerunt. Claruit anno Domini nongentesimo septuagesimo. Cuius festũ secundo Calendas Nouembris agitur.

De sancto Brunone martyre.
CAP. CCXXX.

BRVNO Archiepiscopus Ruthenorũ, ex monacho cuiusdam cœnobij in Italia, vir moribus & conuersatione sanctissimus, doctrina quoquè & scientia scripturarum valdè præclarus: cùm verbum Dei prædicaret in Prussia, & multis claresceret signis, à Prussis multis supplicijs affectus, & pedibus manibusque abscissis, postremò capite plexus, ascendit ad cælos, anno Domini millesimo octauo.

De sancto Mederico Abbate.

CAP. CCXXXI.

MEDERICVS Abbas monasterij in ciuitate Eduæ, vir tam sanctæ conuersationis, vt & viuens, & mortuus, infinitis claruerit miraculis, sicut in historia vitæ eius diligenter conscripta, reperitur. Iacet sepultus Parisijs, cuius festum agitur quarto Calendas Septembris. Eius corpus de terra leuatum est anno Domini 984. quarto Calendas Septembris.

De sancto Beruuardo Episcopo.

CAP. CCXXXII.

BERVVARDVS Episcopus Hildeshemensis tertiusdecimus, vir sanctus & Deo dilectus, multis clarus virtutib⁹, fundauit monasterium sancti Michaëlis ibidèm, in quo monachus conuersatus, tandèm sepultus est. Claruit anno Domini 990. cuius festum colitur 14. Calēdas Decembris.

De sancto Othmaro Abbate

CAP. CCXXXIII.

OTHMARVS Abbas apud sanctū Gallum, multas pro Christi amore sustinuit iniurias, maximè à peruersis fratribus, quorum tandèm factione adeò vexatus est, vt in exilium, falsò accusatus, secedere cogeretur. Huius sanctitatē innumera signa probauerūt, sicut in vita ipsius legitur. Huius festū celebratur 16. Calēdas Decembris.

De sancto Deocaro Abbate.

CAP. CCXXXIIII.

DEOCARVS monach⁹ & Abbas Heydenhemensis in diœcesi Eistetensi, vir valdè venerabilis, scientia scripturarū & religione monasticæ conuersationis insignis, multis effulsit virtutibus. Eius festū 7. Idus Iunij agitur. Sacræ autem reliquiæ eius, Nurenbergæ habentur.

De sancto Odilone Abbate.

CAP. CCXXXV.

ODILO Abbas quintus Cluniacensis, post sanctum Maiolum rexit idem cœnobium 56. annis, vir miro religionis feruore spectabilis, & multis virtutibus signisq; præclarus. Cuius vitam Petrus Damiani descripsit, petente Hugone Cluniacensi Abbate. Moritur tandèm plenus dierum & bonorum operum, anno videlicet Dominicæ incarnationis 1048. ætatis suæ, 87. prima die mensis Ianuarij.

De sancto Godhardo Episcopo.

CAP. CCXXXVI.

GODHARDVS Episcopus Hildeshemēsis quartusdecimus ex Abbate Altahensi, vir sanctæ conuersationis, natione Bauarus fuit: eius vita virtutibus plena, scripta habetur. Claruit circa annos Domini 1030. Cuius festum agitur tertio Nonas Maij.

De S. Elphego Archiepiscopo.

CAP. CCXXXVII.

ELPHEGVS ex Abbate monasterij in Anglia, quod Balneum dicitur, primùm episcopus Vuintoniensis, ac deindè Cantuariensis Archiepiscopus, vir fide, spe & charitate eximius, qui tantum in Dei amore profecit, vt ad martyrij gloriam prouectus sit, quemadmodùm in eius Legenda scriptum est. Claruit anno Domini 1010. Cuius festum 13. Calēdas Maij colitur.

De sancto Simeone monacho.

CAP. CCXXXVIII.

SIMEON monach⁹ cœnobij beatæ Mariæ virginis in Bethlehem, ac posteà pro Christi amoris dulcedine Treueris inclusus à Poppone Archiepiscopo Treuerensi, qui illum de terra sancta Treuerim propter eximiam sanctitatē eius adduxerat, natione Syracusan⁹ in Sicilia, vir multarum virtutum fuit: ad cuius sepulcrum infinita miracula facta leguntur. Eius vitam eleganti stylo conscripsit Eberuuinus Abbas Treuerensis, ad Popponem præfatum Archiepiscopū. Claruit anno Domini millesimo decimo. Cuius festum agitur Calendas Iunij.

De sancto Gerardo martyre.

CAP. CCXXXIX.

GERARDVS ex monacho Episcopus Morisenus in Hungaria, vir doctus & sanctus, qui ad lucrandas Christo animas, totum conuertens desiderium, postquàm multos verbo & exemplo conuertit, ab infidelibus diris supplicijs affectus, martyr felix transmigrauit ad cælos. Claruit anno Domini millesimo vigesimo.

De sancto Vuilhelmo Abbate.

CAP. CCXL.

VVILHELMVS Abbas Diuionensis, vir doctus scientia scripturarum, & morum honestate insignis, magno zelo regularis disciplinæ feruens, multis virtutibus clarus enituit, quemadmodùm in gestis ipsius scriptum inuenitur. Claruit anno Domini millesimo vicesimo.

De sancto Helia Abbate Coloniensi.

CAP. CCXLI.

HELIAS Abbas monasterij sancti Pantaleonis in Colonia, natione Scotus, vir prudens & sanctus, cuius merita etiam post mortem in multis fuerūt comprobata: religionis feruentissimus obseruator, multa bona fecit in ordine. Cuius

us tanta erat industria, vt duo nostri ordinis monasteria pariter regeret in Colonia, sancti Pantaleonis videlicet, & sancti Martini, non paucas à peruersis sustinuit iniurias. Moritur anno Domini millesimo quadragesimosecundo, pridie Idus Aprilis.

De sancto Poppone Abbate.
CAP. CCXLII.

POPPO Abbas Stabulensis, vir in diuinis scripturis erudit⁹, & religione morum clarissimus, sanctitatis suæ monimenta copiosa reliquit. Eius gesta habentur. Claruit anno Domini millesimo vicesimo. Eius festum agitur 8. Calendas Februarij.

De S. Bardone Archiepiscopo.
CAP. CCXLIII.

BARDO ex Abbate Virdunensi, vel (vt alij scribūt) Hirsfeldensi, Archiepiscopus Moguntinus, post sanctū Bonifacium vicesimus, vir sanctissimæ conuersationis, rexit Ecclesiam Mogūtinam 29. annis. Moritur anno Domini 1051. quarto Idus Iunij.

De sancto Amnichado monacho.
CAP. CCXLIIII.

AMNICHADVS monachus Fuldensis, natione Scotus, cùm ferueret magno desiderio solitudinis & amoris Christi, apud Fuldam monasterium solitariis fuit inclusus, ad cuius meritum declarandum visa sunt lumina, & psalmodia super eius sepulcrum cælitus missa audita. In eius autem cellula Marianus Scotus decem annis postmodùm inclusus habitauit. Moritur anno Domini 1043. 3. Calendas Februarij.

De sancto Richardo Abbate.
CAP. CCXLV.

RICHARDVS Abbas Virdunensis, vir in diuinis scripturis valdè doctus & eruditus, suo tempore tam scIētia, quàm sanctitate cunctis venerabilis, multa suæ religiositatis monimenta reliquit, quæ apud suos satis diligenter scripta ferūtur. Claruit anno Domini 1020.

De sancto Claro Abbate.
CAP. CCXLVI.

CLARVS Abbas cœnobij sancti Marcelli, vir doctrina & morum sanctitate insignis, multis virtutibus in vita, & post mortem (iuxta nomen suum) clarus effulsit, quemadmodùm in gestis eius habetur. Huius festum colitur Calendis Ianuarij.

De sancto Egelnoto Episcopo.
CAP. CCXLVII.

EGELNOTVS ex monacho in Anglia Archiepiscopus Cantuariensis, vir sapientia & sanctitate clarissimus, magnos in Ecclesia DEI vtiliter impendit labores, & plura sanctitatis suę vestigia reliquit. Claruit anno Domini millesimo vicesimo. Cuius gesta habentur.

De sancto Adelhardo Abbate.
CAP. CCXLVIII.

ADELHARDVS Abbas in Frācia monasterij Corbeiensis, Caroli Magni (vt ferunt) cognatus, vir sapientissimus atque sanctissimus, virtutum suarum magna indicia dedit. Hic fundauit monasterium sancti Viti Corbeiense in Saxonia. Claruit anno Domini octingentesimo. Cuius festum colitur quarto Nonas Ianuarij.

De sancto Remoldo martyre.
CAP. CCXLIX.

REMOLDVS monachus Conuersus monasterij sancti Pantaleonis, vir sanctæ cōuersationis & magni meriti, post multos pro Christi amore labores, martyrio rubricatus, euolauit ad cælos septimo Idus Ianuarij. Hic fuit filius cuiusdā Haymonis militis, & eius natale in Tremona ciuitate, maxima celebritate agitur.

De sancta Vualpurge Abbatissa.
CAP. CCL.

VVALBVRGIS Abbatissa in Heidenhem Eistetensis diœcesis, soror sancti Vuillibaldi Episcopi, natione Anglica, virgo sanctissimæ conuersationis, multis virtutibus & signis clara enituit, cuius inclyta gesta diligenter conscripta sunt. Claruit circa annos Domini septingentos quinquaginta. Obijt quinto Calendas Martij. Sed ad Eistat translata est Calendis Maij, quādò etiā eius festiuitas agitur.

De sancto Lauriomaro Abbate.
CAP. CCLI.

LAVRIOMARVS Abbas Carnotensis, vir eximiæ sanctitatis & multarū virtutum, intantùm Deo dilectus, vt etiam spiritu prophetiæ fuerit illustratus. Hic diuino spiritu edoctus, discernebat denarios iniustos per vsuram acquisitos, ab illis quos iustitia acquisiuit, illos respuendo, istos recipiendo. Eius festum 14. Calendas Februarij agitur.

De sancto Agnello Abbate.
CAP. CCLII.

AGNELLVS Abbas monasterij Neapolitani, vir sanctus & Deo dilectus, ouium Dominicarū idoneus pastor, multis fertur claruisse virtutibus: qui & merito vitæ, & sapientia doctrinæ multos ab iniquitate auertit. Eius festum colitur 19. Calendas Ianuarij.

De sancto Cypriano Abbate.
CAP. CCLIII.

CYPRIANVS Abbas monasterij Petragoricensis, vir scientia & morũ sanctimonia valdè venerabilis, suæ sanctitatis monimenta ingentia reliquit. Eius festum agitur 5. Idus Decembris.

De sancto Sola monacho.

CAP. CCLIIII.

SOLA, Abbas in diœcesi Eistetensi, natione Anglicus, & discipulus sancti Bonifacij martyris, vir sanctitatis eximiæ & multarum virtutum, beato Vuillibaldo amicissimus fuit, cuius auxilio fundauit monasteriũ, in quo multitudinem seruientium Deo monachorum congregauit. Circa annos autem Domini septingentos sexaginta claruit. Cuius festum agitur 4. Nonas Decembris.

De sancto Ratbodo Episcopo.

CAP. CCLV.

RADBODVS ex Episcopo Traiecti inferioris monachus, diuinarũ scripturarum eruditissimus interpres, cuius multa extant præclara opuscula: magna sanctitate insignis effulsit, sicut in gestis eius diligenter conscriptis inuenitur. Claruit circa annos Domini nongentos. Cuius festum tertio Calendas Decẽbris agitur.

De sancto Vulgiso Episcopo.

CAP. CCLVI.

VVULGISVS ex Abbate Lobiẽsis cœnobij, Episcopus ibidèm, vir sanctæ ac religiosissimæ cõuersationis, cuius multa feruntur insignia facta, monachorũ & rector & imitator egregius fuit. Eius festũ celebratur 2. Nonas Februarij.

De sancto Seuerino Abbate.

CAP. CCLVII.

SEVERINVS monachus & Abbas Agaunensis, vir sanctus, & infinitis miraculis clarus, sicut in gestis eius diffusè scriptis inuenitur, magnum fructum in monasticis disciplinis exhibuit. Eius festũ colitur tertio Idus Februarij.

De sancto Paulo Episcopo.

CAP. CCLVIII.

PAVLVS ex monacho cœnobij Tholeiensis in diœcesi Treuerensi, Episcopus Virdunensis sub Treuerensi, vir doctus & sanctus, non parùm in vtroq; statu pro DEI gloria profecit. Festum eius agitur 6. Idus Februarij.

De sancta Cunegunda virgine.

CAP. CCLIX.

CONEGVNDIS imperatrix & monialis cœnobij Confugiensis, virgo sanctissimæ conuersationis, de qua multa stupenda narrantur, sancti Henrici Imperatoris vxor fuit multis annis, & tamen semper virgo permansit. Post Imperatoris mortem, cœnobium ab omnibus curis soluta intrauit. Eius sancta conuersatio scriptis commendata est. Claruit anno Domini millesimo vicesimo. Cuius festũ est quinto Nonas Martij. Sepulta est Bambergę in Ecclesia maiori, quam ipsa & sanctus Imperator fundauerunt.

De sancto Theodulpho.

CAP. CCLX.

THEODVLPHVS Abbas in monte Hor, vir sanctæ cõuersationis & innocentis vitæ, multis virtutibus clarus effulsit. Huius corpus non ante multos annos repertum integrum & incorruptum, cum magno honore Treueris apud Prædicatores reconditum est in summo altari. Hæc inuentio celebratur pridiè Calendas Martij.

De sancto Meginbodo Abbate.

CAP. CCLXI.

MEGENBODVS monachus Frislariensis, & Abbas in Burbach Moguntinensis, vir doctus & sanctus, qui suis sanctis exhortationibus & exẽplis multos ad bonæ conuersationis viam reuocauit, magnis fertur virtutibus claustralem ornâsse disciplinam. Eius autem festum agitur 17. Calendas Aprilis.

De sancto Amuluuino Abbate.

CAP. CCLXII.

AMVLVVINVS Abbas Lobiensis, & postmodùm ibidèm Episcopus, vir sciẽtia & religione clarissimus, fertur sanctitatis suæ & doctrinæ plurima monimẽta reliquisse. Fuit enim contemptor mundi fortissimus, & omnibus virtutibus bonorum operum insignis. Festum eius colitur septimo Calendas Februarij.

De sancto Vuirone Episcopo.

CAP. CCLXIII.

VVIRO ex monacho Episcopus in Anglia, vir sanctus & Deo dilectus, episcopatum deseruisse dicitur, nescio ob quam causam: creditur autem, quòd propter populi ceruicem durissimam, quá nec verbis, nec exemplis ab iniquitate sua potuit auerti. Vndè vir sanctus nè tempus inutiliter expẽnderet, venit posteà in Germaniam: vbi in quodam cœnobio sancti Petri monasticis disciplinis se submisit, & Abbatis officium non recusauit. Cuius festum agitur octauò Idus Maij.

De sancta Benedicta Abbatissa.

CAP. CCLXIIII.

BENEDICTA Abbatissa in Suuestrensi cœnobio, fœmina sanctæ vitæ & magnæ religionis ac puritatis, multas suo exemplo Christo sponsas in eodẽ cœnocio adunauit. Eius festum celebratur 16. Calendas Decembris.

De sancto Pirmino Episcopo.
CAP. CCLXV.

PIRMINIUS Episcopus Meldensis sub Archiepiscopo Senonensi, vir sanctissimæ vitæ, qui multis signis & virtutibus in hac vita clarus effulsit: sed nunc in cælesti maiori & ineffabili gloria exultat coronatus. Hic ante Episcopatum fuit Abbas Augiensis cœnobij in Alemania. Eius festum agitur 3. Nonas Nouembris, quo videlicet die transiuit ad cælos.

De sancta Notburga virgine.
CAP. CCLXVI.

NOTBURGIS sanctimonialis in Capitolio Coloniensi, virgo sanctę vitæ, & magni apud Deum meriti, multis effulsit clara virtutibus. Cuius festum agitur pridie Calendas Nouembris. Moniales autem eiusdem monasterij, post longa tempora abiecerunt regulam sancti Benedicti, vt, quæ sine lege peccant, sine lege iudicentur.

De sancto Albuino Episcopo.
CAP. CCLXVII.

ALBUINUS monachus in Hybernia, vir sanctæ conuersationis, flagrans amore peregrinationis, deseruit dulce natale solum, veniensque in Germaniam, multos sua prædicatione populos Christo acquisiuit: deindè, vt ampliorem prædicationis fructum faceret, Romani pontificis authoritate Frislariensis ordinatur Episcopus in oppido Burbach. Sed dudum cessauit Episcopatus ibidem. Festum eius agitur septimo Calendas Nouembris.

De sancto Dodone Abbate.
CAP. CCLXVIII.

DODO monachus Lobiensis, & posteà Abbas Vuaslarēsis cœnobij, vir sanctus & Deo deuotus, atq; monasticæ disciplinæ propagator magnificus, magnis fertur claruisse virtutibus. Cuius festum celebratur 4. Calendas Nouembris.

De sancto Candedo monacho.
CAP. CCLXIX.

CANDEDUS monach⁹ monasterij Fōtanellēsis, vir sanctissim⁹, & cū omni honore celebrandus, multis signis atq; virtutibus in vita pariter & in morte clarus fuit, sicut ea, quæ de ipso scripta sunt, magnifica opera testantur. Corpus eius sacratum in præfato cœnobio Fontanellæ, in magna reuerentia habetur reconditum. Cuius festum agitur duodecimo Calēdas Nouembris.

De sancto Gerhardo Abbate.
CAP. CCLXX.

GERHARDUS Abbas Promensis, vir totus Deo deditus, & regularis disciplinæ amator præcipuus, multarum virtutum patrator eximius fuit, queadmodùm in eius gestis reperitur. Eius festum agitur 5. Nonas Octobris.

De sancto Humberto monacho.
CAP. CCLXXI.

HUMBERTUS monachus & Prior cœnobij in Burbach prope Frislariense oppidum, vir sanctus atq; eruditus, atq; regularis disciplinæ zelosus amator, sua sanctissima cōuersatione Deo valde complacuit. Cuius festum agitur Nonis Octobris.

De sancto Vigore Episcopo.
CAP. CCLXXII.

VIGOR ex monacho cœnobij sancti Vedasti Attrabacensis, Episcopus Baiocasinēsis sub Archiepiscopo Rothomagensi, vir sanctissimæ vitæ & conuersationis, multis claruit miraculis, & discipulos innumeros penè Christo acquisiuit. Eius gesta habentur. Cuius festum agitur Calendis Nouembris. Claruit longe retrò temporibus, circa annos Domini 600.

De sancto Ambrosio Abbate.
CAP. CCLXXIII.

AMBROSIUS Abbas Augaunensis cœnobij, vir inæstimabilis sanctitatis, multos suo exemplo & doctrina ad iustitiam erudiuit, sicut in vita eius diligenter cōscripta inuenitur. Cuius festum agitur Calendis Nouembris.

De sancto Deusdedit Abbate.
CAP. CCLXXIIII.

DEUSDEDIT Abbas Cassinensis cœnobij, vir doctus & sanctus, cuius multa præclara extant monimenta, cùm esset bonis operibus & eleemosynarum largitionibus intentus, fama sanctitatis eius longè lateq; diuulgata est. Vndè Sicardus Beneuentanorum Tyrannus, sperans se multam ab eo recepturum pecuniam, qua sibi denegata, sanctum virum cepit, ponens in carcerem: vbi post multos squalores, famem & sitim, tandem martyr beatus occubuit. Ad cuius sepulcrum multi languentes sanitatem corporis & animæ receperūt. Eius festum agitur 7. Idus Octobris, quo die videlicet mortuus est. Claruit anno Domini 840.

De beato Syluestro monacho.
CAP. CCLXXV.

SYLUESTER monachus Nouiomensis, vir magnæ humilitatis & obedientiæ, qui velut speculum lucens, omnibus virtutibus plenum, inter fratres multos suo sancto exemplo in Dei amore roborauit. Eius gesta habentur. Cuius festum agitur 15. Calendas Maij.

De sancto Ruperto Abbate.
CAP. CCLXXVI.

RVPERTVS Abbas Casędei, pater trecentorum monachorum, qui tam verbo quàm exemplo multos ab iniquitate auertit, totus ad Deum anhelans, infinita sanctitatis suæ monimenta posteris ostendit. Eius gesta inclyta habentur. Cuius festum agitur 8. Calendas Maij.

De sancto Erenberto Episcopo.

CAP. CCLXXVII.

ERENBERTVS ex monacho Fontanellæ, Episcopus Tolosan*, vir vitæ valde venerabilis, & ornatu multarum virtutum insignis, ouium Christi pastor peridoneus, quàm sanctus, quamque reuerendus sit, infinita penè miracula ostendunt: de quibus in gestis eius plena relatio fit. Eius festum agitur pridie Calendas Maij.

De sancto Vuilhelmo monacho.

CAP. CCLXXVIII.

VVILHELMVS monachus cœnobij Gellonensis, vir nobilis secundùm seculum, quia Comes: sed multò nobilior secundùm Deum, quia humilis, obediens, & mundi contemptor, magnis virtutibus clarus enituit. Hic tantæ sanctitatis & meriti fuit apud Deum, vt ardentem clibanum scapulari purgans, nec ipse læderetur in aliquo, nec vestimentum. Multa de eius conuersatione miranda narrantur. Claruit circa annos Domini 900. Cuius festum agitur quinto Calendas Iunij.

De sancto Caprasio Abbate.

CAP. CCLXXIX.

CAPRASIVS Abbas Lirinensis monasterij, vir maximæ humilitatis & mãsuetudinis, regularis disciplinę zelosus obseruator, magna sanctitatis suæ monimenta reliquit. Eius gesta habentur. Cuius festum agitur Calendis Iunij.

De sancta Hadeloga Abbatissa.

CAP. CCLXXX.

HADELOGA monialis & Abbatissa monasterij Rinckingẽsis, virgo sanctæ & innocentis vitæ, & virtute humilitatis singulariter insignis, quanti sit apud Deũ meriti, crebris atque clarissimis monimẽtis indicauit. Cuius festum agitur quarto Nonas Februarias.

De sancto Vualafrido Abbate.

CAP. CCLXXXI.

VVALFRIDVS monachus & Abbas cœnobij Palatioli, (quod dudùm esse desijt) vir sanctus & Deo dilectus, fertur sanctitatis magnifica reliquisse indicia, quæ studiosi lectores possunt inquirere. Cuius festum agitur 15. Calendas Maij.

De sancta Landrada Abbatissa.

CAP. CCLXXXII.

LANDRADA monialis virgo & Abbatissa cuiusdã cœnobij in diœcesi Leodiensi, cuius vocabulum iam mihi non occurrit: multis virtutibus clarã enituit, cuius meritum declarant infinita miracula, quibus & in vita & post mortem multis coruscauit. Eius festum agitur 8. Idus Iulij. Translatio autem 14. Calendas Aprilis.

De sancto Iohanne Abbate.

CAP. CCLXXXIII.

IOHANNES Abbas monasterij Pennatensis, vir doctus & sanctus, cuius virtus charitatis & pietatis in pauperes, præcipua laude prædicatur, monachos suos verbo & exẽplo magnificè legitur instruxisse. Cuius festum agitur quarto Calendas Aprilis.

De sancto Gregorio Episcopo.

CAP. CCLXXXIIII.

GREGORIVS ex Abbate Traiectensis cœnobij, Episcopus ibidem, vir sanctissimæ conuersationis, doctor & prædicator egregius, multos sua doctrina populos conuertit ad Christum: cuius virtutum insigne cum laude prædicatur. Eius festum agitur 12. Calendas Ianuarij.

De sancta Vualtrude Abbatissa.

CAP. CCLXXXV.

VVALTRVDIS Abbatissa Castrilocensis monasterij, virgo nobilis genere, sed nobilior fide & actione, multis virtutibus & signis clara effulsit. Eius gesta habentur diligenter composita. Cuius festum agitur 4. Idus Aprilis.

De sancto Alberico Episcopo.

CAP. CCLXXXVI.

ALBERICVS Abbas & posteà Traiectensis Episcopus, cuius virtutes & merita magnis præconijs attolluntur: pastorale officium, quàm diù vixit, moribus & scientia magnificè adornauit. Cuius festum agitur 12. Calendas Septembris.

De sancto Felice monacho martyre.

CAP. CCLXXXVII.

FELIX monachus Frislariẽsis cœnobij, (quod dudùm alienatũ est ab ordine) vir sanctus & verbi Dei feruentissimus prædicator, post multa bonorum operum studia, cùm gentibus annunciaret fidem Christi, ab eis martyriũ recepit. Cuius festum agitur Nonis Iunij.

De sancto Disibodo Episcopo.

CAP. CCLXXXVIII.

DISIBODVS Episcopus in Hibernia, vir sanctissimæ conuersationis, cum cerneret populum suum duræ ceruicis & prorsus incorrigibilem, abdicato

to Episcopatu, cum quibusdã socijs venit in Germaniam, & in diœcesi Moguntina in Comitatu Spanhemẽsi, aptum suo desiderio locum reperit, in quo constructo cœnobio, multorum monachorũ pater fuit. Qui locus hodiè dicitur, mons sancti Disibodi, & à Cisterciẽsibus inhabitatur, postquàm nostri plùs q̃ trecentis annis illum à tẽpore sancti patris Disibodi incoluerũt. Eius vitam descripsit B. Hildegardis Abbatissa Bingensis cœnobij. Cuius festum agitur octauo Iunij. Claruit aũt circa annos Domini septingentos.

De S. Ausfrido Episcopo.

CAP. CCLXXXIX.

AVSFRIDVS Episcopus Traiectensis, vir secundùm seculi dignitatem Comes nobilis & potens, sed secũdùm Deum sanct⁹ & deuotus, magis elegit abiectus esse in domo Dñi, quàm mũdi honoribus extolli. Post Episcopatum nanq; monachus factus, in monte S. Mariæ latẽs, multis virtutibus clarus emicuit. Eius festum agitur 5. Nonas Maij.

De S. Vuilhelmo Abbate.

CAP. CCXC.

VVILHELMVS Abbas cuiusdam monasterij in Dacia, cui⁹ vocabulũ iam nõ occurrit, vir certè religiosæ & sanctissimę vitæ, multis virtutibus & signis à Deo meruit honorari, cuius festum colitur 16. Calendas Iulij.

De sancta Glodesinde moniali.

CAP. CCXCI.

GLODESINDIS virgo sanctimonialis Metẽsis, sanctæ vitæ & magni meriti apud Deum, quod multa documenta virtutum eius probauerunt, quorũ in eius historia ex parte fit mẽtio. Festũ eius agitur 8. Calendas Augusti. Anno 640.

De sancto Vincentio Abbate.

CAP. CCXCII.

VINCENTIVS Abbas monasterij Altimontensis, vir sanctus & Deo dilectus, cùm esset Comes de Hanegauue, seculum cum vanis honoribus suis deserẽs, monachorũ sanctissima studia deuotus subiuit: qui tãdem Abbas factus, multis virtutibus illustris fuit. Eius festum agitur pridiè Idus Iulij. Claruit anno Domini 650.

De sancto Volmaro Abbate.

CAP. CCXCIII.

VOLMARVS Abbas cuiusdam monasterij in pago Bononiensi, vir deuotus & oĩbus virtutib⁹ ornatus, fide firmus, spe robustus, charitate plenus, humilitate magnus, sanctitatis suæ multa viuus & mortuus documenta exhibuit, quæ in eius gestis diligenter cõscripta feruntur. Cuius festum celebratur 16. Calendas Iulij.

De sancto Adelberto monacho.

CAP. CCXCIIII.

ADELBERTVS monachus Epternacensis in diœcesi Treuerensi, vir sanctus & eruditus, exẽplo suæ religosissimæ vitæ & feruore prædicationis multos in amore Dei roborauit. Huius sanctissimũ corpus in Egmunda requiescit. Cuius festum agitur 7. Calẽdas Iulij. Et gesta ipsius habentur.

De sancto Richario Abbate.

CAP. CCXCV.

RICHARIVS Abbas monasterij, quod Centula nũcupatur, vir sanctus & inæstimabilis charitatis: in pauperes singulariter munificus fuit, suæque sanctitatis & multa & euidentissima monimenta reliquit. Cuius gesta habentur. Eius festũ agitur 6. Calendas Maij.

De sancto Theodulpho Archiepiscopo.

CAP. CCXCVI.

THEODVLPHVS ex monacho Lobiensis cœnobij Archiepiscopus Rhemensis in Frãcia, vir eruditissimus & egregius prędicator, cuius sanctitatis & meriti multa extant documẽta. Festum eius agitur 8. Calendas Iulij. Et gesta habentur.

De beato Domitiano Abbate.

CAP. CCXCVII.

DOMITIANVS Abbas monasterij in valle membrana in diœcesi Lugdunensi, vir sanctæ conuersationis, multis signis & virtutibus clarus effulsit. Cuius festum agitur Calẽdis Iulij. Et gesta habẽtur.

De S. Abel Archiepiscopo.

CAP. CCXCVIII.

ABEL ex Abbate Lobiensis monasterij, Archiepiscopus Rhemẽsis, vir in diuinis scripturis valdè eruditus, & multarum virtutum ornatu decorus, qui exemplo primi martyris Domino in simplicitate cordis seruire statuens, multis euidentissimis documentis iustus comprobatur. Eius festum agitur nono Calendas Octobris.

De sancto Ausuero Abbate, martyre.

CAP. CCXCIX.

ASVERVS Abbas monasterij sancti Georgij prope Rateborch, vir valdè venerabilis, & omnium virtutum ornatus decore, post multos labores monasticæ militiæ, vt ad altiora vocatus mereretur ascendere, à Sclauis cum triginta fratribus lapidatus, pro Christi amore martyr effectus est. Inter quos multi notabiles viri fuerunt, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. 15. Calendas Augusti.

De

De sancto Guiberto Abbate.
CAP. CCC.

GVIBERTVS Abbas monasterij Frisflariensis, quod modò nostri ordinis non est, vir sanctissimæ conuersationis, magnis clarus virtutibus effulsit. cuius festum agitur Idibus Augusti.

De sancta Lutrude moniali.
CAP. CCCI.

LVTRVDIS sanctimonialis Corbeiensis cœnobij, sanctæ & religiosissimæ vitæ, cuius si virtutes singulas intuearis, quam potiùs mireris, nō facilè poteris discernere. Omnibus enim vt singulis ornata effulsit. Eius festū celebratur 10. Calendas Octobris.

De sancto Sequano Abbate.
CAP. CCCII.

SEQVANVS Abbas monasterij Lingonicæ vrbis, quod nunc, ad sanctum Sequanum, nuncupatur, vir valdè venerabilis & magnæ sanctitatis, quod multa miracula testantur, quibus & in vita, & post mortē claruisse legitur. Cuius inclyta gesta habentur. Festum eius agitur tertiodecimo Calendas Octobris.

De sancto Hildulpho Episcopo.
CAP. CCCIII.

HILDVLPHVS ex duce monach9 Lobiēsis, ac postmodùm Abbas ibidem, & demùm Episcopus Lobiēsis, vir magnæ sanctitatis & meriti, multis virtutibus fertur claruisse. Cuius gesta habentur. Festum eius agitur 9. Calendas Octobris.

De sancto Adeodato Abbate.
CAP. CCCIIII.

ADEODATVS Abbas monasterij vallis Galilææ, ac postmodùm Episcopus Niuernensis, magnis virtutibus & meritis clarus emicuit: & quanuis Pontifex esset, tamē monachi propositū in nullo violauit. Cuius festum agitur 13. Calendas Iulij.

De sancto Tutone Episcopo.
CAP. CCCV.

TVTO ex monacho cœnobij sancti Emerami, Ratisponensis Episcopus, vir doctus & valdè notabilis, qui tam in spiritualibus quàm in temporalibus pontifex sagacissimus est habitus, multa documenta sanctitatis suę ad posteros transmisit. Cuius gesta habentur.

De sancto Mariano Abbate.
CAP. CCCVI.

MARIANVS Abbas cuiusdā cœnobij in territorio Bituricensi, cuius nomen iam inuenire nō potui, vir sanctus, & zelo disciplinæ regularis singulariter strenuus obseruator, meritorum suorū testimonia plurima dedit. Cuius festum agitur 14. Calendas Septembris.

De sancto Ermefrido monacho.
CAP. CCCVII.

ERMEFRIDVS monachus Luxouiensis cœnobij, & posteà monasterij Cusantiæ Abbas, vir doctus & sanctus, multis virtutibus legitur coruscâsse. Eius festum agitur septimo Calendas Octobris.

De beato Bertolfo Abbate.
CAP. CCCVIII.

BERTOLFVS Abbas Lobiensis cœnobij, vir omnibus virtutibus ornatus, fide & opere permagnific9, multos sua doctrina & exemplo ab iniquitate auertit. Eius gesta habentur. Cuius festum agitur 14. Calendas Septembris.

De sancto Amato Abbate.
CAP. CCCIX.

AMATVS Abbas monasterij S. Romarici, vir sanctus, & monasticæ disciplinæ cultor zelosus, post multa bonorum operum studia, martyrij corona laureatus est, Idibus Septembris.

De sancto Adelpho Abbate.
CAP. CCCX.

ADELPHVS Abbas monasterij Habēsis, vir & eruditus & sanctus, virtutū suarum merita pluribus indicijs comprobauit, dum & verbo & opere clarus vbiq; semper emicuit: quemadmodùm in gestis eius pleniùs continetur. Cuius festum agitur 4. Calendas Septembris.

De quinq; monachis martyribus.
CAP. CCCXI.

BENEDICTVS, Mathael, Iohānes, Isaac, & Cristinus, monachi & discipuli sancti Adelberti Pragēsis Episcopi, de cœnobio sancti Alexij Romæ, cum eodem causa prædicationis exeuntes, venerunt in Hungariam, vbi multos gentilium cōuerterūt ad fidem Christianam. Tandèm post multos labores pro Christo, in Polonia martyrio coronati sunt. Quorum festum translationis agitur 9. Calendas Septembris: Natale autem, 9. Calendas Maij. anno Domini 995.

De sancta Cæcilia Abbatissa.
CAP. CCCXII.

CAECILIA monialis & Abbatissa cœnobij virginum Christi in Sueuia, virgo sanctissimæ cōuersationis, quæ humilitate & obedientia cunctas ibidem vincebat moniales, ità vt omniū gubernatrix dignè fuerit cōstituta, magnis indicijs merita sua comprobauit. Cuius festū agitur 16. Calendas Decembris.

De

De sancto Apollinare Abbate martyre.

CAP. CCCXIII.

APOLLINARIS Abbas Cassinẽsis monasterij, post sanctum Benedictum decimus & septimus, vir tantæ sanctitatis & meriti, vt exemplo beati Apostoli Petri super aquis ambulauerit multoties siccis pedibus. De quo multa narrantur mirãda. Eius festum agitur 5. Calendas Decembris.

De sancta Richarde moniali.

CAP. CCCXIIII.

RICHARDIS imperatrix, vxor Caroli Grossi, post obitum mariti cõtempto regno terreno, ac mũdi regibus spretis, cęlestis regis thalamũ concupiscens, monasterium ingreditur: in quo Abbatissa constituta, magnis cœpit clarere virtutibus. Eius festum colitur 14. Calendas Septembris. Claruit anno Domini 900.

De sancto Procopio Abbate.

CAP. CCCXV.

PROCOPIVS monachus & Abbas cuiusdã cœnobij in Bohemia, quod modo, ad sanctũ Procopium, nominatur, vir sanctus & omni laude dignus, verbo & exemplo prędicator eximius fuit: qui, qualis quantusq; fuerit, multorum miraculorum ostensione declarauit, de quibus in gestis eius, ô lector, poteris informari. Cuius festum agitur 4. Nonas Iunij.

De sancto Sandrado Abbate.

CAP. CCCXVI.

SANDRADVS primus Abbas in Gladebach, vir sanctissimę conuersationis, & regularis disciplinæ cultor insignis, virtutum suarum plura fertur monimenta reliquisse. Cuius festum celebratur 9. Calendas Septembris.

De sancto Guidone Abbate.

CAP. CCCXVII.

GVIDO Abbas Pomposiensis cœnobij, ortus in suburbanis Rauennæ, villa Casamarẽsi, vir sanctissimæ cõuersationis, monachũ (nomine Martinũ) defunctum suis precibus reuocauit ad vitam, multisq; claruit miraculis, quæ in historia vitæ eius leguntur. Moritur anno Domini 1046. pridiè Calendas Aprilis, postquàm rexisset præfatum cœnobium annis 48. Eius festum celebratur quarto Calendas Maij, quãdò corpus eius de Italia fuit ad ciuitatem Spirensem translatum per Henricum imperatorẽ, vbi in Ecclesia collegiata sub eius honore fabricata quiescit.

De sancto Alberto monacho.

CAP. CCCXVIII.

ALBERTVS monachus Mediolacensis cœnobij in diœcesi Treuerensi, quod sanctus Lutuuinus dux Lotharingię cõstruxit, vir magnę sanctitatis, multa suarum virtutum indicia dedit. De quo variæ narrantur præconia laudum: quæ scire cupiens, in eius gestis requirat. Cuius festum agitur 7. Calendas Iulij.

De sancto Adelmo monacho.

CAP. CCCXIX.

ADELMVS monachus Stabulensis cœnobij, tam sciẽtia scripturarũ, quàm sanctitate morum vir multùm venerabilis, inter suos magna monimenta sanctitatis suę declarãsse perhibetur. Eius festum celebratur tertio Nonarum Februarij.

De S. Giberto Abbate martyre.

CAP. CCCXX.

GIBERTVS Abbas Luxouiẽsis cœnobij, vir deuotus & multũ religiosus, post diuturna monasticæ palęstræ certamina, vt cum multimoda laude veniret ad Dominum, à Paganis occisus, martyr trãsiuit gloriosus ad vitam. Passus est etiam cũ eo venerabilis Titulmus monachus Luxouiensis, vir doctus, & omni prædicatione religiosissimus.

De S. Bertario Abbate martyre.

CAP. CCCXXI.

BERTARIVS Abbas Cassinẽsis monasterij, post sanctum Benedictũ vicesimusnonus, vir doctus & valdè religiosus, post multos labores & sancta studia, à Saracenis ante summum altare peremptus, cum martyrij palma peruẽnit ad regnum æternum.

De S. Rotolpho monacho.

CAP. CCCXXII.

ROTVLPHVS monachus Fuldẽsis cœnobij, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & valdè insignis prædicator verbi Dei fuit. Vndè ab Hungaris occisus, glorioso coronatus martyrio, ad cælum euolauit.

De S. Maurilio Archiepiscopo.

CAP. CCCXXIII.

MAVRILIVS monachus Fiscauiensis cœnobij, & posteà Rothomagensis Archiepiscopus, vir plenus virtutibus, & maxime abstinentia, multa suæ sanctitatis monimenta reliquit, quæ literis sunt cõmendata. Eius festũ agitur Idibus Septembris. Claruit anno Domini 1070.

De sancto Paterno monacho.

CAP. CCCXXIIII.

PATERNVS monachus cœnobij Paderbornẽsis vrbis, natione Scotus, vir sanctus & Deo dilectus, ꝓ Christi amore ibidẽm inclusus, vrbis incẽdium diù antè diuino spiritu prędixit. Ad cuius sepulcrum multa miracula facta legũtur. Moritur aũt anno Domini millesimo quinquagesimo-

 octauo,

octauo, cũ cellula sua combustus, sexta feria ante festum Palmarum, quę fuit 4. Idus Aprilis.

De sancto Lanfranco Episcopo.
CAP. CCCXXV.

LANFRANCVS ex Abbate Cadoniẽsis monasterij, Archiepiscopus Cantuariẽsis, de quo in secũdo libro fecimus mentionẽ, vir doctissimus & valde religiosus, non sine magnæ sanctitatis opinione habitus est, sicut in gestis eius diligenter conscriptis inuenitur, quorum non est huius tẽporis per singula reminisci. Claruit anno Domini 1060.

De sancto Arnulpho Episcopo.
CAP. CCCXXVI.

ARNVLPHVS monachus cœnobij S. Medardi, & ibidem pro Dei amore inclusus, deindè Abbas eiusdem cœnobij, & posteà Episcopus Suessionẽsis, vir sanctissimæ vitæ, multis claruit virtutibus & signis, qui etiam prophetico spiritu illustratus fuit. Hic pro pacis redintegratione inter Flandrẽses facienda, venit in Flandriam, & in vico quodam ecclesiã S. Petri iam diuinis miraculis illustratã, cœnobiũ monachorũ instituit, in quo, vt pdixit, posteà finem huius exilij fecit: & corporis sepulturam accepit 17. Calendas Septembris. Claruit autem anno Domini 1080.

De S. Anselmo Archiepiscopo.
CAP. CCCXXVII.

ANSELMVS ex Abbate Beccẽsis monasterij, post Lanfrãcum Archiepiscopus Cantuariensis, vir sanctissimæ vitæ, quod multa eius miracula testãtur, ad vtilitatem Ecclesiæ opere & verbo nõ mediocriter desudauit. Eius gesta diligenter conscripta sunt. Claruit anno Domini 1100. Cuius festũ agitur 11. Calendas Maij.

De sancto Hugone Abbate.
CAP. CCCXXVIII.

HVGO Abbas Cluniacẽsis, vir doctus & sanctus, cuius infinitæ narrantur virtutes, tam in vita q̃ post mortẽ infinitis effulsit miraculis, de quib⁹ in vita eius longa narratio fit, omnibus religiosis norma fuit & exemplar disciplinę. Hic apud Romanos pontifices, reges & põtifices, in magno honore habitus, multa ad vtilitatem Ecclesię studuit operari. Claruit anno Dñi 1100. Cuius festũ agitur 3. Calendas Maij.

De sancto Goderanno Episcopo.
CAP. CCCXXIX.

GODERANNVS monach⁹ & discipulus B. Hugonis Cluniacensis, & posteà Episcopus Sanctonicensis, vir sanctæ & religiosissimæ cõuersationis fuit, cui⁹ virtutem & charitatem si nõsse cupis, factum eius cum leproso stupẽdum legas, quod in vita eius sancti patris Hugonis cõtinetur. Reliqua in gestis eius proprijs requirenda sunt. Claruit anno Domini 1120.

De sancto Ottone Episcopo.
CAP. CCCXXX.

OTTO monachus cœnobij sancti Michaelis Archangeli mõtis monachorum prope Bambergam, & posteà eiusdẽ vrbis Episcop⁹, vir sanctissimæ vitæ, multarumq́; patrator virtutum, magnis fertur claruisse miraculis. Hic cõsecrauit Adelbertum Archiepiscopum Moguntinum apud Coloniam. Gesta eius diligẽter conscripta sunt. Claruit in Episcopatu anno Domini 1120. Construxit etiam quædam cœnobia nostris in Franconia. Eius festum agitur 2. Calendas Octobris.

De S. Iutta moniali virgine.
CAP. CCCXXXI.

IVTTA sanctimonialis, & in monte sancti Disibodi p Christi amore inclusa, vigintiquatuor annis vitã in arcta pœnitentia ibidẽm continuauit. Hæc fuit soror domini Meginhardi Comitis de Spãhem, fundatoris nostri cœnobij, & magistra B. Hildegardis Abbatissæ S. Ruperti apud oppidum Bingense. Erat autem virgo sanctæ conuersationis, & diuini amoris igne accensa ab adolescentia sua. Vndè contempto seculo, ad Christi seruitutem toto desiderio conuolauit. De qua fertur, quòd siccis pedib⁹ sæpiùs calcauerit vndas fluuij Nahæ, iuxta montem iam dictũ præterfluentis. Nam si quãdò imbribus auctus intumuisset fluuius, ipsa super fluuios ambulans, ad officia diuina sine impedimento, angelorũ suffragijs adiuta, peruenire consueuit. Qualis autem fuerit hæc virgo beata, quàm humilis, quàm charitatiua, quàm continua in orationibus, nec præsentis operis est dicere, nec meæ facultatis. Nunquàm à diuino seruitio tepuit, nunquàm cessauit: sed erat in oratione continua, in sermone prouida, in cogitatione munda, in operatione præcipua. Post multa autem exercitia pietatis, Domino Iesu vocãte eam, ad nuptias æternæ felicitatis, deuicta morte, transiuit vndecimo Calẽdas Ianuarij, anno Domini millesimo centesimo 36. Indictione 14. anno conuersionis suæ 24.

De sancto Malcho Episcopo.
CAP. CCCXXXII.

MALCHVS monach⁹ Michoniẽsis cœnobij in Hybernia, & posteà Episcopus in ciuitate Lesmor, pceptor & magister B. Malachiæ pontificis, vir sapientia & virtute ornatus, qui multis etiam in vita claruit signis: verbo & exemplo multorum mentes ad semitas iustitiæ direxit. Claruit anno Domini 150. Eius gesta habentur.

De

De S. Malachia Archiepiſcopo.

CAP. CCCXXXIII.

MALACHIAS ex Abbate Bencoréſis cœnobij in Hybernia, Epiſcop⁹ ciuitatis, q̃ Concreth dicebatur, & pòſt Archiepiſcop⁹ Ardinachẽſis, ac metropolitanus totius Hyberniæ, vir ſanctiſſimæ conuerſatiõis, infinitis viuus & defunctus miraculis coruſcauit. Moritur apud Clarauallem, anno Dñi 1148. Nonis Nouembris. Cuius vitã B. Bernardus Abbas Clareuallenſis luculẽto & copioſo ſtylo deſcripſit.

De beata Hildegarde Abbatiſſa.

CAP. CCCXXXIIII.

HILDEGARDIS virgo ſanctiſſimæ cõuerſatiõis, orta in Comitatu Spãhemenſi ex nobilibus parentibus, cùm adhuc eſſet infantula ſub magiſterio beatæ Iuttæ virginis Chriſti, de qua ſuprà diximus, tradita in amore Dei magnificè proficiẽs, angelicis reuelationibus à pueritia meruit recreari. Manſit in monte ſancti Diſibodi cum magiſtra ſua, quàm diù illa vixit: qua mortua, diuina reuelatione ad montem ſancti Ruperti iuxta oppidum Bingis, cũ duodecim ſacris virginibus tranſmigrauit, vbi monaſterium conſtruxit, quod vſq; in hodiernum perſeuérat. Sancta verò Hildegardis famula Chriſti, per multos annos in camino paupertatis & infirmitatis decocta, quo plùs affligebatur in corpore, eo ampliùs proficiebat in mente. Crebris enim reuelationibus angelicis conſolabatur ægritudinem carnis. Sub eius magiſterio maxima diſciplina regularis vitæ in præfato cœnobio vigebat: adeò, vt Romani põtifices, imperatores, reges & principes, felices ſe iudicarent, ſi orationũ Hildegardis & virginum eius mererentur eſſe participes. Miranda de hac ſacra virgine leguntur, quæ non eſt huius operis vel temporis replicare. Eius vitam Theodericus Abbas quatuor voluminibus conſcripſit, in qua multa miracula per eam diuinitùs acta demonſtrauit, ità vt claudos & cæcos curauerit non paucos. Denique qualis fuerit, etiam in ſecundo huius operis libro ex parte deſcripſimus. Ad cuius doctrinã & ſanctitatem comprobãdam maximè facit authoritas trium ſummorum Pontificum, ac aliorum multorum præſulum, qui ab ea epiſtolas & conſolationes humiliter poſtulàrunt. Quæ omnia tam in vita eius, quàm etiam in epiſtolis, quas ad diuerſos edidit, clarè inuenies. Claruit anno Domini 1160. Cuius feſtum agitur 4. Calendas Octobris.

De beata Eliſabeth Abbatiſſa.

CAP. CCCXXXV.

ELSSABETH monialis & Abbatiſſa cœnobij virginum Chriſti Schonaugienſis in finibus Treuerenſis diœceſis, virgo ſanctæ & admirabilis cõuerſationis, de qua etiã in ſecũdo libro iam fecimus mentionem, cùm eſſet annorum duodecim, præfatum cœnobiũ intrauit: in quo tantæ puritatis & religionis enituit, vt diuinis reuelationibus crebriùs meruerit conſolari. Anno enim vndecimo conuerſionis ſuæ, ætatis verò viceſimotertio, incepit manus Domini operari cum ea, ità vt deincẽps, vſque ad finem vitę ſuæ, multas & varias reuelationes habuerit, & hoc maximè diebus Dominicis atq; feſtiuis, tempore diuinorum officiorum in choro, vbi maior omnium feruebat deuotio. Modus autem hic erat: Cadebat ſuper eã paſſio quædam præcordiorum, ità vt lapſa repentè in ecſtaſim, velut exanimis quieta perduraret, nullusque halitus in ea ſentiri potuiſſet. In tali exceſſu rapiebatur ſpiritus ad diuerſa loca, & angelicis allocutioribus in multis docebatur. Tandèm poſt lõgum exceſſum reſumpto ſpiritu, diuiniſſima verba proferebat, aliquãdò Teutonico ſermone, aliquãdò verò Latino, cùm tamen Latini ſermonis penè nullam haberet peritiam. Spiritus enim, qui loquebatur in ea, vt voluit, verba formauit. Nouimus autem hanc filiam dilectam à Domino, nec de mentis eius ſynceritate dubitamus, cuius & vitã, & dicta, in multis argumentis legimus comprobatã. O felix ſponſa Chriſti, cuius animam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, martyrij tamen laureã nequaquàm amiſit. Tota enim vita eius, quid aliud erat q̃ longum martyrium, quæ portãs iugum Domini ab adoleſcẽtia ſua, ſub diſciplina regulari ambulabat in paupertate ſpiritûs & multiplici afflictione carnis? Semper enim manus Domini grauis fuit ſuper eã, nec vllo tempore defuit flagellũ pij cõditoris premens animum, & conterens debile corpus preſſuris & infirmitatib⁹, quas ille ſolus nouit atq; remunerat, qui laborẽ & dolorem ipſe cõſiderat. Et quãuis in ægritudinibus continuis vexaretur, ſemper tamẽ erat hilaris, ſemper patiens, ſemper in pſalmis & orationibus, ſemper in lachrymis & volũtarijs afflictionibus Domino ſe acceptabile mactabat ſacrificium. Gaude virgo ſponſa Chriſti dilectiſſima, quæ ꝓ laboribus breuis temporis, æterna recipis gaudia: olìm affligebaris in corpore, nũc lætaris in æternitate. Noſtrì memor, tuis precibus impetra veniam peccatorum, quæ pro tua reuerentia nõ patieris repulſam. Reddidit Deus mercedẽ laboribus tuis, pro cuius amore ægritudines cunctas caſto corpore ac mente patienter tuliſti: paruæ tribulationi rex cæli ſe tibi dedit in præmium. Riuos lachrymarum tuarũ, ô virgo beata, inenarrabile gaudium compenſat, quod nullo fi-

ne terminatur. Et felix Schonaugia, quæ talem rosam in odorem Domino suauissimum ad cælos transmisisti, cuius etsi pompā natalis nesciat populis, eius tamē precibus à Domino conserueris. Sed à nostræ consuetudinis proposito digressi, longiorem solito contexuimus de sacra virgine narrationem. Sufficiant igitur hæc, vt ad finem huius voluminis optatum tandem veniamus. Qui autem virginis nostræ Elisabeth vitam, mores ac conuersationem pleniùs scire desiderat, libros eius, quos, diuinitùs instructa, edidit: & felicem transitum, qui literis commendatus est, legat. Moritur autem anno Domini 1165. Indictione 13. ætatis suæ anno 36. conuersionis 24. visitationis autem paternæ gratiæ, 13. 14. Calēdas Iulij. sepulta in Ecclesia monachorum sancti Florini ibidem.

De quibusdam alijs sanctis martyribus ex ordine.

CAP. CCCXXXVI.

HI sunt ex ordine nostro sancti, quos nominibus suis ad præsens duximus consignare: quibus & alios martyrio quosdam coronatos volumus adiungere, quorum nomina ignoramus. Monasterium fuit olim in Hybernia, quod sanctus Colūbanus ædificauit, nomine Benchor, in quo multa millia monachorū habebantur: ità, vt succedentibus sibi vicissim choris, continuarentur solennia diuinorū, & nec ad momētum à diuinis laudibus cessaretur. In hoc monasterio nongenti monachi simul à piratis interfecti, martyrio coronati, ad regna cælorū peruenerunt. Temporibus Caroli Calui, qui imperauit anno Domini 880. in maiori monasterio S. Martini prope Turonem, occisi sunt centum & 16. monachi à Nortmannorū duce Rollone, qui illo tempore velut astra in firmamento cæli, sic ordinem monasticum illustrârunt. In monasterio Floriacensi sexaginta monachi simul vna vice à Paganis feruntur pro fide Christi occisi, viri religiosi & valdè notabiles. Cū sancto etiam Bonifacio, Archiepiscopo Moguntino, multi venerabiles monachi martyrizati sunt, quorum nomina in libro vitæ conscripta, nobis incognita. Circa annos Domini 800. beatus Vuilhardus, primus Episcopus Bremensis, multos venerabiles monachos causa ꝑdicationis misit in Daciam, qui ꝓ fide Christi martyrio ibidem sunt coronati. Sanctus quoquè Adalbertus, Episcopus Pragensis & martyr, multos monachos habuit discipulos martyrio coronatos, quorum nomina ignoramus.

Quòd paucos hic posuerim sanctos, ad comparationē aliorū.

CAP. CCCXXXVII.

SED quid multis immoror? Si omne studium meū ad hoc verterem, si tempus totum impenderem, vix paucos è multis, vel solis nominibus designare sufficerem, qui ex ordine nostro suis locis vt sancti, & verè sancti, ab Ecclesia venerantur. Latus fuit olim in orbe sacratissimus ordo Benedicti, qui à mari vsque ad mare suos palmites misit, & multa sanctorum millia ad Dominum transmisit. Nam sicut ferunt hi, qui huic studio diligentiam impenderunt, de ordine diui patris Benedicti plus quàm quindecim millia sancti & catalogo diuorum inserti Abbates, monachi & moniales, numerantur. In tanta autem multitudine sanctorum, quis non miretur, quis non veneretur ordinem Deo sacratum? Horum omnium etsi à nobis nomina ignorentur, apud Deum tamen in memoria æterna sunt, qui gloriosus in sanctis suis, omnibus electis vires tribuit sanctitatis. Nemo enim sanctus viribus suis. Nisi enim gratia Dei, hominis voluntatem dirigat, ad sanctitatis regulam non appropinquat. Gratia igitur Dei, bonæ voluntatis assensu, perficit sanctitatem. Sed ad propositum huius operis iam ista non pertinent. Ad incepta igitur reuertamur. Nemo æstimet, me omnes nostri ordinis sanctos aut voluisse, aut potuisse nominatum perstringere, cùm numerus eorum tantus sit, vt fidem narrationis videri posset excedere. Ego enim, quantùm sinebat breuitas temporis, eorum tantùm recordatus sum, quorum opinio in Ecclesia Dei vulgata magis videbatur. Nec dubito, plures in diuersis mundi partibus à fidelibus populis venerari, de quibus apud nos nulla memoria habetur. Scripsi autem hunc tertium librum de sanctis nostri ordinis, nè viderer præteriisse morem cæterorum, qui statum suæ religionis, sanctorum suorum multitudine iudicant gloriosum. Nec immeritò: Quanuis aliena sanctitas nos minimè commendabiles faciat, ad imitationem tamen eorum, quos veneramur, reddit intentos. Sed quid est, si gloriamur in multitudine sanctorum nostrorum? Nisi enim mores eorum sanctos imitari studeamus, de illorum sanctitate frustrà gloriamur. Ad cōfusionem quippe nostram de præterita multitudine sanctorum gloriamur, si non sequimur eos, de quibus putamus esse lætandum. Nihil nobis aliena virtus ad salutem proficit, si ad imitationem se animus non extendit. Qui ergò de sanctis sui ordinis gloriosum se æstimat, quasi pauper dè aliorum substantia exultat. Et verecundū est pauperi, progenitorū suorū iactitare diuitias, qui sua negligētia vel culpa ad illas venire non

festi-

festinat. Tãto enim miserabilior est, quanto suos asserit & nouit feliciores. Sãctum non facit alterius commẽdatio meriti, nec felicem scientia felicitatis alienæ. Bene veraciterq; sanctos laudat, qui sanctos imitatur: & rectè exultat de sanctorum numero, qui illũ augere studet ex ꝓprio. Quòd si laudas & non imitaris, teipsum confundis. Quid enim ꝓficit homo, si aliis lauder, & semetipsum laudabilẽ nõ reddit? Quasi vitam laudans, mortem arripit, qui bonos commendans, imitari contemnit. Vt ergo laus sanctorum ad nostrã ædificationem proficiat, studeamus operibus sanctis etiam posteros ad imitationẽ nostri prouocare. Vtinam attenderemus pristinum ordinis nostri decorem, quem vita sanctorum venerabilẽ reddidit, & scripturarum scientia gloriosum. Vtinã patres nostros sanctos imitemur, de quorum multitudine videmur gloriari. Contempserũt mundum, diuitias spreuerunt, vt expediti & alacres Christum sequerẽtur. Nemo enim Deo militans, negocijs se implicat secularibus.

Contra illos, qui post professionem monasticam terrena sapiunt.

CAP. CCCXXXVIII.

PVDET me quorundam audire vesaniam, qui se dicunt esse religiosos, factis autem negant. Vetus prouerbiũ est: Cappa non facit monachum, sed vita religiosa, & à mundi vanitatibus aliena. Qui autem cupiditatibus extenditur, qui mundi negocijs implicatur, qui diuitias sectatur atque honores, monachi vocabulo indignus est. Monachus enim à solitudine accipit nomen, qui iuxta Prophetæ consilium, solitarius sedeat, & se in contemplationis altitudine supra se leuet. Sic veteres sancti, quorũ in hoc catalogo fecimus mentionem, vt veri monachi potuissent existere, solitudinem legũtur amasse. Monachus autem in turba, est piscis sine aqua. Sed nostri Abbates & monachi tunc se religiosos æstimant, si mundi diuitijs studiosiùs intendant. Paucos nũc inuenies, qui contemplationi vacent, qui orationibus insistant, qui diuinis scripturis inuigilent. Multi autẽ terrena sapiunt, diuitias quęrunt, honores ambiunt, solitudinem fugiũt, in vrbibus cõuersantur. Plura sunt in ordine S. Benedicti cœnobia, plures Abbates, & monachi plures: sed nec vbiq; ad regulę puritatẽ viuitur, nec omnes sanctorũ exempla imitantur. Ad religionẽ multi veniunt, sed in religione pauci religiosè viuunt. Et hoc idem Dominus in Euãgelio prædixit: Multi sunt vocati, pauci verò electi. Quãuis de vocatione gentiũ ad fidẽ hoc dictũ sit, tamẽ etiã in religionis ordine cõpletur. Vocatur quidẽ omnes, qui veniunt: sed pauci à Domino eligũtur: quia, vt diximus, pauci ad regulæ puritatem cõuersantur. Dum enim ad mundana negocia se conferunt, dum cupiditatibus inseruiunt, dum carnis voluptates quærunt: tam monachi, quàm Abbates, electionis gratiam amittunt. O si nunc monachorũ tãta esset industria erga spiritualia, quanta olim apud veteres fuit, quàm felix esset sacri ordinis status. Sed quia neglectis spiritualis vitæ institutis, sola caduca quærunt, cum spiritualibus etiam temporalia deficiunt.

Exhortatio breuis ad fratres.

CAP. CCCXXXIX.

SED iam tempus est, vt etiam hunc tertium librum cõcludamus, nè prolixitas nimia tædium pariat legentibus vel obliuionem: libet pro exhortationis formula, auditores beneuolos paucis reddere attentos. Vos igitur patres & fratres alloquor, qui ordinem diui patris nostri Benedicti gubernatis & illustratis in parte modica reformatũ: vobis admonitio mea complaceat, qui cupitis vnionẽ restaurationis nostræ in suo perdurare vigore. Ecce iam plura nostri ordinis cœnobia per Alemaniam in pristinum decorem reformata sunt: in quibus ad puritatem regulæ, ac statutorum monachi conuersantur. Oro & moneo, vt idipsum omnes sentiamus. Prouocent nos, velim, ad æmulationem sanctam exempla præcedentium patrum, qui ordinem nostrũ vita & scientia illustrem reddiderũt. Nõ simus filij desertores, qui sanctorum floccipendant instituta. Vnusquisq; nostrùm ordinis sui decorem & diligat, & augeat: & quantũ sufficit, curam pro illo agat incessabilem. O cultores venerandi horteli salutis, diligite iustitiam, religionẽ colite, exercete pietatem. Nullus sit in hoc agro sterilis, nullus infructuosus, nullus moribus inhonestus. Mentis suæ agrum vnusquisque diligenter exerceat, tribulos dissensionum & displicentiarum omnes eradicet, spinas mundanæ cupiditatis, igne diuini amoris exurat. Seruiamus Domino in timore, & nihil nobis deerit, cum syncerè timentibus. Nemo sit in hac vita ociosus: quoniã bonorũ laborũ gloriosus est fructus. Si vis te cæteris pręstare imitabilẽ, si ordinem facere illustriorem: mundum sperne, honores fuge, diuitias contemne, solitudinẽ dilige, orationibus incumbe, cõtemplationi insiste, scripturis sanctis intende, Deum semper time. Si verus monachus esse desideras, fuge homines, ama secretum cellæ, ocium vita, habeto charitatem.

Omni tempore sint vestimenta tua candida, si à nuptijs æterni regis non vis expelli. Sordes ille odit animorum, quem soli videbunt oculi purarum mentium. Noli tempus pœnitentiæ indultum negligere, noli de rebus transitorijs cogitare: quoniam qui veniam donat pœnitētibus, sæpè gratiam subtrahit differentibus. Tota enim vita monachi debet esse pœnitentialis, etiam si culpis videatur esse immunis. Semper iustus in hac vita habet vndè lugeat, qui duram in carne seruitutem portat. Si non habet propria peccata, luget aliena. De eleemosynis in cœnobio viuimus, & ergò pro peccatis aliorū debitores sumus. Sic viuamus monachi, vt non timeamus mori. Bona enim vita non est morti obnoxia.

EXPLICIT LIBER TERTIVS DE ILlustribus viris ordinis sancti Benedicti, anno Domini 1493. sexto Iduum Februarij.

INCIPIT PROLOGVS DOMINI IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEIMENSIS, IN QVARTVM LIBRVM DE ILLVSTRIBVS VIRIS ORDINIS S. BENEDICTI.



SI multitudo illustrium virorum, qui in pace quiescunt, ordinem nostrum in præsenti facerent clariorem, reatui me crederē graui obnoxium, si vel vnum præterirem. Nunc autem verecūdiam auget miseris transacta felicitas, quā qui ad memoriā reuocat, quasi doloribus mentem voluntariè sauciat. Summa enim amissæ claritatis cōnsolatio est, cita & continuata obliuio. Vndè quanuis ordinem nostrum non æstimem feliciorem, si Ecclesiasticis fuerit sublimatus honoribus: tamen in hoc quarto volumine me breuiter volo expedire, nè alienis facultatibus videar gloriari. Nequaquàm enim diui patris Benedicti religionem idcircò meliorem iudico, si Ecclesiæ sanctæ de suis filijs multos germinârit pontifices, cùm & illi qui principantur populis, boni reperiantur, & mali. Sed vt ijs, qui me hoc onus subire fecerunt, satisfaciā, etiam in isto volumine ordinem promissum quàm breuiter obseruabo, ità vt Romani Pontifices ex nostro ordine assumpti, secundùm temporum successiones, ponâtur primò: deindè Cardinales pauci è pluribus, Archiepiscopi diuersarum prouinciarum tertiò, & vltimò Ecclesiarum quarundam quidam pontifices. Et, vt dixi, paucos signabo è pluribus, quoniam omnes percurrere & difficile est, & minimæ vtilitatis. Eorum tantùm recordabor, qui & meritis & nomine extant clariores: quanquàm nec illos quidē omnes potuerim inuenire. Nam & his, qui nobis forsitan clari videntur, apud alios inueniuntur clariores. Si quid igitur à nobis obmissum est, quod periti æstiment inserendū huic catalogo, id faciant, qui possunt: mihi sufficit, vel in modico obtēperâsse petentibus. Sanè lectorem meum facio auisatum, quòd in hoc libro vna persona nonnunquàm sæpiùs ponitur, quæ de minori dignitate ad excellentiorem ascendisse inuenitur. Vt si ante Archiepiscopatum aliquis in alia vrbe fuisset Episcopus, vtrobiquè erit scribendus. Quanuis & hoc ipsum ex industria plerunquè obmiserim. Singulorum autem tempora, quæ mihi ex Chronicis erant nota, signaui, non secundùm ordinē ætatis, sed prout occurrebant: quod etiam in præcedenti libro sic cōtigit. Festinabam enim, nec licebat mihi, semèl scripta, ad alium ordinem collocare. Et quidem parùm refert, quis alium præcedat vel sequatur, dum tamen eorum, quos reperire potui, tempora signentur. Quorum verò tempora non reperi, in futurū signāda, cùm inuenero, silētio transiui. Curiosi homines tempora exquirunt, non facta. Nos autem, vbi potuimus vtrunque inuenire, signauimus: in reliquis merita temporibus præferentes, quoniam qui sine tempore regnant in patria, non curant nostras supputationes in terra. Qui autem male sentiunt, nec temporum cognitione releuantur, nec obliuione remeabunt.

INCI-

INCIPIT LIBER QVARTVS IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEIMENSIS, DE ILLVSTRIBVS VIRIS ORDINIS SANCTI BENEDICTI, TRACTANS DE PONTIFICIBVS EX EO ASSVMPTIS.

CAP. I.



QVONIAM scribendi historiã veritas summè custodiẽda est, nè aut deceptor appareat in proprijs, aut deprauator in alienis: de põtificibus igitur Ecclesiarũ ex nostro ordine assumptis facturus sermonẽ, vtrunq; obseruare cupio: vt in narratione sit veritas, & in honore integritas. Neq; ignoro, quàm praui sint, qui dignitates Ecclesiasticas elata vanitate non vocati ambiuntiqui tamen non ordinem suũ, vnde exiuerũt, sed semetipsos confundũt. Negare autem, huiusmodi pestilentes homines aliquãdo fuisse in ordine, nec volo, nec possum. Vndè si quandò tales officio calami à me in sequentibus exarentur, nec blandũ me volo exhibere, nec inuidum, sed veracem, quantùm mihi nota fuerit qualitas personarum. In talibus quippe non laudabo vitium, sed exprimã dignitates. Quod dum facio, mãlo de veritate repræhendi, quàm argui falsitatis. Dum autem omitto, tacitè fatebor ignorantiam meam in factis. Neque enim introitum singulorum perscrutari, ad meam pertinebat potestatẽ. De manifestis tamen erit apertè sentiendum. Nunc igitur ad propositum festinãtes, de summis pontificibus ex ordine assumptis, loquẽdi sumamus exordium, prolixitatem in omnibus refrenantes.

De summis pontificibus, ex ordine nostro assumptis.

CAP. II.

GREGORIVS primus, patria Romanus, patre Gordiano viro senatorio, ex monacho Leuita, monasterij sancti Andreę Apostoli, quod ipse in vrbe Roma construxerat, ad pontificatum assumptus post Pelagium Papã secundũ, sedit annis tredecim, mensibus sex, diebus decem: vir doctissimus, philosophus & rhetor insignis, conuersatione sanctus, humilis & totus religiosus, multa ad Ecclesiæ catholicæ vtilitatem sagaciter patrauit. Huius doctrina & vita, suprà q̃ creditur, elegans fuit, quemadmodùm satis diligenter cõscripta est. Cõstruxit multa cœnobia monachorum: Anglos per Augustinũ cõuertit ad fidem, qui hactenùs idolis sacrificabãt. Hic primus titulũ humilitatis literis suis apposuit, & seruorũ se Domini seruũ appellauit. Tantæ aũt scientiæ & intellectus fuit, vt vnus de quatuor doctoribus Ecclesiæ principalioribus fieri mereretur. Electus fuit in Petri successorem anno Dñi 590.

De Bonifacio Papa quarto.

CAP. III.

BONIFACIVS quartus, natione Marsus, ex monacho sancti Sebastiani in Vrbe, ad pontificatũ assumptus, sedit annis sex, mẽsibus octo, diebus 12. vir doctus & eruditus: qui templũ Pantheon à Phoca Cæsare Romę obtinuit, quod in honorem beatæ Mariæ semper virginis & omnium sanctorum martyrũ cõsecrauit. Et ab hinc festũ omnium Sanctorũ annis singulis celebratur in Ecclesia. Domum etiã paternam in monasteriũ nostri ordinis redegit, suosq; fundos & reditus omnes in vsus monachorum conuertit. Hic monachis potestatem dedit prædicandi, absoluendi, & baptizandi, sicut in Canone habetur. Claruit autẽ anno Dominicæ natiuitatis 608.

De Adeodato Papa.

CAP. IIII.

ADEODATVS patria Romanus, patre Iouiniano, ex monacho sancti Erasmi in Cæliomonte, creatus pontifex, sedit post Vitalianũ annis quatuor, mensibus duobus, diebus quinq;: vir deuotus, & à iuuentute sanctimonię deditus, in delinquẽtes pius, in pauperes misericors, in hospites benignus, in omnes vt pater clemens atq; solicitus. Qui mox inito pontificatu, monasterium, in quo antè vixerat monachus, tam ædificijs quàm cẽsibus magnificè reformauit. Claruit in pontificatu anno Domini 674.

CAP. V.

De Agathone Papa primo.

AGATHO primus, natione Siculus, patre Romano, ex monacho pontificatum adeptus, sedit annis duobus, mensibus sex, diebus quindecim: vir certè tantæ sanctitatis, vt leprosum obuiũ factum, osculo suo statim liberauerit. Tantæ præterea mansuetudinis & humilitatis fuit, vt neminem à se vnquàm tristem dimiserit. Claruit anno Domini 680.

De Stephano Papa tertio.

CAP. VI.

STEPHA-

STEPHANVS tertius ex monacho sancti Chrysogoni Romæ, ad pontificatum electus, sedit annis 4. mensibus 5. diebus 27. vir certè doctus & valdè eruditus, atque in rebus agendis, maximè Ecclesiasticis, strenuus admodùm & constans. Fuit autem primò monachus in præfato cœnobio, postea sub Zacharia Papa factus est presbyter Cardinalis sanctæ Cæciliæ, & demùm post Constantini Laici deiectionē Papa. Claruit anno Dñi 770.

De Leone Papa quarto.
CAP. VII.

LEO Papa quartus, primò fuit monachus sancti Martini in Vrbe, postea presbyter Cardinalis tituli sanctorū Quatuor coronatorum, à Sergio Papa creatus, tantæ doctrinæ & integritatis vir, vt in Sergij demortui locum pōtifex suffectus, sederit annis octo, mensibus tribus, diebus sex. Hic multa bona fecit, de quibus in libro pontificum lata fit mentio. Denique in sanctorum numerum relatus est, cuius festum 16. Calendas Augusti celebratur. Claruit anno Domini 848.

De Leone Papa quinto monacho.
CAP. VIII.

LEO quintus ex monacho de Brandalo, pontifex creatus, post Benedictū, eius nominis quartum, sedit tātùm diebus quadraginta. Habebat enim presbyterum familiarem domo nutritum sua, nomine Christophorum, qui libidine dominandi accensus, pontificem coniecit in carcerem, vbi paulopòst ex animi dolore mortuus est. Ipse verò Christophorus inuasit pontificatum, quem sicut turpiter acquisiuit, ità post mēses septem statim amisit, & in monasterio trusus, ibidem vitam finiuit. Claruit autem Leo anno Dñi 905.

De Syluestro Papa secundo.
CAP. IX

SYLVESTER secūdus, monachus quōdam Floriacensis, natione Gallus, pontificatū malis artibus (vt dicitur) adeptus, sedit annis quatuor, mense vno, diebus octo. Vir quidē doctus, sed malis actibus nigromantiæ intentus, quibus ad tantam dignitatem creditur peruenisse. Hic priùs vocabatur Gilbertus, & primò quidē fuit Archiepiscopus Rhemensis, posteà Rauennatēsis, postremò Papa. Ferūt, eum in fine vitæ suæ pœnitentiam egisse iudicio diuino condignā. Claruit anno Dñi 998.

De Stephano Papa nonò.
CAP. X.

STEPHANVS nonus, Fredericus anteà vocatus, natione Lotharingus, Abbas Cassinensis, pontificatū adeptus post Victorem secundum, sedit tantùm mēsibus septem, dies octo. Hic fuit frater Gotfridi Ducis Lotharingiȩ, vir bonus, qui morte præuentus, multa vtiliter concepta perficere non potuit. Claruit anno Domini millesimo quinquagesimosexto.

De Gregorio Papa septimo.
CAP. XI.

GREGORIVS septimus, Hildebrādus antè vocatus, monachus Cluniacensis, natione Hetruscus, patria Saonensis, creatus pontifex post Alexandrum secundum, sedit annis 12. mense vno, diebus quatuor, vir certè multæ doctrinȩ, magnȩ pietatis, prudentiæ, iustitiæ, cōnstantiæ, & religionis, qui multa pro Ecclesiæ defensione & peregit & sustinuit. Hic primò Cluniacensis, vt diximus, monachus, à Leone Papa nono Diaconus Cardinalis fuit creatus, ad Ecclesiā sancti Pauli, & demùm summus pontifex omnium consensu electus, anno Domini 1072. 10. Calēdas Maij, in basilica sancti Petri ad Vincula, Indictione 10.

De Victore Papa tertio.
CAP. XII.

VICTOR tertius, Desiderius anteà vocatus, Abbas Cassinensis, Gregorio prædicto suffectus, sedit in pontificatu anno vno, mēsibus quatuor: vestigijs prædecessoris sui inhærens, Henricum Imperatorem sensit inimicū, cuius tandem insidijs & fraude (vt suspicantur multi) veneno in calice iacto, dum celebraret, necatus est. Claruit anno Domini 1085.

De Vrbano Papa secundo.
CAP. XIII.

VRBANVS secundus, Otto anteà vocatus, monachus Cluniacēsis primò, deindè Cardinalis Hostiēsis, ac postremò summus pontifex omnium suffragio creatus post Victorem præfatum, sedit annis duodecim, mensibus quatuor, diebus nouendecim, vir doctrina & vita cunctis venerabilis, qui operibus & scriptis Ecclesiā fortiter defensauit. Claruit anno Domini 1090. Hic in concilio generali Claromontensi, inter cætera instituit, vt horæ beatæ Mariæ virginis quotidiè à cleris legerentur.

De Paschali Papa secundo.
CAP. XIIII.

PASCHALIS secūdus, Reinherus anteà vocatus, natione Italus, è Flaminia oriundus, ex Abbate in pontificem Vrbano subrogatus, sedit annis 18. mensibus 5. diebus 7. vir deuotus & constans, Ecclesiā sua industria & sapientia de Tyrānorum manibus fortiter vindicauit. Claruit anno Domini 1100. Romæ in basilica Constantiniana sepultus, 15. Calēdas Februarij.

De Gelasio Papa secundo.
CAP. XV.

Gelasius secundus, Ioannes anteà vocatus, patria Caietanus, in pontificatû Paschali substitut⁹, sedit anno vno, diebus quinq; vir omni laude dignus. Hic primùm monachus fuit Cassinēsis cœnobij sub Odrisio Abbate, viro sanctissimo, scripturis & regulari disciplina optime imbutus. Deinde ab Vrbano secundo, qui nouit hominis synceritatē, vocatus in Vrbem, Secretarij accepit officium: ac depòst à Paschali diaconus Cardinalis creat⁹, etiā ad summi pontificatûs apicem ascendit. Tandem verò ad Cluniacense monasteriū perueniens, pleuresi correptus, non sine opinione sanctitatis decessit, vbi & sepultus est. Claruit anno Domini 1118.

De Anastasio Papa quarto.
CAP. XVI.

Anastasius quartus, patria Romanus, ex Abbate sancti Ruffi Veliternæ diœcesis, primùm Cardinalis, deindè summus pontifex creatus, post Eugenium tertium, sedit anno vno, mensibus 4. diebus 24. vir clemētissimus, amator cleri, & in pauperes valdè misericors, q multa pro Ecclesiæ honore destinauerat, si ei diutiùs viuere licuisset. Claruit anno Domini 1153.

De Adriano Papa quarto.
CAP. XVII.

Adrianus quartus, natione Anglicus, Nicolaus antè vocatus, pontifex creatus post Anastasiū, sedit annis 4. mensibus 10. vir doctus & excellētissimus prædicator, qui ab Eugenio in Noruegiam missus, gentē illam ad fidem Christi conuertit. Hic primò fuit monachus in cœnobio beati Ruffi, posteà Abbas, deindè Albanensis Episcopus, & Cardinalis, & postremò summus pontifex. Claruit anno Domini 1156.

De Clemente Papa sexto.
CAP. XVIII.

Clemens sextus, patria Lemonicensis, Petrus Rogerij anteà vocatus, primò Abbas Fiscaniensis, deindè Episcopus Attrabacensis, posteà Rothomagensis Archiepiscop⁹ & Cardinalis, postremò summus pontifex creatus, sedit post Benedictum duodecimum annis decem, mensibus sex, & diebus octo: vir doctissimus, & excellens declamator, moribusq; perhumanus, & in omnes liberalis, qui multa ingenij sui monimenta reliquit. Moritur anno Domini 1352.

De Vrbano Papa quinto.
CAP. XIX.

Vrbanus quintus, patria Lemonicensis, Vuilhelmus anteà vocatus, primò sancti Victoris Massiliensis Abbas, deindè à Clemente sexto Cardinalis, postremò summus pōtifex creatus, sedit post Innocentium sextum annis octo, mēsibus quatuor: Decretorum doctor insignis, & vir singularis virtutis, qui & verbo & exemplo Ecclesiam strenuè gubernauit. Ad hunc Brigida Scotorum regina veniens, multa diuinitùs illustrata prædixit futura. Claruit anno Domini 1364.

Conclusionis huius apologia.
CAP. XX.

Hos ego Romanos duntaxàt pontifices ex ordine sancti Benedicti certo reor assumptos: quanquàm possibile sit, fuisse & alios, quorum professionis titulos chronographi transissent. Nec ego titulos ab illis vel neglectos, vel posthabitos ad mei ordinis laudem ampliandam volui assumere. Turpissima enim laus est, quæ mēdacio acquiritur. Præterea ferunt nonnulli & alios quosdam ordinis nostri Romanos fuisse pontifices, qui videntur mihi vel ignorantia historiarum, vel ordinis laude seducti. Quos vt scias, ex nomine refellam, nè simplices fratres, qui religionis suæ decorem augere cupiunt, me plures arbitrentur obmisisse. Sunt igitur, (vt ab antiquioribus incipiā) qui Syluerium ex nostro ordine ad pontificatum putent assumptum, quem constat ordinem præcessisse, deiectumque Papatu, in Pontum in insulam exulāsse, ibique monachicum primò suscepisse habitum eo penè tempore, quo sanctus pater Benedictus Maurū destinauit in Galliam. Eugenius tertius & Benedictus duodecimus, ordinis Cisterciensis fuerunt. Cælestinum quintū constat fuisse eremitam, & sui ordinis fundatorem. Item Ioannem vicesimum, Benedictum decimum, Innocentium sextū, & Gregoriū duodecimū, quos nostri ordinis nōnulli affirmant: nullus historias de materia ista scribentium, saltem fuisse monachos memorat. Porrò Christophorus, Syluester quartus, Anacletus secundus, & Petrus de Luna, inuasores Petri sedis, non Pontifices, nostri ordinis non fuerunt: quanquàm deiecti posteà, monasticum carcerem subire aliqui ex eis fuerint coacti. Nos autē non ex pontificibus monachos, sed ex monachis pontifices factos, recensuimus. Decem ergò scienter obmisimus, quos à quibusdam simplicioribus nostris cōnumemoratos inuenimus. Si quis autem ea, quæ diximus, credere noluerit, gesta Romanorum pontificum reuoluat, & nos mendacij arguere non poterit. Quòd autem in primo libro huius

ordinis 24. summi pontifices feruntur, præsenti apologiæ non sentimus contrarium. Ibi enim Papatu pulsos, & in monasterium trusos, veluti monachos includimus: quos ab hoc catalogo sequestramus. Aliud est enim, ex pontifice monachum: atque aliud, ex monacho creatum pontificem. Diuersis igitur causis, diuersimodè sumuntur.

De Cardinalibus ex ordine S. Benedicti assumptis.

CAP. XXI.

CARDINALES sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ ex ordine nostro diuersis temporibus ferunt creatos, centum & octoginta, quorum nomina etiam ad posteros transierũt: præter multos, quos à memoria hominum segregauit obliuio. Nec mirum, si inspiciamus ordinis vetustatem, institutionem, sanctitatem, atque profectum: qui ab initio sui viros doctissimos atque sanctissimos habuit, quibus Ecclesiam multo tempore mirificè illustrauit. Erant enim monachi huius institutionis, olim viri sanctimonia vitæ præcipui, scientia scripturarum perfectissimè instructi, ad regimen Ecclesiarum idonei, virtute magni, cõscientia puri, omnium literarum eruditione profundi: non torpebant ocio, sed studio bonarum artium feruentissimè intendebant. Meritò ergò magni facti sunt, qui voluptates carnis fortiter vicerunt. Ex his paucorum nomina signabo, qui apud nos habentur potiores, de cæteris aliorũ narratione contenti. Quidam verò ex eis ad summum pontificatum assumpti, nihilominùs inter Cardinales reputantur, quia priùs in hac, quàm in illa, dignitate claruerunt. E quibus prior nobis occurrit.

De Gregorio diacono Cardinale.

CAP. XXII.

GREGORIVS diaconus Cardinalis, & Abbas monasterij, quod in honorem sancti Andreæ in paterna domo Romæ cõstruxerat, vir optimus atq; doctissimus, amator omniũ bonorum virorũ, primicerius, & Pelagij Papæ secundi necessarius, multa etiam ante pontificatum pro vtilitate Ecclesiastica fortiter gessit. Huius in præcedentibus sæpiùs fecimus mentionem. Claruit anno Domini quingentesimo nonagesimo.

De Leone presbytero Cardinale.

CAP. XXIII.

LEO ex monacho subdiacono sancti Martini in Vrbe, à Sergio secundo presbyter Cardinalis, tituli sanctorum Quatuor Coronatorum, creatus, tanta sanctitate & eruditione claruit, vt post Sergium Petri vicarius omnium applausu fuerit constitutus, de quo inter pontifices superiùs dictum est. Claruit anno Domini octingentesimo quadragesimooctauo.

De Stephano sanctæ Cæciliæ Cardinale.

CAP. XXIIII.

STEPHANVS ex monacho S. Chrysogoni Romæ, à Zacharia pontifice tituli sanctæ Cæciliæ creatus presbyter Cardinalis, post multos ad honorem Dei habitos labores, cum magna omnium lætitia in Pauli pontificis demortui locum substituitur, anno Domini septingentesimo sexagesimooctauo.

De Hildebrando sancti Pauli Cardinale.

CAP. XXV.

HILDEBRANDVS ex monacho Cluniacensis cœnobij, à Leone Papa nono diaconus Cardinalis, ad Ecclesiam sancti Pauli Apostoli creatus, magna religione & doctrina clarus effulsit. Qui tandem omnium applausu summus pontifex electus, Gregorius septimus est nuncupatus, anno videlicet Domini 1072.

De Odone Hostiensi Cardinale.

CAP. XXVI.

ODO ex monacho Cluniacẽsis cœnobij, Episcopus Hostiensis & Cardinalis, vir doctrina & sanctitate suo tempore nulli inferior. Apud Gregorium Papam septimũ in magno precio fuit, à quo etiam Episcopus fuerat ordinatus. Tãdem post decessum Victoris tertij, Odo iste summus pontifex creatus, Vrbanus secundus appellatus est. Claruit anno Domini 1090.

De Ioanne diacono Cardinale.

CAP. XXVII.

IOANNES monachus Cassinẽsis, & postea diaconus Cardinalis Romæ creatus à beato Paschali summo pontifice, magna sanctitate & eruditiõe clarus enituit, adeò vt in eiusdẽ Paschalis demortui locũ suffragijs omnium fuerit electus. Claruit anno Domini 1118.

De Petro Campano Cardinale.

CAP. XXVIII.

PETRVS ex Comite Campano monachus Cassinensis, cùm esset vir doctus & eruditus, atq; in agendis rebus strenuus, electione fratrum Abbas eiusdem cœnobij constitutus est. Deindè fama eius crescente, Romã à summo pontifice vocatus, etiam presbyter Cardinalis meruit creari.

De Benedicto Abbate S. Ruffi.

CAP. XXIX.

BENEDICTVS monachus, & postmodùm Abbas sancti Ruffi, patria Ro-

Romanus, cùm esset vir doctissimus, primò creatus fuit Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, ac deindè pontifex, & Anastasius quartus nuncupatus. De quo inter pontifices iam superiùs fecimus mentionem. Claruit anno Domini 1150.

De Lodouico Cardinali sanctæ Cæciliæ.

CAP. XXX.

LODOVICVS de Sarbona, monachus & postea Episcopus Marianensis, & sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ presbyter Cardinalis tituli sanctæ Cæciliæ, vir in scripturis studiosus & multùm eruditus, fidem & deuotionem suã erga Romanam Ecclesiam multis laboribus demõstrauit.

De Nicolao Anglico Cardinali.

CAP. XXXI.

NICOLAVS Anglicus, ex monacho cœnobij beati Ruffi, Albanẽsis Episcopus,& presbyter Cardinalis ab Eugenio tertio creat⁹, declamator insignis, post Anastasium quartum põtifex Romanus electus, Adrianus quartus appellatus est. Claruit anno Domini 1156.

De Drogone Laudunẽsi Cardinali.

CAP. XXXII.

DROGO Abbas Laudunensis, ab Innocentio Papa secundo Hostiensis Episcopus Cardinalis cõsecratus, vir tam in diuinis scripturis, quàm in secularibus literis eruditissimus, religione & facundia insignis, ingenij sui monimenta clara reliquit. Claruit anno Domini 1130.

De Bernhardo Aquensi Cardinali.

CAP. XXXIII.

BERNHARDVS ex monacho Episcopus Aquensis, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis tituli sanctorum Quatuor Coronatorum, vir certè nobilis, & tam doctrina quàm religione venerabilis, non parua ingenij sui testimonia declarauit.

De Humberto Tullẽsi Cardinali.

CAP. XXXIIII.

HVMBERTVS monachus Tullensis, ob incredibilem scientiã literarũm à Leone Papa nono Romam vocatus, Cardinalis ab eo creatus est. Qui doctrinæ & eruditionis suæ infinita testimonia dedit. Claruit Romæ sub Leone nono, temporibus Henrici sancti Imperatoris, anno Domini 1050.

De Petro Hostiensi Cardinali.

CAP. XXXV.

PETRVS Damiani, ex monacho episcopus Hostiensis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, (vt quidam volunt) Leuita septimus, vir deuotus & omniũ opinione in scripturis diuinis eruditissimus, quòd multa eius, quæ scripsit, opuscula testantur. Huius mentionem in secundo libro iam fecimus: vbi & volumina eius signauimus, & quemadmodùm Episcopatum dimiserit, dixim⁹. Claruit anno Domini 1060.

De Ioanne Attrabatensi.

CAP. XXXVI.

IOANNES ex monacho Romano Episcopus Attrabacẽsis, & sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalis tituli sancti Martini in montibus, vir certè studiosus & eruditus, atque in negocijs Ecclesiasticis peragendis admodùm strenuus, ingenij sui plura monimenta transmisit ad posteros.

De Petro Rothomagẽsi Cardinali.

CAP. XXXVII.

PETRVS Rogerij, Abbas Fiscauiensis, doctor facundus & eruditus, primò fuit Episcopus Attrabacensis, posteà Senonẽsis Archiepiscopus, deindè Rothomagensis, & Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. Postremò summus põtifex creatus, Clemens sextus appellatus est. De quo iam suprà diximus inter pontifices. Claruit anno Domini 1353.

De Francisco Gebenẽsi Cardinali.

CAP. XXXVIII.

FRANCISCVS ex monacho Gebenensis Episcopus, & sacrosanctę Romanę Ecclesiæ Cardinalis, vir doctus & facundus, inter cooperatores Apostolici regiminis nõ minimus apparuit, quod inclyta facta eius in legationib⁹ maximè declarãrũt.

De Ioanne Tullensi Cardinali.

CAP. XXXIX.

IOANNES monachus Tullensis, frater Clementis Papæ sexti, ab eo diaconus Cardinalis creatus, scientia scripturarum, & prudentia in agendis clarus effulsit. Ab infantia enim monasticis disciplinis institutus, non minùs moribus, quàm studio literarũ profecit. Claruit anno Dñi 1350.

De Vuilhelmo Massiliensi.

CAP. XL.

VVILHELMVS Grisant, patria Lenonicensis, Abbas S. Victoris Massiliensis, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, vir tum in iure, tũ in sacris scripturis eruditissimus, in procurandis Ecclesiasticis negocijs adeò solicitus & idoneus fuit, vt etia absens in legatione cõstitutus, post Innocentium sextum, omnium Cardinalium assensu pontifex fit electus, & Vrbanus quintus appellatus. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 1365.

De Bernhardo Massiliensi.

CAP. XLI.

BERNHARDVS Abbas Massiliensis,& sanctæ Romanę Ecclesiæ posteà Cardinalis, vir vndecunq; doctissimus, vita & conuersatione valde religiosus, in causis Ecclesiasticis sæpè legatus, industriam suam ostēdit. Huius meminit Vuilhelmus Hirsaugiensis Abbas in prologo monasticæ constitutionis, vtpote viri doctissimi & singulariter deuoti. Claruit tēporibus sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, anno Dominicę natiuitatis 1100.

De Nicolao Panormitano.

CAP. XLII.

NICOLAVS Abbas Monacensis, natione Siculus, Archiepiscopus Panormitanus, & sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, vir in vtroque iure peritissimus,& dubiorum emergentium circa hanc facultatem cautus interpres. Multa huius scientiæ à se edita reliquit opuscula, de quibus in 2. libro fecimus mentionem. Claruit temporibus Concilij Basileensis, cuius etiā legatus extitit, anno Domini 1440.

De Andrea Hispano Cardinali.

CAP. XLIII.

ANDREAS ex monacho nostri ordinis, (vt per se fatetur in libro de pœnitentia, quem scripsit) primò Episcopus Megarensis, posteà Ciuitatensis ac demùm Aiatēsis, & sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalis ac pœnitentiarius, vir in iure doctissimus, ingenij sui monimenta præclara reliquit. Huius etiā in secundo pręsentis operis libro fecimus mentionem.

De Archiepiscopis ex ordine sancti Benedicti assumptis.

CAP. XLIIII.

DE Cardinalibus ex ordine sancti patris nostri Benedicti, vt pollicitus sum, breuiter me expediui, obmittēs complures, qui fuerant inserendi, si licuisset perquestigandis impendere moram: quod quia non potui, sufficiat studiosis inquirendi obmissos normā præbuisse. Quanquàm paruæ sit vtilitatis, plures proponere, quos nec velle debeas, nec possis imitari. Centum octoginta feruntur ex nostro (vt suprà diximus) ordine ad Cardinalatûs honorem assumpti: quorum etsi nomina nescias, esto contentus in summa. Si monachus esse velis, magnatorum sperne dignitates: eruditionem imitare. Iam de Archiepiscopis ex ordine Benedicti patris assumptis habituri sermonem, quantùm possibile fuerit, eos quos reperimus iuxta ordinem temporum, quibus floruerunt, intendimus collocare: de quibus autem superiùs inter Pontifices & Cardinales fecimus relationem, non erit denuò immorandum, nisi ratio id videatur postulare.

De Gregorio Turonensi.

CAP. XLV.

GREGORIVS Florentius, Archiepiscopus Turonensis ex monacho factus, tā doctrina, quàm cōuersatione clarus atque sanctissimus emicuit, qui etiam in vita miraculis coruscauit. Fuit homo paruę staturę, sed magnæ scientiæ excelsique meriti apud Deum, qui non respicit personam hominis, sed opus & bonam voluntatem. Erat enim in ieiunijs frequens, in orationibus assiduus, in eleemosynis largus, hospitalitatis amator præcipuus, & sanctæ scripturæ lector studiosus. Vndè libros multos in laudem sanctorum & expositionem scripturarum edidit, de quibus suo loco dictū est. Cùm autē mori debuisset, in tali loco sepeliri voluit, vbi semper omniū pedibus conculcaretur. Sed grex sancti Martini talia non sufferens, eum de loco post aliquot annos leuauit, & fabricato pulchro Mausoleo, ad læuam beati Martini pontificis collocauit. Claruit anno Domini 600.

De Sāsone Dolēsi Archiepiscopo.

CAP. XLVI.

SAMSON ex Abbate Dolensi in Britannia Archiepiscopus à beato Dabrutio consecratus, vir magnæ sanctitatis, multisq; miraculis clarus, per integram hebdomadā sępiùs consueuit ieiunare. Non diebus, non noctibus ab orationibus & diuinis colloquijs cessabat: stans sæpè longis noctibus orando ab occasu solis vsque ad ortum. Eius gesta magnifica habētur. Claruit anno Domini 600.

De Maglorio Dolensi Archiepiscopo.

CAP. XLVII.

MAGLORIVS, post Samsonē ex monacho Archiepiscopus Dolensis, oriundus ex Britania trāsmarina, vir sanctę conuersationis fuit, de quo iam superiùs in tertio huius operis libro fecimus mentionē. Multis miraculis & virtutibus insignis effulsit. Claruit anno Dñi 600.

De Augustino Cantuariensi.

CAP. XLVIII.

AVGVSTINVS monachus beati Gregorij Papæ in vrbe Roma,& Abbas, ab eodem pontifice cum multis sanctis monachis destinatus in Angliam, gentē illam hactenùs idolis seruientem, ad Christi fidē conuertit, atque primus Archiepiscopus Dornuernensis, quę nunc est Cantuariensis, ab Eucherio Arelatensi consecratus est, vbi multis signis & miraculis effulsit:

De

De quibus in gestis Anglorũ Beda ex parte facit mentionem. Claruit anno Dñi 600.

De Laurentio Cantuariensi.

CAP. XLIX.

LAVRENTIVS Archiepiscopus Dornuernensis, post Augustinum ex monacho beati Gregorij Papæ ordinatus, tum docendo, tum exhortando magnum fructum fidei in gente Anglorum cõquisiuit. Erat enim vir bonus & eruditus, ab infantia monasticis disciplinis nobiliter instructus. Vndè adhuc viuente Augustino, in eius locum ab eodem pastor constituitur. Claruit anno Domini 620.

De Mellito Cantuariensi.

CAP. L.

MELLITVS Abbas Romanus, cũ Augustino in Angliam missus, cõuersis Anglis, primò factus est Londoniæ Episcopus, deindè post mortẽ Laurentij Doruernensis tertius Archiepiscopus, vir secundùm carnem nobilis, sed culmine mentis nobilior: qui suis orationibus & corporis obiectu, sæuas ignium flammas extinxit, & miracula plura perpetrauit. Cõtemptor mundi, amator Dei, totius religionis norma, & exemplar honesti. Moritur plenus dierum & bonorum operum, anno Domini sexcentesimo 24. Archiepiscopatûs sui quinto, 9. Calendas Martij.

De Iusto Cantuariensi Archiepiscopo.

CAP. LI.

IVSTVS monachus beati Gregorij Papæ in vrbe Roma, vir sanctus & eruditus, cum Augustino missus in Angliam, primò factus est Episcopus Rofensis, posteà in Melliti demortui locũ quartus Dornuernensis Archiepiscopus consecratus est, sub Bonifacio Papa quinto, anno Domini 624.

De Magnoaldo Bituricensi.

CAP. LII.

MAGNOALDVS monachus Luxouiensis, & postmodùm Bituricensis Archiepiscopus, germanus beati Pharonis Meldensis Episcopi, vir sanctus, adhuc puer sub magisterio sancti Columbani Abbatis in Luxouiensi cœnobio à parentibus traditus fuit. Post recessum verò Columbani de Gallia, remansit cum Eustasio Abbate in præfato cœnobio, donec ad põtificatum tandem assumitur. Claruit anno Domini 640.

De Paulino Eboracensi.

CAP. LIII.

PAVLINVS monachus Romanus, veniẽs cum Augustino in Angliam, post multos labores, quos tum prædicando tum baptizãdo peregerat, à Iusto Archiepiscopo Doruernensi primò Episcopus ordinatus est genti Nordanhymbrorum, posteà per regem Eduinum in Archiepiscopum Eboracensem primum sublimatus, anno Domini 627. Cui Honorius Papa primus pallium legitur destinâsse.

De Honorio Cantuariensi.

CAP. LIIII.

HONORIVS monachus cœnobij beati Gregorij Papæ in vrbe Roma, vir doctus & sanctus, & prædicator excellens, missus in Angliã, post multos labores, defuncto Iusto Archiepiscopo, in eius locum quintus Archiepiscopus Doruernensis, à beato Paulino Eboracensi ordinatus, palliũ Archiepiscopatûs ab Honorio Papa primo accepit. Moritur anno Domini 653. pridie Calendas Octobris.

De Sulpitio Bituricensi Archiepiscopo.

CAP. LV.

SVLPITIVS Abbas in Francia, discipulus beati Austregisili Bituricensis Archiepiscopi, vir sanct⁹ & Deo dilectus, etiam adhuc in habitu seculari positus, nihil aliud videbatur agere, quàm monasteria construere, ecclesias restaurare, miseris auxilium impẽdere. Vndè post mortem dicti pontificis ex Abbate aulico, in Archiepiscopum Bituricensem, omnium consensu electus, multis virtutibus & signis coruscauit. Claruit anno Domini 640.

De Deusdedit Cantuariensi.

CAP. LVI.

DEVSDEDIT monachus in Anglia, vir doctrina & religione insignis, post mortem Honorij electus in Archiepiscopum sextum Doruernensis Ecclesiæ, sedit in pontificatu annis nouem, mensibus quatuor, dieb⁹ duobus. Claruit anno Domini 660.

De Ansberto Rothomagensi.

CAP. LVII.

ANSBERTVS ex Abbate Fontanellæ Archiepiscopus Rothomagẽsis post sanctum Andoenum, vir doctus & sanctus, viuus & defunctus miraculis claruit, sicut in gestis eius inuenitur. Claruit anno Domini 680.

De Genesio Bituricensi.

CAP. LVIII.

GENESIVS ex Abbate in Francia Archiepiscopus Bituricẽsis, vir sanctus & Deo dilectus, tam exemplo quàm verbo multas ad Christum animas cõuertit. Multis etiã miraculis coruscauit, sicut in gestis illius diligenter cõscriptis inuenitur. Claruit circa annos Domini 620.

De Ceadda Eboracensi.

CAP. LIX.

CEADDA ex Abbate monasterij in Anglia, quod Lentesgen appellat, Archiepiscopus Eboracensis, frater Ceddi antistitis Lindesfarnēsis, vir modest⁹ moribus, & scientia scripturarū sufficienter instructus, de quo multa bona narratur, excellēs prædicator fuit. Claruit anno Dñi 675.

De Theodoro Cantuariensi.

CAP. LX.

THEODORVS monachus Romanus, natiõe Græcus ex Tarso Ciliciæ, Doruernēsis septimus Archiepiscopus à Vitaliano Papa ordinatus, vir secularibus & diuinis literis ad perfectū instructus, moribus & cõuersatione venerandus, rexit Ecclesiam Anglicanam multa diligentia 22. annis. Moritur anno Domini 690. ætatis autem suæ, 88.

De Lamperto Bituricensi Archiepiscopo.

CAP. LXI.

LAMPERTVS Taruanēsis, Abbas Fontanellæ post B. Vuandregisilum, & deinde Archiepiscopus Bituricensis post S. Genesium, vir doctus & sanctus, qui verbo & exemplo multos ab iniquitate auertit. Claruit anno Domini 640.

De Niuardo Rhemensi Archiepiscopo.

CAP. LXII.

NIVARDVS Abbas & monach⁹ in Frãcia, Archiepiscopus Rhemensis, vir sanctissimæ cõuersationis, qui vita & doctrina commissam sibi strenuè gubernauit Ecclesiã, multis virtutibus & signis clarus effulsit. Claruit anno Domini 660.

De Vuilfrido Eboracensi.

CAP. LXIII.

VVILFRIDVS Abbas Ripensis in Anglia, Eboracēsis Archiepiscopus, vir vndecũquè doctus, & excellētissimus prædicator, qui multa millia hoim à seruitute diabolica liberans, ad fidei Catholicæ libertatē reduxit. Deniq; pulsus Episcopatu, & multis iniurijs fatigat⁹, ab euangelizãdi officio nunq̃ cessauit. Claruit anno Dñi 680.

De Bosa Eboracēsi Archiepiscopo.

CAP. LXIIII.

BOSA ex monacho in Anglia Eboracēsis Archiepiscopus, in locū Vuilfridi à rege expulsi ordinatus à Theodoro Cantuariēsi Archiepiscopo, vir doctus & religiosus, in cõcilio Anglicano cũ cæteris Archiepiscopis ad reformationē illius Ecclesiæ adiutor Theodori fuit. Claruit anno Domini 690.

De Berchualdo Cantuariensi.

CPA. LXV.

BERCHVALDVS Abbas monasterij in Anglia, quod Racuilfe dicitur, post Theodorum Archiepiscopus Cantuariēsis, vir sciētia scripturarū nobiliter imbut⁹, & Ecclesiasticis simul ac monasterialibus disciplinis summè instructus, tametsi prædecessori suo minimè valuerit comparari. Claruit anno Domini 700.

De Cedda Lindesfarnensi Archiepiscopo.

CAP. LXVI.

CEDDA Abbas Lestingensis cœnobij, Archiepiscopus Londoniensis in Anglia, (quę tamē modò est Episcopatus) vir doctus & sanctus, & prædicator egregius, etiam in vita miraculis coruscauit. Claruit anno Domini 680.

De Clemente Traiectensi Archiepiscopo.

CAP. LXVII.

CLEMENS, qui & Vuillebrordus, monach⁹ Ripēsis cœnobij in Anglia, veniens in Galliã, indē Christi prędicabat gentibus: deinde in Fresia prædicãs, multũ fructũ attulit. A Pipino post hæc Romã missus, à Sergio Papa Fresonũ Archiepiscopus ordinatur ad Ecclesiã Traiectensem, quæ modò Episcopalis est sub Coloniensi Archiepiscopo. Consecratus aũt fuit Romæ in Basilica S. Cęciliæ à Sergio Papa, petente Pipino, anno Domini 693. 10. Calendas Decembris, imposito sibi à Papa nomine Clemētis, eò quòd in eius profesto consecratus est.

De Iohanne Eboracensi Archiepiscopo.

CAP. LXVIII.

IOHANNES monach⁹ in Anglia, & Episcopus Hagustaldensis, & Eboracensis postmodùm (vt ferũt) Archiepiscop⁹, vir doctus & sanctissimæ conuersationis, qui etiam in vita sua multis miraculis coruscauit. Moritur anno Domini 721. Episcopatus autem sui, 33.

De Taduuino Cantuariensi.

CAP. LXIX.

TADVVINVS presbyter & monach⁹ cœnobij Bruitinēsis, oriũdus ex prouincia Merciorũ, nonus Archiepiscop⁹ Doruernēsis seu Cantuariēsis, vir religione & prudētia insignis, sacris quoque literis nobiliter instructus. Consecratus est in Ecclesia sua Doruernēsi anno Domini 731. 4. Idus Iunij, q̃ fuit dies Dominica, Indictione 14.

De Basino Treuerensi Archiepiscopo.

CAP. LXX.

BASINVS Abbas sancti Maximini Treuerensis, & frater Ducis Lotharingiæ, vir prudēs & doctus, Archiepiscopus Treuero-

uerorum quinquagesimus & sextus ordinatus, tam opere, quàm verbo Ecclesiam strenuè gubernauit. Cuius conuersatio religiosa multis dedit exemplum disciplinæ: vnde & inter sanctos relatus est. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 740.

De Lamperto Senonensi Archiepiscopo.

CAP. LXXI.

LAMPERTVS monach⁹ cœnobij Fontanellæ, ac deindè Senonensis Archiepiscopus, vir doctus & valdè venerabilis, verbo & exemplo multos gentilium ad fidem Christi conuertit. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 700.

De Luthuuino Treuerensi.

CAP. LXXII.

LVTHVVINVS Abbas Mediolacensis, Archiepiscopus Treuerorũ quinquagesimusseptimus, sancti Basini ex sorore nepos, vir sanctissimæ cõuersationis fuit. Nam priùs fuit Dux Lotharingiæ, qui post multa cœnobia fundata & restaurata, construxit vnum in confinibus Lotharingiæ super fluuium Saroam, quod Mediolacense vocamus, in diœcesi Treuerensi: in quo primò monach⁹, deinde Abbas, postremò Treuerorum Archiepiscopus factus est. Sepultus est in eodem cœnobio: & in sanctos relatus. Claruit anno Domini 770.

De Volframo Senonensi.

CAP. LXXIII.

VVOLFRAMVS monachus Fontanellæ & Senonensis post Lampertũ Archiepiscopus, oriũdus ex territorio Vasconiẽsi, cuius pater Vualbertus, deuotus vir, in aula regis Dagoberti militauit, vir doctus & sanctus: multis annis in Frisia fidem Christi prædicans, miraculis coruscauit. Qui prædicatione sua Rathbodum ducem Fresonum ad hoc vsq; perduxit, vt baptizari expeteret. Sed positum pedem ad lauacrum, cùm audisset plures suorum progenitorum in inferno quàm in cælo esse, retraxit, dicens se plures malle sequi, quàm paucos. Huius Vuolframi sanctissimi viri amicissimus & indiuiduus coadiutor fuit beatus Vuillebrordus Archiepiscopus Fresonum, cuius iam suprà fecimus mentionem. Fuit autem apud Frisones per annos quinq; continuos, prædicans & annuncians regnum Dei. Posteà reuersus ad monasterium Fontanellæ, ordinato priùs Senonis Archiepiscopo Guerico, ibidẽm in monastica cõuersatione vitam finiuit. Moritur autem anno Domini 720. 13. Calendas Aprilis, Indictione 3. iuxta beatum Vuandregisilum in Fontanella sepultus.

De Hildulpho Treuerensi.

CAP. LXXIIII.

HILDVLPHVS monach⁹, & Treuerẽsis Archiepiscopus quinquagesimusnonus, vir doctus & sanctæ cõuersationis: post multa cõstructa cœnobia mitrã Episcopalẽ deponẽs, ad monasticũ schema reuersus est, & in vno trisũ cœnobiorũ, quæ construxit in saltu Vosagi, Abbatis officio functus, in pace quieuit, ibidem sepultus, sed posteà translatus est. Claruit anno Domini 780.

De Albone Senonensi.

CAP. LXXV.

ALBO Abbas monasterij S. Petri Senonẽsis, & post Guericũ, q Vuolframo successerat, ibidẽm Archiepiscopus, vir secundùm seculi dignitatẽ nobilis, & eiusdẽ Guerici nepos, sed fide & religione multo nobilior, tam signis effulsit, quàm meritis. Claruit anno Domini 760.

De Bonifacio Moguntino.

CAP. LXXVI.

BONIFACIVS, qui & Vuinfridus, monachus in Anglia, cùm fidem Christi prędicaret in Germania, & multas à diaboli seruitute animas eriperet, primò fact⁹ est Episcopus Moguntinẽsis à B. Gregorio secundo, postmodùm in Archiepiscopum primũ sublimatus à Zacharia Papa, palliũ & legationẽ ab eo suscepit. Et abhinc Moguntina Ecclesia suscepit Archiepiscopũ. Moritur aũt vir sanctus in Frisia, martyrio coronatus, Nonis Iunij, anno Domini 755. Episcopatûs sui, 36. Indictione 8.

De Viomado Treuerensi.

CAP. LXXVII.

VIOMADVS Abbas S. Maximini, & posteà Treuerorũ Archiepiscopus sexagesimus, vir quidẽ in procurandis Ecclesiæ negocijs strenuus & admodùm prouidus, multa ad eam rem pertinentia, principũ Pipini & Caroli cognomento Magni, fauore impetrauit. Claruit anno Dñi 775.

De Lullo Moguntinensi Archiepiscopo.

CAP. LXXVIII.

LVLLVS monachus & discipulus sancti Bonifacij martyris, natiõe Anglicus, vir sanctus & Deo dilectus, à B. Bonifacio Moguntinus Archiepiscopus ordinatus, rexit Ecclesiam trigintaduobus annis. Nam cùm beatus præsul ad Frisiam denuò prædicaturus iam senex vellet accedere, nè post eius decessum aliqua oriretur turbatio, de cõsensu principis Pipini Lullum in Archiepiscopum priùs cõsecrauit. Claruit anno Domini 770.

De Richboldo Treuerensi Archiepiscopo.

CAP. LXXIX.

RICH-

RICHBOLDVS Abbas Mediolacensis, in demortui Vuiomadi locũ Archiepiscopus ordinatus, vir in agendis Ecclesiasticis admodùm strenu⁹. Huic in Abbatia Mediolacẽsi successit Vuasso, qui etiam post eũ in Archiepiscopatu successit. Claruit autẽ Richboldus anno Domini 790.

De Vuazzone Treuerensi.

CAP. LXXX.

VVAZZO monach⁹ & Abbas Mediolacensis cœnobij, post mortẽ Richboldi Archiepiscopus Treuerorum sexagesimussecundus ordinatur, eo potissimùm tempore, quo Carolus maximam multitudinem Saxonum trãstulisse fertur in Galliam. Claruit anno Domini 795.

De Rabano Moguntinensi.

CAP. LXXXI.

RABANVS Maurus, quart⁹ Abbas Fuldẽsis, natione Frãco, in sylua quæ dicitur Buchonia, postq̃ rexit pręfatã Abbatiã strenuè 24. annis, defuncto Otgario, in eius locũ Archiepiscopus Mogũtinus ordinatur sextus, vir suo tempore vndecunquè doctissimus, quod infinita, q̃ scripsit, volumina testantur: quorum in secundo libro ex parte fecimus mentionem. Moritur anno Domini 855. Indictione 3. Episcopatũs sui anno 9.

De Hamulario Treuerensi.

CAP. LXXXII.

HAMVLARIVS Fortunat⁹, monachus Luxouiensis, & Treuerẽsis Archiepiscopus, & Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, vir doctus & ad regimen Ecclesiasticũ satis idoneus: missus ad Constantinopolim ad Michaẽlem imperatorẽ à Carolo Magno, inter eos pacem reformauit. Hic etiam librum officiorum cõscripsit, quem in synodo publicauit. Moritur anno Domini 813. Indictione 6. Episcopatũs sui anno circiter 16.

De Hetti Treuerensi.

CAP. LXXXIII.

HETTI Abbas Mediolacẽsis, post Fortunatum ordinatus Treuerorũ Archiepiscopus, præfuit Ecclesiæ Treuerensi annis 37. vir doctus & deuotus, qui diuinitùs admonitus, ossa sancti Castoris trãstulit de Carden in Confluentiam, vbi adhuc requiescunt. Moritur anno Domini 851. Indictione 14. apud sanctum Matthiam extra Treuerim sepultus.

De Anscario Bremensi.

CAP. LXXXIIII.

ANSCARIVS monachus Corbeiensis in Saxonia, primus Archiepiscopus Bremensis, vir sanctus & Deo dilectus, qui multis signis & virtutib⁹ clarus effulsit, rexit Ecclesiam sibi commissam satis strenuè annis 34. Ante eum Bremensis Ecclesia fuit sub Archiepiscopatu Coloniensi. Et primus Episcopus fuit S. Vuilhadus, secũdus Vuilleric⁹, tertius iste Anscarius, qui in Archiepiscopum sublimatus est à Sergio Papa secundo. Claruit autem beatus Anscarius anno Domini 840.

De Arnulpho Bituricensi.

CAP. LXXXV.

ARNVLPHVS Abbas S. Medardi Suessionẽsis, Archiepiscopus Bituricensis, vir secundùm seculi dignitatem nobilis, sed secũdùm fidem & religionem multò nobilior, signis & virtutibus innumeris coruscauit. Claruit circa annos Dñi 840.

De Ansegiso Senonensi.

CAP. LXXXVI.

ANSEGISVS Abbas Lobiensis, deindè Senonensis Archiepiscopus, vir vndecunquè doctissimus, verbo & exemplo Episcopatu dignus, multa ingenij sui monimenta dedit, quorum in secundo libro huius operis pro parte fecimus mẽtionem. Claruit anno Domini 840.

De Hincmaro Rhemensi.

CAP. LXXXVII.

HINCMARVS monachus S. Dionysij Parisiensis, & postmodùm Archiepiscopus Rhemensis, vir in omni literatura nobiliter erudit⁹, multa ingenij sui monimenta scribendo reliquit, quæ satis nota sunt studiosis. Claruit anno Domini 870.

De Mariano Rauennati.

CAP. LXXXVIII.

MARIANVS monachus cœnobij sancti Andreæ Apostoli, quod beatus Gregorius Papa in vrbe Roma construxit, Archiepiscopus Rauennatẽsis, vir studiosus & ad tale regimẽ satis idoneus, in vtraque vita se fidelibus dedit exemplum. Claruit anno Domini 620.

De Remberto Bremensi.

CAP. LXXXIX.

REMBERTVS monachus Corbeiensis in Saxonia, Archiepiscopus Bremensis secundus, vir doctus in diuinis scripturis, moribus & conuersatione deuotus, rexit Ecclesiam sibi cõmissam, nouem annis: cuius tanta fulserunt merita, vt in sanctos relatus sit, vt suprà iam diximus. Claruit anno Domini 885.

De Bertholfo Treuerensi.

CAP. XC.

BERTOLFVS Abbas Mediolacensis, & Archiepiscopus Treuerensis, consanguineus Aduentij Metensis Episcopi, vir acer, & Ecclesiæ suæ defensor admodùm strenuus: cuius tempore Nortmanni Treuerensem vrbem inuadentes succenderunt, & quoscunq; inuenerunt, occiderũt. Ipse

Ipse autē fuga lapsus, euasit. Eodem tamen anno obijt, qui fuit annus Domini 882. Indictiōe 15. Episcopatûs sui anno 11. Huic familiarissimus fuit Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis, vir eloquētissimus, de quo suprà dictum est.

De Carolo Moguntino.

CAP. XCI.

CAROLVS monachus Corbeiēsis, post Rabanum septimus Archiepiscopus Moguntinēsis ordinatus, rexit Ecclesia illam nouēannis, vir prudēs & nobilis. Fuit enim frater Pipini Ducis Aquitaniæ. Moritur anno Domini 865. Indictione 11.

De Adelgario Bremensi.

CAP. XCII.

ADELGARIVS monachus Corbeiensis in Saxonia, Archiepiscopus Bremensis quartus, vir doctus & sanctus, sedit in regimine dictæ Ecclesiæ annis viginti. Ibidem in ecclesia sancti Petri Apostolorum principis sepultus, in sanctos relatus, vt in tertio volumine diximus. Claruit anno Domini 890.

De Sunderoldo martyre.

CAP. XCIII.

SVNDEROLDVS monachus Fuldensis, & nonus Archiepiscopus Mogūtinus, vir nobilis, doctus & strenuus, & non minùs deuotiōe quàm dignitate insignis: missus ab Imperatore contra Nortmānos cum exercitu, qui Vuormatiam obsidebant, capta vrbe ab eis & occisis habitatoribus, etiam Sonderoldum Archiepiscopum interfecerunt sabbato, quæ fuit sexto Calendas Iulij, Indictiōe 9. anno Domini 891. Episcopatûs sui, secundo.

De Ratbodo Treuerensi.

CAP. XCIIII.

RATBODVS Abbas Mediolacensis, & posteà Archiepiscopus Treuerensis sexagesimusoctauus, vir potēs & valdè venerabilis, Ecclesiam suam nobiliter in temporalibus ampliauit. Ad hunc Regino Abbas Prumiensis duo volumina decretorum edidit, quę de Christiana religione prænotauit. Ipse enim Archiepiscopus in synodo celebrata coram omnibus hoc opus Reginoni Abbati, suo tempore studiosissimo, iniunxerat. Claruit anno Domini 885.

De Vimone Bremensi Archiepiscopo.

CAP. XCV.

VIMO monachus Corbeiensis cœnobij in Saxonia, Archiepiscopus Bremensis sextus, vir doctus & multùm venerabilis, rexit Ecclesiam sibi commissam strenuè verbo & exemplo 18. annis. Anno autem Domini 928. resignauit Archiepiscopatum suum, constituens post se Adaldagum Archiepiscopum. Ipse verò secessit in Gothiam, ibi per annos octo verbum Dei prædicans, ad fidem Christi multos conuertit. Claruit in Archiepiscopatu anno Domini 920.

De Hattone Moguntinensi.

CAP. XCVI.

HATTO Abbas Augiensis, Archiepiscopus Moguntinus decimus, vir quidem in agendis negocijs forensibus callidus, sed meritò reprehensibilis, quòd dolo & fraude Comitem Adelbertum in manus imperatoris Lodouici tradidit occidendum. Vndè & mala morte interijt. Quomodò hæc perfidia ab eo fabricata fit, Marianus Scotus in Chronica sua non tacuit. Moritur anno Domini 912. Indictione 15. Archiepiscopatûs sui anno 21.

De Hildeuuino Mediolanensi.

CAP. XCVII.

HILDEVVINVS monachus Lobiensis, & Archiepiscopus Mediolanensis, vir eruditus & in agendis Ecclesiæ negocijs admodùm strenuus, fertur ingenij sui monimenta reliquisse. Claruit anno Domini 935.

De Hildeberto Moguntinensi.

CAP. XCVIII.

HILDEBERTVS Abbas Fuldēsis, duodecimus post Herigerum ordinatus in Archiepiscopum Moguntinensis Ecclesiæ, rexit eandem annis nouem, vir deuotus & magnę prudentiæ. Moritur anno Domini 936. Indictione 9.

De Gaudentio Pragensi Archiepiscopo.

CAP. XCIX.

GAVDENTIVS monachus cœnobij S. Bonifacij, primus Archiepiscopus Pragensis, missus in Hungariam & cæteras prouincias circuniacentes verbū Dei prædicare, multos ad fidem Christi conuertit. Fuit autē priùs Episcopatus, vbi & sanctus Adelbertus martyr præsul extitit. Claruit anno Domini millesimo.

De Dunstano Cantuariensi.

CAP. C.

DVNSTANVS Abbas Glascouiensis, deindè post Elphegum Episcopus Vuintonēsis, postremò, defuncto Odone Cantuariensi Archiepiscopo, in eius locū consensu omnium consecratus, multis signis & virtutibus coruscauit. Moritur anno Domini 988. Indictione 1. 14. Calēdas Iunij, ætatis suæ anno circitèr 70. Episcopatûs autem summi Cantuariensis, 33. Cuius vitam Osbernus descripsit.

De Osualdo Eboracensi.

CAP. CI.

OSVVALDVS monachus Floriacensis, nepos B. Odonis Cantuariensis Archiepiscopi, primò ante Dūstanū Episcopus Vuintonēsis, & postea Eboracēsis Archiepiscopus, vir doctissimus, & morum honestate spectabilis, in regimine Ecclesiastico strenu⁹ fuit. Claruit anno Dñi 970.

De Hattone Moguntinensi.

CAP. CII.

HATTO Abbas Fuldensis, cognomēto Bonosus, Archiepiscopus Mogūtinus quintusdecimus: de quo etiā quædam nō bona narrātur, quæ siue vera, siue falsa sint, Domino iudici oīm discutiēda relinquātur. Vtcunquè sit, constat eū hominem nobilē fuisse, & in agēdis Ecclesiæ suæ causis tātùm solicitū. Moritur anno Dñi 970. Indictione 13. Præsulatū sui anno secūdo.

De Adelberto Medburgensi.

CAP. CIII.

ADELBERTVS monachus cœnobij S. Maximini Treuerensis, primus Archiepiscopus Parthenopoleos, id est, Magdeburgensis, ab Ottone Imperatore Magno cōstitutus, rexit Ecclesiam illam annis 13. Claruit anno Domini 960.

De Theodulpho Rhemēsi Archiepiscopo.

CAP. CIIII.

THEODOLPHVS Abbas Lobiensis, & posteà Archiepiscopus Rhemēsis, vir doct⁹ & sanctus, cuius multæ narrātur virtutes: vt pastor omninò esset idoneus, curauit oībus præesse in humili solicitudine, & prodesse in magna dilectione. vndè & sanctorum catalogo meruit coniungi.

De Iohanne Saltzburgensi Archiepiscopo.

CAP. CV.

IOHANNES monach⁹ Vuintschelēsis in Anglia, discipul⁹ S. Bonifacij, Archiepiscop⁹ Saltzburgēsis, & generaliter oīm circumiacentium prouinciarum, authoritate Apostolica ordinatus, pdicans fidem Christi gentibus illis, multos ad vnitatē catholicæ Ecclesiæ cōgregauit. Fuit enim doctus vir & excellēs. Claruit anno Domini 770.

De Odone Rothomagensi.

CAP. CVI.

ODO Abbas monasterij sancti martyris Dionysij Parisiēsis & posteà Rothomagēsis Archiepiscopus, vir doctus & eruditus, & in dispōnēdis Ecclesiæ negocijs pidoneus, non minùs religione q̄ dignitate venerabilis: apud eandem vrbem nō pauca operum suorum monimenta ostendit.

De Hibatio Ruthenorum.

CAP. CVII.

HIBATIVS monachus cœnobij S. Albani prope Moguntiam, (quod ab ordine nūc est auulsum) vir doctus & multùm venerabilis, propter incomparabilē sciētiam scripturarum Apostolica authoritate Ruthenorū Archiepiscopus ordinatus, sua pdicatione multos ad fidē Christi cōuertit.

De Erckenbaldo Moguntinensi.

CAP. CVIII.

ERCKENBALDVS Abbas Fuldensis, & Mogūtinus Archiepiscopus octauusdecimus, succedens Vuillegiso viro reuerendissimo, rexit Ecclesiam Moguntinam satis religiosè & pacificè annis nouē. Moritur anno Domini 1020. Indictione 3.

De Thiedago Pragensi.

CAP. CIX.

THIEDAGVS monachus Corbeiensis, & Pragēsis secūdus Archiepiscopus, vir exercitatæ facundiæ, & egregius declamator, sanctarum quoquè scripturarum studiosus amator, qui multos prædicando & docendo ad veritatem reuocauit. Claruit circa annos Domini 1030.

De Alphano Sepontino.

CAP. CX.

ALPHANVS monachus Cassinēsis, & posteà Sipontinus Archiepiscopus, philosophus suo tempore percelebris, & rhetor insignis, atque in diuinis scripturis nobiliter doctus, quod multa eius præclara testantur opuscula. Sunt qui scribant, eum Salernitanū fuisse præsulem. Et non inficior.

De Lubentio Bremensi Archiepiscopo.

CAP. CXI.

LVBENTIVS Abbas Hirsfeldensis, & Bremensis postmodùm Archiepiscopus octauus, vir erudit⁹ in diuinis scripturis, moribus quoquè & vitæ cōuersatione pcipuus, rexit Ecclesiam sibi cōmissam vigintiquinq; annis. Claruit anno Dñi 990.

De Ekardo Pragensi.

CAP. CXII.

EKARDVS Abbas Nouæciuitatis, & exindè Archiepiscopus Pragēsis, vir nobilis secūdùm carnem, & in monasticis disciplinis ab infantia sua optimè instructus, scientia quoquè scripturarum sufficienter imbutus, sua doctrina & industria non modicè profuit Ecclesiæ quam gubernauit.

De Elphego Cantuariensi.

CAP. CXIII.

ELPHEGVS monach⁹ & Abbas in Anglia cœnobij quod Balneum dicitur, primò Vuintoniensis Episcopus electus, à S. Dunstano Cantuariensi munus cōsecrationis accepit. Deindè successore eiusdem Dun-

Dunstani defuncto, ei succedēs, Archiepiscopus Cantuariensis factus est, anno Domini 1006. Indictione 4. qui tandem martyrio coronatus, ad cęlos feliciter ascēdit.

De Adelberto Ruthenorum.

CAP. CXIIII.

ADELBERTVS monachus cœnobij S. Maximini iuxta mœnia vrbis Treuerēsis, & posteà Ruthenorum Archiepiscopus, vir doctus & declamator egregius, nō minùs religione quàm scientia venerabilis, prædicans in Prussia & Hungaria, multos ad fidem Christi conuertit. Fuit enim honestate morū & eloquij suauitate, præclarus. Vndè ad persuadendum vtilis admodùm habebatur.

De Menfrido Magdburgensi.

CAP. CXV.

MENFRIDVS monachus cœnobij S. Burckardi Herbipolēsis, Archiepiscopus sextus Magdburgensis, vir doctus & strenuus, gubernauit Ecclesiam illam à B. Hērico Imperatore sibi commissam, annis 27. Claruit anno Domini 1010.

De Brunone Ruthenorum.

CAP. CXVI.

BRVNO monachus cuiusdam cœnobij in Italia, cuius nomen non occurrit, propter sciētiam scripturarum & morum honestatem, quibus nobiliter effulsit, Archiepiscopus Ruthenorum ordinatus est, & post multos labores à Prussis pro fide Christi martyrio coronatus, anno Domini 1008. Indictione 6.

De Bardone Moguntino.

CAP. CXVII.

BARDO monachus & Abbas Hirsfeldensis, Archiepiscopus Moguntinensis vicesimus, vir sanctissimæ conuersationis, multa bona in regimine suo Ecclesiæ fecit atq; pauperibus. Rexit Ecclesiam Moguntinam decem & nouem annis, & in vicesimo moritur, anno Domini 1051. Indictione 4. quarto Idus Iunij.

De Abel Rhemēsi Archiepiscopo.

CAP. CXVIII.

ABEL monachus & Abbas Lobiensis cœnobij, & posteà Rhemēsis Archiepiscopus, vir in diuinis scripturis nobiliter doctus, ac morum honestate singulariter insignis, ad Ecclesiasticum regimen assumptus, tā solicitè & sanctè præfuit ouibus Christi, vt in sanctos referri meruerit.

De Lanfranco Cantuariensi.

CAP. CXIX.

LANFRANCVS Prior & monachus Beccensis cœnobij in Normannia, deinde Abbas Cadoniensis, postremò Archiepiscopus Cantuariensis, vir doctrina & sanctitate venerabilis, cuius iamdudùm in superioribus fecimus mētionem, etiam in vita miraculis claruit. Huius discipulus fuit Anselmus, qui & in Prioratu & Archiepiscopatu eidem successit. Claruit anno Domini 1070.

De Maurilio Archiepiscopo.

CAP. CXX.

MAVRILIVS monachus Fiscaniēsis, & Rothomagensis Archiepiscopus post depositionem Malgerij, vir doctus & eruditus, multisq; plenus virtutib⁹, de quo multa bona narrantur: amator charitatis & abstinentiæ præcipuus fuit. Claruit anno Domini 1060.

De Sigefrido Moguntino.

CAP. CXXI.

SIGEFRIDVS Abbas Fuldēsis, & posteà Moguntinus Archiepiscopus vicesimus secundus, vir deuotus & amator religionis, sanctum Domini sepulcrum cum magno desiderio visitauit. De sancto Iacobo rediens, apud Cluniacum manere disposuit, si non per obedientiam ad Ecclesiam suam redire fuisset coactus. Baculum Archiepiscopatus accepit in die Epiphaniæ Domini, anno 1060. Indictione 13.

De Anselmo Cantuariensi.

CAP. CXXII.

ANSELMVS monachus Beccensis, deindè Prior, pòst Abbas ibidem, tandem post Lanfrancum Archiepiscopus Cantuariensis, vir doctus in diuinis scripturis, & non minùs sanctitate quàm scientia clarus, ingenij & religionis suæ infinita monimenta reliquit: de quibus in secundo libro ex parte fecimus mentionem. Claruit anno Domini 1090.

De Diemone Saltzburgensi.

CAP. CXXIII.

DIEMO Abbas Saltzburgensis, cùm propter excommunicationem Henrici quarti, suam Abbatiam cogeretur deserere, venit ad monasterium Hirsaugiense in diœcesi Spirensi, vbi aliquantulùm cum Vuilhelmo Abbate viro religiosissimo latuit, donec tandem fluctibus turbationum aliquantulùm sedatis, in Ecclesiæ Saltzburgensis Archiepiscopū consecratus est. Claruit anno Domini 1080. Decrepitus tandem Hierosolymam profectus, & à Saracenis captus, cum alijs plerisque occiditur.

De Malachia Ardinacensi.

CAP. CXXIIII.

MALACHIAS monachus & Abbas Benchorēsis cœnobij in Hybernia, deinde Episcopus vrbis Conereth, postremò Archiepiscopus Ardinacensis, ac Primas totius Hyberniæ, vir doctrina & sanctitate præclarus, quod infinita eius mira-

cula testantur. Moritur autem anno Domini 1148. Indictione 11. quarto Nonas Nouembris.

De Theobaldo Cantuariensi Archiepiscopo.

CAP. CXXV.

THEOBALDVS monachus Bectensis cœnobij, & deinde Archiepiscopus Cantuariensis, vir multùm doctus & prouidus, industriæ suæ, quam erga Ecclesiastica negocia solebat exercere, multa fertur indicia reliquisse. Claruit circa annos Domini 1140.

De Matthia Moguntinensi.

CAP. CXXVI.

MATTHIAS de Buchseck, monachus quidẽ nostri ordinis, sed nomẽ cœnobij eius iam mihi non occurrit, Archiepiscopus Moguntinẽsis quadragesimus, vir sagax & nobilis, rexit Ecclesiã sibi commissam annis septem. Claruit circa annos Domini 1320.

De Baldeuuino Bremensi.

CAP. CXXVII.

BALDEVVINVS Abbas cœnobij sancti Michaëlis Luneburgensis, & deindè quadragesimusprimus Archiepiscop⁹ Bremensis, vir nobilis & doctus, rexit Ecclesiam sibi commissam strenuè annis sex, & mensibus quatuor. Claruit tẽporibus concilij Basileensis, anno Domini 1435.

De Nicolao Panormitano.

CAP. CXXVIII.

NICOLAVS Abbas Monacensis cœnobij, natione Siculus, primò Archiepiscopus Panormitanus, & posteà Cardinalis, doctor Decretorum, de quo in superioribus suis locis sufficienter sumus locuti, non minùs religione & honestate morum, quàm scientia venerabilis. Claruit in concilio Basileensi anno Domini 1435.

De Episcopis, ex ordine sancti Benedicti assumptis.

CAP. CXXIX.

ARCHIEPISCOPORVM, qui de ordine nostro ferũtur assumpti, Catalogum terminãtes, hoc lectorem volumus scire, penè restare innumerabiles nostræ religionis Archiepiscopos, quorum nullam fecimus mentionem, eò quòd ad nostram notitiam minimè sint perlati. Enimuerò vt summam compendio tangam, feruntur nostri ordinis extitisse Archiepiscopi mille quingẽti, sexagintaquatuor, præter eos, qui huic numero in centum & quinquaginta annis accesserunt. De quibus omnibus ad meam notitiam paucissimi peruenerunt: vndè & paucos consignaui. Si quis autem hunc nostrum Catalogum voluerit ampliare, historias veterum chronicasque reuoluat, & plures, quos adijciat, inueniet. Ego Alemanus inter nostrates conuersor, quibus & contentus sum, cùm exterorum oẽs non possim scrutari Ecclesias. Sed maneãt hæc. Nunc iam igitur, vt ordinem debitũ obseruemus, post Metropolitanos etiam Episcopos, qui nobis ex Benedicti patris gremio ex multis occurrerunt pauci, ritè consignemus.

De Leandro Hispalensi.

CAP. CXXX.

LEANDER monach⁹ in Hispania, & posteà Hispalensis Episcopus ante Isidorum, vir doctus & sanctus, qui multos Arrianorum ad fidem rectam conuertit, etiam viuẽs effulsit miraculis. Hic est Leander Episcop⁹, qui Herminigildũ, filium Leuigildi regis Gothorum, ab Arriana peste cõuertit, & vsq; ad martyrij constantiam dulciter roborauit. Nam B. Herminigildus in carcerem positus à patre Arriano, in ipsa nocte paschali ab eo martyr effectus, trãsiuit ad cælos. Cuius frater Richardus mox vt regnũ post patrem accepit, instante Leandro, totam gẽtem Vuesegothorũ sibi subiectam, ad fidem Catholicam cõuertit. Ad hunc Leandrum beatus Papa Gregorius librum Iob moraliter exposuit. Claruit anno Dñi 580. relatus in sanctos, vt suprà dictũ est.

De Vigore Baiocasinensi.

CAP. CXXXI.

VIGOR monach⁹ cœnobij S. Vedasti, ex prouincia Attrebacẽsi oriundus, & posteà Episcopus Baiocẽsis, vir sanctissimæ conuersationis, multis fertur claruisse miraculis: qui sanctus fuit pronunciatus ab angelo, priusq̃ nasceretur in mũdo. Claruit temporibus sancti Benedicti patris nostri, circa annos Domini 550.

De Herculano Perusino.

CAP. CXXXII.

HERCVLANVS ex monacho Episcopus Perusinus, vir valdè venerabilis, & eximiæ sanctitatis, post multa bonorum operũ exercitia, à Totila perfido rege diris lacerat⁹ tormẽtis, ad cęlos martyrio coronatus ascẽdit anno Dñi 561. Indictione 9. Cui⁹ mẽtionẽ B. Gregori⁹ in dialogo facit.

De Maclouio Episcopo.

CAP. CXXXIII.

MACLOVIVS, q & Machutes, ex monacho Episcopus in Hybernia, vir magnæ doctrinæ & sanctitatis, multis virtutibus & signis clarus effulsit, suaq; prædicatione ad Christum multum populum congregauit. Fuit aũt discipulus S. Brendani, de quo multa miracula narrantur. Claruit anno Domini 570.

De Paulo Leonensi Episcopo.

CAP. CXXXIIII.

PAV-

PAVLVS monachus & discipulus beati Eltuti in Britania transmarina, san-cti Archipræsulis Samsonis consodal[illegible] posteà Leonensis Episcopus, vir sanctus & multorum miraculorum patrator insignis: qui cuius conuersationis fuerit, lecta historia vitæ eius ostendit. Claruit anno Domini 600.

De Amando Episcopo Leodiensi.
CAP. CXXXV.

AMANDVS monachus & Abbas Elnonensis cœnobij, & posteà Episcopus Leodiensis, vir sanctissimæ vitæ & excellentis doctrinæ, qui sua prædicatione dulcissima multos côuertit ad Christû, côstruens ecclesias & monasteria, maximè in territorio Flandrensi, vbi multis virtutibus & signis coruscauit. Claruit anno Domini 640.

De Aidano Lindesfarnensi.
CAP. CXXXVI.

AIDANVS monachus cœnobij Huensis in Hybernia, quod sanctus Columbanus olim construxerat, & posteà Episcopus Lindesfarnensis, vir doctus & religiosus, & excellens prædicator, multos ad veram fidem conuertit Christianam. Quandò hic Aidanus prædicabat in Anglia, rex Osuualdus, martyr sanctissimus, interpretis fungebatur officio, eò q̄ ipse in Anglica lingua nô est adeò perfectè instructus. Moritur eodem anno, quo beatus rex Osuualdus fuerat occisus, Domini videlicet 642. Episcopatûs sui 17. Inditione 15.

De Vualberto Meldensi.
CAP. CXXXVII.

VVALBERTVS Abbas Luxouiensis post sanctum Eustasium, ac deindè Episcopus Meldensis 19. post Gandoaldum, frater beati Pharonis, qui etiam in Episcopatu ei successit, vir doctus & sanctus, infinitis miraculis coruscauit. Claruit anno Domini 630.

De Gandoaldo Meldensi.
CAP. CXXXVII.

GANDOALDVS monachus Luxouiensis, & discipulus beati Columbani, vir sanctus & multis virtutibus clarus, Meldensis Ecclesiæ octauusdecimus Episcopus côsecratus, tam verbo quàm exemplo multos ad Christum conuertit. Huic in Episcopatu successit Vualbertus frater suus, qui sequitur. Claruit anno Dñi 630.

De Pharone Meldensi.
CAP. CXXXIX.

PHARO monachus & discipulus sancti Eustasij Abbatis Luxouiensis, & post fratrem suum Vualbertum vicesimus Episcopus Meldensis, vir sanctus & Deo dilectus, infinitis miraculis effulsit. Pulchra ordinatio diuina. Tres fratres nô solùm Episcopi, sed etiam vnius Ecclesiæ Episcopi fuerunt. Gandoaldus primò, posteà Vualbertus, deindè Pharo. Hi tres beatissimi fratres vnicam sororem habuerunt nomine Pharam, quæ fuit Abbatissa Brigêsis cœnobij, & magna sanctitate emicuit. Claruerunt simul circa annos Domini 630.

De Birino Dorcicensi Episcopo.
CAP. CXL.

BIRINVS monachus in vrbe Roma, propter excellêtiam doctrinæ & sanctitatis, ab Honorio Papa Episcopus ordinatus, mittitur in Britaniam: vbi regem cum magna populi multitudine ad fidem Christi conuertit, quem sanctus Osuualdus rex Nordanymbrorum de sacro fonte leuauit. Qui duo reges eidem Birino ciuitatem, quę vocatur Dorcic, donauerût, ad faciendum inibi sedem Episcopalem. Claruit anno Domini 640.

De Hildemico Meldensi.
CAP. CXLI.

HILDEMICVS monachus Luxouiensis, & discipulus beati Pharonis, vir magnæ doctrinæ & eximiæ sanctitatis, quod multa probant miracula ab eo patrata: post mortem sui præceptoris, in locum eius Meldensium Episcopus meruit consecrari. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 676.

De Egilberto Dorcicensi.
CAP. CXLII.

EGILBERTVS monachus in Gallia, & posteà Episcopus in Britania in ciuitate Dorcicensi, indeq; recedens, in Galliam reuersus est: & in Parisiensi Ecclesia Episcopus constitutus, non minùs religione, quàm scientia, clarus effulsit. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 670.

De Comano Episcopo Rofensi.
CAP. CXLIII.

COMANVS monachus S. Papæ Gregorij in vrbe Roma, & deindè missus in Angliam, post Iustû, ad Archiepiscopatû Doruernensem assumptum, Episcopus Rofensis Ecclesiæ ordinatus, magna doctrina & religiôe populû suû gubernauit. Claruit anno Domini 630.

De Vimone Ventano.
CAP. CXLIIII.

VIMO monachus in Britania transmarina, & deindè Episcopus Ventanus, vir doctus & prędicator insignis, pulsus à rege de sede sua, quã illi dederat, venit in Angliã: & à rege Volfhero Lôdoniensis Episcopus constitutus, ibidê in pace quieuit. Claruit anno Dñicę natiuitatis 670.

De Eleutherio Parisiensi.

CAP. CXLV.

ELEVTHERIVS monachus Parisiensis in Francia, & posteà missus in Britanniam, post expulsionem Vimonis Episcopus Ventanus, à Theodoro Cantuariensis Ecclesiæ Archipræsule consecratus, multis virtutibus clarus effulsit. Claruit anno Domini 680.

De Ithamar Episcopo Rosensi.

CAP. CXLVI.

ITHAMAR monachus in Anglia, cuius cœnobium iam mihi non occurrit, post mortem sancti Paulini, qui ab Archiepiscopatu Eboracensi pulsus, ad Rosensem Ecclesiam redierat, Episcopus eiusdē vrbis ab Honorio Archiepiscopo Doruernensi consecratus est anno Domini 644. Indictione secunda.

De Colacho Episcopo.

CAP. CXLVII.

COLACHVS monachus Huensis cœnobij in Hybernia, & posteà Episcopus mediterraneorum Anglorum & Merciorum, vir in diuinis & secularibus scripturis nobiliter doctus, non paucam Domino plebem sua prędicatione acquisiuit. Sed amore solitudinis Episcopatum deserens, reuersus est ad insulam Hu, vbi priùs monachus fuerat. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 660.

De Trumhero Episcopo.

CAP. CXLVIII.

TRVMHERVS monachus in Scotia, natione Anglicus, deindè post resignationem Colachi in eius locum Episcopus mediterraneorum Anglorum, Merciorūq; ordinatus, multa religione & sanctitate in plebe sibi commissa effulsit. Claruit anno Domini 670.

De Remaclo Leodiēsi Episcopo.

CAP. CXLIX.

REMACLVS Abbas Stabulensis, & Leodiensis pòstmodùm Episcopus, vir doctus & sanctus, qui multis virtutibus clarus enituit, plebē Domino nō modicam sancta prædicatione sua acquisiuit: ecclesias & cœnobia construens, diuinum cultum ampliauit. Ordinatus autem est in Episcopum anno Dominicæ natiuitatis 646. Indictione 4.

De Cedda Lindesfarnensi.

CAP. CL.

CEDDA monachus in Anglia, frater S. Ceaddæ Archiepiscopi Eboracensis, Ecclesię Lindesfarnēsis Episcopus, vir sanctę vitę & incōparabilis doctrinę, tā verbo q̄ exēplo multos ab idolorū cultura ad fidē Christi cōuertit. Claruit anno Dñi 670.

De Laromanno Merciorum.

CAP. CLI.

LAROMANNVS monachus insulæ Lindesfarnensis, & post Trumherum Merciorum Episcopus, vir doctus & eruditus in diuinis scripturis, prædicatione & laudabili vita se dignum præbens pontificem, non paucos ouili Saluatoris homines coniūnxit. Claruit anno Dñi 680.

De Sinano Lindesfarnensi.

CAP. CLII.

SINANVS monach⁹ Huēsis, beati Edani quondàm discipulus, & post eum Lindesfarnensis Ecclesiæ Episcopus, vir non minùs religione quàm scientia scripturarum præclarus. Ordinatus est anno Domini 642. Indictione 15.

De Colomanno Episcopo.

CAP. CLIII.

COLOMANNVS monachus Huensis, natione Scotus, & post Sinanū Episcopus Nordanymbrorū, vir quidem doctus & morum honestate insignis, sed in obseruatione Paschali suo tempore more Scotorum repræhensibilis. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 664. Et eodem anno Indictione 7. deserēs Episcopatum, ad monasterium suum reuersus est.

De Theodardo Leodiensi.

CAP. CLIIII.

THEODARDVS monachus Stabulensis, & Episcopus Leodiensis, vir sanctissimæ conuersationis, post multos labores, quos in regimine Ecclesiastico sustinuit, beato martyrio coronatus, ad cælos auolauit quarto Iduum Septembris, anno Domini 658. Indictione 1.

De Tuda Nordanymbrorum.

CAP. CLV.

TVDA monachus in Scotia, post Colomannum Episcopus Nordanymbrorū cōsecratus, multas Christo animas etiam ante pōtificatum sua prædicatione acquisiuit. Fuit enim vir bonus & religiosus, sed modico tempore rexit Ecclesiam. Claruit anno Domini 660.

De Ediluuino Episcopo.

CAP. CLVI.

EDILVVINVS monachus Huensis in Hybernia, natione Anglicus, vir nobilis, doctus & deuotus, ꝓpter ingentem doctrinā & religionem in Lindissensi ꝓuincia ordinatus Episcopus, magna solicitudine Ecclesiam multo tempore gubernauit, & Christo populum nō modicum acquisiuit. Claruit anno Domini 670.

De Vuinfrido Episcopo.

CAP. CLVII.

VVINFRIDVS monachus Barnensis, Episcopus Merciorū, vir doctus & reli-

religiosus: cùm Episcopatum aliquot annis strenuè gubernasset, à Theodoro Cantuariensi Archiepiscopo, propter demeritum cuiusdam inobedientiæ, depositus, ad monasteriũ suum reuersus, de reliquo in pace conuersatus est. Claruit anno Domini 680.

De Sexulfo Merciorum.

CAP. CLVIII.

SEXVLFVS monachus & Abbas Medeshamstedensis in regione Giruiorũ, posteà, in locum Vuinfridi supradicti, Merciorum Episcopus à Theodoro consecratus, tam vita quàm doctrina, cõmissam sibi Ecclesiã strenuè gubernauit. Claruit anno Domini 680.

De Ioanne Gerundensi.

CAP. CLIX.

IOANNES monachus Vuesegothus natione, & posteà Gerundẽsis Episcopus, vir sanctus atque doctissimus, pro fide catholica multis ab Arrianis aduersitatibus clarior effulsit. De cuius doctrina & sanctitate in secũdo libro fecimus mentionẽ. Claruit anno Domini 610.

De Andomaro Taruanensi.

CAP. CLX.

ANDOMARVS monachus Luxouiensis, discipulus sancti Eustasij Abbatis, patria Constantiensis, Episcopus Taruanensis Ecclesiæ, quam 30. annis strenuè gubernauit, magna sanctitate effulsit. Claruit anno Domini 660.

De Mummolino Nouiomense.

CAP. CLXI.

MVMMOLINVS monach⁹ Luxouiẽsis, & beati Andomari discipul⁹, ac deinde post Archarium Nouiomẽsis Episcopus, vir magnæ doctrinæ & sanctitatis, multos sua prædicatione ad Christũ conuertit. Claruit anno Domini 680.

De Lamperto Episcopo Leodiẽsi.

CAP. LXII.

LAMPERTVS monachus Stabulensis, filius Apri comitis, & post Theodardum martyrem Episcopus Leodiensis, vir sanctissimæ vitæ, qui & ipse post multa bonorum operum studia martyrio coronatus ad cælos feliciter peruenit. Claruit anno Domini 670.

De Ercumuualdo Londoniensi Episcopo.

CAP. CLXIII.

ERCVMVVALDVS monachus & Abbas Cerotheseensis in Anglia, frater beatæ virginis Christi Edilburgæ, & posteà Londoniensis Episcopus, vir sanctissimæ conuersationis, & multis coruscãs miraculis. De quibus venerabilis Beda ex parte facit mentionẽ. Claruit anno Dñi 680.

De Heddi Episcopo Saxonum.

CAP. CLXIIII.

HEDDI monachus in Anglia, post Eleutherium quintus Episcopus Occidentalium Saxonum in ciuitate Venta consecratus à Theodoro Cantuariẽsi Archiepiscopo, cõmissam sibi Ecclẽsiam verbo & exemplo strenuè gubernauit. Fuit enim vir morum honestate insignis, & nõ minùs scientia scripturarum, quàm religione venerabilis. Claruit anno Dñi 680.

De Vualdhero Londoniensi.

CAP. CLXV.

VVALDHERVS monachus in Anglia, post Ercumuualdum Episcopus Londoniensis, vir multarum virtutũ, in diuinis scripturis nobiliter eruditus, verbique Dei prædicator egregius. Claruit anno Domini 690.

De Cæsario Episcopo Arelatensi.

CAP. CLXVI.

CAESARIVS monachus Lirinẽsis cœnobij, & posteà Episcopus Arelatensis, vir in scripturis sanctis doctissimus, & prædicator insignis, de quo in superioribus dudùm fecimus mentionem, non minùs sanctitate & religione, quàm scientia claritus enituit. Claruit anno Domini 690.

De Trũuuino Episcopo Pictorũ.

CAP. CLXVII.

TRVMVVINVS monachus Streneshalcensis, & Episcopus Pictorũ, vir doctrina & sanctitate multùm venerabilis post multos labores Episcopatum deserẽs, ad dilectam sibi vitam monasticam est reuersus, vbi non sibi solùm, sed & multis tam verbo præfuit, quàm exemplo. Claruit anno Domini 680.

De Cutberto Lindesfarnensi.

CAP. CLXVIII.

CVTBERTVS monachus Mailrosensis, & Episcopus Lindesfarnensis, vir doctus & sanctus, qui vitam solitariam multis annis in magna corporis & mentis continentia ducens, multis virtutibus enituit & signis. Claruit anno Domini 690.

De Eata Hagustaldensi.

CAP. CLXIX.

EATA Abbas Mailrosensis, sub quo Cutbert⁹ monachus factus est, & posteà Episcopus Hagustaldensis siue Lindesfarnensis ante Ioannem, vir omnium simplicissimus ac mansuetissimus, Ecclesiam vita & doctrina nihilominùs strenuè gubernauit. Claruit anno Domini 670.

De Ioãne Hagustaldẽsi Episcopo.

CAP. CLXX.

IOANNES monachus Streneshalcensis, post Eatam Episcopus Hagustaldensis, vir omnium opinione magnificus, doctri-

ctrinæ & sanctitatis eminentia præclarus, qui infinitis, adhuc viuens in carne, fertur claruisse miraculis. Moritur anno Domini 721. Episcopatus sui, 33. Indictióe 4.

De Tobia Episcopo Rofensi.

CAP. CLXXI.

TOBIAS monachus cœnobij sanctorum Petri & Pauli in Anglia, Episcopus Rofensis, vir Latina, Græca, & Saxonica lingua, atque eruditióe multiplici instructus, & non minùs religione, quàm scientia literarum venerandus. Claruit anno Domini 700.

De Kiliano Episcopo Herbipolensi.

CAP. CLXXII.

KILIANVS monachus Huensis in Hybernia, & Episcopus Herbipolensis in Franconia, vir doctus & sanctus, prædicatorque verbi Dei eximius, veniens de Scotia in Germaniam, postquàm multos sua prædicatione conuertisset ad fidem, martyrio rubricatus, ascendit ad cælum. Claruit anno Domini 680.

De Leodegario Augustudunensi.

CAP. CLXXIII.

LEODEGARIVS monachus & Abbas sancti Maxentij Pictauiensis, Episcopus Augustudunensis, vir sanctus & Deo dilectus, postquàm multos verbo & exemplo ad semitas vitæ melioris conuertit, ab impio Ebroino multis tormentis affectus, felici martyrio ad regna cælorum peruénit. Claruit anno Domini 680.

De Vrsmaro Episcopo Lobiensi.

CAP. CLXXIIII.

VRSMARVS Abbas Lobiensis, & consequenter Episcopus ibidèm, vir magnæ sanctitatis, doctus & eruditus in lege diuina, qui sua prædicatione plebem non paucam Domino acquisiuit: infinitis miraculis coruscauit. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 700.

De Adelmo Episcopo Saxonum.

CAP. CLXXV.

ADELMVS Abbas cœnobij quod Maildubi vrbem appellant, Episcopus Occidentalium Saxonum in locum Heddi ordinatus, rexit Ecclesiam annis duntaxàt quatuor: vir doctissimus, & non minùs sanctitate, quàm scientia venerabilis, de quo in superioribus iam fecimus mentionem. Claruit anno Domini 700.

De Plechtelmo Candidæ Casæ.

CAP. LXXVI.

PLECHTELMVS monachus Maildubiurbensis, Episcopus Candidæ Casæ, vir doct⁹, & cum beato Adelmo in monastica disciplina multo tempore conuersatus, sanctitatis suæ monimenta nó contemnenda reliquit. Claruit anno Dñi 700.

De Edbrechto Episcopo.

CAP. CLXXVII.

EDBRECHTVS Abbas Selessenensis, primus Episcopus Australium Saxonum, qui hucusq; Ventano suberant pontifici, vir doctus in lege diuina, & non minùs religione, quàm dignitate pontificali sublimis, qui tum prædicando, tum benè viuendo, pastor in Ecclesia vtilis fuit. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 700.

De Cymberto Vectiorum.

CAP. CLXXVIII.

CYMBERTVS monachus Rietfordensis, id est, vadi arundinis, Episcopus insulæ Vectæ, vir in Ecclesiasticis & monasticis disciplinis nobiliter instructus, doctrina & religione præclarus effulsit. Claruit anno Domini 730.

De Ediluualdo Lindesfarnensi.

CAP. LXXIX.

EDILVVALDVS Abbas Mailrosensis cœnobij in Anglia, Episcopus Lindesfarnensis in prouincia Nordanimbrorum, vir doctus in scripturis diuinis, & egregius prædicator, non modicũ in Ecclesia Dei fructum legitur attulisse. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 740.

De Heruino Episcopo Lobiensi.

CAP. CLXXX.

HERVVINVS Abbas Lobiensis, & deindè ibidèm Episcopus, vir doctus & sanctus, qui multis virtutibus & signis clarus effulsit, plebem non modicam sua prædicatione ad fidem catholicam asciuit. Claruit anno Domini 720.

De Albino Episcopo Andegauẽsi.

CAP. CLXXXI.

ALBINVS monachus Timlacẽsis, episcopus Andegauensis, Veneticæ regionis indigena in cófinibus Oceani Britanici, vir sanctissimę conuersationis, qui pontificatum viginti annis administrans, magnis virtutibus plenus effulsit, intãtùm meritis clarus, vt sanctorum catalogo sit insertus. Claruit anno Domini 720.

De Suuicberto Verdensi.

CAP. CLXXXII.

SVVICBERTVS monachus Ripensis in Anglia, soci⁹ sancti Vuillebrordi, & primus Episcopus Verdensis, veniens de Britania in Germaniam, sua prædicatione innumeros ad Christi fidem populos conuertit. Claruit anno Domini 720.

De Adelario Erfordensi.

CAP. CLXXXIII.

ADELARIVS monachus in Anglia, socius itineris & laboris beati Bonifacij Moguntini Archipræsulis, Episcopus Erfor-

fordēsis in Thuringia primus & vltimus, vir sanctus et Christianę fidei propagator magnificus, posteaquàm ad fidem Catholicam sua prædicatione perduxit innumeros, martyrio coronatus, cælos penetrauit. Claruit anno Domini 740.

De Burckardo Herbipolensi.

CAP. CLXXXIIII.

BVRCKARDVS monachus cuiusdam cœnobij in Anglia, socius & comes peregrinatiōis sancti Bonifacij martyris, & ab eo Herbipolensis Episcopus cōsecratus, sedit annis nouē: vir sanctissimæ conuersationis, qui multis virtutibus & signis clarus effulsit. Moritur autem anno Domini 759. Indictione 12.

De Vuillebaldo Eistetensi Episcopo.

CAP. CLXXXV.

VVILLEBALDVS monachus Cassinensis, frater S. Vualburgis, Abbatissæ Heidenhemēsis in diœcesi Eistetēsi, natione Anglicus, à B. Bonifacio Mogūtino primus Episcopus Eistetensis consecratus suffu summi pontificis Zachariæ, magna sanctitate clarus effulsit. Claruit anno Domini 740.

De Eucherio Episcopo Aurelianensi.

CAP. CLXXXVI.

EVCHERIVS monachus cœnobij S. Trudonis in diœcesi Leodiēsi, & Episcopus Aurelianensis, vir doctus & excellentis ingenij: postquàm Episcopatū aliquot annis gloriose rexit, iniuria pulsus, ad monasterium S. Trudonis redijt, & vitam in sancta religione cōsummauit. Claruit anno Domini 760.

De Lutgero Monasteriensi.

CAP. CLXXXVII.

LVTGERVS monachus Beneuētanus, & posteà primus Episcop⁹ Monasteriensis sub Coloniēsi Archiepiscopo, vir sanctissimæ cōuersationis, multis tā in vita, quàm post mortē miraculis coruscauit, & diuino oraculo sanctus pronunciatus legitur, existēs adhuc in vtero matris suæ. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 780.

De Gregorio Traiectensi.

CAP. CLXXXVIII.

GREGORIVS monach⁹ & Abbas Traiectensis inferioris, & posteà Episcopus ibidem, vir doctus & sanctus, sua prædicatione plebem non modicam ad fidem Christi conuertit. Vnde & in sanctos relatus est, sicut in alio loco plenius digessim⁹. Claruit circa annos Domini 770.

De Taffrido Episcopo Vectiorū.

CAP. CLXXXIX.

TAFFRIDVS monach⁹ Streneshalcensis in Anglia, & Episcopus Vectiorū sub Archiepiscopo Cantuariensi, vir tam in diuinis scripturis, quàm in secularibus studijs eruditissimus, prædicator quoquè insignis, & nō minùs religione, quàm scientia venerandus, Ecclesiam gloriosè non modico tempore gubernauit. Claruit circa annos Domini 770.

De Albuino Episcopo Frislariēsi.

CAP. CXC.

ALBVINVS monachus Huensis insulæ, egressus de Hybernia prædicationis causa venit in Thuringiam, vbi cùm sua prædicatione dulcissima multos ad Christum conuertisset gētilium, à summo pontifice Frislariensis Episcopus ordinatus est, vbi multis virtutibus & signis clarus effulsit. Episcopatus autem illius gentis dudùm cessauit.

De Pirminio Episcopo Meldensi.

CAP. CXCI.

PIRMINIVS Abbas in Germaniæ finibus, deinde Episcopus Meldensis, vir nobilis & doctus, non minus sanctitate q̃ scientia commissam sibi Ecclesiam gloriosè gubernans, post multa perpetrata miracula, sanctorum associandus collegio, feliciter ascēdit in cælum 3. Nonas Nouemb.

De Vuilligiso Episcopo Lobiēsi.

CAP. CXCII.

VVILLEGISVS monachus & Abbas Lobiensis cœnobij, & posteà eiusdē vrbis Episcopus, vir excellentis ingenij, & magnæ eruditionis, sanctitatis suæ plura monimēta reliquit, tam in cœnobio, quàm in pontificatu. Vndè & in sanctos relatus est.

De Freculfo Episcopo Lexouiēsi.

CAP. CXCIII.

FRECVLFVS monachus Fuldensis, & posteà Episcopus Lexouiēsis, sub Rothomagēsi, ad quem Rabanus, tunc Abbas Fuldensis, quatuor libros in Genesim scripsit, vir studiosus & doctus, qui & ipse nōnulla composuit opuscula, tam scientia quàm religione morum, vt bonus pastor, animas subditorū sibi direxit ad Christum. Claruit anno Domini 830.

De Tiagrino Halberstatensi.

CAP. CXCIIII.

TIAGRINVS Abbas, cuius monasteriū scriptor temporum nō exponit, Episcopus Halberstatensis secundus, rexit Ecclesiam sibi commissam strenuè quatuordecim annis, non sine opinione sanctitatis. Moritur anno Domini 821. Indictione autem 14.

De Haymone Halberstatensi.

CAP. CXCV.

HAYMO monachus Hersfeldensis, & tertius Abbas ibidē, ac deindè in locū Tiagrini tertius Episcopus Halberstaten-sis cōsecratus, rexit eandē Ecclesiā strenuè 13. annis, & fuit excellētissimus prędicator: vndè & multas homilias ad populū habuit, quæ adhuc habētur. Huius etiā in præcedētibus fecimus mentionē. Moritur anno Domini 834. Indictione 12. Sepultus in maiori ecclesia sancti Stephani ibidē.

De Altfrido Hildeshemensi.

CAP. CXCVI.

ALTFRIDVS monachus Corbeiensis cœnobij in Saxonia, quartus Episcopus Hildeshemēsis, vir doctus & sanctus, sedit in pōtificatu vigintiocto annis. Cōstruxit etiam Episcopalem ecclesiam magnificè, in qua etiam magna sanctitate celebris iacet sepultus. Moritur autem anno Domini 875. Indictione 8.

De Theodulpho Episcopo.

CAP. CXCVII.

THEODOLPHVS Abbas Floriacensis cœnobij, deindè Aurelianensis Episcopus, vir nō minùs religione quàm scientia venerādus, de quo in secundo libro fecimus mentionem. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 840.

De Remigio Antisiodorensi.

CAP. CXCVIII.

REMIGIVS monachus Altisiodorensis, & posteà ibidem episcopus, vir in exponēdis scripturis sanctis nulli suo tempore secundus, quod multa, quæ scripsit, volumina testantur. Huius ingenij iamdudùm fecimus mentionem. Hic fuit pręceptor Odonis, Abbatis postmodùm Cluniacensis. Claruit anno Domini 880.

De Vualberto Hildeshemensi.

CAP. CXCIX.

VVALBERTVS monachus Corbeiensis in Saxonia, septim⁹ Episcopus Hildeshemensis, vir doctus & strenuus, rexit Ecclesiam sibi cōmissam breui tempore morte præuentus. Claruit circa annos Domini 870.

De Diethardo Hildeshemensi.

CAP. CC.

DIETHARDVS Abbas Hirsfeldensis, & nonus Episcopus Hildeshemēsis, vir strenuus & amator disciplinæ regularis, multa ad Ecclesiæ suæ honorē legitur perfecisse. Sumpsit aūt Episcopatū dictæ vrbis, anno Domini 926. Indictione 14.

De Paulo Episcopo Virdunensi.

CAP. CCI.

PAVLVS monachus Doleiēsis in diœcesi Treuerensi, Episcopus Virdunensis, vir doct⁹ & sanctus, multis fertur claruisse miraculis. Hic primò eremiticā duxerat vitā cū multis alijs super montē Cebennā in opposito vrbis Treuerorum, qui ex eius nomine, mons Pauli modò appellatur, (sed vulgus nominat eum Bulisberg) qui tandèm sub Dagoberto ad Doleiā migrauit, & ibi aliquantulū mansit, donèc posteà Ecclesiæ Virdunēsis curam suscipiens, ibidèm in pace quieuit. Claruit temporibus Dagoberti regis, anno Domini 720.

De Alberico Traiectensi.

CAP. CCII.

ALBERICVS Abbas Traiectensis, & eiusdem vrbis postmodùm Episcopus, vir magnæ sanctitatis & meriti, qui multis fertur claruisse virtutib⁹ & signis, non minùs religione, quàm doctrina, cōmissam Ecclesiam vtiliter & prouidè gubernauit. Et in sanctos relatus est.

De Amuluuino Episcopo Lobiēsi.

CAP. CCIII.

AMVLVVINVS Abbas Lobiensis cœnobij, & deindè Episcopus eiusdem vrbis, vir doctus & nobilis, qui nō minùs sanctitate, quàm scientia scripturarū, gregem sibi cōmissum solicitè pascebat: propter crebra miracula, bonorū operum testimonia, sanctorū catalogo insertus est.

De Ratherio Episcopo Veronēsi.

CAP. CCIIII.

RATHERIVS monachus Lobiensis, Episcopus Veronensis, indè pulsus, Leodiensis Episcopus constituitur. vndè rursùs pulsus, multa de calamitate sua opuscula scripsit, de quibus in secundo libro dudū fecim⁹ mentionē. Fuit doctus, licèt à mūdi sapiētibus simplex putaretur. Moritur apud Lobias anno Dñi 974. Indict. 2.

De Adelboldo Episc. Vuintoniēsi.

CAP. CCV.

ADELBOLDVS monachus Glasconiensis, discipulus sancti Dūstani, deindè Abbas Abbendoniensis, & postremò Episcopus Vuintoniensis, vir moribus & scientia tāto honore dignus, in gubernanda familia Domini singulariter idoneus fuit. Claruit anno Domini 970.

De Adelberto Pragensi Episcopo.

CAP. CCVI.

ADELBERTVS monachus sancti Bonifacij Romæ, & deindè Episcopus Pragensis, ante Archiepiscopatū vir doct⁹ & sanctus, & fidei catholicæ propagator eximius, post multos labores à Prussis martyrio coronatus, anno Dñi 995. Indict. 8.

De Othuuino Hildeshemensi.

CAP. CCVII.

OTHVVINVS Abbas cœnobij sancti Ioānis Medburgensis, decimus Episcopus Hildeshemensis, vir doctus & religiosus, rexit Ecclesiam sibi commissam stro-

strenuè 29. annis. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 970.

De Osdacho Hildeshemensi.
CAP. CCVIII.

OSDACHVS monachus Augiẽsis cœnobij, post Othuuinum Episcopus Hildeshemensis vndecimus ordinatus, rexit Ecclesiam illam annis vigintiquinque, vir non minùs religione, quàm eminentia dignitatis gloriosus, qui multa bona in Episcopatu suo Hildeshemensi Ecclesiæ dicitur fecisse. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 985.

De Tendefrido Albianensi.
CAP. CCIX.

TENDEFRIDVS monachus Luxouiensis, deindè Abbas Corbeiensis in Francia, posteà Episcopus Albianẽsis, vir doctus & religiosus, ingenij sui monimẽta non pauca reliquit, qui non minùs moribus, quàm genere, clarissimus fuit.

De Odone Beluacensi.
CAP. CCX.

ODO Abbas Corbeiẽsis, & posteà Episcopus Beluacensis in Frãcia, vir vndecunq; doctissimus, & non minùs religione, quàm scientia venerabilis, etiã in legationibus tam Apostolicis, quàm regalibus, gloriosus apparuit. Claruit anno Domini 870.

De Ambrosio Terracinensi.
CAP. CCXI.

AMBROSIVS monachus Cassinensis monasterij, & exindè Episcop⁹ Terracinensis in Campania, vir doctissimus & prædicator excellens, tam verbo quàm exemplo multorum animos ab iniquitate auertit. deniquè industriæ suæ monimenta clarissima dedit, quæ ibidem sunt nota.

De Ostphoro Episcopo Vectiorũ.
CAP. CCXII.

OSTPHORVS monachus Streneshalcensis in Anglia, deindè Episcopus Vectiorum sub Archiepiscopo Cantuariensi, vir doctus & declamator egregius, nõ modicam Christo plebem suã prædicatione dulcissima acquisiuit. Huius viri singulare meritum prædicatur.

De Bosone Mersburgensi.
CAP. CCXIII.

BOSO monachus cœnobij sancti Emerami Ratisponensis, & Mersburgensis postmodùm Episcopus, vir nobilis & doctus, & non minùs honestate morum, quàm eruditione scripturarum venerandus, industriæ suę & scientiæ nõnulla monimenta dedit.

De Ogone Episcopo Leodiensi.
CAP. CCXIIII.

OGO Abbas monasterij S. Maximini iuxta mœnia vrbis Treuerensis, & posteà Episcopus Ecclesiæ Leodiensis, vir secundũ seculi dignitatẽ nobilis & sagax, qui in agẽdis & procurandis Ecclesiasticis negocijs nõ mediocriter excelluit, quippe quem & ingeniũ naturale iuuit, & bona volũtas minimè deseruit, vt patet in sciẽti.

De Pnothone Episcopo.
CAP. CCXV.

PNOTHO Abbas Hirsfeldensis cœnobij in diœcesi Moguntina, & exindè Paderbornẽsis Episcopus vndecimus, qui qualis quantusq; fuerit, legant & sciãt, qui possunt de eo inuenire scripturam, quia successionis historiæ huius Ecclesiæ ad me non venerunt.

De Notgero Episcopo Leodiẽsi.
CAP. CCXVI.

NOTGERVS monachus sancti Galli, natione Teutonicus, Episcopus Leodiensis, vir in diuinis scripturis suo tempore omniũ opinione doctus, quod multa eius præclara testantur opuscula, de quibus in secundo volumine iam ex parte fecimus mentionem. Claruit sub Ottone imperatore primo, anno Domini 950.

De Gothardo Hildeshemensi.
CAP. CCXVII.

GOTHARDVS Abbas Altahẽsis, Episcopus Hildeshemensis quartusdecimus, vir sanctissimæ cõuersationis, rexit Ecclesiam sibi cõmissam strenuè 16. annis. Construxit monasterium iuxta ciuitatem Hildeshemẽsem in honorẽ sancti Bartholomei Apostoli: in quo ipse iacet sepultus, nomen ex suo præbens cœnobio. Claruit anno Domini 1020.

De Brandago Halberstatensi.
CAP. CCXVIII.

BRANDAGVS Abbas Fuldensis, & decimus Episcopus Halberstatensis, vir nobilis & doctus, rexit Ecclesiam sibi commissam strenuè annis quatuordecim. Promotus autem fuit in Episcopum à beato Henrico Bambergensi imperatore. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 1030.

De Adelboldo Traiectensi.
CAP. CCXIX.

ADELBOLDVS monachus Lobiẽsis, & Episcopus Traiectẽsis inferioris, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in secularibus literis valdè peritus, quod multa, quæ scripsit, testãtur opuscula, de quibus in secundo libro ex parte fecimus mentionẽ. Hunc beatus Henricus imperator singulariter dilexit propter doctrinã omnimodã & vitæ sanctitatem. Claruit eiusdem Henrici temporibus, anno Domini 1020.

De Gailbaldo Ratisponensi.

CAP. CCXX.

GAIBALDVS monachus & discipulus sancti Bonifacij martyris Moguntini, & Ratisponensis primus Episcopus, doctor & prædicator insignis, tam honestate morum, quàm scientia scripturarum præclarus, ad Christum multos sua prędicatione conuertit. Claruit anno Dñi 780.

De Hereberto Frisingensi.

CAP. CCXXI.

HEREBERTVS monachus & discipulus eiusdem sancti Bonifacij martyris, ad prædicandum gentibus missus, & Frisingensis Episcopus ordinatus, plebem non modicam catholicæ fidei coniunxit. Claruit anno Domini 780.

De Vdalrico Augustensi.

CAP. CCXXII.

VDALRICVS monach⁹ cœnobij sancti Galli, & ibidem à pueritia nutritus, Episcopus Augustensis, vir sanctus & Deo dilectus, multis & infinitis miraculis coruscauit. Moritur anno Domini 973. Indictiōe I. Episcopatûs sui anno 50. ætatis octogesimotertio, sub Ottone secūdo.

De Vuolfgango Ratisponensi.

CAP. CCXXIII.

VVOLFGANGVS monachus Treuerensis, & Episcopus Ratisponensis, vir sanctus & multorum patrator miraculorum, beato Vdalrico Augustensi familiariter dilectus, quē etiam defunctū apud S. Affrā sepeliuit, sua prędicatiōe dulcissima multorū animos ad semitā iustitiæ reuocauit. Claruit anno Dñicę natiuitatis 970.

De Brunone Verdensi Episcopo.

CAP. CCXXIIII.

BRVNO monachus Corbeiensis in Saxonia, frater Ducis Hermāni, & posteà Episcopus Verdensis, vir tam Ecclesiasticis quàm monasticis disciplinis nobiliter imbutus, dignum se moribus & doctrina nouit exhibere pontificem. Claruit sub Ottone primo, anno 960.

De Drugone Episcopo Metensi.

CAP. CCXXV.

DRVGO monachus Luxouiensis, filius Caroli Magni imperatoris, & postmodùm Episcopus Metensis, vir non minùs eruditione & religione, quàm sanguine clarus effulsit. Sunt qui scribāt, eum filium Lodouici Pij, & non fratrem: sed hos Treuerorum historia redarguit. Claruit sub Lodouico imperatore fratre suo, anno Domini 820.

De Milone Episcopo Suessionēsi.

CAP. CCXXVI.

MILO monach⁹ & Præpositus monasterij Capuani, & Episcopus Suessionensis in Frācia, vir tam doctrina, quàm honestate morum venerandus, dignum se per omnia prębens officio, ingenij sui nō pauca monimenta reliquit. Et nota, quòd hic, alius est ab illo, quem cum opusculis suis inter doctores suprà posuimus.

De Hildemanno Beluacensi.

CAP. CCXXVII.

HILDEMANNVS monachus Corbeiensis cœnobij in Frācia, Episcopus Beluacēsis, vir moribus & cōuersatiōe venerabilis, & nō minùs doctrina, q̄ religiōe, gloriosus, ꝓpter vitę sanctitatē, diuorum catalogo meruit annumerari: vt suo loco iam nos dixisse meminimus.

De Maximiniano Syracusano.

CAP. CCXXVIII.

MAXIMINIANVS Abbas monasterij S. Gregorij Papæ in vrbe Roma, & Episcop⁹ Syracusanus, vir doctrina & cōuersatione valdè venerabilis, cuius sanctitas multorū miraculorum testimonio noscitur cōprobata: pro Christi ouibus, veri pastoris exemplo, semper solicitè vigilās, & luporum præuidit insidias, & contra tyrannorum insanias fortiter bellauit.

De Eremberto Tolosano.

CAP. CCXXIX.

EREMBERTVS Abbas monasterij Fōtanellensis, & postmodùm Episcopus Tolosanus, vir in sacris scripturis multùm eruditus, & declamator non ignarus, sua dulcissima doctrina non paucos ad iustitiam erudiuit. Tantæ autem sanctitatis extitit, vt in sanctos relatus sit.

De Guimūdo episcopo Auersano.

CAP. CCXXX.

GVIMVNDVS monachus cœnobij de cruce sancti Leufredi, posteà Episcopus Auersan⁹, vir vndecunq; doctissimus, & nō minùs religione, quàm scientia scripturarū venerabilis, multa scripsit, multa cōposuit, quib⁹ & se doctū, & subditos sibi deuotiores fecit. Claruit anno Dñi 1040.

De Hildulpho Episcopo Lobiensi.

CAP. CCXXXI.

HILDVLPHVS Abbas Lobiensis, & Episcopus ibidē, vir sanctus & Deo multū dilectus, cū esset dux potēs & diues, omia quæ habuit, ꝓ Dei amore relinquēs, in præfato cœnobio monachus factus, deindè Abbas, postremò Episcop⁹, innumeris fertur miraculis claruisse atq; virtutib⁹.

De Hilario Episcopo Theanensi.

CAP. CCXXXII.

HILARIVS monach⁹ Cassinēsis cœnobij, & postea Episcop⁹ Theanēsis, vir doctus, & tā in secularib⁹ q̄ in diuinis scripturis nobiliter erudit⁹, verbo & exemplo dignū se populis nouit exhibere pontificē.

De

De Donato Episcopo Vesontionensi.

CAP. CCXXXIII.

DONATVS monachus Luxouiẽsis, & exinde Vesontionẽsis Episcopus,nõ minùs religionis decore,quàm sciẽtia scripturarum egregius, opere & sermone gregem sibi commissum instruẽs, & se periculo,& illos exemit tepiditatis opprobrio.

De Gerardo Episcopo Moriseno.

CAP. CCXXXIIII.

GERARDVS monachus & Episcopus Morisenus in Hungaria, vir sanctissimæ vitæ & incõparabilis doctrinæ, postquàm sua prædicatione plebem non modicam domino acquisiuit, vt Christum perfectè imitari posset, duris supplicijs ab infidelibus affectus, martyrio coronatus, ad cælorum regna migrauit. Claruit anno Domini 1020.

De Lamperto Brandenburgensi.

CAP. CCXXXV.

LAMPERTVS Abbas Ilsenburgensis,& postmodùm Episcopus Brãdenburgensis, vir tam Ecclesiasticis disciplinis, quàm monasticis moribus sufficienter instructus, cùm Ecclesiam sibi commissam strenuè gubernaret,ab æmulis suis crudeliter occiditur.

De Henrico Episcopo Mindensi.

CAP. CCXXXVI.

HENRICVS Abbas monasterij sancti Mauritij martyris prope ciuitatem Mindensem, & postmodùm eiusdem vrbis Episcopus, vir nobilis, doct⁹ & strenuus,in agendis disponendisq; negocijs Ecclesiasticis clarus admodùm effulsit.

De Gebehardo Augustensi Episcopo.

CAP. CCXXXVII.

GEBEHARDVS Abbas in Eluangen in diœcesi Augustensi, (quod nũc ab ordine trãslatum est) & posteà Episcopus Augustensis, vir doctus & nobilis,qui moribus & scientia vtrunq; cornu decoris ornauit. Claruit sub Ottone imperatore tertio,anno Domini 990.

De Iohãne Episcopo Cõstantiẽsi.

CAP. CCXXXVIII.

IOHANNES monachus cœnobij sancti Galli, & Episcopus postmodùm Constantiensis, vir in diuinis scripturis studiosus & multùm eruditus, scripsit non contemnendæ authoritatis opuscula,quibus ingenium suum magnificè dilatauit.

De Brunone Episcopo Verdensi.

CAP. CCXXXIX.

BRVNO Abbas Nuenburgẽsis & Magdburgensis, frater Friderici Comitis, & posteà Episcopus Verdensis, vir magni ingenij, & animum pontifice dignum possidens, non minùs in spiritualib⁹ quàm temporalibus prouidus fuit. Claruit sub Conrado secundo,anno Domini 1030.

De Anselmo Suessionensi.

CAP. CCXL.

ANSELMVS Abbas monasterij sancti Vincẽtij martyris prope Laudunũ, & Episcopus postmodùm Suessionensis, vir doctus in scripturis tam diuinis, quàm humanis, nec minùs religione, quàm scientia venerandus, plura ingenij sui monimenta præclara post se reliquit.

De Achario Catalanensi.

CAP. CCXLI.

ACHARIVS monachus Luxouiensis cœnobij,& Episcopus postmodùm Catalanensis, vir ad curam vtriusque status idoneus, quippe qui moribus & doctrina fulgens,sibi viuendo benè, alijs docẽdo nouit prodesse: vt dum doctrina lucet opere, nihil inueniat ouis sana, quod displiceat in pastore.

De Almanno Patauiẽsi Episcopo.

CAP. CCXLII.

ALMANNVS monachus cœnobij S. Iohannis Magdburgensis, & posteà Episcopus Patauiensis, vir doctus & eloquens,& non minùs religiosa conuersatione,quàm scientia literarũ insignis, fertur ingenij sui monimenta quædam dedisse.

De Gunthero Ratisponensi.

CAP. CCXLIII.

GVNTHERVS monachus cœnobij S. Emerami Ratisponensis, & eiusdem vrbis posteà Episcopus, vir idoneus sacerdotio, qui non solùm sibi viuendo profuit, sed etiam alios docendo & instruendo ab iniquitate ad semitas iustitiæ reuocauit.

De Herrando Halberstatensi.

CAP. CCXLIIII.

HERRANDVS, qui & Stephanus, Abbas Ilsenburgẽsis, & Halberstatensis Episcopus 14. vir clarus atque magnificus, rexit Ecclesiam illam sibi commissam annis tribus. Moritur anno Domini 1107. Indictiõe 15. Et sepult⁹ est in in Reyndesburg.

De Gebehardo Constantiensi.

CAP. CCXLV.

GEBEHARDVS monachus Hirsaugiensis cœnobij in diœcesi Spirensi, senioris Bertulphi ducis filius,cùm esset canonicus Coloniensis, omnia contemnens mundana,monachus in præfato cœnobio factus est sub domino Vuilhelmo Abbate. Deindè iussu domini Papæ,Constantiensis Episcopus. ordinatur anno Domini 1084. Indictione 7.

De Gebehardo Episcopo Spirēsi.

CAP. CCXLVI.

Gebehardvs tertius Abbas Hirsaugiensis, natione Sueuus, vir doctus & eloquens, cùm esset canonicus Argētinensis, cohortatione domini Vuilhelmi Abbatis, seculo renuncians, primò monachus sub ipso factus, deindè in officio eidē successit: postremò Episcopus Spirensis ordinatus, sedit anno vno, mensibus quatuor. Præfuit autem monasterio annis 14. Et mortuus est anno Domini 1106. Indictione 14. in Hirsaugia sepultus.

De Duranno Tolosano.

CAP. CCXLVII.

Dvrandvs de Bredon, monachus Cluniacensis sub sancto patre Hugone, deindè Abbas Mosyacensis, postremò Episcopus Tolosanus, vir sapientiæ prærogatiua idoneus cultor vineæ Domini Sabaoth, qui & moribus seipsum commendabilem, & populum doctrina salutari redderet fructuosum. Claruit anno Domini 1120.

De Goderanno Sanctonicensi.

CAP. CCXLVIII.

Goderannvs monach⁹ Cluniacensis, beati Hugonis Abbatis discipulus, Episcopus postmodùm Sanctonicēsis, vir vita & doctrina valdè venerabilis, decuius sanctitate miranda narrantur. Claruit anno Domini 1120.

De Hugone Antisiodorensi.

CAP. CCXLIX.

Hvgo Abbas monasterij S. Germani Parisiensis, nepos B. Hugonis Cluniacēsis, & posteà Episcopus Altisiodorēsis, vir nō minùs sanctitate, quàm scientia venerandus, & tanto dignus officio. Claruit anno Domini 1120.

De Malcho Episcopo Lesmorēsi.

CPA. CCL.

Malchvs monachus Nichoniensis cœnobij in Hybernia, Episcopus Lesmorēsis, vir doctus & valdè religiosus, cuius multę narrantur virtutes, pręceptor sancti Malachiæ, Ardinacēsis postmodùm Archipræsulis, fuit. Claruit anno Dominicæ natiuitatis 1090.

De Lamperto Argentinensi.

CAP. CCLI.

Lampertvs Abbas in Gengenbach, Episcopus Argentinensis, vir non solùm monasticis, verùm Ecclesiasticis quoquè disciplinis nobiliter instructus, atque in scietia literarum, tam diuinarum quàm secularium, nō infimè doctus, vita & conuersatione pastorem dignum se exhibens, Ecclesiam sibi commissam in vtroq; statu strenuè gubernauit.

De Sigefrido Monasteriensi.

CAP. CCLII.

Sigefridvs monachus Corbeiensis cœnobij in Saxonia, deindè Abbas monasterij sancti Iohannis Magdeburgensis, & postremò Episcopus Monasteriēsis sub Colonienſi Archiepiscopo, vir nobilis, Comitis cuiusdam filius, sed non minùs religione, quàm sanguine, clarus effulsit.

De Burckardo Vuangionum Episcopo.

CAP. CCLIII.

Bvrckardvs ex monacho Episcopus Vuormatiēsis, discipul⁹ quōdàm Alberti Abbatis Gemblacensis, vir doctrina & moribus insignis, ingenij clara monimenta reliquit. Hic decreta sanctorum patrū & conciliorū post Isidorū in 20. libris magno studio cōportauit, quo veteres ante Gratianum vsi sunt. Claruit anno Domini 1010.

De Vuillebrando Mindensi.

CAP. CCLIIII.

Vvillebrandvs Abbas Corbeiensis cœnobij in Saxonia, & postmodùm Episcopus Ecclesiæ Mindensis, sub Archiepiscopo Coloniensi, vir doctus & religiosus, & in agendis negocijs publicis admodùm idoneus fuit.

De Iohanne Mekelenburgensi.

CAP. CCLV.

Iohannes monachus in Hybernia, veniens in territorium Mekelenburgense, & annuncians verbum Dei, Episcopus ibidèm ordinatus est: & cùm esset vir sanctæ conuersationis, tandèm martyrio coronatus, ad cęlos ascendit. Claruit anno Domini 1060. sub Henrico quarto.

De Hermanno Bambergensi.

CAP. CCLVI.

Hermannvs monachus cœnobij S. Felicitatis in Suuarzach Herbipolēsis diœcesis, & deindè sextus Episcopus Bambergensis, vir doctus & multùm religiosus, Ecclesiā sibi cōmissam verbo & opere strenuè gubernauit. Claruit anno Dñi 1070.

De Bernhardo Paderbornensi.

CAP. CCLVII.

Bernhardvs Abbas monasterij S. Viti martyris Corbeiensis in Saxonia, Episcopus Paderbornensis sub Archiepiscopo Mogūtinensi, vir nobilis & doctus, non minùs religione quàm sanguinis nobilitate clarus, factorū suorū in Episcopatu egregia monimenta reliquit.

De sancto Ottone Bambergensi.

CAP. CCLVIII.

Otto monach⁹ cœnobij S. Michaelis ppe Bambergā, quod montē monachorum

chorū appellant, & post Rupertū Episcopus ibidem octauus, vir doctus & sanctus, qui vitæ merito dignus pōtificatu, multis fertur claruisse miraculis. Electus fuit in Episcopum anno Dñi 1102. Indictione 10.

De Diegero Episcopo Metensis Ecclesiæ.

CAP. CCLIX.

DIEGERVS monachus Hirsaugiensis cœnobij in cōfinibus Sueuorum, Spirēsis diœcesis, deindè Abbas S. Georgij in nigra sylua, & postremò Episcopus ibidem, vir moribus & sciētia venerādus, ingenij sui clarissima monimenta reliquit.

De Puthone Episcopo Ratisponensi.

CAP. CCLX.

PVTHO monachus cœnobij S. Emerami Ratisponēsis, & deindè ibidē Episcopus, vir moribus & sciētia magnificus, dignum se ouibus pastorem exhibens, tam opere quàm verbo clarus effulgēs, sanctorum catalogo annumeratus est.

De Cunone Ratisponensi Episcopo.

CAP. CCLXI.

CVNO Abbas Sigebergēsis cœnobij, (ad quē Rupertus Abbas Tuitiensis multa volumina scripsit) ac deindè Episcopus Ratisponensis Ecclesiæ, vir doctus & religiosus, nō pauca industriæ suæ monimenta reliquit. Claruit anno Domini 1130.

De Martino Episcopo Aquinensi.

CAP. CCLXII.

MARTINVS monach⁹ Cassinensis, & Episcopus Aquinensis, in diuinis scripturis nobiliter instructus, secularium quoquè literarum non ignarus, Ecclesiam sibi commissam nō minùs religione quàm scientia & eruditione reddit illustrem. De cuius gestis non contemnenda feruntur.

De Sabino Episcopo Galiopolitano.

CAP. CCLXIII.

SABINVS monachus cœnobij, quod B. Gregorius Papa Romæ construxit sub honore S. Andreæ Apostoli, deindè Episcopus Galiopolitanus, vir eximiæ religionis, doctus & eruditus, & ad tantum officium curandum peridoneus, moribus & scientia sedem suam exornauit.

De Leone Episcopo Theanensi.

CAP. CCLXIIII.

LEO monachus Cassinēsis cœnobij, & posteà Episcopus Theanensis, vir secundùm seculi æstimationem clarus, & ad vtilitatem Ecclesiastici regiminis satis idoneus, gregē sibi cōmissum tā opere, quàm sermone, strenuè fertur gubernāsse.

De Paterno Episcopo Pictauiensi.

CAP. CCLXV.

PATERNVS monachus cœnobij Eucxionēsis, deindè Abbas Sciscialēsis, postremò Episcopus Pictauiēsis, vir sanctissimæ vitæ, qui verbo & exemplo strenuè & fidutialiter agēs in nomine Dñi, multos ab iniquitate auertit. Vndè & memoria eius in benedictione est, & relata in sanctos.

De Hērico Paderbornēsi Episcop.

CAP. CCLXVI.

HENRICVS Abbas Corbeiensis in Saxonia, Episcopus Paderbornēsis sub Archiepiscopatu Moguntinensi, vir nobilis & doctus, & in agēdis negocijs Ecclesiasticis peridoneus, non minùs religione, quàm genere, sedem sui Præsulatus magnificè fertur illustrāsse.

De Brunone Episc. Ratisponensi.

CAP. CCLXVII.

BRVNO Abbas monasterij Saltzburgēsis, & postmodùm Episcop⁹ Ratisponensis, vir doctrina & religione venerabilis, fertur se in vtroque statu dignū subditis exhibuisse pontificem.

De Henrico Episcopo Lubicensi.

CAP. CCLXVIII.

HENRICVS monach⁹ S. Aegidij Brunsuuicensis, tertius Episcopus Lubicensis, cōsecratus à Baldeuuino Archiepiscopo Bremensi, rexit commissam sibi Ecclesiam annis 15. Moritur anno Domini 1188. Indictione sexta.

De Harmundo Episcopo Antisiodorensi.

CAP. CCLXIX.

HARMVNDVS Abbas Pontiniacensis, & Episcopus Antisiodorēsis, vir doctus & deuotus, priùs moritur, quàm, vt optārat, se posset exhibere pastorem. Claruit anno Domini 1080.

Conclusio istius operis finalis.

CAP. CCLXX.

QVANQVAM multi supersunt nostri ordinis pontifices, quorū in hoc catalogo nullam fecimus mētionem, nos tamen his paucis nō tam contenti, quàm fatigati, quartū hunc librum in Dei nomine terminamus: nè, si longius perquirēdis impenderimus studium, ab vtilioribus reuocemur. Feruntur aūt ex hoc sumpti pontifices tèr mille, quingenti, duodecim. Hos oēs ego inquirere nec volo, nec possum. Si boni & iusti sunt, in memoria æterna habentur: si mali & improbi, nō erunt digni, quorū memoria fiat. Nos aūt sciamus ordinem nostrum nō dignitatibus præsulum, sed meritis stabilem esse iustorum.

EXPLICIT LIBER QVARTVS &c.

REGV-

REGVLA S. BASILII,

EGREGIVM SANE DIVINVMQVE OPVS: CHRISTIANIS OMNIBVS, RELIGIOSIS VERO QVAM MAXIME, CONVENIENTISSIMVM.

DE VITA, SANCTITATE, ATQVE doctrina Basilij, Epitome.



ASILIVS patre Basilio, matre Eumelia, cùm aliàs nobilissimis, tum maiorum & propria virtute clarissimis, ortus, paternũ genus è Ponto, maternum autem traxit de Cappadocia: qui cùm vix septennium excessisset, literis traditus, per quinquẽnium disciplinis vacans, multùm in patria profecit. Mox Cappadociam relinquens, Athenas profectus, Eubulo Grecæ philosophię pręceptori adhęsit. Cõdiscipulos habuit Gregoriũ, qui posteà Nazianzi Ecclesiam 12. annis rexit: Iulianum ad tempus Christianum, & Libanium. Tanto autem indagandæ veritatis studio accensus est, vt solìs aqua & oleribus vitam ductitans, ad supremum omnium humanarum scientiarum notitiam breui emerserit. Antiochiæ in diuersorio Homericos versus à Libanio adolescenti propositos, in solutam orationem tam elegãter conuertit, vt miratus Libanius ad eum currens, domum suam adduxerit, & honorificè susceperit. Verùm cùm acutissimi ingenij vir clariùs aduertisset, naturali tantùm rerum cognitione diuinæ sapientiæ aditum non patére: decreuit omnium religionum vel dogmatum libros instantiùs perscrutari. Tandèm cùm in diuinos Christianæ veritatis codices incidisset, nihil vltrà inuestigandum putauit. Igitur post 15. annorum studium, illustratione diuina motus, transiens in Aegyptum, cuidam monachorum patri Porphyrio, monachus adhęsit: vbì diuinorum eloquiorum dulci meditatione fruens, plenè Christo credidit. Reuersus Athenas, multos Gręcorũ conuertebat. Eubulum quoquè post multas disputationes ad fidem trahẽs, cum eo pariter perfectionis viam arripuit. Tum venditis omnibus, & piè distributis, Hierosolymam perrexerunt: cumque ibidèm ambo ab Episcopo Maximiano sacrum baptisma susciperent, vidit Basilius, vidère vniuersi qui aderant, columbam è nubis splendore in aquas descendere, illisque commotis, in altum se rursùs attollere. Post annum Antiochiam reuersus, à Meletio ibi Episcopo diaconus ordinatus, prouerbia Salomonis exposuit. Mox patriæ cùm appropinquaret, Cæsareæ Archiepiscopus Eusebius admonitus fuit in somnis de adueniente & futuro successore Basilio: quod & factum est. Nam post Eusebij mortem, omnium consensu Archiepiscopus institutus est, qui ad sublimiora conscendens, meruit sibi cum Apostolis apparentẽ Dominum, & petita promittentem, videre. Quid multa? Etenim quanta mentis constantia, quóve animi ardore contra Valentem Arriana infectum perfidia, & Iulianum apostatam, imperatores ambos, pro Christiana fide certauerit, nemo qui nesciat: qui insuper Mercurium Christi martyrem, ipsi Iuliano mortem inferentem, videre promeruit. Porrò cæteras illius contra hæreticos quoquè victorias, & diuina librorum volumina, & admirabilem virtutum omnium sanctitatem quis dignè recensuerit? Hic est ille Basilius, quem magnus ille Ephræm lingua ignea disputantem vidit: quem in cęlum vsque instàr ardentis columnæ attolli cõspexit. Hic est ille Basilius, qui inter sacra Missarum solennia, infinita penè miracula non modò per se vidit, sed & ab alijs vidisse est agnitus. Huic & aliena peccatorum chirographa delere, & mortuis vitã, & infirmis omnibus cęlerem afferre sanitatem, facilimum fuit. Iste iam in profundum barathri demersos, insolita quadam virtute de crudelissimis dæmonũ manibus liberauit. Deniquè monasticam disciplinam, quam ante Episcopatum optimè excoluerat, Episcopus factus, non solùm non dereliquit: verùm in tantùm adauxit, vt præclarissima hæc, quæ sequuntur, monachis instituta præfixerit. Vndè & meritò quidem, omnium in Oriente monachorum pater est appellatus, sicut & beatissimus in occiduis regionibus Benedictus. Quorum videlicet duas amborum Regulas conuenientissimè libellus iste complectitur.

Basilius autem post grauissimam valetudinem, qua ad hoc tantùm, vt Ioseph Hebræum quendam medicum baptizaret, releuatus fuerat, sanctorum & pauperum loca circuiuit, bona à medico sibi tradita distribuens: & hora nona cum populo sacrũ mysterium communicans, omnes in osculo sancto dimissos, Deo commẽdans, in lecto recubuit: & cùm adhuc esset in eius ore gratiarum actio, spiritum Domino reddidit: & appositus est pontificibus pontifex, præconibus magnum verbi tonitruum.

De beati Basilij laudibus scripsere Gregorius Nazianzenus Theologus, Gregorius Nyssenus, Ephræm, & Amphilochius Iconij Episcopus. Sed & beatus Hieronymus in libro de viris illustribus, de eo sic ait: Basilius Cæsareæ Cappadociæ, quæ prius Maza vocabatur, Episcopus egregius, contra Eunomium elaborauit libros, & de spiritu sancto volumen, & in hexameron homilias nouem, & ἀσκητικὸν de intellectu, & breues variosque tractatus. Moritur imperante Gratiano.

LAVS DEO.

PRAEFATIO RVFINI PRESBYTERI, HVIVS VOLVMINIS TRANSLATORIS.



SATIS libenter, charissime frater Vrsati, aduentantes de partibus Orientis, & considerantes iam fratrum consueta consortia, monasterium tuum ingressi sumus, quod suppositum angusto atenosi tramitis dorso, huc atque illuc passim & incerti maris vnda circunluit. Rara tamen modò latentes locos eminùs arguit pinus: ex qua Pinido etiam nomen loco dedit. Eo tamen maximè delectati sumus, quòd non (vt aliquibus mos est) vel de locis, vel de opibus Orientis solicitè percontatus es, sed quænam ibi seruorum Dei obseruatio haberetur: quæ animi virtus, quæ instituta seruantur in monasterijs, Inquisisti. Ad hæc ergò nè quid tibi minùs indignè, non dico, quàm geritur: sed, quàm geri debet, exponerem: sancti Basilij Cappadociæ Episcopi, viri fide & operibus & omni sanctitate satis clari, instituta monachorum, quæ interrogantibus se monachis velut cuiusdam viri responsa statuit, protuli. Cumque diffinitiones ac sententias eius mirareris magnoperè, poposcisti, vt hoc opus in Latinum verterem: pollicens mihi, quòd per vniuersa occiduæ partis monasteria, si hæc sancti & spiritalis viri sancta & spiritalia innotescerent instituta: ille seruorum Dei profectus, qui ex huiuscemodi institutionibus nasceretur, vel ex eorum meritis vel orationibus aliquid gratiæ vel mercedis afferret. Exhibui ergò, vt potui, ministerium meum: imple & tu, & omnes qui legitis & obseruatis gratiam, vt & agentes & orantes sic, quemadmodùm instituta hæc continent, mei quoquè memores sitis. Tui sanè sit officij, etiam alijs monasterijs exemplaria præbere: vt secundùm instar Cappadociæ, omnia monasteria eisdem, & nō diuersis, vel institutis, vel obseruationibus viuant.

Sequitur liber sancti Basilij Cæsareensis Episcopi de institutis monachorum.

INCIPIT LIBER SANCTI BASILII CAESAREENSIS EPISCOPI DE INSTITVTIS MONACHORVM.

Psal. 93.



Vmanum genus diligẽs Deus, & docẽs hominem ſciẽtiam: his quidem, quibus docendi cõtulit gratiam, præcepit per Apoſtolum permanere in doctrina: his verò, qui ędificari diuinis inſtitutionibus indigent, per Moyſen proteſtatur, dicens: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: presbyteros tuos, & dicẽt tibi. Propter quod neceſsè eſt, nos quidẽ, quibus miniſterium verbi creditũ eſt, in omni tempore paratos eſſe ac promptos ad inſtructionem perfectionemq́; animarũ: & quędã quidem in cõmuni eccleſiæ auditorio ſimul omnibus de ꝓceptis Domini cõteſtari: quędã verò ſecretiùs perfectioribusq́; diſcere & inquirere, & manifeſtare atq; interrogare volentibus de fide & veritate Euangelij Domini noſtri Ieſu Chriſti, & de cõuerſione perfecta, copiam noſtri ſermonis facultatemq́; prębere: quo poſſit ex his perfectus effici, & conſummatus homo Dei. Vobis aũt conuenit nullum tempus vacuum præterire: quo minùs ad ea, quæ cõmuniter cum omni eccleſia diſcitis, etiam ſecretiùs de eminẽtioribus & perfectioribus inquiratis, vt omne æuum vitæ veſtræ in inquirẽdo de melioribus trãſigatis. Quoniam & in hoc nos congregauit Deus, vt paululùm quid à moleſtijs turbarũ ſilentij agamus, & quieris: neq; in aliud opus animum demus, neque reſiduum tempus ſomno rurſus & remiſſioni corporeæ mancipemus, ſed inquiſitione & ſolicitudine meliorum, noctis hoc quod ſupereſt ſpatiũ exigamus, adimplentes illud quod ſcriptum eſt per Dauid: Qui in lege eius meditabitur die ac nocte. Si quid ergò vnuſqſque veſtrûm deeſſe ſibi ad ſcientiam putat, ad communẽ id profectat inquiſitionẽ. Faciliùs enim, pluribus ſimul cõferentibus, ſi quid illud difficile, vel obtectum eſſe videtur, clareſcit, deo ſine dubio inueniendi gratiã largiẽte. Sicut ergò nobis neceſſitas imminet, ſicut illud Apoſtoli: Vę mihi erit, ſi nõ euãgelizem: ità in vobis, ſi ab inquiſitiõe & interrogatione ceſſetis, vel ſi remiſſiores ac reſolutiores ad ea adimplẽda, quæ recta inuenta fuerint, exiſtatis, ſimile diſcrimen impẽdet. Propterea enim Dominus dixit: quia ſermo quẽ locutus ſum vobis, ille iudicabit vos in nouiſſimo die. Et iterùm: Seruus qui ignorauit voluntatem Domini ſui, & fecit digna plagis, vapulabit paucis: qui aũt cognouit, & fecit cõtra voluntatẽ Domini, vapulabit plurimis. Oremus ergò miſericordiã Domini, vt & nobis verbi inculpabile tribuat miniſterium, & vobis fructuoſum doctrinæ cõcedat euẽtũ. Tanq̃ ergò ſcientes, quoniã ſtabũt ante faciẽ veſtram verba hæc ante tribunal Chriſti: Arguam te, inqt, & ſtatuã illa cõtra faciẽ tuã: Intẽdite animũ diligẽter ad hęc quæ dicuntur, & ad opus dignũ, quæ audiſtis, feſtinãter adducite: quia neſcimus qua die vel hora Dominus noſter veniat.

Margin notes: 1. Tim. 3. — Deut. 32. — Doctoris neceſſaria conditio. — Religioſi debẽt ſem- ꝑ perfectiora inquirere & ſectari. — Pſalm. 1. — Inuicẽm conferendi vtilitas. — Doctoris incumbens periculum. — Diſcipulis diſcrimen impendẽs. — Ioan. 12. — Luc. 12. — Dei verba arguẽt nos in iudicio. — Pſal. 49. — Matt. 24.

De ordine mandatorum Dei. Cap. 1.

INTERROGATIO.

QVoniã dedit nobis ſermo tuus poteſtatẽ vt interrogaremus, primò oĩm doceri quæſumus, ſi ordo aliqs eſt in mãdatis Dei: & aliud quidẽ ſit primũ, aliud ſecundũ, & ſic per ordinẽ cętera: an omnia mandata ſibi inuicèm cohærent, vt ſint æqualia, & vndè voluẽrit, poſſit quis initium ſumere, tanquàm in modum circuli vel coronę?

RESPONSIO.

Interrogatio veſtra antiq̃ eſt, & olim ꝓpoſita in Euãgelio in eo, quũ accedens ad eũ quidã legiſ doctor, ait: Magiſter, quod eſt primũ mandatũ in lege? Et Dominus reſpondit: Diliges Dominũ Deũ tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis: hoc eſt primũ & magnũ mandatũ. Secundũ aũt ſimile eſt huic: Diliges proximũ tuũ tanq̃ teipſum. Ipſe enim Dominus ordinem mãdatis impoſuit: primum dicẽs & magnũ eſſe mãdatũ, Deum ex toto corde, ex tota anima & mẽte diligere: ſecundum verò ordine & cõſequẽtia, & quod illi eſſet ſimile ꝑ virtutẽ, immò ꝙ illud expleret, & ꝙ pẽderet ex primo, diligere proximũ ſicut ſemetipſum. Sed & de alijs ſimiliter in ſanctis ſcripturis inuenies: & obſeruatur, vt ego arbitror, in omni-

Margin notes: Matt. 22. — In omnibus mandatis ordo ſeruatur.

omnibus mandatis ordo quidam & consequentia præceptorum.

De charitate Dei: quarè & quomodò diligendus sit. Cap. 2.

INTERROGATIO.

QVoniã igitur, vt ais, de charitate primum esse mandatum, indè nobis primùm omnium disſere. Nam quia oportet diligi, audiuimus: quomodò tamen oporteat impleri, desideramus addiſcere.

RESPONSIO.

Optimum ſumpſiſtis ſermonis exordiũ, & ꝓpoſito veſtro valdè cõueniens: Deo itaq; iuuante nos, vt dicitis, faciemus. Sciendũ ante oĩa eſt, ꝙ mãdatum iſtud vnũ quidẽ videtur: ſed oĩm mandatorum in ſe virtutẽ complectitur & cõſtringit, ipſo Domino dicẽte: quia in his duobus p̄ceptis oĩs lex pendet, & ꝓphetiæ. (Matt. 22.) Nec tamen nos per ſingula diſcutere aggredimur ordinẽ mandatorum: alioquin videbimus totũ opus introducere in partem. (Quid ſit dicturus, insinuat.) Sed quantùm ad propoſitũ ſufficit, & præſens ratio poſtulat, inquirimus, illud ante oĩa deſignantes, ꝙ oĩm mandatorũ, quę à Deo accepimus, virtutes in nobiſipſis inſitas gerimus: (Omnes virtutes insitas nobis habemus.) quo ſcilicet neque difficultas nobis ſit, tanq̃ nouum aliquid à nobis & alienũ expectetur: neq; rursùm elationis dari nobis aliqua videatur occaſio, ſi putemus nos plus aliqd offerre Deo, q̃ ab ipſo in natura noſtræ creatiõis accepimus. Quoniã qdẽ ea, q̃ à Deo nobis inſita ſunt, ſi rectè cõpetenter moueamus in opus, hoc eſt ſecundùm virtutẽ viuere: (Secundùm virtutem viuere.) Si verò naturæ beneficia corrũpamus, hoc eſt in malitiã vertere. Eſt ergò mali iſta diffinitio, nõ rectè vti motibus animi, à Deo nobis inſitis. Et rursùm virtutis iſta diffinitio, eſt rectè vti, i. ſecũdùm mandatũ Dei, & ſecũdùm cõſciẽtiam, animi motib⁹ à Deo nobis inſitis. (Virtutis & mali diffinitio.) Quũ ergò hęc ità ſe habeãt, hoc idẽ inuenimus etiam de charitate cõſtare. Mãdatũ accepimus diligere Deũ: (Deut. 6.) Dilectionis virtutẽ à Deo anima ſibi inſitã gerit: in quo nec extrinſecùs teſtimonijs indigemus. Vnuſqſq; enim in ſemet ipſo & ex ſemetipſo, horũ, q̃ dicimus, ſumit indiciũ. Oĩs homo cupit quod bonũ eſt: & affectu quodã naturali cõſtringimur ad omne quod bonũ putamus: (Dilectionis virtutẽ naturaliter insitã gerim⁹.) ſed & erga cõſanguineos & carnis ꝓximos (nullo docẽte) in amore cõſtringimur: hiſq; quorũ beneficia accipimus, omni affectu & officijs cõpulamur. Et qd habetur tã bonũ, q̃ Deus? immò qd aliud bonũ, niſi Deus ſolus? (Deus eſt omne bonũ.) Qui decor, q ſplendor, q̃ pulchritudo, quã naturaliter diligere pronocamur, quouſq; talis gratia? Quæ amoris flãma, q̃ animo ſecreta, & interiora ſuccẽdat: (Nota ad amorẽ Dei.) ſicut amor Dei inflãmare debet arcana mẽtis? p̄cipuè ſi ſit mũda anima, ſi ſit ab omni pollutione purgata, & q̃ vero affectu dicat; Quoniã vulnerata charitate ego ſum. (Cant. 5.) Ineffabilẽ prorsùs ego ſentio amorem Dei, & q ſentiri magis q̃ dici poſſit. Inenarrabilis quędã lux eſt: etiã ſi fulgura, (De⁹ lux eſt.) ſi coruſcũ cõparet, vel adhibeat ſermo, nõ patietur audit⁹. Si luciferi fulgores, ſi lunæ ſplẽdores, ſi ipſum ſolis lumẽ aſſumas, ad cõparationem gloriæ ipſius obſcura ſunt oĩa, & multo teriora, q̃ ſi cęca nox, obſcuritate ꝓfundæ caliginis merſa, limpidiſſimi meridiani ſolis lumini comparetur. Decor iſte corporeis oculis nõ videtur: anima ſola & mente cõſpicitur. Qui decor ſi cuius fortè ſanctorũ mentẽ animamq; perſtrinxit, flagrãtiſſimũ in eo amoris ſtimulũ defixit. Pręterea deniq; velut amoris cuiuſdam ignibus tabeſcẽtes, & præſentẽ vitam perhorreſcentes, dicebant aliqui ex eis: Quandò veniã & apparebo ante cõſpectũ Dei? (Pſal. 41.) Et iterùm dicebat iſtius amoris ignibus flagrãs & ſuccẽſus: Sitiuit anima mea ad Deũ fontem viuum: quandò veniam & apparebo ante eum? Et inſatiabiliter habens eius deſideriũ, orabat vt videret voluntatem Dei, & protegeretur in templo ſancto eius. (Pſal. 26.) Ità ergò naturaliter & concupiſcimus quæ bona ſunt, & amamus. Nihil autem (vt diximus) tã ſummũ bonũ eſt, quàm Deus: (Deũ debitẽ amamus.) & ideò debitum quoddam exoluimus hãc, quam ab eo expetimur, charitatem. Quæ vtiquè ſi denegatur, & minimè exoluitur, iræ nos inexcuſabiliter obnoxios facit. Et quid dico iræ obnoxios? Quæ enim poterit maior eſſe ira, quę vltio grauior, quàm hoc ipſum, ſi accidat, nos alienos effici à charitate Dei, q̃ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro? (Quæ ira maior non poſſit contingere. Rom. 8.) Quòd ſi parentibus ineſt naturalis affectus erga eos, quos genuerunt: & non ſolùm hoc in hominibus, verùm etiam in mutis animalibus hoc inuenitur: videte nè fortè inueniamur pecudibus hebetiores, vel feris beſtiis im- (Aptiſſimo argumento)

ad Dei amorem nos inducit.

maniores, si nullo erga genitorẽ constringamur affectu. Quem, etiamsi qualis & quantus sit, scire nõ possumus: ex hoc tantùm solo, quòd ex ipso sumus, venerari & diligere parentis debemus affectu, atq; indesinenter erga eius pendére memoriam, sicur erga genitrices suas paruuli faciũt. sed & multo ampliùs, multoq; promptiùs, quanto & immensorũ beneficiorum eius obnoxios scimus. Quod & ipsum commune puto esse cum cæteris animalibus: meminerunt nanq; etiã illa, si quid eis quis contulerit boni. Si mihi nõ credis, audi Prophetam, dicentem: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. Absit autem de nobis dici ea quæ sequuntur: quia Israel autem me non cognouit, & populus meus me non intellexit. Quòd si etiam eos qui beneficij aliquid contulerunt, nullo docente diligimus, & omni studio, quantùm fieri potest, referre gratiam nitimur: quomodò sufficeremus referre gratiam de beneficijs Dei, quæ tanta sunt, vt effugiant numerum? Et aliud: Sufficiat aliquod ex omnibus, per totam vitam nostram efficere nos obnoxios largitori. Nam omitto cætera omnia, quæ quidem & ipsa magna sunt & præclara: verùm à maioribus & melioribus, velut stellæ quædam splendentioribus solis radijs, obteguntur. Quoniam quidem nec tempus nobis est, ampliùs dilatare sermonem: vt possimus etiam de minimis erga nos diuina enumerare beneficia. Sileamus ergò quotidianos solis ortus, & vnius lãpadis fulgore illuminatum vniuersum mundum: Sileamus lunæ circuitus, aëris permutationes, vicissitudinesque: imbres ex nubibus: flumina, fontesq; de terra: latitudines & altitudines maris: vniuersitatẽ terræ, & natiuitates eius animantiũ quæ in aquis gignũtur, & quæ coalescunt vel oriuntur in terris, nostris desiderijs vel vsibus deputata. Hæc omnia vel cætera innumerabilia ꝑtermitto. Hoc solum, quod ne volenti quidem præteriri possibile est, præterire non possumus: & quanuìs reticere gratiam non sit possibile, multo tamen impossibilius est, vt dignum est & competit, proloqui: hóc, inquam, quantum est, quòd sciẽtiam suam donauit hominibus Deus: & ratiõabile animal esse fecit in terris: & ineffabili paradisi obuti voluptate ac decore concessit: quemq; serpentis arte deceptum, & in peccatum lapsum, ac per peccatũ in mortem deuolutũ, nequaquàm despexit, sed legem in adiutorium dedit. præfecit angelos, destinauit prophetas: conatus malitiæ, comminationũ seueritate compescuit: bonorũ desideria munificentissimis repromissionibus prouocauit: & finẽ vtriusq; viæ in multis imaginibus præsignauit. Verùm quum post hæc omnia in malis nostris & in incredulitatibus duraremus, non est auersus, neq; dereliquit nos impios Domini bonitas, neq; cùm beneficijs eius essemus ingrati, vertere potuimus & excludere misericordiam eius à nobis: sed reuocamur à morte, & iterùm reuiuificamur per Dominũ nostrũ Iesum Christum: qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualẽ Deo: sed semetipsum exinaniuit, formã serui accipiens. Infirmitates nostras accepit, & ægritudines nostras portauit: & pro nobis vulneratus est, vt liuore eius sanaremur: & à maledicto nos redemit, factus pro nobis maledictus: & morte turpissima condemnatus est, vt nos reuocaret ad vitã. Non suffecit reuocare nos mortuos, sed & diuinitatis suæ participium tribuit, & munus æternitatis indulget: & supra omne quod vel percere, vel intelligere possumus, credẽtibus vel diligẽtibus se præparat: quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Quid ergò retribuemus Domino pro omnibus, quæ retribuit nobis? Verùm ille ità benignus & clemens, vt ne retributionẽ quidem reposcat: sed sufficit ei, vt pro his omnibus quæ largitus est, diligatur. Quis ergò tam irremediabiliter ingratus est, vt post talia, ac tãta ac talia beneficia, non diligat largitorem?

Comparatio cõmodissima.

Esa. 1.

Innumera sunt Dei beneficia erga nos: nec gratiã referre sufficimus.

Eleganter Dei dona describit.

Maximum Dei beneficium.

Gene. 3.

Philip. 2.

Opus redẽptionis, cõmemorat.

Esa. 53.

Galat. 3.

Sap. 2.

Esa. 64.

1. Cor. 2.

Miram Dei benignitatem commendat.

De charitate quidẽ Dei, ista sufficiant.

De charitate proximi, quarè & quomodò diligendus sit. Cap. 3.

PRopositum est superiùs, fratres, non omnia dicere possibile esse: sed breuiter & succinctè commemorare ea, quæ amorem Dei inserere animæ ac suscitare sufficiant. Consequens iam nunc est, etiam de eo mandato, quod ordine ac virtute secundum diximus, explicare. Et quidem quoniam lex eas virtutes, quæ animæ à creato-

re

re insitæ sunt, elimet & excolat, iam superiùs diximus. Quia ergò præcipimur diligere proximos sicut nosmetipsos: videamus, si etiã nobis virtus & facultas ad huius quoquè mandati expletionem est. Et quis ignorat quoniam humanum animal & communicabile est homo, & nõ agreste aliquod ac ferum? Nihil enim tam proprium est nostræ naturæ quàm indigere, & requirere inuicẽ: ac diligere quod requirit. Quia ergò Dominus harum virtutũ in nobis semina seminauit: sine dubio horũ etiam fructus requiret, & testimoniũ nostræ erga se dilectionis, dilectionem accipiet proximorũ. In hoc enim, inquit, scient omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicèm. Et itá in omnibus duo ista mandata coniungit: vt etiam opera misericordiæ quę fiunt, transferat in semetipsum. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: & reliqua quæ in proximo gesta sunt, se dicit esse perpessum, quũ dicit: Quandiù fecistis vni ex minimis istis fratribus meis, mihi fecistis. Ergò per primum completur & secundum: per secundum verò ascenditur & reditur ad primum, vt qui diligit Dominum, diligat & proximum. Ait enim Dominus: Qui diligit me, mãdata mea custodit. Hoc est (inquit) mandatũ meum, vt diligatis inuicèm: & qui diligit proximũ, implet Dei charitatem: quia ipse in se recipit, quicquid confertur in proximo. Et quidem his, qui initia habent ad timorem Dei, & ad primos aditus religionis accedunt: prima institutio est vtilis per timorem, secũdùm scientiam sapientissimi Salomonis, dicentis: Initium sapientiæ, timor Domini: nam idipsum etiam in Psalmista legitur. Vos verò, fratres, qui iam paruuli in Christo esse desistitis, neque vltrà lacte indigetis, cibos solidos ex dogmatum firmitate perquirite ad nutriendum & pascendum interiorem hominem, quo per eminentiora quęque perueniat ad perfectũ: & in omni, quę in Christo est, veritate firmetur. Obseruandum sanè est, nè fortè copiosioris gratiæ pondus, grauioris nobis causa condemnationis existat, si ingrati inueniamur largitoris muneribus. Illud autem ante omnia considerandum est, quòd neque aliud vllum mandatũ, neq; hoc quod de charitate Dei & proximi præcipitur, implere quis poterit, si per varias & diuersas occupatiões animus oberret. Sed neque artificium vllum, vel vllius disciplinę industriam adipisci possibile est eos, qui frequenter ex aliis ad aliam referuntur. Omni ergò custodia oportet nos seruare cor nostrũ: nè fortè desiderium Dei mala desideria & sordidæ cogitationes depellant à nostris animis ac detrudant: sed econtrariò assidua cogitatione & memoria Dei, formam quodammodò eius ad figuram animæ nostræ signaculis insigamus: quæ nullis queat intùs turbationibus aboleri. Sic enim & desiderium in nobis diuinæ charitatis accenditur, dum frequens eius memoria mentem atque animos illustrat, & ad opus mandatorum Dei erigimur & suscitamur. Et rursùs ipsis charitatis operibus vel conseruatur in nobis Dei charitas, vel augetur: & hoc puto ostendere volentem Dominum, dicere aliquandò quidem, Si diligitis me, mandata mea seruate: aliquandò, Si facitis quæ dico vobis, permanetis in charitate mea: sicut ego seruaui mandata patris mei, & maneo in eius charitate. Ex quibus docet nos, prospectum operis nostri debere ex sua voluntate pendére: vt tanquàm speculum quoddam ipsum habentes, & semper ad ipsum respicientes, opus nostrũ ad ipsum oculo dirigamus. Sicut enim artificia, quæ in hac vita sunt, prospectum animi gerunt: & ità secundùm hoc quod animo cõceperint, etiam in opere vtuntur manuum ministerio: sic & in hoc nostro opere, vnus manet nobis iste prospectus, atq; vnus terminus est, quo Deo placere debeamus. Secundùm hunc ergò prospectum, opus dirigamus mãdatorum. Impossibile nanque est, aliter stare posse operis nostri formam: nisi voluntas eius, qui iniunxit opus, semper in memoria habeatur: vt eius voluntate seruata, & laboris diligẽtia competenter expleta, semper iũgamur Deo, dum semper eius memores sumus. Sicut enim, verbi causa, faber securim faciẽs aut falcem, meminit semper eius, qui opus iniunxit: & retinet in corde suo, cuius magnitudinis vel qualitatis vel formæ iniunxerit fieri securim: & illud semper intendens, quod sibi meminit

Quale animal homo.
Mutuæ dilectionis ratio.
Ioann. 13.
Duorum mandatorũ coniunctio.
Matt. 25.
Deo mandata alterutrùm adimplentur.
Ioan. 14.
Ioann. 15.
Prou. 1.
Psal. 111.
1. Cor. 3.
Heb. 5.
Magnitudo gratiæ, damnationis occasio ingratis est.
Obest ad profectum, per multa vagari.
Prouerb. 4.
Insigenda est menti nostræ Dei memoria.
Ioann. 14.
Prospectus animi nostri in quolibet opere.
Similitudo aptissima.

à domino operis iniunctum, ad hoc dirigit manuũ ministeriũ: vt forma operis cum eius, qui iniũxit, animo ac voluntate conueniat. Si autem obliuiscatur, quid vel quale sit, quod sibi fuerat imperatum: sine dubio aliquid aliud, q̃ sibi fuerat iniunctũ, faciet. Ità & Christianus omnem conatum & omne studium in actibus suis adhibere debet, vt secundùm voluntatẽ Dei, qui opus iniunxit, suum quoq; dirigat opus: vt & actus sui ornẽtur, & possit eius qui præcipit, voluntatem implere: tunc etiam illud complere potest, quod dictum est: Siue mãducetis, siue bibatis, siue aliud aliquid faciatis, omnia ad gloriam Dei facite. Si verò declinet aliquis à regula, & corrumpat obseruãtiam mandati: ex hoc ipso arguetur, q̃ sit immemor Dei. Plurimùm autem prodest ad conseruãdam memoriam Dei, etiã secretiùs & remotiùs habitare. Nam permixtim viuere cum his, qui negligẽtiùs agunt circa timorẽ Dei, & contemptum habent mandatorũ eius, plurimũ nocet: sicut & Salomonis sermo testatur, dicens: Cũ homine iracũdo nẽ habitaueris: nẽ fortè discas vias eius, & accipias laqueos animæ tuæ. Et item quod dicit: Exite de medio eorum, & separamini, dicit Dñs: idipsum respicit. Igitur neq; per oculos, neque per aures respiciamus illecebras ad peccatum: nẽ paulatim lõgo vsu inhæreamus in consuetudines pessimas, & rursũ m nõ possimus orationi vacare: oportet primò secretiùs habitare. hoc enim modo & præcedentes cõsuetudines excidemus, in quibus contra mandarum Dei agebamus. Nõ enim paruus est labor, vt se aliquis à priori nõ bona consuetudine reflectat ac reuocet: quoniam quidem mos longo tempore confirmatus, vim quodãmodò obtinet naturæ. Oportet ergò nos primùm omniũ negare nosipsos, & tollere crucẽ Christi, & sic eum sequi. Negamus enim nos hoc modo, si per omnia præteritæ cõsuetudinis obliti, volũtates proprias abnegemus: ità vt nõ solũ ab omnibus nõ rectè agentibus, verumetiã à nostris ipsis inordinatis & incõpositis moribus secedamus. Alioquin vt in eadem quis cõsuetudine, atq; in priori conuersatione permanẽs, emẽdare se possit & corrigere, difficilimũ est: immò, vt veriùs dicam, penitùs impossibile. Sed & in hoc ipsum, vt tollat quis crucem suam, & sequatur Christum, plurimùm impedit societas ac permixtio eorũ, qui vitã dissimilem ducunt. Nam paratũ esse ad mortem p Christo, & mortificare membra q̃ sunt super terram, & pro nomine Christi libenter ferre omne discrimen, hoc est tollere crucem suam. Ad quod grande impedimentũ videmus posse nobis obsistere ab his, qui dissimiles sunt vel vita, vel moribus, & ad cætera alia, q̃ multa sunt. Accidit aũt hoc etiã, vt respiciẽs anima ad multitudinẽ nequiter viuentium, primùm quidẽ occupetur & impediatur, nẽ suorũ malorũ capiat intellectum: vt possit vel purgare per pœnitentiam, quod deliquit, vel causas resecare emẽdatione vitiorum: in comparatione enim pessimorum, aliquid se iam magis æstimat profecisse. Tum deindè impedimentis & interturbationibus atq; occupationibus, quas communis hominum vita habere solet, id quod maius omnium est & preciosius, memoriam Dei non potest custodire: qua depulsa ab animis & exclusa, non modò omni lætitia & gaudio caret diuino, & dilectionis Domini sustinet detrimenta, sed & dulcedinem non sentit diuini eloquij, vt dicat: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo: verùm in neglectũ peruenit & obliuionem iudiciorũ Dei, & contemptus consuetudine decidet: quo maius malum & perniciosum pati nihil potest.

1. Cor. 10.

Prodest locι solitudo.

Malorum societas.

Prou. 22.

Esa. 52.
2. Cor. 6.

Difficilè vincitur cõsuetudo.

Matt. 16.

Abnegare nosmet ipsos debemus quomodò.

Tollere crucem, quid sit.

Respicere ad multitudinem peccantium, nocet.

Psal. 118.

De vtilitate vitæ communis. Cap. 4.

INTERROGATIO.

Quoniam ostendit nobis sermo tuus periculosum esse, cum his, qui mandata Dei contemnunt, vitam ducere: nunc discere cupimus, si oportet eum, qui ab huiusmodi consortijs discesserit, remotum esse & solum: an verò cum fratribus eiusdem propositi & eiusdem animi, vitam suam sociare?

RESPONSIO.

In multis vtile esse video, vitã communem ducere cum his, qui eiusdem voluntatis sunt atq; propositi. Primò, quia ad vsus corporales victusq; ministerium, vnusquisque nostrorum solus non sufficit: & ideò pro his, quæ ad vitæ nostræ ministerium necessaria sunt, inuicèm homines opera nostra ege-

Vtilitates communis vitæ elegãter prosequitur.

egemus. Sicur enim pes in alio quidem ſuis viribus vtitur, in alio verò indiget alienis, & ſine cæterorũ adiutorio mẽbrorum, nec explere opus ſuum, nec ſufficere ſuis viribus poteſt: ità etiam vira ſoliraria mihi pari videtur: quum neq; quod ei ineſt, vtile eſt: neq; quod deeſt, ab alio quæri poteſt. Præter hoc autem ne ratio quidem charitatis vnũquenq; permitrit, quod ſuum eſt, quæ-

1.Cor. 13. rere, dicente Apoſtolo: Charitas non quærit quæ ſua ſunt. Deindè, ſed nec culpas quidem ſuas vnuſquiſque ac vitia facilè dinoſcir: quum, qui arguat, nemo ſit: & facilè huiuſmodi homini accidere poteſt id, quod ſcriprum eſt:

Eccles 4. Væ ſoli, quia ſi ceciderit, non eſt alius qui erigat eum. Sed & mandara quidem à pluribus faciliùs adimplẽtur: ab vno verò dum vnum mandatum videtur impleri, aliud impeditur: vt putà, quomodò ſolns viſitabit infirmum? aut quomodò ſuſcipiet peregrinum? Si ve-

Rom. 12. rò omnes corpus ſumus Chriſti, ſinguli autem alterurrùm membra: per conſonantiam velut in vnius corporis cõpage, in ſpiritu ſanctо aptari & con-

Iniuſta cauſa ſolitudinis appetendæ. iũgi debemus adinuicẽ. Quòd ſi vnuſquiſque noſtrùm ſolitariam eligar vitam, ſcilicet, non tali aliqua cauſa vel ratiõe, quę Deo ſit placita, vel ad communem cęterorum pertineat diſpenſationem, ſed propriæ voluntati & paſſioni ſatisſaciens: quomodò poſſumus viciſsìm adimplere, & integram aſſignare membrorum ad ſe inuicèm conſonantiam? Iſte enim ralis neq; cum gau-

Rom. 12. dentibus gaudet, neque cum flenribus flet: quoniã ſeparatus & diuiſus à cæteris, neque cognoſcere quidem neceſſitares proximorum poterit. Tum deindè nec ſufficere poteſt vnus ad ſuſcipienda omnia dona ſpiritûs ſancti: quia ſecundùm vniuſcuiuſq; menſurã fidei, & donorum ſpiritualiũ diſtributio celebratur: vt id quod per partes vnicuique diſtributum eſt, rursùm tanquàm membrũ ad ędificationẽ vnius corpo-

1.Cor. 12. ris coëat & cõſpirer. Alij autem datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſciẽriæ, alij fides, alij prophetia, alij gratia curatio-

Vniuſcuiuſque gratia debet in communi prodeſſe. num, & cętera: q̃ ſingula vtiq; non tam ꝓ ſe vnuſquiſq;, q̃ ꝓ alijs ſuſcipir à ſpiritu ſancto: & ideò neceſsè eſt vniuſcuiuſq; gratiã, quã ſuſceperit à ſpiritu Dei, in cõmune ꝓdeſſe. Accidit autem, vt is q remotus viuit & ſeparatus, vnãquanq; ſuſcipiat gratiã, & hanc ipſam inutilẽ faciar, dum nihil per eã operatur, ſed fodit eam in ſemetipſo: quod Matth. 25.

cuius & quãti ſit periculi, nôſtis omnes qui legitis Euangeliũ. Si aũt cæteris cõmunicat gratiam, & ea ipſa perfruitur, Multiplicatur communicata gratia.

quam ipſe ſuſcipit: & multiplicatur in eo, dum cõmunicatur cæteris, & ipſe nihilominùs fruitur gratia reliquorũ. Habet aũt & alia q̃plurima bona communis vira iſta ſanctorũ: quæ non eſt poſſibile nũc omnia dinumerare. Iterũ Vitæ communis cõmoditas ſingularis.

interim, vt diximus, ad conſeruãda ſpiritûs ſancti dona, cõmodior eſt multò, q̃ ſi degam' in ſolitudine. Sed aduersùs inſidias inimici, q̃ extrinſecùs inferuntur, mulrò cautior eſt & vtilior ſocietas plurimorũ: vt faciliùs ſuſcitetur è ſomno, ſi quis fortè dormierit ſomnũ 1.Cor. 11.

illum, qui ducit ad mortẽ. Sed & delinquenri delictũ ſuum faciliùs apparebit, quũ à pluribus vel arguatur, vel noretur: ſecũdùm quod & Apoſtolus dicit: 2.Cor. 2.

Sufficit ei qui eiuſmodi eſt, obiurgario hæc quæ fit à pluribus. Sed & in orarione nõ paruũ emolumentũ à pluribus naſcitur, cũ cõſenſu & vnirare orãrib': Orationum vnitas multùm valet.

vt ex multorũ pſonis, ꝓ gratiã q̃ in nobis eſt, gratia referatur. Sed & interdũ pe- 2.Cor. 1.

riculo ꝓxima eſt vita ſolitaria. Primùm quidẽ illi periculo ſubiacet, quod certè grauiſſimũ eſt, in quo ſibi placet: & neminem habens qui poſſit ꝓbare opus ſuũ, videbitur ſibi ad ſummã perfectionem veniſſe. Multa vitæ ſolitariæ pericula.

Tũ deindè ſine vllo exercitio legẽs, neq; quid ſibi abnndet vitij, neq; quid virtutis deſit, agnoſcit: neque diſcretionẽ habere poterit in operum qualitare, ꝓ eo ꝙ operandi mareria oĩs excluſa ſir. In quo enim humilitarẽ ſuã ꝓbare poterir, neminẽ habẽs cui ſe humilem exhibeat. In quo enim miſericordiam demõſtrabit, totius cõſortij & ſocietatis alien'? Ad patientiã verò quõ ſeipſum exercebit, nullũ habẽs qui videatur eius volũtatibus obuiare? Si quis aũt dicat, ſufficere ſibi ſcripturę doctrinam & Apoſtolica ꝑcepta, ad emendationẽ vitę formata: ſimile mihi videtur aliquid facere his, q ſemꝑ fabrile artificiũ diſcunt, nunq̃ tamẽ faciunt opus: vel his q inſtructorũ ſemper arte docẽtur, nunq̃ tamẽ ædificãdæ domûs operam Similitudo pulcherrima.

ram dabunt. Ecce enim Dominus nō æstimauit sibi sufficere solam verbi doctrinā, sed opere ipso voluit nobis tra-
Ioann. 13. dere humilitatis exemplū, quum præcinctus linteo, lauit pedes discipulorū suorum. Tu ergò cuius pedes lauabis? quem curabis officijs? cuius inferior aut vltimus eris, quum solus viuas? Sed
Psal. 132. & illud quod dicitur, bonum & iocundum habitare fratres in vnum: quod vnguento pōtificali, in barbam descendenti, spiritus sanctus cōparauit, quo-
Vita communis, stadio comparatur. modò in solitaria vita cōplebitur? Stadium nanque est quoddam, Apostolico præcepto ad emendationem morū vitæq; formatum: in quo per virtutis exercitium proficitur, in quo meditatio diuinorum mādatorum effulget & clarescit: ampliùs hæc communis habitatio inter se vnanimorum fratrum, habens in se illam similitudinem & exem-
Actor. 4. plum, quod in Actibus Apostolorum refert de sanctis scriptura diuina: quia omnes credentes erant in vnum, & habebant omnia communia.

Quomodò renunciandum sit seculo. Cap. 5

INTERROGATIO.

SI oportet primò renunciare omnibus, & ità venire ad hanc vitam vel conuersionem, quæ secundùm Deum est, Domino Saluatore nostro IESV
Matth. 16. Christo dicente: Si quis venit ad me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et iterùm: Qui
Lucæ 14. non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

RESPONSIO.

Qui ad hoc opus venit, vt Deum sequatur, etiā semetipsum neget, & tollat crucem suam: certum est autē, quia & antè iam zabulon renunciauit, & operibus eius. Quod tamen non ab his, qui in profectu vitæ sunt, vel qui iam ad perfectionem tendunt: sed ab his, qui prima statim confessione initian-
Perfecta abrenunciatio. tur, fieri solet. In hoc autem renunciat, sicut superiùs diximus, etiā sibi homo, id est, primæ consuetudini vel vitæ suæ. Renunciat autem & moribus vel delectationibus seculi huius: sed & consanguinitati corporali, maximè ei quæ impedire eius propositum potest: & parentes quidem eos, qui se in Christo genuerunt, magis putabit. Fratres autem eos, qui eundem adoptionis spiritum acceperunt: possessiones verò omnes à se ducet alienas. Et vt breuiter dicam, hic cui pro Christo omnis mun- Galat. 6.
dus crucifixus est, & ipse mundo: quomodò potest seruus effici cogitationū & solicitudinum mundi, quum Dominus iubeat etiam animā suam esse ab- Lucæ 14.
negandam pro se? Perfecta itaque abrenūciatio in eo est: vt passionibus proprijs careat, dum adhuc in corpore est. Sed hęc incipit agere ab his primò, quę extrinsecùs sunt, id est, à passionibus, & inani gloria, & si qua sunt similia, vt ab his primò efficiatur extraneus. Et hoc est, quod nos docuerunt Apostoli Iacobus & Ioannes, qui reliquerunt patrem suum Zebedæū, & nauē ipsam in qua erant. Sed & Matthæus relinquens vectigal, & exurgens, ac sequens Matth. 9.
Dominum, qui non solùm lucra reliquerat vectigalium, sed & periculum contempserat: quod vtiquè poterat euenire à principibus seculi, pro eo quod rationes vectigalium imperfectas atq; incompositas reliquisset. Ità autem cupiditate sequendi Dominū ductus est, vt nullum prorsùs huius vitę respectū vel cogitationem sibimet reseruaret. Quòd autem neque ad affectus parentum, si aduersantur Dominicis præceptis: neque ad vllā aliquam humanam delectationem oporteat aliquē respicere, & per hoc ab eo, quod proposuit, impediri: Dominus nos docet, dicens: Si quis venit ad me, & nō odit patrem Lucæ 14.
suum & matrem suam: aut vxorē, aut filios, aut fratres, aut sorores, insupèr & animam suam, non potest meus discipulus esse: quod est simile illi quod dixit, vt deneget quis seipsum.

Quibus debeamus nostra relinquere, Cap. 6.

INTERROGATIO.

SI oportet eum, qui seruis Dei sociari vult, relinquere indifferēter propinquis suis portionem facultatū suarum, Domino dicente: Vade, & vende Lucæ 18.
omnia bona tua, & da pauperibus, & habebis thesaurū in cælo: & veni, seque- Lucæ 12.
re me. Et iterùm: Vendite omnia quæ habetis, & date eleemosynam.

RESPONSIO.

Arbitror quidem, quòd is qui accedit ad Dei seruitium, nō debeat contendere, & cuilibet relinquere ea quæ sibi competunt: sed tentet omnia, si fieri potest, cum summa diligentia assumpta, tāquàm ea quæ iam Deo consecrata

secrata sunt, quantùm fieri potest, rationabiliter dispensare: sciens quia nō
Hiere. 48. est absq; periculo, in opere Dei agere negligenter. Si verò propinqui eius vel parentes contra fidem veniant, debet rursùm reminisci Domini, dicentis:
Matt. 19. Quia nō est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut parentes, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter
Marci 10. me & propter Euangelium: qui nō recipiat centuplum in pręsenti tempore, & in futuro vitam æternam. Veruntamen oportet eum his, qui sibi quæ sua sunt denegant & resistunt, & desidem faciunt, pronunciare & testari, quia sacrilegij crimen incurrunt, secundùm
Matth. 18. mandatum Domini, dicentis: Quòd si peccauerit in te frater tuus, vade, & argue eum & reliqua. Iudicium verò experiri de his apud iudices seculi, abnuit religionis authoritas per id, quod dixit Apostolus: Audet quis vestrûm, negocium habens aduersùs alium, iudicari apud iniustos, & non apud sanctos? & rursùm, quia iam quidem omninò delictum est in vobis, quia iudicia habetis inter vos.

Declinandum religiosis secularę iudiciū. 1. Cor. 6.

Qui debeant suscipi, & quomodò probentur venientes. Cap. 7.

INTERROGATIO.

SI oportet nos omnes, qui veniunt, suscipere cum probatione: & qualis ista debet esse probatio, quum Dei clementia omnes vocet per illam prædicationem, qua dicit: Venite ad me
Matt. 11. omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam?

RESPONSIO.

Non est absque discrimine, abijcere quempiam venientem ad nos. Veruntamen immundis (vt aiunt) pedibus nō indulgendum est, intrare quempiam in sanctam doctrinam: sed sicut Dominus noster Iesus Christus iuuenem illum, qui ad se venerat, interrogauit de priori vita sua: & quum audisset, quia
Lucæ 18. rectè transacta est: quod deerat ei, pręcepit adimplere, & ità demùm iussit eū sequi se: ità etiam oportet nos inquirere de præterita vita, & de conuersatione, nè fortè simulata quis mente & fallaci animo accedat ad nos. Quod ità demùm dinoscitur, si facilè omnem laborem corporis, qui iniungitur, ferat: & ad castigationē vitæ pronus inclinatur: vel si etiam delictum aliquod suum, quum interrogatus fuerit, nequaquàm pronunciare cōfunditur, & medelam delicti, quæ adhibita fuerit, gratanter assumat: & si ad omnem humilitatem absq; verecūdia inclinatur, ac vilioribus & abiectioribus artificijs, si ità ratio poposcerit, tradi se nō aspernatur. Quum ergò ex his singulis documentis fuerit comprobatus, & firma mente & stabili consilio promptus animo sit, tunc eum suscipi oportet. Priùs autem quàm corpori fraternitatis inseratur, oportet ei iniungi quędam laboriosa opera, & quæ videātur habere opprobria à secularibus. Et obseruari oportet, si hæc libenter ac fiducialiter expleat, nec confusionem eorum grauiter ferat: vel etiam, si in labore piger inueniatur, aut promptus.

Argumenta, quibus veniētis ad conuersationem dinoscatur bona volūtas,

egregiè depromit.

Quæ ætas Dei seruitio opportuna sit. Cap. 8.

INTERROGATIO.

EX qua ætate oportet nos Ipsos offerre Deo: vel virginitatis professionem quandò oportet firmam & stabilem iudicare, dicente Domino: Sinite infantes venire ad me. Et Apostolo Paulo collaudante eum, qui ab infantia sua sacras literas didicisset: & rursùm pręcipiente edoceri filios in doctrina & correptione Domini.

Lucæ 18. 2. Tim. 3. 1. Tim. 3.

RESPONSIO.

Omne tempus primæ ætatis oppotunum esse dicimus ad suscipiendam eruditionem & timorem Domini. Firma tamen erit professio virginitatis, ex quo adulta iam ætas esse cœperit, & ea quæ solet nuptijs apta deputari. Oporret tamen infantes, voluntate & consensu parentum, immò ab ipsis parentibus oblatos, sub testimonio plurimorum suscipi: vt omnis occasio maledicti gratia excludatur hominum plurimorum. Adhibere autem oporret eis summam diligentiam, quo possint ad omne virrutis exercitium, probabiliter institui, tam verbo, quàm intellectu & opere. Quicquid autem in tenero quis & paruo inseruērit, firmiùs & tenaciùs in posterum conseruauit. Iniungenda est ergò infantium cura his, qui ante omnia in veritate patientiæ documenta suî probabiliter præbuerunt: qui possint pro merito delicti & æquitatis singulis quibusque etiā correptionis adhibere mensuram: & qui seruent eos, primò omnium à sermo-

Qualis esse debeat nouitiorū institutor.

A quibus præcipuè

coercendi sint iuniores. nibus ociosis & ab iracūdia atq; incitamentis gulæ, & à cunctis indecentibus atq; inordinatis motibus. Quandò quis debeat repelli. Si verò cum ætatis augmento nullus in eis deprehenditur profectus industriæ, sed vaga mens, & animus cassus ac tumēs etiam post instituta probabilia infructuosus pmanserit: huiuscemodi abijci oportet, & maximè quum iuuenilis feruor rudem lacessit ætatem. Eorū verò, qui ætate iam robusta accedunt ad seruitiū Dei, oportet inquirere (vt diximus) qualitatē vitæ præteritæ: & sufficere etiā hoc ipsum, si satis instanter hoc expetunt, & si verū & ardens desideriū est eorū erga opus Dei. Huiuscemodi verò documēta fieri oportet valdè prudenter ab his, qui discutere potuerint & ꝓbare. Delinquentes post susceptum religiosis propositū, grauiter peccāt. Quū aūt fuerint suscepti, si fortè propositum suū transgressi fuerint: nec videre oportet eos ampliùs, tanq̄ eos q in Deū deliquerunt, & professionis suę pactum transgressi sunt, docēte sacro eloquio: 1. Reg. 2. Et si peccauerit homo in hominem, orabunt pro ipso ād Dominū: Si aūt in Deum peccauerit, quis orabit pro eo?

De continentia seruanda, & modo seruandi. Cap. 9.

INTERROGATIO.

SI oportet eum, qui se piæ ac religiosæ vitæ dederit, etiam continentiam obseruare?

RESPONSIO.

Quia In omnibus necessaria sit continētia, manifestū est. Primò omnium ex eo, ꝙ Apostolus Paulus inter fructus spiritûs sancti etiam continētiam nominat: Gal. 5. tum deindè & immaculatū ministeriū per hanc seruari posse designat, quū dicit: 2. Cor. 6. In laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate. Et alibi: 2. Cor. 11. In labore & fatigatione, in ieiunijs multis, in fame & siti, in vigilijs frequenter. Et iterùm: 1. Cor. 9. Omnis q in agone contendit, ab omnibus cōtinens. Et rursùm: Ibidem. Macero corpus meum, & seruituti subijcio. quod vtiq; non aliter, q̄ per continentiam, videtur impleri. Feruor ætatis quō reprimatur. Et iuuentutis tumor ac feruor ætatis, velut freno quodam restringi ac reprimi, per solam continentiam potest. Non enim expediunt stulto deliciæ, secundùm Salomonem: Prouer. 19. Et carnis curam, inquit Apostolus, nè feceritis in desiderijs. Rom. 13. Et iterùm: 1. Tim. 5. Vidua q̄ in delicijs est, viuens mortua est. Sed & exemplum id diuitis, viuentis in delicijs, Lucæ 16. necessariā ostēdit esse nobis continentiam: nè fortè & nos audiamus, quod audiuit & diues: quia consecutus est bona in vita sua. Periculosa est incontinentia. Quomodò autē incōtinētia periculosa sit, etiā Apostolus edocet: quū etiā propriè illis ascribit, quos recedere à Deo dicit. Ait enim: 2. Tim. 3. In nouissimis autē diebus instabunt tempora periculosa: erunt enim homines seipsos amantes. Et quum plura malitię genera enumerâsset, ad vltimū posuit comessores, incōtinentes, immites. Sed Gen. 25. Esau malorū suorū quasi fomitē quendam habuit incontinentiā, qui pro vno cibo vēdidit primitiua sua. Sed & prima illa præuaricatio Gen. 3. nō aliundè homini, nisi p incontinentiam accidit. Omnis verò sanctorum vita, atq; ipsius Domini in carne positi præsentia, q̄ nobis alia, nisi continentiæ, ꝓponit exēpla? Exodi 34. Deut. 9. Moyses quidem, dum cōtinnato quadraginta dierū ieiunio, semper adstitisse indefessus dicitur Deo, & meruisse legis auxilium humano generi deferre. Helias 3. Reg. 19. quoq; visionis Dei tunc dicitur dignus effectus, cùm & ipse simili spatio temporum continuisse à cibo perscribitur. Sed & Daniel Dan. 1. & triū puerorū meritum apud Deum, quo de omnibus inimicis suis, & de ipso tyranno triumphū fecerunt, non aliundè nisi per continentiā venit. Ioannis aūt omnis vita, cōtinentia fuit. Matth. 3. Ab hac etiā Dñs manifestationis suæ Initia patefecit. Matth. 4. Vera continentia quæ sit. Continentiam aūt dicimus, non ꝙ à cibo penitùs abstinendum sit: hoc est enim, violenter vitā dissoluere: sed ea q̄ vitæ vsus non superfluus, sed necessarius, constat. Quū refugimus quod suaue est, & explemus ea quæ sola corporis necessitas poscit: & vt breuiter dicā, omnia quæ passibilem concupiscentiā reliquerunt, ab his abstinere, virtus est cōtinentiæ. Et ideò ergò nō solùm erga cibi libidinē, continentiæ virtus agnoscitur: sed & quū ab omnibus, in quibus delectamur quidem corpore, sed & in anima lædimur, abstinemus. Verus ergò continens est, qui nec gloriam humanam desiderat: sed & à vitijs se continet, & ab ira, & à tristitia, & ab omnibus, quæ occupatas tenere consueuerunt ineruditas mentes & incautas. Cohæreant inuicē mādata Dei. Penè autē in omnibus mandatis Dei inuenimus, quòd vnum alteri cohæret: & separatum ab alio,

com-

compleri impossibile est. Id tamē præcipuè in hac ipsa continentia depræhenditur. Quoniam quidem humilis ille iudicabitur, qui se à superbia continet. Et ille qui renunciat omnibus facultatibus suis, & secundùm Euangelium vendit sua omnia & diuidit: iste sine dubio continet se à pecuniæ desiderio. Sed & mansuetus ille est, qui irā continet, & cohibet furorem. Iam verò vagos oculos, visum, & auris auditum, & intemperantiam vitæ, quid aliud, quàm continentia, moderatur & cohibet? Sed & intemperantum risum continentia coërcet. Sicut incōtinentiæ signum est, inordinatis & incompositis moribus agere, sic & in risu: quū itaque subridendo tantummodò lætitiam mentis oporteat indicari, indecorum autem est, crepitantem cum sonitu eleuare risum: quod certum est, per incontinentiam mētis accidere solere etiam inuitis: quæ res grauitatem & cōstantiam animi emollire ac resoluere consueuit. Vndè Salomon: Risum, inquit, dixi amentiā: & sicut vox spinarum sub olla, ità risus stultorum. Et iterùm: Stultus in risu exaltat vocē suam: vir autem sapiens, vix tacitè ridebit. Ostendit autem Dominus in semetipso necessarias quidem carnis se habuisse passiones, id est, quæ virtuti testimonium ferrent, velut laborem, ac fletum, ac tristitiam. Nusquàm autē inueniturctiā risu vsus, quantùm ad historiam pertinet Euangelij: sed & deflere magis inuenitur eos qui rident, dicens: Væ vobis qui ridetis, quia flebitis. Nec sanè seducere nos debet similitudo nominis, risus. Mos nanque est scripturæ, interdū lætitiam animæ, & affectum quendam lætiorem, risum nominare: sicut ibi Sarra, risum, inqt, mihi fecit Deus. Et ipse Dominus: Beati qui nunc flent, quia ridebunt. Et in Iob quid dictum est? Os autem veraciū implebitur risu. Hæc omnia nomina ꝓ gaudio animæ accipiuntur. Qui ergò liber est ab omni passione, & nihil per incitamenta libidinum gerit, sed continenter ac sobriè aduersùs omne quod potest lædere nititur: hic perfectè continens dicitur, quia sine dubio per hoc alienus inuenitur ab omni genere peccati. Libido nanq; est toti⁹ mali muscipula, & per hanc omnes decipimur ad peccatum: per quam qui non resoluitur, neque inclinatur ab ea, omne ex se peccati pessimum germen excidit,

Lucæ 18. — Signum incontinentiæ. — Indecorum risum sugillat. — Eccl. 2. Eccle. 7. — Eccl. 21. — Lucæ 6. — Risus quō accipiatur in scriptura. Gen. 21. — Lucæ 6. — Iob 8. — Quis perfectè cōtinēs dicatur. — Libido, totius fomes peccati.

De mensura continentiæ. Cap. 10.

INTERROGATIO.

Quæ est mensura continentiæ?

RESPONSIO.

Quantùm spectat ad vitia & passiones, penitùs abstinere, nec vnq̄ superari. Quantùm autē ad cibos, ꝓut vsus deposcit, vel ætas, vel labor: vel robur corporis, vel cōmoditas est: ità enam & modus & qualitas temperabitur cibi. Neq; enim possibile est, omnes fratres vnum ordinem ac modum vel regulam custodire. Hi verò qui sani sunt, possunt omnes eandem mensuram tenere in abstinentia. Immutari autem oportet per singulos, in quibus causa aliqua diuersitatis existit, prouidētia ac prouisione eorum, quibus dispensandi cura hæc permissa est. Neque per singula sermonem complecti possumus, sed ea tantùm comprehendimus, quæ ad communem vel generalem ꝑtinent institutionem. Solatia verò in cibis incommodorum, vel eorum qui iam fessi sunt ex opere cōtinentiæ suæ, vel alijs quibusque laboribus, quos pro religione peruenerūt: ij qui præsunt, secundùm quod res & ratio deposcit, adhibebunt. Neque enim tempus reficiendi omnibus idē statui potest, neq; modus cibi, neq; qualitas: sed ꝓfectus iste vnus sit e nnibus, vt non vsq; ad satietatem persistamus in edēdo. Repleri enim ventrem, & grauari ex cibo, valdè inutile est etiā corpori ad omne tempus. Tum deindè, quia & grauatur in somnum: & qa etiā lædi ex his facilè potest. Sed ne suauia quidem in fame ciborū sectāda sunt: sed sufficit vsum explere viuendi, refutata luxuria. Si enim libidini seruiamus, nil aliud est, q̄ Deū facere ventrē nostrū. Quoniā quidem corpus humanum semper exolescit & defluit, idcircò & repleri indiget, & reformari: propter quod & naturale est cibi desideriū id, quod secūdùm rectā rationem vsus ipse ad reparationem poscit eorum, quæ exinanita fuerint & assumpta, tam aridi, quàm etiam humidi alimenti. Si quid ergò id est, quod potest vel breuiùs, vel faciliùs explere hanc necessitatem corporis in cibis, id potiùs eligendum est. Sed & hoc, opinor, ostendit Do-

Continentia vitiorū. — Continentia ciborū. — Idē modus abstinendi, statui omnibus non potest. — Cibus nimius nocet etiam corpori. — Appetitus cibi naturalis est. — Quid maximè in cibis eligendum sit. — Mat. 8.

Dominus, quum esurientes reficit in deserto: quia cùm vtiq; maiore miraculo copiosiores eis cibos parare posset, nihil horum fecit, sed simplicem eis exhibuit victum. Et secundùm Ioannem, qui panes hordeaceos & pisciculos apponit duos, de potu quidem nec mentio vlla fuit. Ex quo id sine dubio designatur, quòd omnibus sufficiens esse possit aq vsus & pnecessarius: nisi fortè aliqs per infirmitatē corporis ex hoc lædi videatur, quum sine dubio secundùm consilium Apostoli Pauli, ad Timotheum scribētis, cauendū est quod nocet. Sed & quæ manifestam inferunt noxam corpori, deuitanda sunt. Absurdum enim videtur, propter sustentationem corporis cibum sumere, & rursùm per ipsum corpori inferre perniciem, & inutile id reddere ad ministeriū mandatorū Dei. Oportet tamen omninò illis vti cibis, qui & faciliùs, & viliùs comparantur: vt nè occasione abstinentiæ inueniamur preciosiora quæq; & difficiliora sectari, dū suauitate condimentorum, viles natura cibos in delicatum saporem conamur extollere: sed siquidem quod in vnaquaque prouincia faciliùs & viliùs cōparatur, et quod in vsu omnium communiter habetur, hoc ad vsus nostros oportet assumi: et ea tantummodò deferentes, inferentesq́;, quæ ad vitam pernecessaria sunt: id est, oleum, et alia huiuscemodi, vel si qua etiam ad infirmantium solamen adhibentur.

Ioann. 6.

1. Tim. 5.

Pulchra ratio de abstinentia.

Vilitas cibi sectanda.

Vsus communis amandus.

De loco in conuiuio eligendo. Cap. 11.

INTERROGATIO.

QVomodò oportet nos obseruare circa cathedras et accubita, quū tempus poposcerit: quoniam præceptum Dñi habemus, qui nos in omnibus instituit ad humilitatē, in quo etiā de hoc pronunciat: vt si ad conuiuium eamus, discumbendi locum nouissimu requiramus, & non occupemus locum priorem.

Lucæ 14.

RESPONSIO.

Illud oportet nos obseruare, quia vbi omnes eodem prospectu ac proposito conuenimus, maximè si iu multis ac maioribus humilitatis nostræ documenta iam dedimus: cupere quidem præuenire vnumquenque inferiorem locum secundùm Domini mandatum, condecēs est: sed rursùm, si res ad contentionem veniat de hoc, & vnus aliū detrudere velut de loco inferiori conetur, valdè est improbabile. Causa enim ex hoc perturbationis & inquietudinis nascitur, si incipiat nemo alteri cedere. Et si per hoc certamina moueantur, simile erit tanq̃ de primatibus contēdatur. Propter quod oportet etiā in hoc consideratiùs præuidere: vel quid vnicuiq; nostrûm cōpetit, vel certè indulgere ei, cui cura cōmissa est: & In cæteris, & in recumbendo ordinem custodire, & obtemperare: & vt impleatur in nobis, quod dictum est: Omnia vestra honestè & secundùm ordinē fiāt.

Improbanda est cōtētio præcedendi.

1. Cor. 14.

De vestimentis vel calceamentis. Cap. 12.

INTERROGATIO.

QVis est dignus vel decens habitus Christianus?

RESPONSIO.

Quoniā in superioribus sermo humilitatem docuit esse necessariam, vult ergò, qui religiosè ac piè viuere cupit, in omnibus humilitatem ac simplicitatem requirat, i. ea quæ paruo sumptu acquiruntur. Id obseruandum puto in corporalibus vsibus, per quod occasiones nobis maiorum occupationum minimè fiant. Hoc ergò etiam in obseruatione indumentorum custodiendum puto. Si enim nobis studium habendū est, omniū esse nouissimos: certum est, & indumentis omniū nouissimos deputare nos debere. Nam si hi, qui gloriam sibi ex indumentorū splendore cōquirunt, satagūt, quō preciosis & magnificis vestibus videantur induti: ità consequens, eū, qui de vltimis & nouissimis, i. per nimiam humilitatem placere studet, eligere debere hoc, in quo oīm nouissimus & vltimus appareat: sicut ille q econtrariò est, de summis & preciosis videri clariùs & nobiliùs gestit. Si enim in publica cœna arguūtur Corinthij, ꝙ per suā abundantiā cōfundant eos qui nō habēt: certū est, quia in hoc simplici & communi omniū indumento, q ad cōmunem habitū vel vsum ptinet, si alter altero ꝑferatur habitus, vel preciosior inueniatur, ex ipsa comparatione cōfundimus nō habētes. Sufficienter quoq; Apostolus in huiuscemodi vsibus breui sermone regulā posuit dicēs: Habētes aūt victū & vestitū, his contenti simus. Ostēdit indumento solo, quo cōtegamur, indigere nos, & non

1. Cor. 11.

1. Tim. 6.

Vestimēto

torū luxuriam dānat. nō varietate aliqua vestis, & ornamento eius ac decore iactari: quæ vtiq; postmodùm introducta sunt humanæ vitæ artificijs luxuriæ ingenio cōquisita. Sed & primus ille indumēti vsus, hęc eadem
Gene. 3. indicat, quum dicitur, Deū fecisse primis hominibus pelliceas tunicas. Sufficiebat enim ad confusionē tegendam,
Breuiare. gula de indumēti ratione. huiuscemodi indumenti vsus. Verùm quoniā nobis profectus in indumentis etiam calefieri & foueri necessarius videtur, ad vtrunq; vsus ipse temperetur: quo & cooperiri nuditas videatur, & vis frigoris, vel omne quod extrinsecùs lędit, arceri. Sed quoniam in his ipsis alia quidē sunt meliora, alia inferiora: consequens est, ea eligere, quæ nobis vsum exhibeant longiorem: ità tamen, quòd in nullo lædatur regula volūtariæ paupertatis: id est, nè alia quidem nobis sint vestimenta ad procedēdum parata, & alia ad vsum domesticum: & rursùm alia ad aliquod tēpus, vel alia in nocte, alia in die. Sed propter vnū illud ipsum tale esse indumētum, quod nobis sufficiat ad omnia: vt in die honestū videatur indumētum, & in nocte expleat necessitatē. Ex hoc enim fiet, vt & habitus noster communis & similis atq; vnius formæ sit omnium, & Christianū etiam visio ipsa designet. Ea enim quæ vno ꝓspectu ac proposito gerūtur, similia, im-
Debent habitus moresque pariter conuenire. mò eadem esse omnibus debēt. Vtile est aūt, etiam ex ipsa proprietate vestis aut habitûs intelligi vnumquenq;, & professionē eius agnosci in ea vita, qua secundùm Deum viuit, vt sciat sibi etiam actus similes esse debere: & ad eos q nos vident, secūdùm habitū nostrum æquales & in actibus apparére debere. Nō similiter enim turpe est in quolibet alio, si inhonestè quid agat, sicut in his, q vitam sobriam etiā ipso habitu profitentur.
Notabiliores sunt religiosi, si vel paululùm delinquant. Si enim quis videat in triuio aliquē hominē cędentem alium, aut vapulantem publicè, vel turpiter proclamantē, aut in tabernis alijsq; locis vitam eum dedecore ducentē: nec obseruabit quidem facilè huiuscemodi hominem vel notabit, sciens eum consequenter in reliqua vita sua agere. Si verò eū qui religiosam vitā profitetur, videat quis paruum, vel aliquid contrà, quàm cōdecet, facere: obseruant omnes & increpant, & ad religionis opprobrium ducūt. Ita-
Religiosus que velut pædagogus quis est infirmioribus habitus iste religiosior, vt etiā in- habitus infirmioribus vtilis.
uitos eos ab opere inhonesto indecentiq; custodiat. Deindè & Apostolus Episcopum ordinatū esse designat: quæ res ad habitum magistri reuocatur. Sed & 1. Tim. 3.
de mulieribus dicit, in habitu ordinato eas esse debere. Ordinatus aūt habitus Ordinatus habitus q̄s sit.
Christiani, esse dicitur is, qui secundùm propositum ac professionem eius aptus intelligitur. Sicut enim est propriū aliquod militi in habitu vestimēti: & alius est habitus senatoris, ex quo præcipuè intelligitur vel iste q senator est, vel ille quia miles est: ità etiam Christianus habere aliquid proprium etiā ex ordinatione indumenti ipsius debet. Sed & de De zona vel calceamento.
calceamentis eadem ratio obseruabitur, quod simplex est & parcius, & aptū proposito, & vsibus sufficiēs, id assumatur. Zonæ quoq; vsum ostendūt necessarium esse etiam qui pręcesserunt nos: sancti Ioānis zona pellicea constringe- Matt. 3.
re lumbos eius dicitur: & Helias anteà quasi quiddā proprij habitus ipsius designatur, quū dicitur: Vir hirsutus & zo- 3. Reg. 1.
nam pelliceam circa lumbos habens. Sed & Petrus zona vsus ostēditur, sicut ex verbis Angeli, quæ ad eū dicta sunt, recognoscimus: Accingere, inqt, & cal- Act. 12.
cea te caligas tuas. Sed & B. Paulus vsus zona ostēditur per Agabi prophetiam, dicentis: Virum, cuius est zona hæc, sic Act. 21.
alligabūt in Hierusalē. Sed & Iob audiuit à Domino: Accinge sicut vir lum- Iob 38.
bos tuos. Virtutis nanque cuiusdam, & prompti ad opera animi signū videtur esse vsus cinguli. Sed & discipuli Domi- Vsus zonæ conuenientia.
ni, vsi videntur eadem ex more, quibus prohibebatur, nè pecuniam haberēt in Matt. 10.
zonis suis. Reuerà enim necessarium videtur, eum, qui manuū opere vti in aliquo debet, succinctum esse, & in omnibus præparatū, ac sine vllo inueniri impedimento ad omne boni operis ministeriū: vndè cingulo indiget, vt vel colligata circa corpus sit tunica Christiani, & quæ magìs cōfoueri possit, quum vndiquè constricta sit sic: vel non impediri ad omnem rem, quam agere parat.
De numero aūt indumētorū nihil pos- Contra variam vestimentorum supellectilem.
sumus dicere, quum manifesta diffinitione perscriptum sit: in quo dicit, qui habet duas tunicas, det non habenti: ex Luc. 3.
quo, sine dubio, plures habere illicitum est. Quibus ergò habere duas tunicas non licet, his quomodò aliquid de di-

uerſitate indumentorũ præcipi poteſt?

De eo, quòd non debeamus noſtro ſenſu ambulare. Cap. 13.

INTERROGATIO.

SI licet alicui ex ꝓprio dicere, quod
ſibi videtur bonum, abſq; teſtimo-
nijs ſcripturarum, Domino Chriſto Ie-
Ioan.16. ſu dicente de ſpiritu ſancto: Non enim
loquetur à ſe, ſed quæcunque audierit,
Ioan. 5. hæc loquetur. De ſeipſo autẽ, Non po-
teſt filius à ſeipſo facere quicquam. Et ite-
Ioan.12. rùm: Ego à meipſo nõ ſum locutus: ſed
qui miſit me pater, ipſe dedit mãdatum,
quid dicam, & quid loquar: & ſcio quia
mandatum eius, vita æterna eſt. Quæ er-
gò loquor, ſicut dixit mihi pater, ità
loquor.

RESPONSIO.

Quis poteſt in tantũ temeritatis pro-
gredi, vt audeat à ſe quicquam loqui, vel
cogitare? Immò verò ſciẽdum eſt, quia
omnes duce itineris indigemus ſpiritu
ſancto, vt ipſe nos dirigat in via verita-
tis, & in cogitatione, & in verbis, & in
actib⁹. Cæcus eſt enim, & in tenebris de-
git omnis, qui eſt abſq; ſole iuſtitiæ: qui
eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui-
us mandatis velut radijs illuminamur.
Pſal.18. Mandatum enim Domini lucidum, in-
quit, illuminans oculos. Quia ergò in
omnibus negocijs, quæ inter nos ver-
ſantur, vel verbis, quædam quidem per
mandatum Dei in diuinis ſcripturis di-
ſtinguũtur, quædam verò reticentur: de
Nihil oportet ſcripturæ ſanctæ addere vel minuere. his quidẽ quæ ſcripta ſunt, nulla pror-
sùs licentia permittitur cuiquam vel
admittere quod prohibitũ eſt, vel omit-
tere quod præceptum eſt: quũ ipſe Do-
Deut. 4. & 12. minus ità præcepit, dicẽs: Et cuſtodi ver-
bum hoc, quod ego mando tibi hodiè:
non adijcies ad illud, neque auferes ab
eo. Sed & terribilis quædam expectatio
iudicij, & ignis zeli, qui conſumpturus
eſt aduerſarios, & eos qui auſi ſunt tale
aliquid operari. De his verò quæ ſcri-
ptura reticuit, regulam nobis Apoſto-
1.Cor.6. lus poſuit, dicens euidenter: Omnia mi-
hi licent, ſed non oĩa ædificant. Omnia
licent, ſed nõ omnia expediunt. Nemo,
quod ſuũ eſt, quærat: ſed quod alterius.
Itaq; omnimodò, quæ nobis licita ſunt,
ſed quæ ædificant proximos, agere de-
bemus: & non nobis placere, ſed proxi-
mis ad ædificationem. Scriptũ eſt enim:
Ephe 5. Subiecti inuicẽm in timore Chriſti. Sed
Luc.22. & rursùm Dominus ait: Si quis vult in
vobis eſſe maior, ſiat omnium nouiſſi-
mus & omnium ſeruus. Quod vtiquè
qui implere vult, amputat ſibi proprias
voluntates, ſecundùm imitationem
ipſius Domini, dicẽtis: Deſcendi de cæ- Ioan.6.
lo, non vt facerem voluntatem meam:
ſed voluntatem eius, qui miſit me, pa-
tris. Et iterùm præcepit Dominus: Si Matt.5.
quis angariauerit te mille paſſus, vade
cum illo alia duo.

De obedientia, quibus obedire oporteat. Cap. 14.

INTERROGATIO.

SI oportet omnibus vel quibuſcunq;
obaudire?

RESPONSIO.

Horum quidem qui imperant, diffe-
rentia vel diuerſitas non debet impedi-
re obedientium propoſitum: quia neq;
Moyſes intemperans extitit ſocero ſuo Exod.18.
Iethro, quum vtilia moneret & iuſta.
Commonitionum ſanè non parua eſt Commonitionum diuerſitas, & quibus obediendũ ſit.
diuerſitas. Aliæ nanque contrariæ vi-
dentur eſſe mandatis Dei: aliæ verò in-
terrumpere mandatum vel contamina-
re videntur: aliæ verò ad explendum id
atque ædificandum veniunt. Neceſſari-
um eſt ergò meminiſſe Apoſtolici præ-
cepti, dicentis: Prophetias nolite ſper- 1.Theſſ.5.
nere Omnia autem probate: quod bo-
nũ eſt tenete: ab omni ſpecie mala ab- 2.Cor.10.
ſtinete vos. Et iterùm: Cogitantes, pur-
gantes, vel deſtruentes omnem altitudi-
nem, extollẽtem ſe aduersùs ſcientiam
Dei, & captiuantes omnem intellectum
ad obediẽdum Chriſto. Si quid ergò eſt,
quod conueniat cum mandato Dei, &
animæ expediat, & hoc nobis ab aliquo
fuerit imperatũ: velut voluntatem Do-
mini promptè & libẽter debemus acci-
pere, & explere quod dictũ eſt, Obtem- Ephe.4.
perantes inuicẽm in charitate Chriſti.
Si aũt cõtrariũ aliquid mãdatis Chriſti,
vel quod corrumpere videatur aut con-
taminare, iubemur ab aliquo facere, tẽ-
pus eſt nos dicere: Obtẽperare oportet Acto.5.
Deo magis quàm hominibus. Et rur-
sùm meminiſſe Domini, dicentis: Alie- Ioan.10.
ni autem vocem non ſequuntur, ſed
fugiunt ab eo, quia neſciunt vocem
alienorum. Sed & ſancti Apoſtoli me-
miniſſe debemus, qui ad cautelam no-
ſtram auſus eſt Angelis quidem parce-
re, dicens: Etiam ſi nos aut Angelus de Galat.1.
cælo euangelizet, præterquàm euan-
gelizauimus vobis, anathema ſit.
Ex quo docemur, etiam ſi valdè nobis
charus

charus sit aliquis, si magnificus habeatur, & in admiratione sit positus, qui prohibet nos facere, quod à Domino præceptum est: vel rursùm imperat facere, quod Dominus fieri prohibuit: execrabilis debet esse, qui eiusmodi est, omnibus qui diligunt Deum.

De affectu, quo obedire debemus. Cap. 15.

INTERROGATIO.

QVali affectu seruire debet, qui seruit Deo? & ipse affectus quid est?

RESPONSIO.

Affectum bonum vel animum illum esse ego arbitror, quum desiderium vehemens & inexplebile atque immobile inest nobis placendi Deo. Impletur autem iste affectus scientia, per quam intueri & respicere possumus magnificentiam gloriæ Dei, & per cogitationes pias & puras, & per memoriam eorũ bonorum, quæ à Deo nobis condita sunt: ex quorũ recordatione venit animæ dilectio Domini nostri Iesu Christi, vt eũ diligat ex toto corde suo, & ex tota anima sua, & ex tota mente sua, secundùm illum qui dicebat: (Psal. 41.) Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ità desiderat anima mea ad te, Deus. Cum hoc ergò tali affectu seruire oportet Domino, sicut ab Apostolo dictum est: (Rom. 8.) Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?

De eo qui præesse habet, qualis debeat esse. Ca. 16.

INTERROGATIO.

QVid sentire debet de se Is, qui præest, in quibus præcipit vel imperat?

RESPONSIO.

(1. Cor. 4.) Apud Deum quidem, sicut minister Christi, & dispensator ministeriorum Dei, timens nè præter voluntarem Dei, vel præter quod in sanctis scripturis euidenter præcipitur, vel dicat aliquid, vel imperet: & inueniatur tanquàm falsus Christi testis, aut sacrilegus, vel introducẽs aliquid alienum à doctrina Dei, vel certè subrelinquens & præteriens aliquid eorum quæ Deo placita sunt. Ad fratres autem esse debet tanquàm si nutrix foueat paruulos suos: paratus autem, secundùm voluntatem Domini, & secundùm quod vnicuique expedit, communicare cum eis, non solùm Euangelium, sed & animam suam: memor præcepti Domini ac Dei nostri, dicẽtis: (Ioan. 15.) Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicèm, sicut & ego dilexi vos. (Ioan. 15.) Maiorem hac charitatem nemo habet, vt animã suam ponat quis pro amicis suis.

De modo corripiendi. Cap. 17.

INTERROGATIO.

PEccantem quomodò corripiemus vel emendabimus, pater?

RESPONSIO.

Sicut scriptum est, Domino dicente: (Matt. 18.) Si peccauerit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te & ipsum solum. Si audierit te, lucratus eris fratrẽ tuũ. Si verò non te audiërit, assume tecum alium vel duos: vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si etiam ipsos non audierit, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Si fortè hæc increpatio, quę fit à pluribus, eueniat ei in salutem. Et sicut dixit Apostolus, (2. Tim. 4.) Argue, obsecra, increpa, cõsolare in omni patientia & doctrina. Et rursùm: (2. Thess. 3.) Si quis nõ obedit verbo, per epistolã hunc notate: & non commisceamini cum eo, sine dubio, ad mensæ participationem.

De minimis non contemnendis, sed corrigendis. Cap. 18.

INTERROGATIO.

SI quis etiã in paruis delictis affligere voluërit fratres, dicẽs: quia debetis pœnitere per singula: nè fortè & ipse immisericors videatur, & dissoluere charitatem?

RESPONSIO.

(Matt. 5.) Cùm affirmauerit Dominus, quia iota vnum aut vnus apex non transiet à lege, donèc omnia fiant: & rursùm diffiniërit, (Matt. 12.) quia de omni sermone ocioso quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationẽ in die iudicij: nihil oportet contemni tanquàm paruum. (Eccl. 19.) Qui autem spernit minima, paulatìm defluit. (Nullũ delictũ est paruum dicẽdum.) Sed & quomodò quis audebit breue dicere aut paruum delictum, quũ Apostolus dicat, manifesteq; diffiniat, quia per præuaricationem legis Deus exho(Rom. 2.)noratur? (1. Cor. 15.) Sed & aculeus mortis, peccatum esse dicitur. Et non dicit, quali vel tali peccato. Magnus ergò irrisor est, qui intermittit & negligit, quàm qui arguit: sicut is qui in morsu serpentis permittit delitescere venenũ, quàm ille qui educit & abstrahit. Sed & charitatem destruet ille, qui, secundùm quod scriptum est, (Prou. 13.) parcens baculo,

culo, odit filium: qui autem diligit, diligenter corripit.

De pœnitentiæ affectu. Cap. 19.

INTERROGATIO.

Quomodò quis debet pœnitere in vnoquoque delicto?

RESPONSIO.

Psal. 118. Affectum illum in se recipiens, quem gerebat ille, qui dixit: Iniquitatem odio habui, & abominatus sum. Sed & ea quę scripta sunt in sexto psalmo, atque in alijs quamplurimis. Sed & illa, quæ Apostolus dixit ad eos, qui secũdùm Deum

2. Cor. 7. contristati sunt: Quantam operatus est, inquit, In vobis sollicitudinem? sed indignationem, sed æmulationem, sed vindictam. In omnibus exhibuistis vos castos esse negocio. Sed & in hisipsis, in quibus deliquit, agens multa contraria.

De dignis pœnitentiæ fructibus. Cap. 20.

INTERROGATIO.

Qui sunt fructus dignæ pœnitentiæ, pater?

RESPONSIO.

Opera, quæ contraria sunt peccato, quæ debet afferre ille, qui vult, secun-

Coloss. 1. dùm quod scriptum est, in omni opere bono fructificare.

INTERROGATIO.

Qui se verbo dicit pœnitere, peccatũ autem suum non emendat, quid est?

RESPONSIO.

Prou. 26. De isto scriptum est: Si te interrogauerit inimicus tuus magna voce, non acquiesces ei: septē enim nequitiæ sunt

Ibidem. in anima eius. Et alibi: Sicut canis reuertens ad vomitum suum, ità homo permanens in malitia sua.

De confessione, quibus fiat. Cap. 21.

INTERROGATIO.

Qui vult confiteri peccata sua, si omnibus debet confiteri & quibuslibet, an certis quibusdam?

RESPONSIO.

Clementia Dei erga eos qui deliquerunt, manifesta est, secundùm quod

Ezech. 18. & 33. scriptum est: Qui nō vult mortem peccatoris, sed magis vt cōuertatur, & viuat. Quia ergò confessionis modus ad hoc aptus est, & conuertens se à peccato, fructus dignos ostendere debet pœnitentiæ, secundùm quod scriptum est:

Matt. 3. Omnis arbor quæ nō facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur:

Confessio, institutio necessarium videtur, his, quibus dispensatio mysteriorum Dei commissa est, confitenda esse peccata. Sic enim & hi, qui antiquitùs pœnitebant, inueniuntur apud sanctos confessos esse peccata sua. Scriptum est in Euangelio, quia Ioanni baptistæ cōfitebantur populi peccata sua. Et in Actibus Apostolorum, Apostolis hi, qui baptizabantur. *nis est antiquissima.* *Matt. 3.* *Acto. 3.*

De perfecta curatione post pœnitentiam delinquentium. Cap. 22.

INTERROGATIO.

Qui pœnituerunt pro aliquo peccato, & rursùm in hoc ipsum peccatum inciderunt, quid facient, pater?

RESPONSIO.

Is qui semèl deliquit, & iterùm in eodem peccato incurrit, indicare de se videtur hoc primùm, quòd ab illo peccato priori nō fuerit expurgatus: ex quo, velut à radice quadam pessima, eadem, quæ antè, pullulârunt. Sicut enim quis arboris ramos excidens, si radicem reliquerit: vbi radix fuerit, virgulta eiusdem seminis germinabit: ità etiam peccatum facere probatur, quoniã omnes qui delinquunt, ex ipsis peccatis initium sumunt: sed & ex alijs interdùm delicti occasio nascitur. Necessarium ergò ei est, qui vult omnimodò purgare se à peccato; primas ipsas causas culpæ excidere. Verbi gratia: Si ex contentione vel inuidia fuerit, non à se sumpsit exordium, sed radicem habet arrogãtiam, ex cupiditate humanæ gloriæ venientem. Dum enim gloriam quærit ab hominibus, aut contentionibus studet, aut rectè agentibus inuidet, huic inuidet, scilicet per quem videtur ipse minùs in laude vel in admiratione haberi. Si quis ergò semèl notatus fuerit inuidiæ vel contentionis vitio, & rursùm in hoc ipsum inciderit: sciat se primam illam causam, de qua superiùs diximus, ex qua inuidia vel contentio nascitur, in interioribus medullis habere reconditam. Oportet ergò eum & per contraria atq; aduersa curari, id est, per humilitatem. Exercitationes verò humilitatis sunt, si se vilioribus officijs subdat, & ministerijs vilioribus tradat. Ità nanq; arrogantiæ & humanæ gloriæ vitiũ curare poterit, vt consuetudine humilitatis affectus, vltrà iam non incidat in arrogantiæ & vanæ gloriæ delictum. Sed in singulis huiuscemodi vitijs, cura similis adhibetur. *Similitudo aptissima, recidiuatio peccati vnde oriatur.* *Inuidiæ radix.* *Remedium contra arrogantiam.*

De

De affectu corripientis, & eius qui corripitur. Cap. 23.

INTERROGATIO.

QVali affectu vel quali sensu oportet increpare eum qui increpat, Abba?

RESPONSIO.

Ad Deum quippe tali mēte debet esse, qualem indicat beatus Dauid, dicēs: Psal. 118. Vidi præuaricātes, & tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt. Ad eos autem quos increpat, hunc debet affectum seruare, quem pater & medicus erga ægrotantem filium: & tunc maximè, quum qualitas curæ tristior videtur & grauior.

INTERROGATIO.

Quali affectu quis debet suscipere correptionem, Abba?

RESPONSIO.

Sicut æger filius patris & medici de vita sua soliciti: qui si etiā asperum aliquid offerat, vel amarum ad curandum filium, scit vtriquè filius, quòd nec pater in aliquo negligere potest de salute filij, nec medicus falli.

INTERROGATIO.

Qui tristatur aduersùs eum, qui se increpat, qualis est?

RESPONSIO.

Neq; periculū peccati agnouit iste, neq; damnum, neq; lucrum pœnitentiæ: nec credit illi qui dixit, Quia qui di- Eccl. 10. ligit, diligenter corripit. Sed & seipsum alienum facit ab illa vtilitate dicentis: Psal. 140. Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me. Sed ad læsionem cæterorum, iste talis permanet inter fratres. Exoluit eī, & impedit animos eorum qui possunt proficere.

De his qui ostendunt peccata sua, & de his qui verè aut non verè pœnitent, quales erga eos simus. Cap. 24.

INTERROGATIO.

QVale iudiciū debet esse de his, qui peccantes, defendunt opera sua, pater?

RESPONSIO.

Vt mihi videtur, grauius ab illo quod Matt. 18. dixit Dominus: Quia expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & præcipitetur in mare, quàm vt scandalizet vnum de minimis istis. Non enim iam ad emendationē & correptionem, sed defensionem ad confirmādum peccatum suū suscipit, qui delinquit, & alios simile prouocat ad malū: ità vt conueniat eis, qui peccātes defendunt, illud quod scriptum est: Quia si nō ostende- Luc. 3. ritis fructus dignos pœnitētiæ, excidemini & in ignē mittemini. Vel rursùm quod Dominus dicit: quia si oculus tuus Matt. 18. dexter scandalizet te, erue eum, & proijce abs te. Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, & non omne corpus tuum mittatur in gehennam ignis ardentis.

INTERROGATIO.

Pœnitentes ex corde, quomodò debent suscipi, pater?

RESPONSIO.

Sicut Dominus ostendit, quum dicit: qui cōuocauit amicos suos & vicinos, dicens: Congratulamini mihi, quia in- Luc. 15. ueni ouem meam, quam perdideram.

INTERROGATIO.

Erga eum qui non pœnitet pro peccato, qualiter esse debemus, pater?

RESPONSIO.

Sicut præcipit Dominus, dicens: Sit Matt. 18. tibi sicut ethnicus & publicanus. Et sicut Apostolus docuit, dicens: Subtrahite 2. Thess. 3. vos ab omni fratre ambulāte immoderatè, & non secundùm traditionem, quam tradidimus vobis.

De proprietate non habenda. Cap. 25.

INTERROGATIO.

SI debet habere aliquid proprium, qui inter fratres est?

RESPONSIO.

Hic cōtrarius est illi testimonio, quod in Actibus Apostolorū de illis, qui credebant primitùs, scriptum est. Ibi enim Act. 4. ait, quia nemo quicquā ex eis suū proprium dicebat esse: sed erāt illis omnia communia. Si quis ergò proprium sibi esse dicat aliquid, sine dubio alienum se facit ab electis & à charitate Christi, qui Act. 1. docuit verbo, & opere cōpleuit, & qui animam suam posuit pro amicis suis. Si Ioan. 15. ergò ipse animā suam posuit pro amicis suis, quomodò nos etiam ea, quæ extra animā sunt propriam, vendicabimus?

INTERROGATIO.

Si quis dicat: quia neq; accipio à fratribus, neq; do: sed contentus meis proprijs. qd in hoc seruare debemus, pater?

RESPONSIO.

Hic non acquiescit doctrinæ Domini, dicentis: Diligite inuicēm, sicut ego Ioan. 15. dilexi vos. Acquiescendū est & Apostolo, dicenti: Auferte malum ex vobis, nè 1. Cor. 5.

fortè accidat, vel modicum fermĕtum totam massam corrumpere.

De his quæ dantur à parentibus, quomodò dispensanda sint. Cap. 26.

INTERROGATIO.

SI debet à carnalibus propinquis accipere aliquid?

RESPONSIO.

Propinquis quidem reddere quæ sua sunt, his qui ad seruitium Dei accedūt, necessarium est: & nihil subtrahere, vt non crimen sacrilegij incurrāt. Veruntamen hæc prærogari in conspectu eorum, ad quos visa sunt pertinere, & illis ipsis præstet occasionem elatiōis ac superbiæ, & alijs fratribus eiusdem propositi pauperibus tristitiam generĕt: ità vt accidat illud, in quo arguuntur Corinthij, Apostolo dicĕte: Quia confunditis non habentes. Et idem qui per loca singula ecclesijs præsunt, si sunt fideles & prudĕtes dispensatores, ipsis offerri debĕt, secūdùm imitationem eorum, qui in Actibus Apostolorum id fecisse describuntur: de quibus dicitur, quia afferĕtes precia prædiorum suorum, ponebant ante pedes Apostolorum. Certè quoniā non est in huiuscemodi dispensationis officiū, fideliter illis offerri conuenit, qui apud oēs in hoc probati inueniuntur. Veruntamen etiam de his probabit ille, qui præest, per quem debeat dispensari.

1.Cor.11.

Acto.5.

De modo, quo nos gerere debemus erga parentes vel familiam. Cap. 27.

INTERROGATIO.

QVomodò debemus videre eos, q aliquandò vel familiares, vel consanguinei fuerunt & proximi?

RESPONSIO.

Sicut Dominus ostendit, quū ei nunciauerūt, quia mater & fratres tui foris stant, volentes te videre: ad quos cum increpatione respondit, dicens: Quæ est mater mea? & qui sunt fratres mei? Qui enim fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse meus frater & soror & mater est.

Lucæ 8.

INTERROGATIO.

Quòd si deprecantur nos, vt eamus cum ipsis ad domos eorum, si debemus acquiescere?

RESPONSIO.

Si quidem pro ædificatione fidei, aliquis ire potest: si probauerit ille qui præest, mittatur. Si verò propter aliquā humanam gratiā, audiat Dominū dicentem ad illū qui dixit: Magister, permitte mihi primùm ire, & renūciare his qui in domo sunt: Quia nemo mittens manum suam in aratro, & respiciens retrò, aptus est regno cælorum. Quòd si pro renunciando volenti ire vt renunciaret, quid dicemus de cæteris?

Quandò legitimè pos.

Sit quis parentes visere.

Luc. 9.

De vagatione mentis. Cap. 28.

INTERROGATIO.

VNdè ergò vagatur mens nostra, & cogitationes diuersæ ascendūt in corde nostro? & quomodò hæc possumus emendare?

RESPONSIO.

Vagatur quidē mĕs nostra interdùm ocio, dum non occupatur in necessaria solicitudine, sed in remissione posita & securitate, non credit pſentem esse Deum scrutantem corda & renes. Si enim hoc crederet, faceret hoc quod scriptū est: Prouidebam Dominum in conspectu meo, quoniam à dextris est mihi, nè cōmouear. Qui enim hoc agit, vel horum similia, neq; vagabit vnquàm, neq; habebit ocium vanis cogitationibus indulgere, vel aliquid cogitare, quod non ad ædificationem fidei pertineat, & ad aliquam humanā vtilitatem pertineat & spectet: quanto magìs nihil audebit, quod aduersum est Deo, & non ei placeat, cogitare.

Psalm. 7.

Psal. 15.

De nocturnis illusionibus. Cap. 29.

INTERROGATIO.

VNdè nocturnæ phantasiæ inhonestæ & turpes accidunt nobis?

RESPONSIO.

Veniunt quidem hæc maximè ex diurnis animæ motibus & actibus, indignis & incongruis. Si enim vacet in iudicijs Dei, expurgatur anima per meditationem legis diuinę, & studium verbi Dei: ibique si indesinenter curam gerat, semper requirens & serutans, quid sit quod placeat Deo, talia habebit etiam somnia.

De infirmis, quomodò eis ministretur, & qualiter ipsi debeant suscipere obsequia. Cap. 30.

INTERROGATIO.

QVali affectu debem⁹ infirmis fratribus ministrare?

RESPONSIO.

Sicut ipsi Domino offerĕtes obsequium, qui dixit: Quia quodcunq; feceritis vni ex his minimis fratribus meis, mihi fecistis. Expedit aūt ad cōseruandū huiusce-

Matt. 25.

usceemodi affectũ in obsequijs: vt & hi q obsequia à nobis suscipiũt, tales sint: qbus meritò deferri obsequiũ debeat. Et id. eò oportet eos qui p̃sunt, curã gerere: vt nè ij qbus ministratur, tales sint, qui carni indulgeant & ventri: sed potiùs in amorem Dei & Christi eius probabiles inueniantur, & per patientiam suam ac vitæ meritum, fratrum mereãtur obsequia, vt habeãtur ad gloriã Christi, & opprobriũ zabuli, sicut fuit & sanctus Iob.

Nota quibus maximè seruiendum sit.

INTERROGATIO.

Cum quali humilitate debet quis suscipere à fratribus obsequium, pater?

RESPONSIO.

Sicut seruus à Domino: & sicut ostẽdit Petrus Apostolus, quũ ei Dominus ministraret. In quo etiã periculum eorum ostendit, qui nolunt obsequium recipere fratrum.

Ioan. 13.

De charitate inuicèm habenda, & qualiter eam proximus exhibeamus. Cap. 31.

INTERROGATIO.

QValem debemus habere charitatem adinuicèm?

RESPONSIO.

Qualem Dominus ostendit, dicens: Diligite inuicẽ, sicut & ego dilexi vos. Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt animam suam quis ponat pro amicis. Si aũt & animam poni oportet, quãto magìs in alijs vorum & studium debet ostendi? Sine dubio non secũdùm humanas voluntates, sed secundùm illum prospectum, in quo est oĩm commune propositum placendi Deo.

Ioan. 5.

INTERROGATIO.

Quomodò potest quis implere charitatem circa proximum, pater, edissere nobis?

RESPONSIO.

Primò quidem metuens iudicium præuaricantis mandatum Dei, quia ipse dixit: Qui non crediderit filio, non habebit vitam: sed ira Dei manet super illum. Tum deindè, velut cupiẽs ad æternam vitam peruenire: quia mandatum eius vita æterna est. Primum enim magnum mãdatum est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua. Simile verò huic est secundum: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Et si quis desiderat similis effici Domino, dicenti: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicèm, sicut ego dilexi vos. Sed ex communi sensu hoc

Ioan. 3.
Matt. 22.
Ioan. 13.

sentire possumus, quia beneficium cõsequamur à fratre: in eo quòd diligimur à fratre, debitores efficiamur, vt eum meritò diligamus. Quod etiã inter gentiles obseruari solet, sicut in Euangelio Dominus dicit: Si diligitis eos qui vos diligũt, quę vobis est gratia? quia & peccatores & gentiles, diligentes se diligũt. Si enim vel lædit nos, vel aduersatur qs: hunc non solùm propter mãdatum, sed propter hocipsum, quia plus nobis præstat in quo lædit, diligere debemus. Siquidem credimus Domino, dicẽti: Beati estis quum exprobrabunt vos, & persequentur, & dicent omne malum aduersùm vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis.

Matt. 5.
Matt. 5.

De sermone ocioso. Cap. 32.

INTERROGATIO.

VSq; ad quem modum ociosus sermo iudicabitur, pater?

RESPONSIO.

Generaliter omnis sermo, qui non proficit ad aliquam gratiã fidei Christi, ociosus est: & tãtum est periculum huiuscemodi sermonis, vt etiam si bonum esse videatur, quod dicitur, ad ædificationem fidei tamen non pertineat: non in sermonis bonitate ille, qui locutus est, periculum effugiat: sed in eo, quòd non proficit sermo prolatus, contristat spiritum sanctum Dei. Hoc enim manifestè demonstrauit Apostolus, dicens: Omnis sermo malus de ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audiẽtibus. & super hæc adiecit: Nolite contristare spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. Quo vtiquè grauius malum nullum esse poterit.

Periculum ociosi sermonis.
Ephe. 4.
Ibidèm.

De maledico sermone & detractione. Cap. 33.

INTERROGATIO.

QVid est maledicus, pater?

RESPONSIO.

Omnis sermo, qui ob hoc profertur, vt infamet aliquem, aut deroget alicui, vel malè commendet, maledicus est, etiamsi videatur non esse iniuriosus. De hoc manifestum est ex sentẽtia Euangelij, quum dicit de Iudæis: quia maledixerũt eum, dicentes: Tu sis discipulus illius.

Ioan. 9.

INTERROGATIO.

Quæ est detractio, vel derogatio, Abba?

RESPONSIO.

Duæ causæ, quibus potest aliquis aliorū mala commemorare. Duas opinor esse causas, in quibus licet aliquem dicere & retractare aliena mala. Si quandò consilium habere necesse est cū cæteris, qui in hoc ipsum videntur assumi, quomodò corrigatur is, qui peccauit, vel mali aliquid egit. Et rursùm, si quandò necesse est prænunire aliquem & commoneri, nè fortè incurrat in consortium alicuius mali, dum eum putat esse bonum. quia Apostolus dicit: Nolite commisceri cum huiuscemodi homine. Et Salomon: Noli manere cum homine iracundo: nè fortè eius vias discas, & sumas laqueū animæ tuæ. Quod & ipsum Apostolum fecisse inuenimus per hoc, quod scribit ad Timotheum, dicens: Alexander ærarius multa mihi mala ostendit: quem & tu deuita. Valdè enim testitit nostris sermonibus. Præter huiuscemodi necessitates, quicunque dicit aliquid aduersùs alium, vt vel deroget ei, vel obtrectet: istud est detrahere, etiam si vera videātur quæ dicit.

2.Thess. 3.
Prou. 22.
2.Tim. 4.

De pœna detrahentis vel respondentis, quandò corripitur. Cap. 34.

INTERROGATIO.

QVi detrahit fratri, vel audit detrahentem, & patitur, quid dignum est, pater?

RESPONSIO.

Psal. 100. Excommunicari debet. Detrahenti enim occultè proximo suo, hunc persequebar. Et alibi dictum est: Noli libenter audire detrahētem, nè fortè eradicéris.

INTERROGATIO.

Quòd si de eo qui præest, quis detraxerit, quomodò eum obseruabimus?

RESPONSIO.

Num. 12. Et in hoc manifestum est iudiciū iracundiæ Dei super Mariam, quæ detraxit Moysi, & peccatū eius nec ipso quidem Moyse orāte, inultū Deus esse permisit.

INTERROGATIO.

Si quis acriori sermone, vel insolentiori voce respōdeat, & admonitus dicat, quia nihil mali habeat in corde suo, si oportet ei credi?

RESPONSIO.

Non omnes passiones animæ manifestæ sunt omnibus, nec ipsis quidem qui patiuntur eas. Sicut enim sapientissimis medicis signa quædam dantur absconsa & occulta ex corporum motibus, quæ ipsos, qui patiuntur, effugiunt & latent: ità etiam in animo sunt quædam vitia, etiam si nō sentit ille qui peccat. Sed & credere oportet Domino, dicenti: quia malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala. Et ideò fieri non potest, vt malus de corde malo proferat bonum sermonem: nec bonus de corde bono malū proferat verbum. Sed iterùm quidē potest esse mali cordis bonitas simulata: bonū aūt cor, malū nō potest simulare. Dicit enim Apostolus, quia prouidētes bona nō solùm coram Deo, sed etiā coram hominibus.

Matt. 12.
Rom. 12.

De ira, quomodò possit aliquis non irasci: & alijs quibus dam, breuiter. Cap. 35.

INTERROGATIO.

QVomodò possit aliquis nō irasci?

RESPONSIO.

Si Deum credat oīa inspicere, & Dominum præsentem semper intueatur: quandoquidē neq; is, qui iudici suo subiectus est, audet in oculis iudicis sui aliquid suæ indignationis ostendere. id est, cùm nō ipse sibi aliud putat esse subiectum, sed se parat ad alterius obedientiam: hoc est enim, omnes ducere superiores sibi. Si enim non ad omnes vsus suos, vel ad suam vtilitatem obedire quærit eos qui obediunt: scire debet, quòd sermo Domini vnumquenq; docet alijs obsequi vel ministrare. Quod etiā implet, si videt aliquem mandatum Domini præterire, & non erga eū ira moueatur, sed miseratione & cōpassione: secūdùm eum qui dicit, Quis infirmatur, & ego non vror? 2.Cor. 11.

INTERROGATIO.

Quis est mansuetus?

RESPONSIO.

Qui nō trāsfertur à iudicijs suis, quibus statuit & studet Deo placere.

INTERROGATIO.

Quomodò quis vincatur in voluptate ac libidine ciborum?

RESPONSIO.

Si statuit sic expectandum esse nō id quod delectat, sed id quod expedit: & quod vsui, non voluptati, sufficiat.

De malo desiderio amputando. Cap. 36.

INTERROGATIO.

QVomodò excidemus mali desiderij appetitum?

RESPONSIO.

Desiderio meliore si magis ignimur, & accendimur ad amorem Dei, secundùm illū qui dixit: Eloquiū Dñi igniuit eum: Psal. 104.

Psal. 18. eum: & iudicia vera Dei, iustificata in semetipsa: desiderabilia super aurũ & lapidem preciosum multũ, & dulciora super mel & fauum. Semper enim desiderium meliuseſt, si in opere sit & in re: & possideat totos animos nostros, atq; eorum q̃ desideramus, perfrui contendamus. Contemnere nos facit & despicere inferiora, sicut docuerunt nos omnes sancti: quanto magis ea, quæ mala sunt & turpia?

De tristitia vel gaudio malis & bonis. Cap.37.

INTERROGATIO.

2.Cor.7. QVæ est tristitia secundùm Deum? & quæ est secundùm seculum?

RESPONSIO.

Secũdùm Deum tristitia est, quum pro mandatis neglectis vel præuaricatione tristamur, secundùm quod scriptum est: Tristitia tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Psal. 118. Seculi autem tristitia est, quũ aliquid de rebus humanis, vel quæ ad seculum pertinent, contristamur.

INTERROGATIO.

Quid est in Domino gaudium, vel quid facientes gaudere debemus?

RESPONSIO.

Si secundùm mãdatum Domini gerimus, vel in gloriam Dei agimus: hoc est in Domino gaudium, vel quum pro nomine Domini aliqd patimur, & gaudemus, vel alijs sanctè agentibus congratulamur.

INTERROGATIO.

Quomodò lugere debemus, vt beatitudinem consequamur?

RESPONSIO.

Cum illa interrogatione, in qua exposuimus, quæ est secundùm Deum tristitia, etiam ista interrogatio continetur: id est, si pro peccatis lugemus, vel si eos deflemus, qui per præuaricationem legis inhonorant Deũ, vel propter eos qui periclitantur in peccato: quia anima quæ peccauerit, ipsa morietur: secundùm illum qui dixit, Et lugeam multos ex his, qui antè peccauerunt, & non egérunt pœnitentiam.

Ezech.18. 2.Cor.12.

INTERROGATIO.

Si ex toto corde ridere non licet?

RESPONSIO.

Luca 6. Quum Dominus eos qui nunc rident, condemnet: manifestum est, quia nunquàm tempus est risus fidelis animæ: & maximè quum tam plurimi sint,

Nunq̃ est tempus ridẽdi in hac vita.

qui per præuaricationem legis Deum exhonorent, & in peccatis suis moriantur: pro quibus vtiq; tristari indesinenter conuenit & lugere.

De solicitudine seculari & negligentia, quomodò accusat. Cap.38.

INTERROGATIO.

QVæ est solicitudo secularis, Abba?

RESPONSIO.

Omnis solicitudo secularis, etiam si nihil videatur habere illicitum: tamẽ si ad religionẽ non pertineat & ad virtutem, secularis est.

INTERROGATIO.

Vndè nobis accidit importunè dormitare? & quomodò hoc possumus abijcere, pater?

RESPONSIO.

Venit quidem importunè dormitare tunc, quum languidior est anima erga memoriam Domini, & quum iudiciorum eius eam incessit obliuio. Abijcere autem id possumus, quum dignã de Deo assumpserimus cogitationem, & ad voluntatem eius extenderimus desideria nostra, secũdùm illum qui dixit: Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem: & requiẽ tẽporibus meis, donèc inueniam locum Dño, tabernaculũ Deo Iacob. Psal.131.

De operibus nostris, quomodò omnia ad gloriam Dei faciamus. Cap.39.

INTERROGATIO.

QVomodò ad gloriam Dei quis faciat omnia, pater?

RESPONSIO.

Quum omnia propter Deum, vel ex mãdato Dei facimus, & in nullo sectamur hominum laudes, & in omnibus meminimus Domini, dicentis: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant bona opera vestra, & magnificent patrem vestrum, qui in cælis est. Matth.5.

INTERROGATIO.

Quomodò manducat quis & bibit in gloriam Dei?

RESPONSIO.

Si in memoriam semper habeat, à quo pascitur, Deũ: & si non solùm animo, verùm etiam corpore, per singula contestetur se ei gratias agere, & securum manducare. Sed & quasi operarium Dei ab ipso refici ob hoc, vt ad laborem vel expletionem sufficiat mandatorum Dei.

INTERROGATIO.

Quomodò facit dextera, quòd non cognoscat sinistra?

RESPONSIO.

Pulchra expositio, quô impleatur quod dictũ est Matt. 6. Nesciat sinistra &c.

Quum intenta mente, & fixo desiderio placendi Deo, agimus opera Dei, & omni solicitudine constringimur, nè decedamus à via recta & ab opere legitimo: tunc nullius prorsùs extrinsecùs neq; membri nostri recipimus cogitationem, nisi solius Dei & eius operis, quod explemus: tãquàm si artifex faciens vas, indesinenter & eius meminit, qui opus iniunxit: & vas, quod versat in manibus, si rectè & fabrè veniat, intuetur.

INTERROGATIO.

Quomodò apparebit ille, qui hominibus vult placere?

RESPONSIO.

Arg. quãdò quis cupiat hominum laudes.

Quum præsentibus quidem his, qui laudare possunt, agit aliquid operis boni: nullo autem tali presente, vel etiam his, qui vituperare possunt, adstãtibus, segniùs & pigrior in opere. Si enĩ Domino placere velit, semper vtique & in omni loco idem esse atque eadem gerere studebit, adimplẽs id quod scriptum est: Per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatẽ, per infamiam & bonam famam: vt seductores, & veraces.

2. Cor. 6.

INTERROGATIO.

Quomodò quis effugiet vitium placendi hominibus, vel captandi laudem ex hominibus?

RESPONSIO.

Remedium contra laudis appetitum.

Si certus sit de præsentia Domini, & fixam habeat solicitudinẽ Deo placendi, & multo desiderio teneatur earum beatitudinum, quæ à Domino repromissæ sunt, Non enim oportet sub presentia domini placere conseruis, ad iniuriam domini vel sui perniciem: nõ domino, sed conseruorum nutibus intuens.

Matth. 5.

De superbia, & eius curatione. Cap. 40.

INTERROGATIO.

QVomodò intelligitur superbus? vel quomodò curatur, pater?

RESPONSIO.

Signum superbi.

Intelligitur quidẽ ex eo, quòd semper ea quæ eminentiora sunt, quærit: curatur autem, si credat sententiæ eius qui dixit: Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Illud sanè sciendum est, quòd quomodò quis timeat damnum superbiæ, impossibile est curari hoc vitium, nisi abstrahat se, & secedat ab omnibus occasionibus elationis: sic impossibile est extingui linguæ alicuius vel gentis loquelam, vel artificium aliquod, nisi quis omni genere se penitùs abstrahat nõ solùm ab agendo & loquendo, sed etiam ab audiendo eos qui loquuntur, vel videndo eos qui agũt id, quod obliuisci cupit: & ità obseruandum est de omnibus vitijs.

Iacobi 4.

Remedium superbiæ.

De humilitate, & de honore non requirendo. Cap. 41.

INTERROGATIO.

QVid est humilitas? & quomodò eam possumus implere?

RESPONSIO.

Humilitas quæ sit.

Humilitas quidẽ est hæc, vt omnes homines existimemus superiores nobis, secundùm diffinitionem Apostoli. Implere autem id possumus, si memores fuerimus Domini, dicentis: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde: quod in multis sæpè ostendit & docuit. Et credere ei debemus, promittenti, quia qui se humiliauerit, exaltabitur. Deindè, vt indesinenter & absq; vlla cessatione, in omnibus actibus & in omni negocio humiliores cæteris inueniri studeamus, & in hoc exercitiũ nostrum ponamus. Vix enim sic poterimus pristinæ arrogantiæ à nobis abolere memoriam, & affectum humilitatis assumere: sic enim etiam in artificijs fieri solet. Idemq; modus erit etiam in cæteris virtutibus obtinendis, quæ ex mãdato Dñi nostri Iesu Christi veniũt.

Phil. 2. Matt. 11. Lucæ 18.

Acquirẽdæ humilitatis difficultas.

INTERROGATIO.

Si oportet honorem quærere?

RESPONSIO.

Reddere quidem cuique honorem edocti sumus, requirere autem honorem prohibiti, Domino dicente: Quomodò potestis credere, gloriam ab inuicẽm quęrentes, & gloriam quę est ab vno Deo, non quæritis? Itaque requirere gloriam vel honorem, indicium est infidelitatis, & alienos esse à pietate Dei, quum & maximè Apostolus dicat: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Si ergò hi, qui oblatam sibi ab hominibus gloriam accipiunt, ità condemnantur: qui nec oblatam requirũt, quali iudicio digni sunt?

Ioann. 5. Galat. 1.

De

De obedientia, de modo videlicet & affectu obediendi, & alijs quibusdam ad id pertinentibus. Cap. 42.

INTERROGATIO.

Quomodò inuicèm obedire debemus, pater?

RESPONSIO.

Sicut serui dominis, secũdùm quod præcipit Dñs: quia qui vult in vobis esse magnus, fiat omnium nouissimus & omnium seruus. Quibus verbis addidit, vt inclinet magis ad humilitatem: Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Sed & illud, quod ab Apostolo dictum est, per charitatẽ spiritûs seruire inuicèm. Matt. 20.

INTERROGATIO.

Vsque ad quem modum oportet progredi eum, qui placendi Deo implere regulam cupit?

RESPONSIO.

Apostolus ostendit, proponens nobis obedientiam Domini: Qui factus est, inquit, obediens vsq; ad mortem, mortem autẽ crucis. & prædixit, Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu. Phil. 2.

INTERROGATIO.

Qui piger est erga mandatum, quomodò potest industrius & vigilans effici?

RESPONSIO.

Si certus sit, præsentiam Domini esse vbiq; & omnia intueri: & comminationem illã, quæ aduersùs pigrum prolata est, ante oculos habeat, & spem multæ retributionis Domini, qui repromisit per Apostolum dicens: Quia vnusquisque propriam mercedem accipiet secũdùm suum laborem: & si qua similia in scripturis sanctis inuenimus, quæ de labore patientię & operum solicitudine ad Dei gloriam referuntur. Prouer. 20. Remedium cõtra pigritiam. 1. Cor. 3.

INTERROGATIO.

Si quis non contentus est, quotidiè aliquid sibi iniungi ab his, qui pro mandato Domini incedunt: sed artificium vult discere, quali vitio ægrotat? aut si oportet ei acquiescere?

RESPONSIO.

Iste talis, & præsumptor est, & sibi placens, & infidelis, qui non timuit sententiam Domini, dicentis: Estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Si enim quotidiè quis expectat Dominũ, solicitus est & trepidus, quomodò præsentem diem non transeat ociosus, & nihil ampliùs quærit. Si autem imperatur ei artificium discere, obedientia sua habet lucrum: & non in eo quod sibi placet, assumat iudicium. Lucæ 12. Obedientia non est in hisquæ nobis placent.

INTERROGATIO.

Si quis industrius sit & promptus ad implenda mandata, agat autem non quod ei iniungitur, sed quod ipse vult, quam mercedem habet, pater?

RESPONSIO.

Merces enim eius, illa ipsa est, quòd sibi placet. Quum autem dicat Apostolus, Vnusquisq; nostrûm proximo suo placeat in bonũ ad ædificationem: & vt ampliùs inclinaret & constringeret audientes, addit & dicit: quia ipse Christus non sibi placuit: scire debet vnusquisque, periculum suum esse in eo quòd sibi vult placere. Simul enim & inobediens inuenitur. Rom. 15. Non debemus nobisipsis placere.

INTERROGATIO.

Si licet alicui excusare opus, quod ei iniũgitur, & aliud quærere: quum diffinita sit obediẽtia, siue obediẽtię mensura, vsque ad mortem esse: edissere nobis, pater. Mensura obedientię. Phil. 2.

RESPONSIO.

Qui deuitat hoc, quod ei iniungitur, & aliud quærit: primò omniũ inobedientię reus est, & manifestè ostenditur, quia nondùm abnegauit semetipsum: & indè multorum malorum causa efficitur tam sibi, quàm cæteris: quia aditum contradictionis plurimis aperit, & seipsum ad contradicendum assuescit. Et quum non possint singuli discernere, quod melius est, & eligere: potest fieri, si talis sit licentia, vt aliud deterius eligat. Tum deindè etiam suspicionem dabit fratribus, quòd passione aliqua, vel ad opus quod eligit, adstringatur: vel certè erga eos, cum quibus necessè est operari. Itaque omnimodò nõ obedire, multorum malorum causa est. Si aũt ratio est aliqua, qua sibi rectè excusari videatur opus id, quod excusat: ponat hanc ipsam huic qui præest, & relinquat eius iudicio, vt ipse probet, si excusatione dignum est quod eligit. Lucæ 9. Contra excusantes, quæ aliquid eis iniungitur. Excusatio nostra stare debet præsidentis arbitrio.

INTERROGATIO.

Si iniunctum fuerit aliquid fratri, & contradixerit: posteà autem sua sponte obiẽrit, quid est?

RESPONSIO.

In

Contradicentis malum. In eo quòd contradixit, quasi nô obtemperans, iudicandus est: & velut cæteros ad simile prouocans malum. In quo sciat se illi sententiæ obnoxium, quæ dicit: Contradictiones suscitat omnis malus: Dominus autē angelum immisericordem mittet ei. Quum aūt certus sit, quia homini non obtemperat, sed Domino dicenti: quia qui vos audit, me audit: & qui spernit vos, me spernit: si compūctus est recordatione mandati, priùs satisfaciat: & ità si permittitur, impleat quod iustum est.

Prou. 17.

Lucæ 10.

INTERROGATIO.

Si autem obediat quis, & murmuret?

RESPONSIO.

Phil. 2. Murmurare quàm graue sit. Apostolo dicente, Omnia facite sine murmurationibus & hæsitationibus: Alienus sit à fratrum vnitate, qui murmurat, & opus eius abijciatur. Manifestum est enim, iste qui talis est, quia in infidelitate ægrotat, & certā spei fiduciam non gerit.

De his qui offendunt, aut offenduntur: quomodò satisfaciant, aut recipiant satisfactionem? Cap. 43.

INTERROGATIO.

SI frater fratrē contristauerit, quomodò debet emendare?

RESPONSIO.

Si contristauit quidem, sicut Apostolus dicit: Contristati enim estis, vt in nullo detrimentū patiamini ex nobis: non ille qui contristauit, emendare debet: sed ille qui cōtristatus est, indicia eius tristitiæ quæ est secundùm Deum, ostēdere debet: ipsum verò qui indifferenter contristauit, i. non secundùm Deum: memor sit ille, qui contristauit, Apostoli, dicentis: Si autem propter escam frater tuus scandalizatur, iam non secundùm charitatem ambulas: & quum cognouerit tale delictum esse suum, impleat illud quod à Domino dictum est: Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersùm te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens, offeres munus tuum.

2. Cor. 7.

Salutaris cōtristatio.

Rom. 14.

Matth. 5.

INTERROGATIO.

Quòd si non acquiesceret vt satisfaciat, quid agendum est, pater?

RESPONSIO.

Quum offenderit nolentis satis- Implere debemus in eo illud, quod à Domino dictum est, de eo qui peccauit, & non egit pœnitentiam, quum dicat: Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. facere vindicta. Matth. 18.

INTERROGATIO.

Si satisfaciente eo qui contristauit, noluerit reconciliari is, qui contristatus est?

RESPONSIO.

Manifesta est in hoc Domini sententia, quæ refertur in illa parabola de seruo, qui rogatus est à conseruo suo, & noluit patienter agere: Et videntes, inquit, conserui, renunciauerunt Domino suo. Iratus autem Dominus, reuocauit omnem gratiam debiti, quā concesserat: & tradidit cum tortoribus, vsquequò redderet omne debitum.

Ibidem.

Nolentis satisfactionem, quum offertur, suscipere, reatus atque periculum.

INTERROGATIO.

Quòd si contristatur ille, qui excitatur ad vigilias: aut etiā irascitur, quid dignum est?

RESPONSIO.

Interim excōmunicari debet, & non manducare: si fortè compūctus agnoscat, quantis & qualibus bonis semetipsum insipienter defraudet: & ità conuersus, recipiat eius gratiam qui dixit: Memor fui Dei, & delectat' sum. Quòd si permanserit in stultitia, non intelligens gratiam: abscindatur tāquàm putrefactum membrum à corpore. Scriptum est enim: Quia expedit vt vnum membrorum tuorū pereat, quàm totum corpus tuū mittatur in gehennam.

Psal. 76.

Matth. 5.

De iudicio, quarè & quomodò debemus iudicare. Cap. 44.

INTERROGATIO.

QVid est, Nolite iudicare, vt non iudicemini, pater?

RESPONSIO.

Quum Dominus aliquādò dicat, Nolite iudicare, vt non iudicemini: aliquandò verò, Iustum iudicium iudicate: non vtiquè omni modo iudicandi prohibet facultatem: sed differentiam iudicij nôsse nos docet, vt sciamus in quibus iudicemus. Vndè hoc manifestè Apostolus nobis tradidit, & dicit de his causis, quæ in vniu scuiusq; arbitrio esse debēt: Tu autē quarè iudicas fratrem tuum? Et iterum: Non ergò inuicèm iudicemus. In his verò a ctibus qui Deo non placēt, notat eos qui iudicantur, & ipse suam sententiam prodit per hæc, quæ dicit: Ego quidem sicut absens corpore, præsens autem spiritu, iam

Matt. 7.

Ioann. 5. Nō omnimodò iudicare prohibemur.

Rom. 14.

1. Cor. 5.

iam iudicaui, tãquàm præsens, eum qui hæc ità operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu Christi, tradere huiuscemodi hominem sathanæ in interitũ carnis, vt spiritus saluus fiat in die Domini. Si quid ità in nostra potestate vel arbitrio positum & incertum est, non oportet de his iudicare fratrẽ: secundùm hoc quod dicit Apostolus, tanq̃ de his quæ ignorantur: Itaque nolite ante tempus iudicare, vsque quò veniat Dominus, qui illuminabit abscõdita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Dei autem iudicia iudicare, omnimodò necessarium est: nè fortè & nos simili ira absorbeamur, si quiescamus erga peccantes & sileamus: nisi fortè quis eadem faciens, fiduciam non habeat arguendi, neque authoritatem iudicandi fratrem, dicente Domino: Eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucã de oculo fratris tui.

Diffinit, de quibus iudicandum nõ sit.

1. Cor. 4.

Iudicandi necessitas.

Matt. 7.

De zelo & ira. Cap. 45.

INTERROGATIO.

QVomodò intelligit quis, si zelo Dei moueatur aduersùs peccantem fratrem, an propria iracundia?

RESPONSIO.

Si ad omne peccatũ fratris patitur illud, quod scriptum est, Cõsumpsit me zelus domûs tuæ, quoniam obliti sunt verborum tuorum inimici mei. Manifestus est enim & in hoc Dei zelus. Veruntamen etiam in his oportet omnia prudenter dispensare. Si ergò hunc affectum etiam non habuit in anima sua, motus suos sciat magis ex passione, q̃ ex Deo descendere: & in nullo posse officium pietatis implere.

Psal. 68.

Quõ cognoscamus motus nostros ex passionẽ descendere.

INTERROGATIO.

Dicũt quidam impossibile esse, non irasci hominem.

RESPONSIO.

Si possibile est militi in conspectu regis sui irasci, sed nec sic quidem habebit rationem hoc, quod dicitur. Humanus enim vultus eiusdem formę hominis ad hominem propter vnitatem naturæ, vbi quamuis sola dignitatis sit eminentia, tamen prohibet passionem irascẽdi: quì nõ magis Deus, quẽ certi sumus etiã cordi nostro præsentẽ esse, & motus nostros inspicere? cuius manifestũ est quanta sit eminentia, etiam hoc ipso, q̃ scrutatur corda & renes, & motus videt animæ.

Non est impossibile hominem nõ irasci.

Psal. 7.

De perfecta subiectione, quòd in omnibus oportet nos subijcere, & quo affectu. Cap. 46.

INTERROGATIO.

SI oportet ire quocunquè, nõ commonito illo, qui præest?

RESPONSIO.

Quum dicat Dominus, Non vẽni vt à me faciam quicquam, sed ille qui me misit, ipse facit: quanto magis vnusquisque nostrûm non sibi permittere debet aliquid? Qui enim sua authoritate aliquid agit, manifestissimæ superbiæ morbo detinetur: & subiectus est illi sententię, quę dicit: quoniam in hominibus superbientibus abominatio est apud Deũ. Sed in omnibus sua spõte vel authoritate aliquid agere, culpabile est.

Ioann. 5.

Prou. 16. Lucæ 16.

Voluntas propria culpam habet.

INTERROGATIO.

Si hoc alicui volenti literas discere, vel lectioni vacare, indulgendum est?

RESPONSIO.

Apostolo dicente, vt non, quæcunq; vultis, illa faciatis: in omni negocio sua voluntate permittere vnumquenque agere, perniciosum est. Sed oportet illud suscipere, quod ab his qui pręsunt, iniungatur: etiam contra voluntatem eius, cui iniungitur, secundùm exemplum Domini, dicentis: Pater, non mea voluntas, sed tua, fiat.

Galat. 5.

Lucæ 22.

INTERROGATIO.

Si licet vnicuique vitare opus, quod grauius videtur?

RESPONSIO.

Qui fideliter & purè Deum diligit, & certus est de retributione Domini, nec sufficere sibi putat ea, que iniunguntur, sed semper augmenta operis quærit: & maiora quę iniũguntur, desiderat & exoptat, etiam supra vires videatur esse quod facit. Nec aliquandò securus est, tanq̃ opere expleto: sed cõtrariò sollicitus est & anxius, tanq̃ si nihil dignum pręceptis Euangelicis egerit, memor illius Dominici sermonis, dicẽtis: Quũ autem feceritis omnia, quęcunq; pręcepi vobis, tunc dicetis: Serui inutiles sumus: quod debuim⁹ facere, fecimus. Sed & imitabimur Apostolũ: cui quũ mundus esset crucifixus, & ipse mundo, non erubescit dicere: quia ego meipsum nondùm extimo appręhendisse.

Qua cogitatione reddamur ad omne opus promptissimi.

Lucæ 17.

Galat. 6.

Philip.3. Vnum autē, ea quidem quæ retrò sunt obliuiscens, ad ea quæ anteà sunt me extendens, secundùm propositum sequor ad palmā supernę vocationis Dei in Christo Iesu. Et qui quum haberet potestatem, Euangelium annuncians, de Euangelio viuere: magìs in labore 2.Thess.3. & fatigatione, inquit, nocte & die operans vixi: non quia nō haberemus potestatem, sed vt nos formam daremus vobis ad imitandum nos. Quę quum ità sint, quis ità vel stultus est, vel infidelis, vt putet se maiorib' quàm debet, oneribus prægrauari, quum hanc quoquè mensuram nondùm possit implere?

Nemo putet se plùs iusto grauari.

INTERROGATIO.

Quomodò quis promptus fiat, etiā ad pericula sustinenda propter mandata Domini, Abba?

RESPONSIO.

Primò quidem, vt consideret quia Phil. 2. & ipse Dominus obedit patri pro nobis vsque ad mortem: & certus sit, quia Ioann.12. mandatum Domini, vita æterna est, sicut scriptum est. Tunc deindè etiam, vt credat Domino dicenti: quia qui voluërit animā suam saluam facere, perdet eam. Ioan. 12. Qui autem perdiderit animam suam propter me, saluam eam faciet.

Quæ nos ad pericula paratos faciant.

INTERROGATIO.

Cum quali affectu obedire oportet ei, qui nos ad opus mādati cohortatur?

RESPONSIO.

Similitudo de obedientia promptitudine.

Eo affectu, quo esuriens paruulus nutrici obtemperat ad vbera inuitanti: vel quo affectu omnis homo ea, quæ ad vitam pertinēt, immo & si quid ampliùs, pro eo, quia multo preciosior est futura vita, quàm præsens: sicut dixit Dominus, quia mādata mea, vita æterna sunt. Ioann.12. Sicut ergò præsens vita cōstat in cibo panis, ita & futura vita constat in opere mandati: sicut & ipse Dominus dixit: Ioann.4. Meus cibus est, vt faciā voluntatem eius, qui misit me, patris.

De gratia, quam habere debemus pro eo, quòd ad Dei seruitium vocati sumus. Cap. 47.

INTERROGATIO.

QVali animo debet esse quis pro hoc ipso, quòd dignus habitus est in opere Dei inneniri?

RESPONSIO.

Eo, quo erat ille qui dicebat: Quis 2. Reg. 7. ego sum, Domine? aut quæ est domus patris mei? sed quoniam dilexisti me. explens per singula id, quod scriptum est: Gratias agentes Deo & patri, qui idoneos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: quia liberauit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij charitatis suæ. Collo. 1.

De his, qui nouiter accedunt ad Dei seruitutem, quomodò ab alijs instruantur. Cap. 48.

INTERROGATIO.

QVomodò debent hi, qui præcesserūt in labore operis Dei, instruere eos, qui nupèr accedunt?

RESPONSIO.

Si quidem corpore adhuc vegetes sunt, per hoc quòd impigrè ad cuncta humilitatis officia semetipsos paratos exhibent, ædificent eos, & formam eis vtilem ad omnem profectum præstēt. Si verò infirmiores sunt corpore, ꝑ hoc quòd ædificent eos, ostendentes eis se in omnibus vel actibus vel motibus, vel etiam ipsius vultûs Dei semper habere & cogitare præsentiam. Sed & in his, quę ab Apostolo enumerata sunt, specialibus affectib' charitatis, quibus ait: Charitas patiens est, benigna est: non 1.Cor.13. zelatur, non agit perperam, non inflatur, non dehonestatur: non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum: non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia sustinet, omnia sperat, omnia patitur: charitas nunquàm cadit. Hæc enim omnia etiam in infirmo corpore impleri possibile est.

De his, qui in monasterio ad tempus esse volunt, quomodò cum ipsis agendum sit. Cap. 49.

INTERROGATIO.

SI dicat quis, Volo apud vos paruū aliquid facere, vt proficiam ex vobis: si oportet suscipi, pater, an non?

RESPONSIO.

Domino pronunciāte, quia venientem ad me non eijciam foràs: & Apostolo nihilominùs dicēte, Propter subintroductos aut falsos fratres, qui subinroiërunt explorare libertatem nostram, qnam habemus in Christo Iesu: quibus nec ad horam cessimus subiectioni, vt veritas Euangelij permaneat apud nos: concedi ei quidem conuenit ingressum, propter incertos exitus rerum. Interdùm potest fieri, vt per tempus proficiat, & delectetur sanctitate Ioann. 6. Gal. 2.

vitæ,

Fieri potest, vt qui non firmo proposito cœperit, tempore posteà proficiat.

vitæ,& permaneat in cœptis: sicut etiam frequēter factū scimus. Sed vt manifesta fiat veritas institutionum nostratum, de quibus homines opinantur: oportet tamen circa eum cautiùs agi & diligentiùs, vt siue in veritate permaneat, vel proficiat: siue institutionum nostrarum libertas exploretur, ꝓbabilis inueniatur ac pura. Itá nanq; & nos Deo placebimus, & ille aut proficiet, si verax est: aut, si simulator sit, erubescet.

De abstinentia & mensura eius ac ratione ieiunij. Cap.50.

INTERROGATIO.

Si quis supra vires vult abstinere, ità vt etiam in opere mandatorum impediatur per nimietatem abstinentiæ, si oportet ei concedi?

RESPONSIO.

Interrogatio vestra non mihi videtur competenter adhibita: non enim iam continentiam in cibis solam esse diximus. Nam hæc ab Apostolo etiam culpari inuenitur, si non cum fide & oratione fiat, quum dicit: abstinentes se à cibis, quos Deus creauit. Sed illam diximus esse perfectam abstinentiam, qua se quis à prioribus suis voluptatibus continet. Quantum autem habeat periculi, qui voluntatem propriam facere vult, & non Domini, certum est ex his quæ Apostolus dicit: Facientes volūtates carnis & cogitationum, eramus natura filij iræ, sicut & cæteri.

1. Tim.4.

Perfecta abstinentia.

Propriæ voluntatis malum.

Ephe.2.

INTERROGATIO.

Qui satis ieiunat, & in refectione non potest communem cibum cum omnibus sumere: quid magis eligere debet, ieiunare cum fratribus, & cum ipsis reficere? aut propter maiora ieiunia, alios cibos requirere?

RESPONSIO.

Non debemus ex nostra voluntate mensurare ieiunium.

Ieiunij mensura non debet ex vniuscuiusque voluntate pendere, sed ex iussu & institutione eorum, qui communiter Deo seruiunt: sicut & illorum in omnibus humanitas & consonantia refertur, qui in Actibus Apostolorum, cor & animam vnam habuisse signantur. Si quis ergò rationabiliter ieiunat, & fideliter etiam virtutem, vt sustinere possit, petit à Domino, cōsequetur: fidelis est enim, qui repromisit.

Acto.4.

INTERROGATIO.

Quomodò oportet ieiunare, quum necessarium ieiunium iniungitur: si aliquando aliquid, quod religio deposcit, explendum est tanꝗ ex necessitate, an voluntariè?

RESPONSIO.

Domino dicente, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: Omne quod ad religionem pertinet, si non nisi ex proposito, & nō deuotione fiat, periculum generat. Debet ergò ieiunio sociari deuotio. Quia ergò necessarium sit ieiunium in talibus quibusque causis, & maximè, quum desideramus aliquid impetrare à Domino, etiā sanctus Apostolus docet, qui inter cæteras suas virtutes addidit etiam hoc, dicens: quia in ieiunijs.

Matth.5.

Q̄ etiam in bono opere periculum sit.

Necessariū est ieiuniū.

INTERROGATIO.

Qui non vult vti ex his cibis, ex quibus fratres reficiuntur, sed alios quærit, rectè facit, pater?

2.Cor.11.

RESPONSIO.

Specialiter hoc ipsum, relinquere cibum, contra Domini mandatum est, dicentis: Nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis. Et vt magis nos attentos faceret ad ea quæ dicebat, addidit: Hæc enim omnia gentes inquirunt. Sanè debet solicitus esse is qui præest, vt impleat illud quod dictū est: Diuidebatur autem singulis secundùm id quod opùs erat.

Matth.6.

Præcipua prælati cura.

Acto.4.

INTERROGATIO.

Qui dicit, quia lędit me: & contristatur, si ei alius cibus non fuerit datus?

RESPONSIO.

Apparet enim, quòd non est fixus in spe illa, quam & Lazarus habuit: nec de charitate eius, qui præest, & tam suī ꝗ omnium solicitudinem gerit, certus est. Veruntamen absolutè neq; de his quę prosunt, permittitur, vniuscuiusq; iudicio vel voluntate aliquid agere: sed eius qui pręest iudicio committendū est, vt vnicuiq;, prout res vel necessitas expetit, consulatur. Primò omnium, in his quæ animę prosunt: tum deindè secundo loco, etiam in corporalibus vsibus secundùm Dei voluntatem moderetur.

Omnia pręsidentis iudicio committenda.

INTERROGATIO.

Si verò etiam quis murmuret propter escam, quę erga eum sentētia seruabitur?

RESPONSIO.

Ea, quę circa illos, qui murmurauerunt in deserto. Dicit enim Apostolus:

Cōtra murmurantes de cibo.

1. Cor. 10. Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.

INTERROGATIO.

Si oportet eum, qui plùs laborat, requirere plus à consuetudine?

RESPONSIO.

Si propter retributionem Dei, laborem suscipit: non hic requirere debet laboris sui mercedem vel requiem, sed pro his ad promissa Domini festinare: sciens quia sicut pro laboribus mercedes parauit Dominus, ità etiam pro angustijs consolationes. Veruntamen hi qui præsunt, obseruabunt regulam illam, quæ dicit: Diuidebatur vnicuiq; prout ei opùs erat. Debet enim vnumquenq; præuenire, vt secundùm laborem, & solatia refectionis inueniat.

Non hic requirenda laboris requies nostra.

Actor. 4.

De vestimentis vel calceamentis, & alijs quæ dantur, quomodò recipiantur. Cap. 51.

INTERROGATIO.

Quali affectu oportet recipere vel vestimentum, vel calceamentum, qualecunque fuerit?

RESPONSIO.

Si quidem breue aut grande est ad mensuram staturæ suę, hoc indicare debet, sed cum omni verecundia & mansuetudine. Si verò pro abiectiori vel viliori monetur, quia non est nouum: meminerit mandata Domini, dicentis: Quia dignus est non quicunq;, sed operarius, mercede sua. Discutiat ergò seipsum, si dignè operatus est opera Dei, & adimpleuit omnia, quæ præcepta sunt. Et tunc non aliquid requiret, sed de eo ipso, quod ei datur, erit solicitus, quia meritum suum accepit. Hoc enim quod de vestimento dictū est, etiā de omni re, quæ ad vsus corporis pertinet, eadem forma obseruari potest.

Quòd etiā necessaria verecundè petēda sunt.

Lucæ 10.

INTERROGATIO.

Si quis iratus fuerit, nolens suscipere aliquid eorum, quæ ad vsus communiter præbentur?

RESPONSIO.

Iste talis dignus est, vt etiam si quærat, non accipiat, vsquequò probet is, qui præest: & quum viderit vitium animi curatum, tunc etiam quod corporis vsibus necessarium, præbebit.

De his, qui tardè ad mensam vel alibi occurrant. Cap. 52.

INTERROGATIO.

Si necessè est omnes conuenire ad horam prandij, eum qui remanet, & post prandiū venit, quomodò transigemus?

RESPONSIO.

Si quidem necessitate vel loci, vel operis remāsit à communi ordine: qui præest, probabit & ignoscet. Si verò, quum posset occurrere, non satisfecit, fateatur culpā negligentiæ suæ: & maneat sine cibo vsq; ad illam horam, qua conuenitur ad cibum in posterū diem.

De his quæ distribuenda sunt, à quibus distribuantur. Cap. 53.

INTERROGATIO.

Pauperes venientes ad ostiū, & petentes, quo modo, & si debet vnusquisque porrigere panem, vel quodcunq; aliud: aut oportet hoc ad eum, qui præest, pertinere?

RESPONSIO.

Quum Dominus dixerit, Nō est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus: sed & canes de micis, quæ cadunt de mensa puerorum, libēter accipiunt: is, cui dispensatio iniuncta est, cum consideratione debet hoc facere. Si quis autem præter illius volūtatem hoc præsumit facere, tanquàm inquietus & indisciplinatus confiteatur, vsquequò discat loci sui ordinem custodire, secundùm quod Apostolus dicit: Vnusquisque in quo vocatus est, in eo permaneat.

Matth. 15.

1. Cor. 7.

INTERROGATIO.

Si licet vnicuique veterem tunicam suam aut calceamentum dare, cui voluerit, misericordiæ causā propter mādatum?

RESPONSIO.

Dare aliquid mandati gratia, non est omnium, sed eorum, quibus officium creditum est. Sic ergò, ad quē pertinet dispensatio, siue nouum, siue vetus vestimentum, ipse dat, cui dari debet: & ipse suscipit, à quo suscipi debet.

De ratione habenda ad eum qui præest, nihil nisi de eius voluntate fiat. Cap. 54.

INTERROGATIO.

Si frater iunior iussus fuerit docere seniorem secundùm ætatem, quomodò debet agere cum illo?

RESPONSIO.

Tanquàm ministerium exhibens ad implendum Domini præceptum cum omni reuerentia, timens illam sententiam,

Hier. 48. tiam, quæ dicit: Maledictus qui facit opus Dei negligenter. Obseruet autem, ne elatus, in iudicium incidat diaboli.

INTERROGATIO.

Si debent peregrini intrare vsque ad illa loca, vbi fratres operantur: vel etiam si alij de eodem monasterio debent, relictis locis suis, intrare ad alios præter illum, cui creditũ est requirere operantes, id est, ad quem operis pertinet dispensatio?

RESPONSIO.

Eorum qui ordinẽ perturbãt monasterij, grauis vindicta. Si quis inuentus fuerit hoc faciens, tanquàm interturbans disciplinam & ordinem fratrum, à communi conuentu excludatur, & omninò etiam à licitis gressibus inhibeatur: & sedẽs in vno loco, in quo iudicauerit is qui præest, apto ad correptionem & vindictam, nunquàm permittatur abscedere: sed vrgeatur in opus multo plùs quàm cõsuetudo est: & quotidiè exigatur, vsquequò discat implere quod Apostolus dixit: 1. Cor. 7. Vnusquisque in quo vocatus est, in eo permaneat.

INTERROGATIO.

Si oportet eos, qui nouerunt, suscipere ab aliquo opus absque conscientia vel iussione eius, qui præest, & operum solicitudinem gerit?

RESPONSIO.

Furti eiusmodi erit reus: vel similis his, qui furibus concurrunt.

De cura habenda de vtensilibus & rebus monasterij. Cap. 55.

INTERROGATIO.

QVomodò debent hi, qui operantur, curam gerere ferramentorum, vel vtẽsilium eorum, quibus operantur?

RESPONSIO.

Primùm quidem sicut vasis Dei, vel quæ iam Deo consecrata sunt, vti debent: deindè, tanquàm qui non possint sine ipsis deuotionis & studij sui emolumenta consequi.

INTERROGATIO.

Quid si per negligentiam pereat aliquid ex his, aut per contemptum dissipetur?

RESPONSIO.

Is q̃dem, qui cõtemnit, velut sacrilegus iudicandus est: & q perdit per negligentiam, & ipse simile crimen incurrit: Magna fer. pro eo, quòd omnia, quæ ad vsus seruorum Dei deputata sunt, Deo sine dubio consecrata sunt. uorum Dei cõmẽdatio.

INTERROGATIO.

Quid si à seipso commodare voluẽrit alicui, aut accipere ab aliquo?

RESPONSIO.

Tanquàm insolens & temerarius habendus est. Hæc enim eorum qui præsunt, & curam dispensationis gerunt, officia propria sunt. Vbiquè ĩsequitur à seipsis aliquid præsumentes.

INTERROGATIO.

Quomodò si necessitas poscat, vt is qui præest, requirat ab aliquo eorũ vas, vel ferramentum, & contradixerit?

RESPONSIO.

Qui seipsum & membra sua tradidit in alterius potestatem propter mandatum Domini: quomodò licebit ei de vtensilibus cõtradicere, huic præcipuè, cui cura commissa est?

De his qui in alijs occupati, nõ possunt occurrere ad opus, vel ad orationem. Cap. 56.

INTERROGATIO.

SI quis circa cellariũ vel coquinam, vel alia huiusecmodi occupatus, nõ occurrat adesse in ordine psallentium, vel ad orationem, nihil damni patitur in anima, Abba?

RESPONSIO.

Vnusquisque in opere suo obseruare debet propriam regulam, sicut membrum in corpore: & damnum habebit, si neglexerit in eo, quod iniunctum est ei, de communi fratrum vtilitate negligens ampliùs periclitabitur. Et ideò mente & deuotione complere debet id, quod scriptum est: Cantãtes & psallentes in cordibus vestris Domino. Si enim corporaliter non occurrit adesse cum cæteris ad orationis locũ, in quocunque loco inuentus fuerit, quod deuotionis est, expleat. Communis vtilitas p̃ferenda etiã deuoti. oni. ppriæ. Ephes. Oportet tamẽ obseruare, nè fortè quis possit complere in tempore suo, quod complendum est, & occurrere: sed dum ioqui vult, occasiones nectit, tãquàm in ministerij opere occupatus. Quod qui facit, offendiculum cęteris pręstat, & ipse negligentis crimen incurrit. Contra neglig̃ẽtes ad opus Dei, & libenter occasiones captant.

De reuerentia orationis & vagatione mentis. Cap. 57.

INTERROGATIO.

QVomodò obtinebit quis, vt in oratione cor eius non vagetur, pater?

RESPONSIO.

 Si

Si certus sit assistere ante oculos Dei.
Si enim quis iudicem suum videns aut
principem, & loquens cum eo, non sibi
credit licitum esse, vagari oculis, & ali-
orsùm adspicere dũ ipsi loquitur: quan-
to magis, qui accedit ad Dominũ, nus-
quàm debet mouere oculos cordis, sed
Psalm. 7. intentus esse in eum, qui scrutatur re-
nes & corda? vt impleat illud quod scri-
2. Tim. 2. ptum est, Leuantes sanctas manus sine
ira & disceptatione.

INTERROGATIO.

Si impossibile est obtinere hominẽ,
vt in omni tempore & loco non vage-
tur mens eius? vel quomodò id fieri
potest?

RESPONSIO.

Quia hoc possibile sit, ostẽdit ille qui
Psal. 34. dixit: Oculi mei semper ad Dominum.
Psal. 15. Et iterùm: Prouidebam Dominum in
conspectu meo semper, quoniam à dex-
Quòd non fit impossibile, mentẽ, nẽ vagetur, reprimere. tris est mihi, nè commouear. Quomo-
dò possibile sit, pro re diximus, id est, si
non demus animæ ocium, sed in omni
tempore de Deo, & de operib⁹ ac de be-
neficijs eius & donis cogitemus: & hæc
cum confessione & gratiarum actione
semper voluamus in mente, sicut scri-
Psal. 46. ptum, Psallite sapienter.

INTERROGATIO.

Et quid est, Psallite sapienter, pater?

RESPONSIO.

Quod est in omnibus cibis gustus,
vt vnumquodque dinoscatur, cuius sa-
poris sit: hoc est & in sanctæ scripturæ
Iob 34. prouidẽtię sensu. Fauces enim, inquit,
escas gustabũt: sensus autem verba dis-
Pulchrum de psal. cernet. Si quis ergò ità animam suam
intendat ad singula verba psalmorum,
sicut gustus intentus est ad discretionẽ
saporis ciborũ: iste est qui complet hoc
quod dicitur, Psallite sapienter.

De cellario monasterij & his, quæ ad eum pertinent. Cap. 58.

INTERROGATIO.

QVa mensura temperare debet po-
testatem dispẽsationis suæ is, cui
cellarij cura commissa est?

RESPONSIO.

Erga eum quidem, qui ei tradit huius-
cemodi dispensationem, meminisse de-
Ioan. 5. bet Domini, dicentis: Non possum ego
facere à meipso quicquam. Ad cęteros
verò sollicitè scire debet, q̃d vtiq; vnus-
quisq; opus habeat, vt compleat illud
Act. 4. quod dictum est: Diuidebatur vnicuiq;
prout opus erat. Eadem enim ratio ob-
seruari debet ab omnibus, quibus e unq;
aliqua ministerij vel dispensationis so-
licitudo commissa est.

INTERROGATIO.

Quæ sentẽtia obseruabitur erga dis-
pẽsantem, si aliquid secũdùm personæ
acceptationẽ vel contemptionem facit?

RESPONSIO.

Apostolo præcipiente, aliquãdò qui-
dem, nè quid facias secũdùm fauorem, 1. Tim. 5.
vel in aliam partẽ declinando: aliquan-
dò aũt dicẽte, quia si quis videtur con- 1. Cor. 11.
tentiosus esse, nos talem cõsuetudinem
non habemus, neq; ecclesia Dei. Si quis
hoc facit, notetur vsq; quò corrigatur:
veruntamen oportet eum summa dili-
gentia & probatione discutere, & con-
siderare, ad quam partem vnusquisque
aptus si vel opportunus: & ità iniungi Notãda doctrina de distribuendis officijs.
quodcunq; illud est operis vel officij, vt
neq; illi qui iniungunt, ex hoc ipso con-
demnentur, ꝙ non aptum alicui iniun-
xerint officium, & inueniãtur mali esse
dispensatores animarũ siue mandatorũ
Domini: neq; illi ipsi quibus iniungitur,
occasionẽ peccati ex hoc habere videa-
antur, vel voluntate aliquid agere: sed
eius qui præest, iudicio committẽdum
est, vt vnicuiq;, vt res vel necessitas ex-
petit, consulat primùm omnium in his, Notẽt prælati.
quæ animæ prosunt: deindè secũdo lo-
co, etiam in corporalibus vsibus secun-
dùm voluntatem Dei moderetur.

INTERROGATIO.

Si autem neglexerit dare fratri quod
opus est?

RESPONSIO.

Manifesta est de hoc sentẽtia Domi- Matt. 25.
ni, dicentis: Discedite à me maledicti in Iudicium mali dispẽsatoris.
ignem æternum, qui pręparatus est dia-
bolo & angelis eius. Esuriui enim, & nõ
dedistis mihi mãducare: sitiui, & nõ de-
distis mihi bibere: & ea quæ sequuntur.
Et maledictus homo, qui facit opus Dei Hiere. 48.
negligenter.

De his qui præferendi sunt. Cap. 59.

INTERROGATIO.

IN profectibus mandatorum Dei, vna
mensura est omnium? an alius ampli-
ùs, alius minus debeat aliquid?

RESPONSIO.

Quia non sit vna mensura in omni-
bus, sed quia alij plus creditur, alij mi-
nus: manifestum est ex ipsius Domini
verbis, nunc quidem dicẽtis: Aliud se- Matt. 5.
men

men cecidit in terrã bonam: & hic est, qui audit verba mea & intelligit, & fructum affert: aliud centesimum, aliud sexagesimũ, aliud trigesimum. Hoc idem autem in his quinque, qui quinque minas susceperunt, inuenitur, quum dicitur: Alij quidem data sunt quinque talenta, alij duo, alij vnum. Luc. 19. Matt. 25.

INTERROGATIO.

Si oportet æqualiter haberi eos qui plùs proficiunt, & eos qui minùs?

RESPONSIO.

Illud obseruandum est in hoc, quod de remissione peccatorum Dominus statuit, dicens: Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Cui autem parùm dimittitur, parùm diligit. Et iterùm, quod de presbyteris Apostolus statuit, dicens: Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore honorentur, maximè qui laborãt in verbo & in doctrina Domini. Hoc in omnibus huiusecmodi causis obseruari, consequens puto. Luce 7. 1. Tim. 5.

INTERROGATIO.

Quòd si cõtristatur is, qui minùs honoratur, quũ præferri sibi viderit eum, qui in timore Domini præcedit, quomodò eum habebimus, pater?

RESPONSIO.

Is qualis est, certum est quia malignitatis vitio non caret, secũdùm Euangelij parabolam, in quo Dominus dicit ad eos qui contristati sunt, quia æqualiter cum nouissimis honorati sunt: An, inquit, oculus tuus malus est, quia bonus sum? Et manifesta est de his talibus Dei sententia, quæ dicit per prophetam: Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem Dominum glorificat. Cõtra male ambientes ad honores quoslibet. Matt. 20. Psal. 14.

De his qui accedant ad Deum, quomodò pœniteant. Cap. 60.

INTERROGATIO.

Anima post multa peccata, & post multas vitę miserias, cum quali timore, & cum qualibus lachrymis debet recedere à peccatis, & cum quali spe & affectu debet accedere ad Deum?

RESPONSIO.

Primò quidem odisse debet illam suam priorem voluptabilem vitam, & ipsam memoriam eius perhorrescere, atque execrari. Scriptum est enim: Iniquitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilexi. Deindè, Psal. 118.

vt maiorem timorem habeat, magistro vtatur ignis æterni pauore, & metuat pœnã perpetuam. Sed & lachrymarum tempus agnoscat per pœnitentiam, sicut Dauid docuit in sexto psalmo, purgationem peccatorum posse fieri vbertate lachrymarum in sanguine Christi per potentiam misericordię eius, & per multitudinem miserationum Domini, qui dixit: Quia si fuerint peccata vestra sicut fenicium, vt niuem dealbabo: Si autem fuerint vt coccinũ, vt lana candida efficiẽtur. Et post hæc, recepta virtute & facultate placendi Deo, dicit: Conuertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia: Vt cantem tibi, ô gloria mea, & nõ compungar. & ità accedens ad Dominum, psallat & dicat: Exaltabo te, Domine: quoniã suscepisti me, nec delectâsti inimicos meos super me. Timor magister pœnitentis. Esa. 1. Psal. 29. Ibidẽm.

De his, qui non habent vndè tribuant. Cap. 61.

INTERROGATIO.

Quoniam scriptum est, Redemptio animæ viri, propriæ diuitiæ eius: nos, quibus fortè non accidit dispergere pro animæ redẽptione diuitias, quid faciemus, pater? Prou. 13.

RESPONSIO.

Si quidem voluimus, & non potuimus, memores simus responsionis Domini ad Petrum, quum de hoc solicitus esset & diceret: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: qd ergò erit nobis? Et respondit ei, dicẽs: Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrẽ, aut vxorem, aut filios, aut agros, ꝓpter nomen meũ: centuplum accipiet, & vitam ęternam possidebit. Quòd si per negligentiam accidit cuiquam omisisse diuitias, vel nunc adhibeat propensius studium operi manuum, largiẽs: neglectum resarcire censum. Quòd si nec tunc quidem vel tempus superest, vel virtus ad huiuscemodi ministerium, consoletur nos Apostolus, dicens: Non quæro quę vestra sunt, sed vos. Matt. 19. Consolatio eorũ, qui nihil habẽt ad tribuendũ. 2. Cor. 12.

De ignorantia, si excuset? & de his qui consentiunt peccantibus. Cap. 62.

INTERROGATIO.

Si quis audiẽs sermonẽ Dñi, dicentis, quia seruus q cognouit voluntatẽ do- Luc. 12.

domini sui, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multùm: qui verò non cognouit, & fecit contra voluntatem eius digna plagis, vapulabit paucis. Et si quis negligat, & dissimulet se scire voluntatem domini sui, si habet aliquid excusationis?

RESPONSIO.

Manifestum est, qui huiusmodi est, quia simulat ignorantiam: nec vllo genere effugiet peccati sententiã. Si enim non venissem, inquit Dominus, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Si ergò sacra scriptura omnibus & vbiquè volũtatem Dei denunciat, cur inter eos qui ignorant, iste iudicetur: & non cum alijs magìs, de quibus scriptum est, quia sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, nè exaudiant vocem incantantium, & curentur medicamento, quod compositur à sapiente viro. Veruntamen is qui præest, & verbi Dei ministerium exhibet, si neglexerit annunciare vnicuique, & intimare de singulis, velut homicida animarum iudicabitur secũdùm scripturas.

Ioan. 15.
Contra simulantes ignorantiam.
Psal. 57.
Ezech. 33.

INTERROGATIO.

Si quis facit voluntatem alicuius, nũquid est etiam particeps eius vel socius, pater?

RESPONSIO.

Si credimus Domino dicẽti: quia qui facit peccatum, est seruus peccati: & iterùm, Vos ex diabolo patre estis, & desideria patris vestri facere vultis: scimus, quia non solùm socium & participem, sed & dominum sibi & patrem asscribit eum, cuius opera facit. Testatur autem de his Apostolus, dicens: An nescitis, quoniam cui exhibuistis vos seruos, serui estis eius cui obedistis, siue peccati in mortem, siue obedientiæ ad iustitiam?

Ioan. 8.
Cuius opera facimus, illius serui sumus.
Rom. 6.

INTERROGATIO.

Si is qui consentit alterius peccato, etiam ipse peccati reus est, Abba?

RESPONSIO.

Hæc sententia Domini, manifesta est ex verbis ipsius, quibus ait ad Pilatum, dicens: Qui tradidit me tibi, maius peccatum habet. Manifestum est igitur ex hoc, quia & Pilatus acquiescens his qui tradiderant Dominum, peccatum habebat, licèt minus quàm illi. Ostenditur autẽ hoc etiam in illo, quòd Adam acquieuit Euæ, vel consensit, q̃ acquieuerat serpenti. Nullus enim ex ipsis, aut innocens iudicatus est, aut impunitus abscessit. Sed & ipsa Domini indignatio, quæ aduersùs eos habita est, hoc ipsum indicat. Quum enim Adam pro excusatione sua obiecisset, Quia mulier quam dedisti mihi, ipsa mihi dedit, & manducaui: Quarè, inquit Deus, audîsti vocem mulieris tuæ, & comedisti de ligno, quod præceperam tibi nè manducares? maledicta terra in operibus tuis.

Ioan. 18.
Gene. 3.
Maledicti sunt, nõ solùm qui faciũt, sed qui cõsentiunt facientibus.

De peccantibus fratribus admonendis, & periculo non arguendi. Cap. 63.

INTERROGATIO.

SI oportet peccantibus fratribus, silere vel acquiescere, pater?

RESPONSIO.

Quia non oporteat, manifestum est ex ipsis Domini præceptis, qbus in veteri testamento docet: Argues proximum, vt non assumas ex eo peccatum. In Euangelio autem dicit: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & argue eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, assumes adhuc alium tecum aut duos, vt in ore duorum aut trium testium stet omne verbum. Si autem & illos non audierit, dic ecclesiæ: si verò ecclesiam nõ audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Quantum autem sit crimen huius peccati, dinoscitur primò ex sententia Domini, qua dicit: Qui incredulus est filio, non habebit vitam æternam, sed ira Dei asscendet super eum. Tum deindè ex historijs, quæ vel in veteri, vel in nouo testamento referuntur. Nam Achan ille quum furatus esset regulam auream de anathemate Hiericho, super omnem populum facta est ira Dei. Et quidem populo peccatum, quod cõmiserat, ignorante vsquequò manifestatũ est: & pertulit cum omni domo sua horendum illum ac famosissimum interitum. Sed & Heli sacerdos de Silo, & quidem quum non siluisset peccantibus filijs, qui erãt filij pestilentiæ, immò frequenter commonens & castigans, dicens: Nolite filij, non benè audio de vobis, & cætera, quæ vel peccatum arguerẽt, vel de Dei iudicio commonerẽt: tamen quia non dijudicauit, neque digno zelo Dei aduer-

Leui. 19.
Matt. 18.
Ioan. 3.
Iosuæ 7.
Tremendũ iudicium, quod ad proprietarios monachos refertur.
1. Reg. 2.
Exemplum diri iudicij cõtra agentes

tes remissius cũ his, q delinquũt, nec eos arguentes.

uersùs eos commotus est: intantùm itam Dei prouocauit, vt etiã vniuersus populus pariter cũ filijs extingueretur, & arca testamenti ab alienigenis raperetur, & ipse insupèr, omnibus amissis, miserãda morte corrueret. Quòd si vel in populum ignorantem de vnius peccato, vel in patrẽ qui commonuerat & corripuerat, quanuìs segniter pro peccato, tanta Dei iracundia accensa est: quid sperandum est de his, qui agnoscũt aliorum delicta, & retinẽt vel reticent, nec qualemcunque adhibent correctionem? Quos vtiquè conueniret obseruare illud, quod Apostolus ad Corinthios dicit: Quarè nõ magìs luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrûm, q hoc opus fecit? Vel illud: Eccè enim hoc ipsum secundùm Deũ contristari, quantum operatum est in vobis? sed sollicitudinẽ, sed excusationem, sed indignationẽ, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. Vndè & metuere debemus, nè fortè etiam nũc similem veteribus interitum sumãt hi, qui similiter negligunt: immò & grauiùs: quanto magìs perniciosius est, spernere legẽ Christi, quàm legem Moysi: & his cõpetit illud aptari, quod dixit: Septiès vindicatũ est de Cain, de Lamech verò septuagiessepties.

1. Cor. 5.

2. Cor. 7.

Gene. 4.

De deuotione & compunctione, quomodò eueniat, aut non eueniat nobis. Cap. 64.

INTERROGATIO.

CVr aliquotiès anima, si non satis agat, spontè tamen quodam genere incidit ei dolor quidã cordis & compunctio timoris Dei: aliquandò autem tanta securitas & negligentia animum tenet, vt etiã si cogat se homo, non possit dolorem aliquem vel compunctionem cordis assumere?

RESPONSIO.

Huiuscemodi quidem compunctio ex Dei dono venit, ad prouocãdum desiderium, vt gustans anima, huiuscemodi compunctione vel dolore prouocetur, & inuitetur ad imitandum similem gratiam. Ostenditur enim, quia si datur etiam non satis agentibus: quanto magìs dabitur & his, qui desiderãt & laborãt semper esse in compunctione timoris Dei: & vt sint inexcusabiles, q per negligẽtiam gratiam istam perdũt. Quòd verò aliquotiès compellimus nosmetipsos, & non possumus obtinere: indicatur ex hoc, quòd in alio tempore multùm neglEximus. Non enim possibile est, vt is qui nec meditationibus diuinis seipsum iugiter exerceat, subitò veniat ad orationem, & continuò obtineat quod requirat. Sed & ostenditur per hoc & huiuscemodi, animam alijs vitijs vel passionibus prægrauari, quorũ dominatione ad ea quæ vult habere, impeditur: secundùm illud quod Apostolus tractat, dicẽs: Quoniam ego carnalis sum, venũdatus sub peccato. Non enim quod volo, hoc ago: sed quod odi, hoc facio. Et iterùm: Nunc autem iam ego non operor illud, sed quod habitat in me, peccatum. Quòd & ipsum permittit nobis Deus pro nostra vtilitate prouenire, vt per hãc ipsam, quam contra voluntatem anima patitur, contrarietatem, corrigatur aliquandò: & conuertatur aliquandò ad eum, qui releuet eam ab oneribus suis: & cognoscat tandèm semetipsam, ac respiciat: & intelligat, quòd in laqueis diaboli capta detinetur. In quos quidem sua spontè decidit, sed iam quasi captiua, non quod vult, agit: sed quod odit, illud facit. Sed si cõuertatur ad Dominum, qui liberet eam de corpore mortis huius, statim inueniet misericordiam, si tamen integrè ex toto corde pœniteat.

Duplex ratio, quarè nõ quærentibus quandoquè datur gratia.

Quarè aliquãdò non obtinemus, quod etiam diligenter postulamus & quærimus. Nota doctrinam.

Rom. 7.

Alia ratio, quarè multã cõtrarietatẽ patiatur anima etiam in bono.

Rom. 7.

Statim inuenitur misericordia Domini.

De dono spiritûs sancti, & qui sint pauperes spiritu. Cap. 65.

INTERROGATIO.

QVomodò qs dignus efficitur particeps spiritûs sancti, Abba?

RESPONSIO.

Dominus Iesus Christus docuit nos, dicens: Si diligitis me, mãdata mea seruate. Et ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis, spiritum veritatis, quem hic mundus non potest accipere. Donèc ergò non seruamus mandata Domini; nec sumus tales, vt & ipse de nobis testimonium ferat, dicens, quia non estis de hoc mundo: spiritûs sancti participium habere nõ possumus.

Ioan. 14.

Quãdò necdùm meremur donũ spiritûs.

Ioan. 15.

INTERROGATIO.

Qui sunt pauperes spiritu?

RESPONSIO.

Domino dicente aliquandò quidem, Quia verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita est: aliquandò verò, Quia spiritus sanctus ipse vos docebit & commonebit, quæ dixi vobis. Non

Ioan. 6.

Ioan. 16.

enim loquetur à semetipso: sed quæcunque audiet, hæc loquetur. Isti sunt pauperes spiritu, qui non alia causa pauperes sunt, nisi propter doctrinam Domini, dicentis: Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Etsi autem etiam quis quacunq; ex causa impositam sibi paupertatem secundùm voluntatem Domini dispenset, & suffert sicut ille Lazarus, etiam iste à beatitudine non erit alienus, dicente Domino: Nolite soliciti esse quid manducetis, vel quid bibatis, vel quid induamini.

Qui sunt pauperes spiritu. Matt. 19. Lucæ 6. Matt. 6.

De tempore & modo adimplendi mandata. Cap. 66.

INTERROGATIO.

Usque ad quem est obseruatio mandati? vel quomodò adimpleri potest?

RESPONSIO.

Mandati quidem obseruatio, est usque ad mortem: adimpleri verò potest per hoc, quòd habet vnusquisque desiderium & amorem Dei. Dominus autem quum exclusisset solicitudinem seculi, coniunxit statim promissionis spem, dicēs: Scit enim pater vester quia his indigetis. Sed & Apostolus dixit, qa nosipsi in nobis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Domino qui suscitat mortuos. Secundùm ergò propositum nostrum & animę pręparationem, quotidiè morimur, voluntate autem Domini reseruamur Propter quod & Apostolus cū omni fiducia dicebat: Vt morientes, & eccè viuimus. Iuuat autē huiusce modi propositum etiā circa mandatū Domini, ardēs animus & desiderium insatiabile: quo qui constringitur, non habebit ocium nec tempus occupari erga corporales vsus vel actus.

Luc. 12. 2. Cor. 1. Quomodò mori quotidiè debeamus. 2. Cor. 6. Remediū, quo nō occupemur circa terrena.

De labore manuum, si fieri oporteat. Cap. 67.

INTERROGATIO.

Si ergò neque solicitudinem habere oportet de necessarijs vsibus ad vitam, & aliud præceptum est Domini, dicentis: Operamini non cibum, qui perit: superfluum est manibus operari?

Ioan. 6.

RESPONSIO.

Ipse Dominus in Euangelio præceptum suum explicauit. Nam ibi ipse quidē dixit, non oportere quęri aliud ad vitam, quum dicit: Nolite quęrere quid manducetis, aut qd bibatis: hæc omnia gentes inquirunt. & addidit: Quærite autem regnum Dei & iustitiam eius. Et quomodò oporteat quæri, indicauit. Quum enim dixisset, Nolite operari cibum qui perit: addidit, sed eum qui permanet in vitam æternam. Et hoc quid esset, ostendit in alio loco, dicens: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui me misit, patris. Voluntas autem patris est, esurientibus cibum dare, sitientibus potum, nudos cooperire, & cętera huiusce modi. Tum deindè necessarium est & Apostolum imitari, dicentem: Omnia ostendi vobis, quia laborantes oportet suscipere infirmos. Et quum iterùm docet: Magìs autem laboret vnusquisque manibus suis, operans quod bonum est, vt possit impertiri necessitatē patientibus. Quum verò hæc ità nobis vel Dñs in Euangelio, vel Apostolus tradat: manifestum est quidèm, quia pro nobisipsis quidem soliciti esse non debemus, neque laborare: propter autem mādatum Domini, & propter necessitatem proximorum, soliciti esse debemus, & operari attentiùs: & maximè, quia Dominus in seipsum recipit ea, quę in seruos eius fecerimus, & regnum cælorū pro huiusmodi promittit obsequijs.

Matt. 6. Ioan. 6. Ioan. 4. Act. 20. Ephe. 4. Quarè debeam' manibus laborare. Matt. 10. Matt. 25.

De cogitationibus, & vagæ mentis indicio. Cap. 68.

INTERROGATIO.

Si quis in corde cogitat de cibis, tum deindè notet seipsum & arguat: si & hic, quasi cogitans de talibus, iudicandus sit?

RESPONSIO.

Siquidem non id temporis est, quo naturaliter requirere cibos famis necessitate commonemur: manifestum est, id esse vagæ mentis indicium, & animæ erga præsentia affectum gerentis, erga voluntatem Dei desidis & remissę, proximam tamen habens misericordiā Dei: & pro hoc ipso, quòd seipsum arguit & notauit, nota criminis exuitur: si tamen seruet decætero cogitationum lapsus, memor Dominici sermonis, quo dixit: Eccè sanus factus es: iam noli peccare, nè quid tibi deterius fiat. Si autem id temporis sit, quo naturaliter de cibis appetendis admonemur:

Criminis nota exuimur, si nos ipsos arguimus. Ioan. 5.

mens

Non nocet subrepens cogitatio, si contěnitur. mens autem in melioribus occupata, inferiora spernit & despicit: non ratio ciborum notabilis, sed cōtemptus, laudabilis inuenitur.

De mensura vel modo vestimentorum, vocis, laboris, & condemnationis.

Cap. 69.

INTERROGATIO.

Si licet post nocturnam tunicam habere & alterã, vel cilicium, vel aliam quanlibet?

RESPONSIO.

V sus cilicij ratio. Cilicij quidem vsus habet proprium tempus. Non enim propter vsus corporis, sed propter afflictionē eius inuentum est huiuscemodi indumentum, & propter humilitatē animæ. Quum autem duas tunicas habere prohibuit sermo diuinus, quomodò potest hoc suscipi, nisi ad eos vsus, de quibus suprà diximus? Matt.10.

INTERROGATIO.

Si licet ei qui ministrat, maiori voce, id est, cum clamore, loqui?

RESPONSIO.

Vocis mensuram diffiniuit audiendi modus. Si ergò breuior fuerit & compressior vox, quàm res poscit: super est, vt murmur potiùs, vel susurratio videatur, quàm sermo. Si verò maior sit, quàm requirit, quum possit audire ille cui loquimur, etiã si leuiùs loquamur: hæc iam non erit vox, sed clamor, quod est notabile: nisi fortè grauior sit auditus eius cui loquimur, & necessitas nos cogat ad clamandum. Proptereà enim & de Dòmino scriptum est: quia Iesus, inquit Euangelista, clamabat, dicens: Si quis credit in me, non in me credit, sed in eum qui me misit. Clamare autē dicitur de his, quorum interior auditus, surdus erat & obduratus. Regula optima p. menda vocis. Ioan.12.

INTERROGATIO.

Si quis die suo, quo ministrat in coquina, supra vires laborauit,ità vt impediatur, & non possit reliquis diebus exercere officium suum: si oportet imperari ei etiam huiuscemodi opus?

RESPONSIO.

Iam suprà diximus, quia is cui iniuncta est operum cura, & qui præest, considerantiùs obseruare debet vniuscuiusque vires vel possibilitatem: & prout quis aptus est, ità etiam opus iniungere, nè audiat & ipse quod scriptum est: Qui fingit laborem in præcepto. Ille tamen cui iniungitur, contradicere non debet: quia obedientia vsq; ad mortem seruanda est. Cura plati in iniūgendis officijs. Psal.93. Rom.8.

INTERROGATIO.

Si quis cōdemnatus est, vt eulogiam non accipiat: & dixerit, quia si non accepero eulogiam, non manducabo: si debemus eum audire, pater?

RESPONSIO.

Si quidem tanti modi est culpa, pro qua condemnatus est, vt dignum sit, etiam eibum ei vetare, probet ille qui præest. Si autē à sola benedictione suspensus est aliquis, & indulgetur ei cibus: condemnatus & inobediens est, etiam in hoc contentiosi notam suscipere debet, & cognoscere, quia per hoc non curat culpam, sed auget delictũ suum.

De fide & deuotione habenda in sumptione sacræ Eucharistiæ.

Cap. 70.

INTERROGATIO.

Quali timore, vel fide, vel affectu percipere debem' corporis & sanguinis Christi gratiam, pater?

RESPONSIO.

Timorem quidē docet nos Apostolus, dicens: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicãs corpus Domini. Fidē verò edocet nos sermo Domini, dicentis: Hoc est corpus meum, quod pro multis datur: hoc facite in meam commemorationem. Et iterùm sermo Ioannis, dicentis: quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & vidimus gloriã eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenũ gratia & veritate. Sed & Apostolus scribens: Qui quum in forma Dei esset, nō rapinam arbitratus est esse se æqualē Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens: in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum, factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Quum ergò fidem habet his dictis, & cōsiderat magnificentiam gloriæ ipsius, & admiratur nimietatem humilitatis, quomodò tantus & talis, obediens fuit patri vsq; ad mortē pro nostra vita: puto quia possit prouocari anima ad affectum & ipsius Dei patris, qui vnico filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum: & ad amorem vnigeniti eius eo ampliùs prouocabitur, quo eum videat mortem turpissimam pro 1.Cor.11. Matt.26. Ioan.1. Philip.2. Efficax incitamentū ad deuotionem, præcipuè ad Dominici corporis sacramentum. Rom.8.

pro nostra redemptione tolerâsse, sicut
2.Cor. 5. & Apostolus de eo dicebat: Quia charitas Dei constringit nos, iudicãtes hoc, quòd si vnus pro omnibus mortuus est: ergò omnes mortui sunt. & pro omnibus mortuus est, vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Talem ergò affectum & fidem præparare debet in animo suo, qui de pane & de calice participat.

De bono thesauro: de taciturnitate vel silentio. Cap. 71.

INTERROGATIO.

QVis est bonus thesaurus, & qs est malus thesaurus, Abba?

RESPONSIO.

Prudentia quidem & sensus, qui in Christo est, & virtus animi, quæ ad gloriam Dei pertinet, thesaurus est bonus. Prudentia autem & sensus malitię, & in his sapere, quæ Deus fieri nõ vult, thesaurus est malus, ex quibus proferunt secundùm Dei vocem suo quoque
Lucæ 6. tempore vtriq; fructus vel mali, vel boni in operibus & verbis.

INTERROGATIO.

Si bonum est, penitùs tacere, patet?

RESPONSIO.

Silentium & taciturnitas tũc bonum est, quum vel ad personas, vel ad tempus
Amos 5. aptatur, sicut à sacra scriptura docemur, quæ dicit aliquãdò quidẽ, Qui intelligit, tũc tempore tacebit, quia tem-
Psal. 38. pus malum est. Aliquãdò autem, Posui ori meo custodiam, dum cõsisteret peccator aduersùm me: obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis. Et alibi:
1.Cor. 14. Quòd si alij sedẽti reuelatum fuerit, prior taceat. Et iterùm: Mulieres vestræ in ecclesijs taceant. Sed & alio tempore his, qui incontinentem linguam habẽt,
Ephe. 4. dicitur: Omnis sermo malus de ore vestro non procedat: sed si quis bonus, ad ædificationẽ fidei catholicæ. Necessaria verò taciturnitas, vsquequò vitia, si qua illa sunt, linguæ, vel sermonum temeritas resecetur: & discat opportunè & in tẽpore vtiliter loqui: vt, sicut scri-
Coloss. 4. ptum est, sermo eorũ sale conditus sit, vt det gratiam audientibus.

Vsquequò necessaria sit taciturnitas.

INTERROGATIO.

Si oportet tempore orationum vel psalmorum loqui aliquem in domo, Abba?

RESPONSIO.

Præter eos, qui ministerij solicitudinem gerunt, vel eos, quibus disciplinæ cura commissa est, vel dispensationis operum: qui & ipsi ità considerantiùs agere debent, vt quantum necessitas exigit, hoc solùm loquantur, & hoc ipsum eum quiete & honestè, nè interturbent aut offendiculum faciant: cæteris cunctis silentium habere conuenit. Prophetis in ecclesia docentibus, Apostolus dicit, Quia si alij sedenti reuelatũ fuerit, prior taceat: quanto ma- 1.Cor. 14.
gis in tempore psalmorum vel orationum, tacere & silentium agere cunctis conuenit, nisi quem fortè (vt superiùs diximus) communis prouidentiæ causa aliquid proloqui cogit?

Nota distinctionem silentij, præcipuè in choro.

De timore, & de via lata, & porta angusta. Cap. 72.

INTERROGATIO.

QVomodò possumus timere iudicia Dei?

RESPONSIO.

Naturaliter expectatio omnis mali, timorem incutit. Ità nanque bestiæ timentur, & principes, sciẽtes imminere in his aliquid, quod ad vitæ exitum pertineat. Si ergò credamus, quia veræ sunt cõminationes futuri iudicij Dei, & recordemur futuri illius examinis tribunal, timebimus iudicia Dei nostri.

Quomodò excitemur ad timorẽ Dei.

INTERROGATIO.

Quomodò lata est & spatiosa via, Matt. 7.
quæ ducit ad mortem?

RESPONSIO.

Dominus pro multa clementia sua, & nominibus & verbis his vtitur, quibus possit nobis in notitiam adducere dogmata vitæ. Sicut ergò qui ambulant in via, si à recto declinant itinere, quod certis lineis & manifesto calle concluditur, spatia multa & vaga incedũt: ità & is, qui incesserit de via, quæ ducit ad regnum cælorum, multam latitudinem erroris incurrit, per quod ad perditionem peruenitur.

Aptissima cõparatio de latitudine viæ malæ.

INTERROGATIO.

Quomodò angusta porta, & arcta via Matt. 7.
est, quæ ducit ad vitam?

RESPONSIO.

Et hîc similiter angustum & arctum hoc indicat, quia via hæc, id est, vita nostra, angustatur & coarctatur in tribulationibus. Constringimur enim ex vtraq; parte nos, qui iter agimus, nè prorsùs indè ad aliud declinemus. Periculum

Quomodò arctari dicitur vita nostra in hoc seculo.

lum est enim, in vtrãlibet partem declinare: sicut in exigui pontis trãsitu, vbi ex vtraque parte cum, qui pontem declinauit, cuncti fluminis vnda rapiat & auferat. Propterea ergò scriptum est: Non declinauimus in dextram, neq; in sinistram. Et Dauid: Iuxta semitã scandalum posuerunt mihi.

Num. 20. Psal. 139.

De auaritia, & conuenienti ornatu, & alijs quibusdam: videlicet, quid sit agere perperàm, & de inani gloria. Cap. 73.

INTERROGATIO.

Auaritia vsque ad quem modum diffinitur, patet?

RESPONSIO.

Quum transgressus quis fuerit modum legis statutũ. Quod designatur secundùm quidem Vetus testamentum, in eos qui plùs se diligunt: qui vel plùs in pecunia, in necessarijs de se fit solicitus, q̃ de proximo. Scriptũ est enim, Diliges proximũ tuum sicut teipsum. Secundùm Euangelium verò, si quis plùs solicitus sit, quàm de pręsenti die, sui videlicet causa vel corporis, iste sine dubio audiet: Stulte, hac nocte animam tuam repetent abs te: & quę pręparâsti, cuius erũt? Quibus addidit Dominus, dicens: Ità erit & ei, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues.

Leuit. 19.

Lucæ 12.

INTERROGATIO.

Quid est, perperàm agere?

RESPONSIO.

Quicquid non propter vsus necessarios, sed vel decoris causa, vel ornatûs alicuius fit, hoc est, perperã agere.

INTERROGATIO.

Quid ergò, quod ab Apostolo dicitur, habitus ornatus?

RESPONSIO.

Is qui secundùm propositum vniuscuiusq; vsus honestus est, vel secundũ locum, vel secundùm tempus, vel secundùm personam. Non enim vsus hominum idem esse potest in tẽpore hyemis, & in tempore æstatis: neq; idem habitus est operantis, & quiescentis: nec militis idem est, nec priuati: neque viri idem, qui mulieris.

Honestus vsus generaliter.

INTERROGATIO.

Si quis preciosas vestes abijciat, ipsa autem indumenta viliora, quibus vtitur, vel calceamenta, ità compositè vtatur, vt studeat decorẽ indè aliquem capere, si peccat? aut vitio aliquo id facere putandus est?

Aduerte q in vilibus quoquè indumentis ornatus q̃ri potest.

RESPONSIO.

Qui vult per decorem habitûs, placere hominibus, manifestum est, eum huius vitij ægritudine laborare, id est, hominibus placendi: & certũ est, mentem eius à Deo longiùs euagari. Sed & hoc ipsum est vitium, perperàm agere, quum indumẽtis vel calceamentis non vsûs causa vtitur, sed decoris.

Iactantiæ malum & quandò sit, in quibus vtimur.

INTERROGATIO.

Quid est rhaca?

RESPONSIO.

Prouincialis, i. gentis illius sermo, velut conuicij leuioris: quod domesticis, vel his quorum fiduciam quis gerit, dici solet.

Rhaca quid sit.

INTERROGATIO.

Quid dicit Apostolus, Non efficiamur inanis gloriæ cupidi. Et iterũ: Nõ ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes. Quis est inanis gloriæ cupidus? & quis hominibus placens?

Galat. 6. Ephe. 6.

RESPONSIO.

Puto quòd inanis gloriæ cupidus est, qui propter solam gloriã seculi, id est, propter eos qui vident, vel audiunt aliquid de eis, quo vel laudare possint, vel admirari, facit aliquid vel dicit. Hominibus autem placens est, qui ad voluntatem alicuius hominis, vt placeat ei, facit aliquid & dicit, etiam si indignum sit & iniuriosum hoc ipsum, quod facit.

Inanis gloriæ cupidus, & hominibus placẽs, differunt.

De inquinamento carnis & spiritûs, & cordis munditia. Cap. 74.

INTERROGATIO.

Quid est inquinamentum carnis, & inquinamentum spiritûs: & quomodò ab his mundari possumus? & quid est sanctificatio, & quomodò possumus eam obtinere?

RESPONSIO.

Inquinamentum carnis est, eo mmisceri his, qui illicita & nefanda cõmittunt. Spiritûs autem inquinamentum est, quum indifferenter habemus commisceri eis, qui de fide impiè sentiunt. Emundamur autem ab his, quum implemus illud, quod Apostolus dixit: Cum huiusmodi nec cibum sumere, & quæcunque similia statuit: vel certè, quum illud patimur in corde nostro, quod ait Dauid: Tristitia tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Vel quum ostenderimus talem nostram tristitiam, qualem Corinthij ostenderunt, quum obiurgarentur à Paulo,

1. Cor. 5.

Psal. 118.

Paulo, quum erga eum qui peccauerat, indiscretè egissent, quum dicit: In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse negocio. Sanctificatio autem est, adhærere Deo ex integro: & sine aliqua intermissione, in omni tempore solicitum esse, & studium gerere placere ei. quoniam neque pollutũ aliqd in donis Dei offerri potest: alioquin & sacrilegum erit, & impium.

2. Cor. 7.

Sanctificatio nostra quæ sit.

INTERROGATIO.

Quis est mundo corde?

RESPONSIO.

Qui seipsum reprehendit, vel prævaricatus non sit mandatum Domini, vel contempserit, vel neglexerit.

De peccato odio habendo, & mandatis Dei diligendis. Cap. 75.

INTERROGATIO.

Quomodò potest aliquis odiũ habere aduersùs peccatum?

RESPONSIO.

Si semper ex his, quæ finem habent tristem vel infestum, odiũ nascitur hominibus aduersùm illos, qui causæ sibi huiuscemodi negocij extiterint. Si quis ergò certus sit, quantum & qualium malorũ nobis fiũt peccata, spontè & sine vlla comminatione ex intimo affectu odiũ ei aduersùm ea nascitur, sicut ostendit ille, qui dicebat: Iniquitatem odio habui, & abominatus sum: legem autem tuam dilexi, Domine.

Per seipsa nobis debẽt displicere peccata.

Psal. 118.

INTERROGATIO.

Quomodò potest aliquis ex animo & affectu facere mandata Dei?

RESPONSIO.

Naturaliter delectamur in his, quæ bona sunt & prosunt. Si ergò credimus de his, quæ promissa sunt, ex eo ipso quia speramus: inseretur animæ nostræ affectus & desiderium ad explenda ea, à quibus id cõsequi possumus, quod desideramus. Si quis ergò odium habuerit, & execratus fuerit iniquitatem, & emundauerit se ab omni peccato, ex quo sicut corpus à languore delectationem non habet cibi, ità & anima detenta peccati morbo, non habet desiderium erga mandatum Dei. Si recordetur, quia mandatum Dei, vita æterna est: & omnibus, qui custodiũt istud, permanet adimpletio promissionum: potest per hæc nasci animæ affectus ille, qui dicit: Iudicia Dei vera, iustificata in semetipsa. Desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multùm: & dulciora super mel & fauum. Nam & seruus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa nimis.

Fides & spes, dilectione in nobis inserũt & desiderium mandatorum.

Ioann. 12.

Psal. 18.

De mensura charitatis, quomodò habeatur: & de indicijs, quibus cognoscimus nos Deum vel proximum diligere. Cap. 76.

INTERROGATIO.

Quæ est mensura in charitate Dei?

RESPONSIO.

Vt supra vires extendat quis animã suam ad voluntatem Dei, proficiens & desiderans ea, quæ ad gloriam Dei pertinent.

INTERROGATIO.

Quomodò quis obtineat, vt possit habere in se charitatem Dei?

RESPONSIO.

Si grati & fideles existamus erga beneficia eius. quod in mutis animalibus facere videmus: nam & canes interdũ diligunt eos, qui cibum eis præbẽt. Sed & Esaias propheta hoc dicit, quum arguit ingratam gentem, & dicit ex persona Domini: Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Agnouit bos possessorem suũ, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me nõ cognouit, & populus meus me non intellexit. Si enim boui & asino, pro eo beneficio quòd pascũtur, dilectio spõtanea nascitur erga pastorem: ità nos etiam si gratanter & fideliter beneficia Dei suscipiamus, sine dubio diligemus beneficiorum præbitorem Deum, & absque vlla doctrina, naturali quodam instinctu, in eius concitamur affectum, si tamen sanitas nostræ animæ præstò sit.

Etiã bruta cognoscunt benefactores suos.

Esa. 1.

Naturaliter inclinamur ad amorem Dei, nisi in sani simus.

INTERROGATIO.

Quæ sunt Indicia, in nobis esse charitatem Dei?

RESPONSIO.

Quæ Dominus docuit, dicens: Si diligitis me, mandata mea seruate.

Ioann. 14.

INTERROGATIO.

Quid est, seipsum diligere? vel quomodò vitium suum agnoscit, qui seipsum diligit?

RESPONSIO.

Multa abusiuè dicuntur, sicut & illud: Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Philautus ergò Græcè dicitur, qui seipsum diligit. Intelligi autem potest, qui

Ioann. 12.

Philautus Græcè.

qui talis est, hoc modo: si ea quæ facit, pro semetipso facit: etiam si videatur secundùm mandatum Dei esse quę facit. Qui enim pro sua requie patitur deesse aliquid necessitati, vel sibi, vel fratri, siue eorum quæ ad animam necessaria sunt, siue ad corpus: hic manifestè philautus est, i. seipsum diligens deprçhęditur: cuius vitij finis, interitus.

Argumentum, quòd quisque seipsum diligat.

INTERROGATIO.

Quomodò apparet, qui diligit fratrem secundùm mandatum Domini? & quomodò arguitur, qui non diligit?

RESPONSIO.

Charitatis duo ista præcipua signa sunt, quũ tristamur & grauiter ferimus in his, in quibus læditur ille quem diligimus: & quum vel satagimus, vt non fiant: vel gaudemus, si prouenerint aliqua, in quibus vtilitas vel profectus est eius qui diligitur. Beatus ergò est, qui luget super eum qui delinquit, cuius videt vitæ imminere periculum: & gaudet pro eo qui proficit, & suum lucrum deputat ꝓfectus proximi sui. Si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: quod vtiquè secundùm rationem charitatis Christi dicebat: & si glorificatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Qui autē hunc habet affectum erga fratrem, certū est, quòd secundùm charitatem Dei diligit proximū suum.

Præcipua fraternæ in nobis charitatis signa.

Matth. 5.

1. Cor. 12. F

De inimicis diligendis. Cap. 77.

INTERROGATIO.

QVi sunt inimici, quos diligere iubemur? & quomodò diligimus inimicos nostros, præstantes eis beneficia tantummodò, aut etiam affectū exhibentes? &, si hoc possibile est fieri?

RESPONSIO.

Inimici proprium est, lædere & insidiari: & ideò omnis qui quoquo modo lædit aliquem, inimicus dicitur, maximè autem hi qui peccant. Isti enim, quòd in se est, lædunt diuersis modis, & insidiantur vel his qui se vident, vel his qui simul viuunt. Et quoniā ex corpore & anima cōstat homo, secūdùm animā quidem diligimus, arguētes, commonentes, & omni modo ad conuersationem eos prouocantes: secundùm corpus verò pręstemus eis beneficia & misericordiam: &, si indigent, victum: quoniam nemo dubitat, quoniā charitas in affectu stat. Quòd autem possibile sit, docuit Dominus per charitatem Dei patris, & per suam obedientiā vsq; ad mortem; quam vtiquè pro inimicis adhuc & impijs nobis sustinuit, sicut & Apostolus testatur, dicens: Commendat autem Deus suam charitatem in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Sed & nos adhuc ipse cohortatur, dicens: Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi: & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit seipsum pro nobis hostiam & oblationem Deo. Nunquàm autē præciperet hoc iustus & clemens Deus, nisi vtiquè etiam possibilitatem nobis donâsset. Inesse enim hoc nostræ naturæ dignoscitur, quū etiam bestijs & animalibus erga eos, qui beneficij aliquid ꝓstiterint, inest naturalis affectus. Quis autem tātum beneficij amicis suis præstat, quantum nobis inimicus noster? quum nobis causa beatitudinis efficiatur illius, de qua Dominus dicit: Beati estis, quum persequuntur vos & exprobrant, & dicunt omne malum aduersùm vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cælis.

Peccatores præcipuè inimici nostri dicuntur.

Quòd non sit impossibile, diligere inimicos. Phil. 2.

Rom. 5.

Ephe. 5.

Nihil Deus præcipit impossibile.

Magnū beneficium de inimicorū dilectione.

Matth. 5. Lucæ 6.

De ira, & diuersis eius speciebus. Cap. 78.

INTERROGATIO.

QVid est, quod dicit Apostolus, Irascimini, & nolite peccare? Et, Sol non occidat super iracundiam vestram. quum in alijs dixerit: Omnis amaritudo, vel ira, vel indignatio tollatur à vobis.

Psal. 4. Ephe. 4.

Ibidem.

RESPONSIO.

Arbitror in hoc loco Apostolum, secundùm imitationem Domini, hoc locutum fuisse. Sicut enim in Euangelio Dominus dicebat, Audistis quia dictum est antiquis illud vel illud: & ipse addebat, dicens: Ego autem dico vobis hoc vel illud: Ità etiam Apostolus sic, quum priùs meminisset antiquitatis per hoc, quod dicitur: Irascimini, & nolite peccare: paulò pòst addidit, quod dixerat, & quod nobis cōueniret, dicens: Omnis amaritudo, & ira & indignatio, & clamor tollatur à vobis.

Matth. 5.

Ephe. 4.

Ibidem.

INTERROGATIO.

Quid est, Date locum iræ?

Rom. 12.

RESPONSIO.

Non resistere malo, secundùm quod scriptum est: Sed ei qui percusserit te

in

in dexteram maxillam, præbe ei & alteram: & implete ea omnia quæ sequuntur, vel illud: Quum persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Matt. 10.

INTERROGATIO.

Quæ est differentia amaritudinis, & furoris, & iræ, & indignationis?

RESPONSIO.

Furoris & iræ differentia. Furoris quidem & iræ differentiam, puto cōstare in animo, & in motu: quia qui irascitur, intra animū suum adhuc vitium voluit: sicut ex hoc ipso indicatur, quod dicitur: Irascimini, & nolite peccare. Qui verò ampliùs furit, aliqd per motum gerit. Furor enim, inquit, secundùm similitudinem serpētis. Vehemētiùs verò furorem concitare, irritatio nominatur. Amaritudo autem illa est malitia in corde, quæ etiam arte quadam componitur, & armatur. Psal. 4. Psal. 57. Irritatio. Amaritudo.

De pace, quis sit verus pacificus: & quomodò efficiamur sicut paruuli. Cap. 79.

INTERROGATIO.

Quis est, qui à Domino beatificatur, pacificus? Matth. 5.

RESPONSIO.

Qui Christi adiutor est, secundùm quod dicit Apostolus, Pro Christo legatione fungimur, tanquàm ex Deo exhortante; per nos exhortamur, per Christum reconciliamur Deo. Et iterùm: Iustificati igitur ex fide, pacem habemus ad Deum. Illa enim alia pax, repudiata est à Christo, dicente: Pacem meam do vobis: non sicut hic mundus dat, ego do vobis. 2. Cor. 5. Rom. 5. Ioann. 14.

INTERROGATIO.

Quomodò conuerti quis potest, & effici sicut infans? Matth. 18.

RESPONSIO.

Si tales fuerimus ad doctrinam Domini, qualis est infans in discendo: qui neque contradicit doctoribus, neq; rationes & verba componit, aduersùm eos resistēs: sed fideliter suscipit quod docetur, & cum metu obtemperat, ac acquiescit doctoribus suis. Similitudo ad paruulū.

De diuersis speciebus superbiæ, & de bona & mala gloriatione. Cap. 80.

INTERROGATIO.

Domino dicēte, Qui se exaltat, humiliabitur: & Apostolo pcipiente, Noli altū sapere. Et alibi: Arrogantes, superbi, inflati. Et iterùm: Charitas non inflatur. Quis est elatus? & qs iactans vel arrogans? quis verò superbus? & quis inflatus? vel quis tumēs? Luc. 18. Rom. 11. 2. Tim. 3. 1. Cor. 13.

RESPONSIO.

Elatus est, qui seipsum effert pro his, quæ fortè rectè vel prosperè gesta sunt: & per hoc magnus sibi videtur & elatus, secundùm illum Pharisæum, qui & ipse inflatus dici potest. Sicut etiā Apostolus Corinthios arguit, quibus dicit: Vos inflati estis. Iactans autem vel arrogans est ille, qui nō acquiescit his, quæ à patribus, vel à maioribus instituta sunt pro vtilitate communi: nec acquiescit verbis Apostoli, dicētis: Vt idem sapiatis, & idem sentiatis: sed propriā quandam vitam iustitiæ ac sanctitatis inquirit. Superbus verò est, qui etiam nil vsquàm in se virtutis aut rectorum gestorum habens, elatus est: & rectus videri vult plùs esse, quàm est. Similis autem huic esse potest etiā hic, qui inflatus dicitur vel tumens, secundùm quod Apostolus dicit: Sed inflatus est, nihil sciens. Elatus quis sit. Luc. 18. 1. Cor. 4. Iactans. Phil. 2. Superbus. Coloss. 2.

INTERROGATIO.

Quid est, Charitas nō dehonestatur?

RESPONSIO.

Sicut qs dicat, De statu honestatis suę non deducitur. Est enim quædam propria honestas charitatis, & habitus eius atq; ornatus: ille sine dubio, per quem singulas charitatis virtutes enumerat Apostolus: q̄ singula, honestates quædam eius sunt & ornatus. Ornatus charitatis. 1. Cor. 13.

INTERROGATIO.

Scriptura dicente, Nolite gloriari, neque loqui alta: & Apostolo confitente, Quia quæ loquor, sicut in insipientia in hac substātia gloriandi. Et rursùm: Factus sum insipiēs gloriando. Et iterùm ipso dicente: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Quæ est gloriatio in Domino? & quæ est culpabilis gloriatio? 1. Reg. 2. 2. Cor. 11. 2. Cor. 12. 1. Cor. 1. 2. Cor. 10.

RESPONSIO.

Apostoli quidem manifestū est propositum, q aduersùm vitia loquebatur. Non enim, vt seipsum commendaret, hoc dicebat: sed, vt quorundā insolentiam arrogantiamq; retunderet. Gloriatio est in Domino, quum quis, si rectè egerit, non sibi, sed Domino ascribit, dicens: Omnia possum, sed in eo qui me confortat Christus. Culpabilis autem gloriatio duplici ratione dinoscitur: vel secūdùm quod dicitur, qa laudatur peccator in desiderijs animæ Gloriari in Domino. Phil. 4. Culpabilis gloriatio. Psal. 9.

Psal. 51. mæ suæ: & qui gloriatur in malitia, qui potens est in iniquitate: vel secundùm illud, Quum faciunt aliquid boni operis, vt videantur ab hominibus: & ꝓ hoc ipso, quòd volunt laudari, gloriantur in his quæ fecerint. Sed huiusmodi & omnes sacrilegi desigñatur, quum gratiam, quæ à Deo data est, propriam faciunt: & gloriam, quę Deo debetur, in semetipsis conuertere volunt.

Matth. 6. Sacrilegi appellātur, qui nō Dei gloriā, sed propria quærunt.

De intelligentia à Deo petenda, & modo ipsam promerendi. Cap. 81.

INTERROGATIO.

QValem intelligētiam vel prudentiam à Deo petere debemus? vel quomodò eam possumus promereri?

RESPONSIO.

Hiere. 9. Intellectus quidem quis sit, ab ipso Domino discimus per prophetam, dicentem: Non glorietur sapiens in sapiētia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec diues in diuitijs suis: sed glorietur, qui gloriatur, in intelligendo & cognoscendo Deum. Et iterùm per Paulum

Ephe. 5. Apostolum sic dicitur: Sed intelligentes, quæ sit volūtas Dei. Possumus autē hoc modo illam promereri, si faciamus illud quod scriptum est: Vacate, & videte quoniam ego sum Deus. Et si credamus omne verbum Dei verū esse. Si enim, inquit, nō credideritis, non intelligetis.

Quomodò intelligentiam cōsequamur à Domino. Psal. 45. Esa. 7.

INTERROGATIO.

Prou. 11. Si Dominus dat sapientiam, & à facie eius scientia & intellectus est: & alij

1. Cor. 12. quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ: quomodò increpat Dominus discipulos suos, qa

Matth. 15. & vos adhuc insensati estis, & non intelligitis?

RESPONSIO.

1. Tim. 2. Si quis scit voluntatem Dei, volentis omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, & studium spiritûs sancti didicit gratiam Dei: iste cognoscit raritatem intellectûs nō ex culpa eius descendere, qui dona distribuit: sed ex eorum desidia, qui infidelitate sua id suscipere non merentur. Et idcircò rectè inculpatur insipiens vel insensatus, qui veluti sole orto claudit oculos suos, nè videat, sed in tenebris ambulat.

Ex quo ꝓueniat raritas intellectûs.

INTERROGATIO.

Si ab aliquo aliquid beneficij consequamur, quomodò poterimus & Domino dignè & integrè gratias agere, & ei qui beneficium contulit, quali mensura vti debemus in vtrosque?

RESPONSIO.

Si Deum, omnium authorem bonorum & cōditorem esse credamus: eum verò, per quem boni aliquid consecuti sumus, vt ministrum Dei gratiæ & muneris agnoscamus.

Quali affectu nos geramus erga benefactores nostros.

De quorundam nominum differentia, & de nonnullis scripturæ dictis, quid significent. Cap. 82.

INTERROGATIO.

QVid est, dignum & sanctum, quod Græci osion dicunt? & quid est iustum?

RESPONSIO.

Osion quidem, id est, sanctum arbitror, quod decet & debetur ab inferioribus deferri superioribus, secundùm hanc ipsam rationem, quę ab eminentioribus videtur. Iustum autem hoc, quod pro operis merito vnicuique retribuitur. Et in illo quidem, ab aliorū optimo quoque indicatur obsequium: in hoc verò, tam boni quàm mali designatur retributio.

Sanctum & iustum, differunt.

INTERROGATIO.

Quomodò dat quis sanctum canibus, & mittit margaritas ante porcos? aut quomodò accidit illud, quod additur, Nè fortè conculcent eas pedibus: & conuersi, disrumpant nos? Matt. 7.

RESPONSIO.

Manifestè nobis Apostolus tradidit ex his, quæ aduersùs Iudęos dicit: Qui in lege gloriaris, per pręuaricationem legis Deum inhonoras? Iniuriam ergò hanc, quam per præuaricationem verbo Dei inferre dicuntur hi, de quibus sermo est: prohibet hîc, & abdicat Dominus. Et quia éuenit vt infideles, & non credētes, quum vident nos præuaricari mandata, contemptum habeant religionis & doctrinæ Domini: & ex ipsis arguunt nos, quę sunt scripta in lege nostra: ac velut rumpant, & efficiant & exprobrent, confutantes tanquàm legis nostrę transgressores.

Rom. 2.

Religio cōtemnitur propter peccata fideliū.

INTERROGATIO.

Quomodò aliquandò quidem Dominus prohibet sacculum vel peram in via: aliquandò dicit, Sed nunc qui habet sacculū, tollat similiter & peram: & qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat gladium?

Lucæ 10. Lucæ 22.

RESPONSIO.

Lucae 22. Esa. 53. Hoc explanauit ipse Dominus, dicens: Quia oportet adhuc compleri in me, quod dictum est: Quia cum iniquis deputatus sum. Denique, postq̃ completa est prophetia, de gladio ait ad Petrum: Matth. 26. Conuerte gladium tuum in locum suum. Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. ità vt non videatur praeceptum esse, quod dicitur: Nũc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: sed potiùs prophetia praedicentis Domini, quia futurum erat, vt Apostoli obliti gratiae Domini & legis eius assumerent. Quod autem videtur quasi imperatiuo modo dici, pro positiuo accipitur: haec verbi figura, in scripturis propheticis satis frequenter inuenitur, sicut est illud: Fiant filij eius orphani, & diabolus stet à dextris eius: & multa similia.

Modus loquendi propheticus. Psal. 108.

INTERROGATIO.

Matt. 6. Quid est, Panem substantiuum da nobis hodiè, quod in oratione Dominica iubemur dicere?

RESPONSIO.

Quum operantes manibus, memores sumus Domini, dicentis: Lucae 12. Nolite solliciti esse animae vestrae, quid manducetis, aut quid bibatis. & Apostolo praecipiente, Ephe. 4. Operamini, vt habeatis vndè possitis praestare necessitatem patienti. id est, quum non ad proprios vsus, sed pro mandato Domini operamur: quoniã Lucae 10. dignus est operarius mercede sua: tunc substantiuum panem, id est, qui vitam quotidianam substantiae cõferre, à Domino poscimus, & non à nobis p̃sumimus: sed vt necessitati, inquantùm sufficiat, satisfaciat: & agnoscamus eum, qui sufficientiam praestat.

Panem nostrũ da nobis, quid sit.

De accessu ad sorores. Cap. 83.

INTERROGATIO.

SI omni volenti accedere ad sorores, oportet indulgere, an certis q̃busq; personis & temporibus? vel quomodò videndae sunt sorores?

RESPONSIO.

De his superiùs iam sufficienter diximus: quia nec vir ad virum accedere vtcunq; sine causa, ex arbitrio suo vel potestate, debet: sed cum omni obseruatione, probante eo qui praeest, id est, vt vel profit quis, & quem vidit quòd proficiat ex eo: quãto magis erga mulieres id obseruari conuenit maiori cautela? Si quis ergò meminit Domini, dicentis: Quia de omni sermone Matt. 12. otioso reddetis rationem in die iudicij: timebit in omni negocio hanc sententiam. Acquiescendum est enim & sancto Apostolo, dicenti: Siue manducetis, 1. Cor. 10. siue bibatis, siue aliquid aliud faciatis, omnia cum gloria Dei facite. Et iterùm: Omnia ad aedificationem fiant. 1. Cor. 14. Nihil ergò ociosè vel inutiliter agendum est: sed certus quis, & certo tempore, & certo in loco: & certis personis vel apparére, vel loqui debet: vt excludatur omnis nefanda suspicio, 2. Tim. 5. & seruemus nos sine offensione etiam apud omnes, & ad aedificationem fidei vnicuique apparére. Sed certè solus ad solam suã accedere, nulla religionis ratio permittit. Melius est enim duo, quàm vnus: simul enim & fidelius est, & tutiùs res geritur. Etenim vae soli: Eccles. 4. quia si ceciderit, non est qui erigat eum.

Magna cautela & districtio cõuersationis mutuae.

Nihil agendum sine causa.

Nota de cõuersatione ad mulieres dignam cautionem.

De his, qui saepiùs correpti, non emendantur. Cap. 84.

INTERROGATIO.

SI quis habet aliquod vitium, quod corrigi non potest: & frequẽter notatus, in peius proficit, si expedit illum intermitti?

RESPONSIO.

Et de hoc alibi iam diximus, quia oportet peccantes corripere patiẽter, secundùm eum, quem suprà diximus, modum à Domino propositum. Matt. 18. Quod si non sufficit ei ad emendationem, sicut illis de Corintho, obiurgatio hęc 2. Cor. 2. quae fit à pluribus: gentilis de reliquo & publicanus haberi debet, qui eiusmodi est. Quia ei parcere, quem Dominus condemnauit, nulli tutum est: maximè quum Dominus dicat, quia expedit Matth. 18. vnicuiq;, vt vnum oculũ, aut vnam manũ, aut vnũ pedẽ perdat, & ità intret in regnũ: q̃ dum pereit vni ex his membris, totũ corpus mittatur in gehẽnam ignis, vbi est fletus & stridor dentiũ. Sed & Apostolus de his ipsis testatur, dicẽs: quia modicum fermentum totam massam corrumpit. Galat. 5.

Singularis expositio est, quod dicitur. Expedit cũ vno oculo &c.

INTERROGATIO.

Si quis contristatur, q̃ ei nõ permittitur facere id, quod non potest aptè & rectè facere, si debemus ei permittere?

INTERROGATIO.

Et de his quidem iam dictum est in mul-

Nihil propria voluntate agendum. multis: quia propria voluntate nulli quicquam permittendum est, sed iudicio & probatione multorum, vel horum qui præsunt. Qui autem non obtemperat, hic sententiam præsumpti & contradicentis excipiat.

De portandis inuicèm infirmitatibus. Cap. 85.

INTERROGATIO.

Quomodò debent fratres infirmitates infirmorum portare?

RESPONSIO.

Portare infirmitates, quid sit. Esa. 53. Portare, est tolerare & curare, secundùm quod scriptum est: Ipse infirmitates nostras tulit, & ægritudines nostras portauit. Non quòd ipse in semetipsum susciperet infirmitates: sed quòd abstulit eas ab his, quibus erant, & curauit eos. Ità ergò in hoc, pœnitentia interueniente, curabuntur infirmiores ex constantia & integritate fortiorum: qui dicūtur portare, id est, exportare & auferre infirmitatē eorum, qui inualidi sunt.

INTERROGATIO.

Galat. 6. Quid est, Inuicèm onera vestra portate? & quam legem Christi adimplebimus, hoc facientes?

RESPONSIO.

Hoc est, quod superiùs explanauimus. Grauius enim sunt onera & peccata, quæ trahunt animam in profundum inferni: quæ à nobis inuicèm auferimus & portam⁹, id est, exportamus, ad confessionem prouocando eos qui peccant. Portare propriè. Portare autem pro auferre, & exportare, cōsuetudo est & ritu prouincialiū dici, sicut & ego ipse audisse me memini. Legem autem Christi replere, Lucæ 5. Matt. 9. illius qui dixit: Non vèni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

De tentationibus, in quibus orandum est. Cap. 86.

INTERROGATIO.

Matt. 26. Domino dicēte nobis orandū esse, vt nè intremus in tentationem: si oportet nos orare, nè accedant nobis dolores còrporales: vel si inciderimus in eos, quomodò oportet fieri?

RESPONSIO.

Non distinxit tentationum qualitatem, sed generaliter præcepit orandum esse, nè intremus in tētationem. Si verò inciderimus, vt det nobis exitū euadēdi: & vt sustinere possim⁹, à Domino Matt. 10. & 24. posci oportet, vt possimus implere quod dictum est: Quia qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

INTERROGATIO.

Quis est aduersarius noster? & quomodo ei consentire debemus, dum sumus in via? Matth. 5.

RESPONSIO.

Tunc specialiter Dominus eum, qui aufert à nobis aliquid, vel auferre conatur, aduersariū nominauit. Consentimus autem, si seruemus præceptū Domini, dicentis: Si quis autem voluerit tecum contendere in iudicio, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & palliū: quod & in omnibus obseruari oportet. Aduersarius, cui consentiēdum est, quis sit. Ibidem.

De diffinitione in agendis, & si semèl statuta, impleri debent. Cap. 87.

INTERROGATIO.

Si bonum est, statuere ad certū tempus, verbi causa, abstinere se à tali cibo, vel à tali potu, Domino dicēte: Nō vt faciam voluntatem meam, sed eius, qui me misit, patris? Ioann. 6.

RESPONSIO.

Omnis huiuscemodi diffinitio congrua. quod sciens Dauid, dicebat: Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ, non meæ voluntatis. Psal. 118.

INTERROGATIO.

Si quis voluntate peccauerit, condemnatur? an ille, qui per ignorantiam & veritatē fuerit aliquid locutus?

RESPONSIO.

Iudiciū Domini in his, qui per ignorantiam peccāt, manifestum est, quum dicit: Qui nescit, & nō fecit: dignè plagis vapulabit paucis. Vbiq; tamen, dignà gesta pœnitentia, spem præsumat. Lucæ 12. Pœnitentiæ commēdatio.

INTERROGATIO.

Si quis cogitauerit tantùm facere, & non fecerit: si & ipse mendax iudicandus est?

RESPONSIO.

Si secundùm mandatum est, quod cogitauit vt faceret, nō solùm vt mendax, sed vt cōtemptor, à Domino condemnatur. Violator boni propositi.

INTERROGATIO.

Si quis præuentus fuerit, vt diffiniat agere aliquid eorum, quæ non placent Deo, quòd oportet magìs irritum reuocare, quod malè fuerat diffinitum: an timore eo, nè mendax fit, implere peccatum?

RESPONSIO.

Quum dicat Apostolus, Nunquid ex nobisipsis idonei sumus cogitare aliquid, quasi ex nobis? Et Dominus nihilo- 1. Cor. 3.

Ioann. 5. hilominùs: Quia nõ possum à meipso
Ioann. 14. facere quicquam. Et iterũ: Verba quæ
ego loquor vobis, à meipso non lo-
Ioann. 6. quor. Et in alio loco: Descendi de cæ-
lo, non vt faciam voluntatem meam,
Doctrina optima, si oporteat adimplere, malè quæ statuimus. sed eius, qui misit me, patris. Pœniten-
tiam debet agere primũ: quia aliquid
temerè diffiniuit, quodcunque fuerit
quod diffinitum est: ne ipsa quidẽ bo-
na, propria authoritate facere opor-
tet: multò autem magìs ea, quæ non
placent Deo, statuere non licet. Quia
oportet irrita reuocare, quæcunq; ex
præsumptione contra mandatum Dei
statuũtur. Manifestè ostẽditur in Apo-
stolo Petro, qui temerè quidem statue-
Ioann. 13. rat, & dixerat: Non lauabis mihi pe-
des in æternum. Audiuit autẽ à Domi-
Ibidẽm. no diffinita sententia: Quia si non la-
uero tibi pedes, non habebis partẽ me-
cum. Statìm verò mutauit diffinitionẽ
Ibidẽm. suam, & ait: Domine, non tantùm pe-
des meos, sed & manus & caput.

De rerum distributione & dispensatione. Cap. 88.

INTERROGATIO.

SI is cui commissa est dispensatio eorum, quæ Domino offerũtur, ne-
cessitatem habet implere mandatum
Lucæ 6. Matt. 5. illud, quod dicit: Omni petenti te da: & eum qui vult mutuum à te sumere, non auertes?

RESPONSIO.

Hoc quod dictum est, Omni petenti da: & volentem mutuari abs te, nõ auertes: quasi tẽtationis habet locum: sicut ex consequentibus demõstratur. Propter malos enim præceptum est nõ principaliter, sed quod in necessitate fieri debeat. Principale enim præceptũ
Matt. 19. Domini est: Vende omnia bona tua, &
Lucæ 12. da pauperibus. Et iterùm: Vendite bona vestra, & facite misericordiã. Quod ergò alijs delegatũ est vel deputatum in alios deferri, nõ est absque discrimi-
Matt. 15. ne, Domino dicente: Quia non sum missus, nisì ad oues pditas domùs Israel: & quia non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Sed & de teipso debes iudicare quod iustum est.

INTERROGATIO.

Quòd si frater nihil habens propriũ, per ab aliquo hocipsum quod vestitus est: quid debet facere, maximè si nudus est ille qui petit?

RESPONSIO.

Siue nudus, siue malus, id est, siue necessitatem patitur, siue fallit, siue quid aliud est: semèl dictum est, quia dare vel accipere non est omnium: sed solius illius, cui commissum est istud officium. Qui vtiquè cum omni prouidentia & cautela huiuscemodi dispensationẽ debet implere, vt possit vnusquisque in eo quod vocatus est, permanere. 1. Cor. 7.

Neque opus pietatis, propria authoritate debet monachus attentare.

De fide sine charitate quomodò habeatur, & de quibusdam alijs breuiter. Cap. 89.

INTERROGATIO.

QVomodò potest quis sine charitate tãtam fidẽ habere, vt montes transferat, aut substãtiam suam diuidat, & corpus suum tradat vt ardeat? 1. Cor. 13.

RESPONSIO.

Si memores sumus Domini, dicẽtis: Matt. 23. Faciunt enim omnia, vt videantur ab hominibus: sed & illud illis dicentibus quid respondit: Domine, nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus, cùm ait ad eos: Nescio vos vndè sitis. Non quia mentiti sunt, sed quia Dei gratia abusi sunt ad ꝓprias voluntates: quod vtiq; alienum est à charitate Dei. Si ergò horum meminerimus, facilè aduertimus quæ dicta sunt. Quòd autẽ gratiam Dei vel donum etiam indigni accipiant, non est nouum aut mirum. Deus enim & in tempore hoc benignitatis & patientiæ, etiam solem oriri iubet super bonos & malos. Interdùm autem etiam ad profectum eorum, qui adhuc infideles sunt, & gloria eius multiplicatur, secundùm quod dicit Apostolus: Quia quidam per inuidiam & contentionem, quidam autem propter bonam voluntatem Christum annunciant: & addidit, dicens: Veruntamen omninò siue occasione, siue voluntate Christus annuncietur, in hoc ego gaudeo. Matt. 7. Quarè dona Dei etiam indigni accipiant. Matth. 5. Phil. 1. Ibidẽm.

INTERROGATIO.

Quis dicitur abscondere talentum, & propterea condemnatur? Matt. 25.

RESPONSIO.

Quicunq; gratiã Dei detinet, & assumit in suis vsibus, & non ad eorum vtilitatem: iste tanquàm de occultati talenti crimine condemnatur. Quis dicatur talentũ abscondere.

INTERROGATIO.

Quid est immũditia & impudicitia?

RESPONSIO.

Immunditia quid est, lex ostendit. Hoc enim nominis vsus super his, qui inuiti naturalem necessitatem vtebantur, sicut homines pati consueuerunt. Impudicitia verò mihi videtur esse, quũ quis naturalem libidinis motum, impudentiùs & inuerecundiùs concitat & inuitat.

Immũditia & impudicitia differunt.

De furore & indignatione, & de bono affectu corripiendi. Cap. 90.

INTERROGATIO.

QVid est proprium furoris? & quid est proprium indignationis iustæ? & quomodò aliquoties quasi ab indignatione incipientes, inuenimur decidere in furorem?

RESPONSIO.

Furoris quidem proprium est, incitatio animæ, mala meditantis aduersùm eum, qui se concitat & irritat. Indignationis verò iustæ est, peccantem corripere, eo affectu vel proposito, quo auertimus à peccatis, & quòd displicet nobis, quod nõ rectè gestum est. Quòd autem interdùm à bono incipiens anima, decidit in malum, nihil mirum est. multa etenim inuenies huiuscemodi, propter quod reminiscere sanctæ scripturæ, dicentis: Iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Et iterùm: Nisi enim qs legitimè certauerit, non coronabitur. Et ideò in omnibus obseruãda est rerum varietas, mens, vita, tempus, & ordo: qa ex aliqua horum causa accidit, vt, quod videtur bonum, id inueniatur malum.

Indignatio iusta.

Psal. 139.

2. Tim. 2.

Magna obseruãtia in nostris actibus adhibenda.

INTERROGATIO.

Ex quibus fructibus probari debet is, qui ex affectu arguit fratrẽ peccantem?

RESPONSIO.

Primò omnium, ex eo quod præcipuum est, si cum misericordia rem gerit: & est in eo id quod dicit Apostolus: Quia si patitur vnum membrum, compatiuntur oĩa membra. Vel illud: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego nõ vror? Tum deindè, si in omni peccato similiter affligitur & contristatur erga oẽs qui peccant. Vel si in se delinquat aliquis, vel in alium, similiter contristatur & lugeat: & si arguẽs, obseruabit illam regulam, quam Dominus posuit: id est, vt vel inter se, vel ipsum solum, vel in alio vno aut duobus adhibendis. Super omnia autem si obseruat quod dixit Apostolus, hoc est, cum omni patientia.

Signa bono affectu corripientis.

1. Cor. 12.

2. Cor. 11.

Nota pulchrũ de affectu corripientis.

Matt. 18.

2. Tim. 3.

INTERROGATIO.

Si oportet, qui ingrediuntur ad fratres, statìm artificia discere?

RESPONSIO.

Qui præest, probet.

INTERROGATIO.

Si quis non ex desiderio corrigendi fratres, arguat eum qui delinquit, sed sua vitia explendi gratia: quomodò oportet & hunc corrigi, si post multam commonitionem in eisdem permanet?

Mala quępiam corripiendi occasio.

RESPONSIO.

Iste velut suis commodis prospiciẽs, & primatus desiderãs, notetur: & emendationis ei modus ex institutionum disciplinis intimetur. Quòd si permanserit in obstinatione, manifesta est eorũ sententia, qui non pœnitẽt pro delicto.

INTERROGATIO.

Qualibus correptionibus vti oportet inter fratres, ad emendationem eorum qui delinquunt?

RESPONSIO.

Hoc fit in indicio positum eorum qui pʃunt, vel quanto tempore, vel quali modo corrigi debeat: quia & ætas, & eruditio multam facit differentiam.

Aetatis habenda est ratio in correctione.

De occasionibus, quibus ex nobis ad nos decipiendos abutitur inimicus.

Cap. 91.

INTERROGATIO.

SI in omni peccato suo secundùm cogitationem, siue secundùm verbum, siue secundùm actũ, satan in causa conueniat dici?

RESPONSIO.

Generaliter arbitror, quòd satan ipse per seipsum causa peccati existere nulli potest: sed motibꝰ animi nostri, siue naturalibus, siue etiã ex vitio cõceptis, abutitur ad voluntatẽ malitiæ suæ: & nostris motibus nos, si fortè nõ vigilamus, tradit in hoc, quod ipsi gratũ est, id est, in peccatũ. Naturalibus ergò motibus nostris abutitur: sicut illud, quod in Dño facere conatus est, quũ sensisset eũ esurire, & ait ad eũ: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiãt. Motibus aũt ex vitio cõquisitis abutitur, sicut fecit in Iudam: quoniam quem cupidum vidit, & auaritiæ morbo ægrotantem, abusus hoc vitio, vsque ad proditionis Domini ruinam, ob triginta argenteorum lucrum cum pertraxit. Quia autem mala ex nobis oriuntur, manifestè ostẽdit

Nihil in nobis ea se posse inimicus.

Matt. 4.

Luc. 22.

Malum ex nobis orit.

Matt.15. Dominus, dicens: Quia de corde malo procedunt cogitationes malæ, & reliqua. Hoc autem accidit his, qui per negligentiam inculta & squalentia naturalium in se bonorũ semina relinquũt: Prou.24. sicut ait Salomon: Quia sicut agricultura, ità vir insipiens: & sicut vinea, ità homo cui deest prudentia: & sic relinquens eam fiet deserta, & ascendent in Negligentiæ malum. ea spinæ, & erit derelicta. Huic ergò animæ, quæ ex huiuscemodi negligentia squaluerit, & in desertum venerit, consequens est suscipere illam sententiam, Gene.3. quæ dicit: Spinæ & tribuli orientur in Esa.5. ea, & pati illud, quod scriptum est: Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas. De qua dixit: Plantaui vineam soreth. Et tunc meritò dicitur ad eam, quod dictum est per seruũ Domini Hieremiam, Hiere.2. à Domino dicente: Ego plantaui te vineam fructiferam totam veracem: quomodò conuersa es in amaritudinem vitis alienæ?

De his, qui de secularibus negocijs ad conuersionem veniunt.

Cap. 92.

INTERROGATIO.

SI quis relinquens fiscalia debita, intret ad fratres, & parentes eius pro ipso exigantur & tribulentur: si non affert hoc culpam aliquam vel his qui cum susceperunt, vel ipsi illi qui ità gerit?

RESPONSIO.

Dominus noster Iesus Christus his, qui cum interrogauerunt, si licet censum dari Cæsari, aut non: Ostendite, inquit, mihi numisma census. Cuius ima- Matt.22. ginem habet & subscriptionem? Quum autem dixissent, quia Cæsaris: respõdit, dicens: Reddite ergò, quæ sunt Cæsaris, Cęsari: & quę sunt Dei, Deo. Ex hoc manifestè docemur, quia hi obnoxij sunt Qui sint tributis obnoxij. tributis Cæsaris, apud quos inuenitur census Cæsaris & imago. Si quis tale, etiam iustè veniens ad fratres, secum detulit, obnoxius est ad soluendum debitum. Si verò, omnibus derelictis in manibus propinquorum, abscessit: nullus vel ipsi, vel fratribus scrupulus debet existere. Notãda decisio, quando conuersus ad religionem, teneatur ad debita seculi.

De modo, quem seruare debet is qui præest, cum sororibus, & maximè circa confessionem.

Cap. 93.

INTERROGATIO.

SI oportet eum qui pręest, ei, quæ sororibus præest, loqui aliquid, quod ad ædificationem fidei pertineat, virginibus?

RESPONSIO.

Et quomodò seruabit præceptum illud Apostoli, dicẽtis: Omnia vestra honestè & secundùm ordinem fiant? 1.Cor.14.

INTERROGATIO.

Si conueniet eum qui præest, cum ea quæ sororibus præest, frequenter loqui: & maximè, si aliqui de fratribus pro hoc læduntur?

RESPONSIO.

Apostolo dicẽte: Vt quid enim libertas mea iudicatur ab alia cõscientia? & 1.Cor.10. bonum est imitari eum, dicẽtem: Quia 1.Cor.9. non vsus sum potestate mea, nè offendiculum aliquod darem in Euangelio Christi. Et quantùm fieri potest, rariùs videndæ sunt, & breuiùs est sermocinatio facienda. Nota, quibus sanctimoniales curæ sunt.

INTERROGATIO.

Si oportet, cùm soror aliqua confitetur quodcunque delictum suum presbytero, etiã matrem monasterij adesse?

RESPONSIO.

Honestius mihi videtur esse & religiosius, vt per seniorem matrem presbyter, si quid illud videtur, sibi statuat: & modum & tempus pœnitentiæ imponat ad emendationem eius, quã corrigi desiderat à peccato.

INTERROGATIO.

Si oportet gesta turpia cõfitenti vel obscœna, inuerecundiùs annunciare omnibus; aut certis quibuslibet à quibuscunque?

RESPONSIO.

Confessio peccatorum hanc habet Egregia similitudo de modo cõfessionis. rationem, quam habet vulnus aliquod corporis vel passio, quæ medico demõstranda est. Si ergò non omnibus quis vitia vel vulnera corporis sui reuelat, nec quibuslibet, sed his tantummodò, qui summæ peritiæ & testimonium habent, & curę ac medelæ disciplinam: ità Cõfessio non omnibus est facienda. confessio peccatorum fieri debet apud eos tantummodò, qui curare hæc præualent & emendare, secundùm quod scriptum est: Vos qui fortiores estis, in- Galat.6. firmitatem infirmorũ portate: hoc est, auferte & exportate per curationem.

INTERROGATIO.

Si ignorante matre seniore, presbyter præcipiat aliquid fieri sororibus, nun-

nunquid rectè indignatur mater senior?

RESPONSIO.

Etiam rectè, cui dubium? quoniam ille malè agit.

De impedimentis, quæ nobis potest dæmon inferre. Cap. 94.

INTERROGATIO.

SI potest impedire propositum sancti hominis satanas, quia scriptum est: Ego quidem Paulus semèl & bis, sed impediuit me satanas? 1. Thess. 2.

RESPONSIO.

Eorum quæ in Domino geruntur, quædam quidem proposito & iudicio animi efficiuntur: quædam etiam per corpus adimplentur, id est, vel labore, vel patientia corporis. Quæcunque igitur in animæ proposito consistunt, hæc impedire nullo modo potest satanas. Ea verò, quæ etiam ministerio corporis da implentur, frequenter (permissione tamen Dei) impediri possunt, ad probationem eius qui impeditur: vt appareat, si à bono proposito nequaquàm per huiusceemodi impedimenta mutatur. Sicut hi qui supra petram seminati dicuntur, quòd præsentes quidem audientes verbum cum gaudio susceperunt: facta autem tribulatione vel persecutione, cōtinuò recesserunt. Sed certè si permanerent in bonis, maioribus præmijs digni sunt, quasi qui in certamine vicerint, sicut & ipse Apostolus, quum frequenter proposuisset Romā proficisci, & prohibitum se fateretur, tamen non recessit à proposito: vsquequò, quod proposuerat, expleret. Sed & vt

Bona, di. uersimodè adimpleat. Quarè in bonis operibus quandoquè sancti impediantur. Lucæ 8. Rom. 1. Alia ratio

patientiam habeant, sicut & sanctus Iob, qui tanta à diabolo passus est, & cogerate loqui aliquid impiè aduersùs Deum, in nullo penitùs, ne in sermone quidem, regulam pietatis excessit: quo minùs sentiret contraria de Deo, sicut scriptum est: Quia in his omnibus non peccauit Iob labijs suis, neque stultum aliquid contra Deum locutus est. Tentationis sanctorum. Iob 1.

De bona stultitia in hoc seculo. Cap. 95.

INTERROGATIO.

QVomodò fit animus in præsenti seculo stultus?

RESPONSIO.

Si timeat sententiam Domini, dicentis: Væ qui prudentes sunt apud semetipsos, & in cōspectu suo sapiētes. Et imitetur eum qui dixit: Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Et omnem arrogantiam prudentiæ abijciens, non priùs credat sensibus suis inesse aliquid boni, quàm mandato Dei illuminetur: & intelligat quid est quod placeat Deo, siue in opere, siue in verbo, siue in cogitatione, secūdùm quod Apostolus dixit: Confidentiam autem talem habemus in Christo ad Deum: non quia à nobis idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi à nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen. Esa. 5. Psal. 72. Aurea doctrina. 2. Cor. 3.

EXPLICIVNT INSTITVTA monachorum sancti Basilij Cæsareensis Episcopi.

Hæc sunt, quæ à Rufino translata inueniuntur: vel potiùs, quæ nobis in præsentiarùm, huic operi inserenda, occurrere potuerunt.

Sub regula sancti Basilij militant omnes monachi Orientales siue Græci. In Occidente etiam sub ipsa fuisse dicuntur Carmelitæ, & quidam, Armenij nuncupati: qui modò alij sub alijs constitutionibus, alij sub regula beati Augustini degere affirmantur.

INCIPIT EPISTOLA SANCTI BASILII EPISCOPI DE FORMA HONESTAE VITAE.



BAsilius Gregorio salutem. Agnoui literas tuas, vt hi, qui amicorū filios ex ingenita, quam præ se ferunt, parentum similatione solent recognoscere. Nam quòd ais, situm quemlibet loci atque apparatum minus habere momēti, quàm vt possit animum tuum ad nobiscum conueniendum illicere, priusquàm de modo & more nostro atque instituto vitæ aliquid addiscas: fuit ea profectò tua tuæque mentis altitudine digna cogitatio, quæ cuncta simul præsentia, ad eam beatitudinem, quæ nobis in promissione seruatur, comparata, nihil æstimat. Ego verò, quæ quidem

dem ipſe in hac ſolitudinis extremitate die noctuque degens facio, quo minùs ſcribam, verecundia detineor. Nam reliqui equidem vrbanam commorationem, vt innumerabilium malorum cauſam, meipſum verò necdùm relinquere potui. Sed eis ſimilis ſum, qui in mari præ nauigationis imperitia hærent ſemper & fluctuant, & pereuntibus ſimilimi ſunt: qui nauis indignantur magnitudini, tanquàm ingentes illos motus excitauerit: atq; ſe indè vel ad lembum vel ad cymbam transferentes, vbiquè titubãt, hærent, nauſeant. Conſequitur enim illos vbiquè formido atq; bilis. Tale quiddam & nos patimur, quippe vitia perturbationesq; familiares circunferẽtes, in eiſdem vbiquè turbis atq; tumultibus ſumus. Itaq; parùm ex iſta ſolitudine profecimus. Ea tamen, quæ ad eius cõſequenda veſtigia, qui nos ad ſalutem inſtruxit, facienda erant, (Si quis enim, inquit, vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & ſequatur me) fere iſta ſunt. Enitendũ in primis atque inſiſtendum, vt animi quies habeatur. Vt enim oculus, qui iugiter circumagitur, & nũc quidem ad tranſuerſa porrigitur, nunc verò ad ſuperiora atque inferiora conuertitur, quod ſubiectum eſt, certius intueri nõ valet: ſed affigendus obtutus eſt ei quod cernere cupis, ſi planè atque penitùs inſpicere curas: Ità mentem quoquè hominis mille curis ſeculi attractam atque diſtentam, impoſſibile eſt certiùs intueri veritatem. Cæterùm eum, qui necdùm vinculis coniugalibus obſtrictus eſt, concupiſcentiæ feruentes & effrenati motus, amoresque quidam inſani turpesq; ſolicitant. At eum, qui iam vxori coniunctus eſt, alius quidam curarum tumultus excipit. Si deſint liberi, deſiderium ſuum commouent. Sin verò illi habeantur, vrgent educandorũ curæ, vxoris ſtudia, domûs diligentia, familiæ regimen, tabularũ diſpendia, aduersùs vicinos terrores per nefas quæſiti, iudiciorum concertationes, mercaturæ pericula, agriculturæ labores. Ac nè multa: dies quoquè proprias animę offundit tenebras, noctesq; præthereà, diurnas aſſumentes curas, eiſdem imaginibus decipiunt mentem. Verùm enim horum omnium fuga vna eſt, ſi quis ſeculum dereliquerit. Mundum verò relinquere ritè eſt, non extra illum corporaliter fieri, ſed animũ à corporis communione & cõmiſeratione ſeiungere, fieriq; ſine domo, ſine ciuitate, ſine ſodalitijs, ſine prædijs & villis, ſine re propria, ſine negocijs, ſine ſubſtantijs, ſine commercijs, imperitum humanarum doctrinarum, paratumq; corde ſuſcipere diuini magiſterij formas. Porrò cordis præparatio eſt, doctrinas omnes, quæ illud vitioſa ex cõſuetudine priùs occupauerãt, penitùs dediſcere. Vt enim ſcribere in cera nemo poteſt, niſi priùs inditas figuras antè deleuerit: ità ne animæ quidem diuini magiſterij formas imprimere quiſque poterit, niſi eas, quibus ea ex conſuetudine fuerat imbuta, ex ea priùs extirpare ſtuduerit. Maximam igitur ad hęc aſſequendum commoditatem nobis ſolitudo largitur, commitigans atque conſopiens vitia nobis infeſta, tum ocium aptiſſimum rationi tribuẽs ea penitùs ex animo reſcindendi. Sicut enim feræ beluæ, ſi priùs leniter demulceantur, facilè vincuntur: ità concupiſcentiæ, & iracundiæ, & timores, & triſtitiæ, venenata mala animi, ſi fuerint delinita per quietem, neq; iugi iritatione excitata in ferociã, faciliùs rationis virtute ſuperantur. Erit igitur locus eiuſmodi, qualis & noſter eſt, omni hominũ admixtione ſegregatus: nè à quoquam extraneo exercitationis interrumpatur aſſiduitas. Pietatis autem exercitatio diuinis cogitationibus enutrit animam. Quid igitur beatius atque felicius, quàm angelorum choros in terris imitari? Mox quidẽ erumpẽte luce ad orationis ſtudium occurrere, hymniſq; & canticis honorare creatorem? Tum verò clariùs ſole radiante, conuerſum ad opera, vbiquè oratione comitante, hymnis quoquè tanquàm ſale condire miniſteria? lætum quippe & ſerenum ſtatum animi ſolatia hymnorũ largiuntur. Initium itaque mundationis animi, quies eſt atq; ſilentium: cùm neque lingua loquitur humana, neque oculi colores ſpecioſos corporumque concinnitates circunſpiciunt, neq; auris rigorem animi ſoluit audiendis canticis ad voluptatem factis, vel verbis ſcurrarum ac ridiculorum hominum, quod vnum omnium maximè ſolet animi robur exóluere. Mens enim, quæ nec ad exteriora diffunditur, nec rursùs ad ſeculum per ſenſus attrahitur, redit quidem ad ſeipſam: per ſeipſam verò conſcendit ad Dei ſpeculationem, ac ipſius interiùs exteriùsque illuſtrata pulchritudine, naturam quoquè ipſam obliuiſcitur: cùm neque ad alimentorum curam, neque ad indumentorum ſolicitudinem attrahitur: ſed ocium à curis omnibus terrenis ac fragilibus agens, omne ſtudium ſuum, cunctamq; operam, ad conquirenda ſempiterna bona confert, ſolicita quonam modo aſſequatur pudicitiam & fortitudinem, iuſtitiam quoquè atque ſapientiam, virtutesq; reliquas: quæque his velut principalibus ſubdiſtinctæ, conuenientiſſimè ſingula vitæ officia implere ſuggerunt homini ſolerti atque ſtudioſo. Maxima verò inueniendi officij via eſt, perpetua diuinarum ſcripturarum meditatio. Deniquè in his geſtorum inſignium inueniuntur præclara monumenta, vitæque beatiſſimorum hominum conſcriptæ traduntur: quæ velut imagines quædam animatæ cæleſtis conuerſationis, propoſitæ ſunt ad imitandum. Itaque in quo ſe quiſque minus habere perſenſerit, illi perſeue-

feue-

ſeueranter incumbere, tanquàm ex communi quadam taberna medicinæ aptiſſimum
languori ſuo reperiet medicamentum. Et is quidem, qui amans fuerit pudicitiæ atque
ſtudioſus, ſancti Ioſeph hiſtoriam iugiter reuoluens, ab ipſo caſtitatis actus inſignes Gene.39.
edocebitur : quum illum non tantùm voluptatibus non indulſiſſe, verùm virtuti in-
tentiſſimè ſtuduiſſe, compererit. Fortitudine quoquè atque tolerantia imbuetur à
Iob, qui, quum ſibi prior omnis vita prioresque copiæ in contrarium decidiſſent, eſ-
ſetque in momento temporis effectus pauper ex diuite, orbatusque qui antè liberis fue- Iob 1.
rat ornatus : non modò idem perſeuerauit, qui anteà fuerat, rigidum vbiquè & infle-
xum ſeruans animi robur : verùm ne amicis quidem, qui ad conſolandum venerant, Iob 2.
inſultantibus & impetum in illum facientibus, atque dolores eius cumulantibus, ir-
tatus eſt. Rursùs proſpiciens quiſpiam, quonam modo mitis idemque magnanimis fi-
at, vt ira quidem aduersùs peccatum, modeſtia verò ad homines vtatur : inueniet Da-
uid fortiſſimum illum quidem, rebusque in bello fortiter geſtis illuſtrem : mitem ve-
rò atque immobilem in referendo inimicis talionem. Eiuſmodi quoquè Moyſes ille
fuiſſe perhibetur, qui furore quidem ingenti aduersùs eos, qui in Deum peccauerunt,
concitatus eſt : clementi tamen atque tranquillo animo conuicia in ſe ac maledicta ſuſ-
tinuit. Prorsùs autem, vt pictores induſtrij, quum ex imaginibus imagines ad vnguem
(vt dicitur) exprimere nituntur, frequenter ad exemplar adſpiciunt, lineamenta ex il-
lo omnia ad ſuam artem ſummopere transferre molientes : ità ei, qui ſe cupit eſſe
omnibus partibus virtutis ornatum atque perfectum, tanquàm ad ſtatuas quaſdam
animatas ac mobiles, iugiter in ſanctorum vitas & mores intendendum eſt, illorumque
probos actus ſibi conſciſcendum per imitationis ſtudium. Oratio præterèa, lectioni
ſuccedens, paratiorem ac vegetiorem animum aſſumit, inſigni quadam in Deum affe-
ctione commotum. Porrò illa erit optima oratio, quæ certam fixamque Dei conſide-
rationem animæ imprimit. Hæcque Dei inhabitatio eſſe dicitur, aſſidua memoria
Deum in ſemetipſo ſuſcipere atque complecti. Ità efficimur templum Dei, quum nec
terrenis curis aſſiduitas diuinæ recordationis intercipitur, neque rursùs repentinis
atque inſperatis animi perturbationibus exagitatur. Cæterùm is, qui Dei amicitia & fa-
miliaritate dignatur, omnia prorsùs effugiens, ad Deum ſolum proficiſcitur : paſſio-
nes omnes, quæ ſe ad intemperantiam hortantur, à ſe penitùs abigens, eiusque ſtudijs
maximè incumbens, quæ ad virtutem ducunt. Danda quoquè in primis opera
omnisque adhibenda ratio circa ſermonis ac locutionis vſum, vt is non ſit imperitus.
Verùm interrogandum quidem abſque contentionis ſtudio, reſpondendum verò ſine
iactantiæ vitio : non illi interloquendo, qui vtile aliquid dixerit : neque oſtentandi
ſtudio noſtra ingerere cupiendo. Itaque dicendi atque audiendi norma ſtatuenda :
diſcendum præterèa ſine rubore verecundiæ, docendumque ſine inuidia. Neque verò,
ſi quid fortè ab alio didicimus, occultandum, vt faciunt prauæ & ineptæ mulieres,
quæ notha ſubijciunt : ſed fatendum ingenuè, & gratè prædicandum patrem verbi.
Modus quoquè vocis medius proferendus atque honorandus : vt neque in tenuitate
aures effugiat, neque rursùs intenſa magnitudine grauis atque moleſtus fiat. Tum ve-
rò demùm ſermo proferendus eſt, quum quis intra ſemetipſum, quid dicendum eſt, ex-
aminauerit. Iucundum præterèa atque blandum in congregationibus eſſe conuenit,
dulcemque in eloquijs : non de ſcurrarum iocis feſtiuitatem aucupantem, ſed per gra-
tam exhortationem placidum ſeipſum ac lenem exhibentem, aſperitatemque vbiquè,
etiam ſi increpandum fuerit, repudiantem. Tunc enim iſte facilius audiet, cui emenda-
tione opus eſt, ſi te per humilitatis ſtudium deieceris. Perſæpè verò nobis vtilis erit pro- 2.Reg.24.
pheticæ increpationis modus, qui Dauid regi, quum ille peccâſſet, non à ſeipſo termi-
num damnationis induxit, verùm alterius ſubmiſſione perſonæ vtens, illum ipſum
reatûs ſui iudicem ſtatuis : vt, quum is aduersùs ſemetipſum ſententiam tuliſſet, nihil
iam haberet, vndè ſuccenſeret arguenti. Enimuerò humilem & abiectum animum ſe-
qui debet adſpectus grauis atque humi depreſſus, contemptus habitus, veſtis ſordida,
coma neglecta : vt, quæ dedita opera faciunt hi, qui lugent, ea omnia nos ſpontè præfe-
ramus. Tunica ipſa cingulo ſit adſtricta corpori. Erit autem is cingendi modus, vt non
ſupra lumbos & latera cingamus, quod eſſet profectò muliebre : neque rursùm ità ſi-
nuatè & molliter, vt veſtis defluat, quod & ipſum laſciuiã arguet. Sed & inceſſus ipſe
neque tardus ſit, vt diſſolutum animum accuſet : neque rursùm elatus & vehemens, vt
feros animi motus inſinuet. Veſtis autem intentio vna eſſe debet, vt ſit operimentum
carnis, hyeme æſtateque ſufficiens. Neque verò in colore flos, neque in præparatione
tenuitas atque mollities diligenda : neque in veſte decorôs colores attendere. Par eſſe
videtur compoſitioni muliebri, qua illæ accuratè ſtudent genas crinesque ſuos alieno
inficientes flore : quin ea debet eſſe groſſitudine tunica, vt ad calefaciendum conſorte
non indigeat. Calceamentum verò ità vile ſit, vt tantùm neceſſitatem ſupplcat. Prorsùs

autem, vt in vestitu, ità & in cibo necessitati consulendum est. Panis enim satisfaciet necessitati: & aqua, eius quidem qui sanus est, siti moderabitur: quæque præterea ex oleribus & leguminibus pulmenta vires corpori ad necessarias obeundas vtilitates præseruare poterunt. Ità verò comedendum, vt ardens in nobis non appareat ingluuies, verùm vbique grauitas, ac modestia, & circa voluptates continentia, seruetur. ne tunc quidem animus noster à Dei cogitatione vacare debet, verùm ex ipsa ciborum natura, sumentisque corporis officio, occasionem sumere dandi Deo gloriam: vt variæ ciborum species, salubritati proprietatique corporum conuenientes, ab eo, qui cuncta sapientissimè dispensat, excogitatæ sunt. Orationes ante cibum fiant Dei muneribus dignæ, quæque nunc tribuit, & quæ in futurum seruauit. Orationes item post cibum faciendæ, quæ & pro exhibitis gratiam referant, & ea quæ promissa sunt, petant. Hora vna sumendo cibo constituta, eadem per anni ambitum semper occurrat: vt per viginti quatuor horas, quibus diei cursus noctisque conficitur, vix vna istarum deputata sit corpori: reliquas omnes in animi exercitatione consumere monachus debebit. Somni prætereà leues, ex quibus exurgatur facilè, naturaliter sequentes exilitatem cibi: qui frequenter ex industria cogitationibus & magnarum rerum curis interrumpatur. Nam altissimo sopore deprimi solutis membris, vt detur ocium iniquis imaginibus, pateatque illis aditus ad illudendum animam: ità dormiétes morti facit additos. Cæterùm, quod alijs mortalibus aurora est, hoc erit mediæ noctis tempus his, qui ad pietatis studium exerceri pergunt: quum præcipuè singulare ocium animæ nocturna quies atque silentium pariat, quandò nec oculi nec aures adspectum aliquem aut auditum noxium ad cor asciscunt, sed méns sola in seipsa Deo iugiter assistens, compungit seipsam quidem ex eorum recordatione, quę antè peccauit: normam verò sibi statuit ad euitandum malum: inquiritque cum gemitu & lachrymis diuinum adiutorium ad ea perficienda, quæ studiosè proponit.

VALE.

SANCTI GREGORII NAZIANZENI THEOLOGI, IN S. BASILIVM, CARMEN EPITYMBIDION.

Alta regens Deus est vnus. Te nostra videbant,
O Basili, solum tempora pontificem:
Præclarum fidei testem, lucemq́ micantem
Christicolis: animæ dotibus eximium.
Cappadocum, Pontiq́ decus sublime, precor te,
Nunc quoquè pro mundo porrige vota Deo.

Itidem, vt suprà:

Viuebas minimùm mundo: nanque omnia Christo
Obtuleras, animam, corpora, verba, manus:
Gloria magna Dei, Basili: tu petra sacrati
Ordinis, & fidei nunc magè multifidæ.

In eundem.

Cæsareæ, Basili clarißime, gloria grandis,
Sermo tuus fulmen, vitaq́ fulgur habet.
Attamen ex sacra ceßisti sede: volebat
Te Deus actutùm iungere cælicolis.

Translata per monachum Brixianum congregationis sanctæ Iustinæ Ordinis sancti Benedicti de obseruantia, in eiusdem diuæ virginis ac martyris Iustinæ cœnobio.

Deo autem gratias.

REGV-

REGVLAE BEATI AVGVSTINI, SANCTAE ECCLESIAE DOCTORIS EXIMII, AC PATRIS TRIGINTAQVATVOR RELIGIONVM.

DE ORTV, INGENIO, ERVDITIONE, ERRORE, conuersione, ac sacra baptismali regeneratione diuini Doctoris Augustini, breuis narratio.



AVGVSTINVS Afer Carthaginensis ex Patricio patre & Monica matre genitus, puer acerrimi & admirandi fuit ingenij. Adolescens adhuc nanq; quicquid in libris artium, quas liberales vocãt, de arte disserendi, loquendi, de dimensionibus, de musicis & numeris traditum est: quoscunque legere potuit, sine magna difficultate absque vllo praeceptore (vt ipse testatur) per se intellexit. Hinc in Aristotelica doctrina, in disputandi astutia, omnique seculari literatura ità eruditus fuit: vt acutissimus philosophus, rhetor præstantissimus, argutissimusque dialecticus haberetur. In hoc tamen vno oberrauit, quòd Christiana veritate contempta, gentilium superstitionibus inhæsit. Et indè in Manichæorum hæresim prolapsus, dimidiam ferè vitam suam inter illorum mores ac vanas disciplinas, mundanosque errores contriuit. Postquàm autem pluribus annis & apud Carthaginem, & in vrbe Romana rhetoricam docuisset: Mediolanum venit, eandem artem ibidèm traditurus. Vbi cùm inuenisset sanctum illum & doctissimum virum, eiusdem ciuitatis antistitem Ambrosium: postquàm factus est catechumenus, sæpiùs cum eo conuersabatur ac disputabat. Et quia in disputando plurimùm fuerat exercitatus atque versutus, tantis interdùm contra sacrarum literarum scripturas argumentis, tanta pertinacia & disputationis suæ acrimonia ac vehementia patrem Ambrosium vrgebat, vt (eo teste) inter supplicationes suas Deum rogare coactus fuerit, vt se ab eius captionibus auerteret. Mirum in modum optabat sanctus ille pater, hominem tantæ doctrinæ in Christiana fide illuminari: iuges pro eo orationes offerebat. Pia quoquè eius mater Monica preces & lachrymas penè continuas pro ipso fundebat. Istis factum est, vt declinare aliquantulùm ab errore inciperet, & prædicationibus sancti antistitis aliquandò interesse curaret. In quibus dum syncritatem Christianæ fidei omnes disciplinas & omnium artium argumenta superare demonstraret, Augustinus diuino auxilio Christi veram religionem amplexus est. Et factus catechumenus à Simpliciano probatę sanctitatis viro de Christi fide & vera religione ità est instructus, vt omnis error, omnisque dubitationis timor ab eius animo procùl pelleretur. Multis tunc lachrymis errorem suum confessus est: magno luctu conuersionis diuturnitatem conquestus est, ingentique dolore seram pœnitentiam damnauit: sic tandèm cum filio suo Adeodato & socio Alypio à venerabili patre Ambrosio baptizatus est: nouisque vestimentis indutus triumphare tunc incepit Augustinus illa hora, in qua nouum hominem induit: & vnà cum Episcopo Ambrosio diuino quodam instinctu hymnum, Te Deum laudamus. de fide Christi cantauit.

IN REGVLAS DIVI AVRELII AVGVSTINI PRAEFATIO.



NON mediocrem verba vim habent ad monendum animum auditoris, dum ab eis non dissonat vita docentis. Tunc enim firma est prædicantis authoritas, cùm ea quæ dixerit, effectu operis, cordi audientis affixerit. Et illius vox doctoris, audientium corda libentiùs penetrat, quam dicentis vita commendat. Vndè & vir iustus & dictis & factis in suis sermonibus còprobatur. Nam si fuerit exercitatus quidem in sermonibus, & desidiosus in operibus, doctrinam factis destruit & repellit. Docturus igitur, priusquàm verbum exhortationis insonet, omne quod locuturus est, operibus clamet. Benefacere itaque, prima doctrina est. Cessantibus nanque verbis, ipsum opus bonum docet homines, dum videtur. Dictis ergò facta anteponantur: quoniam sine factis dicta nihil prosunt. Vndè de Iesu, cunctorum doctorum magistro,
Acto. 1. scriptum est, quod cœpit facere & docere. Ipse quoquè discipulos prædicaturos in-
Matt. 5. struens, dixit: Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorū: qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Grandis quippe còdemnatio est componenti quidem sermones suos, vitā verò atque opera negligenti. Idcircò viri sancti cùm se ad prædicandum parant, priùs interiùs se virtutibus ornant: vt ad hoc, quod loquendo docent, viuendo concordent. Sic & egregius ille prædicator Paulus se
1. Cor. 9. fecisse testatur: Corpus, inquit, meum castigo, & in seruitutem redigo, nè fortè, cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Sic quoquè magnus ille doctor Augustinus, post eius conuersionem fecisse dinoscitur. Cui rei certum afferunt testimonium, editæ ab eo regulæ, quas nō solùm alijs, simul viuere spondentibus, tradidit tenendas, sed & ipse cum illis vigilanter ac strenuè seruauit.

DIVI PATRIS AVRELII AVGVSTINI REGVLA PRIMA,

TRADITA FRATRIBVS, QVI SIMVL & communiter, secundùm Apostolicam traditionem, viuere spoponderunt.

CAP. 1.



Communi diffinitione decreuimus apud nos, quod nūquàm postmodùm ab aliquo poterit infringi. Residentibus in monasterio in nomine Domini nostri Iesu Christi, omnibus placuit, secūdùm Apostolicam traditionem, vnum sentire in Domino, & cōmuniter possidere, sicut scriptum est: Vnum sentire in Domino. Et nemo quidem proprium vendicet quicquam, sed sicut scriptum
Act. 2. & 3. est in Actibus Apostolorum: Habentes omnia communia, nemo quicquam esse suum dicebat, quod à nobis scriptum est. In Domino ergò iure obseruationis nos teneamus, quoniam in lege scriptum est: Qui perseuerauerit vsque ad Matt. 10. & 24.
finem, hic saluus erit.

CAP. 2.

Si quis autē venire desiderat ad congregationem fratrum, qui vnum esse videntur: non ignoret Euangelicum dictum, quod dixit: Vendat omnia sua, Matt. 19.
& eroget egenis & pauperibus. Et iterùm: Abneget semetipsum sibi, & tol- Lucæ 9.
lat crucem suam, & sequatur me. Et nè tractet in corde suo de victu aut vestitu, & cæteris quæ necessaria sunt corpori, ipso Domino præmonente in Euangelio, & dicente: Nolite cogitare, di- Matt. 6.
centes, quid edetis aut quid vestiemini? hoc enim gentes cogitant. Scit pater vester, quia horum omnium indigetis. Quærite primùm regnum Dei & iu-

& iustitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis.

CAP. 3.

Veruntamen antequàm statuat esse in monasterio, probet propositum fratrum atque exemplum, & ipsi probentur in omni conseruatione ab illo, qui Prior est, & cæteris consentientibus: ꝓpter illud, quod scriptura docet & admonet, dicens: Amicũ noli citò comprobare.

CAP. 4.

Sed si contigerit, vt aliquis ex qualibet causa necessitatis, à monasterio fuerit abstractus: ne vel mente concipiat, secum aliquid ferre de his omnibus, quæ in monasterio fuerunt: siue etiam quæ secum aliquandò attulerat, siue ea quę cũ fratribus acquisierat: quia certum est, fratres nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere, sine superioris licẽtia. Quòd si propinquus vel amicus, vel quilibet fratrũ aliquid offerre voluẽrit, primò quidem Priori insinuetur, & sic suscipiatur, si ipse mandauerit: de quo tamen nihil fiat aliud, nisi quod Priori placuerit vel permiserit. Quoniam valdè verendum est, Prouer. 13. nè sibi eueniat quod scriptum est: Vir mutabilis in lingua, incidit in mala. Et istum, vt nullum de fratribus secũ prouocet: nè magis destructor quàm ædificator monasterij videatur, Matth. 12. propter id quod scriptum est: Qui nõ est mecum, contra me est: & qui mecum non congregat, dispergit. Et quicunque prouocatus ab aliquo, de monasterio voluẽrit abscedere, aut indicet Pręposito: cui vtiq; de his, quę in communi decreuimus, nihil esse censeo subtrahendum: Eccl. 6. quia scriptum est, Pacifici sint tibi multi: sed vnus ex mille, sit tibi cõsiliarius.

CAP. 5.

Igitur hæc quę scripta sunt, cum summa diligentia obseruanda sunt à Præposito vsque ad omnes fratres. Et si quis ab aliquo doctrinã audiuerit, præterquàm in monasterio consecutus est ab eo, cui se credidit: hanc autem suscipiat, & eam non subtrahat doctori: quia scriptum est, Omne quod manifestat, lux est. Si enim bona fuerit, collaudanda est: si verò praua, reprobãda.

CAP. 6.

De his autem fratribus, qui in vnitate consistunt: si quis subitò aduersùs Præpositum altercatus fuerit, nõ solùm semel, sed secundò & tertiò, vt Euangelium docet, licet exorare. Si autẽ noluerit se emendare, ille cui iniuria irrogata est post pœnitẽtiam vel secũdam correctionẽ, quę non reuocauerit, contumacem denunciet & illud Pręposito: nè per taciturnitatem ille & frater suus pericliteтur, sicut Salomon ait: Qui occultat inimicitiam, instruit dolum.

CAP. 7.

Si verò, vt fieri solet, incursio repentina superuenerit, aut hostilitas: vt impossibile sit, fratribus in vnum fugã petere propter insecutionem inimicorũ, & postmodùm Deo fauente euaserint, & potuerint peruenire, vbi Præpositũ esse cognouerant, velut filij ad patrem festinare debebunt. Nec vllo modo poterũt separari, quos diuina charitas sociauit, quia scriptum est: Perfecta dilectio foràs mittit timorem. 1. Ioann. 4.

CAP. 8.

Si quis autẽ, quod superiùs diximus, causa necessitatis detinet id, quod à monasterio secum portauit: necessè habebit, vbi Præpositus suus est, illud proferre: quia non poterit sibi retinere, quod per pactum ad omnes pertinet, & Deo vtiquè est consecratum. Sed si cogitauerit de his aliquid retinere, cõtradictum Apostoli agere videtur, qui ait: Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicèm diligatis vos. Rom. 13.

CAP. 9.

Omnia quæ in isto libro continentur, omnes fratres obseruent, atque se subscribant, qui boni esse desiderant. Verùm propter illos hæc sunt cauta, id est, scripta, qui in omnibus stabiles esse noscuntur.

EXPLICIT PRIMA REGVLA sancti Augustini.

DIVI PATRIS AVRELII AVGVSTINI REGVLA SECVNDA,

confratres de modo ac tempore orandi, psallendi, legendi, operandi, viuendi, & conuersandi, conuenienter instruens.

CAP. 1.

ANte omnia, fratres charissimi, diligatur Deus: deindè, proximus. Qualiter autem oporteat nos orare vel psal-

psallere, describimꝰ. id est, In matutinis dicantur psalmi octuagintaocto cũ debitis antiphonis, versibus, & responsorijs. Ad primam & tertiam dicantur sui psalmi, antiphonæ duæ, lectiones duæ. Simili modo ad sextam & nonam dicantur sui psalmi, cum debitis respõsorijs & antiphonis. Hoc idẽ in vesperis & cõpletorio seruetur. Ad lucernariũ autẽ psalmus vnus, responsorium vnũ, antiphonæ tres, lectiones tres. Et opportuno post lucernariũ, omnibus sedentibus, legantur lectiones. Nocturnæ autem lectionis mense Nouembri, Decembri, Ianuario & Februario, antiphonæ duodecim, psalmi sex, lectiones tres: Martio, Aprili, Septembri, Octobri, antiphonæ decẽ, psalmi quinque, lectiones tres: Maio, Iunio, Iulio & Augusto, antiphonæ octo, psalmi quatuor, lectiones duæ.

CAP. 2.

Operentur à manè vsq; sextam, & à sexta vsque ad nonam vacent lectioni: & ad nonam reddent codices. Et postq̃ refecerint, siue in horto, siue vbicunq; fuerint, faciant opus vsq; ad horam lucernarij. Nemo sibi aliquid vendicet proprium, siue in vestimento, siue in quacunque re. Apostolica enim vita
Act. 2. & 4. optamus viuere. Nemo cum murmure aliquid faciat, vt non simili iudicio murmuratorum pereat. Fideliter obediant: hi patrem suum post Deum honorauerunt: Præposito suo deferant, sicut decet sanctos. Sedentes ad mensam taceant, audientes lectiones: Si autem aliquid opùs fuerit, Præpositus eorum solicitus sit. Sabbato & Dominica, sicut consuetudo est, qui volũt, vinum accipiant.

CAP. 3.

Si opùs fuerit ad aliquam necessitatem mitti, duo eant. Nemo extra monasterium sine præcepto manducet, neque bibat. Non enim hoc ad disciplinam pertinet monasterij. Si opera monasterij mittantur fratres vendere, solicitè caueant, nè quid faciant contra præceptum, scientes, quoniam exacerbant Dominũ in sanctis suis. Si aliquid emant ad necessitatẽ monasterij, solicitè & fideliter, vt serui Dei, agant.

CAP. 4.

Ociosum verbum apud illos nõ sit. Manè ad opera sua sedeant: post orationem tertiæ eant ad opera sua: non stantes fabulas contexant, nisi fortè aliquid sit pro vtilitate animæ: sedentes ad opera, taceant: nisi necessitas operum exigeret, vt loquatur quis.

CAP. 5.

Si quis autem nõ omni virtute, adiuuante misericordia Dei, hæc conatus fuerit implere, sed contumaci animo despexerit: semèl atq; iterùm cõmonitus, si non emendauerit, sciat se subiacere disciplinæ monasterij, sicut oportet. Si autem talis fuerit ætas ipsius, vapulabit. Hæc in nomine Christi fideliter & piè obseruantes, & vos proficietis, & nobis non parua lætitia erit de vestra salute. Hæc sunt, quæ vt obseruetis, præcepimus in monasterio cõstituti.

EXPLICIT SECVNDA REGVLA sancti Augustini.

DIVI PATRIS AVRELII AVGVSTINI REGVLA TERTIA,

in qua latiùs tradidit ea, quæ ad communem clericorum vitam pertinent: quæ & à nonnullis inter sermones de communi vita clericorum, enumeratur.

Ante omnia, fratres charissimi, diligatur Deus: deindè, Matt. 22. proximus. quia ista præcepta sunt principaliter nobis data. Hæc igitur sunt, quę vt obseruetis, præcipimus in monasterio constituti.

CAP. 1.

Primum propter quod in vnum estis congregati, vt vnanimes habitetis in domo, & sit vobis anima vna & cor vnum in Deo. Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia cõmunia. Non dicatis aliquid proprium. 12. q. 1.

CAP. 2.

Et distribuatur vnicuique vestrûm à Præposito vestro victus & tegumentũ: non æqualiter omnibus, quia nõ æqualiter valetis oẽs: sed potiùs vnicuique, sicut cuique opùs fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apostolorum: Quia Act. 2. & 4. erant illis omnia cõmunia, & distribuebatur vnicuiq;, sicut cuique opùs erat.

CAP. 3.

Qui aliquid habebãt in seculo, quãdò ingressi sunt monasterium, libenter velint illud esse commune. Qui autem

non

non habebant, non ea quærant in monasterio, quæ nec forìs habere potuerunt.

CAP. 4.

Sed tamen eorum infirmitati, quod opùs est, tribuatur: etsi paupertas eorum, quandò forìs erat, nec ipsa necessaria poterat innenire. Tamẽ non ideò se reputent esse felices, qnia inuenerũt

Fratres non se putent felices.

victum & regumentum, quale forìs inuenire non poterant: nec erigant ceruicem, quia sociantur eis, ad quos forìs accedere non audebãt: sed sursùm cor habeant, & terrena vana non quęrant: nè incipiant esse monasteria diuitibus vtilia, non pauperibus: si diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur.

CAP. 5.

Rursùs etiam illi, qui aliquid esse videbantur in seculo, non habeant fastidio fratres suos, qui ad illam sanctam societatẽ ex paupertate venerunt. Magìs autem studeant non de parentum diuitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate, gloriari. Nec extollantur, si communi vitæ aliquid de suis facultatibus cõtulerunt: nec de suis diuitijs magis superbiant, quia eas in monasterio partiuntur, quàm si eis in seculo fruerentur. Alia quippe quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant: superbia verò etiã bonis operibus insidiatur, vt pereant. Et quid prodest dispergere dando pauperibus, & pauperẽ fieri, cùm anima misera superbior efficitur diuitias contemnendo, quàm fuerar possidendo?

Gloriari oportet de pauperum fratrum societate.

CAP. 6.

Fratres, vnanimiter viuite concorditer.

Omnes ergò vnanimiter & concorditer viuite, & honorate in vobis Deum inuicèm, cuius tẽpla facti estis.

CAP. 7.

Instate orationibus.

Orationibus instate horis & temporibus constitutis.

CAP. 8.

In ecclesia nolite loqui verba inhonesta.

In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, vndè & nomẽ accepit: vt si fortè aliqui etiam præter horas constitutas, si eis vacat, orare voluẽrint, non eis sint impedimento, qui ibì aliquid agendum putauerint.

CAP. 9.

Hoc versetur in corde, quod profertur in voce.

Psalmis & hymnis cùm oratis Deũ, hoc versetur in corde, quod profertur in voce.

CAP. 10.

Et nolite cãtare, nisi quod legistis esse cantandum. Quod autem non ità scriptum est vt cantetur, non cantetur.

CAP. 11.

Carnem vestram domate ieiunijs & abstinentia escæ, quantùm valetudo permittit.

Fratres, domate corpus vestrũ, quantùm valetudo permittit.

CAP. 12.

Quandò autem aliquis non potest ieiunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimentorũ sumat, nisi cùm ægrotat.

CAP. 13.

Cùm acceditis ad mensam, donèc indè surgatis, quod vobis secundùm consuetudinem legitur, sine tumultu & contentionibus audite: nè solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant Dei verbum.

CAP. 14.

Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in victu, non debet alijs molestum esse, nec iniustum videri, quos fecit aliqua consuetudo fortiores. Nec illos feliciores putent, quia sumunt qnod nõ sumunt ipsi: sed sibi potiùs gratulentur, quia valent, quod non valent illi.

Hic compatiendum est infirmis.

CAP. 15.

Et si eis, qui venerũt ex moribus delicatioribus ad monasterium, aliquid alimẽtorum, vestimentorũ, operimentorum datur, quod alijs fortioribus, & ideò felicioribus, non datur: cogitare debent, quibus non datur, quantùm de sua seculari vita illi ad istam descenderint, quanuìs vsque ad aliorum, qui sunt corpore firmiores, frugalitatem peruenire nequiuerint. Nec debent velle oẽs, quod paucos vidẽt ampliùs, nõ qa honorãtur, sed quia tolerantur, accipere: nè cõtingat detestanda peruersitas, vt in monasterio, vbì quãtùm possunt, fiunt diuites laboriosi, fiant pauperes delicati.

Compatiendum est delicatis.

CAP. 16.

Sanè quemadmodùm ægrotantes necessè habẽr minus accipere, nè grauentur: ità post ægritudinem sic tractandi sunt, vt citiùs recreentur, etiam si de humilima seculi paupertate venerunt, tanquàm hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior consuetudo.

CAP. 17.

Sed

Recreandi sunt qui fuerunt infirmi.

Sed cùm vires pristinas reparauerint, redeant ad feliciorem consuetudinem suam, quæ famulos Dei tanto ampliùs decet, quanto minùs indigent: nè cibi eos teneat voluptas iam vegetatos, quos necessitas leuârat infirmos. Illos existimet ditiores, qui in sustinenda parcitate fuerint fortiores. Melius est enim, minùs egére, quàm plus habere.

CAP. 18.

Habitus vester sit humilis.

Nō sit notabilis habit' vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus.

CAP. 19.

Bini incedunt.

Quandò proceditis, simul ambulate: cùm veneritis, quò it s, simul state.

CAP. 20.

Adspectus vester neminem offendat.

In incessu, statu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat adspectū, sed quod vestrā deceat sanctitatem.

CAP. 21.

Oculos vestros nolite figere in vllam mulierem.

Oculi vestri etsi iaciūtur in aliqnam fœminarum, non figantur in illa. Neq; enim quandò proceditis, fœminas videre prohibemini: sed appetere, aut ab ipsis appeti velle, criminosum est. Nec solo tacito affectu, sed affectu quoquè & adspectu appetitur, & appetit cōcupiscentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus, impudici cordis est nuncius.

Sicut oculus, ità animus est pudicus.

Et cùm se inuicèm sibimet, etiam tacente lingua, conspectu mutuo corda nunciant impudica, & secundùm concupiscentiā carnis alterutro delectantur amore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de motibus.

Etiā ab intactu immundo.

Nec putare debet, qui in fœmina figit oculos, & illius in se diligit fixum, ab alijs se non videri, cùm hoc fecerit. Videtur omninò, & à quibus se videri non arbitratur. Sed eccè lateat, & à nemine hominum videatur: quid faciet desupèr inspectore, quē latére nihil potest? An ideò putandus est non videre, quia tanto videt patientiùs, quanto sapientiùs? Illi ergò vir sanctus timeat displicere, nè velit fœminæ malè placere. Illum cogitet omnia videre, nec velit fœminam malè videre. Illius nanque & in hac causa commēdatus est timor, vbi scriptum est: Abominatio est Domino defigens oculum.

Caue, quia Deus vbiq; te videt.

CAP. 22.

Pudicitiam custodite.

Quandò ergò simul estis in ecclesia, & vbicunq; vbi fœminæ sunt, inuicèm vestram pudicitiam custodite. Deus enim qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis.

CAP. 23.

Et si hāc, de qua loquor, oculi petulantiam in aliquo vestrûm aduerteritis, statìm admonete, nè cœpta progrediantur, sed de proximo corrigantur. Si autem & post admonitionem iterùm vel alio quocunque die idipsum cum facere videritis, iam velut vulneratum, sanandum procedat, quicunq; hoc potuerit inuenire. Priùs tamē & alteri vel tertio demonstrandum, vt duorum vel trium possit ore conuinci, & competenti seueritate coërceri. Nec vos iudicetis esse maleuolos, quandò hoc indicatis. Magìs quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari, cùm timeret secari: nónne crudeliter abs te sileretur, & misericorditer indicaretur? Quāto ergò potiùs debes manifestare, nè deteriùs putrescat in corde? Sed antequàm alijs demonstretur, per quos conuincendus est, si negauerit: priùs Præposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi: nè fortè possit, secretiùs correctus, non innotescere cæteris. Si autem negauerit, tunc neganti adhibēdi sunt alij: vt iam coram omnibus possit nō ab vno teste argui, sed à duobus vel tribus conuinci. Conuictus verò, secundùm Præpositi, vel etiā presbyteri, ad cuius dispensationē pertinet, arbitriū debet emendatoriam subire vindictam. Quam si ferre recusauerit, etiam si ipse non abscesserit, de vestra societate proijciatur. Nō enim & hoc fit crudeliter, sed misericorditer, nè contagione pestifera plurimos perdat.

Indicate Priori ea, quæ sunt contra ordinem.

Incorrigibilis debet expelli.

CAP. 24.

Et hoc, qnod dixi de oculo non figendo, & in cæteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincēdis, vindicandisq́ue peccatis, diligenter & fideliter obseruetur cum dilectione hominum & odio vitiorum.

Vitia sunt odienda.

CAP. 25.

Quicunq; autē in tātum progressus fue-

Nec literæ, nec munera sunt accipienda sine licentia.

fuerit malum, vt occultè ab aliquo literas vel quodlibet munus acciplat, si hoc vltrò cõfitetur, parcatur illi, & oretur pro illo. Si autem depræhenditur, atq; cõuincitur: secundũ arbitriũ presbyteri vel Præpositi graui⁹ emẽdetur.

CAP. 26.

Sub vno vestiario.

Vestes vestras in vnũ habeatis sub vno custode vel duobus, vel quot sufficere potuerint ad eas excutiendas, nè à tinea lædantur. Et sicut pascimini ex vno cellario, sic induamini ex vno vestiario. Et si fieri potest, non ad vos pertineat, quod vobis indumentũ, ꝓ temporis congruẽtia, ꝓferatur, vtrũ recipiat hoc vnusquisq; quod deposuerat, an aliud quod alter habuerat: dum tamen vnicuiq;, prout opùs est, non negetur. Si aũt hinc inter vos contentiones & murmura oriũtur, cùm queritur aliquis deterius se accepisse, q̃ priùs habuerat, & indignũ se esse, ꝙ non ità vestiatur, sicut alius frater eius vestitur, hinc vos ꝓbate, quantum vobis desit in illo interiore sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen si vestra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis, quod posueritis: in vno tamen loco, sub communibus custodibus habete, quod ponitis.

CAP. 27.

Omnia debent esse communia.

Ità sanè, vt nullus sibi aliquid operetur: sed omnia opera vestra in vnum fiant maiori studio & frequentiori alacritate, q̃ si vobis singulis feceritis propria. Charitas enim, de qua scriptũ est, ꝙ non quærit quę sua sunt, sic intelligitur, quia cõmunia ꝓprijs, non propria cõmunibus, anteponit. Et ideò quanto ampliùs rem cõmunem, q̃ propria vestra, curaueritis, tãto vos ampliùs proficere noueritis: vt in omnibus, quibus vtitur transitura necessitas, supereminneat, quæ permanet, charitas.

1. Cor. 13.

CAP. 28.

Consequens ergò est, vt etiã qui suis filijs, aut aliqua necessitudine ad se pertinẽtibus, in monasterio cõstitutis, aliquam contulerit vestẽ, siue quodlibet aliud inter necessaria deputãdum, non occultè accipiatur, sed fit in potestate Prępositi, vt in rem cõmunem redactũ, cui necessarium fuerit, prębeatur.

CAP. 29.

Pro furto reputabitur.

Quòd si aliquis rem sibi collatã celauerit, furti iudicio condemnetur.

CAP. 30.

Indumenta vestra, secundùm arbitrium Præpositi, lauentur, siue à vobis, siue à fullonibus, nè interiores animæ sordes contrahat mundæ vestis nimius appetitus.

CAP. 31.

De consilio medicorũ.

Lauacrũ etiam corpori, cùm infirmitatis necessitas cogit, minimè denegetur. Fiat sine murmure de cõsilio medicinæ, ità vt, etiam si nolit, iubente Præposito faciat, quod faciendũ est pro salute. Si aũt velit, & fortè non expedit, suæ cupiditati nõ obediatur. Aliquandò enim, etiã si noceat, ꝓdesse creditur quod delectat. Deniq; si latẽs est dolor in corpore, famulo Dei dicenti quid sibi doleat, sine dubitatiõe credatur. Sed tamen, vtrùm sanando illi dolori, quod delectat, expediat: si non est certum, medicus consulatur.

Prælatus infirmo credat sine dubitatione.

CAP. 32.

Nec eant ad balnea, siue quocunq; ire necesse fuerit, minùs q̃ duo vel tres. Et ille, qui habet aliquò eundi necessitatem, cum quibus Præpositus iusserit, ire debebit.

CAP. 33.

Infirmi habeant seruitorem.

Aegrotantium cura, siue post ægritudinem reficiendorũ, siue aliqua imbecillitate, siue etiam febribus laborãtium, vni alicui debet iniungi, vt ipse de cellario petat, quod cuique opùs esse prospexerit.

CAP. 34.

Sine murmuratione.

Siue autem qui cellario, siue qui vestibus, siue qui codicibus pręponuntur, sine murmure seruiant fratribus suis.

CAP. 35.

Codices certa hora singulis dieb⁹ petãtur: extra horã q̃ petierit, nõ accipiet.

CAP. 36.

Vestimenta verò & calceamenta quãdò indigentibus fuerint necessaria, dare non differant, sub quorum custodia sunt, quæ poscuntur.

CAP. 37.

Citò lites vestras finiatis.

Lites autẽ nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis: nè ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam. Sic enim legitis: Qui odit fratrẽ suum, homicida est.

1. Ioan. 3.

CAP. 38.

Quicunq; conuicio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquẽ læsit: meminerit satisfactione quàm citiùs

curate, quod fecit: & ille qui læſus eſt, ſine diſceptatione dimittere. Si autem inuicem ſe læſerint, inuicèm ſibi debita relaxare debebũt propter orationes veſtras: quas vtiquè quanto crebriores habetis, tanto ſaniores habere debetis. Melior eſt autẽ, qui quanuìs ſæpè tentatur, tamen impetrare feſtinat, vt ſibi dimittat, cui ſe feciſſe agnoſcit iniuriã: q̃ qui tardiùs iraſcitur, & ad veniã petendam tardiùs inclinatur. Qui autem nunquàm vult petere veniam, aut non ex animo petit, ſine cauſa eſt in monaſterio, etiam ſi indè non proijciatur.

Qui veniã nõ vult petere, extra ſocietatem proijciatur. Id eſt, q̃ petere veniã debemus.

CAP. 39.

Proindè vobis à verbis durioribus parcite: quæ ſi emiſſa fuerint ex ore veſtro, non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta, vndè facta ſunt vulnera.

Semper debemus humiliare.

CAP. 40.

Quandò autem neceſſitas diſciplinę in moribus coercẽdis dicere vos verba dura cõpellit, ſi etiam ipſi vos modum exceſſiſſe ſentitis: nõ à vobis exigitur, vt à veſtris ſubditis veniam poſtuletis: nè apud eos, quos oportet eſſe ſubiectos, dum nimiùm ſeruatur humilitas, regendi frangatur authoritas. Sed tamen petẽda eſt venia ab omnium Domino, qui nouit etiam eos, quos plùs iuſto fortè corripitis, quanta beneuolentia diligitis. Non autem ea malis, ſed ſpiritualis inter vos debet eſſe dilectio.

CAP. 41.

Præpoſito tanquàm patri obediatur: multò magìs presbytero, qui omnium veſtrûm curam gerit.

CAP. 42.

Vt ergò cuncta iſta ſeruentur, & ſi quid ſeruatum minùs fuerit, nõ negligenter prætereatur, ſed vt emendandũ, corrigendumq́; curetur: ad Præpoſitũ præcipuè pertinebit, vt ad presbyterũ, cuius eſt apud vos maior authoritas, referat quod modũ vel vires eius excedit.

Auguſtinus præſumit q̃ obedire debemus.

CAP. 43.

Ipſe verò, qui vobis præeſt, nõ ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente felicem. Honore coram vobis prælatus ſit, vobis timore coram Deo ſubſtratus ſit pedibus veſtris. Circa omnes ſeipſum bonorũ operũ præbeat exemplũ, corripiat inquietos, cõſoletur puſillanimes, ſuſcipiat infirmos, patiens ſit ad omnes. Diſciplinam libens habeat: metuendus imponat. & quanuìs vtrunque ſit neceſſarium, tamen plùs à vobis amari appetat, q̃ timeri, ſemper cogitans Deo ſe pro vobis redditurũ eſſe rationem. Vndè vos magis obediendo, non ſolùm veſtrî, ſed etiam ipſius miſeremini, qui inter vos quanto in loco ſuperiore, tanto in periculo maiore verſatur.

Qui præeſt, cum charitate ſeruiat fratribus.

Amari debemus potiùs quàm timeri.

CAP. 44.

Monet Dominus, vt obſeruetis hæc omnia, tanq̃ ſpiritalis pulchritudinis amatores, & bono Chriſti odore de bona conuerſatione fragrantes, non ſicut ſerui ſub lege, ſed ſicut liberi, ſub gratia conſtituti.

Non ſerui ſumus, ſed liberi.

CAP. 45.

Vt autem vos in hoc libello, tanquàm in ſpeculo poſſitis inſpicere, nè per obliuionem aliquid negligatis, ſemel in ſeptimana vobis legatur. Et vbì vos inueneritis ea, quæ ſcripta ſunt, facientes: agite gratias Domino, bonorum omnium largitori. Vbì autem ſibi quicunque veſtrûm videt aliquid deeſſe, doleat de præterito, caueat de futuro: orans, vt debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Amen.

Regula vocatur ſpeculum.

Semèl in ſeptimana.

Doleat de præterito, caueat de futuro. Matt. 6.

EXPLICIT TERTIA REGVLA ſancti Auguſtini.

Forma, ſecundùm quam beatus Auguſtinus communem ſocietatem dedit eis, qui ſuo fratrumq́ue ſuorum conſortijs coniungi optabant.

OMnes quiuis per gratiam baptiſmi fratres ſumus in CHRISTO, & vnum patrem habemus in cælo, ſi eius præceptis, prout poſſumus, obſequimur, proculdubiò tunc maximè vnimur, quandò orationibus & beneficijs inuicèm noſmetipſos copulamus, quemadmodùm & in primitiua eccleſia, quibus cor vnum erat & anima vna. Quorum amore plures acceſſi mente, poſſeſſiones & facultates rerum vendẽtes, congregatis cum matre IESV CHRISTI in vnum precia deferebant gaudentes. Sicque iſte nihilominùs, Deo inſpirante, eorum exemplo commonitus, noſtris optat cõiungi conſortijs, idcircò damus ei communem ſocietatem viuẽdi nobiſcum: quantùm autem à Dño ꝑmereri poſſumus, & noſtrum eſt largiri, quatenùs cum electis à remuneratore omnium bono-

Acto. 4.

bonorũ valeat præmia repromissa percipere. Per eundem Christum Dominum nostrum Amen.

FINIS.

Sub regula Augustini militãt omnes Canonici Regulares, fratres Prædicatores, Eremitani, Seruitę, Ordo sanctę Brigidæ, Ordo sancti Hieronymi, nouiter institutus ab Eugenio quarto, Ordo Scopetinorum, ordinatus à Gregorio duodecimo, Ordo sancti Ioannis Hierosolymitani, qui vulgariter Fericeri nuncupantur, Ordo Hospitalariorũ sancti Antonij, Ordo Cruciferorũ: oẽs habitu & constitutionibus differentes.

LAVS DEO.

REGVLA SIVE INSTITVTA MINORVM, SVB SERAPHICO PATRE FRANCISCO MILITANTIVM.

DE ORTV, CONVERSIONE, SANCTITATE AC MIRACVLIS SERAPHICI PATRIS. BEATI FRANCISCI, BREVIS ET SVCCINCTA DESCRIPTIO.



RANCISCVS Seraphicus, patre admodùm locuplete in Tuscia Asisij ortus, vsque ad vigesimum ætatis suę annum, lætiorem blandientis fortunæ auram noxiasq; labentis mundi delicias secutus, præcipitem inter secularia vitam duxit: sed paterno grauioris ægritudinis verbere ab altissimo piè correptus, veterem hominem exuens, mutatione dexteræ excelsi subitò nouum induit: argentariam patris mensam reliquit: fit cælestis de terrestri mercator: passimq; sibi de mãmona iniquitatis amicos acquirens, vallium latebras orationis causa, tanquàm gemebũdus turtur, explorat: materialibus autem ecclesiæ muris reparandis intendens, spiritalis mox ab ipso restaurãdæ felix sumpsit auspiciũ. Hoc etenim priùs à Domino in antiquo sancti Danielis sacello per Crucifixi imaginem pręceptum acceperat, quãdò & per eandẽ imaginẽ audiuit: Frãcisce, sequere me. Aegrè ferẽs durus pater sancti viri profectus, ignorans quæ Dei sunt, soliq; viuens mundo, Franciscum seruilibus affectum flagris, grauioribus oneratũ cõpedibus, domesticos detrudit in carceres: cõmotis verò super eum maternæ pietatis visceribus, absente patre solutus, his tantis in se iniurijs ipse erga Dominum magis accensus, cœpto alacriter perstitit instituto. Neq; tamen sic acquiescens victus pater, victorem Franciscum in ius vocat: repetit, quod sibi sustulerat, magnum auri podus: &, vt paternæ hæreditatis spei renunciet, conatur exigere. At Franciscus, immẽso diuini ignis ardore succẽsus, nedùm petita præstitit, sed & indumẽta omnia, quibus etiam naturæ pudibunda teguntur, patri lætus exhibuit, nimirùm in cruce IESVM nudus ipse nudum secutus est. Videns antiquus hostis, nihil iam Francisco relictum, non diuitias, non vestes, quibus eum ad terram traheret: solam carnem, quæ superat, succendit, illicit, inquietat. Reducit ad mentem inuictus pugil diui Benedicti spinas & tribulos: quæ cùm locus ille non haberet, inter glaciales niuis congestos cumulos nudus volutatur, quoàd extincto carnis ardore, victus sathan abscederet. Cùm eum aliquandò hyemis algore simplici ac vili obtectum palliolo, quotidianum panem ostiatim mendicantem, conciues sui velut dementem cœno atq; immundissimis sputis iactisq; crebriùs lapillis impeterent, & omni prorsùs opprobriorũ genere subsannãtes insequerentur: ille Apostolorum exemplo plurimùm exultabat, quòd dignus esset pro nomine IESV contumeliam pati. Breuì deniquè supremum totius Euangelicæ perfectionis culmen attigit: paupertati, quam dominã suam vocitabat, adeò affectus erat, vt in hac sibi superioribus plurimùm inuideret. Prætereà cùm se inter peccatores primum esse constanter assereret, socius ipsius orans, vidit vacantem Luciferi sedem Francisco reseruari. Mutauit aquas in vinum. Sitienti rustico de silice fontem excussit. Infirmis quibusque, tam absentibus, quàm præsentibus, sospitatẽ celerem afferebat. Prophetiæ spiritu viguit. Apostolicum illud veraciter potuit decantare: Ego Domini mei IESV CHRISTI stigmata in corpore meo porto. quæ nimirùm in seipso vir sanctus suscipere ac sentire promeruit. Præclarissima postremùm huius viri per omnia Apostolici merita, militans sub eiusdem sequenti regula, longè lateque diffusus ordo testatur.

PROLOGVS IN VITAM ET REGVLAM FRATRVM MINORVM.



HONORIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filijs, fratri Francisco & alijs fratribus de ordine fratrum Minorum, salutẽ & Apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes Apostolica pijs votis & honestis petentium desiderijs fauorem beneuolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris pijs precibus inclinati, ordinis vestri regulam, à bonę memoriæ Innocentio Papa prædecessore nostro approbatam, annotatam: pręsentibus authoritate vobis Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus: quæ talis est:

IN NOMINE DOMINI:

INCIPIT VITA ET REGVLA FRATRVM MINORVM.

Cap. 1.



REGVLA & vita Minorum fratrũ hæc est: scilicet, Domini nostri IESV CHRISTI sanctum Euangeliũ obseruare, viuendo in obedientia, sine ꝓprio, & in castitate. Frater Franciscus promittit obedientiam & reuerentiam Domino Papæ Honorio, ac successoribus eius canonicè intrãtibus, & Ecclesiæ Romanæ. Et alij fratres teneantur fratri Francisco & eius successoribus obedire.

De his, qui volunt vitam istam accipere, & qualiter recipi debeant. Cap. 2.

SI qui voluerint hanc vitam accipere, & venerint ad fratres nostros, mittant eos ad suos Ministros prouinciales: quibus solummodò, & nõ alijs, recipiendi fratres licentia cõcedatur. Ministri verò diligẽter examinent eos de fide catholica, & de Ecclesiasticis Sacramentis. Et si hæc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri, & vsque in finem firmiter obseruare: & vxores non habent: si habent, & iam monasterium intrauerunt vxores, vel licentiam eis dederint authoritate diœcesani Episcopi voto continentiæ iam emisso: & illius sint ætatis vxores, quòd nõ possit de eis oriri suspicio: dicant illis verbum sancti Euangelij, quòd vadant, & vendãt omnia sua, & ea studeãt pauperibus erogare. Quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. Et caueant fratres, & eorum Ministri, nè solicìti sint de rebus suis tẽporalibus, vt liberè faciant de rebus suis, quicqd Dominus inspirauerit eis. Si tamẽ consilium requiratur, licentiã habeant Ministri, mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogarentur. Posteà concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas sine caputio, & cingulum, & brachas, & caparonem vsq; ad cingulum, nisi eisdem Ministris aliud, secundùm Deum, aliquandò videatur. Finito verò anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam & regulam semper obseruare: & nullo modo licebit eis de ista religione exire, iuxta mandatum Domini Papæ. Quia secundùm sanctum Euangelium, Nemo mittens manũ ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. *Lucæ 9.* Et illi, qui iam promiserunt obedientiam, habeant vnam tunicam cum caputio, & aliã sine caputio, qui voluerint habere: & qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta. Et fratres omnes vestimẽtis vilibus induantur. Et possint ea repetiare de saccis & alijs petijs, cũ benedictione Dei. Quos moneo & exhortor, nè despiciant, neque iudicent homines, quos viderint mollibus vestimentis & colora-

tis

tis indutos, vti cibis & potibus delicatis. Sed magis vnusquisque iudicet & despiciat semetipsum.

De diuino officio & ieiunio: & qualiter fratres debeant ire per mundum. Cap.3.

CLerici faciant diuinum officium secūdùm ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, excepto psalterio: ex quo habere poterunt breuiaria. Laici verò dicant 24. Pater noster, pro matutino: pro laudibus, 5. pro prima, tertia, sexta, nona, prò qualibet istarum, 7. pro vesperis, 12. pro completorio, 7. & orent pro defunctis. Et ieiunent à festo omnium Sanctorum vsque ad natiuitatem Domini. Sanctā verò Quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania vsque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto ieiunio consecrauit: qui voluntariè eam ieiunāt, benedicti sunt à Domino: & qui nolunt, non sint adstricti. Sed aliam vsque ad resurrectionem Domini ieiunabunt. Alijs autem temporibus non teneantur, nisi sexta feria, ieiunare. Tempore verò manifestæ necessitatis, non teneantur fratres ieiunio corporali. Consulo verò, moneo, & exhortor fratres meos in Domino Iesu Christo, vt quandò vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios iudicent. Sed sint mites, pacifici, & modesti, mansueti & humiles, honestè loquentes omnibus, sicut decet. Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur. In quācunque domum
Matt.10. intrauerint, primùm dicant: Pax huic domui. Et secundùm sanctum Euangelium, de omnibus cibis, quæ apponuntur eis, liceat manducare.

Quòd fratres non recipiant pecuniam. Cap. 4.

PRæcipio firmiter fratribus vniuersis, vt nullo modo denarios vel pecuniā recipiant per se, vel per interpositam personam: tamen pro necessitatibus infirmorum, & alijs fratribus induendis, per amicos spirituales Ministri tantùm & custodes solicitam curam gerant, secundùm locum & tempora & frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire. Eo semper saluo, quòd (sicut dictum est) denarios vel pecuniam non recipiant.

De modo laborandi. Cap.5.

FRatres illi, quibus Dominus dedit gratiam laborandi fideliter & deuotè, ità quòd excluso ocio, animæ inimico, sanctę orationis & deuotionis spiritum non extinguant: cui debent cætera temporalia deseruire. De mercede verò laboris, pro se & suis fratribus, corporis necessaria recipiant, præter denarios vel pecuniā. Et hoc humiliter, sicut decet seruos Dei, & paupertatis sanctissimæ sectatores.

Quòd fratres nihil sibi approprient & de eleemosyna petenda, & de fratribus infirmis. Cap.6.

FRatres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem. Sed tanquàm peregrini & aduenæ in hoc seculo, in paupertate & humilitate Domino seruientes, vadant pro eleemosynis confidenter. Nec oportet eos verecūdari: quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos charissimos fratres meos, hæredes & reges regni cælorum instituit: pauperes rebus fecit, virtutibus sublimauit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viuentium. Cui dilectissimi fratres totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub cælo habere velitis. Et vbicunquè sunt, & inuenerint se fratres, ostendant se domesticos inuicèm inter se. Et securè manifestet vnus alteri necessitatē suam. Quia si mater nutrit & diligit filium suum carnalem, quanto diligentiùs debet quis diligere & nutrire fratrem suum spiritualem? Et si quis corū in infirmitatem ceciderit, alij fratres debeant ei seruire, sicut vellent sibi seruiri.

De pœnitentia fratribus peccantibus imponenda. Cap.7.

SI qui fratrum, instigante inimico, mortaliter peccauerint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, vt recurratur ad solos Ministros prouinciales, teneantur prædicti fratres ad eos recurrere quantocitiùs poterunt sine mora. Ipsi verò Ministri, si presbyteri sunt, cum misericordia iniungant illis pœnitentiam: Si verò presbyteri non sunt, iniungi faciant per alios sacerdotes ordinis, sicut eis secūdùm Deum meliùs videbitur expedire: &

cauere debent, nè irascantur & conturbẽtur propter peccatum alicuius: quia ira & conturbatio, in se & in alijs impediunt charitatem.

De electione generalis Ministri huius fraternitatis, & de capitulo Pentecostes. Cap. 8.

VNiuersi fratres vnum de fratribus istius religionis teneantur semper habere generalem Ministrum, & seruum totius fraternitatis: & ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente, electio successoris fiat à Ministris prouincialibus & custodibus in capitulo Pentecostes: in quo prouinciales Ministri teneãtur semper insimul conuenire, vbicunquè à generali Ministro fuerit constitutum. Et hoc semèl in tribus annis, vel ad alium terminum maiorem vel minorem, sicut à prædicto Ministro fuerit ordinatum. Et si aliquo tempore appareret vniuersitati Ministrorum prouincialium & custodum, prædictum Ministrum non esse sufficientem ad seruitium & communem vtilitatem fratrum: teneãtur prædicti fratres, quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in custodem. Post capitulum verò Pẽtecostes, Ministri & custodes possint singuli, si voluerint, & eis expedire videbitur, eodẽ anno in suis custodijs semèl fratres suos ad capitulum conuocare.

De prædicatoribus. Cap. 9.

FRatres non prædicent in episcopatu alicuius Episcopi, cùm ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus fratrum populo penitùs audeat prædicare, nisi à Ministro generali huius fraternitatis fuerit examinatus & approbatus, & ab eo sibi officium prædicationis concessum. Moneo quoquè & exhortor eosdem fratres, vt in prædicatione, quam faciunt, sint examinata & casta eorum eloquia ad vtilitatem & ædificationem populi, annunciando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriã, cum breuitate sermonis: Quia verbum abbreuiatum fecit Dominus super terram.

De admonitione & correctione fratrum. Cap. 10.

FRatres, qui sunt Ministri & serui aliorum fratrum, visitent & moneant fratres suos, & humiliter & charitatiuè corrigant eos, non præcipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam & regulam nostram. Fratres verò qui sunt subditi, recordentur quòd propter Deum abnegauerunt proprias voluntates: vndè firmiter præcipio eis, vt obediant suis Ministris in omnibus, quæ promiserunt Domino obseruare, & non sunt contraria animæ suæ & regulę nostrę. Et vbicunquè sunt fratres, qui scirent & cognoscerent se non posse regulam spiritualiter obseruare, ad suos Ministros debeãt & possint recurrere. Ministri verò charitatiuè & benignè eos recipiant: & tantam familiaritatem habeãt circa ipsos, vt dicere possint eis & facere, sicut domini seruis suis. Nam ità debet esse, quòd Ministri, sint serui omnium fratrum. Moneo verò & exhortor in Domino IESV Christo, vt caueant fratres ab omni superbia, vana gloria, inuidia, auaritia, cura, & sollicitudine huius seculi, detractiõe & murmuratione. Et non curent nescientes literas, literas discere. Sed attendant, quòd super omnia desiderare debent habere spiritum Domini, & sanctam eius operationem. Orare semper ad Deum puro corde, & habere humilitatem, patientiam in persecutione & in infirmitate: & diligere eos, qui nos persequuntur, & reprehendunt & arguunt: quia dicit Dominus, Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Beati qui persecutionem patiũtur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnũ cælorum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Matt. 5. Matt. 10. & 24.

Quòd fratres non ingrediantur monasteria monacharum. Cap. 11.

PRæcipio firmiter fratribus vniuersis, nè habeant suspecta cõsortia vel consilia mulierum: & nè ingrediantur monasteria monacharum, præter illos, quibus à Sede Apostolica concessa est licentia specialis. Nec fiant compatres virorum vel mulierum, nè hac occasione inter fratres vel de fratribus scandalum oriatur.

De euntibus inter Sarracenos & alios infideles. Cap. 12.

QVicunq; fratrum diuina inspiratione voluerit ire inter Sarracenos & alios infideles, petant indè licentiam à suis Ministris prouincialibus. Ministri verò nullis eundi licentiã tribuant, nisi eis, quos viderint esse idoneos ad mittẽdum. Ad hęc per inobedientiam iniungo Ministris, vt petant à domino Papa vnum

vnū de sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, q sit gubernator, protector, & corrector istius fraternitatis: vt semper subditi & subiecti pedibus eiusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, stabiles in fide Catholica, paupertatem & humilitatem, & sanctum Euangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, obseruemus.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ cōfirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attētare præsumpserit, indignationē omnipotentis Dei, & beatorū Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Datū Laterani 3. Calēd. Decembris, pontificatûs nostri anno octauo.

EXPLICIT REGVLA FRATRVM Minorum.

FORMA FACIENDI PROFESSIONEM IN ORDINE FRATRVM MINORVM.

EGO frater N. voueo & promitto Deo omnipotenti, beatæ Mariæ virgini, beato Francisco & omnibus sanctis, & tibi patri, toto tempore vitæ meæ seruare regulam fratrum Minorum, per dominum Papam Honorium confirmatam, viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate.

Forma recipiendi ad dictam professionem.

Dicat subsequenter recipiens: Et ego, si hæc obseruaueris, promitto tibi vitam æternam. Respon. Amen.

TESTAMENTVM BEATI PATRIS NOSTRI FRANCISCI.



Ominus dedit mihi fratri Francisco ità incipere facere pœnitentiam. Quia cùm essem in peccatis, nimìs mihi videbatur amarum, videre leprosos. Sed ipse Dominus conduxit me inter illos, & feci misericordiam cum illis. Et recedēnte me ab ipsis, id quod videbatur mihi amarum, conuersum fuit mihi in dulcedinem animæ & corporis. Et posteà parùm steti, & exiui de seculo. Et Dominus talem fidem dedit mihi in ecclesijs, vt ità adorarem & dicerem: Adoramus te sanctissime Domine Iesu Christe & hîc, & ad omnes ecclesias tuas, quæ sunt in toto mundo, & benedicimus tibi: quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum. Posteà dedit mihi Dominus, & dat tantam fidem in sacerdotibus, qui viuunt secundùm ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, propter ordinem ipsorum: quòd si facerent mihi persecutionem, volo recurrere ad ipsos. Et si haberem tantam sapientiam, quantam Salomon habuit, & inuenirem pauperculos sacerdotes huius seculi in ecclesijs in quibus morantur, nolo prædicare contra voluntatem ipsorum. Et ipsos & omnes alios volo timere, amare, & honorare, sicut meos dominos: & nolo in ipsis considerare peccatum, quia filium Dei discerno in eis, & domini mei sunt. Et propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc seculo de ipso altissimo filio Dei, nisi sacratissimum corpus eius, & sanguinem suum, quem ipsi conficiunt, & ipsi soli alijs administrant. Et hæc sanctissima mysteria super omnia volo honorare & venerari, & in locis preciosis collocare. Sanctissima nomina & verba eius scripta, vbicunquè inuenero in locis illicitis, volo colligere: & rogo quòd colligantur, & in loco honesto collocentur. Et omnes Theologos, & qui ministrant sanctissima verba diuina, debemus honorare & venerari, sicut qui ministrant nobis spiritum & vitam. Et postquàm Dominus dedit mihi, de fratribus nemo ostendebat mihi, quid facere deberem: sed ipse altissimus reuelauit mihi, quòd deberem viuere secundùm formam Euangelij, & ego paucis verbis & simplicibus feci scribi: & dominus Papa confirmauit mihi. Et illi qui veniebant ad recipiendum vitam istam, omnia quæ habere poterant, pauperibus erogabant. Et erant contenti tunica vna intùs & forìs repeciata, cum cingulo & brachis. Et nolebamus plus habere. Officium dicebamus nos clerici secundùm alios clericos. Laici dicebant, Pater noster.

ster. Et satis libenter manebamus in ecclesijs, & eramus idiotæ & subditi omnibus. Et ego manibus meis laborabam, & volo laborare. Et omnes alij fratres firmiter volo quòd laborent de laboritio, quod pertinet ad honestatem. Et qui nesciunt, discant: non propter cupiditatem recipiendi precium laboris, sed propter bonum exemplum, & ad repellendam ociositatem. Et quandò non daretur nobis precium laboris, recurramus ad mensam Domini, petendo eleemosynam ostiatim. Salutationem mihi Dominus reuelauit, vt diceremus: Dominus det tibi pacem. Caueant sibi fratres, vt habeant ecclesias & habitacula pauperenla: & omnia alia, quæ pro ipsis construuntur, penitùs non recipiant, nisi fuerint, sicut decet sanctam paupertatem, quam in regula promisimus: semper ibi hospitantes, vt aduenæ & peregrini. Præcipio firmiter per obedientiam fratribus vniuersis: quòd vbicunquè sunt, non audeant petere aliquam literam in curia Romana per se, neque per interpositam personam: neque pro ecclesia, neque pro aliquo loco, neque sub specie prædicationis, neque pro persecutione suorum corporum. Sed vbicunquè non fuerint recepti, fugiant in alienam terram, ad faciendam ibi pœnitentiam cum benedictione Dei. Et firmiter volo obedire generali Ministro, & alteri Guardiano, quem sibi placuerit mihi dare. Et ità volo esse captus in manibus suis, vt non possim ire vel facere vltra obedientiam & voluntatem suam, quia dominus meus est. Et quanuìs sim simplex & infirmus, tamen semper volo habere clericum, qui mihi faciat officium, sicut in Regula continetur. Et omnes alij fratres ità firmiter teneantur obedire Guardianis suis, & facere officium secundùm Regulam. Et quicunque inuenti essent, qnòd non facerent officium secundùm Regulam, & vellent alio modo variare, aut non essent Catholici: omnes fratres, vbicunquè sunt, per obedientiam teneantur, quòd vbicunquè inuenerint aliquem ipsorum, proximiori custodi illius loci, vbi ipsum inuenerint, debeant præsentare. Et custos teneatur ipsum fortiter custodire, sicut hominem in vinculis die noctuque, ità quòd non possit eripi de manibus suis, donèc sua propria persona ipsum repræsentet in manibus sui Ministri: & Minister teneatur firmiter per obedientiam mittere ipsum per tales fratres, qui die noctuque custodiant ipsum, sicut hominem in vinculis, donèc repræsentent ipsum coram Domino Hostiensi, qui est dominus protector istius fraternitatis. Et non dicant fratres, hæc est alia regula: Quia hæc est recordatio admonitionis, & exhortatio, & meum testamentum, quod ego frater Franciscus vester paruulus, facio vobis fratribus meis benedictis: propter hoc, vt regulam, quam Domino promisimus, meliùs catholicè obseruemus. Et generalis Minister & omnes alij Ministri & custodes, per obedientiam teneantur in istis verbis non addere vel minuere. Et semper hoc scriptum habeant secum iuxta regulam. Et in omnibus capitulis quæ faciunt, quandò legunt regulam, legant & ista verba. Et omnibus fratribus meis clericis & laicis præcipio firmiter per obedientiam, vt non mittant glosas in regula, nec in istis verbis dicendo, ità vult intelligi. Sed sicut Dominus dedit mihi purè & simpliciter dicere & scribere regulam & ista verba, ità simpliciter & sine glosa intelligatis, & cum sancta operatione vsque in finem obseruetis. Et quicunque hæc obseruauerit, in cælo repleatur benedictione altissimi patris cęlestis, & in terra repleatur benedictione dilecti filij sui cum sanctissimo spiritu paraclito, & omnibus virtutibus cælorum. Et ego frater Franciscus paruulus & vester seruus, quantumcunquè possum, confirmo vobis intùs & foris istam sanctissimam benedictionem.

AMEN.

IN

IN HIS VERSIBVS CONTINENTVR BREVITER OMNIA PRAECEPTA REGVLAE FRATRVM MINORVM, ET SVNT TRIGINTATRIA, VT PATEBIT.

Capitulum primum habet præcepta quinque.
primum. II. III. IIII.
Christi verba seruat obediens, pauper, & castus.
quintum.
Subditur Ministro, subiecto domino Papæ.

Capitulum secundum, præcepta nouem.
VI. VII. VIII.
Ministris mittit, examinat, vendere sua.
IX. X. XI. XII.
Cauet, concedit, recipitur, tegmine tecto.
XIII. XIIII.
Calceamenta mittit, vestibus tegmine vili

Capitulum tertium, præcepta tria.
XV. XVI. XVII.
Curiæ conformat, ieiunat, equoque dimisso,

Capitulum quartum habet duo.
XVIII. XIX.
Proijce æra frater, Ministro curas agendo.

Capitulum quintum, nullum.

Capitulum sextum habet duo.
XX. XXI.
Propria sperne quidem, infirmis cura seruire.

Capitulum septimum habet vnum.
XXII.
Tu peccans frater, ad veniam citò recurre,

Capitulum octauum habet tria.
XXIII. XXIIII.
Elige supremum, renouant mortuumq́ue Ministri.
XXV.
Qui negligenter agit, electoribus ille tollendus.

Capitulum nonum habet duo.
XXVI. XXVII.
Inuito patre, nil prædices, & approbatus

Capitulum decimum habet duo.
XXVIII. XXIX.
Subdens Ministris, ad eos currere debes.

Capitulum vndecimum habet tria.
XXX. XXXI. XXXII.
Mulier suspecta tollatur monacha compar.

Capitulum duodecimum habet vnum.
XXXIII.
Cardine comperto, soluerunt vota Ministri.

DE VERBORVM SIGNIFICATIONE.



XSVI de paradiso: Dixi, rigabo hortũ plantationum: ait ille cælestis agricola, qui verè fons sapientiæ, verbũ Dei à patre, in patre manens, genitum ab æterno, nouissimè diebus istis (fabricante sancto spiritu) in vtero virginis caro factũ, exiuit homo ad opus arduum redemptionis humani generis peragẽdum: exemplar se dando cælestis vitæ, præbens hominibus semetipsum. Verùm, quia plerunquè mortalis vitæ solicitudinibus pressus homo, mẽtis adspectũ ab exemplaris huiusmodi intuitu diuertebat: verus noster Salomõ in solio militantis Ecclesiæ hortum voluptatis inter cæteros quendam fecit à procellosis mundi fluctibus elongatum, in quo quietiùs ac securiùs vacaretur contemplandis seruandisque huiusmodi operibus exemplaris, in hunc mundum introiuit ipse, vt rigaret ipsum fœcundis aquis spiritualis gratiæ & doctrinæ. Hic hortus siquidem est fratrum MINORVM sancta religio, quæ muris regularis obseruantiæ firmiter vndiquè circũclusa, intra se solo cõtenta Deo, adornatur abundè nouellis plantationibus filiorum. Ad hunc veniens dilectus Dei filius, mortificantis pœnitentiæ myrrham metit cum aromatibus, quæ suauitate mira vniuersis odorem attrahentis sanctimoniæ circunfundunt. Hæc est illa cælestis vitæ forma & regula, quam descripsit confessor Christi eximius sanctus Franciscus, ac seruandam à suis filijs verbo docuit pariter & exemplo. Quia verò dictæ sanctæ regulæ professores, ac æmulatores deuoti, vt & alumni & veri filij tanti patris, affectabant, sicut & feruenter affectant, ad purum & ad plenum præmissam regulam firmiter obseruare: Attendentes quædam, quæ dubium poterant afferre sensum, in ipsius regulæ serie contineri, pro ipsorum declaratione habenda recurrerunt prudenter olìm ad apicem Apostolicæ dignitatis: vt certificati per ipsam, cuius pedibus etiam per ipsam regulam sunt subiecti, possent Domino (pulsis cunctis dubijs) cum plena charitate cõscientiæ deseruire. Horum autem pijs ac iustis supplicationibus, plures prædecessores nostri Romani Pontifices, successiuè (sicut dignum erat) applicantes aures & animum, declarauerunt ea, quæ dubia videbantur: ediderunt nonnulla, & aliqua concesserunt, sicut expedire videbant fratrum conscientijs, ac puræ obseruantiæ status. Verùm, quia plerunquè, vbi culpa non est, eam timere solent conscientiæ timoratæ, quæ in via Dei quodcunque deuium expauescunt, non sunt ad plenum ex dictis declarationibus dictorum omnium fratrum conscientiæ quietatæ, quin circa aliqua, ad regulam ipsorumque statum pertinentia, dubitationum in ipsis fluctus aliqui generentur & oriantur, sicut ad aures nostras pluriès, & de q̃ pluribus, in publicis & priuatis consistorijs est perlatum. Quapropter per ipsos fratres nobis extitit humiliter supplicatum, quatenùs prædictis dubijs, quæ occurrerunt, & quæ possunt occurrere in futurum, adhibere opportuna declaratiõis remedia, de benignitate Sedis Apostolicæ curaremus. Nos igitur, cuius animus ab ætate tenera pia deuotione efferbuit ad huiusmodi professores regulæ, & ad ordinem ipsum totum: nunc autem ex cõmuni cura pastoralis regiminis, quam immeriti sustinemus, ad ipsos fouẽdo dulciùs, & attentiùs gratiosis fauoribus prosequendos, tanto prouocamur ardentiùs, quanto frequentiùs intenta mente reuoluimus fructus vberes, quos ex eorum exemplari vita, & salutari doctrina, toti vniuersali Ecclesiæ continuè cernimus prouenire, tam pia supplicantium intentione commoti, ad peragendũ diligẽter quod petitur, studia nostra duximus conuertenda: ipsaque dubia per plures Archiepiscopos, & Episcopos, & in Theologia magistros, & alios literatos, prouidos & discretos examinari fecimus diligenter. Cùm igitur in primis ex eo, quod in dictæ regulæ principio habetur: REGVLA & vita fratrum Minorum hæc est, scilicet, Domini nostri Iesu Christi sanctum Euangelium obseruare, in obedientia viuendo sine proprio, & in castitate. Item infrà: Finito verò anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam semper & regulam obseruare. Item circa finem regulæ, paupertatem, & humilitatem, & sanctum Euangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, obseruemus. Fuit hæsitatum, an fratres eiusdem ordinis ad omnia, tam præcepta quàm consilia Euangelij, ex professione suæ regulæ teneantur. Quibusdã dicentibus, quod ad omnia: alijs autem asserentibus, quòd ad sola illa tria cõsilia, videlicet, viuere in obedientia, in castitate, & sine ꝓprio, & ad ea quæ sub verbis obligatorijs ponũtur in regula, obligãtur. Nos circa hũc articulũ prædecessorum nostrorũ vestigijs inhærẽtes, ipsumq; articulũ, quo ad aliquid clariùs ꝓsequẽtes, dictæ hæsitationi duximus respondendũ:

quòd cùm votum* determinatum cuiuslibet habeat cadere sub certo, vouens regulam, non potest dici teneri ex vi voti huiusmodi ad ea consilia Euangelica, quæ in regula non ponuntur. Et quidem beati Francisci conditoris regulæ hæc probatur fuisse intentio, ex hoc, quòd quædam Euangelica consilia in regula posuit, alijs prętermissis. Si enim per istud verbū, REGVLA & vita fratrum Minorum, hæc est, &c. intendisset eos ad omnia Euangelica consilia obligare, superfluè & nugatoriè quædam eorum (suppressis cæteris) in regula expressisset. Cùm autem natura termini restrictiui hoc habeat, quòd sic excludit ab ipso extranea, quòd cuncta ad ipsum pertinentia concludit: Declaramus & dicimus, quòd dicti fratres non solùm ad illa tria vota, nudè & absolutè accepta, ex professione suæ regulæ obligantur: sed etiam tenentur ad ea omnia implenda, quæ sunt pertinentia ad hæc tria prædicta, quæ regula ipsa ponit. Nam si ad hæc tria prædicta tantùm præcisè & nudè promittentes se seruare regulam viuendo in obedientia, castitate, & sine proprio, & non etiam ad omnia contenta in regula, quæ hæc tria modificant, arctarentur: pro nihilo & vanè proferrentur hæc verba, Promitto semper hanc regulam obseruare: ex quo ex his verbis nulla obligatio nasceretur. Nec tamen putandum est, quòd beatus Frãcíscus professores huius regulæ, quantùm ad oïa contenta in regula modificantia tria vota, seu ad alia in ipsa expressa intẽderit æqualiter esse obligatos: quin potiùs apertè discreuit, quòd quo ad quædam ipsorum ex vi verbi transgressio est mortalis, & quo ad quædam alia non: Cùm ad quædam ipsorum verbum apponat præcepti, vel æquipollentis eidem: & quo ad aliqua, verbis alijs sit contentus. Item quia præter ea, quæ expressè verbo præcepti, ac exhortationis seu monitionis ponuntur in regula, nonnulla verbo imperatiui modi negatiuè vel affirmatiuè apposito inseruntur: hactenùs extitit dubitatum, an tenerentur ad ista, vt ad habentia vim præcepti. Et quia (vt intelleximus) non minuitur hoc dubium, sed augetur ex eo, quòd felicis recordationis Nicolaus Papa quartus prædecessor noster noscitur declarasse, quòd fratres ipsi ex professione suæ regulæ sunt adstricti ad ea consilia Euangelica, quæ in ipsa regula præceptoriè vel inhibitoriè, seu sub verbis æquipollentibus exprimuntur: & nihilominùs ad eorum omnium obseruantiam, quæ ipsis in eadem regula sub verbis obligatorijs indicuntur: supplicauerunt prædicti fratres, vt ad ipsorum conscientias * seruandas declarare, quæ horum censeri debeant præceptis æquipollentia ac obligatoria, dignaremur. Nos itaque, qui in syncerìs horum conscientijs delectamur, attendentes, quòd in ijs, quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graues remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda: dicimus, quòd licèt fratres non ad omnium, quæ sub verbis imperatiui modi ponuntur in regula, sicut ad præceptorum seu præceptis æquipollentium obseruantiam teneantur: expedit tamen ipsis fratribus ad obseruandam puritatem regulæ & rigorem, quòd ad ea sicut ad æquipollentia præceptis se nouerint obligatos, quæ hic inferiùs annotantur. Vt autem hæc, quæ videri possunt æquipollentia præceptis, ex vi verbi, vel saltem ratione materiæ de qua agitur, seu ex vtroque, sub compendio habeantur: declaramus, quòd illud, quod ponitur in regula, de non habendo plures tunicas, quàm vnam cum caputio, & aliam sine caputio. Item, de non portandis calceamentis, & de non equitando extra casum necessitatis. Item, quòd fratres vilibus induantur.' Item, quòd ieiunare à festo Omnium Sanctorum vsque ad Natale Domini, & in sextis ferijs, teneantur. Item, quòd clerici faciant diuinum officium secundùm ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Item, quòd Ministri & Custodes pro necessitatibus infirmorum & fratribus induendis sollicitam curam gerant. Item, quòd si quis fratrum in infirmitatem ceciderit, alij fratres debent ei seruire. Item, quòd fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cùm ab eo illis fuerit contradictum. Item, quòd nullus audeat penitùs populo prædicare, nisi à generali Ministro vel alijs, quibus secundùm declarationem prædictam competit, fuerit examinatus, approbatus, & ad hoc institutus. Item, quòd fratres, qui cognoscerent se non posse præmissam regulam spiritualiter obseruare, debeant & possint ad suos Ministros recurrere. Item, quòd omnia quæ ponuntur in regula ad formam habitûs, tam nouitiorum, quàm etiam professorum, necnon ad receptionis modum ac professionem spectantia, nisi recipiẽtibus quo ad habitum nouitiorum (sicut dicit regula) secundùm Deum aliter videatur: Hæc, inquam, omnia sunt à fratribus tanquàm obligatoria obseruanda. Item ordo communiter sentit, tenet, & tenuit ab antiquo, quòd vbicunquè ponitur in regula hoc vocabulū, teneãtur, obtinet vim præcepti: & obseruari debet à fratribus sicut tale. Cęterùm quia Christi cõfessor prædictus agendorū ac seruandorū circa recipiendos ad ordinē, Ministris & fratribus modū præbens, dixit in regula, ꝙ caueant

* al. ferenandas

fratres & eorum Ministri, nè sint soliciti de rebus suis temporalibus, vt liberè faciant de eis, quicquid ipsis à Domino fuerit inspiratum: licentiam tamen habeant ipsi Ministri mittēdi eos ad aliquos Deum timentes, si consilium requiratur, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur: Dubitauerunt & dubitant multi fratrum, an liceat ipsis de bonis ingredientiū quicquàm recipere, si donetur: & si ad dādum personis & conuentibus possint eos inducere sine culpa: si etiam ad disponendum de distributione rerum talium, debeāt ipsi Ministri seu fratres dare consilium, vbi ad consulendum alij, quàm ex ipsis, ad quos ingressuri mittantur, possint idonei inueniri. Nos autem considerantes attentè, intendisse sanctum Franciscum suæ regulæ professores, quos fundauerat in maxima paupertate, ab affectu temporalium rerum ipsorum ingredientium per dicta verba specialiter & totaliter elongare: vt quantùm est ex parte fratrum ipsorū, receptio ad ordinem sancta & purissima appareret, & nè aliquo modo oculum videretur habere ad bona eorum temporalia, sed ipsos tantùm diuino seruitio mancipandos: dicimus *omninò debere tā Ministros quàm fratres cæteros, à dictis inductionibus ad sibi dandū & suasionibus, necnō & à dandis circa distributionem consilijs, abstinere; cùm per hoc ad timentes Deum statûs alterius mitti debeant, non ad fratres, vt verè cunctis pateant esse tam salubris instituti paterni studiosi, zelatores seduli & perfecti. Cùm verò facere de rebus suis, quod Dominus inspirabit, ipsamet regula ingredientibus liberum velit esse: non videtur, quin liceat eis recipere, consideratis scilicet eorum necessitatibus, & moderaminibus declarationis iam dictę, si quid de bonis suis intrans, sicut & cæteris pauperibus, per modum eleemosynæ liberè velit dare. Cauere tamen in acceptione oblatorum talium decet fratres, nè ex receptorum quantitate notabili præsumi possit sinister oculus contra ipsos. Prætereà cùm dicatur in regula, quòd illi, qui iam promiserunt obedientiam, habeant vnam tunicam cum caputio, & aliā sine caputio, qui habere voluērint. Item, quòd fratres vestimentis vilibus induantur: Nosque prædicta verba declarauimus æquipollere præceptis: volentes hæc determinari pleniùs, dicimus (quantùm ad numerum tunicarum) quòd pluribus vti nō licet: nisi in necessitatibus, quæ haberi possunt ex regula, secundùm quod hunc passum memoratus prædecessor noster pleniùs declarauit. Vilitatem autem vestium, tam habitûs, quàm interiorum tunicarum, illam intelligi debere dicimus, quæ secundùm consuetudinem vel cōditionem patriæ debeat, quantùm ad colorem panni & precium, vilitas reputari: nō enim quo ad regiones oēs potest determinatus vnus modus in talibus assignari. Huiusmodi etiam vilitatis iudiciū Ministris & Custodibus seu Guardiadianis duximus committēdum, eorum super hoc conscientias onerantes: ità tamen, quòd seruent in vestibus vilitatem. Quorum etiā Ministrorū, Custodum, & Guardianorum iudicio eodem modo relinquimus, pro qua necessitate possint ipsi fratres calceamenta portare. Deindè, cùm duobus tēporibus annotatis in regula, scilicet à festo omnium Sanctorum, vsq; ad Natiuitatē Domini, & maximè Quadragesimæ, in quibus ieiunare tenētur, inseratur in eādem regula: Alijs autem temporibus nō teneantur, nisi sexta, feria ieiunare: & ex hoc voluērunt aliqui dicere, quòd dicti ordinis fratres non tenentur, nisi ex condecentia, ad alia ieiunia, q̄ ad ista: Declaramus debere intelligi, eos non teneri ad ieiunium alijs temporibus, præterquàm in ieiunijs ab Ecclesia constitutis. Non est enim verisimile, quòd vel institutor regulæ, vel etiam confirmator absoluere ipsos intenderit à seruandis illis ieiunijs, ad quę de cōmuni statuto Ecclesiæ obligantur cæteri Christiani. Porrò cùm dictus sanctus, volens fratres suos super omnia à denarijs seu pecunia esse totaliter alienos, præceperit firmiter fratribus vniuersis, vt nullo modo denarios vel pecuniā recipiāt, per se vel per interpositā personam: istumq; articulum declarans idem prædecessor noster, casus & modos posuerit, quibus seruatis à fratribus, non possint dici nec debeant per se vel per alium pecuniæ receptatores contra regulam, vel sui ordinis puritatem: dicimus, fratres teneri cauere summoperè, quòd pro alijs causis, & sub modis alijs, quàm ponat dicti prædecessoris nostri declaratio, ad dantes pecunias, siuè deputatos nuncios, non recurrant: nè (si secùs ab ipsis attentatum fuerit) transgressores præcepti & regulæ meritò possint dici. Nam vbi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expresè non conceditur, intelligitur denegatum. Quocircà quæstus omnis pecuniæ, ac oblationum pecuniarum receptio, in ecclesia vel alibì cippi seu trunci ordinati ad offerentium seu donantium pecunias reponendas, necnon & quicunque recursus alius ad pecunias, seu habentes ipsas, qui per declarationē prædictam non conceditur: hæc, inquam, omnia sunt eis simpliciter interdicta. Cùm etiam recursus ad amicos speciales expresè tantùm in duobus casibus secundùm regulam concedatur, videlicet, pro necessitatibus infirmorum, & fratribus induendis: idque piè

& ra-

*decætero

& rationabiliter cõſiderata neceſſitate vitæ, ad alias neceſſitates fratrum pro tempore occurrentes, ceſſantibus eleemoſynis, ſeu etiã ingruẽtes, ſæpedictus ꝓdeceſſor noſter duxerit extẽdendum: Attendãt fratres præ. ti, quòd pro nullis cauſis alijs, quàm prædictis vel ſimilibus, in via vel alibi recurrere licet eis ad amicos huiuſmodi, ſiue ſint dantes pecunias, ſeu deputati per ipſos, ſiue nuncij vel depoſitarij, ſeu alio quouis nomine appellentur, etiam ſi cõceſſi per eandem declarationem modi, circa pecuniam integrè ſeruarentur. Deniquè cùm idem confeſſor ſummè affectauerit, ſuæ regulæ profeſſores totaliter eſſe abſtractos ab affectu & deſiderio terrenorum, & ſpecialiter à pecunia & eius vſu totaliter inexpertos, ſicut ꝓbat prohibitio de recipienda pecunia, in regula ſæpiùs repetita: curare fratres vigilanter neceſsè eſt, quòd cùm ex cauſis prædictis & modis ad habentes pecunias deputatas pro ipſorum neceſſitatibus recurrere oportebit, ad tenentes ipſas, quicunq; hi fuerint principales vel nuncij, in omnibus ſic ſe gerãt, quòd ſe cunctis oſtendant in dictis pecunijs (ſicut nec habent) penitùs nil habere. Quapropter præcipere, quòd & qualiter pecunia expendatur, computumque exigere de expenſa, eam quomodocunque repetere ſiue deponere, aut deponi facere capſulam pecuniæ, vel eius clauem deferre, hos actus & conſimiles ſibi fratres illicitos eſſe ſciant. Prædicta enim facere, ad ſolos dominos pertinet, qui dederunt, & eos, quos ipſi deputauerũt ad hoc ipſum.

Proindè cùm vir ſanctus, paupertatis præmiſſæ in regula modum exprimens, dixerit in eãdem: Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquã rem: ſed tanquàm peregrini & aduenæ in hoc ſeculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemoſyna confidenter. ſicque declaratum extitit per nonnullos prædeceſſores noſtros Romanos Põtifices, hanc expropriationẽ intelligi debere tam in ſpeciali, quàm etiam in communi, propter quod & rerum omnium conceſſarum, oblatarum, & donatarum fratribus (quas & quarum vſum, facti ſcilicet, ordini vel ipſis fratribus licet habere) proprietatem & dominium in ſe & Romanæ Eccleſiæ receperunt, dimiſſo ipſis fratribus in eis tantummodò vſu facti ſimplicis: Ad noſtrum fuerunt deducta examen, quæ in ordine fieri dicebantur, & videbantur prædicto voto & puritati ordinis repugnare: videlicet, vt ea proſequamur ex ipſis, quæ remedio credimus indigere: quòd ſe inſtitui hæredes nõ ſolùm ſuſtinent, ſed procurant. Item, ꝙ reditus annuos recipiũt interdùm in tam notabili quantitate, quòd conuentus habentes totaliter indè viuunt. Item, quòd cùm ipſorum negocia etiã pro rebus temporalibus in curijs agitantur, aſſiſtunt aduocatis & procuratoribus, & ad inſtigandum eoſdẽ ſe ibidèm perſonaliter repræſentant. Itẽ, quòd executiones vltimarum ſuſcipiunt voluntatum & gerunt, ſeque intromittunt quandoq; de vſurarum vel malè ablatorum diſpoſitionibus ſeu reſtitutionibus faciendis. Item, quòd alicubi non ſolùm exceſſiuos hortos, ſed etiã vineas magnas habent: de quibus tam de oleribus, quàm de vino multùm colligitur ad vendendum. Item, quòd temporibus meſſium vel vindemiarum ſic copioſè granũ & vinum mendicando, vel aliundè emendo, colliguntur à fratribus, & in cellarijs & granarijs reconduntur, quòd per anni reſiduum abſque eorũ mendicatione poſſunt tranſigere vitam ſuam. Itẽ, quòd eccleſias vel alia ædificia faciunt, vel procurant fieri, in quãtitate & curioſitate figuræ & formæ, ac ſumptuoſitate notabiliter exceſſiua, ſic quòd non videntur habitacula pauperum, ſed magnatum. Paramenta etiam eccleſiaſtica in pleriſq; locis tam multa habent, & tam notabiliter precioſa, quòd excedunt in his magnas eccleſias Cathedrales. Equos inſupèr & arma, eis oblata in funeralib9, recipiũt indiſtinctè. Tamen communitas fratrum & ſpecialiter rectores ipſius ordinis aſſerebant, quòd prædicta, ſeu plura ex ipſis, in ordine non fiebant: quòd & ſi qui reperiuntur rei in talibus, rigidè puniuntur: necnon contra talia, nè fiant, ſunt facta pluriès ab antiquo ſtatuta in ordine multùm ſtricta. Cupientes igitur nos ipſorũ fratrum prouidere conſcientijs, & cũcta dubia (quãtùm poſſibile nobis eſt) de ipſorũ pectoribus remouere, ad prædicta, modo qui ſequitur, reſpõdemus. Cùm enim ad veritatem vitæ pertineat, vt id, quod exteriùs agitur, interiorem mentis diſpoſitionem & habitum repræſentet: neceſsè habent fratres, qui ſe expropriatione tanta à temporalibus abſtraxerunt, ab omni eo, quod dictæ expropriationi eſſet vel poſſet videri cõtrarium, abſtinere. Quia igitur in ſucceſſionibus tranſit, nõ ſolùm vſus rei, ſed & dominium ſuo tempore in hæredes: fratres autem præfati nihil ſibi in ſpeciali acquirere, vel eorum ordini poſſunt etiã in cõmuni: declarando dicimus, quòd ſucceſſionum huiuſmodi, quæ etiã ex ſui natura indifferenter ad pecuniam, & etiam ad alia mobilia & immobilia ſe extendunt, (cõſiderata ſui puritate voti) nullatenùs ſunt capaces: nec licet eis valorem hæreditatum talium, vel tantam earũ partem, quòd præſumi poſſet hoc in frau-

dem fieri, quasi sub modo & forma legati sibi dimitti facere, vel sic dimissa recipere: quin potiùs ista sic fieri ab ipsis simpliciter prohibemus. Cumque annui reditus inter immobilia censeantur à iure, ac huiusmodi reditus obtinere paupertati & médicitati repugnet: nulla dubitatio est, ꝙ prędictis fratribus reditus quoscũque, sicut & possessiones, vel eorũ etiam vsum (cùm eis non reperiatur concessus) recipere vel habere (cõditione considerata ipsorum) non licet. Ampliùs, cùm nõ solùm, quod malum esse dignoscitur, sed & omne quod speciem habet mali, sit à viris perfectis specialiter euitandum: Ex talibus autem assistẽtijs in curijs & instigationibus, cùm de rebus agitur in ipsorum commoda conuertendis, creduntur verisimiliter ex ijs quæ foris patent, (de quibus habent homines iudicare) in ipsis rebus fratres & assistentes aliquid quærere tanquàm suum: nullo modo debẽt huiusmodi voti & regulę professores se talibus curijs & litigiosis actibus immiscere: vt & testimonium habeãt ab ijs, q̃ foris sunt, & puritati satisfaciant voti sui, ac euitetur per hoc scandalum proximorum. Verùm etiam cùm dicti ordinis fratres, non solùm à receptione, proprietate, dominio, siue vsu ipsius pecuniæ, verùm etiam à contrectatione qualibet ipsius, & ab ea sint penitùs alieni, quemadmodùm sæpedictus prædecessor noster in declaratione huiusmodi regulæ planè dixit: Cumq; dicti ordinis professores pro nulla re tẽpoiali possunt in iudicio experiri, prædictis fratribus non licet nec cõpetit, quin potiùs (cõsiderata sui puritate statûs) debẽt sibi scire interdictũ, quòd huiusmodi executionibus & dispositionibus se exponant: cùm hæc sæpiùs absq; litigio & contrectatione vel administratione pecuniæ nequeant expediri. Veruntamen in his exequendis dari consilium, istorum statui non obsistit: cùm ex hoc ipsis circa bona temporalia nulla iurisdictio, siue actio in iudicio, siue dispensatio tribuatur. Licèt verò non solùm sit licitum, sed & multùm conueniens rationi, ꝙ fratres, qui in laboribus spiritalibus orationis & studij sedulè occupãtur, hortos & areas habeãt cõpetentes ad recollectioné vel recreationẽ suî, & interdũ ad seipsos post labores huiusmodi corporaliter deducendos, necnon ad habenda necessaria hortalitia pro seipsis: habere tamẽ hortos aliquos, vt colãtur, ac olera & alia hortalitia precio distrahantur, necnon & vineas, repugnat suæ regulæ & ordinis puritati, secũdùm quod dictus prædecessor declarauit, ac etiam ordinauit: quòd si talia ad vsus proximè dictos, vtputà agrũ vel vineam ad colendum, & cõsimilia fratribus legarẽtur, per omnem modum fratres à receptione talium abstinerent: cùm etiam præmissa habere, vt precium fructuum suis temporibus habeant, ad naturã & formam prouentûs appropinquet. Rursùs, cùm prædictus sanctus, tã in exemplis vitæ, quàm verbis regulæ, ostẽderit se velle, quòd fratres sui & filij, diuinæ prouidentiæ innitẽtes, suos in Deũ iácerent cogitatus, qui volucres cæli pascit, quæ non cõgregant in horrea, nec seminant, nec metunt: nõ est verisimile, voluisse ipsum eos habere granaria vel cellaria: vbi quotidianis mendicationibus deberent sperare posse transigere vitam suam. Et idcircò nõ ex timore leui relaxare se debẽt ad congregationes & conseruationes huiusmodi faciendãs: sed tunc tantùm, cùm esset multùm credibile ex iam expertis, quòd nõ possent vitæ necessaria alter inuenire. Hoc autem Ministrorũ & Custodum, simul & separatim, in suis administrationibus & custodijs (cum Guardiani & duorũ de conuentu loci discretorum sacerdotũ & antiquorum in ordine fratrum cõsilio & assensu) duxim⁹ iudicio relinquẽdum, eorum super hoc specialiter conscientias onerantes. Hinc est etiam, quòd cùm vir sanctus fratres suos in paupertate summa ac humilitate fundare voluerit, quo ad affectum pariter & effectum, sicut ferè regula tota clamat: cõuenit ipsis, quòd nullo modo deincèps fieri faciãt, vel fieri sustineant ecclesias, vel alia quæcunq; ædificia, quæ (considerato fratrum inhabitantium numero) excessiua in multitudine & magnitudine debeant reputari. Ideoq; volumus, quòd vbiq; in suo ordine deincèps temperatis & humilibus ædificijs sint contenti: nè huic tãtæ paupertati promissæ, quod patet oculis, cõtrarium foris clamet. Quanuis etiã paramenta & vasa ecclesiastica ad honorẽ diuini nominis ordinentur, propter quem omnia fecit ipse Deus: tamen qui absconditorum est cognitor, ad animum sibi ministrantium respicit principaliter, non ad manum: nec per illa sibi vult seruiri, quæ suorum seruitiorum conditioni & statui dissonarẽt. Propter quod sufficere debent eis vasa & paramenta ecclesiastica decentia in numero, & in magnitudine sufficientia competenter: superfluitas autem, & nimia preciositas, vel quæcunque curiositas in his, seu alijs quibuscunque, non potest ipsorũ ꝓfessioni vel statui conuenire: cùm enim hæc sapiant thesaurizationem seu copiã, paupertati tantæ, quo ad humanum iudicium, derogant manifestè. Quapropter præmissa seruari à fratribus volumus, & mandamus. Circa equorũ verò & armorum oblationes, illud decernim⁹ in omnibus

bus & per omnia obseruandum, quod per declarationem prædictam in pecuniarijs noscitur eleemosynis diffinitũ. Ex præmissis autem succreuit nõ parùm scrupulosa quæstio inter fratres, videlicet, vtrũ ex suæ professione regulæ obligentur ad arctum & tenuem siue pauperem vsum rerum. Quibusdam ex ipsis credẽtibus & dicentibus, quòd sicut quo ad dominium rerum habent ex voto abdicationẽ arctissimam, ità ipsis quo ad vsum arctitudo maxima & exilitas est indicta. Alijs in contrarium asserentibus, quòd ex professione sua ad nullum vsum pauperẽ, qui non exprimatur in regula, obligãtur: licèt teneantur ad vsum moderatum temperantiæ, sicut & magis ex condecenti, quàm cæteri Christiani. Volentes itaq; conscientiarũ prædictorũ fratrum prouidere quieti, & his altercationibus finem dare: declarãdo dicimus, quòd fratres Minores ex professione suæ regulæ specialiter obligantur ad arctos vsus, seu pauperes, qui in ipsorum regula continẽtur, & eo obligationis modo, sub quo continet seu ponit regula dictos vsus. Dicere autem, (sicut aliqui asserere perhibentur) quòd hæreticũ sit tenere, vsum pauperem includi vel non includi sub voto Euangelicæ paupertatis: præsumptuosum & temerariũ iudicamus. Demùm, quia ex eo, quòd dicta regula, per quos & vbi fieri debeat Ministri generalis electio, tradens, nullam fecit de Ministrorũ prouincialium electione vel institutione penitus mẽtionem, oriri poterat super hoc dubitatio inter fratres: Nos volentes, posse ipsos clarè ac securè procedere in omnibus factis suis: declaramus, statuimus etiam & ordinamus in hac constitutione in perpetuum valitura, vt cùm alicui prouinciæ de Ministro fuerit prouidendum, ipsius Ministri electio penès capitulũ prouinciale resideat, quam idem capitulum die sequenti, qua fuerit congregatum, facere teneatur. Ipsius autẽ electionis confirmatio ad Ministrum pertineat generalem. Et si quidẽ ad electionem huiusmodi per formam scrutinij procedatur, &(votis in diuersa diuisis) electiões plures in discordia celebrari contingat, illa, quæ à maiori parte capituli numero (nulla zeli vel meriti collatione aut consideratione habita) fuerit celebrata, exceptione seu contradictione quacunq; alterius partis non obstante, per dictum generalem Ministrum, de consilio discretorum de ordine, (prius tamẽ ex officio, ,put spectat ad ipsum, diligẽti examinatione præmissa) confirmetur vel etiam infirmetur, prout eis secundùm Deum visum fuerit expedire: & si fuerit infirmata, ad capitulum prouinciale huiusmodi electio reuertatur. Cæterùm, si capitulum memoratũ die prædicta Ministrum eligere prætermittat: extunc Ministri prouincialis prouisio ad generalem Ministrum liberè deuoluatur. Verùm si ministro prædicto & capitulo generalibus, ex certa, manifesta ac rationabili causa, videretur aliquandò in prouincijs vltramarinis Hyberniæ, seu Græciæ, seu Romæ, in quibus hactenùs alius prouidendi modus dicitur ex causa certa & rationabili fuisse seruatus, expedire Ministrum prouincialem per Ministrum generalem, cum proborum ordinis consilio potiùs, quàm per capituli prædicti electionem præfici in prouincijs Hyberniæ, etiam vltramarinis irrefragabiliter: In Romania verò, vel Grçcia, quandò Minister dictæ prouinciæ moreretur, vel absolueretur citra mare: illa vice seruetur absq; dolo, & partialitate & fraude, (super quo eorum conscientias oneramus) quod super hoc dictus Minister cum dictorum proborum consilio duxerit ordinãdum.

In destitutione verò dictorum Ministrorum prouincialium seruari volumus, quod super hoc hactenùs de ipso ordine extiterit obseruatum. Cæterùm si cõtingeret eosdem Ministro generali carere, per Vicarium ordinis fiat super hoc, quod faciendum fuerit per eundem Ministrum, vsquequò ,puisum fuerit de generali Ministro. Porrò, si quid de huiusmodi Ministro prouinciali secùs attẽtari fortè cõtigerit, illud ipso facto sit irritum & inane. Nulli igitur omninò hominum liceat hanc paginam nostrarum declarationum, dictorum commissionis, respõsionis, prohibitionis, ordinationis, mandati, constitutionum, iudicationum & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Deo autem gratias.

EXPLICIVNT EX CLEMENTINIS de verborum significatione, declarationes super regula Seraphici patris Francisci. Sub qua militant soli Minores.

SE-

SEQVVNTVR QVAEDAM PVLCHRA DE LAVDE RELIGIONIS, ET DE BONO AC MERITO VOTI ATQVE OBEDIENTIAE, AD MVLTORVM IN RELIgionibus Christo famulantium piæ mentis consolationem sanctam & gaudium.

DIVI BERNARDI ABBATIS HOMILIA SVPER QVIBVSDAM *verbis Domini, videlicet, Simile est regnum cælorum homini negociatori, quærenti bonas margaritas.*



Reges terræ, & omnes populi, principes & omnes iudices terræ, iuuenes & virgines, senes cũ iunioribus, audite (supplico) verbum Domini, dicentis: Simile est regnũ cæ lorũ homini quęrenti bonas margaritas. Inuenta autem vna preciosa margarita, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Sed quæ est ista, quæso, fratres charissimi, hæc tam preciosa margarita, pro qua vniuersa dare debemus, id est, nosmetipsos, quia totum Deo dedit, qui seipsum obtulit: vt possimus eam habere? Nõnne hæc est religio sancta, pura & immaculata, in qua homo viuit puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs, irroratur frequentiùs, quiescit securiùs, moritur fidutiùs, purgatur citiùs, præmiatur copiosiùs? O religio gloriosa & mirabilis. Quæ mens cogitare, quis intellectus plenè cognoscere, quæ lingua humana te poterit sufficienter & dignè extollere? Hæc est enim, fratres mei, quæ miserante Deo peccata remittit, & reserat paradisum. Quæ contritum sanat hominem, & tristem exhilarat, vitam de interitu reuocat, statum restaurat, honorem reuocat, fiduciam reformat, viresq; & gratiam abundantiorẽ refundit. O religio virtutibus ornata. O margarita præfulgida, quid noui de te referam? Omnia enim ligata tu soluis, omnia soluta tu referas. Omnia aduersa tu mitigas: omnia desperata tu animas. O religio rutilantior auro, sole splendidior. Si verè seruatur, non vincit peccatum, nec detractio superat, nec desperatio deijcit: vsque in finem, Deo dante, vt brauium apprehendat, perseuerat. Hæc est, quæ respuit auaritiam, horret luxuriã, fugit furorem, firmat amorem, calcat superbiam, linguam continet, componit mores, odit malitiam, excludit nequitiam, cogitq; hominem Dei amore libeter omnia sufferre. O religio gratissima, & toto corde pquirenda. Nõnne per te cæci vidẽt, claudi ambulant, leprosi mũdantur, pauperes euangelizantur? O religio pacifica, à strepitu maligni seculi elongata, & pro Christo seculo mortua, vbi spiritus sanctus super humilem venit & quietum, super deuotũ Christi descendit. O religio, habitaculum Dei & angelorũ eius: hic permansionem faciunt conserui sui. O religio, vita beata, vita angelorũ. Ore proprio spiritus sanctus dicit: Optimã partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea. O beatissima vita solitaria, vita contemplatiua. Quandò in solitudine contemplabatur virgo Maria, tunc venisti, & in ea & de ea carnẽ assumpsisti. O Deus meus, ô bone IESV, quid plura referam? Verè claustrum, fratres mei, verè religio est paradisus. O religio, valle disciplinę munita, in qua est preciosarum virtutũ fœcunda fertilitas. Gloriosa res est, homines vnius moris habitare in domo. Bonum est & iocundum, habitare fratres in vnum. Videas illũ peccata flentem, alium in Dei laudibus exultantẽ: hũc hominibus ministrantem, alium alios erudientem: hunc orantem, illum legentem: hunc miserantem illum, alium peccata punientem: hunc charitate flagrãtem, illum humilitate pollentem: hunc in prosperis humilem, illum in aduersis sublimem: hũc in actiua laborantem, illum in contemplatiua quiescentem. Et poteris dicere: Castra Dei sunt hæc. Quàm terribilis est locus iste. Verè non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli. O porta præclarissima, per quam in sanctã ciuitatem intratur, per quam regnum cęlorum rapitur & possidetur. O religio prænobilissima, tu castitas religiosorum, tu chorda clericorum, tu thesaurus super aurum. O solitudo beata, ô ereme mors vitiorũ, vita virtutum. Te lex & prophetæ mirantur: & quicunque ad perfectionem venerũt, per te in paradisum introiẽrunt. O beata vita solitaria & cõtemplatiua, quid vltrà de te loquar? Ipse Dei filius, Saluator & magister noster, exemplum dedit nobis, fugiens in desertum, & mansit in solitudine: vbi sunt rosæ charitatis, quæ semper flammescunt, quæ semper in sancto odore viuunt. Vbi mira perfectio mortificatorũ, & gratiarum actio, scilicet cõsiderare quæ & quanta sint, quę nobis promittuntur in cælis, & vilescere faciunt omnia quæ habentur in terris, & dicere: Quid prodest homini, si mundum lucretur, se autem perdat? O solitudo negociorũ cælestium apo-

Matth. 13.

Religio disciplina religiosa, bona quæ profiteantur.

Psal. 132.

Gene. 28.

apotheca. In te transitoria & terrena mutantur in cælestia & æterna. Hoc perbreue purgatorium, operatur ęternum & cæleste conuiuiũ, & pascuæ sempiternæ. Deniq; in te lachrymæ mutātur in risum, & gaudium pariunt sempiternum. Ex possessione quippe terrena, quæ vermibus mortalibus relaxatur, ad æternę hæreditatis patrimoniũ puenitur. O religio, spiritualis exercitûs lucta, mirabilis officina: in te fidelis anima, creatoris sui in se restaurat imaginem, ac ad suę redit imaginis puritatem. Tu fornax, vbi vasa superni regis formantur, vbi peccata soluuntur, & cũ angelis in diuinis laudibus insudatur. Possessio, quæ terræ verè viuentiũ cõparatur. O sancta vita, balneũ animarũ, mors peccatorũ, & animarũ purgatoriũ sordidarũ. Tu mentiũ secreta purificas, tu cõscientiarum squalorẽ diluis, atq; ad angelicæ mũditiæ puritatẽ peruenire facis animas. Tu scala Iacob, quæ animas perducis ad paradisum. Tu via regia paradisi, quæ homines perducit ad patriã. Tu stadiũ concertantiũ, luctatorumq; benè currentiũ, perducis ad altas coronas. O religio, sepultura Dñicæ passionis, de te Hieremias propheta dicit: Bonũ est præstolari cum silentio salutare Dei. Stabit solitarius, & tacebit. In eremo, quia in quiescendo & tacendo fit homo prudens, de his ꝓbata quædam sunt. vndè dicitur: O homo, fuge homines: religionẽ elige, & saluaberis. Surge, q dormis in seculo, & exurge à mortuis, dimitteq; mortuos sepelire mortuos suos. O vita mirabilis, spirituale habitaculũ, quæ de superbis humiles facis, de gulosis sobrios, de crudelib⁹ pios & sanctos, de iracundis mites, de luxuriosis pudicos, de inobedientibus obedientes, & de osoribus facis in fraterna dilectione feruẽtes. Tu loquacibus linguæ frenũ imponis, tu immundis castitatis dulcis amoris Christi adhibes cingulum, tu ieiuniorũ ac vigiliarũ es nutrix, tu vagos ligas catenis, tu patientiæ custos, tu purissimæ simplicitatis es magistra. Qui te fugiũt, luce Dei priuati sunt. qui diligũt te, astringũt & gustãt, quàm suauis est Dominus & dulcis. Tu ducis ad æterna gaudia, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, & lingua dicere non potest, quæ tu parâsti Domine diligentibus te. Ingredimini igitur fratres mei dilectissimi, ex quo vocat vos magni consilij angelus: & non tardate, quia precium magnũ, & non paruum est in mora periculum. In sanctam igitur festinate Christi religionem: & illuminabit vos filius Dei per cõdignam satisfactionem. Qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

Thren. 3.

Vox reddita Arsenio.

Diui Bernardi Abbatis de verbis Euangelij, Eccè nos reliquimus omnia & secuti sumus te: sermo vnus.

ECCE nos reliquimus omnia & secuti sumus te. Veræ conuersionis exemplum nobis hoc proponitur admirandum & imitandum. Necessè est enim, vt veræ professor religionis omnia relinquat, & Christum sequatur. Et quidem beatus, qui sic relinquit omnia, vt eum sequatur, in quo sunt omnia. His qui volunt Christum expedita sequi mente, tria impedimenta sunt deserenda: videlicet, auaritia, superbia, luxuria: auaritia mundi, superbia cordis, luxuria carnis. Hæc esse præcipuè relinquenda, exemplo suo nos edocet Petrus. Reliquit nanq; retia, nauim, & coniugium. Rete, quod pisces aggregat & cõcludit, cupiditatem designat, qua indecenter distẽtus homo, domum ad domum iungit, agrũ agro copulat. Nauis, quæ superfertur vndis, superbiam denotat, qua homo se cęteris pręfert. Vxor exprimit carnalẽ voluptatem. Hæc tria iuncta homini, seipsum auferunt. Per auaritiam extra se vagatur, per superbiam supra se leuatur, per luxuriã intra se fœdatur. Vagatur solicitudine, leuatur suî extimatione, fœdatur immunditiæ delectatione. Extrà timet, suprà tumet, infrà fœtet. Timet acquisita minui, timet quæ desiderat, non posse adipisci. Tumet inferiores despiciens, paribus se præferẽs, superioribus se coæquans. Fœtet cogitatione, fœtet actione, fœtet consuetudine. Auaritia hominem alienat à proximo, superbia à Deo, luxuria proijcit à seipso. His tribus vitijs intenti & detenti tres illi miserrimi, de quibus loquitur Euangelista, ad cœnam patrisfamiliâs venire recusârunt. Primus, vt boues probaret. Secundus, vt villam emptam videret. Tertius, vt vxorem duceret. Probatio boum, cultus terrenorum. Villa emitur, cùm dominandi facultas appetitur. Vxorem ducit, qui carnis desiderijs satisfacit. Tales, nisi conuersi fuerint, nec ad cœnam patrisfamiliâs venire, nec Christum sequi possunt. Primus enim citra Iordanẽ remoratur. Secundus transmigrat ad Aquilonem. Tertius natat in flumine Babylonis. Cùm ceteræ tribus in terrã promissionis ingrederẽtur, & Iordanem transgrederentur: Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasse, habentes pecora multa, citra Iordanem remanserunt, illos præfigurantes, qui more pecorum terrenis intenti, cælestia spernunt. Iordanis, descensus dicitur. Descensus alius bonus, & alius malus. Malus est, de quo dicit Esaias: In Aegyptum descendit populus meus. Et in Euangelio: Homo qui- Esaiæ 52. Lucæ 10.

dam deſcendebat ab Hieruſalem in Hiericho. Bonus deſcenſus, aliquandò fit per humilitatem, plerunq; per compaſſionẽ. Per humilitatem, ſicut per Rebeccam factus eſt, quæ vidẽs Iſaac, de camelo deſcendit: illam deſignans vel apertè perhibens humilitatis ſubiectionẽ, quã debet ſponſa ſpõſo, Eccleſia Chriſto, anima Deo. Fit deſcẽſus per compaſſionem, ſicut in Symbolo fidei habemus, quòd Chriſtus propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis. Iuxta moralem ſenſum, per Iordanẽ poſſumus intelligere deſcẽſum miſericordię, qua ductus homo compatitur proximo. Sciendum verò, quòd alius citra Iordanẽ, alius intra, alius ſupra. Qui nulli & cui nullus compatitur, citra eſt. Qui alterius & cui alter miſeretur, intra eſt. Qui alijs compatitur, & nullius eget compaſſione, ſupra eſt. Citra, diabolus: intra, homo: ſupra, Deus. Auarus itaque, quia neſcit miſereri, ac per hoc nec miſericordiam conſequi, citra eſt. (Iacobi 2.) Iudicium enim ſine miſericordia fiet illi, qui non fecit miſericordiam. Deinde ſequitur, quòd ſuperbus trãſmigrat ad Aquilonem. Vt ſancti Doctores perhibent, Aquilo ſignificat ſuperbię tumorem. (Hierem. 1.) Sicut enim ab Aquilone panditur omne malum: (Eccli. 10.) ſic initium omnis peccati, ſuperbia. Et item in ipſa ſumpſit initium omnis perditio. Indè eſt, quòd angelus apoſtata dicit in corde ſuo: (Eſaiæ 14.) Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Superbus itaq; trãſmigrat ad Aquilonem, quia ſuperbiens recedit à Deo, qui ſuperbis reſiſtit: & ſequitur diabolũ, qui eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Deindè ſequitur, quòd lubricus natat in flumine Babylonis. Flumen Babylonis, eſt fluxus libidinis. In hoc flumine natat, qui libidinis delectatione raptus, in ea per conſuetudinem volutatur. Hæc tria vitia hominibus diabolus ſuggerit. Diabolus per auaritiam hominem occupat: (1. Timo. 6.) quia qui volunt diuites fieri, incidũt in tentationem & laqueum diaboli. Indè legitur, quòd Iudas, cùm veneno auaritiæ inebriatus Chriſtum Iudæis traditurus eſſet, accepta ab eis pecunia, tunc introiuit in illum ſathanas. Auaritia largitatem excludit, pietatem neſcit, miſericordiã deteſtatur. Superbia, ſolium eſt iniquitatis, vitium hominis, perditio diaboli. Superbia, odibilis DEO, angelis inuiſa, hominibus intolerabilis. Superbia, origo peccati, mater diſcordiæ, & concordiæ nouerca: ſuperbia, vitiorum ſubſidium, ſuccidium virtutum. Sic per ſuperbiam diabolus in hominem regnat, per luxuriam in eo pauſat: quia ſicut legimus, dormit in locis humentibus, id eſt, in cordibus luxuriæ ſubditis. Luxuria carnem diſſoluit, mentem afficit, & totum hominem in luctum redigit. Luxuria, ſtercus immũditiarum, vitiorum ſpurcitia, fæx voluptatum. Si placet, conſideremus adhuc attentiùs, quàm viliter homo per tria præfata vitia tractetur. Per auaritiam enim cęcatur, per ſuperbiam pendet, per luxuriam putreſcit. Per auaritiam cecatur, vt legimus. Cùm enim prædictus Iudas, auaritia ductus, Dominum traditurus à collegio diſcipulorum exiſſet, interiorem eius cæcitatem volens oſtendere, dixit Euangeliſta, Erat autem nox. Per auaritiam cæcatur homo, per ſuperbiam pendet: quia dum ſe alijs ditiorem attendit, non attendens æqualitatem conditionis, ſed gloriam in multitudine diuitiarum, interna cogitatione ſuper cæteros extollitur. Indè legimus, ꝙ duæ mulieres, quas beatus Gregorius dicit ſuperbiam & inanem gloriam, inter cælũ & terram amphoram, quę deſignat auaritiam, leuauerunt. Quod niſi fieret, nequaquàm dixiſſet Apoſtolus: Præcipe diuitibus huius ſeculi, non ſuperbè ſapere, nec (1. Timo. 6.) ſperare in incerto diuitiarum. Per ſuperbiam ſuſpenſus homo, in luxuriam reſoluitur: quia dum ſe ditiorem cæteris videt, ac per hoc in eculeo ſuperbiæ ſuſpenſus eſt, vbì nec Deum timet, nec hominem veretur: ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, ſtabulum voluptatis ingreditur, & in ſtercore ſuæ conditionis iacẽs computreſcit. Vndè dicitur, Computrue- (Ioel 1.) runt iumenta in ſtercore ſuo. Adhuc nihilominùs duę mulieres inter cælũ & terram eleuatam deferebant, vt ædificarent ei domum Sennaar, id eſt, in fœtore. Hæc attendentes dilectiſſimi, creatori laudes referamus, cuius ope & gratia hæc reliquiſſe videmur. Teſtantur hoc, via paupertatis, quam intrauimus: habitus humilitatis, quem recepimus: obſeruantia munditiæ, quam deuouimus. Viam paupertatis ingredientes, à nobis auaritiam depoſuimus: humilitatis habitum ſuſcipientes, ſuperbiam depoſuimus: munditiam vouentes, luxuriam poſtpoſuimus. Sciamus itaq;, quia ſicut in illis, quę reliquimus, totius honeſtatis eſt ruina: ſic in iſtis, ad quę tranſiuimus, totius honeſtatis ſumma cõſiſtit. Religio nanque humilitate fundatur, paupertate conſeruatur, munditia decoratur. Omnis affectio vilis eſt in amore pecuniæ. Anima pecuniæ auida, etiam pro exiguo perire non metuit: nullumque in corde illius remanet iuſtitiæ veſtigium, in quo auaritia ſuum fixit habitaculum.

Ex perſona Eliæ monachi ad parentes ſuos, qui triſtes de ſua ad Deum conuerſione, renunciantem ſeculo eum retrahere nitebãtur:

Eiuſdem diui Bernardi Epiſtola.

SOLA

Epist. 111.

Math. 10.

SOLA causa, qua licet non obedire parentibus, Deus est. Ipse dicit: Qui amat patrem aut matrem plùs quàm me, non est me dignus. Si me verè vt boni, vt pij parentes diligitis: si veram, si fidelem erga filium pietatem habetis: quid me patri omnium Deo placere satagentem inquietatis, & ab eius seruitio, cui seruire regnare est, retrahere attentatis? Verè nunc cognosco, quia inimici hominis domestici eius.

Mich. 7.

In hoc vobis obedire non debeo, in hoc vos non agnosco parentes, sed hostes. Si diligeretis me, gauderetis vtiquè: quia vado ad meum atque vestrum, immò vniuersorum patrē. Alioquin quid mihi & vobis? Quid à vobis habeo, nisi peccatum & miseriam? Hoc solum quod gesto corruptibile corpus, de vestro me habere fateor & agnosco. Non sufficit vobis, quòd me in hanc seculi miseriam miserū miseri induxistis: quòd in peccato vestro & peccatores peccatorem genuistis: quòd in peccato natū, de peccato nutristis: nisi etiam inuidendo mihi misericordiam, quā consecutus sum ab eo, qui non vult mortem peccatoris, filium insupèr gehennæ faciatis? O durum patrem, ô sæuam matrem, ô parentes crudeles & impios, immò non parentes, sed peremptores: quorum dolor, salus pignoris: quorum consolatio, mors filij est. Qui me mâlunt perire cum eis, quàm regnare sine eis. Qui me rursùs ad naufragium, vndè tandèm nudus euasi: rursùs ad ignem, vndè vix semiustus exiui: rursùs ad latrones, à quibus semiuiuus relictus sum, sed miserante Samaritano, iam aliquantulùm conualui, reuocare conantur: & militem Christi, propè iam rapto cælo triūphantem, (quod non in me glorior, sed in eo qui vicit mundum) ab ipso iam introitu gloriæ, tanquàm canem ad vomitum, tanquàm suem ad lutum, ad seculum reducere moliuntur. Mira abusio. Domus ardet, ignis instat à tergo, & fugienti prohibetur egredi, euadenti suadetur regredi? Et hæc ab his, qui in incendio positi sunt, & obstinatissima dementia, ac dementissima obstinatione fugere periculum nolunt. Proh furor. Si vos contemnitis mortem vestram, cur etiam appetitis meam? Si, inquam, negligitis salutem vestram, quid iuuat etiam persequi meam? Quare vos non potiùs sequimini me fugi-ẽ. entem, vt non ardeatis? An hoc est vestri cruciatûs leuamen, si me etiam perimatis: & hoc solùm timetis, nè soli pereatis? Ardens ardentibus quod solatium præstare poterit? Quę, inquam, cōnsolatio damnatis, socios habere suæ dānationis? Quód ve remedium morientibus, alios videre morientes? Non hoc mihi persuadet diues ille, qui in tormentis desperatus de sui liberatione, rogabat nunciari fratribus suis, nè & ipsi venirent in locum eundem tormentorum, timens proculdubiò ex suorum cruciatu augeri suum.

Lucæ 16.

Quid ergo? Ibo & consolabor lugentem matrém meam, mei ad tempus visitatione, vt in æternum lugeam, & me & ipsam sine consolatione? Ibo, inquam, & satisfaciam patri meo irascenti pro mei ad tempus absentia: cōsolandus & ipse ad tempus de eius pręsentia, vt postmodùm & quisque pro se, & vterque pro alterutro inconsolabili desolemur tristitia? An potiùs exēplo Apostoli, non acquiescens carni & sanguini, vocem audiam Domini iubentis: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos?

Matth. 8.

Et cantabo cum Dauid: Renuit consolari anima mea.

Psal. 76.

& cum Hieremia: Diem hominis non concupiui: Domine, tu scis.

Hiere. 17.

Quid enim? Funes ceciderunt mihi in præclaris, & cęlestis hæreditas præclara est mihi: & terrena adulatur promissio, blanditur consolatio carnis. Gustato spiritu, necesse est desipere carnem. Affectanti cælestia, terrena non sapiunt. Aeternis inhianti, fastidio sunt transitorria. Desinite igitur parentes mei, desinite & vos frustrà plorando affligere, & me gratis reuocando inquietare: nè, si adieceritis nuncios vltrà mittere pro me, plùs me elongare cogatis. Si autem dimittitis, Claramuallem in perpetuum non dimittam. Hæc requies mea in seculum seculi, hīc habitabo, quoniam elegi eam. Ibi pro meis atque vestris peccatis iugiter orabo: ibi precibus assiduis (quod & vos cupitis) impetrabo, si potero: vt, qui eius amore hoc modico tempore ab inuicèm separamur, in alio seculo simul felici & inseparabili societate in eius amore viuamus per omnia secula seculorum. Amen.

EXPLICIT EPISTOLA DEVOtissima diui Bernardi.

SEQVITVR DE PERFECTIONE STATVS RELIGIONIS, ET DE RATIONE AC MERITO OBEDIENTIAE AC VOTI, EX OPVSCVLIS ANGELICI DOctoris sancti Thomæ, opusculo 18. De perfectione vitæ spiritualis.

Cap. 11.

SECVNDVM autē triplicem viam perfectionis assignatā, in religionib⁹ triplex cōmune votū inuenitur, scilicet votū paupertatis, cōtinentiæ, & obediētiæ vsq; ad mortē. Per votū paupertatis primam perfectionis viā religiosi assumūt, omni ꝓprietati abrenunciantes. Per votū autē continentiæ aggrediūtur viā secundā, matrimonio perpetuò abrenūciantes. Per votū aūt obediētiæ maximè viā tertiā assumūt, voluntatē ꝓpriam abnegando. Hoc etiam triplex votū congruè religioni adaptatur. Nam, sicut dicit August. 10. de ciuitate Dei, religio nō quælibet, sed Dei cultū significare videtur. Vndè & Tulli⁹ dicit in Rhetorica, ꝙ religio est virtus, quæ cuidā superiori naturæ (quā diuinā vocāt) cultū cęremoniamq; affert. Cultus autē soli Deo debitus, in sacrificij oblatione ostēditur. Offertur aūt Deo sacrificiū de exteriorib⁹ rebus, quādò eas aliquis propter Deū largitur: secūdùm illud Heb. 6. Beneficētiæ & cōmunionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs ꝓmeretur Deus. Offertur etiā Deo sacrificiū de proprio corpore, quādò scilicet qui Christi sunt, carnem suam crucifigunt cum vitijs & concupiscentijs, vt dicit Apostolus Galat. 5. Vndè & ipse dicit Rom. 12. Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem. Est etiam sacrificium tertium, DEO acceptissimum, quandò aliquis spiritum suum offert DEO, secundùm illud psal. Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Sed sciendum, quòd, sicut Gregorius dicit super Ezechielem, hoc inter sacrificium & holocaustum distat, quòd omne holocaustum, est sacrificium: & nō omne sacrificium, holocaustū. In sacrificio enim pars pecudis, in holocausto verò totum pecus offerri consueuerat. Cùm ergò aliquis suum aliquid Deo vouet, & aliquid non vouet, sacrificium est. Cùm verò omne quod habet, omne quod viuit, omne quod sapit, omnipotenti Deo vouerit, holocaustum est: quod quidem per tria prædicta vota impletur. Vndè manifestum est, eos, qui huiusmodi vota Deo emittunt, quasi propter holocausti excellentiam antonomasicè religiosos vocari. Per sacrificij autem oblationem, secundùm legis mandatum pro peccatis satisfacere oportet, vt in Leuitico expressè iubetur. Vndè Psal. cùm dixisset, Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini: statim de sacrificatione scribens dixit: Sacrificate sacrificium iustitiæ. id est, opera facite iusta post pœnitentiæ lamenta: vt glo. exponit. Sicut ergò holocaustum, sacrificium est perfectum: ità per vota præmissa perfectè homo DEO satisfacit, cùm de exterioribus rebus, & de proprio corpore, & de proprio spiritu, holocaustum offert. Ex quo patet, quòd religionis status non solùm perfectionem charitatis, sed etiam perfectionē pœnitentiæ continet, intantùm, quòd nulla sunt peccata tam grauia, pro quibus possit homini imponi pro satisfactione, religionis assumptio, quasi religionis statu omnem satisfactionem transcendente. Vndè, vt habetur 33. q. 2. c. Admonere. Astulpho, qui vxorem occiderat, consulitur, vt monasterium ingrediatur, quasi melius & leuius: alioquin ei durissimam pœnitentiam iniungit. Inter hæc autem tria, quæ ad religionis statum diximus pertinere, præcipuum est obedientiæ votum, quod quidem multipliciter apparet. Primò quidem, quia per obedientiæ votum homo Deo propriam volūtatem offert: per votum autem continentiæ offert ei sacrificium de proprio corpore: per votum verò paupertatis offert de exterioribus rebus. Sicut ergò inter bona hominis corpus pręfertur exterioribus rebus, & anima corpori: ità votum continentiæ, voto paupertatis præfertur: votum autem obedientiæ, vtrique. Secundò, quia propter propriam voluntatem homo & exteriorib⁹ rebus vtitur, & proprio corpore. Sic igitur, qui propriam voluntatem dat, totum dedisse videtur. Vniuersalius igitur est obediētiæ votū, quàm continentiæ & paupertatis, & quodammodò includit vtrunque. Hinc est, quòd Samuel obedientiam omnibus sacrificijs præfert, dicens 1. Regum cap. 15. Melior est obedientia, quàm victimæ.

Cicero lib. 2. de Inuentione.

Psal. 50.

Psal. 4.

Contra errores illorum, qui præsumpserunt diminuere meritum obedientiæ vel voti. Cap. 12.

HVmanæ igitur ꝑfectioni diabolus inuides, diuersos vaniloquos & seductionis magistros suscitauit, qui prædictas ꝑfectionis vias im-

impugnarent. Primam enim perfectionis
viam Vigilātius impugnauit. Cōtra quem
Hieronymus loquēs, ait: Quòd aūt aſſerit,
eos meliùs facere, qui vtantur rebus ſuis, &
paulatim fructus poſſeſſionum pauperi-
bus diuidunt, quàm illos, qui poſſeſſioni-
bus venūdatis ſemel oīa largiātur: nō à me
Matt. 19. ei, ſed à Domino reſpondebitur: Si vis eſ-
ſe perfectus, vade, & vēde oīa quæ habes, &
da pauperibus: & veni, ſequere me. Ad eū
loquitur, qui vult eſſe perfectus, qui cum
Apoſtolis patrē, nauiculā, & rete dimittit.
Iſte, quē tu laudas, ſecūdus aut tertius gra-
dus eſt, quē & nos recipimus: dūmodò ſcia-
mus, prima ſecūdis & tertijs pręferenda. Et
ideò ad excludendū hunc errorē dicitur in
libro de Eccleſiaſticis dogmatibus: Bonum
eſt, facultates cū diſcretiōe pauperibꝰ ero-
gare: melius eſt, pro intētione ſequēdi Do-
minū, inſimùl omnia donare, & abſolutū
ſolicitudine, cū Chriſto egere. Secundam
perfectionis viā impugnauit Iouinianus,
matrimoniū virginitati adæquans. Cuius
errorē B. Hieronymus euidentiſſimè con-
futat in lib. quē cōtra eum ſcripſit. De quo
etiā errore Auguſtinus in lib. Retractatio-
nū ſic dicit: Iouiniani hæreſis ſacrarū vir-
ginū meritum æquare pudicitiæ coniugali
voluit. vndè in vrbe Romana nonnullas
etiā ſanctimoniales, de quarū impudicitia
ſuſpicio nulla præceſſerat, deieciſſe in nu-
ptias dicitur. Huic noſtra ſancta mater Ec-
cleſia per oīa fideliſſimè ac fortiſſimè re-
ſiſtit. vndè in lib. de Eccleſiaſticis dogma-
tibus dicitur: Sacratæ Deo virginitati nu-
ptias coæquare, aut pro amore caſtigandi
corporis abſtinētibus à vino vel carnibus,
nihil credere meriti accreſcere, nō eſt Chri
ſtiani, ſed Iouiniani. His aūt antiquis in-
ſidijs diabolus nō contentus, temporibus
noſtris quoſdam dicitur incitáſſe, votum
obedientiæ ac alia vota cōmuniter impu-
gnātes: dicēdo, laudabilius eſſe, bona ope-
ra virtutū facere ſine voto vel obedientia,
quàm ſi ad hæc facienda homo per votum
vel obedientiā cōſtringatur. Quorū aliqui
dicūtur in tantā veſaniam proſilire, quòd
aſſerāt votū, quod aliquis emiſit de religi-
one intranda, poſſe prætermitti abſq; de-
trimēto ſalutis. Hunc aūt errorē quibuſ-
dam vanis & friuolis rationibus confirma-
re dicuntur. Dicunt enim, quòd tanto ali-
quid eſt laudabilius & magis meritorium,
quanto eſt magis voluntarium: ſed quanto
aliquid eſt magis neceſſarium, tāto videtur
minùs volūtariū. Laudabilius ergò & ma-
gis meritorium videtur eſſe, ꝙ quis opera
virtutū exerceat proprio arbitrio, & abſq;
neceſſitate voti vel obediētiæ, quàm quòd
ex voto vel obedientia hoc facere cōpella-
tur. Dicuntur etiā ad hoc inducere, quod
Proſper dicit in libro 2. de vita cōtempla-
tiua. Dicit enim: Sic abſtinere vel ieiunare
debemus, vt non nos neceſſitati ieiunandi
ſubdamus: ne iam non deuoti, ſed inuiti,
rem nō voluntariè faciamus. Poſſent etiā
ad hoc inducere, quod dicit Apoſtolus,
2. Cor. 9. Vnuſquiſq; prout deſtinauit in
corde ſuo, nō ex triſtitia, aut ex neceſſitate.
Hilarem enim datorē diligit Deus. Opor-
tet ergò manifeſtè oſtēdere, & hoc falſum
eſſe quod dicunt, & eorū friuolas rationes
elidere. Ad oſtendendum aūt huius erro-
ris falſitatem, primò aſſumēdum eſt, quod
in pſal. dicitur: Vouete, & reddite Domi- Pſal. 75.
no Deo veſtro. vbi dicit gloſſa: Notadum,
ꝙ alia ſunt cōmunia vota Dei: ſcilicet, ſine
quibus nō eſt ſalus: vt, vouere fidem in ba-
ptiſmo, & huiuſmodi, quę etiā ſi non pro-
mittimus, ſoluere debemus: & de his præci-
pitur oībus: Vouete, & reddite. Alia ſunt
vota propria ſingulorū: vt, caſtitas, virgi-
nitas, & huiuſmodi, ad hęc ergò vouenda
nos inuitat, nō præcipit vt voueamus, ſed
vt vota reddamus. Vouere enim, volunta-
ti conſulitur: ſed poſt voti emiſſionē red-
ditio exigitur neceſſariò. Votū ergò quod-
dam eſt in præcepto, quoddam in cōſilio.
Ex vtroq; aūt ex neceſſitate concluditur, ꝙ
meliùs eſt, aliquod bonum facere ex voto,
quàm ſine voto. Manifeſtū eſt enim, quòd
ad ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, oēs
tenentur ex Dei præcepto: nec eſt fas, æſti-
mare aliquod Dei præceptū in vacuum da-
ri: finis aūt cuiuſlibet ꝑcepti eſt charitas, vt
dicit Apoſtolus 1. ad Tim. 1. Fruſtrà ergò
daretur aliquod præceptū de aliquo faciē-
do, ſi nō magis ad charitatem pertineret il-
lud facere, quàm nō facere. Datur aūt præ-
ceptum nō ſolùm de credendo, vel de non
furando: ſed etiam, vt hæc voueamus. Cre-
dere igitur ex voto, & abſtinere à furto ex
voto, & cætera huiuſmodi, magis ad chari-
tatem pertinent, quàm ſi ſine voto fiant.
Quod aūt magis ad charitatem pertinet,
magis eſt laudabile, & magis meritorium.
Magis ergò eſt laudabile & meritorium, fa-
cere aliquid ex voto, quàm ſine voto. Rur-
ſùs, conſilium datur nō ſolùm de virgini-
tate, vel caſtitate ſeruāda, ſed etiā de vouē-
do: vt patet ex glo. ſuprà inducta. Sed cōſi-
lium non datur niſi de meliori bono, vt
ſuprà dictum eſt: melius ergò eſt, ſerua-
re virginitatē cum voto, quàm ſine voto.
& ſimile eſt in alijs. Item inter alia bona
opera maximè obſeruatio virginitatis cō-
mendari ſolet, ad quā Dominus inuitat di-
cens Matt. 19. Qui poteſt capere, capiat. Sed
ipſa virginitas ex voto cōmendabilis red-
ditur. Dicit enim Auguſtinus in libro de
Virginitate: Neq; virginitas, quia virgini-
tas eſt, ſed quia Deo dicata eſt, honoratur:
quā vouet & ſeruat cōtinentia pietatis. Et
infrà: Nec nos in virginibus, quòd virgi-

nes sunt, prædicamus: sed quòd Deo dicatæ sunt pia cōtinentia virginitatis. Multo igitur magis aliqua opera laudabiliora redduntur ex hoc, ꝙ per votū Deo dicantur. Iterùm, quodlibet bonū finitum, cum enumeratiōe alterius boni melius est: nulli autem dubium esse potest, quin ipsa promissio boni, sit aliquod bonum. vndè & qui homini aliquid promittit, bonū aliquod ei videtur iam impendere, vndè & quibus aliquid promittitur, gratias agunt. Votum autem est quædam promissio Deo facta: vt patet per illud, quod dicit Ecclesiast. 4. Si quid vouisti Deo, nè moreris reddere. Displicet enim ei infidelis & stulta promissio. Melius est igitur, aliquid facere & vouere, quàm facere simpliciter absq; voto. Adhuc, quanto aliquis plus dat alicui, tanto maius aliquid ab eo meretur. Qui autem facit aliquid sine voto, dat ei solum, quod facit propter eius amorem. Qui autem nō solùm facit, sed etiam vouet: non solùm dat ei, quod facit, sed etiam potētiam, qua facit. Facit enim se non posse, quin faciat, quod priùs non facere licitè poterat. Maius igitur aliquid meretur apud Deū, qui ex voto aliquid facit, quàm qui illud facit sine voto. Ampliùs, ad laudem boni operis pertinet, quòd voluntas firmetur in bono: sicut ad aggrauationem culpæ pertinet, quòd voluntas sit obstinata in malo. Manifestum est autem, quòd, qui aliquid vouet, voluntatem suam firmat ad id, quod vouet: & sic cùm implet, quod vouerat, opus bonum ex voluntate firmata procedit. Sicut igitur ad grauamen culpæ pertinet, quòd ex proposito firmato aliquis malū operetur: (hoc enim est ex malitia peccare) ità ad augmentum meriti pertinet, quòd aliquis bonum opus operetur ex voto. Item, quanto aliquis actus ab excellentiori virtute progreditur, tanto laudabilior est, cùm tota laus operis ex virtute procedat. Contingit autem quādoque actū inferioris virtutis à superiori virtute imperari: putà, cùm aliquis actum iustitiæ ex charitate facit. Multo igitur melius est, opus virtutis inferioris facere ex imperio superioris virtutis: sicut melius est opus iustitiæ, si ex charitate fiat. Manifestum est autem, quòd particularia bona opera quæ facimus, pertinent ad aliquas inferiores virtutes: putà, ieiunare, ad abstinentiam: continere, ad castitatem, & sic de alijs. Vouere autem, est propriè latriæ actus, quam nulli dubium esse debet, esse potiorem vel abstinentia, vel castitate, vel quacunque alia huiusmodi virtute. Maius enim est, colere Deum, quàm rectè se habere erga proximum, aut seipsum. Opus igitur abstinentiæ, vel castitatis, vel cuiuscunque talium virtutum, quæ sunt infra latriam, laudabilius est, si ex voto fiant. Huic etiam suffragatur pium Ecclesiæ studium, quæ homines ad vouendum inuitans, & vouentibus ire in subsidium terræ sanctæ, vel aliàs in defensionem Ecclesiæ, indulgentias & priuilegia largitur: non autem inuitaret ad vouendum, si melius bona opera esset facere sine voto. Hoc enim esset contra exhortationem Apostoli 1. Cor. 12. Aemulamini charismata meliora. Vndè, si melius esset, bona facere absque voto, non inuitaret ad vouendum, sed etiam à vouendo retraheret, vel prohibendo, vel dissuadendo. Similiter etiam, cùm Ecclesiæ intentio sit, homines fideles ad meliorem statum reducere, omnes à votis factis absolueret: vt sic eorum bona opera laudabiliora existerent. Patet igitur, huiusmodi positionem repugnare ei, quod communiter Ecclesia tenet & sentit: vndè & tanquàm hæretica reprobanda est. Ad ea verò, quæ pro se obijciunt, facile est multipliciter respondere. Primò enim, quod dicunt, quòd opus bonum ex voto factum, est minùs voluntarium: non est vniuersaliter & in omnibus verum. Multi enim sunt, qui ea, quæ vouerunt, tam prompta voluntate faciunt, vt etiam si non vouissent, non solùm facerent, sed vouerent. Secundò, detur quòd aliquod bonum opus, quod quis facit ex voto, vel obedientia, simpliciter consideratum, sit voluntarium: sed tamen facit hoc ex necessitate voti, vel obedientiæ, quam non vult præterire: adhuc dum hoc facit, laudabiliùs operatur, & magis meritoriè, quàm si prompta voluntate illud faceret sine voto. Etsi enim non habeat voluntatem promptam illud faciendi, putà ieiunandi: habet tamen voluntatem promptam votum implendi, vel obediendi, quod est multo laudabilius, & magis meritorium, quàm ieiunare. vndè plus meretur, quàm ille, qui sua voluntate ieiunat: tantoque voluntas, votum implendi, aut obediendi, promptior iudicatur, quanto id, quod aliquis facit propter obedientiam, vel votum, magis in se consideratum voluntati repugnat. Vndè Hieronymus ad Rusticum monachum dicit: Per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio dimittendum. Et post pauca dicit: Non facias, quod vis: comedas, quod iuberis: habeas, quantum acceperis: vestiaris, quod datur: operis tui pensam persoluas:

soluas: subijciaris, cui non vis: lassus ad stratum venias, ambulansque dormites: & necdum expleto somno, surgere compellaris. Ex quo patet, quod ad meritum boni operis pertinet, vt quæ aliquis propter seipsa non vellet, propter Deum faciat, aut patiatur: quia tanto inuenitur voluntas promptior ad feruorem diuini amoris, quanto magis ea, quæ propter ipsum facimus, aut patimur, nostræ voluntati repugnât. Vndè & martyres maximè commendantur, quanto plura sustinuerunt propter Dei amorem contra voluntatem humanam. Vndè 2. Macha. 6. Eleazarus dum torqueretur, dixit: Diros corporis sustineo dolores: secundùm animam verò propter timorem DEI libenter hæc patior. Tertiò, detur quòd nec etiam aliquis ipsam voluntatem retineat votum seruandi aut obediendi: manifestum est, quòd cùm Deus iudex sit cordium, apud Deum talis habetur quasi voti fractor, aut obedientiæ præuaricator. Si tamen impleat, quod vouit, vel quod ei præcipitur, solo humano timore, vel pudore: non est ei meritorium apud DEVM, quia non facit voluntate Deo placendi, sed humana necessitate coactus: nec tamen inutiliter vouit, si ex charitate vouit. Nam plus meruit in vouêdo, quàm alius simpliciter ieiunando, quod meritum ei reseruatur, si de præuaricatione cordis pœniteat. Per hoc etiam patet responsio ad authoritates inductas, quæ loquũtur de necessitate humana: cùm aliquis scilicet ex pudore, vel timore humano facit, quod iurauit, vel vouit: non autem loquuntur de necessitate, quæ est ex fine dilectionis diuinæ: putà, cùm aliquis facit vel patitur, quæ aliàs nollet, vt impleat voluntatem diuinam. Et hoc patet ex verbis Apostoli, qui dicit 2. ad Cor. 9. Non ex tristitia, aut necessitate. Tristitiam enim humanam necessitas inducit: necessitas autem dilectionis diuinæ, tristitiã tollit vel minuit. Patet etiam hoc ex verbis Prosperi dicentis: Nè non deuoti, sed inuiti, rem non voluntariè faciamus. Non enim necessitas, quæ ex diuina dilectione procedit, minuit dilectionẽ, sed auget. Et quòd talis necessitas sit laudanda & appetenda, patet per hoc, quod Augustinus dicit in epistola ad Armentarium & Paulinum: Quia iam vouisti, iam te obstrinxisti: aliud tibi facere non licet. Priusquàm esses voti reus, liberum fuit, quod velles, facere: sed tunc esses inferior. quamuis non sit gratulanda libertas, qua fit, vt non debeatur, quod cum lucro redditur. Nunc verò quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam iustitiam inuito, scilicet ad continentiam, quam iam voneras, vt per superiora apparet, sed à magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris, si non feceris, quod vouisti, qualis mansisses, si nihil tale vouisses. Minor enim tunc esses, nõ peior: modò autem tanto (quod absit) miserior, si fidem Deo fregeris: quanto beatior, si persolueris. Nec ideò te vouisse pœniteat, immò gaude, iam tibi non sic licere, quod tuo detrimẽto licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta imple factis: ipse adiuuabit, qui vota tua expetit. Felix est necessitas, quæ ad meliora compellit. Patet etiam ex his verbis, erroneum esse, quod dicunt, quòd aliquis nõ tenetur de implendo votum de religione intranda.

EXPLICIT DE MERITO VOTI ET OBEDIENTIAE, EX DICTIS BEATI Thomę Aquinatis: necnon totius pręsentis voluminis, hic finis. Deo autem gratias.

